Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
Boston Library Consortium Member Libraries

http://www.archive.org/details/doctorisseraphic09bona

DOCTORIS SERAPHICI

S. BONAVENTURAE

S. R. E. EPISC. CARD.

OPERA OMNIA

DOCTORIS SERAPHICI

S. BONAVENTURAE

S. R. E. EPISCOPI CARDINALIS

OPERA OMNIA

IUSSU ET AUCTORITATE

R.mi P. DAVID FLEMING

TOTIUS ORDINIS FRATRUM MINORUM S. P. FRANCISCI

VICARII GENERALIS

EDITA

STUDIO ET CURA PP. COLLEGII A S. BONAVENTURA

AD PLURIMOS CODICES MSS. EMENDATA

ANECDOTIS AUCTA PROLEGOMENIS SCHOLIIS NOTISQUE ILLUSTRATA

TOMUS IX.



AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)

PROPE FLORENTIAM

EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE

MCMI.

BX
939
.B573
C2
v.7

BOSTON COLLEGE LIBRARY
CHESTNUT HILL, MASS.

Proprietas Litteraria.

JAN 24 1990

DOCTORIS SERAPHICI

S. BONAVENTURAE

S. R. E. EPISC. CARD.

SERMONES DE TEMPORE, DE SANCTIS,

DE B. VIRGINE MARIA ET DE DIVERSIS

TOMUS IX.



AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)
PROPE FLORENTIAM
EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE

MCMI.

OPERA HUIUS TOMI.

1. Introductio cum Opusculo de arte praedicandi . *pag.* 3
2. Sermones de Tempore . . . . . » 23
3. Sermones de Sanctis . . . . . » 463
4. Sermones de B. Virgine Maria . . . . . » 633
5. Sermones de Diversis . . . . . » 723

PRAEFATIO.

Nonum hoc nostrae editionis volumen multos exhibet sermones S. Bonaventurae, id est totius collectionis omnium operum eiusdem quintam et ultimam classem; de qua divisione actum est in praefatione generali ad tom. I. pag. XXXVII. Non omnes S. Doctoris sermones hic habentur, cum opuscula tomi V, quae vocantur *Collationes in Hexaëmeron,* item *Collationes de Donis Spiritus S.* et *de Decem Praeceptis,* constent veris de indicatis materiis sermonibus, et quidem ab aliena manu reportatis, quibus additi sunt pauci alii sermones theologici. Etiam in tomo sexto illae *Collationes in Ioannem* non sunt nisi schemata quaedam sermonum. De ratione, quare nos, exemplum praecedentium editionum secuti, dictos sermones separaverimus ab illis qui de speciali themate tractant, agitur in prolegomenis ad praefata volumina.

Huius noni voluminis sermones, exceptis paucis, hucusque inediti et ignoti erant magnoque laboris et temporis dispendio ex pluribus codicibus a nobis selecti et correcti sunt. Nemini igitur videbitur mirum, nos fere quatuor annos insumsisse, ut hunc ultimum genuinorum S. Bonaventurae operum tomum absolveremus. Laudes et gratiae sint summo omnium bonorum Largitori, qui arduum hunc fere triginta annorum laborem feliciter ad finem perducere dignatus est!

Restat quidem adhuc aliquid minoris momenti faciendum. Nam praeter indicem rerum in his sermonibus contentarum, exponendus est conspectus syntheticus operum totius collectionis cum iudicio critico de pluribus operibus editis et praecipue de multis manuscriptis, de quibus vel nulla vel nimis brevis critica in praecedentibus prolegomenis facta est; insuper convenit, etiam de vita et scriptis auctoris plura adhuc in medium proferre.

Haec omnia in alium, scilicet decimum tomum, aliis voluminibus multo minorem reiecimus, ne hic nonus iam satis amplus nimis mole excrescat.

Denique benevolo lectori communicandum esse censemus, a pluribus viris, quorum magna est apud nos auctoritas, observatum esse, inter opuscula certo spuria et a nobis non recepta nonnulla inveniri primitus saepius edita, studiose lecta et frequenter citata, quae certe digna essent, ut eorum memoria non pereat. Quapropter in animo nobis est, ut haec a nobis magis corrigantur atque separatim et in forma minori, ad usum magis accomodata iterum publicentur. Inter haec opuscula nominanda sunt praesertim *Stimulus amoris,* cuius auctor maximam sententiarum partem sumsit ex ipso Bonaventura; deinde *Meditationes de vita Christi,*

quod opusculum media aetate valde in usu erat; denique *Speculum maius B. Mariae Virginis,* scriptum a fratre Conrado de Saxonia; et fortasse etiam quaedam alia.

Memoriam denique moesto simul et grato animo faciamus confratris carissimi et per multos annos indefessi collaboratoris, P. Hyacinthi Deimel O. F. M., Subpraefecti nostri Collegii, qui die 28 Februarii anni 1900 pia morte nobis ereptus est.

Ex honesta familia natus est an. 1838 die 26 Septembris Briloniae, quae est civitas Westfaliae. A iuventute pie educatus, studia humanitatis inchoavit in gymnasio patriae et continuavit Warendorpii. A Patre luminum ad altiora vocatus, 1 Maii 1856 habitum nostri Ordinis assumsit Warendorpii, in novitiatu Provinciae Saxoniae S. Crucis, atque subito verum se S. Francisci filium comprobabat puritate vitae et ardenti perfectionis acquirendae studio. Post professionem primo se tradidit studiis philosophicis et theologicis Paderbornae, deinde, cum luculenta ad studia altiora apprehendenda et docenda indicia monstraret, missus est in Belgicam Provinciam, ut ibi biennio eadem studia in conventu S. Trudonis prosequeretur. Revocatus in propriam Provinciam, anno 1862 die 14 Iunii sacerdotio initiatus est. Subinde philosophiae clericis nostris tradendae officium suscepit, quod tredecim annorum decursu omni virium contentione et superiorum et discipulorum laude et plausu exsecutus est. Eo iam tempore philosophiae Scholasticorum in scholis nostris instaurandae toto studio operam navabat et philosophiae cursum, doctrinam S. Thomae praecipue secutus, diligenter scripto elaboravit, licet simul S. Bonaventurae et Alexandri Halensis opera continue evolverit. Cum aliis etiam laboribus assidue attenderet, graviter aegrotavit et per totam vitam imbecilliore erat valetudine.

Ab anno 1871, quando P. Fidelis a Fanna b. m. pro nova operum S. Bonaventurae editione praeparanda laborare incepit, P. Hyacinthus pro suo erga seraphicum Doctorem amore huic Patri variis subsidiis opitulatus est, praesertim in aliquibus opusculis describendis vel cum editis conferendis. Anno 1875, cum in Borussia persecutio Religiosos in exilium ire cogeret, idem Pater a Rmo P. Generali Bernardino a Portu Romatino delectus est, ut socius adesset P. Fideli in visitandis Germaniae et Austriae bibliothecis; porro alibi in multis locis, praesertim Parisiis, Oxonii, Monachii cum aliis confratribus strenue laboravit in antiquis manuscriptis vel describendis, vel conferendis. Stabilito an. 1879 pro adornanda nova Seraphici Doctoris editione Collegio S. Bonaventurae, cum pluribus Patribus etiam P. Hyacinthus eidem aggregatus est, in cuius ingenio et diligentia Praefectus Collegii, P. Fidelis a Fanna, summam semper fiduciam collocabat. Cum acri et subtili ingenio coniunctam habebat diligentiam etiam in minimis accuratissimam et fere anxiam; unde in rebus difficilibus vel dubiis vix sibi sufficere poterat, non cessans volumina revolvere, ut tutam sequi posset rationem. Miram prorsus assiduitatem et patientiam adhibuit in inquirendis et accurate notandis locis SS. Patrum aliorumque auctorum, qui a S. Doctore vel allegantur vel supponuntur; quod praecipue praestitit quoad loca Aristotelis aliorumque philosophorum. Si nova illa editio a viris doctis commendata est propter amplam et accuratam locorum et fontium citationem, haec laus defuncto socio carissimo nostro praecipue competit. Solitudinis amans, non parcebat laboribus et praeter frequentiam orationis in decursu anni vix aliquam recreationem admittebat.

Hoc eo magis aestimandum est, cum post periculosum cordis morbum per multos annos singulis diebus affectus esset molesta quadam nervorum infirmitate, quae

per modum febris mane per duas circiter horas eum ita affligebat, ut inhabilis fieret ad quaevis agenda; quare, ut has horas praeveniret, celebrare solebat mane hora quinta. Accessit gravis stomachi infirmitas, ita ut non nisi pauca ciborum genera simplicissima et in quantitate valde exigua sumere posset.

Nihilominus, quod sane mirum est, in conversatione cum aliis longe ab ipso aberat tristitia vel morositas, sed e contrario se praesentabat semper facie hilari suaque festivitate et iocosis verbis etiam alios exhilarantem.

Puritate conscientiae excellens, ubique lucis exempla monstrabat perfecto totius vitae ordine, summo erga res divinas et orationem studio, suavitate morum et rara erga omnes caritate, quae *gaudet cum gaudentibus et flet cum flentibus* (Rom. 12, 15.). Anni 1899 aestate propter magnam corporis debilitatem rediit ad propriae Provinciae conventus; sed ibi mense Augusti malum in peiorem partem versum est, ita ut vires valde deficerent. Sed magno in Collegium suum revertendi desiderio motus, die 23 Decembris reversus est, et non obstante magna sua debilitate, ad consuetos labores se accinxit. Primis tamen Februarii diebus morbus ille, quem vocant *influentiam,* eum graviter invasit; quo, ut videbatur, superato, die Cinerum (28 Februarii) ante meridiem morbus cardiacus subintravit. Ipse sponte requisivit extrema Sacramenta, quibus devote susceptis, et retento usque ad ultimam respirationem usu rationis et loquelae, sine agonia eodem die post horam octavam placidissime exspiravit.

Verus ipse fuit *Nathanaël, in quo dolus non fuit* (Ioan. 1, 47.); insuper et *fidelis servus,* qui talenta a Deo accepta non tenuit *in sudario reposita* (Luc. 19, 20.), sed cum usuris restituit. Sperare igitur licet, post mortalem cari consodalis vitam iustum Iudicem benigno vultu eum esse allocutum: *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium Domini tui* (Matth. 24, 21.).

In Collegio S. Bonaventurae, die 22 Augusti 1901.

PP. EDITORES.

Postquam praefationem huius voluminis die 22 Augusti h. a. iam scripsimus et officinae typographicae tradidimus, nuntium tristissimum accepimus de obitu Reverendissimi P. ALOYSII LAUER, Ministri Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum, qui die 21 Augusti e vita migravit in conventu nostro Sigmaringensi Gorheim. Cuius eximii viri iacturam totus moeret Ordo. Non est hic locus de defuncti Patris vita, virtutibus et magnis in totum Ordinem et nominatim in Collegium nostrum meritis plura dicere, quod alibi et ab aliis viris convenientius fiet; tamen consentaneum esse videtur, hac occasione opportuna hic memoriam tam bene meriti Patris nostri defuncti facere atque nostri animi et dolorem et gratam pietatem erga eundem exprimere.

PROLEGOMENA

IN NONUM TOMUM.

CAPUT I.

De multis sermonum sancto Bonaventurae tributorum editionibus, quae hucusque impressae sunt.

I. De editione Vaticana.

In tertio istius editionis tomo, qui in titulo habet annum impressionis 1596, exhibentur 294 sermones de Tempore, 57 sermones in Proprio de Sanctis et 47 in Communi Sanctorum, in toto 398 sermones. Editor Angelus Rocca O. S. Aug. in epistola nuncupatoria ad Papam Clementem VIII, cum plura dixisset in laudem sermonum S. Bonaventurae, asserit, se collegisse et segregasse hos sermones « puros et genuinos, qui antea aliorum sermonibus, utpote Bonaventurae Paduani, Petri Aureoli et Francisci Mayronis, confuse permixti erant, et summo labore ab infinitis erroribus expurgasse ». Quibus verbis satis indicat, se ante oculos habuisse antiquam editionem Basilecensem an. 1502, de qua infra n. VIII. sermo erit.

Editio Vaticana reimpressa est Lugduni 1609, Moguntiae an. 1675 et alio ordine Venetiis 1759, denique ab anno 1864 Parisiis, curante domino Peltier.

Surrexerunt tamen ante plura saecula viri critici, qui negaverunt, praedictos sermones esse genuinos. Iam Casimirus Oudinus in suo Commentario, tom. III. col. 400, omnes istos saltem inter dubios posuit, dum editores Veneti eosdem ut supposititios exploserunt. Oudinus insuper asseruit: « Unde maior debet esse certitudo eorum quos an. 1521. Parisiis Iodocus Badius Ascensius publicavit, quam eorum qui habentur in Vaticana ». Sed in hoc valde erravit; e contrario enim nunc exploratum est, omnes a Badio vulgatos sermones esse spurios et Fr. Conrado de Saxonia restituendos.

Etiam P. Bened. Bonelli, in suo Prodromo (col. 670 seqq.), assentiens P. Sbaraleae, recte iudicavit, non paucos sermones Vaticanae editionis esse dubios, immo iam suspicatus est, multos eorum tribuendos esse Conrado de Saxonia (cfr. ibid. col. 718). Nunc tamen res est omnino explorata, ut infra n. IX,X. testimonio codicum probatur.

Primo dicendum est de prima parte sermonum Vaticanae, scilicet de sermonibus de Tempore. Inter hos solummodo 53 sermones auctorem habent Bonaventuram, reliqui omnes sunt Fr. Conradi de Saxonia, auctoris opusculi *Speculum maius B. Mariae Virginis*, qui floruit in principio saeculi XIV. Genuini illi sermones in nostra editione semper primum locum occupant et a nobis subsidio quatuor codicum a multis vitiis sunt emendati. Hi codices, de quibus vide infra c. II. n. I, praedictos sermones tribuunt S. Bonaventurae. Impressi sunt etiam, exclusis omnibus Conradi sermonibus, in editione Basileensi an. 1502. Quod legitime S. Doctori tribuantur, probatur non tantum hoc testimonio codicum, sed etiam tota eorum indole. Immo non est dubium, ipsum S. Bonaventuram hos sermones collegisse et litteris consignasse, ipso hoc testante in sermone I. Domin. XIII. post Pentecosten his verbis: « Ego servus crucis, Bonaventura, qui volumen praesens sermonum ad laudem nominis Christi et sanctae crucis honorem compegi » (infra pag. 404 col. 1.). Haec verba habentur in citatis codicibus, sed vox *Bonaventurae* habetur in sole cod. F. Cum fere omnes sermones Bonaventurae ab aliis sint reportati, vel abbreviati; patet, quanti valoris sint hi 53 sermones, cum verba ipsa Bonaventurae contineant. Tamen pro more illius saeculi auctor tantum sententias sine apparatu rhetorico litteris demandavit. Ex aliis enim longioribus sermonibus reportatis videmus, ipsum consuevisse magis rhetorice et diffusius e suggestu verbum divinum proponere.

Secundo dicendum est aliquid de eiusdem editionis *Proprio Sanctorum* et de *Communi Sanctorum*. Primo notamus, horum nullos convenire cum sermonibus Conradi de Saxonia. Porro etiam Bonelli et Sbaralea valde dubitant, utrum hi sermones Vaticanae sint genuini, quin tamen de singulis iudicium ferant. Idem putat dominus Peltier in edit. Parisiensi tom. XIII. et XIV; quare hos sermones minoribus typis imprimi fecit. Dicit enim tom. XIII. pag. 493, nota 1: « Hucusque in edendis Bonaventurianis sermonibus typis consuetis usi sumus; nunc vero minoribus utendum est, non quod sermones omnes, qui praecedunt, pro authenticis, omnes vero, qui sequuntur, pro suppositiitis habeamus; sed tum uniformitatis gratia, tum quia frequentiores Valerii Maximi et ceterorum

gentilium, quae in sequenti parte occurrunt, citationes maiorem ingerunt suspicionem falsitatis ».

Plerique horum sermonum habent passim sententias et aliquas divisiones a Bonaventura non alienas, sed ita ab aliis sunt transformati, hinc inde adaucti, vel ut plurimum abbreviati et cum alienis laboribus permixti, ut quid proprie pertineat ad Bonaventuram, discerni non possit. Multi eorum habentur in diversis editionibus et codicibus, sed non sine additionibus, omissionibus et multis variantibus. Hac ratione ducti, nullum horum sermonum in nostram editionem recepimus.

II. De editione an. 1479.

Antiquior inter omnes editiones, quae habent collectiones sermonum S. Bonaventurae, est editio facta Zwollis an. 1479. Fol. 1 incipit: « Hoc praesenti volumine, cui vere competit illud comici: invidiosum bonum, et quod priores absconditum servavere in amicitiam coniunctissimis, plerisque facile desideratu, sed comparatu difficile: ventura bona docentis seraphici doctoris Bonaventure sacrosancte Romane ecclesiae cardinalis dignissimi: sermonum de tempore simul et sanctis, et si invidiosum non tamen infructuosum opus: hactenus absconditum et occultum: nunc tandem impressoria arte palam procedit in lucem.

De adventu Sermo.

Veniet desideratus cunctis gentibus, Aggaei 2 ».

In fine habetur: « Ventura bona docentis seraphici doctoris Bonaventure sacrosancte Romane ecclesie Cardinalis dignissimi de tempore simul et sanctis perfructuosum opus Zwollis impressum: Feliciter explicit: Anno domini Millesimo quadringentesimo septuagesimo nono ».

Sermones de Tempore sunt 127, de Proprio Sanctorum sunt 54 et de Communi Sanctorum tantum 17.

Huius editionis sermones de *Tempore* non conveniunt cum editis, neque in Vaticana neque in nostra editione, nisi hinc inde in nonnullis divisionibus et sententiis, etiam si uterque sermo est de eodem themate. Hoc patet, si comparamus ex. gr. secundum sermonem de I. Dominica Adventus: *Veniet desideratus cunctis gentibus*, Aggaei secundo, cum sermone secundo Bonaventurae pro Dominica I. Adventus, cuius divisio principalis est haec: « Primo notatur *benignitas* ex parte Filii Dei venientis, secundo *animi sinceritas* ex parte populi appetentis, tertio *utilitas* ex parte finis subsequentis ». Antiqua illa editio habet hanc sermonis divisionem: « Dico, quod sancti Patres adventum Dominicum aspirabant, quia natura *incitabat;* secundo, quia amor *intendebat;* tertio, necessitas *perurgebat* ». Porro exponit *aliam* divisionem sic: « in quo utique verbo monstratur et Domini venientis *humilitas* et exspectantis populi desideriorum *immensitas* et etiam populi subsequentis universalis *utilitas*. Notandum ergo, quod circa Dominum venientem sunt quatuor attendenda; nam in Domino veniente debemus attendere *maiestatem* divinam, *naturam* assumptam, *humilitatem* praecipuam et *utilitatem* omnimodam ».

Hinc patet, hunc sermonem esse a Bonaventuriano prorsus diversum; aliqui tamen sermones ibidem magis conveniunt. Plerumque tamen ipsa non refert ex Bonaventura nisi aliquod membrum divisionis, exponens illud aliis sententiis et multis rationibus philosophicis, ut vix ingenium Bonaventurae deprehendi possit.

Observandum est, plures huius editionis sermones de Tempore quoad Dominicas Adventus inveniri etiam in codice bibliothecae Vaticanae n. 5933. saec. XIII., qui ibi inscribuntur: *Sermones dominicales fr. Iacobi*, sed a manu paulo posteriore. Similiter conveniunt cum ipsa novem sermones dominicales, scilicet in Dominicis post Pentecosten, qui habentur in bibliotheca Basileensi, cod. B. X. 4. membr. saec. XIV., ubi sunt plures sermonum collectiones, quarum secunda continet praedictos novem sermones, a manu recentiore Bonaventurae tributos. Denique etiam *Giessae* in Hassia, bibliotheca Universitatis, cod. 779. habentur saltem quatuor eiusdem editionis sermones cum nomine Bonaventurae.

III. De editione tertia an. 1481.

In fine codicis legitur: *Ventura bona docentis seraphici doctoris Bonaventura* (sic!) *sacrosancte Romane ecclesie cardinalis dignissimi de tempore simul et sanctis cum communi sanctorum perfructuosum opus. Impressum per Iohannem Zainer: feliciter explicit Anno Domini Millesimoquadringentesimooctuagesimoprimo.*

In principio est registrum ordine alphabetico collectum. Numeri foliorum desunt. Deinde sequitur: « Hoc presenti volumine cui vere competit illud comici: invidiosum bonum: et quod priores absconditum servaverunt in amicitiam coniunctissimis plerisque facile desideratum sed compertum difficile: Ventura bona docentis seraphici doctoris Bonaventure sacrosancte romane ecclesie cardinalis dignissimi sermonum de tempore simul et sanctis, et si invidiosum non tamen infructuosum opus hactenus abditum et occultum nunc tandem impressoria arte palam procedit in lucem.

De adventu Sermo primus: Veniet desideratus cunctis gentibus, Aggaei secundo. Si sancti patres Domini desiderabant » etc.

Ut iam insinuatur ex his notitiis descriptis, haec editio, excepto registro, omnino convenit cum praecedenti editione.

IV. De editione sine loco et tempore.

Alia editio antiqua inscribitur: *Seraphici doctoris S. Bonaventure de tempore et de Sanctis cum communi Sanctorum.*

Folio primo legitur: « Sermones de tempore simul et de sanctis et de communi Sanctorum. Ventura bona docentis seraphici et nunc sancti doctoris Bonaventure Or. fra. min. sacrosancte r. ecclesie card. a revmo papa nostro Sixto quarto canonizati in praesentia domini Comitis Eberhardi senioris de Wirtenberg et de monte Pelligardo Dominica in Albis An. 1482 » (qui est dies et annus canonizationis). Habet sermones de tempore 30, de proprio Sanctorum 90, de Communi 16; ceterum convenit cum editione impressa Zwollis.

V. De editione an. 1485.

Haec facta est in Reutlingen praedicto anno, in quarto magno. Inscribitur: *Bonaventure sermones de tempore et Sanctis.* De tempore sunt 30, qui incipiunt: *Dominica prima Adventus. Veniet desideratus cunctis gentibus. Si sancti Patres* etc.; concludunt iisdem verbis ut secunda: « Et contumeliis gaudebant ». Sequuntur sermones de Sanctis, qui conveniunt cum impressis in editione Zwollensi: *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Narrat Valerius Maximus, quod tanta in antiquis Romanis* etc. Desinunt: *Extermimatio*

daemoniorum, a qua Angeli desertoresque exciderunt. Sequuntur sermones de Communi Sanctorum, qui incipiunt et terminant ut in praedicta editione. In fine habetur: *In Reutlingen autumni tempore complevimus; unde gratias referimus Domino hominum exaltatori. An. Domini MCCCCLXXXV.*

VI. De editione an. 1496. facta in Hagenau.

Folio primo legitur: *Sermones de tempore et Sanctis cum Communi Sanctorum.* Folio secundo recto: *Sermones de tempore et Sanctis ac de communi Sanctorum. Ventura bona docentis,* ut supra n. II, III. Habet eosdem sermones ut editio praecedens.

VII. De editione Argentina an. 1496.

Legitur folio primo recto: *Sermones mediocres sancti Bonaventure de tempore.* — Folio secundo est tabula alphabetica, post quam: *Incipiunt sermones mediocres sancti Bonaventure.* Dominica I. in Adventu: *Ecce, dies veniunt, dicit Dominus, Jeremie vigesimo quinto.* Desinit fol. 161 v.: *Qui autem perseveraverit usque in finem, ad quem nos* etc. *Explicient sermones de Epistolis et Evangeliis dominicalibus per circuitum anni ad honorem D. N. I. Christi compilati a sancto Bonaventuro.* Folio 162 r. sequuntur adhuc alii sermones, ut de septem causis institutionis Eucharistiae, de quinque mirabilibus in Eucharistia etc. Desinit fol. 158. In fine: *Impressus est libellus iste Argentine Anno Domini MCCCCXCVI. finitus in die sancti Gregorii Papae.* — Auctor horum sermonum certo non est S. Bonaventura, cum sequatur methodum a modo illius prorsus diversam.

VIII. De editione Basileensi an. 1502.

Post monitum ad Lectorem sequuntur tituli *sermonum peregrinorum sive extravagantium in hoc libro insertorum.* Ibi numerantur 23 sermones, quorum 9 sunt Petri Aureoli, archiepiscopi Aquensis, 8 magistri Francisci de Mayronis, et alii anonymi. Deinde tabula alphabetica sermonum dominicalium. — Sequitur: *Sermones aurei atque subtiles de tempore et de sanctis cum communi sanctorum sti. Bonaventure doctoris seraphici: sacrosancte Romane ecclesie cardinalis et epi. Albanens. ex divo minorum ordine, veri et indubitati. Diversique ab his aliquando impressis et sancto Bonaventure falso adscriptis: a devio erroris accuratissime castigati atque emendati.* Folio secundo r.: *Incipiunt sermones aurei sancti Bonaventure doctoris Seraphici: sacrosancte Romane ecclesie Cardinalis et epi. Albanensis: ex ordine minorum. Dominica prima adventus domini. Sermo primus. His autem incipientibus respicite et elevate capita vestra, quoniam etc., Luce XXI. Quoniam in evangelio hodierno ponuntur presagia secundi adventus* etc.

Revera sequuntur illi genuini 53 sermones, quos habet editio Vaticana, sed commixtos cum sermonibus Conradi. Haec vero editio non habet alios sermones nisi illos quos recte aliis auctoribus, scil. Aureoli et Francisci de Mayronis, inscripsit. Approbanda est etiam illa censura, quod in aliis editionibus Bonaventurae falso adscripti sint varii sermones.

Folio 184 v. legitur: *Explicunt sermones formalissimi seraphici doctoris sancti Bonaventurae cum aliquibus aliis sermonibus: domini Aureoli Archiepiscopi aquensis: et doctoris illuminati Francisci de Mayronis: suis in locis annotati de tempore. Anno 1502 die vero XV Aprilis.*

Sequitur: *Tabula alphabetica super sermones de sanctis sanctissimi Bonaventure* etc. Deinde: *Tituli sermonum de festivitatibus sanctorum.* Tunc: *Sermones formales de sanctis per circuitum anni celebratissimi patris sancti Bonaventure Cardinalis etc.* Deinde cum nova numeratione folio 1 r.: *Sermones de sanctis per circulum anni formales sancti Bonaventure etc.*

De sancto Andrea Apostolo sermo primus: Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini Nostri iesu christi, Gal. ultimo. Navrat Valerius Maximus, quod tanta in romanis antiquis cupido gloriae fuit etc. — Folio 97 v.: *Expliciunt sermones de sanctis. sanctissimi Bonaventure etc. impressi per magistrum Iacobum pfortzheimium Civem Basileensem Anno salutis et gratie millesimo quingentesimo secundo.* Deinde: *Sermones de communi sanctorum subtilissimi atque formales sancti Bonaventure etc.* Sequuntur de Communi Sanctorum, et desinunt folio 87 v. in fine: *Expliciunt,* ut supra et repetitur: *Iacobi pforzheimii civis Basileensis impressi. Anno 1502.*

In editione, qua utimur, sequuntur adhuc: « Sermones Amici ex corrupto reintegrati quibus praefixae sunt distinctiones idest explicationes in forma alphabetica de rebus praedicabilibus in sermones Amici ».

Praedicti sermones de Sanctis et praesertim de Communi Sanctorum maxima ex parte satis conveniunt cum Vaticanae sermonibus de Sanctis; habent tamen interdum additamenta et adiiciunt circa sex novos sermones.

Ed. Vaticana textum 53 genuinorum sermonum sumsisse videtur ex hac editione Basileensi, cum illam etiam in vitiis plerumque sequatur. Locos tamen Scripturae ex textu transponit ad marginem.

Praeter has antiquiores editiones horum sermonum a nonnullis recensentur aliae, quas non vidimus, scilicet Parisiensis an. 1495 (cfr. Bonelli Prodromus col. 330 n. 28.) et Norimbergensis in folio an. 1497, insuper ibidem alia in 4. an. 1521 memoratur.

IX, X. De editionibus an. 1521. et 1597.

Hae duae editiones non habent nisi sermones Fratris Conradi de Saxonia. Post utriusque descriptionem testimonio dein antiquorum codicum probabimus, verum horum sermonum auctorem esse dictum Conradum.

Prima illa editio impressa est Parisiis an. 1521. in 8, curata a Iodoco Badio Ascensio, qui in epistola nuncupatoria hos sermones de Tempore, de Sanctis et de Communi Sanctorum S. Bonaventurae attribuit, sed falso. Ibi omittuntur omnes genuini de Dominicis sermones, qui sunt in editione Vaticana.

Altera editio, quae facta est Brixiae an. 1596. apud Polycetum Tulinum, praecedentem omnino reimprimit. Typographus ad lectorem dicit, se iam longo tempore inutiliter sermones Bonaventurae ad imprimendum quaesivisse. « Et ecce, fortuito et inopinato eventu accidit, ut cuiusdam Religiosi et eruditi viri manu ordinis capucinorum sancti Francisci, ad me ex longinquis partibus fuerint deportati, eos veluti thesaurum apud se detinentis, quandoquidem nullibi eorumdem copiam reperiri, sibi persuasum haberet ». Addidit, se hac ratione ductum eosdem iterum typis mandasse. Titulus operis est: *D. Ioannis Eustachii Bonaventurae seraphici Doctoris etc. Sermones per annum praedicatoribus pernitles* ».

6. Similiter *Monasterii* (in Westfalia), bibliotheca Paulina, cod. 547. membr. in 8. saec. XIV., in duas partes divisus, quarum prima continet sermones de Tempore; fol. 1: *In Adventu Domini: Veniet desideratus cunctis gentibus, Aggei secundo. Quoniam ad misericordiam pertinet* etc. Habet 40 sermones, qui conveniunt cum nostra editione. Ultimus est: *Confide fili.*

II.

Multorum sermonum, praesertim de Tempore, tantum *schemata* nobis licuit publicare. Haec sumsimus praecipue ex duobus codicibus, quorum primus unicuique sermoni praefigit rubricas ratione historiae non exigui momenti. De hoc plura dicenda sunt.

7. *Mediolani*, bibliotheca Ambrosiana, cod. A. 11. membr. saec. XIII. vel XIV. ineunt. folior. 156. Litterae initiales pictae sunt coloribus alternatim rubris et caeruleis. — Fol. 1 r. sic absolute incipit: *Sermo fratris Bonaventure coram rege Francie in palatio extra Parisius apud nemus in prima Dominica de Adventu ante Natale. Ecce odor Filii mei* etc. — Desinit: *Explicunt sermones fratris Bonaventure de cunctis dominicalibus totius anni.*

De hoc insigni codice diffuse loquitur P. Fidelis a Fanna *Ratio novae collectionis* etc. pag. 90-141 probatque, ipsum esse fide dignissimum. Omissis argumentis ibi allatis, hic solummodo observamus, nos non raro diffusiori sermoni, qui aliunde ut Bonaventurianus dignoscitur, subiecisse *schema* sermonis ex hoc codice sumtum, quod secundum substantiam ita convenit, ut de identitate sermonis nequeat dubitari, nec de fide, quam mereritur schemata huius codicis.

Iste codex est collectaneus, id est variorum auctorum sermones continens, qui quidem auctores Bonaventurae coaevi sunt omnes, et eorum nomen refertur. Patet, hos sermones habitos in locis tam dissitis ex ore Bonaventurae praedicantis excipere neminem potuisse, nisi esset socius, qui ipsum itinerantem fuerit comitatus.

Referuntur 342 schemata sermonum, quorum maxima pars, id est 279 sermones, est S. Bonaventurae; aliorum auctorum sunt tantum 26. Hi auctores sunt Fr. Eustachius Ord. Min., qui certe non est Bonaventura, licet hic a Graecis etiam vocaretur Eutychius; sed non Eustachius, uti non pauci antiqui et recentes erronee asseruerunt. Fr. Guillelmus magister, Fr. Guillelmus de Lamara, Fr. Guillelmus de Ligniaco, Fr. Guillelmus de Vaglon, Fr. Humbertus Ord. Praed., Fr. Ioannes de Celano, Fr. Ioannes de Pechamo, Fr. Ioannes de Rupella, Fr. Petrus de Tarantasia (cuius 5 sermones referuntur), Fr. Raymundus Ord. Praed., Fr. Robertus de Villiaco, Fr. Thomas de Aquino, qui habet 3 sermones.

In praefixis rubricis recensentur plurimi loci Galliae et Italiae, ubi hi sermones pronunciati sint; et praetcrea nominantur etiam Colonia et provincia Alemanniae superioris atque Barcinona. Diversi sermones habiti sunt coram summis Pontificibus Clemente IV., Urbano IV., Gregorio X. et cardinalibus, coram praelatis in synodo, coram regibus Galliae, Navarrae et eorum familiis, multi coram Universitate Parisiensi, coram plurium Religionum alumnis, coram monialibus et etiam coram populo. — Signatur A.

8. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 14595. in 4. membr. saec. XIV. ineuntis habet multa eiusdem S. Bonaventurae sermonum schemata, modo aeque contracta, modo paululum longiora ac S. Bonaventurae tribuita. Habet tamen tantum sermones in Gallia praedicatos.

Fol. 1 sic incipit: « In isto volumine continentur mixtim quedam memoralia Fr. Bonaventure Generalis Ministri Ordinis Minorum et aliorum Ministrorum et predicatorum compilata per solas distinctiones absque expositionibus et adaptationibus et dilatationibus et exemplificationibus. Ideo si quis ibi aliquid minus solidum inveniat, tedio et ignorantie scriptoris sive compilatoris attribuat et semper id quod hinc decerpet, discutiat et caveat sicut prudens et pius, maxime cum ponantur quandoque ibi quedam impropria et magis verbosa quam realia sive utilia propter brevitatem et curiositatem compilatoris, qui dimisit quandoque, quae realiter erant et melius soli sibi consulens et vias sive occasiones cogitandi tantummodo querens et discendi ». Fol. 1 in margine legitur: *Sermo I. Dominica prima Adventus.* — Sermo incipit: *Veniet desideratus gentibus* etc.

Haec schemata excepta sunt manifeste ab alio scriptore, quam qui schemata codicis A composuit. Ordo saepe mutatus est, interdum plura omittit, interdum alia addit. Ipso usi sumus, ut vitia codicis A corrigeremus et interdum, ut eiusdem lacunas supplceremus. — Signatur B.

His duobus codicibus subiungimus duos, qui similiter non habent nisi sermonum schemata.

9. *Zwickau*, in civitate Saxoniae, bibliotheca Civitatis, cod. l. XV. IV. membr. in 8. saec. XIV. a diversis manibus exaratus. — Fol. 3 r. a prima manu: *Dominica I. in Adventu Domini.* Deinde a posteriori manu: *Bonaventure collationes. Ecce veniet desideratus cunctis gentibus, Aggei II. Sanctos patres et Patriarchas.* — Signatur O. — Cum ipso ibidem convenire videtur cod. l. XV. l. membr. saec. XIV, qui post aliud opusculum fol. 26 r. in initio habet: *Incipiunt collationes et sermones Bonaventure per totum annum. — Ecce, veniet desideratus gentibus.* Agg. II. *Et sancti Patres* etc.

Schemata primi illius codicis plerumque admodum contracta sunt, et plura eorum non conveniunt cum sermonibus notis Bonaventurae.

Interdum hunc codicem infra citavimus, scil. pag. 289, nota 2; pag. 293, nota 11; pag. 306, nota 1; pag. 309, nota 5.

10. Alia schemata habentur *Monachii*, bibliotheca Regia, cod. Lat., 8739. (olim Franciscan. Monac. 39.) membr. saec. XIV. — Fol. 118 v. col. II.: *Egredietur virga* etc. *Sacro inspiratus flamine, Isaias explicat nobis multifarie incarnationis mysterium et describit tripliciter, scilicet quantum ad nobilitatem Virginis concipientis, ibi: Egredietur; quantum ad puritatem singularis conceptionis, ibi: et flos de radice; quantum ad sublimitatem concepte prolis, ibi: Et requiescet super eum* etc.

Similium schematum in toto sunt 28. Maior horum pars exhibent legitimos Bonaventurae sermones, cum eorum expositio longior inveniatur alibi et S. Doctoris esse probetur.

III.

Alias collectiones sermonum sive impressas sive scriptas, quae non nisi *legitimos* Bonaventurae sermones contineant, invenimus nullas. Sunt quidem nonnullae, Bonaventurae inscriptae collectiones, sed vel sunt permixtae cum aliorum sermonibus, vel hi sunt ita transformati, ut non exhibeant verum eiusdem spiritum et indolem. Coacti igitur sumus, ex multis variisque

codicibus singulos sermones seligere, conferre et examinare, qui sane labor erat difficilis et taediosus.

Invenimus igitur saepe unum solum codicem et non raro vitiosum, qui genuinum sermonem exhibuit; aliquoties idem sermo in duobus, vel pluribus codicibus inventus est, plus minusve inter se convenientibus, ut textus emendari, vel etiam suppleri potuerit. Hoc loco sufficiat enumerare singulos codices, quibus secundum circumstantias diverso modo usi sumus, vel textum ex ipsis describendo, vel ipsum cum alio conferendo, vel lacunas aliunde supplendo, vel sermonis authenticitatem ex aliquo alio comprobando. In notis ad calcem cuiusvis sermonis hoc distinctius adnotatur. — Post descriptionem codicis hic pagina et nota solummodo citatur. In hoc syllabo multorum ad sermones Bonaventurae spectantium codicum non possumus illos qui Fr. Conrado de Saxonia suos sermones vindicant, de quo supra sermo est c. I. n. I. pag. XIV., nec etiam non paucos codices, qui habent speciatim sermonem de Modo vivendi infra pag. 723.

11. *Assisii*, bibliotheca Communalis, cod. membr. in 4. saec. XIII. vel saec. XIV. incuntis, folior. 112. — Cum hic et sequens cod. nullo esset numero distinctus, a P. Fidele a Fanna illi primo num. 58., altero n. 59. datus est. In novo eiusdem bibliothecae catalogo desunt operibus praedicabilibus indicia sufficientia, ut utriusque numerus assignetur. Hic cod. habet sine nomine auctoris primo sex sermones vel de B. M. V., vel de Angelis et deinde 32 de Sanctis in *Communi*; sequuntur alii 41 sermones.

Fol. 1: *Sermo de B. V. Maria. Suspice caelum et numera stellas* etc. *Virgo regia.* Codex iste est a nostris cum Vat. collatus habetque plurimas variantes. In fine codicis longa est additio, ex qua manifeste apparet, ignotum quendam fratrem multum laborasse, ut hanc collectionem perficeret. Inter alia se excusat, quod « pauca posuerit ex naturalium rerum exemplis », et addit: « Sed si quis copiosius desiderat esse in exemplis... *libellum nostrum*, cuius titulus est *de naturalibus Exemplis*, studeat legere et memoriae commendare. Quia tanta ibi aggregata est multitudo exemplorum, ut nulla sit materia, de qua multa non possint inveniri exempla. Si quid ergo in istis utile dictum est, ille solus laudes accipiat, qui dedit incipere, dedit medium ponere et ad finem deducere et tectum parietibus ac fundamento adiungere, ut mandavit. Quidquid fuerit vitiosum pravo intellectui imputetur librorum, quibus carui, dum ista dictarem. Valete, fratres, et orate pro me »!

Ex hoc testimonio satis apparet, collectorem praefatorum sermonum non esse S. Bonaventuram; sermonesque iuste non esse a nobis receptos, quamvis saepe alibi cum eiusdem nomine sint impressi et etiam in codicibus descripti; ceterum nec a Sbaralea nec a Bonelli invenimus huius codicis esse mentionem factam.

12. *Ibidem*, cod. 59. in 4. saec. XIV. — Habet sermones de proprio Sanctorum, non tantum eos, qui impressi sunt in Vaticana, sed et alios plures. Ex eodem codice sumsit Bonelli (Supplem. III. col. 611 seqq.) quatuor sermones, quos publicavit ibi sub nomine *de Sermonibus diversis*; cfr. supra c. I. n. XI. Praeter 48 sermones editos remanent adhuc 25 inediti. Hunc codicem citavimus pag. 708, nota 9. et pag. 712, nota 2.

13. *Basileae*, bibliotheca Publica, cod. B. X. 4. membr. in 8. saec XIII. exeuntis, vel XIV. incuntis. — Habet quatuor sermonum collectiones, quarum prima a manu saec. XV. inscribitur: *Sermones super Epistolas et Evangelia ab Epiphania usque ad quinquagesimam.* Secunda a fol. 13 implet folia 96 et a manu recentiore inscribitur: *Sermones sancti Bonaventure*, quae verba etiam in indice repetuntur exadversum sermones. Horum plurimi conveniunt cum editionibus an. 1479 et 1481. Cfr. supra c. I. n. II. et III; alii vero cum his non conveniunt, quorum duo a nobis fide aliorum codicum recepti sunt.

Hunc codicem citavimus infra pag. 281, nota 4. et pag. 446, nota 8.

14. *Berolini*, bibliotheca Regia cod. 31. — Folio 1 r. a posteriore manu notatur: *Sermones de Sanctis, quos fecit Bonaventura cardinalis de Ordine fratrum Minorum.* Hic continet multos sermones de Tempore et de Sanctis, quorum fere omnium habemus apographa. Exemplo huius collectoris probatur, quanta libertate multi usi sint Bonaventurae operibus et sententiis, ita ut tales sermones potius transformati quam genuini censeri debeant. Tamen unum solum sermonem exempli gratia recepimus, qui revera multa habet ex Bonaventura. Citatus est infra pag. 97, nota 8. et pag. 695, nota 6. — Sign. N.

15. *Carolopoli* (Charlesville), bibliotheca Civitatis, cod. 31. membr. in 8. saec. XIII. in XIV. — Post opusculum *de Triplici via* aliaque antiquitus Bonaventurae tributa opuscula sequuntur sermones plurimi, et etiam aliqui Bonaventuriani, inter quos fol. 42 r. est sermo satis diffuse reportatus: *Ecce, intelliget servus meus, exaltabitur* etc., quem scripsit Bonaventura, quando incepit in scholis commentarium in Ioannem (cfr. tom. VI. pag. 239). Habet etiam plura schemata, quae conveniunt cum eis quos sumsimus ex cod. Ambrosiano A.

Citavimus hunc cod. infra pag. 173, nota 11; pag. 181, nota 10; pag. 183, nota 5; pag. 195, nota 2; insuper pag. 569, nota 10, ubi agitur de sermone reportato.

16. *Düsseldorpii*, bibliotheca Civitatis, cod. in 12. non sign. incat. saec. XV. — Fol. 60 r.: *Incipit libellus compositus a bonaventura doctore devoto de modo vivendi. Quisquis es, qui per fidem* etc.

Hunc sermonem publicavimus infra pag. 723 seqq.

17. *Florentiae*, bibliotheca Nationalis (olim Angel.), cod. saec. XV. in fol. binis columnis conscriptus sign. 1017. E. 6. — Continet diversos sermones S. Bonaventurae. Fol. 25 r. est rubrica: *In Nativitate Domini. Transeamus usque Bethlehem.*

Citatur a nobis infra pag. 79, nota 3; pag. 102, nota 7; pag. 110, nota 8; pag. 151, nota 4; pag. 195, nota 2; pag. 246, nota 5; pag. 345, nota 5; pag. 351, nota 13; pag. 390, nota 3; pag. 514, nota 4; pag. 560, nota 6; pag. 562, nota 11. — Signatur U.

18. *Ibidem*, cod. 47. I. II. (olim S. Marci), membr. saec. XIV. a pluribus manibus exaratus. — Continet sermones de Tempore et festivos. Fol. 10 v. incipit: *Videbit omnis caro salutare Dei* etc. Desinit fol. 12 r: *Quam spem ipse nobis* etc.

Hic codex a nobis citatur pag. 151, nota 4. — Signatur aa.

19. *Gottwici* (Göttweig) in Austria, bibliotheca Monasterii, cod. 177. (216.) membr. in 8. saec. XIV. — Continet *Speculum B. V. M.* et varios sermones. Fol. 205 v. in fine est rubrica: *De Virgine. Surrexit rex in occursum matris* etc. Sermo continuatur duobus foliis interiectis, quae ad ipsum non pertinent; fol. 208 r. in principio: *Quam multiplici figura Salomon ille nostrum respiciat Salomonem* etc. Desinit fol. 209 v.: *que cum filio regnat in s. s. Amen. Explicit sermo fratris bonaventure. Amen.* Folia 211-220 desunt.

Hunc sermonem publicavimus infra pag. 693 seqq.

20. *Hilarini* (Wilhering) in Austria, bibliotheca Monasterii, cod. 36. membr. saec. XIII. — Fol. 31 v. est rubrica: *In die circumcisionis fratris bo.event.* Desinit fol. 34 r.

Hic codex continet nonnullos sermones S. Bonaventurae, quos infra impressimus pag. 133 seqq.; pag. 381 seqq.; pag. 470 seqq. et pag. 667 seqq.

21. *Hispali* in Hispania, bibliotheca Columbina, cod. V. 127. N. 29. membr. in 8. saec. XIV. ante medium, foliorum 110. — Habet diversos sermones, qui ex parte conveniunt cum editione Vaticana.

Hic codex refertur a nobis in II. sermone de Ss. Apost. Petro et Paulo, infra pag. 349 seqq.

22. *Lovanii* in Belgio, bibliotheca Universitatis, cod. recenter sign. 15. A. chart. saec. 15. — Hic codex praeter *Soliloquium* continet etiam schema cuiusdam sermonis S. Bonaventurae de 28 mirabilibus s. eucharistiae.

Hoc publicatum est a nobis infra pag. 255.

23. *Monachii*, bibliotheca Regia plures codd. praeburunt nobis plurimos sermones. De uno eorum, scil. cod. 8739, qui exhibet 28 *schemata*, iam locuti sumus supra c. II. n. II. (pag. XVI).

A nobis citatur pag. 120, nota 12; pag. 128, nota 4; pag. 321, nota 15; pag. 510, nota 7; pag. 546, nota 10; pag. 573, nota 5; pag. 687, nota 7; pag. 699, nota 1. et pag. 706, nota 8.

24. *Ibidem*, cod. Lat. 7776. (olim Ind. 375.) membr. in 4. saec. XIV. — Continet quatuor collectiones sermonum. Fol. 1 r. praemittitur indiculus sermonum de Sanctis et de Tempore exaratus *Anno Domini 1487*. Sequenti fol. primo numerato incipit prima collectio, quae desinit fol. 4 v.; deinde fol. 5 r. incipit secunda collectio sermonum, qui licet sint anonymi, tamen magna ex parte videntur esse Ioannis de Rupella; desinit fol. 112 v.; tertia collectio incipit fol. 113 r.; sermones sunt anonymi Minoritae, sed ultimus, qui incipit fol. 187: *Astitit regina* etc., est Ioan. de Rupella. Quarta collectio continens sermones diversos de Tempore et de Sanctis incipit fol. 190 v.: *Praeparate corda vestra Deo* etc.; desinit cum sermone: *Cum descendisset Iesus de monte* etc. In hac quarta collectione inveniuntur varii authentici sermones S. Bonaventurae.

Citatur a nobis pag. 88, nota 1; pag. 99, nota 7; pag. 124, nota 6; pag. 133, nota 6; pag. 151, nota 4; pag. 161, nota 5; pag. 163, nota 14; pag. 246, nota 5; pag. 270, nota 1; pag. 309, nota 4; pag. 326, nota 4; pag. 337, nota 4; pag. 339, nota 8; pag. 341, nota 4; pag. 485, nota 5; pag. 590, nota 7; pag. 648, nota 5; pag. 649, nota 12; pag. 653, nota 9; pag. 659, nota 11; pag. 667, nota 2; pag. 671, nota 8; pag. 677, nota 8; pag. 682, nota 4; pag. 699, nota 1; pag. 706, nota 8; pag. 708, nota 9; pag. 712, nota 2; pag. 715, nota 2; pag. 721, nota 6. et pag. 725, nota 4. — Signatur W.

25. *Ibidem*, cod. Lat. 16029. (S. Nicol. 29.) membr. in 4. saec. XIV. circa medium. — Codex continet duplicem collectionem sermonum. Fol. 1 r. incipit *Excerptum theutonici*, in quo habentur duo sermones S. Bonaventurae: primus incipit fol. 2 v.: *Sermo secundus. Quis det te mihi in fratrem meum*, et secundus, fol. 10 r. cum rubrica: *Dominica tertia. Sic nos existimet homo* etc. Secunda collectio incipit fol. 100 r. cum rubrica: *Excerptum Conradi*. Desinit fol. 137 v.: *deliciis affluens inmixa super dilectum suum.*

Hic codex allegatur a nobis pag. 88, nota 1. — Signatur X.

26. *Ibidem*, cod. Lat. 8438. (Mon. Aug. 138.) miscell. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 1 r. incipit: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri* etc. Sequuntur varii sermones de Sanctis, quorum multi conveniunt cum edit. Vaticana; finiunt fol. 86 v. Posten fol. 88 r. a verbis: *Funiculus triplex difficile rumpitur* sequitur altera collectio 45 sermonum, qui desinunt fol. 148 r.: *Deus charitas est. Explicit scala fidei et sufficientia XII articulorum fidei.* A fol. 149 ad fol. 156 est tabula rerum non alphabetica operis antecedentis.

Citatur a nobis pag. 543, nota 5. et pag. 549, nota 6.

27. *Ibidem*, cod. Lat. 23595. (zz 595.) membr. in 8. saec. XIII. foliorum numeratorum modo 194; sed olim erant 253. Multa ergo folia a barbara manu decerpta sunt. Fol. 1 non numerato v. a consueta manu saec. XIV. incuntis ut in aliis codicibus Assisiensibus litteris cursivis habetur: *Iste liber est sacri conventus sancti Francisci de Assisio.* Fol. 3 r. a manu altera saec. XIV. litteris formosis et grandioribus scriptum est: *In isto libro sunt infrascripti tractatus;* post quos tractatus fol. 125 v. incipiunt varii sermones. Fol. 158 r. est rubrica: *In festo S. Antonii. Iste pauper clamavit* etc.

Hic codex a nobis refertur pag. 250, nota 3; pag. 535, nota 5. et pag. 500, nota 7.

28. *Ibidem*, cod. Lat. 15744. (olim C. 106. Bas.) membr. in 4. saec. XIV. ante medium, foliorum 76, tabulis corio obductis, et olim catenatus, facilis lectu, bene conservatus, binis columnis scriptus. — Post nonnullos alios tractatus fol. 73 v. incipit: *Sermo fratris Bonaventure de nativitate Domini* (apud nos sermo 1. in Vigil. Nat. Dom.). *Quis mihi det te fratrem meum* etc. Desinit fol. 75 v.: *id est sapientiam, que est Christus Dominus.* Dein statim sequitur: *Sermo bone venture de arbore ligni vite. Christo confixus sum cruci* etc. Est prologus opusculi *Ligni vitae*, qui desinit: *et postremis versiculis postulatur.*

Iste codex citatur infra pag. 85, nota 14. et pag. 88, nota 1. — Signatur Y.

29. *Ibidem*, cod. Lat. 14761. (Rat. S. Em. 761.) membr. in 8. saec. XIII. — Continet 241 sermones diversorum auctorum innominatorum, esque codex Gallicus, uti ex scriptura et Gallicis vocabulis, quae sermonibus immiscentur, colligitur. Fol. 213 v. incipit: *Intrantes domum invenerunt puerum* etc. Desinit fol. 216 r.: *inveniet vitam eternam et gloriam.*

Hunc codicem citamus pag. 151, nota 4.

30. *Ibidem*, cod. Lat. 9604. (Ober-Altaich 104.) membr. in 8. saec. XIV. — Fol. 1 r. a manu saec. XV.: *Incipit novus saxus de sanctis.* In fine fol. 140 v. ab eadem manu scribitur: *Explicit novus saxus de Sanctis.* Sed fol. 99 v. habet sermonem S. Bonaventurae: *De nativitate Virginis. Vas admirabile opus excelsi.*

In nostra editione est sermo quartus infra pag. 713, nota 11.

31. *Ibidem*, cod. Lat. 9606. (Ober-Altaich 106.) membr. in 8. saec. XV. — Post diversos alios sermones pag. 302-305. v. incipit: *Item sermo de assumptione beate. Hec est speciosior sole* etc. In fine additur: *Explicit sermo bonus bonaventure.*

A nobis nominatur pag. 691, nota 4.

32. *Monasterii*, bibliotheca Paulina, cod. 519. membr. in 8. saec. XIV. incuntis. — Continet sermones de Tempore, quorum plurimi habent nomen *Rusticani*, unus autem Bonaventurae. Fol. 232 r. in superiore margine grandioribus litteris

scriptum est: *Sermo bonaventure de gloriosa virgine Maria. Signum apparuit in celo.* Desinit fol. 236 v.

Hic sermo sine dubio est genuinus, sed in codice hoc vitiose reportatus. Citavimus eum infra pag. 23, nota 1. et pag. 700, nota 8. — Signatur L.

33. *Oxoniae* in Anglia, bibliotheca Bodleiana (Asmoleana), cod. 757. membr. in 4. saec. XIII. — De hoc codice cfr. Prolegomena ad tom. V. pag. XL § 3.

Sermones S. Bonaventurae in hoc codice contenti a nobis impressi sunt infra pag. 208 seqq.; pag. 314 seqq.; pag. 633 seqq. et pag. 695 seqq.

34. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod 15956. (olim Sorbon. 816.) in 4. membr. saec. XIII. — Fol. 228 v. in margine est rubrica: *De omnibus sanctis Bonaventura. Ego Iohannes vidi sanctam civitatem* etc. Desinit fol. 30 v.

Hic sermo a nobis exhibetur infra pag. 600 seqq.

35. *Ibidem*, cod. 16481. (olim Sorbon. 1692.) in 4. saec. XIII. foliorum 342. — Continet varios sermones ab una manu exaratos, inter quos duos sermones S. Bonaventurae de S. Marco cum nomine auctoris. Fol. 216 r. est rubrica: *Sermo fratris Bonaventure ad S. Antonium in festo sancti Marchi evangeliste in mane. Eodem die. et hora ad beginas. Sapientiam sine fictione didici* etc.

Hi duo sermones infra impressi sunt pag. 519 seqq. et pag. 524 seqq.

36. *Ibidem*, cod. 16499. (Sorbon. 1719.) saec. XIII. nigris et parvis litteris. — Hic codex praeter sermones de *Decem Praeceptis* continet nonnullos alios sermones S. Bonaventurae.

A nobis impressi et infra recensiti sunt pag. 71 seq.; pag. 72 seqq.; pag. 126 seqq.; pag. 224 seqq.; pag. 255 seqq.; pag. 262 seqq.; pag. 267 seqq.; pag. 463 seqq.; pag. 478 seqq.; pag. 505 seqq.; pag. 510 seqq.; pag. 535 seqq.; pag. 538 seqq.; pag. 554 seqq.; pag. 558 seqq.; pag. 569 seqq.; pag. 640 seqq; pag. 713 seqq. et pag. 729 seqq. — Signatur S.

37. *Ibidem*, cod. mss. Lat. 14557. in fol. membr. saec. XIII. binis columnis exaratus. — Praeter quaestiones de *Perfectione evangelica* et nonnullos alios tractatus continet etiam primam partem II. sermonis in festo omnium Sanctorum.

Citatur a nobis pag. 600, nota 10.

38. *Ibidem*, bibliotheca Mazzarinea, cod. 970. in 8. parvo saec. XIV. — Continet Collationes de *septem Donis Spiritus S.* Deinde fol. 124 v. incipit: *Sermo in cena. Vidi et ecce in medio throni* etc. Desinit fol. 134; deinde statim est rubrica: *Sermo de mysterio redemptionis nostre. Vidi et ecce* etc. Desinit fol. 142 v.: *in tabernaculis peccatorum.*

A nobis hic codex allegatur infra pag. 247, nota 3. et pag. 259, nota 6.

39. *Ibidem*, bibliotheca Nationalis, cod. 14595. membr. in 4. saec. XIII. et XIV., olim S. Victoris. — Continet plures sermones; vide supra pag. XVI. n. 8.

Citatur a nobis pag. 96, nota 6.

40. *Ibidem*, cod. 14899. (olim R R. 26. S. Victoris). — Post diversas quaestiones Petri a Tarantasia a fol. 43 sequuntur in hoc codice multi sermones diversorum auctorum; dein a fol. 162 ad fol. 170 continet: *Quaestiones de quodlibeto a magistro Eustachio et Salvatio.*

Huius codicis mentionem facimus pag. 349, nota 5.

41. *Ibidem*, cod. 14952. (olim S. Victor. R R. 13.) membr. in 4. saec. XIII., foliorum 229, binis columnis exaratus. — Fol. 1 v. non numerato sequens ponitur inciculus: *Tabula hic contentorum.* Est summa quaedam sermonum de Tempore, sumtis thematibus ex Epistola aut Evangelio Dominicarum per anni circulum a fol. 1 usque ad fol. 192; item, habet sermones 9 de Sanctis a fol. 193 usque ad fol. 209; dein sequuntur sermones alii, scilicet in Natali fol. 218, in Epiphania fol. 220, in Purificatione fol. 225, in Annuntiatione Dominica fol. 228.

Hic codex a nobis allegatur pag. 303, nota 8; pag. 349, nota 5; pag. 360, nota 12; pag. 364, nota 6. et pag. 438, nota 4.

42. *Ibidem*, cod. 16500. (olim 1648.) saec. XIII. — Continet collectionem variorum sermonum. Fol. 222 r. in margine est rubrica: *fr. Bonaventura de beato Nicholao*, et fol. 226 r. in superiore margine a prima manu, sed litteris nigris, habetur: *Bonaventura in die epiphanie. Intrantes domum* etc.

Vide infra pag. 156, notam 9. et pag. 472, notam 9.

43. *Ibidem*, cod. 18188. membr. in 16. saec. XIII. — Continet diversos sermones auctorum Ordinis Minorum.

Hic codex a nobis citatur infra pag. 582, nota 11.

44. *Ibidem*, cod. Lat. 15034. (olim S. Victoris 945.) membr. saec. XIII. exeuntis et XIV. ineuntis, initialibus rubris et caeruleis, ornamentis ad marginem superiorem et inferiorem. — Fol. 1 non numerato a posteriore manu, est inciculus. Deinde fol. 95 r. in superiore margine grandioribus litteris, sed vix legibilibus, certe a prima manu, habetur: *Tractatus fris bonaventure de X praeceptis legis.* Tandem fol. 109 r. legitur: *Incipit sermo fratris bone fortune in cena Domini, parasceve et sabbato sancto Pasche.* Desinit fol. 116 r.: *Rogabimus Dominum etc. Amen. Explicit sermo fratris bone fortune.*

Hi tres sermones iam ab Uccelli editi a nobis denuo ope huius aliorumque codicum castigati et infra pag. 255 seqq.; pag. 262 seqq. et pag. 267 seqq. impressi sunt.

45. *Romae*, bibliotheca Vaticana, cod. 1265.

Quatuor sermones S. Bonaventurae sumti ex hoc codice referuntur infra pag. 472 seqq.; pag. 582 seqq.; pag. 585 seqq. et pag. 622 seqq.

46. *Rothomagi*, bibliotheca Civitatis, cod. A 584. 546/549. membr. saec. XIV. in 16. — Hic codex continet S. Bonaventurae Collationes de *Donis Spiritus S.* et nonnullos alios sermones aliorum auctorum. Fol. 65 est rubrica: *In nativitate Domini. Terra dedit fructum suum* etc.

Hic sermo ex parte exhibet sermones IV. et V. in Vigil. Nat. Dom. A nobis refertur pag. 93, nota 10.

47. *Stamsii* (Stams) in Tyroli, bibliotheca Monasterii, cod. absque numero. — Continet diversos sermones; post medium voluminis fol. r. est rubrica: *In assumptione beate Marie Virginis. Hec est speciosior sole* etc.

Hic codex a nobis infra allegatur pag. 691, nota 4.

48. *Trecis*, bibliotheca Civitatis, cod. Lat. 951. (olim Clarevallens. O. 38.). membr. in 4. saec. XIII. et XIV. miscellan. — Praeter varios tractatus et sermones diversorum auctorum hic codex continet etiam sermones S. Bonaventurae de *Decem Praeceptis* cum nonnullis aliis.

Hi a nobis infra editi sunt pag. 59 seqq.; pag. 102 seqq.; pag. 106 seqq.; pag. 110 seqq.; pag. 145 seqq.; pag. 151 seqq.; pag. 208 seqq.; pag. 501 seqq.; pag. 575 seqq.; pag. 609 seqq.; pag. 633 seqq. et pag. 719 seqq. — Signatur Q.

49. *Ibidem*, cod. 1464. (Claravallens. O. 16.) in 4. membr. binis columnis nitide exaratus, est tabulatus, corio obductus. — Fol. 2 r. est tabula contentorum. Codex inter multos aliorum sermones exhibet etiam sat multos genuinos.

S. Bonaventurae sermones, qui a nobis editi sunt infra pag. 303 seqq.; pag. 456 seqq.; pag. 463 seqq.; pag. 517 seqq.; pag. 528 seqq.; pag. 530 seqq.; pag. 534 seqq.; pag. 546 seqq.; pag. 554 seqq.; pag. 558 seqq.; pag. 569 seqq.; pag. 573 seqq.; pag. 598 seqq.; pag. 600 seqq.; pag. 605 seqq.; pag. 607 seqq.; pag. 618 seqq.; pag. 619 seqq.; pag. 640 seqq.; pag. 657 seqq. et pag. 687 seqq.

50. *Ibidem*, cod. 1893. (Claravallens. N. 63.) in 8. foliorum 263, saec. XIV. ineuntis miscellan. — Praesens codex habet numerosos sermones.

Ex his tamen solummodo tres Bonaventurae adiudicandi sunt, qui infra impressi inveniuntur pag. 255 seqq.; pag. 262 seqq. et pag. 276 seqq.

51. *Ibidem*, cod. 2052. (olim Claravallens. absque numero) in 12. membr. foliorum 207, saec. XIV. ineuntis, binis columnis nitide exaratus. — Continet varios sermones incerti auctoris.

Tamen nonnulli S. Bonaventurae attribuendi sunt; vide infra pag. 276 seqq.; pag. 281 seqq.; pag. 296 seqq. et pag. 321 seqq.

52. *Tuderti*, bibliotheca Civitatis, cod. 165. membr. in 8. saec. XIV. foliorum 223.

Ex variis sermonibus in hoc codice contentis unus tantum S. Bonaventurae adscribendus est, quem infra pag. 499 ut sermonem XIV. publicavimus.

53. *Ibidem*, cod. 115. membr. in 8. saec. XIV. ineuntis, nitide grandioribus litteris binis columnis exaratus. — Hic codex continet multos sermones, qui partim cum editione Vaticana conveniunt.

Pauci tantum a nobis infra pag. 93 seq.; pag. 110 seqq.; pag. 126 seqq. et pag. 174 seq. impressi sunt. — Signatur H.

54. *Ibidem*, cod. 104. in 8. saec. XIII. et XIV. foliorum 282, pluribus in locis valde detritus, binis columnis exaratus. — Numerosi sermones huius codicis passim cum editione Vaticana conveniunt.

Alii plures genuini S. Bonaventurae sermones habentur infra pag. 23 seqq.; pag. 27 seqq.; pag. 53 seqq.; pag. 110 seqq.; pag. 126 seqq.; pag. 171 seqq.; pag. 174 seqq.; pag. 178; pag. 179 seqq.; pag. 183 seqq.; pag. 188 seqq.; pag. 192 seqq.; pag. 195 seqq.; pag. 198 seqq.; pag. 201 seqq.; pag. 222 seqq.; pag. 231 seqq.; pag. 237 seqq.; pag. 241 seqq.; pag. 289 seqq.; pag. 293 seqq.; pag. 306 seqq.; pag. 309 seqq.; pag. 330 seqq.; pag. 349 seqq.; pag. 357 seqq.; pag. 375 seqq. et pag. 387 seqq. — Signatur G.

55. *Ibidem*, cod. 153. saec. XIII. et XIV. — Cod. habet multos sermones, e quibus quidam cum Vaticana concordant; alios S. Bonaventurae attribuendos vide infra pag. 23 seqq.; pag. 27 seqq.; pag. 53 seqq.; pag. 183 seqq.; pag. 250 seqq. et pag. 253 seqq.

56. *Ibidem*, cod. 144. saec. XIII. exeuntis.

Continet collectionem sermonum de Tempore; a nobis citatur infra pag. 364, nota 6.

57. *Ibidem*, cod. 161. saec. XIV. ineuntis. — Cum rubrica: *Videbit omnis caro salutare Dei* etc. incipiunt sermones varii.

Hic codex a nobis refertur pag. 79, nota 3; pag. 349, nota 5. et pag. 562, nota 11. — Signatur V.

58. *Ibidem*, cod. 111. saec. XIV. — Habet sermones editionis Vaticanae.

A nobis citatur pag. 57, nota 1; pag. 433, nota 4; pag. 549, nota 6. et pag. 552, nota 7. — Signatur P.

59. *Ibidem*, cod. 177. in 8. saec. XIV. — Praeter multos sermones de Sanctis, qui partim cum editione Vaticana conveniunt, habet etiam tres sermones S. Bonaventurae. Post ultimum sermonem legitur: *Explicunt sermones per anni circulum.* Sequitur tabula quaedam non alphabetica, post quam fol. v. additur: *Qui scripsit scribat semper cum Deo vivat. Anno divine incarnationis MCCCLII.*

Genuini impressi sunt infra pag. 543 seqq.; pag. 549 seqq. et pag. 552 seqq.

60. *Ibidem*, cod. 182. membr. in 8. parvo saec. XIV. ineuntis, foliorum 269, miscellan. — In hoc codice continentur *Itinerarium, Incendium amoris*, opusculum *de 7 gradibus contemplationis* etc. plurimique sermones.

Horum magna pars a nobis impressa est infra pag. 402 seqq.; pag. 124 seqq.; pag. 133 seqq.; pag. 151 seqq.; pag. 163 seqq.; pag. 214 seqq.; pag. 296 seqq.; pag. 302 seqq.; pag. 337 seqq.; pag. 339 seqq.; pag. 341 seqq.; pag. 370 seqq.; pag. 390 seqq.; pag. 485 seqq.; pag. 514 seqq.; pag. 535 seqq.; pag. 565 seqq.; pag. 590 seqq.; pag. 648 seqq.; pag. 649 seqq.; pag. 659 seqq.; pag. 667 seqq.; pag. 671 seqq.; pag. 677 seqq.; pag. 699 seqq.; pag. 706 seqq.; pag. 708 seqq.; pag. 712 seqq. et pag. 725 seqq.

61. *Ibidem*, cod. 168. in 8. saec. XIV. miscellan. — Fol. 6 r. cum rubrica: *Dominica I. de Adventu. Abiiciamus opera tenebrarum* incipiunt sermones genuini S. Bonaventurae.

Inveniuntur infra pag. 124 seqq.; pag. 133 seqq.; pag. 163 seqq.; pag. 296 seqq.; pag. 326 seqq.; pag. 328 seqq.; pag. 514 seqq.; pag. 535 seqq.; pag. 590 seqq. et pag. 682 seqq.

62. *Ibidem*, cod. 140. membr. in 8. parvo saec. XIV. foliorum 456. — In hoc codice invenitur *Lignum vitae*, necnon variae collectiones sermonum, quorum diversi sunt S. Bonaventurae.

Vide infra pag. 43 seqq.; 110 seqq.; 174 seq.; 281 seqq.; 349 seqq. et 360 seqq. — Signatur K.

63. *Ibidem*, cod. 64. membr. in 8. saec. XIII. et XIV. miscellan., foliorum 116, binis columnis exaratus. — In principio a posteriore manu saec. XV. est rubrica: *Apologia fratris bone venture Ord. Minor. de Balneo regio.* Dein fol. 47 r. incipiunt diversi sermones saec. XIV.

Ex his plures impressos invenies infra pag. 43 seqq.; pag. 57 seqq.; pag. 110 seqq. et pag. 120 seq. — Signatur M.

64. *Ulyssipone*, bibliotheca Nationalis, cod. 447. membr. in 8. foliorum 157, saec. XIII. exeuntis et saec. XIV. — Codex continet collectanea sermonum a diversis manibus conscripta ac dein in unum volumen compacta, ut non solum ex diversa forma foliorum, verum et ex diversa ipsorum numeratione patet. Sermones non conveniunt cum Vaticana.

A nobis hic codex allegatur pag. 590, nota 7. et 671, nota 8.

65. *Venetiis*, bibliotheca B. P. Marchio Filippino della Fava, cod. n. 14. (olim 386.) membr. in 4. parvo, saec. XIII. post medium quoad I. partem usque ad fol. 175; II. pars paulo recentior est; habet fol. 263 et est in Gallia scriptus. — Continet sermones de Tempore et de Sanctis; fol. 59 r. incipit sermo in assumtione B. V. M.: *Fons parvus crevit in fluvium* etc.

Hic in hac editione impressus est infra pag. 695 ut sermo IV.

66. *Voravii* (Vorau in Styria), bibliotheca Canonicae, cod. CXLIX. membr. in 8. saec. XIII. foliorum 195. — Sermones continet de Tempore et de festis Sanctorum. Scripturae forma est Gallica, et a medio circiter volumine usque ad finem in sermonibus semper occurrunt, praesertim in initio, verba Gallica. Sermones plurimi habiti sunt coram Universitate et scholaribus Parisiensibus.

Duos sermones S. Bonaventurae inde publicavimus infra pag. 590 seqq. et pag. 671 seqq.

CAPUT III.

De ratione et via, quam in hac editione observavimus.

Nonnulla dicenda sunt tum de *selectione* sermonum huius tomi, tum de eorum *correctione*, et primo de *selectione*.

Collectio illorum de Tempore sermonum, qui censendi sunt genuini, ab ipso Bonaventura facta est; similiter habemus collectionem multorum schematum; de utrisque iam dictum est in capite I. et II. Aliorum autem sermonum, quos recepimus, nullam collectionem invenimus; sed *singuli* ex diversis codicibus a nobis selecti sunt. Haec selectio sine longo studio fieri non potuit propter duplicem difficultatem: prima consistebat in eo, quod codices sermonum medii aevi, quorum numerus fere in infinitum excrescit, plerumque solent esse anonymi. Exemplum huius praebent multi illi a nobis citati codices bibliothecae Tudertinae et etiam bibliothecae Monacensis. Alia difficultas erat, quod etiam antiquae sermonum collectiones saepissime solent permiscere aliorum auctorum opera vel partes eorum cum sermonibus eius cuius nomen prae se ferunt. Plurima huiusmodi exempla inveniuntur in sex tomis B. Haurréau, *Notices et extraits de quelques manuscrits latins* etc.

Ut igitur origo anonymi alicuius sermonis determinari possit, multi codices examinandi sunt, si forte alibi nomen auctoris inveniatur expressum. Hac via praefatus Haurréau invenit in codicibus Parisiensibus auctores plurium sermonum. Eandem viam tenuit P. Fidelis a Fanna, sed modo magis amplificato, cum praeter dictos codices Parisienses multas alias bibliothecas perscrutatus sit. Ipse suorum studiorum commentarios nobis reliquit. Sed sola haec alicuius codicis testificatio non semper sufficit, quia non semper illi fides potest adhiberi, praesertim quando recentiores sunt codices, qui nomen alicuius auctoris exhibent; quare etiam ipsius sermonis examinatio instituenda est.

Hac igitur via multi sermones, qui in pluribus codicibus erant anonymi, S. nostro Doctori vindicari potuerunt. Hoc modo multi sermones apud Tudertinos anonymi subsidio aliorum codicum inventi sunt esse S. Bonaventurae. Praeterea, inter sermones anonymos alicuius antiquae collectionis interdum reperti sunt aliqui sermones, qui ita perfecte indolem, stilum et modum exponendi Scripturam S. Bonaventurae proprium repraesentant, ut nullum de eorum genuinitate dubium oriri potuerit. Hoc tum praecipue evenit, cum iam constet, quod in eadem collectione iam alii certe Bonaventuriani sermones habentur. Duce igitur P. Fidele a Fanna, et novo examine a nobis instituto, ex quibusdam collectionibus, quae habebant genuinos sermones, aliquos recepimus, quin nomen Bonaventurae alicubi inveniri potuerit. Hoc factum est respectu aliquorum codicum Tudertinorum, Trecensium et codicis Monacensis W.

Quod autem *correctionem* horum sermonum attinet, alia gravissima difficultas communiter tunc occurrebat, quando unus solus codex dedit sermonem et insuper male reportatum et mendosissime scriptum. Quo in casu iste codex vel eius apographum attentissime legi et relegi oportebat et accuratissime examinari, ut praestare possemus textum saltem clarum ad intelligendum. Quilibet, qui usu et experientia didicit, quam misere depravati sint multi illius aetatis codices, facile nobis veniam praestabit, si non semper omnia vitia eliminare potuerimus. Deliberatum enim nobis et fixum erat *ex proprio sensu* nihil corrigere, addere vel mutare, sed tantum, si post accuratum studium ipse contextus et usus Bonaventurianus aliquam correctionem in notis ad calcem indicatam postulabant; attamen interdum unum alterumve verbum intra parenthesim claritatis causa addidimus; vel si defectum corrigere non potuimus, hoc saltem indicavimus signo interrogativo (?).

Opinamur autem, exceptis paucissimis locis, nos improbo labore hoc assecutos esse, ut sententia auctoris sine difficultate intelligi possit.

Locos Scripturae et SS. Patrum laboriose indagare et correcte indicare conati sumus.

Summa sermonum et schematum in hoc tomo editorum ascendit ad 475, qui, exceptis paucis, hucusque fuerunt inediti, immo plerumque ignoti. Iam in tomo V. et VI. habentur alii sermones Bonaventurae reportati in Praefatione, ut dictum est supra.

Habes igitur hic eventum et fructum nostrorum studiorum, cuius conspectum iam breviter subiicimus.

Primo loco habendi sunt genuini illi 53 sermones de Tempore, quos ipse S. Doctor scripsit et testibus quatuor codicibus, collegit. Iam antequam illud codicum testimonium nobis innotuit, totum dicendi genus perfecte Bonaventurianum nobis fere persuasit, ipsum S. Doctorem hoc sermones scripsisse.

Secundo loco habendi sunt sermones ab aliena manu diffuse reportati, qui saepe longiores praecedentibus sunt et magis modum rhetoricum, id est communicandi cum auditoribus, prae se ferunt. Saepe habent tum prothema tum collationem; unde insinuatur, eos Parisiis esse e suggestu pronuntiatos (cfr. de his Introductio pag. 6 col. II. nota 2.). Mirum non est, hos sermones habere hinc inde lacunas aliosque plures defectus, cum illa aetate modus excipiendi verba loquentis imperfectior fuerit, quam est nostra stenographia. Quoad perfectum et correctum *dicendi genus* postponendi sunt praecedentibus sermonibus.

Manifeste alii reportati apparent magis contracti, quam publice erant pronuntiati, et quoad gradus huius contractionis magna invenitur differentia reportorum sermonum; quidam eorum fere similes sunt quoad diffusionem illis sermonibus, quos scripsit ipse Bonaventura, alii autem ita contracti sunt, ut fere accedant ad modum schematum.

Inter sermones de Tempore multi sunt parum putamque schema; et inter haec nonnulla tantum divisionem textus exhibent, et deinde non de singulis membris divisionis locos S. Scripturae proferunt, sed, ut dicunt, *de toto*. Dolendum sane est, quod per reductionem ad schemata valde infirmatus sit valor sermonum. Nihilominus sola divisio thematum auctoris ostendit ingenium.

Putamus autem, eos qui non verborum artificialem compositionem et recentem in sermocinando morem, sed sententiarum abundantiam ubertatemque ac Scripturae copiam in sermonibus S. Bonaventurae quaerunt, posse messem opimam colligere ex hoc volumine.

TABULA

CODICUM, QUIBUS USI SUMUS PRO EDENDIS SERMONIBUS

HUIUS NONI TOMI.

1. Cod. Altovadensis (bibliotheca Monasterii) 71. — Sign. I.
2. » Assisiensis I. (bibl. Communalis) cod. non sign. in 4.
3. » Assisiensis II. (bibl. Communalis) cod. non sign. in 4.
4. » Bambergensis (bibl. Civitatis) A, V, 41. — Sign. F.
5. » Basileensis (bibl. Publica) B. X. 4.
6. » Berolinensis (bibl. Regia) theol. Lat. 31. — Sign. N.
7. » Brunopolitanus (bibl. Civitatis) 54. — Sign. D.
8. » Bruxellensis (bibl. Regia) 1997.
9. » Carolopolitanus (bibl. Civitatis) 31.
10. » Düsseldorpiensis (bibl. Civitatis) cod. non sign. in 12.
11. » Erlangensis (bibl. Universitatis) 566. — Sign. E.
12. » Florentinus I. (bibl. Laurentiana) Plut. XXXIV. sinist. cod. 2. — Sign. C.
13. » Florentinus II. (bibl. Nationalis) 1017. E. 6. — Sign. U.
14. » Florentinus III. (bibl. Nationalis) 47. I. II. — Sign. aa.
15. » Gottwicensis (bibl. Monasterii) 177. (216.).
16. » Hilariensis (bibl. Monasterii) 36.
17. » Hispalensis (bibl. Columbina) V. 127. N. 29.
18. » Lovaniensis (bibl. Universitatis) 15. A.
19. » Mediolanensis (bibl. Ambrosiana) A. 11. — Sign. A.
20. » Monacensis I. (bibl. Regia) 8739.
21. » Monacensis II. (bibl. Regia) 7776. — Sign. W.
22. » Monacensis III. (bibl. Regia) 16029. — Sign. X.
23. » Monacensis IV. (bibl. Regia) 8438.
24. » Monacensis V. (bibl. Regia) 23595.
25. » Monacensis VI. (bibl. Regia) 13744. — Sign. Y.
26. » Monacensis VII. (bibl. Regia) 14761.
27. » Monacensis VIII. (bibl. Regia) 9604.
28. » Monacensis IX. (bibl. Regia) 9606.
29. » Monasteriensis I. (bibl. Paulina) 547.
30. » Monasteriensis II. (bibl. Paulina) 519. — Sign. L.
31. » Oxoniensis (bibl. Bodleiana) 757.
32. » Parisiensis I. (bibl. Nationalis) 14595. — Sign. B.
33. » Parisiensis II. (bibl. Nationalis) 13956.
34. » Parisiensis III. (bibl. Nationalis) 16481.
35. » Parisiensis IV. (bibl. Nationalis) 16499. — Sign. S.
36. » Parisiensis V. (bibl. Nationalis) 14557.
37. » Parisiensis VI. (bibl. Mazzarinea) 970.
38. » Parisiensis VII. (bibl. Nationalis) 14899.
39. » Parisiensis VIII. (bibl. Nationalis) 14952.
40. » Parisiensis IX. (bibl. Nationalis) 16500.
41. » Parisiensis X. (bibl. Nationalis) 18188.

42. Cod. Parisiensis XI. (bibliotheca Nationalis) 13034.
43. » Romanus (bibl. Vaticana) 1265.
44. » Rothomagensis (bibl. Civitatis) A 384. 546/349.
45. » Stamsiensis (bibl. Monasterii) cod. absque numero.
46. » Trecensis I. (bibl. Civitatis) 951. — Sign. Q.
47. » Trecensis II. (bibl. Civitatis) 1464.
48. » Trecensis III. (bibl. Civitatis) 1893.
49. » Trecensis IV. (bibl. Civitatis) 2052.
50. » Tudertinus I. (bibl. Civitatis) 165.
51. » Tudertinus II. (bibl. Civitatis) 113. — Sign. H.
52. » Tudertinus III. (bibl. Civitatis) 104. — Sign. G.
53. » Tudertinus IV. (bibl. Civitatis) 143.
54. » Tudertinus V. (bibl. Civitatis) 144.
55. » Tudertinus VI. (bibl. Civitatis) 161. — Sign. V.
56. » Tudertinus VII. (bibl. Civitatis) 111. — Sign. P.
57. » Tudertinus VIII. (bibl. Civitatis) 177.
58. » Tudertinus IX. (bibl. Civitatis) 182.
59. » Tudertinus X. (bibl. Civitatis) 168.
60. » Tudertinus XI. (bibl. Civitatis) 140. — Sign. K.
61. » Tudertinus XII. (bibl. Civitatis) 64. — Sign. M.
62. » Ulyssiponensis (bibl. Nationalis) 117.
63. » Venetianus (bibl. P. Morchio Filippino) 14.
64. » Voraviensis (bibl. Canonicae) CXLIX.
65. » Zwickauensis (bibl. Civitatis) I. XV. IV. — Sign. O.

SERAPHICI DOCTORIS

SANCTI BONAVENTURAE

SERMONES

INTRODUCTIO

CUM OPUSCULO DE ARTE SERMOCINANDI.

I. S. Bonaventura suo aevo celebratissimus fuit sermonum suorum praestantia et multitudine.

Volumen III. Vaticanae editionis Omnium S. Bonaventurae Operum non continet nisi eiusdem magnum numerum sermonum de Tempore et de Sanctis; insuper in pluribus antiquioribus editionibus adhuc alii non pauci sermones tributi Bonaventurae impressi sunt. Libenter concedimus, multos eorum esse spurios; sed hanc lacunam plurimi alii legitimi et hucusque inediti copiosissime explent.

Reprobatur Ordinis. Non est igitur audiendus Casimirus Oudinus [1] cum editoribus Venetis [2], pro more suo Ordinum seguentibus, qui probare nituntur, impossibile fuisse, S. Bonaventuram multis infinitisque Ordinis negotiis intricatissimum, tot e suggestu sermones pronuntiasse vel scripsisse, quot ipsi attribuantur. — Hanc difficultatem iam plene solvit P. Fidelis a Fanna b. m. in opusculo *Ratio novae collectionis* etc. (Taurini an. 1874, pag. 81 seqq.). Hinc sufficiat hanc obiectionem tantum breviter tangere. Praedicti viri, solo cuiusdam congruentiae argumento confisi, argumentantur contra *factum historicum*, quod non tantum luculentis plurium coaevorum testimoniis confirmatur, sed etiam extra controversiam ponitur magno ipsorum sermonum numero, qui in multis antiquis codicibus primae notae Bonaventurae tribuuntur. De horum fide nemini prudenti dubium esse potest, qui nostra in hunc tomum Prolegomena examinare voluerit.

Testimonia antiqua. Audiamus tamen coaevorum testimonia in opusculo P. Fidelis relata [3]: Apud vetustum scriptorem Martinum Fuldensem [4] Bonaventura laudatur « ut vir magnae devotionis ac innocentiae, in vita et doctrina admodum gratiosus, sed praecipue in sermone ». Apud auctorem synchronum Labbeanum [5] laudatur ut « vir eminentis scientiae et eloquentiae »; et apud coaevum Ptolomaeum Lucensem Ord. Praed. [6] nominatur « egregius praedicator ». De eodem B. Franciscus de Fabriano [7], item aequalis, testatus est, quod tam « pulcher erat sermocinator ad clerum et praedicator ad populum, ut in eius praesentia ubique terrarum omnis lingua sileret ». Fr. Salimbene Parmensis in Chronicis suis [8] de Fr. Marco de Montefeltro, amico suo et S. Bonaventurae socio, ait: « Fr. Marcus omnes sermones Fr. Bonaventurae scribebat et habere volebat ». Et ibidem addit, quod Fr. Marcus « bonus dictator fuit et velox et intelligibilis... Et Generalem Ministrum Bonaventuram in tantum dilexit, quod post mortem eius, quando recordabatur magnae litteraturae ipsius et omnium gratiarum, quas habebat, ex quadam dulcedine erumpebat in lacrymas ».

Epistola ad Bonaventuram. Audiamus insuper hac super re Henricum de Ysernia [9] S. Bonaventurae scribentem: « Viro virilibus virtutum potentiis insignito multaque praedito probitate, domino Fr. Bonaventurae, Albanensi episcopo reverendo, H. de Yserania (Hysernia), quidquid est sibi creditum a natura ».

« Licet ex contubernio familiaritatis domesticae et assiduo sermonis intercalaris alloquio, quae humanarum consueverunt mentium detegere qualitatem, de Vobis mihi nulla notitia praebeatur; quia tamen ex veridicis praeconantis famae relatibus, quae longe lateque serenis clarificat titulis, nomen vestrum nosco et sentio, qualis et quantus estis, dignum fore censui » etc.

« Quia tria sunt tantummodo, quae, cum in aliquem transfusa fuerint, ipsum gratum statuunt et ad cumulum perfectionis adducunt, membrorum commensuratio scilicet, vox et gestus, quae profecto, etsi raro partem conveniant in eandem, sed divisim in aliis valeaut inveniri; in Vos tamen quodam germanitatis foedere sociata se taliter transfuderunt, ut mirer admodum et stupescam de tanto miraculo novitatis ».

« Nam, cum anima iuxta divini Platonis sententiam corpori copulata quod discit velut immemor recordetur nec recolere valeat commode, nisi bene proportionato iuncta

---

[1] Comment. de Scriptor. Eccles. t. III. col. 399 seqq.
[2] Tom. I. Distriba, pag. 109.
[3] Ratio etc. pag. 83 seqq.
[4] In eius Chronico apud Ioh. Georg. Eccardum in corpore historico medii aevi, tom. I. col. 1711 seqq.
[5] Conciliorum tom. XIV. col. 505, ed. Coletanae.
[6] Apud Murator., Rerum italicarum Scriptores, tom. XI. col. 1298, Mediolani 1727.
[7] In Mss. chronicis Fabrianensibus fol. 9.
[8] Pag. 136 edit. Parmensis 1857. Plura vide in *Ratio* etc. pag. 88, nota 1.
[9] Haec epistola, sumta ex codice Vindobonensi sign. 3143, saec. XIV, primo impressa est in Prodromo P. Bonelli col. 57 seq., et ex eo iterum magna ex parte in opusculo *Ratio* etc. pag. 86 seqq. Impressa est etiam Viennae 1803 in libro: Codex epistolaris Primislai Ottocari II, Bohemiae regis, a Thoma Dollinger S. U. Iste Henricus fuit notarius Ottocari II, qui fuit rex Bohemiae ab anno 1253-1278.

fuerit organico instrumento; quia Vos iam in armario thesaurizavistis memoriae incomparabilem scientiae margaritam, claret evidentissime, quod sub mensurationis libramine stateratae iustaeque proportionis moderamine membra vestra compegit naturae digitus polientis. Hinc est, quod scitis rationis aequilibrio secernere falsitatis inania a rectitudine veritatis. Hinc est, quod per ingenialis virtutis potentiam, in profunda quaeque mentis figentes intuitum, secreta penitiora rimamini Scripturarum. Hinc est, quod, funesta vitiorum tabe in exilium relegata, solis Vos virtutibus dedicastis. Hinc est, quod evitantes honoris fastigia, erectus estis in apicem cardineae dignitatis, cogente praeeminentia cathedrae pastoralis ».

« Quod vox etiam, per quam leporem eloquentiae intelligere philosophi voluerunt, linguam vestram suis dotaverit donariis et ditarit, est similiter manifestum. Nam orationum vestrarum congeries, aureis verborum phaleris trabeata, quasi quibusdam sideribus stellata refulget, et praedicationem vestram sic lepido sententiarum succo perfunditis, sic facundo rationum nectare fecundatis, ut et auditum permulceat et animo eblandiatur ».

« In gestu quoque, qui totus in moderatione consistit, quem perdulcis rhetorica multis affiat honoribus et extollit, qui venustam confert animo comitatem, ex praelibatis elicitur, quod satis discrete Vos geritis et honeste. Quia non est credibile nec congrueret rationi, quod Vos (cuius pectoris thalamus est tantae prudentiae monilibus exornatus, qui, circumscriptae habenis modestia refraenans humanae fragilitatis excessum, sui aurigat et dirigit animum possessoris) vir gestu essetis iniurius, vel in suae temperantiae regula valeretis anomalus reperiri; quin potius in gestis et gestibus circumspectus, placidus estis alloquio, blandus visu, et quod est laudabilius, in potestate humilis, quae humiles persacpius in quadam elationis ventositate turgefacere consuevit. Quid igitur?... Sic estis gratiarum muneribus mirifice serenatus, ut nihil Vobis a natura sit penitus denegatum, quae vix aut raro in aliquem consuevit congerere suarum dotium donativa ».

Ultimo loco denique audiamus Marianum Florentinum [1] inquientem, quod Bonaventura, Minister Generalis, non obstante officii pondere, quod egregie quidem persequebatur, semper praedicando, legendo et libros scribendo se occupabat.

Marianus a Florentia.

2. Sermones tamen a S. Bonaventura e suggestu prolati ut plurimum non ab ipso scripti, sed ex ore eius ab aliis excepti sive reportati sunt.

Ad rem dicit P. Fidelis [2]: « Nullas forte conciones ipsius manu integre scriptas nos producturi erimus in lucem, vel certe paucas, cum ipse praedicator fuerit extemporanens ». De hac *reportandi* sermones consuetudine ut illa aetate communissima plura refert recens scriptor Lecoy de la Marche [3], immo dicit, constitutos fuisse Parisiis habiles scriptores, qui statuto Universitatis tenebantur, ut omnes reportarent sermones, qui pro studentibus habebantur.

De sermonibus Bonaventorae.

Ut de Bonaventura singulariter loquamur, constat, hoc modo reportatas esse et scripto traditas tam celeberrimas illas collationes in Hexaëmeron quam de Septem Donis Spiritus sancti et de Decem Praeceptis, quae in nostro tomo V. impressae sunt [4]. — Non est tamen improbabile, praedicatores interdum relegisse et aliquatenus emendasse sermones a suis familiaribus reportatos; immo inter Bonaventurianos sermones inveniuntur aliqui pauci ita perfecte compositi, ut in eam propendamus sententiam, eosdem integre esse a Sancto scriptos, inter quos praecipue recensemus copiosum illum et sublimem sermonem *de Corpore Christi* [5].

Verbo-cedis stu-dium.

Iam per se patet, et expressis verbis dicit praedictus auctor Lecoy [6], sermones illos non scriptos, sed reportatos ris. ordinario non perfecte exprimere integrum sermonem, qualis ex ore dicentis prodiit, sed multas lacunas aliosque defectus exhibere. Hoc manifeste apparet etiam in fere omnibus a nobis editis sermonibus.

De cernum collectionibus.

Minime etiam probabile est, S. Bonaventuram aliquam suorum sermonum collectionem postea instituisse. Talium collectionum illa aetate quam plurimae factae sunt et adhuc exstant, quas saepe Lecoy et etiam Hauréau [7] commemorant. Satis etiam apparet, quod in istis collectionibus, quae plerumque plurium praedicatorum conciones coniunctas exhibent, quasi semper quaedam mutata, contracta vel aucta pro gustu colligentium inveniuntur.

3. Sermones saec. XIII, non quidem profana eloquentia, sed copiosa theologica doctrina et sententiarum abundantia excellunt.

De hoc dicit P. Fidelis [8]: « Nemo quaeret in sermonibus saeculi decimi tertii leporem classicae eloquentiae, sed doctrinae theologicae admirabitur praestantiam, sacrae Scripturae interpretandae peritiam eamque vim definiendi, dividendi et argumentandi, quae propria est methodi scholasticae illius aetatis. Unde ad huiusmodi sermones veluti ad tractatus seu doctrinae fontes recurrendum est, non vero ut ad formam classicae eloquentiae ».

De metho Scholasti-rem in pri-dicande

Methodus horum sermonum differt a praeclaris sanctorum Patrum homileticis expositionibus sacrae Scripturae, et etiam a consuetudine sermocinandi recentiori, nec respondet gustui litterario nostri temporis. Praecepta quidem antiquae Rhetoricae non fuerunt illa aetate ignota, cum in scholis iam in *quatrivio* praeter grammaticam Latinam etiam Rhetorica doceretur, et scripta rhetorica Ciceronis, Aristotelis et praesertim Boethii saepe citarentur; in sermonibus tamen has profanae eloquentiae artes consulto Scholastici fere neglexerunt tanquam parum aptas pro verbo Dei praedicando.

De homil Patrum.

Pro sanctorum Patrum homiliis, quae nihil sunt nisi sacrae Scripturae expositio popularis et usui vitae applicata, consuetudo iam invaluit a fine saeculi XI. exponendi a suggestu particulare aliquod sacrae Scripturae thema. Hoc observare licet in sermonibus Alani ab Insulis, qui mortuus est an. 1202. Attamen etiam tempore S. Bonaventurae expositio Evangelii per modum integrae homiliae non erat penitus sublata. Testis est ipse seraphicus Doctor, qui etiam coram regia familia et alibi saltem decem homilias habuit, quae in elencho codicis Ambrosiani infra notandi inscribuntur: *Summaria intentio Evangelii* etc.

Alanus ab Insulis.

---

[1] In fasciculo Chronicorum Ord. Min., lib. II. c. 25.
[2] Loc. cit. pag. 87.
[3] La chaire Française au moyen âge, Paris 1868, pag. 299 seqq.
[4] Vide ibi Prolegomena, c. 6. 7. 8.
[5] In eod. V. tomo, pag. 553.
[6] Lecoy, pag. 301.
[7] Notices et extraits de quelques manuscrits latins de la bibliothèque nationale, Paris 1891-1893, tomi 6.
[8] Loc. cit. pag. 141.

Harum brevissimum excerptum infra habetur inter sermones ad Dominicam I. III. IV. Adventus, in Vigilia Nativitatis, in Nativitate, Epipbania et Octava Epipbaniae. Attamen sanum hoc cum sanctis Patribus principium Scholastici communicabant et firmiter retinebant, quod totum ecclesiasticae praedicationis fundamentum in sacra Scriptura positum esse voluerint, ne ipsa defraudetur essentiali suo charactere, ut sit *verbum Dei*, scilicet quaedam sacrae Scripturae expositio. Unde eorum sermones locis sacrae Scripturae frequentissimis abundant; quod nonnulli recentiores vitio ipsis vertere sine distinctione voluerunt.

Verba Bonaventurae de praedicationibus.

Audiamus S. Bonaventuram, qui de praedicatoribus dicit in Commentario suo in Lucam [1]: « Sunt os Dei verba eius annuntiando », et: « Praedicare est verbum Dei seminare [2] ». In prooemio Commentarii in Lucam [3] omnes praedicatores recenset *inter doctores sacrae Scripturae* et inde arguit, quod praedicator debeat esse « *inunctus* divina gratia, *institutus* mera obedientia, *inflammatus* benevolentia fraterna ». Primum illud sic declarat: « Si eodem spiritu exponendae sunt Scripturae, quo conditae sunt; et *Spiritu sancto inspirante, locuti sunt sancti Dei homines* (II. Petr. 1, 21.): ad hoc, quod aliquis sit doctor idoneus eorum quae per Christum sunt suggesta et per Spiritum sanctum scripta, necesse est, quod sit inunctus superna gratia ». — Mirabilis illa panum multiplicatio apud Lucam (9, 17. seqq.) praebet iuxta S. Bonaventuram [4] idoneam « formam praedicantibus, ut non nova de cordibus suis adinveniant, quia Dominus non creavit novos panes ad reficiendam turbam; sed, sicut Dominus multiplicavit divina benedictione quinque panes hordeaceos, sic omnis abundantia verae doctrinae sumi debet ex *fundamento sacrae Scripturae*, multiplicanda per *orationem*, qua in caelum respicitur, et *devotione*, qua benedicitur, *meditatione*, qua frangitur, et *praedicatione*, qua distribuitur et explicatur » (scilicet pro capacitate audientium etc.).

Recentiores de Bonaventurae sermonibus.

Quod S. Bonaventura his verbis docuit suo exemplo confirmavit, quia ipsius sermones pleni sunt verbis et spiritu sacrae Scripturae. Ipsi laudantur etiam a quibusdam recentioribus; e. g. a Lecoy [5], qui particularem unctionem seraphici doctoris sermonibus inesse vult; et Hauréau [6] asserit, doctum hunc praedicatorem noluisse se conformare (levi) sui aevi consuetudini; eum excellere continua gravitate, tamen aspectum eius minime esse durum, sed suavem; licet longo tempore vixerit inter philosophos, vocem eius esse dulcem et non imperiosam, consulentem et exhortantem etc.

In genere tamen Bonaventura morem sequitur praedicandi suae aetatis et quoad sententiarum elocutionem formam proprie rhetoricam parum curat. Tamen bene novit huius scientiae praecepta, de qua loquitur in Collatione quarta in Hexaëm. n. 21-25, et ita concludit: « Ad hoc autem, quod sit potens orator, necesse est, ut habeat *exordium* ad captandam benevolentiam non nimis prolixum, non obscurum, non exquisitum; quod habeat *narrationem*, ut factum narret; postea ut negotium *distinguat;* et caveat multitudinem partium. Postea partem suam *confirmet* per rationes, postea adversarium *confutet* et rationes eius ostendat frivolas, postea *concludat*. Item, necesse est, ut habeat *inventionem, dispositionem, elocutionem, memoriam* et *pronuntiationem* ».

Bonav. de rhetorica.

Differunt sermones et collationes.

In codicibus Bonaventurae praedicationes modo nominantur *sermones*, modo *collationes*. Illi habebantur « in mane » ut pars officii ecclesiastici, istae post prandium vel etiam vespere, et saepe modo magis familiari. Echardus [7] tradit, B. Iordanum O. Pr. introduxisse consuetudinem, ut vespertinis horis pro studentibus fierent istae *collationes* diebus dominicis et festis, ne invenes vacarent et vagarentur pro libitu. Ipse refert statutum Universitatis, quod, « quando unus magister in theologia, qui est de Ordine Mendicantium, facit *sermonem de mane* in Universitate in domo Ordinis sui, ipse tenetur eadem die facere *collationem* ».

4. Nonnulli tractatus antiqui de arte praedicandi recensentur.

Alnus.

Prinsquam illud de arte praedicandi opusculum, quod a P. Bonelli [8] Bonaventurae tributum et incompleteeditum est, denuo vulgamus; iuvat alios quosdam antiquos de eadem re tractatus commemorare. Nota est celeberrimi Alani ab Insulis *Summa de arte praedicatoria* [9]. In praefatione auctor exigit, « ut praedicator in manifesto praedicet quae ex Scriptura didicit », et in capitulo I. hanc praedicationis definitionem exhibet: « Praedicatio est manifesta et publica instructio morum et fidei, informationi hominum deserviens, ex rationum semita et auctoritatum fonte proveniens ». Ipse locutionem nimis ornatam reprobat, cum baec sit aqua vino mixta; commendat captationem benevolentiae auditorum in principio sermonis faciendam; thema vult sumi ex sacra Scriptura, praesertim ex Evangeliis, Psalmis, Epistolis et libris Salomonis; illud esse exponendum et totum inflectendam ad auditorum instructionem; non esse declinandum a themate ad aliam rem; deinde addit: « Verba etiam commotiva (praedicator) interserat, quae mentes emolliant et lacrymas pariant... In fine vero debet uti exemplis ad probandum quod intendit, quia familiaris est doctrina exemplaris ». Haec est summa totius theoriae in capitulo primo breviter expositae. — A capitulo II. sequuntur 37 specimina sermonum moralium et plerumque in tres partes divisorum. Hos sequuntur instructio ad faciendum sermones pro *diversis statibus*, ut militum, advocatorum, principum etc., et deinde novem huiusmodi sermones.

Humbertus.

Etiam Fr. Humbertus de Romanis, Magister Generalis Ord. Praed., simile opus scripsit de *Eruditione praedicatorum* [10] cum multis diversorum generum sermonibus exemplaribus.

Tractatus inediti primus.

Complures alii de eadem re tractatus illa aetate compositi sunt, qui, quantum scimus, inediti sunt. — *Toleti*, in bibliotheca Capituli et codice Cai. 41. n. 40. habetur opusculum de septem vel octo modis formandi sermones, quod

---

[1] Pag. 361, n. 37. (tom. VII.).
[2] Comment. in Eccles., pag. 90, v. 7. (tom. VI.).
[3] Num. 2. seq.
[4] Comment. in Luc. pag. 224, n. 28.
[5] Loc. cit. pag. 133: « Les œuvres oratoires de saint Bonaventure reflètent, au contraire, l'onction particulière au docteur séraphique ».
[6] Loc. cit. t. IV. pag. 41 dicit: « Ce docte prédicateur a naturellement dédaigné de se conformer à la mode de son temps. Il est d'une gravité constante. Cependant, regardons-le bien: son regard n'est pas dur, il est tendre; quoiqu'il ait longtemps vécu parmi les philosophes, il n'a pas leur maintien magistral; sa voix douce ne commande pas; elle conseille, elle exhorte » etc.
[7] Scriptores etc. pag. 97.
[8] Supplem. ad Opp. omnia, tom. III. col. 385 seqq.
[9] Migne, Patrol. Lat. tom. CCX. col. 111 seqq.
[10] Impressum in Max. Biblioth. Patrum, t. XXV. pag. 567 seqq.

ibi ascribitur celebri nostro Fr. Ioanni de Rupella (mortuus est circa an. 1245). Non invenimus alibi ullum, qui praedicto Ioanni tale opusculum tribuat. Hinc principium libelli hic describimus: « Incipit processus Ioannis de Rupella, ut credo, Fratris Ordinis Minorum. Cum plures sint modi negotiandi circa themata, ut melius pateat, qualiter vitia sint vitanda, et qualiter circa singula sit agendum, primum de primo hic notatur. — Primus modus est, quando de proposito themate assumitur una radix in hac forma; ponatur pro themate: *Sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo* [1]; eliciatur talis radix, scilicet quod verbis propositis describitur perfectio viri iusti; de assumta radice producuntur immediate rami, qui de ipsa radice artificialiter exeant et pro sufficientia; verbi gratia, dico, quod in verbis propositis describitur perfectio viri iusti; assumendum est ita: sed quia perfectio viri iusti potest esse per ordinationem sui ad *se*, sive ad *proximum* et ad *Deum*; ita tria dicuntur » etc.

Secundus. Waddingus [2] ascribit Ioanni Guallensi (Wallensi) similem tractatum, qui habetur *Parisiis*, biblioth. Mazzarinea, cod. 295, membr. saec. XIV: « *Incipit tractatus fratris Ioannis Gallensis de Arte predicandi* ». Divisum est opusculum in 4 capitula. — Idem opus habetur etiam in alio codice Parisiis, biblioth. Nationalis, Collect. Supplem., cod. 17834, membr. saec. XV, qui multa habet eiusdem auctoris opera; illud incipit: « Cum almus Christi confessor beatus Franciscus ».

Neapoli, biblioth. National., est cod. sign. N. VII.
Tertius. F. 29. membr. saec. XV, in quo fol. 186 r. legitur: « Doctrina bone Venture *de Modo predicandi*. In omni predicamento quanto a predicante magis ordinate proceditur, tanto ab audientibus attentius auscultatur, ideo etc. Imprimis igitur est ordinate notandum, quod assumendum est thema ex sacra Scriptura theologica ». — Hoc opusculum nullius est momenti; habet tantum congeriem sententiarum et exemplorum undequaque collectam, praesertim ex operibus S. Gregorii. Certissime non potest attribui S. Bonaventurae.

Bononiae, biblioth. Collegii, in cod. 50. fol. saec. XV,
Quartus. habetur tractatus Fr. Ludovici de Rocha Ord. Min. de modo diversimode praedicandi, qui incipit: « Parvuli petierunt panem » etc.

Friburgi in Brisgovia, biblioth. Universitatis, est cod.
Quintus. n. 97. saec. XV, in quo habetur quaedam *Ars praedicatoria*; post *Explicit* legitur: « Nicolai Eyfeler Confluentini Ord. Min. Fratris Ars predicatoria, iuxta quod referentem audivit virum Dei Fratrem Patrem Ioannem de Capistrano, dum interpretis fungeretur officio feliciter ».

Hispali, biblioth. Colomb.. Y. cod. 130. 17. chart.
Sextus. saec. XV. Fol. 227-230 habetur opusculum *de Forma predicandi*, quod incipit: *Benigne Iesu*, et desinit: *Explicit opusculum hoc cuiusdam novicii de forma praedicandi*.

Florentiae, biblioth. National., cod. class. VIII. D.
Septimus cum parte infra editi. 1412. membr. saec. XV. habet duos de modo praedicandi tractatus, quorum secundus non est nisi tertia pars tractatus infra impressi et incipit: « Octo modi sunt dilatandi sermonem ». Primus vero tractatus incipit fol. 18 v. sic: « Incipit quedam ars predicandi et sermocinandi. Ad petitionem cuiusdam dilecti mei satisfaciens, predicationes et sermocinationes instruendum (!) tractatus iste, qui de arte predicandi et sermocinandi ad populum et ad clerum intitulatur, constructus est. In quo quatuor continentur capitula, in quorum primo ponuntur quatuor famosa genera predicationis et sermocinationis; et eligemus postea alterum, de quo est tractandum. In secundo capitulo ostendetur, *quid* sit predicatio et sermocinatio distinctive, et *que* et *quot* et *qualis ordo* requirantur. In tertio vero dabuntur multa documenta, que sunt ad proprietates sermocinationis observandum necessaria secundum processum et ordinem eorum que ad sermocinationem requiruntur. In quarto vero agetur de specialibus sermonibus » etc.

Quia in hoc tractatu inveniuntur aliqua scitu digna, praesertim quaedam de prothemate [3] documenta, quae desunt in tractatu infra iterum edito, opportunum videtur, ut aliqua inde excerpamus:

Primum genus dicit debere cum verbis Scripturae (in themate propositis) *vocaliter* et *vocaliter* concordare. Hoc genus esse subtilius et ab eruditis in Scriptura et modernis doctoribus usitatum; hoc solum a doctis esse usurpandum et infra exponendum. *Secundum* genus curat solum de *reali* cum Scriptura concordantia, non de *vocali*, et esse in usu « apud noviter in theologia eruditos, sicuti sunt claustrales monachi, qui Biblia et Sanctorum originalia frequentius relegentes, per se ipsos aliqualiter in sacris litteris eruditiuntur et solum quaerunt quod aedificat ». *Tertium* genus omnino reprobandum quoad *vocem* et non *rem* concordare cum Scriptura, ut si quis dicat, « quod triplex dies reperitur, scilicet dies creationis, recreationis et glorificationis, et pro confirmatione citet illud Psalmi [4]: *Haec est dies, quam fecit Dominus* etc., aliosque textus » etc. *Quartum* genus est, « quod observant antiqui Sancti, sicut Augustinus et Bernardus et multi alii, quorum sermones in Ecclesia recitantur, in quibus non proponitur aliquod thema, quod sit materia praedicandi, nec solent divisiones vel distinctiones fieri, quae postmodum concordentur, sed quasi narrative procedit ». Hoc genus praedicationis dicit a modernis doctoribus non observari; addens hanc rationem satis singularem, quia isti (Patres) « fuerunt quasi Ecclesiae fundatores », et ideo « omnem curiositatem evitarunt de themate distinctionibus et membrorum subdivisionibus et utriusque concordantiis ». Ad modernos autem pertinere, ait, dicta Patrum exponere et concordare.

Quoad primum genus inculcat, ut divisio et *re* et *voce* concordet cum verbis thematis; loquitur etiam de *themate*, et deinde de *prothemate* dicit: « Considerandum est, quod multipliciter solet accipi *prothema*, inter quos modus congruentior est accipere prothema de Biblia, et ne videatur occasionaliter assumtum, debet in aliquo vocabulo secundum vocem cum themate concordare, et si competenter fieri potest, cum principaliori vocabulo, cuius subdivisio in processu sermonis est prosequenda ». Auctor hoc exemplum affert: « Thema est: *Beatus vir, qui timet Dominum* [5]; prothema: *Beati, qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud*, quod quidem cum themate in principaliori vocabulo, quod postmodum fuit subdivisum, et eius subdivisio prosecuta, concordat. Istud igitur prothema sic sumtum

[1] Tit. 2, 12.
[2] Scriptores Ord. Min. pag. 143.
[3] In sermonibus solemnioribus illius aetatis solebat praeter textum ipsius thematis alius locus Scripturae in exordio proferri, nomine *prothematis* vocatus. Exempla huius plura habentur in sermonibus S. Bonaventurae; alia plura videntur a collectoribus horum sermonum consulto omissa. Plura de themate, prothemate etc. docet Lecoy, *La chaire Française*, p. II. c. 4, pag. 266 seqq.
[4] Psalm. 117, 24.
[5] Psalm. 111, 1; sequitur Luc. 11, 28.

breviter est dividendum et concordandum auctoritate absque expositione et breviter et qnasi in summa. Considerandum est autem, quod hoc prothema non debet pro libitu sumi, sed quinque modis solis potest prothema accipi: primo, ut in ipso tangantur conditiones solum *auditoris*, sicut illud: *Beati, qui audiunt verbum Dei* etc. Secundo, ut in ipso tangantur ea quae ad *praedicatorem*, sicut dicebat David [1] in persona praedicatoris: *Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me* etc... Tertio, potest accipi prothema, quod ad auditorem et praedicatorem simul pertinet, sicut istud [2]: *Qui audit me non confundetur* (quantum ad auditorem); *et qui elucidant me* (quantum ad praedicatorem) *vitam aeternam habebunt* Quarto, potest sumi prothema, in quo sacrae Scripturae vel doctrinae conditiones tangantur, sicut ibi [3]: *Ego sapientia in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis;* propter eius altitudinem invocandum est divinum auxilium, sicut in tribus primis propter auditorum et praedicatorum necessitatem. Quinto et ultimo, accipi potest prothema, in quo solum invocatio divini auxilii et Dei Genitricis denotetur, sicut illud Iudith [4]: *Ora pro nobis, quoniam mulier sancta es* » etc.

Circa finem opusculi leguntur haec non spernenda: « Si est thema de Evangelio, congruum est, ut, antequam ad divisionem thematis accedatur, evangelica historia in summa breviter exponatur, ut simplices plenius intelligant, et propositum thema, quod de Evangelio sumtum est, clarius elucescat. Hoc idem faciendum est etiam de Epistola, si propositum thema etiam de Epistola assumatur ».

Concludit libellus his verbis: « In singulis sermonibus hoc diligenter est observandum, ut in eis fiat aliqua mentio loco competenti de tribus, scilicet de Virgine gloriosa, de passione Domini et de aeterna gloria. Omnis enim sermo insipidus est, qui de Matre gratiae, de Christo Redemptore et de aeterna retributione nulla commemorat mentione. Nam Matrem debemus petere, ut pro nobis Filium Redemptorem interpellat, quod, ipso praestante, pervenire mereamur ad gaudia sempiterna. Amen. Amen. Amen ».

5. Pauca restant dicenda de nostra editione sequentis tractatus *Ars praedicandi.*

De editione P. Bonelli.

P. Bonelli, qui primus edidit hunc tractatum [5], in praefixa *Admonitione* scribit: « Primum, quod ego sciam, in publicam lucem educitur ad fidem optimi codicis Assisiensis, quem cl. P. Ioh. Hyac. Sbaralea O. M. Conv. Magister auspicato invenit ac diligenter exscripsit. Utinam vero esset integra secundum omnes tres partes, quas ipsa amplectebatur. Sed quod valde dolendum, secunda imperfecta (?) est, tertia autem penitus desideratur. De hoc S. Bonaventurae foetu genuino nullum esse dubitandi locum in Prodromo a col. 743 satis evici atque in notis ad calcem de more subiciendis amplius patebit, in quibus etiam indicantur variantes *mei* apographi » (scil. eiusdem codicis).

De codice editionis.

Iste codex Assisiensis iam notatur in inventario eiusdem bibliothecae confecto an. 1381 sic: *Ars concionandi Bonaventurae* (cfr. Prodrom. col. 379 n. 7. et 382 seq. n. 33.). Testibus tamen antiquioribus codicibus a nobis inventis, tractatus pertinet ad saec. XIII. Porro Bonelli [6] provocat ad iudicium Sbaraleae, qui etiam hoc opusculum vere Bonaventurianum esse putaverit [7], et addit: « Profecto et stilus et doctrina laudatae Artis Bonaventurae conveniunt », et concludit: « Superi dent, ut adeo defienda iactura integriore alio codice suppleatur ».

De aliis codicibus.

Hoc egregii viri desiderium a P. Fideli a Fanna impletum est, qui non paucos codices invenit, qui hunc libellum, vel saltem partes eiusdem habent, ita ut memoratus defectus a nobis utcumque suppleri potuerit. Notandum tamen, quod praeter Assisiensem omnes alii codices anonymi sunt. Multiplici autem experientia edocti sumus, testimonium unius codicis vel etiam plurium, tacentibus aliis, saepe esse fallax. Nec illa interiora criteria, de quibus praesertim in notis ad calcem tractatus adiectis loquitur Bonelli, aliquam certitudinem praebent; nec opusculum ipsum ingenium et stilum S. Bonaventurae satis clare prae se fert.

Iudicium de ipsis.

Praeterea notandum est, textum huius libelli, praesertim in tertia parte, ob codicum continuas differentias, lacunas, additamenta pessimaque vitia, tales prae se ferre defectus, ut probabilissimum sit, opusculum ab auctore ipso non fuisse scriptum, sed verbo prolatum et imperfecte ab auditoribus exceptum et reportatum. Aliter dicendum esset, unumquemque librarium ex scripto illo pro libitu aliqua excerpsisse, vel etiam alia addidisse. — Documenta ipsa libelli et specimina plurima divisionum tanto Doctore non videntur indigna, immo plura sunt egregia; sed quomodo constare poterit, istas thematum divisiones ab ipso libelli auctore esse excogitatas et non aliunde sumtas? Ea enim aetate tot iam erant collectiones sermonum, quorum auctores ingeniosas et novas divisiones thematum formare studebant. — Cum res ita se habeat, nec ullum positivum testimonium nisi codicis Assisiensis pro Bonaventura auctore stet; inter legitima eiusdem opera libellum assumere ausi non sumus.

ELENCHUS CODICUM HUIUS LIBELLI.

1. *Colmariae*, biblioth. Civitatis, cod. 5. saec. XV. Iste habet tantum tertiam partem opusculi plurimaque omittit. Sign. cod. C.

2. *Florentiae*, biblioth. Nationalis, cod. 1780. B. 9. membr. saec. XIV. Hic etiam habet tantum tertiam partem, multa omittit et alio ordine profert. Sign. cod. F.

3. *Ibid.*, cod. class. VIII. D. 1412. membr. saec. XV. Incipit fol. 25. verbis: *Omnis tractatio Scripturarum.* Desinit: *corrumpit animam et sic de aliis.* Habet integrum opusculum, multa tamen brevius contrahit. Insuper primo idem habet fol. 18. alium de *Arte praedicandi* tractatum prorsus diversum, de quo plura supra transcripsimus. Sign. cod. B.

4. *Friburgi* in Helvetia, biblioth. PP. Conventualium, cod. 21. chart. saec. XV. Habet integrum opusculum, sed tantum secundam partem descripsimus et aliquas variantes. Sign. cod. D.

5. *Londini*, biblioth. Hospitii Grayens., cod. 12. membr. saec. XIV. Habet totum opusculum, sed in multis brevius contractum, praesertim in fine. Incipit: *Omnis tractatio divinarum Scripturarum;* desinit: *commendant in eo dignitatis fastigium; Rex Iudeorum.* Sign. cod. A.

---

[1] Psalm. 118, 66.
[2] Eccli. 24, 31.
[3] Eccli. 24, 7.
[4] Cap. 8, 29.
[5] Supplem. ad Opp. omnia Bonav., tom. III. col. 385.
[6] Prodrom. col. 743, n. 1.
[7] Cfr. Supplem. ad Script. Ord. Min. pag. 165, n. 101.

6. *Parisiis*, biblioth. Nationalis, cod. 3640. membr. saec. XIII. Rubrica: *Incipit doctrina sermocinandi. Quoniam veri emulatores estis spirituum ad edificationem Ecclesie, querite, ut abundetis* (I. Cor. 14, 12.). *Bene dicit emulatores et non simulatores, sed veri amatores.* Praemissa brevi praefatione prosequitur: *Sunt autem plures modi, quibus abundare et dilatare sermonem debet predicator. Primus modus est* etc. Desinit: *vitiorum et eorum, de quibus est meritum.* Hic igitur tantum tertiam partem habet, sed magis diffusam quam ceteri codices. Unde in declaratione illorum octo modorum hunc antiquum codicem pro fundamento nostrae editionis posuimus. Sign. cod. G.

7. *Ibid.* Sorbon., cod. 16475. (olim 1280.) saec. XIV. Ex hoc cod. sumsimus tantum aliquas lectiones variantes quoad primam opusculi partem. Sign. cod. E.

Eadem tertia pars habetur etiam *Lubeci*, biblioth. Civitatis, cod. sine numero, an. 1422, post *Compendium theologicae veritatis.*

Cum talis tantaque differentia lectionis continuo exhibeatur in diversis codicibus, inutile et quasi impossibile fuit omnes variantes lectiones ad calcem ponere; quod praecipue ad partem tertiam pertinet. Meliore quo potuimus modo textum qualemcumque ex diversis codicibus composuimus tantumque principales lectiones et additamenta notavimus.

ARS CONCIONANDI[1].

PROOEMIUM.

De tribus tractandis.

« Omnis tractatio[2] scripturarum », ut ait Augustinus in primo de Doctrina christiana[3], « circa modum inveniendi quae intelligenda sunt, consistit, et circa modum proferendi quae intellecta sunt ». Et quia in his principaliter praedicandi versatur negotium, ideo aliquid est videndum, qualiter in his sive in hoc praecipue pervigilet studium et intentio praedicantis. Fertur autem eius studium maxime circa tria, scilicet circa *divisiones*, *distinctiones* et *dilatationes* sive progressus. Sed in primo, scilicet in dividendo, est attendenda *proprietas*, in distinguendo *brevitas*, in dilatando *utilitas;* sicut dicit Augustinus in eodem[4]: « De his doctor debet esse sollicitus, ut scilicet *doceat*, ut *delectet*, ut *flectat;* quia docere, inquit[5], necessitatis est, delectare suavitatis, sed flectere victoriae ». Sic itaque plerumque contingit, ut, dum est divisio *propria*, instruat; *brevis* distinctio delectet; dilatatio vero *utilis* flectat.

Pars prima.

Divisio.

1. Primum itaque dividere volenti inspiciendum[6] thema, quae sit eius *sententia*, quis *sensus principalis*, et *ad quam personam* sermo dirigatur in eo.

Sub multis rationibus alioqui potest secunda persona.

2. *Secundae* autem personae consuevit dirigi sermo sub ratione *quaerentis*, Genesis tertio[7]: *Cur praecepit vobis Deus* etc.; — *irridentis*[8], Genesis tertio[9]: Videte, *ne forte sumat etiam de ligno vitae;* — *vocantis*, Matthaei quarto[10]: *Venite post me;* — *exhortantis*, in Epistolis maxime; — *increpantis*, Matthaei vigesimo[11]: *Quid hic statis tota die otiosi?* — *auxilium postulantis*, Matthaei octavo[12]: *Domine, si vis, potes me mundare;* — *imperantis*, Ioannis quinto decimo[13]: *Haec mando vobis, ut diligatis invicem;* — *allegantis rationem*, Lucae septimo[14]: *Dignus est, ut hoc illi praestes;* — *detestantis*, Ioannis nono[15]: *Tu discipulus illius sis;* — *enuntiantis* sive *prophetantis*, in Prophetis maxime; — *sollicitantis*, ad Ephesios quinto[16]: *Surge qui dormis et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus;* — *commendantis*, Isaiae quadragesimo nono[17]: *Servus meus es tu, Israel;* — *promittentis*, Matthaei decimo sexto[18]: *Et tibi dabo claves regni caelorum.*

Regula a tenda.

3. Si quae vero sunt alia huiusmodi, quae in prima vel in tertia proponantur persona narrando aut describendo, seu commendando vel despiciendo, promittendo vel consolando, conquerendo seu terrendo; diligenter habenda est cura et proprietas retinenda ac requirenda, ne, si alicubi Scripturarum alliciamur[19], fortasse dicatur: Hic increpamur, vel e contrario, quod esset ridiculosum; verbi gratia proponatur illud Matthaei vigesimo[20]: *Quid hic statis tota die otiosi?* Si dicam: hic hortatur nos Dominus ad operandum, improprie dictum est; quamquam et ad hoc hortemur, non tamen principaliter, sed ex consequenti. Ideoque proprius est dicendum, ut principalis sensus thematis exprimatur: Hic, inquam, increpat Dominus otiosos et negligentes operari in vita praesenti. Increpat autem ex parte *naturae*, cum dicit: *Quid statis?* quasi dicat, qui nati estis ad operandum; Iob quinto[21]: *Homo ad laborem nascitur.* — Ex parte *loci*, ibi: *hic*, ubi scilicet non est locus quietis, sed *horroris et vastae solitudinis*[22]; *Surgite et ite, quia non habetis hic requiem.* — Ex parte

Exemplu

---

[1] Ita cod. A supra in elenco notatus. Cod. Assisiensis, quo usus est Bonelli, inscribitur *Ars fratris Bonaventure.* In editione Bonelli tractatus habet hunc titulum: « Seraph. Doctoris S. Bonaventurae *Ars concionandi*, in qua claves scripturarum traduntur pro elaborandis concionibus ».

Pro castiganda praedicta editione quoad *primam* huius tractatus partem usi sumus codice Londinensi A et Florentino B. Aliquas variantes lectiones habuimus etiam ex cod. Parisiensi E, qui tantum quoad initium opusculi collatus fuit.

[2] Codd. A E addunt *divinarum.*

[3] Cap. I. n. 1. — Deinde ex A B E adiunctum est *principaliter* ante *praedicandi*, et dein *ideo aliquid* positum est pro *idcirco.*

[4] Ibid. c. 12. n. 27. Sumta est sententia ex Cicerone, de Oratore.

[5] Hoc verbum addunt A B.

[6] Sola ed. *respiciendum.*

[7] Vers. 1.

[8] Verba *irridentis* etc. supplevimus ex A B.

[9] Vers. 22.

[10] Vers. 19.

[11] Vers. 6.

[12] Vers. 2.

[13] Vers. 17.

[14] Vers. 4.

[15] Vers. 28.

[16] Vers. 14.

[17] Vers. 3.

[18] Vers. 19. Duae ultimae propositiones sumtae sunt ex B.

[19] Cod. A *alticimur*, id est *attrahimur.*

[20] Vers. 6.

[21] Vers. 7. — Immediate ante ed. *ad laborem* pro *ad operandum.*

[22] Deut. 32, 10; sequitur Michaeas 2, 10.

temporis; ibi: *tota die*, id est toto tempore vitae, in qua *est militia vita hominis super terram*, Iob septimo [1]. — Ex parte etiam *ordinis* ipsius rationis, ibi: *otiosi*. Et congrue ob haec quatuor reprehendit eos, quoniam haec sunt illa quae monent et ostendunt, hic [2] non esse standum, sed operandum. Nam indicatur naturae indita [3] proprietas, loci vastitas, temporis brevitas et rationis rectae perspicuitas vel perspicacitas [4]. Similiter est in aliis thematibus observandum, sicut praemissum patefecit exemplum.

Duplex divisio.

4. Hoc viso, sumatur divisio *intra* vel *extra* [5] in thematе assumto secundum exigentiam auditorum. Aliter enim dividendum est, cum clero, aliter, cum populo praedicatur, cum ab illis acutius, ab istis tardius capiatur. Ideoque dividendum est *extra*, cum praedicatur populo; quod potest esse dupliciter, scilicet vel procedendo per *distinctionem*, vel per *divisionem*. Verbi gratia, ut facilius capiatur *dividendi* ratio, proponatur istud Matthaei vigesimo [6] vel Lucae decimo octavo: *Ecce, ascendimus Ierosolymam*. Dicatur sic: mysterium mortis Christi proponitur nobis *ante* passionem: *Ecce, ascendimus Ierosolymam;* in passione, Threnorum primo [7]: *Attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus;* et *post* passionem, ad Hebraeos nono [8]: *Per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa* [9]. Et hoc fit, ut per primum ostendatur passus voluntarie, per secundum acerbe et per tertium salubre; et hoc contra illos quorum quidam patiuntur invite contra primum, quidam remisse contra secundum, quidam damnose contra tertium. Ecce, quomodo hic proceditur distinguendo *extra*, ut postmodum intretur in thema.

Exemplum.

Si vero proponitur thema clero, posset sic dividi: Hic praedicitur discipulis mysterium futurae dominicae passionis. Praedicuntur autem tria: *tempus, locus* et *generalis effectus; tempus*, ibi: *Ecce, ascendimus*, id est hoc tempore, cito; *locus*, cum additur: *Ierosolymam;* et *generalis effectus*, ibi: *Et consummabuntur omnia, quae scripta sunt per Prophetas de Filio hominis* [10].

Aliter.

Claves.

Possunt autem et debent hic poni et fieri *claves* et in omnibus, ubi talis modus dividendi servatur, ut resumatur divisio sic: *Tempus* describitur sub ratione propinquitatis, quod ostenditur, cum dicitur: *Ecce, ascendimus; locus*, sub ratione congruitatis, quia *Ierosolymam;* sed *effectus* ratione generalis utilitatis, ibi: *Et consummabuntur omnia* etc. Vocantur autem *claves*, quia divisionis factae aperiunt rationem et eiusdem sufficientiam claudunt, sicut patet in praemisso exemplo [11]. Ideo summopere est in omni artificiali divisione et subtili distinctione hoc servandum; alioquin praedicantis sermo nec pulcritudinis nec artis ratione fulgebit.

Clavium explicatio.

Exemplum primum.

5. Similiter [12] sumatur hoc verbum primae ad Corinthios nono [13]: *Sic currite, ut comprehendatis*. Procedatur per hunc modum *exterius* sic distinguendo: triplex est lex: *naturalis*, *scripta* et *evangelica*. *Naturalis* docet, quid faciendum; *scripta*, quid et quomodo faciendum; *evangelica*, quid et quomodo et ad quid faciendum. Ideo praedicator legis evangelicae docet hic, *quid* faciendum, ibi: *currite; quomodo* faciendum, ibi: *sic;* et *ad quid* faciendum, ibi: *ut comprehendatis*. Ecce, quomodo *exterius* distinguendo intratur in thema. — Licet hoc verbum aliter dividi possit, ut dicatur sic: hic *invitamur* ad cursum: *Sic currite; animamur* ad bravium: *ut comprehendatis*. Et sic tenet Apostolus rationem monentis ad meritum per primum, et per secundum rationem allicientis ad praemium. Istae sunt claves praedictae divisionis.

Aliter.

6. Amplius, si dicatur illud Matthaei octavo [14]: *Magister, sequar te, quocumque ieris*, dicetur sic: sequendus est Christus ut *pastor*, quia reficit in labore; ut *dominus*, quia protegit in tentatione; ut *magister*, quia instruit in lectione, sicut patet hic intuenti, scilicet: *Magister, sequar te* etc.

Secundum.

Similiter illud ex primae Petri secundo [15]: *Christus passus est pro nobis* etc. Christus passus aliquando proponitur ad meditandum, aliquando ad compatiendum, aliquando ad imitandum; ut per meditationem illuminetur intellectus, per compassionem inflammetur affectus, et per imitationem exerceatur effectus [16]. — Possunt autem ad haec membra auctoritates adduci, et valet hic modus, ut sermo protrahatur, et thema melius distinguatur.

Tertium.

Alia divisio.

7. Potest iterum divisio sumi *extra* procedendo per divisionem sufficientiae; et hoc perutile est populo. Verbi gratia sumatur illud Psalmi [17]: *Dominus illuminatio mea et salus mea*. Dicetur sic: duplex est nobis inflictum incommodum per peccatum, scilicet ignorantia in cognoscendis et infirmitas in agendis. Contra primum dicit: *Dominus illuminatio mea;* contra secundum: *et salus mea*. Primum respicit intellectum, secundum vero affectum; primum respicit faciem cognoscitivae, secundum faciem motivae. Si autem dixissem: verbum illud est duplicis faciei, a simplicibus non de facili caperetur ut primum.

Exemplum primum.

Secundum.

Similiter sumatur illud Psalmi [18]: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei*. Potest sub *interrogatione* sic dividi coram audientibus: civitas, quae esset *copiosa*, *famosa* et *generosa*, nonne esset a quolibet desideranda? Re vera hic Ierusalem caelestis describitur *copiosa*, cum dicitur: *gloriosa; famosa*, cum additur: *dicta sunt*, scilicet per revelationem Scripturarum; *generosa*, cum describitur ab auctoritate: *civitas Dei*.

Tertium.

Similiter illud ad Galatas quarto [19]: *Illa autem quae sursum est Ierusalem libera est, quae est mater nostra*, sic potest vulgarizari: quatuor requiruntur ad hoc, quod aliqua civitas commendabilis ostendatur, scilicet quod sit in ea *pacis tranquillitas, ab hoste securitas, a dominio libertas* et *fecunditas* vel *copiositas*. Haec ostendit Apostolus in verbo proposito de caelesti Ierusalem, scilicet *pacis tranquillitatem*, ibi: *Illa autem Ierusalem*, quae *pacifica* interpretatur; *securitatem*, ibi: *quae sursum est;*

---

[1] Vers. 1.
[2] Ex A hic supplevimus *et ostendunt hic.*
[3] Pro *naturae indita* ed. et A *hominis.*
[4] Ex A additus *vel perspicacitas*, et dein posuimus *est in* pro *erit et in.*
[5] Similis distinctio explicatur a Boethio, lib. I. Comment. in *Topica* Ciceronis, Migne, Patrol. Lat. 64. col. 1054, et II. col. 1064, ubi distinguuntur *loci in ipso* et *loci extrinsecus.* Hic vero *divisio extra* non sumitur ex ipsis thematis verbis, ut altera, sed aliunde, quod patet ex sequentibus exemplis.
[6] Vers. 18. et Luc. 18, 31.
[7] Vers. 12.
[8] Vers. 12.
[9] Ed. et cod. A male ordinem confundunt.
[10] Codd. AB aliam divisionem satis confusam addunt.
[11] Cfr. Collat. in Hexaëm. coll. 3. n. 2.
[12] Cod. A ita legit: Alius modus similiter hic exterius distinguendi: *Sic currite* etc.
[13] Vers. 24.
[14] Vers. 19.
[15] Vers. 21.
[16] Cod. A addit: vel *Christus passus est* proponitur ad meditandum, ad compatiendum et commoriendum in affectu.
[17] Psalm. 26, 1.
[18] Psalm. 86, 3.
[19] Vers. 26.

libertatem, ibi: *libera est; fecunditatem*, ibi: *quae est mater nostra*. Si autem sic dividatur: commendat Apostolus hic Ierusalem sub duplici ratione, scilicet sub ratione *excellentiae*, ibi: *Illa autem quae sursum est Ierusalem libera est;* secundo, sub ratione [1] *influentiae*, ibi: *quae est mater nostra*, non ita ab auditoribus caperetur sicut praemissa divisio.

Quartum. Ad idem aliud proponatur exemplum Actuum septimo [2]: *Stephanus plenus Spiritu sancto, intendens in caelum, vidit gloriam Dei et Iesum stantem a dextris Dei.* Sic potest dividi *extra:* tria sunt necessaria ad videndum, scilicet *dispositio in oculo, intentio in aspiciendo* et *praesentia in obiecto*, quod patet per contrarium aspicienti. Haec autem omnia notantur in verbo praedicto, scilicet *gratiae dispositio*, ibi: *Stephanus plenus Spiritu sancto; intentio in aspiciendo*, ibi: *intendens in caelum;* et *praesentia in obiecto*, ibi: *vidit gloriam Dei et Iesum stantem* etc.

Quintum. S. Aliud exemplum proponatur, ut illud secundae ad Corinthios duodecimo [3]: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis.* Vera poenitentia quadruplici conditione perficitur. Exigitur enim, quod sit *voluntaria* ad merendum, ibi: *Libenter; iucunda* ad facilius sustinendum, ibi: *gloriabor; poenalis* ad satisfaciendum, ibi: *in infirmitatibus;* et *propria* ad praemium obtinendum, ibi: *meis.*

Sextum. Similiter illud Lucae septimo [4]: *Stans retro secus pedes eius, lacrymis coepit rigare pedes eius et capillis capitis sui tergebat*, potest ita dividi secundum hunc modum: in quatuor consistit amaritudo contritionis, sicut patet in beatissima Magdalena in verbo praemisso, scilicet in rubore, ibi: *Stans retro;* in timore, ibi: *secus pedes eius;* in dolore, ibi: *lacrymis coepit rigare pedes eius;* et in abiectione, ibi: *et capillis capitis sui tergebat.*

Septimum. Et illud Danielis tertio decimo [5]: *Flens suspexit ad caelum; erat enim cor eius fiduciam habens in Domino.* Introducitur hic ad loquendum casta Susanna sub triplici affectione, quae generatur in homine infamato. Afficitur enim talis [6] affectione ruboris pro offensa congregatione, ibi: *suspexit ad caelum;* doloris pro amissa nobilis famae possessione, ibi: *flens;* et timoris, sed cum spe, pro infligenda punitione, ibi: *erat enim cor eius fiduciam habens in Domino* [7].

Octavum. 9. Item penatur illud Matthaei octavo [8]: *Vade, ostende te sacerdoti et offer munus tuum.* Tria debet habere poenitentia: debet enim esse voluntaria, ibi: *Vade*, id est ex voluntate; aperta, ibi: *ostende te;* integra, ibi: *sacerdoti*, non sacerdotibus; et prompta ad satisfaciendum, ibi: *et offer munus tuum.*

Nonum. Aliud exemplum, Psalmus [9]: *Propter te mortificamur tota die.* Poenitentia debet esse recta ratione intentionis, ibi: *Propter te;* strenua ratione actionis, ibi: *mortificamur;* et continua ratione durationis, ibi: *tota die.*

Decimum. Vel aliud eiusdem Psalmi [10]: *Exsurge, quare obdormis, Domine?* potest ita dividi: pro tribus vir sanctus commovetur, scilicet si videt, affligi innocentiam, prosperari malitiam et dormire divinam institiam. Ideo excitat: *Exsurge, quare obdormis, Domine?* scilicet ad puniendum.

Undecimum. Similiter sumatur illud Lucae primo [11]: *Ave, gratia plena, Dominus tecum.* Populo dividendo dicetur: triplex est officium nuntiorum, scilicet salutare, ibi: *Ave;* nuntiare, ibi: *gratia plena;* et licentiare, ibi: *Dominus tecum.* — Hoc idem clero artificialiter posset dividi sic: Angelus, alloquens Virginem Genitricem, praemittit salutationis exordium divinum, ibi: *Ave;* narrat concipiendi modum, ibi: *gratia plena;* et subdit concludens conceptionis effectum, ibi: *Dominus tecum.* Primum est salutationis: *Ave;* secundum commendationis: *gratia plena;* tertium consolationis: *Dominus tecum.* Vel sic: primum pertinet ad salutationem, secundum ad commendationem, tertium vero ad consolationem. Aliter.

Notandum. Secundum enim diversos status potest fere quaelibet divisio variari et ex hoc per consequens decorari; sicut isto docemur exemplo, quod idem poterit variari, ut dicatur ibi: notatur hic angelica salutatio: *Ave;* gratiarum actio: *gratia plena;* divinae societatis imitatio: *Dominus tecum.*

Haec utique sufficiant exempla praemissa ad ostendendum hunc modum, qualiter thema dividatur *extra*. Qui quidem modus simplicioribus condescendit, licet nonnulla exempla inserta sint incidenter, quae magis redolent modum exsequendi; cuius quippe rei haec fuit causa, ut ostenderetur, quod unus et idem versus aliter clero, aliter esset populo dividendus.

Divisio intra. 10. Nunc autem inquirere opus est primae divisionis membrum, videlicet qualiter thema dividatur *intra*. Dividitur autem secundum hunc modum: aliquando per *verba*, aliquando per *casualia* [12] quaeque, in quibus a diversis habet diversimode variari secundum multiplicitatem et differentias eorundem; ideoque qualiter in modo, numero et persona, in recto pariter et obliquis diversificetur; sicut inferius indicabit [13] copia exemplorum, quae non erit paucorum, in medium describenda, qua patere possit facilitер praedicandi sententia [14] dividendi, si tamen haec sub brevitate collecta studuerit memoriae commendare.

Exemplum primum. Dividitur autem per *verba* sic. Ponatur illud Matthaei [15]: *Ite et vos in vineam meam, et quod iustum fuerit dabo vobis.* Tria notantur. Primo ad profectum sollicitat, ibi: *Ite et vos;* secundo sollicitationis qualitatem exprimit, ibi: *in vineam meam;* tertio de laboris retributione certificat, ibi: *et quod iustum fuerit dabo vobis.*

Secundum. Similiter illud Lucae quinto decimo [16]: *Pater, peccavi in caelum et coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus*, potest ita dividi: verbum illud est verbum poenitentis et ad misericordiam redeuntis et de commissis veniam postulantis. Ecce, si attendis, hic in verbis istis tota sententia [17] thematis est comprehensa. Et dein prosequendum est sic: hic talis primo pie invocat, ibi: *Pater;* secundo vulnus detegit, ibi: *peccavi;* tertio exaggerat offensam, ibi: *in caelum et coram te;* quarto sibi poenam taxat, ibi: *iam non sum dignus vocari filius tuus.*

---

[1] Fide B suppleta sunt verba *secundo, sub ratione.*
[2] Vers. 55. [3] Vers. 9.
[4] Vers. 38. [5] Vers. 35.
[6] Ita A B, ed. *taliter.*
[7] Cod. B omittit reliqua partis I. et II. et partem III. incipit his verbis: « De octo modis » etc. Etiam A brevius textum contrahit; tamen hinc inde ope eiusdem editionem emendare potuimus.
[8] Vers. 4. [9] Psalm. 43, 22.
[10] Ibid. v. 23. [11] Vers. 28.
[12] Scilicet declinationum, de quibus loquuntur grammatici, ut Priscianus, lib. V.
[13] Ita A, ed. *diversificatur. Inferius indicabitur.*
[14] Ita ed.; sed videtur non congruum esse. Cod. A propositionem omittit.
[15] Cap. 20, 4. [16] Vers. 18. seq.
[17] Cod. A *summa*, ed. deinde habet *Diverse procedendum* pro *Et dein prosequendum.*

Eodem modo habetur illud Matthaei [1]: *Domine, salva nos, perimus.* Invocando dominationem postulant salvationem, allegant creationem et petitionis causam subiungunt, ibi: *perimus.* Invocando *Domine,* captant benevolentiam; postulando profitentur potentiam, ibi: *salva,* id est creaturam tuam; non enim salutem peterent ab eo quem non crederent posse salvare; allegando inclinant ad clementiam, cum dicunt: *nos;* ultimo fatentur humanam indigentiam, ibi: *perimus.* Tertium.

11. Haec sunt claves [2] divisionis praedictae, et modus iste utilis est maxime, cum quis de toto Evangelio praedicat sive Epistola, pro eo quod in paucis verbis potest claudere evangelicum sensum et memoriam labilem adiuvare, ut si ponatur illud Ioannis sexto [3]: *Abiit Iesus trans mare Galilaeae, et cum sublevasset oculos, dixit ad Philippum: Unde ememus panes, ut manducent hi* etc., et quae ibi dicuntur de miraculo quinque panum. Potest autem in tribus verbis totius Evangelii sententia comprehendi sic: tria fecit hodie Christus: providet ut procurator, ibi: *Unde ememus panes, ut manducent hi?* administrat ut dispensator [4], ibi: *distribuit discumbentibus;* et multiplicat ut Dominus, ibi: *collegerunt ergo et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum* etc. In providendo ostendit clementiam in respectu miserationis; in ministrando sapientiam in processu interrogationis; in multiplicando potentiam in pastu refectionis. De praedicatione per modum homiliae. Exemplum.

12. Potest autem hoc fere generaliter observari in singulis Evangeliis et Epistolis, et non solummodo dividendo per *verba,* sed et per alia *casualia,* sicut exemplis infra patebit. Notandum.

Item, ponatur illud ad Romanos sexto [5]: *In novitate vitae ambulemus.* Hoc diversificatur quoad numerum et personam sic: hic monet Apostolus, ut de bono in melius proficiamus, ibi: *ambulemus;* secundo ostendit profectum, quem debeamus, ibi: *in novitate vitae.* Exemplum primum.

Item, illud ad Romanos tertio decimo [6]: *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* Hic duo facit Apostolus more pontificis [7]: solvit, ibi: *nemini quidquam debeatis;* et ligat, ibi: *nisi ut invicem diligatis;* solvit a vinculo servitutis, ligat vinculo caritatis, quae quanto magis solvitur, tanto magis debetur. Secundum.

Amplius variatur hic modus, sicut patet, proposito illo ad Romanos tertio decimo [8]: *Induamur arma lucis.* Hic hortatur ad indumenta virtutum, notanturque hic tria, quae faciunt virtutes in habente eas. Habent enim ipsae virtutes *induere, armare* et *illuminare;* ideo dicitur: *induamur* quoad primum; *arma* quoad secundum; *lucis* quoad tertium [9]. — Ecce, quod variatur quantum ad modum; licet populo aliter possit dividi, ut supra *extra* dividendo, velut ostensum est in praemissis: triplex est nobis inflictum incommodum per peccatum, scilicet nuditatis, contra quod dantur virtutes ad indumentum, ibi: *induamur;* infirmitatis, contra quod dantur ad munimentum, ibi: *arma;* et caecitatis, contra quod dantur ad documentum, ibi: *lucis.* Deinde procedendo per primum [10], quomodo ei virtutes sunt indumenta necessitatis ad meritum, utilitatis ad praemium, honestatis ad exemplum et formositatis ad ornatum. Demum procedendo per secundum membrum, quomodo sunt ad muniendum fortiter, ad impugnandum graviter, ad resistendum patienter et ad vivificandum longanimiter. Tertium. Aliter.

13. Potest [11] etiam procedi de *opposito in oppositum,* videlicet incommodum, quod incurrimus per peccatum, est triplex. Ipsa enim peccata sunt deceptiva propter delectationis transitum, turpia propter culpae contagium et poenalia propter reatum. Sed de hoc non plus ad praesens, pro eo quod inferius [12] dicetur; nunc autem non est intentio nostra dividendi per exempla tendentia ad complementum. Alius modus.

Ad idem ponatur illud Psalmi [13]: *Domine, inclina caelos tuos et descende, tange montes, et fumigabunt.* Quod potest sic per *infinitivum* dividi simili modo, ut praedictum est; ut si dicatur: eximius Prophetarum eximia petit sibi dari, videlicet sublimem humiliari: *Domine, inclina caelos tuos;* Dominum incarnari: *descende;* et rebellem reconciliari: *tange montes, et fumigabunt.* Exemplum.

Haec autem divisio et quaelibet praemissarum in executione processus apertius apparerent, sed solum ad ponenda generis diversi exempla pervigilat speculatio praesens.

Et idem ostenditur, si ponatur illud Psalmi [14]: *Esto mihi in Deum protectorem et in locum refugii.* Dividitur quippe sic eodem modo: in periculo positus duo petit: defensari, ibi: *esto mihi in Deum protectorem;* et gubernari, ibi: *et in locum refugii.* Defensari petit ad evadendum, gubernari vero ad confugiendum. Primum fit per protectoris auxilium; secundum, per Salvatoris patrocinium. Exemplum.

Ecce, quomodo per has claves divisionis praemissae sufficientia innuitur, et eiusdem intelligentia reseratur et quasi clanditur, secundum quod *claves* merito nuncupantur.

14. Potest autem hic modus, qui fit per *verba,* non solum in *activa,* sed et *passiva* voce, in *persona* et *numero* variari, et divisio inveniri, sicut nostrum patefaciet exemplum. Notandum.

Ponatur illud Ieremiae primo [15]: *Priusquam te formarem in utero, novi te; et antequam exires de vulva, sanctificavi te et Prophetam in gentibus dedi te.* Ubi procedetur hoc modo: in verbo, inquam, isto, ut iste ostendit, eligitur, ibi: *Priusquam te formarem in utero, novi te;* acceptatur, ibi: *et antequam exires de vulva, sanctificavi te;* et honoratur, ibi: *et Prophetam in gentibus dedi te.* Eligitur in praedestinatione, acceptatur vel adoptatur in sanctificatione, honoratur in praedicatione. Exemplum.

Nec credendum, quod hoc modo tantum possit hoc verbum dividi. Plures procul dubio divisiones in hoc verbo doctor inveniet et meliores quidem, quas mea ignorantia non attingit. Posset enim et hoc verbum aliter dividi, ut dicatur: beneficium hic exprimitur quoad electionis suae primordium: *Priusquam te formarem in utero, novi te;* quoad sanctitatis privilegium: *et antequam exires de vulva, sanctificavi te;* et quoad praedicationis officium: *et Prophetam in gentibus dedi te.* In electione ostenditur Dei scientia admirabilis, in sanctificatione eius bonitas commendabilis, sed in praedicatione eius doctrina redditur venerabilis. Alii modi.

15. Praeterea sciendum, quod divisio, cum fit per *verba,* potest fieri in secunda persona; verbi gratia, sumatur Divisio per verba.

---

[1] Cap. 8, 25.
[2] Cfr. supra n. 4. in fine.
[3] Vers. 1. seq.
[4] Ita A; ed. *servus.*
[5] Vers. 4.
[6] Vers. 8.
[7] Ex A addidimus *more pontificis.*
[8] Vers. 12.
[9] In positione verborum secuti sumus A.
[10] Ed. perperam *personam,* et deinde *scilicet quod* pro *quomodo.*
[11] Ed. hic praemittit: *Ita etiam faciendum in aliis.*
[12] Num. 22
[13] Psalm. 143, 5.
[14] Psalm. 70, 3.
[15] Vers. 5. — Ed. male *Potest enim* pro *Ponatur.*

illud Danielis quarto [1]: *Magnificatus es et invaluisti, et magnitudo tua crevit et pervenit usque ad caelos, et potestas tua usque ad terminos universae terrae.* Potest autem divisionem suam quis exponendo dirigere ad secundam personam sic: O Christe, quia carnem sumsisti, ibi: *magnificatus es;* de lacu nos eduxisti, ibi: *invaluisti;* super caelos ascendisti, ibi: *magnitudo tua crevit et pervenit usque ad caelos;* Apostolos et nos illuminasti, ibi: *et potestas tua usque ad terminos universae terrae. Magnificatus es* ergo in incarnatione; *invaluisti* in passione; *magnitudo tua crevit usque ad caelos* in ascensione; *et potestas tua usque ad terminos universae terrae* in Spiritus sancti missione. Quid igitur per hos *terminos universae terrae* nisi Apostoli designantur, qui ut potestatem ostenderent, *in omnem terram exivit sonus eorum* [2]?

Ecce, modus affectuosus est iste, per quem thema exponitur, dum dividitur. — Et nomina numerabilia excludunt, scilicet primum, secundum, tertium et quartum, quorum superfluitas sollicite vitanda est in sermone; maxime, cum raro posita inveniantur a Sanctis et magis lectioni congruant quam sermoni. Notandum.

Poterit autem praedictus modus esse plerumque communis, si quis eum ad plura sciverit ampliare. Notandum.

16. Praeter praemissum est alius modus dividendi, scilicet per *casualia*, ut tactum est supra [3]. Quod quidem variatur multipliciter, per rectos casus scilicet et obliquos, sicut inferius ordo patefaciet exemplorum. Divisio per casualia.

In primis ponatur illud Osee sexto [4]: *Quasi diluculum praeparatus est egressus eius, et veniet quasi imber nobis temporancus et serotinus terrae.* Tria notantur in verbis: venientis opportunitas: *Quasi diluculum;* accedentis dignitas: *praeparatus est egressus eius;* et ipsius advenientis utilitas: *et veniet quasi imber* etc. Posset autem variari sic in eodem verbo, ut dicatur: opportunitas veniendi, dignitas accedendi et utilitas adveniendi. Exemplum primum.

Sic et in Matthaei vigesimo primo [5]: *Dicite filiae Sion: Ecce, rex tuus venit tibi mansuetus.* Hic notantur quinque circa Salvatoris adventum: necessitas potentis: *Dicite filiae Sion;* propinquitas venientis: *ecce;* sublimitas accedentis: *rex tuus;* utilitas advenientis: *venit tibi;* et humilitas descendentis: *mansuetus.* Secundum.

Haec autem divisio variatur, sicut subiectum monstrat exemplum. Ponatur illud Ecclesiastici trigesimo octavo [6]: *Honora medicum propter necessitatem; etenim illum creavit Altissimus.* In verbo isto salutis auctor saluti provident conservandae, ne quis, suae innitens prudentiae, consilium non requirat, et artis medicinae ignarus, recidivum incurrat, *et fiant novissima hominis illius peiora prioribus* [7]; quia peccator, *cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Ecce, in verbis istis expressus est praedicti [8] thematis sensus, quod est in omnibus sollicite observandum. Deinde procedatur ad dividendum sic: in verbis praemissis ad commendationem medici spiritualis tria propounntur: primum ipsius dignitas, et ideo est honorandus: *Honora medicum;* secundum est nostra necessitas, et ideo requirendus: *propter necessitatem;* tertium est eiusdem auctoritas, et ideo fide dignus: *etenim illum creavit Altissimus.* Est autem modus iste communis et pulcher. Tertium.

Eligat ergo unusquisque quod vult, et studiosum se magis quam malevolum probet.

17. Potest igitur tam in isto quam in singulis verbalibus in diversis obliquis divisio variari; sicut ex parte supra ostendimus. Primo ad hoc ponatur illud Ecclesiastici decimo [9]: *Quid superbis, terra et cinis?* Et dicatur sic: in isto verbo, scilicet *terra et cinis*, nostra fragilis conditio memoratur; ubi tria notantur, scilicet humanae conditio vilitatis: *terra;* eiusdem consideratio fragilitatis: *cinis;* et tertium, quod ex duobus inclusum elicitur, actus humilitatis: *quid superbis?* Notandum. Exemplum primum.

Item ponatur illud Matthaei undecimo [10]: *Tu es, qui venturus est, an alium exspectamus?* Dicam ita dividendo per *dativum*: duo facit beatus Ioannes: obsequitur veritati: *Tu es* etc.; et consulit infirmitati: *an alium* etc. Secundum.

Similiter in *accusativo* ponatur illud Malachiae tertio [11]: *Ecce, mitto Angelum meum, qui praeparabit viam ante faciem meam.* Potest sic dici: hic tria notantur: primum pertinet ad mittentis auctoritatem: *Ecce, mitto;* secundum ad legati sanctitatem: *Angelum meum;* tertium ad officii dignitatem: *qui praeparabit viam ante faciem meam.* Tertium.

18. Similiter est in aliis variandum propositum thema, sicut placuerit praedicanti, in singulis *verbalibus* seu *participiis* vel in omnibus *gerundiis*, sicut etiam in aliis nominibus quibuscumque, quemadmodum indicabunt per ordinem exempla subscripta. Servatur adhuc divisio in *ablativo* sub eadem forma verbali. Notandum.

Et proponatur illud Apocalypsis vigesimo secundo [12]: *Ecce, venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua;* diceturque sic: in verbo praedicto proponitur Mediatoris adventus sub triplici ratione, scilicet sub exhibendi propinquitate: *Ecce, venio cito;* sub largiendi facultate: *et merces mea mecum est;* et sub retribuendi aequitate: *reddere unicuique secundum opera sua;* ut ex propinquitate sollicitet nos ad praeparandum, ex facultate sollicitet ad diligendum et ex aequitate instituae terreat ad praecavendum. Exemplum primum.

Nunc diversificanda sunt exempla secundum verbale *alterius formae*, sicut factum est in praemisso exemplo. Ponatur illud Isaiae nono [13]: *Puer natus est nobis, et Filius datus est nobis.* Dicetur sic: hic, desperatione fugata, datur nobis certa ratio respirandi propter duo, quae hic notantur, scilicet timoris evacuatio: *Puer natus est nobis;* et spei collatio: *et Filius datus est nobis.* Timor erat de poena intuitu iustitiae, et desperatio veniae ex consideratione culpae. Ne timeatur sapientiae profunditas, dicitur: *Puer;* ne generis nobilitas, dicitur: *natus;* ne iustitiae inflexibilitas, dicitur: *nobis.* Item, secundo datur certa ratio respirandi exspectantibus. Primum est beneficii immensitas: *Filius;* secundum est conferentis liberalitas: *datus est;* tertium est suscipientis utilitas: *nobis.* Secundum.

19. Variatur autem per ordinem in *obliquis;* verbi gratia, ponatur illud Lucae vigesimo primo [14]: *Levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra;* sicque dicetur: duo ponuntur hic: primum est eruditionis: *Levate capita vestra;* secundum vero consolationis: *quoniam appropinquat redemptio vestra.* Tertium.

---

[1] Vers. 19.
[2] Psalm. 18, 5.
[3] Num. 10.
[4] Vers. 3.
[5] Vers. 5. Cfr. Isai. 62, 11. et Zach. 9, 9.
[6] Vers. 1.
[7] Luc. 11, 26; sequitur Prov. 18, 3.
[8] Ed. *erit praedicandi* pro *est praedicti.*
[9] Vers. 9.
[10] Vers. 3.
[11] Vers. 1. Cfr. Matth. 11, 10, Marc. 1, 2. et Luc. 7, 27.
[12] Vers. 12.
[13] Vers. 6.
[14] Vers. 28.

Quartum.

Item, proponatur illud Genesis vigesimo quarto [1]: *Ingredere, benedicte Dei, cur foris stas?* Mystice exponendo de beato Benedicto dicetur: hic tria notantur: primum attribuitur compassioni: *cur foris stas?* secundum commendationi: *benedicte Dei;* tertium remunerationi: *Ingredere.* In compassione ostenditur pietas; in commendatione Benedicti dignitas; sed in remuneratione Dei largitas. Compatienda erat in eo laborum angustia, commendanda virtutum gratia, sed et remuneranda institia.

Quiotum.

Ponatur aliud exemplum Iacobi primo [2]: *In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras,* quo Apostolus hortatur nos ad verbi susceptionem: *suscipite;* ponit dispositionem: *in mansuetudine;* et tertio subiungit rationem: *quod potest salvare animas vestras.*

Sextum.

Item, ponatur illud ad Hebraeos nono [3]: *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum,* dicendo sic: hic commendatur sacerdotium Christi a gratiae unctione: *Christus;* a propitiatione: *assistens;* a mediatione: *Pontifex;* et a donorum largitione: *futurorum bonorum.*

Septimum.

Similiter illud ad Ephesios quarto [4]: *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi;* dicetur sic: commendatur hic gratia Christi ab extensione: *unicuique nostrum,* scilicet bonis et malis; a largitione: *data est,* non divendita; et ab ordinatione: *secundum mensuram donationis Christi.*

Alia forma verbalis. Exemplum primum.

20. Ulterius diversificentur exempla in altera forma verbali, et ponatur illud Psalmi [5]: *Speciosus forma prae filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis.* Hic commendatur Christus tripliciter: primo a mirabili pulcritudine: *Speciosus forma;* secundo ab incomparabili magnitudine: *prae filiis hominum;* tertio a gratiae plenitudine: *diffusa est gratia in labiis tuis.*

Secundum.

Vel illud etiam eiusdem Psalmi [6]: *Constitues eos principes super omnem terram, memores erunt nominis tui, Domine, in omni generatione et generationem;* quo commendatur principatus Apostolorum a triplici conditione, scilicet ab auctoritatis altitudine: *Constitues eos principes;* a potestatis latitudine: *super omnem terram;* a perpetuitatis longitudine: *memores erunt nominis tui, Domine, in omni generatione et generationem.* Fuit autem horum principatus altus auctoritate, latus potestate, sed longus perpetuitate. Ita potest et in pluribus aliis divisio variari, sicut praemissum monstrat exemplum.

Alice modus. Exemplum primum.

21. Nunc vero secundum diversa *nomina* sive *participia* vel *gerundia* et secundum diversas *habitudines* eorundem divisio diversificetur [7] exemplis, quibus dividenda dictio quaelibet includatur. Ponatur ergo illud Isaiae sexagesimo tertio [8]: *Circumspexi, et non erat auxiliator; quaesivi, et non fuit qui adiuvaret.* Et dicetur per participium sic: in verbo isto Christus gerit studium inquirentis: *Circumspexi;* affectum patientis: *et non erat auxiliator;* desiderium indigentis: *quaesivi;* modum et animum conquerentis: *et non fuit qui adiuvaret. Circumspicere* competit inquirenti; *auxiliari* [9] expedit patienti; *quaerere* congruit indigenti; sed *dolere* competit conquerenti.

Secundum.

Item, ad illud Matthaei decimo octavo [10]: *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi,* secundum praedictum modum sic dicetur: hic alloquitur Christus servum sub duplici ratione, scilicet increpantis: *Serve nequam;* et improperantis: *omne debitum dimisi tibi.* Increpat in eo nequitiam impietatis et improperat gratiam largitatis. In primo ostenditur servi crudelitas, et in secundo Dei pietas.

Tertium.

Similiter illud Actuum secundo [11]: *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem,* quo tria notantur: largitas dantis: *Effundam;* pretiositas muneris: *de Spiritu meo;* et dispositio recipientis: *super omnem carnem.* Potest autem hoc fieri in eisdem vocabulis per diversos obliquos, sicut ostensum est supra [12].

Quartum.

Amplius ponatur illud Isaiae quadragesimo nono [13]: *Posuit os meum quasi gladium acutum;* ubi tria notantur, scilicet auctoritas dantis: *Posuit;* congruitas susscipientis: *os meum;* et consequens utilitas audientis: *quasi gladium acutum.* Primum, quantum ad initium; secundum, quantum ad progressum; et tertium, quantum ad finem.

Quintum, per modum homiliae.

Item, sumatur illud Lucae secundo [14]: *Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce, pater tuus et ego dolentes quaerebamus te.* Si voluerit quis de toto Evangelio praedicare, dicetur sic, ut supra [15]: in hoc Evangelio proponitur Christus *desiderandus* in parentum requisitione; *admirandus* in sermonum prolatione, et *imitandus* in parendi subiectione. Haec omnia in Evangelio patent.

Aliter.

Iste autem modus communis esse potest, sed magis lectioni competit quam sermoni, et maxime, cum moderni divisionum minutias quaerant et thema in partes secent minutiores. Ideo praedictum verbum potest per se dividi sic: in verbo isto tria sunt attendenda, scilicet forma loquentis, et inveniemus curialitatem: *Fili;* modus compatientis, et inveniemus pietatem: *dolentes;* et opus inquirentis, et inveniemus strenuitatem: *quaerebamus te.*

Sextum.

22. Item, ponatur illud Isaiae sexagesimo [16]: *Venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est,* dicendo sic: in verbo praedicto Propheta ingerit nobis de Mediatoris solemnitate laetitiam. Proponit autem ipsum nobis sub ratione venientis: *Venit;* illuminantis: *lumen tuum;* et remunerantis: *et gloria Domini* etc. Primum, quantum ad initium; secundum, quantum ad progressum; tertium, quantum ad finem.

Septimum.

Item, proponantur simpliciter nomina; et sumatur illud ad Romanos sexto [17]: *Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est;* dicaturque sic: tria ponit hic Apostolus, propter quae sunt fugienda peccata, scilicet utilitatis carentia: *Quem fructum;* evidens erubescentia: *nunc erubescitis;* et aeternae damnationis sequela: *Nam finis illorum mors est.* Propter primum sunt *inutilia,* ideo non expediunt; propter secundum *turpia,* ideo non decent; et propter tertium sunt *nociva,* ideo non licent.

Octavum.

Similiter ponatur illud Ezechielis trigesimo quarto [18]: *Ego pascam oves meas, et ego accubare eas faciam;* et dicetur sic: Dominus hic duo praenuntiat: in praesenti

---

[1] Vers. 31.
[2] Vers. 21.
[3] Vers. 11.
[4] Vers. 7.
[5] Psalm. 44, 3.
[6] Vers. 17. seq.
[7] Quoad A hic deficit ulterior transcriptio usque ad partem II.
[8] Vers. 5.
[9] Verbum hoc sumitur interdum in significatione passiva.
[10] Vers. 32.
[11] Vers. 17.
[12] Num. 16.
[13] Vers. 2.
[14] Vers. 48.
[15] Num. 14.
[16] Vers. 1.
[17] Vers. 21.
[18] Vers. 15.

gratiam: *Pascam oves meas;* et in futuro gloriam: *et accubare eas faciam.*

Item, illud ad Ephesios ultimo [1]: *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.* Reddit hic nos Apostolus sollicitos ad muniendum et cautos ad resistendum. Primo hortatur ad spirituale animae munimentum: *Induite armaturam Dei;* secundo explicat diaboli machinamentum: *ut possitis stare adversus insidias diaboli.* Primum est ad protegendum, secundum ad resistendum. Nonum.

Item, ponatur illud Matthaei quarto [2]: *Venite post me, et faciam, vos fieri piscatores hominum;* et dicetur sic: invitat eos ad perfectionem meriti: *Venite post me;* et praedicit sublimitatem officii: *et faciam, vos fieri piscatores hominum.* Decimum.

Ponatur etiam illud ad Romanos quinto decimo [3]: *Suscipite invicem, sicut et Christus suscepit vos in honorem Dei;* et dicetur sic: hortatur nos his Apostolus ad vinculum caritatis, et primo, *verbo,* id est utili monitione: *Suscipite invicem;* secundo, *exemplo,* id est imitabili perfectione: *sicut et Christus suscepit vos.* Undecimum.

Hic autem modus generalis est in omnibus auctoritatibus habentibus sensum istum, ut est illud Matthaei quinto [4]: *Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est;* et illud ad Ephesios quinto [5]: *Ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos;* et omnia talia. — Quamquam praemissum verbum aliter dividi possit, ut dicatur ut supra: bic hortatur ad vinculum caritatis, et ponuntur hic tria: materia: *Suscipite invicem;* forma: *sicut et Christus;* et finis: *in honorem Dei.* Materia est univoca, forma est mirifica, sed finis est honorificus. Modus generalis. Aliter.

23. Item, est alius modus, propter quem ostendendum ponatur illud Lucae quarto decimo [6]: *Amice, ascende superius;* et dicetur sic: triplex status ostenditur hic, status scilicet viae incipientis: *Amice;* viae proficientis: *ascende;* et viae pervenientis: *superius.* Exemplum primum.

Similiter ad illud Canticorum secundo [7]: *Surge, propera, amica mea, speciosa mea, et veni, columba mea;* dicetur sic: hic in laudem Virginis Mariae loquitur Filius Matri et commendat eam sic: quantum ad initium: *Surge;* profectum: *propera;* et terminum: *et veni.* Quantum ad initium ostendit eam *gratiosam;* quantum ad profectum, *operosam,* et quantum ad terminum, *speciosam.* Dicitur ergo *surgens* in ortu; *amica* propter gratiositatem; *columba properans* propter operositatem; et *speciosa veniens* propter sponsalitatem. Secundum.

24. Item, alius modus est, qui occurrit aliquando propter thematis brevitatem, ubi una pars in ipso dividitur distinguendo, ut patet Matthaei sexto [8]: *Nolite solliciti esse* etc. Unde dicetur secundum hunc modum sic: triplex est sollicitudo: una *praecipitur,* altera *prohibetur* et tertia *indulgetur* [9]. Alius modus. Exemplum primum.

Item, ponatur illud Matthaei secundo [10]: *Intrantes domum invenerunt Puerum cum Maria, Matre eius;* et secundum viam morum dicetur sic: in verbo isto inuitur duplex pars contemplativae. Prima est inquisitiva internae solitudinis: *Intrantes;* secunda est gustativa internae dulcedinis: *invenerunt.* Secundum.

25. Item, alius modus est qnasi scholasticus, sicut patet in hoc exemplo Matthaei vigesimo secundo [11]: *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* Proponit enim ut amicus, et interrogat ut nescius, ut det audaciam respondendi. Et tria facit: arguit ingratitudinem: *Amice;* admiratur praesumtionem: *quomodo huc intrasti?* et causatur negligentiam: *non habens vestem nuptialem.* Alius modus. Exempli primum.

Similiter illud Isaiae trigesimo tertio [12]: *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante?* Tria facit: proponit quaestionem: *Quis de vobis?* assumit poenalem detentionem: *poterit habitare;* et concludit reproborum consumtionem: *cum igne devorante.* Secundum.

Vel illud Lucae quinto [13]: *Surge, tolle lectum tuum et vade in domum tuam;* quo tria notantur: desertio culpae: *Surge;* satisfactio poenitentiae: *tolle lectum tuum;* et profectus iustitiae: *et vade in domum tuam.* Sive rectitudo status per desertionem culpae; fortitudo actus per exsecutionem iustitiae; promptitudo motus per acquisitionem gloriae. Haec autem divisio communis est in multis. Tertium.

Item, ponatur illud Iob trigesimo [14]: *Comparatus sum luto et assimilatus sum favillae et cineri.* Ubi tria de se considerat: ortum fragilem: *Comparatus sum luto;* statum labilem: *assimilatus sum favillae;* et exitum corruptibilem: *et cineri.* Sive sic: *Comparatus et assimilatus* in carnis fragilitate, in status volubilitate et in mortis necessitate. Homo est *lutum* in primordio ortus, *favilla* in medio status et *cinis* in novissimo exitus. Et sic variandum est in aliis. Quartum.

26. Praeterea est alius modus communis et eruditus, qui patet in hoc exemplo. Ponatur illud Lucae secundo [15]: *Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David.* Considerandum hic est: Quis *evangelizat?* quia *Angelus* est hic, ubi dignitas. Quid? quia *gaudium magnum, quod erit omni populo,* ubi communitas. De quo? quia *natus est Salvator, qui est Christus Iesus,* ubi sublimitas. Cui? quia *vobis,* ubi utilitas. Quando? quia *hodie,* ubi certitudinalitas. Ubi? quia *in civitate David,* ubi congruitas denotatur. Alius modus. Exemplum primum.

Item, illud Matthaei secundo [16]: *Ubi est qui natus est Rex Iudaeorum?* In quo verbo ostenduntur Magi studiosi in inquisitione: *Ubi est?* ubi quaerunt diligenter; compendiosi in narratione: *qui natus est,* ubi narrant breviter; et generosi in commendatione: *Rex Iudaeorum,* ubi commendant excellenter. Inquirendo docent *ignorantes;* unde dixerunt Iudaei: *Et tu Bethlehem, terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda; ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israel.* Narrando sollicitant *negligentes;* unde dixerunt: *Sic enim scriptum est per Prophetam.* Et commendando deterrent *malignantes;* et propter hoc dicitur: *Audiens autem Herodes rex turbatus est et omnis Ierosolyma cum illo, et congregans* Secundum.

---

[1] Vers. 11.
[2] Vers. 19.
[3] Vers. 7.
[4] Vers. 48.
[5] Vers. 2.
[6] Vers. 10.
[7] Vers. 13. seq.
[8] Vers. 31.
[9] Bonelli ad calcem dicit: Heic aliquid deesse videtur (?), quod ita supple: Prima praecipitur Iosue 23, 6: *Estote solliciti, ut custodiatis cuncta, quae scripta sunt in volumine legis Moysi,* et Eph. 4, 3: *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Secunda prohibetur hic. Tertia indulgetur 1. Cor. 7, 33: *Qui cum uxore est sollicitus est, quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est.* Idem addit alia ad rem parum pertinentia.
[10] Vers. 11.
[11] Vers. 12.
[12] Vers. 14.
[13] Vers. 24.
[14] Vers. 19.
[15] Vers. 10. seq.
[16] Vers. 2.

omnes principes sacerdotum et scribas populi, sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur. Quaerunt ergo scriptum testimonium: *ubi est?* narrant partus privilegium, scilicet de Virgine: *qui natus est;* commendant in eo dignitatis fastigium: *Rex Iudaeorum.* Quaerunt Scripturae veritatem: *ubi est?* narrant partus novitatem: *qui natus est;* et commendant in eo regiam dignitatem: *Rex Iudaeorum.* — Vel innuitur *studium* diligens requirendi: *ubi est? desiderium* vehemens inveniendi: *qui natus est;* et *affectus* ardens reverendi: *Rex Iudaeorum.*

27. Item, illud Lucae decimo quarto [1]: *Iam parata sunt omnia.* In verbo isto Dominus reddit nos benevolos, ut procuremus intrare ad convivia; quae consueverunt retrahere invitatos [2]; consueverunt enim excusari et retrahi pro *temporis distantia, invitantis negligentia* et *sufficientiae inopia.* Et ideo, ne retrahamur ex distantia temporis, ostendit temporis opportunitatem, ibi: *Iam;* ex negligentia invitantis, subdit apparatus studiositatem, ibi: *parata sunt;* et ne ulterius ex sufficientiae inopia, innuit sufficientiae totalitatem, ibi: *omnia.* Et re vera haec sunt illa quae exiguntur velut necessaria. — Dicas ergo, sicut dictum est: Hinc invitamur a Domino ex *temporis opportunitate* et congruentia. Nam opportunitatem temporis praeterire est negligentiae, anticipare vero praesumptionis est et audaciae; sicut habemus primae ad Corinthios undecimo [3]: *Iam non est dominicam coenam manducare; unusquisque enim suam coenam praesumit ad manducandum; et alius quidem esurit, alius autem ebrius est.* Et ideo eleganter in Scriptura proponitur temporis opportunitas. Proponitur autem multipliciter, quia non solum proponitur *gustui*, ut hic et Lucae ultimo [4]: *Mane nobiscum, Domine, quoniam advesperascit, et inclinata est iam dies;* sed etiam *intellectui* et *affectui* et *effectui. Intellectui* ad illuminationem ex Ioanne [5]: *Iam non dicam vos servos, quia servus nescit, quid faciat Dominus eius; vos autem dixi amicos; quia omnia, quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. Affectui* ad inflammationem, ex eodem Ioanne [6]: *Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. Manete in dilectione mea;* et Psalmus [7]: *Ignitum eloquium tuum vehementer, et servus tuus dilexit illud.* Sed *effectui* ad exercitationem: *Hora est iam nos de somno surgere* [8]. Sic ergo, ne excusemur ex temporis distantia, ponitur eius instantia et opportunitas dicendo: *Iam.* — Sed ne etiam de invitantis negligentia, ideo subditur consequenter *studiositas apparatus*, cum dicit: *parata sunt.* Iste autem apparatus est *dulcissimus gustui*, in quantum est in dulcoris alimentum; Sapientiae sexto decimo [9]: *Paratum panem de caelo praestitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem et omnis saporis suavitatem;* et in Psalmo [10]: *Parasti in dulcedine tua pauperi, Deus. Verissimus intellectui* in veritatis documentum, ex Psalmo [11]: *Illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo. Suavissimus affectui* in suavitatis delectamentum; Psalmus [12]: *Et mandavit nubibus desuper et ianuas caeli aperuit; et pluit illis manna ad manducandum et panem caeli dedit eis; panem Angelorum manducavit homo. Saluberrimus effectui* in salutis praemium [13]: *Tu parasti directiones, iudicium et iustitiam in Iacob tu fecisti.* Alimentum *gustus*, ut sanet; documentum *intellectus*, ut instruat; delectamentum *affectus*, ut demulceat; sed in praemium *effectus*, ut perficiat et quietet. — Sic ergo ostenditur studiositas apparatus cum divisione statuta, et hoc, ne retrahamur ex negligentia invitantis. — Tertio et ultimo totius *sufficientiae copiositas* per praemiorum universitatem [14], cum dicit: *iam parata sunt omnia.* Sed secundum Glossam [15] intelligitur Verbum incarnatum sive Christus homo, qui etiam omnium est Reparator. Ipse enim, sicut dicit Apostolus primae ad Corinthios quinto decimo [16]: *Deus omnia in omnibus;* propterea paratus est a Deo *ante faciem omnium populorum,* Lucae secundo [17], ut sit nobis omnia, sicut probat Apostolus ad Romanos octavo [18]: *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Quasi dicat: immo; quia, ut dicitur in Glossa Augustini [19]: « Donavit superiora ad fruendum, aequalia ad convivendum et inferiora ad dominandum »; sicut etiam dicitur Ioannis decimo tertio [20]: *Sciens Iesus, quia omnia dedit ei Pater in manus.* Nec mirum, quia *omnia tradita sunt* sibi *a Patre* suo, Matthaei undecimo [21].

Tertium.

28. *Adolescens, tibi dico: surge,* Lucae septimo [22]. Hic describit Dominus adolescentem spiritualiter suscitandum a tribus: a *conditione* idonea circumstante naturam, ibi: *Adolescens;* a *vocatione divina* inspirante gratiam: *tibi dico;* a *conversione* plenaria informante animam: *surge.* Unde ad *conditionem* hic exigitur *vocatio* gratiae efficax et *conversio* animae perfecta. Describitur ergo a *conditione.* Attende igitur aetatem adolescentiae tuae et invenies conditiones, quae exiguntur suscitationem animae tuae, quia talis aetas *pronior ad delectationem* respicit carnem; Genesis octavo [23]: *Sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Quia *suavior circa occupationes*, respicit mentem; Ecclesiastes [24]: *Laetare ergo, iuvenis, in adolescentia tua, et in bono sit cor tuum in diebus iuventutis tuae* etc. Quia *fortior ad operationes*, respicit vires; primi Machabaeorum tertio decimo [25] de Simone: *Vos scitis, quanta ego et fratres mei et domus patris mei fecimus* etc., scilicet ab ipsa adolescentia. Quia *aptior ad assuefactiones*, respicit mores; Proverbiorum vigesimo secundo [26]: *Proverbium est: Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea;* et Ieremiae secundo [27]: *Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam et caritatem desponsationis tuae, quando secuta es me in deserto, in terra, quae non seminatur.* Propter has conditiones exigitur, ut temperet *pronitatem carnis*; Ecclesiastes [28]: *Amove malitiam a carne tua; adolescentia enim et voluptas vana sunt;* et Ecclesiastici quadragesimo secundo [29]: *Filia patris abscondita*

Quartum.

---

[1] Vers. 17.
[2] Ita ed.; sed deest aliquid ante *quae*, ut *et evitare* sive *declinare.*
[3] Vers. 20. seq.
[4] Cap. 24, 29.
[5] Cap. 15, 15.
[6] Cap. 15, 3. et 9.
[7] Psalm. 118, 140.
[8] Rom. 13, 11.
[9] Vers. 20.
[10] Psalm. 67, 11.
[11] Psalm. 131, 17.
[12] Psalm. 77, 23. seqq.
[13] Psalm. 98, 4.
[14] Bonelli bene citat Bonav., Comment. in Lucam, c. 14, v. 17. n. 39: Et quia nihil tantum excitat desiderium, ut veniat ad Deum, quantum consideratio illorum praemiorum; ideo subdit: Quia iam parata etc.
[15] *Ordinariam* in Luc. 14, 17. et in Math. 22, 8.
[16] Vers. 28.
[17] Vers. 31.
[18] Vers. 32.
[19] *Ordinaria* in Rom. 8, 32.
[20] Vers. 3.
[21] Vers. 27.
[22] Vers. 14.
[23] Vers. 21.
[24] Cap. 11, 9.
[25] Vers. 3.
[26] Vers. 6.
[27] Vers. 2.
[28] Cap. 11, 10.
[29] Vers. 9.

est vigilia, id est causa vigiliae, *et sollicitudo eius auferet somnum, ne forte in adolescentia sua adultera efficiatur et cum viro commorata odibilis fiat. Vanitatem* amputet *mentis;* Psalmus [1]: *In ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus Israel, ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessu. Fortitudinem* exerceat *virium;* ex primae Ioannis secundo [2]: *Scribo vobis, adolescentes, quoniam vicistis malignum.* « Nos quasi senes levioris pugnae cursum recipimus, te autem quasi iuvenem manet gloriosior de tyranno triumphus [3] ». *Aptitudinem* habilitet *morum;* Threnorum tertio [4]: *Bonum est viro, cum portaverit iugum ab adolescentia sua.* Secus Ieremiae quadragesimo octavo [5]: *Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua, et requievit in faecibus suis.*

Propter haec quatuor tibi dico: *praeceptorie* in Scripturis, Lucae quarto decimo [6]: *Homo quidam fecit coenam magnam et vocavit multos* etc. *Persuasorie* in creaturis, Iob duodecimo [7]: *Interroga iumenta, et docebunt te, et volatilia caeli, et indicabunt tibi. Excitatorie* in mente, Apocalypsis tertio [8]: *Angelo Laodiciae Ecclesiae scribe: Haec dicit: Amen, testis fidelis et verus, qui est principium creaturae Dei. Ecce, sto ad ostium et pulso: si quis audierit vocem meam et aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum et coenabo cum illo et ipse mecum.* Et *prophetice* in morte, Lucae tertio decimo [9]: *Ecce, anni tres sunt, ex quo venio, quaerens fructum in ficulnea hac et non invenio; succide ergo illam, ut quid etiam terram occupat?* Et Apocalypsis tertio [10]: *In mente habe, qualiter acceperis et audieris, et serva et poenitentiam age. Si ergo non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, et nescies, qua hora veniam ad te.*

Dicam etiam tibi quatuor *modos.* Surge *velociter,* ne delecteris in carne, ad Romanos tertio decimo [11]: *Hora est, iam nos de somno surgere* etc. *Viriliter,* ne occuperis in mente, Marci secundo [12]: *Surge, tolle grabatum tuum et vade in domum tuam. Fortiter,* ut exercearis in viribus, primi Machabaeorum tertio [13]: *Surrexit Iudas* etc., *et induit se loricam sicut gigas, et succinxit se arma bellica sua in proeliis et protegebat castra gladio suo. Similis factus est leoni in operibus suis* etc.; et Lucae primo [14]: *Exsurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum festinatione.* Et *sagaciter,* ut habiliteris in moribus, Canticorum tertio [15]: *Surgam et circuibo civitatem, per vicos et plateas quaeram quem diligit anima mea.*

Pars secunda [16].

29. De arte *distinguendi* secundo dicendum est, quaDe arte distinguendi. liter circa distinctiones se debeat habere [17] cura et diligentia praedicantis; circa quas, ut dictum est supra [16], brevitas est attendenda. De hac breviter est dicendum, eo quod infra diffusius dicetur in ultima parte huius tractatus. In
Regula 4. primis circa hoc sciendum est diligenter, quod distinctiones, quae sunt in themate iam diviso, super thema fundentur, nec fiat digressio ab eodem; ne, dum radice carent, careant pariter et fructu. — Illud etiam sciendum circa distinctiones, quod oppositio fiat in membris et diversitas, ut unumquodque membrum suum sensum habeat. — Attendendum etiam, quod membrum distinctionis verbis, quibus potest panciloribus fiat; verbis, inquam, usitatis, ab intellectu non dissonis, sed rei, de qua loquitur, consonis; ne, si verba de novo fingantur, ridiculum fiat. — Nec illud etiam ignorandum est, ut videlicet distinctio quaelibet ordinetur et decoretur et reddatur sufficiens, et ratio assignetur, sicut in diversis congruit bono modo. Et hoc fiat arte clavium, ordine et decore, sicut in diversis exemplis ostensum est supra. — Cavendum denique a distinctione nimia membrorum propter confusionem et oblivionem, quae est memoriae inimica, ne ex hoc fiat taedium audienti; quanto enim distinctio simplicior est, id est per membra pauciora, tanto melior etc.

Regula. Regula. Regula. Regula.

Pars tertia [18].

30. Duabus igitur partibus expeditis, postremo, qua- De modo latandi liter in *dilatando* et procedendo studium esse debeat praedicantis, est dicendum. Circa quod, ut supra dictum [20], sum- Regula mopere *utilitas* est attendenda, sicut docet Augustinus in quarto libro de Doctrina christiana [21]: « Cum quis aliquid persuadere conatur, non debet statim ostendere veritatem, sed prius studeat, ut intentum et docilem atque benevolum faciat auditorem, cavens, ne forte sic narret, ut audire taedeat et intelligere non possit; postremo, ne praedicando libenter terreat, contristet, exhilaret, exhortetur ». Prudens enim respicit, quibus debeatur affectus, quibus reverentia, quibus timor, quibus consolatio, quibus admonitio, quibus exhortatio, quibus disciplina, quibus obiurgatio, quibus supplicium.

31. Cavenda sunt in sermone nimis ornata eloquia Regula vel eloquentia. Nam « qui affluit eloquentia insipienti tanto magis cavendus est, quanto magis ab eo in his quae audire inutile est, delectatur auditor [22] ». « Quae enim eloquenter dicuntur suaviter audiuntur, quae autem sapienter dicuntur salubriter audiuntur. Propter quod dicitur Sapientiae sexto: *Multitudo sapientium,* non eloquentium, *est sanitas orbis terrarum* ». « Nec curandum est, quanta quis doceat eloquentia, sed quanta evidentia ». « Quid enim prodest elocutionis integritas, quam intellectus non sequitur audientis ». Unde Hieronymus [23]: Necessaria est illa oratio, quae rem explicet, sensum edisserat, obscura manifestet, nec verborum compositione frondescat, quia melius est vera rustice, quam diserte falsa proferre. « Bonorum enim ingeniorum est in verbis verum amare, non verba. Quid enim prodest clavis aurea, si aperire non potest quod volumus, aut quid obest, si lignea sit, cum non quaeram aperire, nisi quod clausum est [24] ». « Et sicut delectatur, si suaviter loquaris,

---

[1] Psalm. 67, 27. seq.
[2] Vers. 13.
[3] Cfr. Breviarium, Festum S. Laurentii Respons. Lect. 5.
[4] Vers. 27.
[5] Vers. 11.
[6] Vers. 16. et 20.
[7] Vers. 7.
[8] Vers. 14.
[9] Vers. 7.
[10] Vers. 3.
[11] Vers. 11.
[12] Vers. 11.
[13] Vers. 1. 3. seq.
[14] Vers. 39.
[15] Vers. 2.
[16] Hanc partem aliquatenus correximus fide codd. A D.
[17] Ed. *habent* pro *debeat habere;* omittit *et diligentia,* et ponit *requirenda* pro *attendenda* contra A B.
[18] In proœmio.
[19] Pro hac parte usi sumus codd. A B C D F G, quorum tamen nullus bonum et *integrum* textum habet, omnesque scatent vitiis et plerique confusis lacunis, varietate lectionum ac continuis transpositionibus rerum et verborum, praesertim a n. 32. usque in finem, ut ea ad calcem notare et inutile et fere impossibile fuerit. Meliore quo potuimus modo textum composuimus.
[20] In proœmio.
[21] Cap. 2, n. 3.
[22] Ibid. c. 5. n. 7; dein. n. 8, ubi citatur Sap. 6, 26. Sequitur c. 9. n. 23. et c. 10. n. 24.
[23] Cfr. in Osee, c. 10, 13. et Epist. 52. (alias 2.) n. 8.
[24] August., loc. cit. c. 11. n. 26, et dein c. 12. n. 27.

ita flectitur, si amet auditor quod polliceris, timeat quod minaris, oderit quod arguis ».

32. Illud etiam in sermone cavendum est, ne unum et idem saepius repetatur, ne vertatur in fastidium audientium. — Item est attendendum, ut in exordio *lenis* sit sermo et usitata verborum consuetudo, ut non operta oratio esse videatur. Quid enim insanius quam clamor in exordio? Conservat enim vocem congrua clamoris remissio et audientium animos loquentis suavitas delectat; haud exhilarare facit clamore. — Item, « in ipso sermone praedicator malit placere factis quam verbis, et rebus quam sermonibus, nec aestimet dici melius quod non dicitur verius et levius; nec doctor verbis serviat, sed verba doctori [1] », cum verborum spuma defluat et veritas invalescat. — Item attendendum est secundum Augustinum, « ut non sit prius dictor quam orator ».

Alias regulae.

33. Sequitur de *dilatatione* sermonum. Octo sunt modi dilatandi sermonem. Primus est *ponendo orationem pro nomine*, sicut fit *definiendo*, *describendo*, *interpretando* sive *quocumque modo notificando*. — Verbi gratia: *Iustum deducit* Dominus *per vias rectas* [2] etc.; *definiatur* iustus sic: Iustus est, qui tribuit unicuique quod suum est. Unde notandum, quid debeat homo Deo, quid proximo, quid sibi.

Octo modi dilatandi.

Primus modus.

Fit definiendo.

Cum autem *describitur* aliquid, quod oppositum habet, convenienter potest se transferre praedicator ad eius oppositum, quoniam definitio unius oppositorum valet ad definitionem sumendam alterius. Posito ergo supradicto themate, et iustitia definita, convenienter potest se transferre praedicator ad alias species virtutis, ut scilicet ostendat, qualiter *prudentia* est in discernendo bona a malis et bona etiam a bonis, et magis bona a magis bonis, similiter magis mala a minus malis. Est enim *prudentia* bonarum rerum et malarum discretio. *Fortitudo* est in sustinenda adversa propter dilectionem; est igitur fortitudo malorum susceptio et eorum perpessio. *Continentia* sive *temperantia* est in coercendo motus carnis; est enim temperantia contra motus libidinosos firma dominatio. Consistit igitur prudentia in *discernendo*, fortitudo in *sufferendo*, temperantia in *motus illicitos coercendo*, iustitia vero in *unicuique quod suum est tribuendo*. — Ecce, qualiter ponendo orationem pro nomine facta est dilatatio, non solum notificando quod ponitur in themate, sed etiam alia notificando propter ipsum. — Non est autem conandum a praedicatore definitionem omnium vel descriptionem sumere indifferenter, sed maxime virtutum et vitiorum et specierum utriusque, donorum Spiritus sancti, religionis et contemplationis, liberi arbitrii et huiusmodi, quibus frequenter utitur theologia.

Describendo.

Notandum.

34. Cum autem per *interpretationem* volumus dilatare, respiciendum est ad diversas interpretationes, et hoc vel secundum Hieronymum vel secundum Isidorum et alios [3]; freqnenter enim valet una, ubi non valet altera; respiciendum igitur est ad diversas, et sumendum quod magis competit proposito. Sunt autem interpretationes fere omnium *propriorum* nominum, sed quod de uno dicitur debet ad plures extendi, et quod de uno verum erat *litteraliter* ad plures se extendit *moraliter*. Unde Gregorius [4], exponens illud, quod Iacob, qui interpretatur *luctator*, vel *supplantator*, luctatus est cum Angelo [5], docet, quod omnis fidelis supplantare debet vitia et luctari cum diabolo contemplando. Sic igitur per singularem luctam iam intelligere debemus generaliem luctam fidelis animae. Unde patet, quod *proprium* debet fieri *generale* et e converso; verbi gratia, Iudicum quinto [6]: *Qui propria voluntate obtulistis vos discrimini, benedicite Domino*; sed si hoc conveniat omnibus pro Christo voluntarie certantibus, maxime tamen claustralibus abrenuntiantibus propriae voluntati. Sic ergo *universale* potest applicari *speciali* et e converso.

Interpretando.

35. Iuxta hunc modum dilatandi, scilicet per notificationes, maxime cavenda est obscuritas definitionis, descriptionis et huiusmodi. Si autem definitio non habetur ab auctoritate, multoties sumendo et aggravando differentias conandum est ipsam facere, quousque coaequetur rei describendae, sicut docet tam Aristoteles [7] quam Boethius.

Regula.

36. Secundus modus dilatandi est *dividendo*; sicut dicit Porphyrius [8], « necesse est, dividentem per multitudinem ire ». Secundum hunc modum solebant maxime antiqui sermones suos extendere, scilicet per divisiones. Verumtamen non omni divisione utendum est in praedicatione. Quid enim pertinet ad laicos aliquius *nominis* multiplicitatem cognoscere? Divisione igitur, quae est *vocis* in significationes, non est utendum hic; sed utendum est propter solvendas varias contrarietates et in disputationibus propter solvendos paralogismos, quoniam, sicut habetur in *Topicis* [9], « scire, quot modis dicitur aliquid, utile est ad paralogizare et non paralogizare ». Divisionibus aliis, scilicet generis in species, vel superioris in inferiora, vel totius in partes integrales, possumus uti in praedicatione. — Cavendum est autem a nimia membrorum multitudine. Nam divisio, quanto simplicior, id est per pauciora membra, tanto melior, sicut vult Boethius [10]. — Facta autem per duo vel tria membra divisione, convenienter fieri possunt *subdivisiones*, et hoc secundum modum, quo prius, vel secundum alium; et sic potest extendi sermo, verbi gratia, si fuerit thema: *Probata virtus corripit insipientes* [11], procedatur sic: virtutum quaedam sunt theologicae, quaedam politicae vel cardinales. Theologicae sunt, quibus *immediate* movemur in Deum, ut fides, spes, caritas; fide credimus in Deum, spe speramus in Deum, caritate diligimus Deum; politicae sive cardinales sunt iustitia, fortitudo, temperantia et prudentia, quarum motus sunt in Deum *mediate*; verbi gratia, iustitia est virtus unicuique tribuens quod suum est propter Deum, et sic de aliis. — Facta autem divisione, statim *notificanda* sunt membra, et hoc exemplificando, vel definiendo, vel notificando, ut dicit Boethius de Divisione [12]; et sic primus modus iuvabit secundum. — Item, facta divisione, conveniens est de unoquoque membro auctoritatem afferre, ne dividens videatur membra finxisse.

Secundus modus dilatandi.

Regula 4.

Regula 2.

Regula 3.

Subdivisiones.

Exemplum.

Regula 4.

---

[1] August., loc. cit. c. 28, n. 61. Seq. locus ibid. c. 15. n. 32. — Quae praecedunt sub n. 30-32. sumta sunt ex cod. A cum variantibus cod. D; quae autem sequuntur, ex cod. G, qui inter alios habet textum multo diffusiorem. Fide tamen praecipue codicum A B F multa, sed non omnia vitia illius corrigere potuimus et aliqua pauca supplere.

[2] Sap. 10, 10.

[3] Hieron., Liber de Nominibus Hebraicis; Isidor., Etymol. lib. VII. c. 6; Origenes et Beda, passim in Comment. Scripturae.

[4] In Ezech. lib. II. homil. 2. n. 12. seq. De interpretatione nominis Iacob vide eundem, II. Moral. c. 35. n. 57.

[5] Gen. 32, 24. [6] Vers. 9.

[7] Libr. VI. Topic.; Boeth., Libr. de Definitione.

[8] Libr. Praedicab. de Specie, c. 3.

[9] Aristot., I. Topic. c. 14. (alias 16.).

[10] Loco nota 12. cit.

[11] Sap. 1, 3.

[12] Migne, Patrolog. Lat. tom. 64. col. 885.

Tertius modus dilatandi fit triplicitèr.

37. Tertius modus dilatandi est *ratiocinando* sive argumentando, et potest iste modus variari secundum omnes modos argumentandi, scilicet syllogizando, inducendo, exemplificando, enthymematizando. Inter omnes autem modos ratiocinandi in praedicatione tres mihi videntur praecipui,

Primo.

quibus praedicator magis debet uti: *unus* est de duobus contrariis vicissim ratiocinando, unum approbando et alterum reprobando quasi in demonstrativo genere causae;

Exemplum.

verbi gratia, si praedicator intendit probare, continentiam esse tenendam, transferat se ad luxuriam, ostendens eam reprobandam, et hoc multis rationibus: quia perdit *corpus*, perdit *animam*, perdit *possessiones*, perdit *famam;* e contrario facit continentia: ergo continentia est tenenda.

Secundo.

38. Item, *alius* modus ratiocinandi est per *latentia enthymemata*, et hoc postulando iudicium ab ipsis audien-

Exemplum.

tibus; verbi gratia, nonne stultus esset homo, qui propriis manibus laqueum faceret, per quem ab inimico suspenderetur? Ita peccator stultissimus est, qui propriis manibus facit peccatum, quod est laqueus ad ipsum suspendendum, sive funis ad ipsum ligandum; unde Proverbiorum quinto [1]: *Funibus peccatorum suorum* unusquisque *constringitur*; et in Psalmo: *Funes peccatorum circumplexi sunt me*. Sumtus est autem iste modus de secundo libro Regum [2], ubi latenter Nathan a David quaesivit iudicium, quid scilicet faciendum esset de illo qui plurimas oves haberet, si non habenti nisi unam illam unicam auferret. Hoc etiam modo usus est Dominus in Evangelio [3], in parabola, quando postulavit a Iudaeis iudicium de agricolis, qui, cum prius occidissent servos, postea occiderunt filium regis. Hunc modum commendat Gregorius in Pastorali [4], quoniam per istum modum peccator rubore confunditur et a se ipso latenter iudicatur.

Tertio.

39. *Tertius* modus est ratiocinari per *exempla*, sive per *exemplum;* quod multum valet laicis, qui similitudini-

Exempla.

bus gaudent externis; verbi gratia, Apostoli *per multas tribulationes intraverunt in regnum caelorum* [5], similiter Martyres, Confessores, Virgines: ergo et vos oportet intrare per multas tribulationes. Per *unum* exemplum: sicut Iob per patientiam multum Deo placuit; unde Iacobi quinto [6]: *Sufferentiam Iob audistis et finem Domini vidistis* etc.: ergo et nos patientiam habere oportet. Ad hoc autem, ut iste modo abundemus, conveniens est Dialogum Gregorii, Vitas Patrum et Vitas Sanctorum, quorum festa celebrat Ecclesia, cognoscere, quia, sicut Gregorius [7] dicit, « dum Ecclesia facta Sanctorum commemorat, nostra debilia confirmat ». — Cum ergo praedicator dilatat se ratiocinando, non indifferenter intendat quodcumque praedicat ostendere, sed maxime moralia, ut bonum et malum, et bonum melius eligendum, malum fugiendum.

Regula 4.

40. Oportet autem ratiocinantem multoties uti anasceve [8] seu confutatione, respondendo ad tacitas quaestiones, sive dissolvendo contrarias argumentationes. Est enim « confutatio contrariorum locorum dissolutio »; verbi gratia, positis multis rationibus ad hoc, quod Filius Dei debuerit incarnari, procedatur sic: sed dicet aliquis: nonne per novum hominem et purum potuisset mundus redimi? Sicut enim primus homo peccavit; videtur, quod purus homo illud emendare debuit. — Sed dicendum est, quod maius est *recreare* quam *creare;* cum igitur Creatorem oportuerit esse Deum, multo fortius Recreatorem oportuit, unde per purum hominem non potuit mundus redimi. Ut igitur mundus eundem haberet Creatorem et Recreatorem, decuit Deum incarnari et per ipsum mundum recreari. — Sed caveat sibi ratiocinator oppositionem aut difficultatem movere, maxime coram simplicibus, nisi illam satis plane sciat solvere. — Cavendum est etiam in ratiocinando bonum statum ita commendare, ut minus bonum videatur opprimere; non ita est laudanda vita contemplativa, quasi non possit salvari quis in vita activa; nec specialis paupertas, ac si non possit salvari habens divitias, et sic de aliis. Rationibus multis commendata virginitate, tum quia observat virginitatem tam corporis quam mentis, tum quia virgo angelicam vitam ducit in terris; commendetur a latere status coniugalis, vel poenitentia incontinentis, sicut videmus, quod scyphus fractus multo magis fit pretiosus post reparationem. Similiter Maria Magdalena multis praefertur virginibus, et Paulus, qui prius fuit persecutor, multis praefertur innocentibus. Hac autem cautela utendum est, ne illi qui participes boni sunt, quod praecipue commendamus, ex hoc praesumant, et sic alios despiciant, et ne illi qui tales non sunt, desperent et nimis suum statum contemnant [9]. — Cavendum est in ratiocinando, ne quis, probare volens per bonam argumentationem, utatur paralogismo. — Ne praedicatio videatur esse disputatio, oportet, quod sic fiat, quasi non esset argumentatio, ut scilicet non praemittantur propositiones, et postea inferatur conclusio; sed magis dicatur sic: nam ita est, et hoc multiplici ratione.

Regula 2 exemp.

Regula 3

Regula 4

Quartus modus dilatandi fit tripliciter. Prius.

41. Quartus modus dilatandi est per *auctoritates concordantes*. Variatur autem iste modus tripliciter: *unus* modus est, quando auctoritates varias sententias habentes in aliqua termino conveniunt, per quem omnino definitae non sunt [10]; unde Psalmus [11]: *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum* etc. De hoc viro habetur in Iob: *Accinge sicut vir lumbos tuos;* et alibi: *Beatus vir, qui timet Dominum.*

Secundo.

Alius modus est, quando auctoritates concordant in sententia, quamvis non conveniant in aliquo termino; verbi gratia: *Fides sine operibus mortua est* [12], et in Genesi: *Dixit Rachel ad Iacob: Da mihi liberos; alioquin moriar.* Per *Rachel*, quae interpretatur *videns principium*, significatur fides, qua videmus Deum; per *liberos* intelligimus bona opera in caritate facta; patet igitur, qualiter concordant istae auctoritates; sed quod una dicit *aperte* reliqua dicit *occulte*. — *Tertius* modus est, quando una auctoritas dicit minus plene, alia dicit magis perfecte; verbi gratia: *Sic currite, ut comprehendatis* [13]; quomodo autem sit currendum, determinatur in Psalmo, cum dicitur: *Cucurri in siti;* et alibi: *Sine iniquitate cucurri et direxi;* et alibi: *Viam mandatorum tuorum cucurri.*

Tertio.

[1] Vers. 22. et dein Ps. 118, 61.
[2] Cap. 12, 1. seqq.
[3] Matth. 21, 40.
[4] Part. III. c. 2.
[5] Act. 14, 21.
[6] Vers. 11.
[7] Cfr. Libr. XXXIII. Moral. c. 12. n. 23. et II. Homil. in Evang. homil. 25. n. 40.
[8] Ἀναγκευή, id est rei propositae confutatio (ita Forcellini). — Sequens definitio confutationis est verbotenus in Rhetoricis ad Herennium, lib. I. n. 3. (Ed. Augustae Taurin. an. 1833, pag. 12); cfr. Cicero, lib. I. Rhetoric. c. 42.
[9] Cfr. Gregor., Pastoral. p. III. c. 36.
[10] Lectio ista propter contrarietatem codicum est dubia.
[11] Psalm. 1, 1. et sequitur Iob 38, 3. et 40, 2; dein Ps. 141, 1.
[12] Epist. Iac. 2, 20; dein Gen. 30, 1.
[13] Epist. I. Cor. 9, 24; sequitur Ps. 64, 5; 58, 5. et 118, 32.

— Item: *Petite et accipietis* [1]; qualis autem debet esse petitio, notatur in Apocalypsi, ubi dicitur, quod *viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas* etc.

Quinta modus dilatandi. 42. Quintus modus dilatandi est per ea quae *eiusdem sunt cognitionis* [2], quae scilicet conveniunt in *radice*, licet aliquam diversitatem habeant. Posito igitur superlativo, discurratur ad positivum et comparativum; verbi gratia: *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime* [3]. Bene dicit: *potentissime:* quidam accinguntur gladio *potenter*, ut coniugati; quidam *potentius*, ut continentes; quidam *potentissime*, ut virgines. — Item: *Inebriamini, carissimi* [4]. Quidam enim sunt *cari*, quidam *cariores*, quidam *carissimi*. *Cari* sunt, qui in caritate sunt, etiam imperfecti; *cariores* sunt, qui dura pro Christo sustinere possunt et sustinent, licet cum molestia; *carissimi*, qui rident inter opprobria, sicut ebrius. — Item: *Aufer rubiginem de argento, et egredietur vas purissimum* [5]. Vasa *pura* sunt laici a peccatis mundi; *puriora* clerici divino Officio mancipati; *purissima* sunt praelati, qui prae aliis debent esse mundi et loti [6].

Exempla.

Ad hunc modum pertinet illa dilatatio, quae fit discurrendo per varias [verborum] *compositiones;* verbi gratia, si fuerit thema: *Quaerite faciem eius semper* [7]; ostenditur, qualiter Dominus *quaeritur* et *requiritur* et *inquiritur* et *exquiritur* et tandem feliciter *acquiritur*. *Quaeritur* in baptismo; *requiritur* in poenitentia; *inquiritur* meditando in lege divina; *exquiritur* bene operando; et sic tandem *acquiritur* feliciter.

Specialis modi etenda deo.

Item, si fuerit thema: *Spiritus, ubi vult, spirat* [8], dicatur sic: Ille *Spiritus*, qui, *ubi vult, spirat*, in nobis per gratiam suam *spiret*, ut unusquisque pro peccatis suis *suspiret*, et conscientia ad aeterna gaudia *aspiret*, et sic tandem feliciter *exspiret*, et post mortem in gloria resurrectionis *respiret*.

Sextus modus dilatandi. Exemplum.

43. Sextus modus est exponendo *metaphoras* secundum proprietatem rei ipsas explanando et ad instructionem nostram aptando; verbi gratia: *Iustus germinabit sicut lilium* [9]. *Iustus* recte comparatur *lilio;* lilium est enim *candidum*, similiter iustus per continentiam; lilium est *odoriferum*, similiter iustus per bonam famam [10]; item lilia *crescunt in transitu aquarum*, similiter iusti vel sancti crescunt et proficiunt in transitu tribulationum; legitur in Exodo [11], quod filii Israel, quanto magis opprimebantur, tanto magis crescebant.

Monitum.

44. Ad hoc autem, ut abundemus isto modo, oportet, ut multas rerum proprietates cognoscamus et eas sciamus ad aedificationem animae adaptare; aliter enim non valerent. — Propter hoc philosophi decepti sunt, tantum rei adhaerentes, et Iudaei litterae tantum, quia ad aedificationem reducere noluerunt. Deus enim creaturas fecit propter homines non solum nutriendos, sed etiam instruendos; unde ipse in Evangelio [12]: *Considerate lilia agri, quomodo crescunt;* considerate *ficulneam* et omnes arbores; et Salomon [13]: *Vade, piger, ad formicam;* et Iob: *Interroga iumenta, et respondebunt tibi.* Modum istum tangit David dicens [14]: *Delectasti me in factura tua. Facturam* istam appellat mundum; tunc enim in factura Dei delectamur, quando, in variis creaturis instructi, magis ad diligendum Deum invitamur. Propter hoc dicitur [15]: *Benedicite omnia opera Domini Domino*, id est, sitis materia benedicendi Dominum, quod fit, quando creaturas propter se factas homo appetit (sic) et in ipsis Creatorem benedicit. — Modum istum dilatandi si quis exercere vult, librum utilem habebit, scilicet mundum, cuius omnes partes instruent ipsum et transmittent ad Deum. Uti poteris mundo tanquam *figura;* unde dicit Apostolus [16]: *Praeterit figura huius mundi*, cum tamen ea tanquam *substantia* utantur cupidi. — Iuxta hunc modum dilatandi tentandum est accipere proprietates rei naturales primo modo, vel secundo, scilicet secundum [17] consuetudinem et naturam; vocatur enim consuetudo alia natura.

Notandum.

45. Iuxta hunc modum dilatandi cavendum est cito variare metaphoram; verbi gratia, si fuerit thema: *Ego sum pastor bonus* [18], sufficit, in eodem sermone loqui de Christo per modum *pastoris*, tangendo ea quae pertinent ad pastorem, in quantum pastor bonus, sicut de ovibus, de canla et huiusmodi, de impedientibus et expedientibus, quoniam oppositorum eadem est disciplina. Unde in illo sermone bene potest fieri mentio de lupo et latrone, non in quantum lupus, sed in quantum devorat et *dispergit oves*. In eodem ergo sermone non oportet, ut de Christo tanquam *flente* loquatur, vel aliquid tale, ne fiat digressio et sacrae Scripturae fiat vilificatio. Subito enim a variata metaphora derisores dicunt, quod de trunco facit vitulum, divina vertit ad libitum suum. Propter hoc competens debet fieri proprietatum adaptatio, vel secundum validam similitudinem, non secundum quamcumque tenuem rationem fiat translatio. — Si autem variae res in unitatem veniunt secundum partes universales, vel integrales, discurrere per partes non est digressio, ut si dicatur [19]: *Ego flos campi et lilium convallium;* potest dici: Christus fuit *rosa* in passione, *viola* in resurrectione, *lilium* in incarnatione. Unde in isto sermone de pastore non fiat mentio de *petra*, vel de *flore*, nisi [tale] aliquid occurreret in adducta auctoritate. — Si autem habet res tacta in themate paucas proprietates, aut si multas, tamen ignoras eas, vel si multas notas, tamen non aedificantes; non est mirandum, si transferat se praedicator ad aliam rem, in cuius proprietatibus magis abundet et plus aedificet. Magis enim amanda est animarum aedificatio quam sermonis continuatio.

Nota. Regula 1. Regula 2. Regula 3.

Septimus modus dilatandi. Expositio quadruplex. Allegorica. Tropologica.

46. Septimus modus dilatandi est thema *diversimode exponere*. Sunt autem quatuor modi exponendi: *litteralis, allegoricus, tropologicus* vel moralis, *anagogicus* [20]. — *Allegoricus* est, quando per unum factum intelligitur aliud; *tropologicus* dicitur, quando per unum factum significatur aliquid faciendum, et dicitur a *tropos*, quod est conversio, et *logos*, quod est sermo, quasi sermo conversus, scilicet ad *nos;* ut per hoc, quod David devicit Goliam [21],

---

[1] Ioan. 16, 24; sequitur Apoc. 5, 14.
[2] Supplendum videtur *principalis*.
[3] Psalm. 44, 4. [4] Cant. 5, 1.
[5] Prov. 25, 4.
[6] Haec duo exempla sumta sunt ex B F.
[7] Psalm. 104, 4. [8] Ioan. 3, 8.
[9] Osee 14, 6: *Israel* germinabit sicut lilium; Isai. 27, 6: Florebit et germinabit Israel.
[10] Quae sequuntur in n. 43. habentur in solo G, et in fine pauca in B et F.
[11] Cap. 1, 12.
[12] Cfr. Matth. 6, 28. et Luc. 12, 27; de ficulnea Luc. 21, 29.
[13] Prov. 6, 6; deinde Iob 12, 7; Vulg.: et docebunt te.
[14] Psalm. 91, 5. [15] Dan. 3, 57.
[16] Epist. 1. Cor. 7, 31.
[17] Lectio codicis est dubia, et, ut videtur, corrupta.
[18] Ioan. 10, 11. et infra v. 42.
[19] Cant. 2, 1.
[20] Cfr. Bonav., Breviloq. Prolog. § 4. et praecipue Collat. in Hexaëm. collat. 13. p. 11.
[21] Libr. 1. Reg. 17, 51.

Anagogica. nos debemus vincere diabolum. — *Anagogicus* est, quando per aliud factum in terris sive in Ecclesia militante significatur aliud factum in caelis sive in Ecclesia triumphante; sicut patet in mysteriis de *templo*, per quod figuratur Ecclesia triumphans, sicut per *tabernaculum* militans. Dicitur autem *anagogicus* ab *ana*, quod est sursum, et *goge*, quod est ductio, quasi sursum ductio, id est sursum ducens. Ex his patet, quod per *allegoriam* instruitur *fides*, per *tropologiam* informantur *mores*, per *anagogiam* levamur in altum, superiora vel caelestia contemplantes.

Regula 1. — Non omnes allegoriae sunt de Christo, sed etiam de partibus eiusdem Ecclesiae, de gentilibus, Iudaeis, Apostolis, Martyribus, beata Virgine vel aliis [1]. — Item, ex-

Regula 2. positio *tropologica* quandoque variari potest, et eadem auctoritas tropologice in bonum et in malum converti vel exponi; verbi gratia: *Estote prudentes sicut serpentes* [2] etc., scilicet contra incantatorem, id est *diabolum*, more serpentis aurem *terra* obstruimus, quando nos *esse terram* considera-mus; item, aurem *cauda* claudimus, quando nostra *novissima* [3] cogitantes, tentatori diabolo resistimus. Sed contra *incantatorem*, id est *praedicatorem*, quidam sibi prudentiam assumunt in malum, qui quasi *terra* aurem obstruunt, quando amore terrenorum verbum Dei audire renuunt; *cauda* vero aurem claudunt, quando, in peccatis permanentes, finalem poenitentiam sibi promittunt. Sic exponendo moraliter in bonum et in malum sermo dila-

Notandum. tatur. — Item, contingit diversimode exponi in bonum, ut hoc in auctoritate Apostoli [4]: *Habemus thesaurum in vasis fictilibus*, id est *animas* pretiosas in corporibus fragilibus, vel *virginitatem*, vel *intellectum spiritualem* in corticibus litteralibus.

47. In hoc autem modo dilatandi debet per exposito-

Regula 1. nem pondus verborum et clausularum adverti, ut consideretur sollicite, quare hoc et non illud, quare sic et non aliter dicatur; verbi gratia, dicit Pater ad Filium: *Ego hodie genui te* [5]. Bene dicit: *Ego*, non alius quam Pater genuit; item bene dicit: *genui*, non creavi, non feci, quia Filius a Patre est non factus nec creatus, sed genitus; item bene dicit: *hodie*, non heri, non cras, non in nocte, sed in aeterna claritate, quia apud Deum non *est immutatio nec vicissitudinis obumbratio* [6]; item bene dicit: *te*, non tua, *te* enim genui aeternaliter, sed *tua* feci temporaliter.

48. Item, si auctoritas habet diversas clausulas, clau-

Regula 2. sulae illae ponderandae sunt et alicui numero famoso in theologia conandum est numerum illarum clausularum adaptare. Multa enim conveniunt in theologia secundum numerum *binarium*, quoniam caritas gemina est, duo testamenta, duae stellae, duo ad salutem necessaria, scilicet fides et opera. Similiter multa conveniunt in theologia secundum *ternarium*, ut tres sunt virtutes theologicae, tres status, tres ordines fidelium, tres partes poenitentiae, et sic de aliis, sicut patet alibi. — Fiat igitur adaptatio hoc

Exemplum. modo: *Iniquitatem odio habui et abominatus sum, legem autem tuam dilexi* [7]. Istae tres clausulae respondent tribus operibus poenitentiae: prima, *contritioni*; secunda, *confessioni*, quoniam abominabile provocat ad vomitum; tertia, voluntariae *satisfactioni*; unde bene dicit: *dilexi*, quia *lex* dicitur a ligando, unde patet, quod bene dicitur *invicta satisfactio*; item, prima clausula pertinet ad *incipientes*; secunda, ad *proficientes*; tertia, ad *perfectos*; perfectorum enim est gaudere in tribulatione; similiter de aliis clausulis innumeris.

49. Cum diversae clausulae sunt, multoties est facienda Regula. vis in *ordinatione*; verbi gratia: *Coepit Iesus facere et docere* [8]. Primo ponitur *facere* et subiungitur *docere*, quoniam prius exigitur bona vita quam doctrina in praedicatione. — Sciendum tamen, quod cum multoties convenienS Regula sit verba ponderare, multoties tamen sine pondere oportet transire, vel tropum, vel aliquem alium modum assignare loquendi, ita quod non oportet verbis adhaerere. Verbi gratia, dum dicit Pater ad Filium: *Ex utero ante luciferum genui te* [9]; non multum ponderandum est *ex utero*, cum Pater non habeat uterum; similiter, dum dicitur [10]: *Humiliamini sub potenti manu Dei*, non multum voci *manu* est adhaerendum, cum Pater manus non habeat; similiter cum dicitur: *Domine, ne in furore tuo arguas me* etc.; dicta enim sunt talia impropriе.

50. Octavus modus dilatandi est, qui fit per *causas et* Octavus modus dilatandi. *effectus*, assignando causas necessarias, vel occasionales [11] sive frequentes. Loquens enim de causa irreprehensibiliter potest se transferre ad effectum et e contrario; verbi gratia, si fuerit thema: *Humiliamini sub potenti manu Dei* [12], Exempla. transferre se potest ad *causas* se humiliandi, quae sunt imperfectiones corporis et imperfectiones animae et perfectiones alicuae, sive consideratio aliorum meliorum. Postea assignatur *effectus* humilitatis, quomodo scilicet hominem in suo loco teneat, quomodo facilem ingressum in sacram Scripturam tribuat, quomodo rationes expediat, quomodo exaltationes non exquirat. — Similiter in praedicatione de *luxuria* transferre se potest ad *causas* loquendo de gula, de cohabitatione cum mulieribus, de fatuis aspectibus et ceteris luxuriam nutrientibus; similiter loqui poterit de eius *effectibus*, scilicet quomodo perdat famam, corrumpat corpus et animam.

51. In modo autem isto dilatandi non est conandum Regula. indifferenter causas rerum omnium et effectus sustinere, sed maxime rerum moralium, quas volumus commendare, vel reprobare, scilicet virtutum, vel vitiorum, vel eorum quae faciunt ad meritum, ut iciunium et eleemosyna. Ra- Ratio. tio huius est, quoniam unaquaeque scientia habet cognoscere suas res secundum veritatem usque ad primam originem. Nam, ut dicit Philosophus [13], « tunc scimus, cum causas et principia cognovimus », principia usque ad elementa. Propter hoc, cum lapis, aut lignum, aut aliquid tale non res theologica, sed naturalis sit; nihil pertinet ad theologum considerare causas ligni vel huiusmodi; sed cum vitia et virtutes meritoria et demeritoria sint non res naturales, talium causas, proprietates et effectus considerat moralis philosophia vel theologia. Unde verissime

---

[1] Haec propositio habetur in B F.
[2] Matth. 10, 16. et respicitur Eccli. 12, 13.
[3] Cfr. Eccli. 7, 40.
[4] Epist. II. Cor. 4, 7.
[5] Psalm. 2, 7. — Cod. G post hunc locum verba sine sensu habet: « Unde dicit Gregorius (*Ego?*) discretionem, quia non est alius quam Pater. Pater genuit, ponitur tamen Pater, fit nomen personae, bene convenit personae in Trinitate ».
[6] Iac. 1, 17.
[7] Psalm. 118, 163.
[8] Act. 1, 1.
[9] Psalm. 109, 3.
[10] Epist. I. Petr. 5, 6; sequitur Ps. 6, 2.
[11] Cod. B *rationabiles*. Cod. A de hoc modo nihil habet; B vero tantum paucas lineas.
[12] Epist. I. Petr. 5, 6.
[13] Aristot., I. Poster. c. 2; I. Metaph. c. 4. (alias 3.) et II. text. 13. (I. brevior c. 2.).

habet cognoscere theologia vitia et virtutes non solum secundum effectum, sed etiam secundum principia. Res vero naturales ei sufficit cognoscere secundum proprietates consequentes tantum, ex quibus sumentur aliquae moralitates. Praeterea, sicut grammatica, quae est de voce litterata [1], transfert se ad philosophias in scripto (!), non quia sint de principali proposito, sed quia sunt repraesentativa quorundam, scilicet elementorum, de quibus interdum similiter in theologia; ipsa enim considerat principaliter spiritualia, et propter illa transfert se ad spiritualium *signa;* sicut ad Sacramenta, quae sunt sacrae rei signa, invisibilis gratiae visibilis forma; non solum ad signa talia instituta, sed etiam ad signa alia [2], cuiusmodi sunt naturalia secundum accidentia sua sensibilia. — Ex hoc patet excellentia theologiae super omnes alias facultates; utitur enim theologia tanquam *figuris,* de quibus in aliis scientiis est *intentio principalis.* In theologia res significat rem [3]; unde utitur rebus tanquam *signis,* cum aliae facultates utantur principalibus significatis. Signa vero in quantum *signa* sufficit cognoscere secundum *sensibilia,* non cognoscendo eorum principia, quoniam *signum* est quod se offert sensui, et illud aliud derelinquet intellectui [4]. Sufficit theologo res exteriores cognoscere secundum proprietates consequentes sensibiles, per tales ut sit instructio sensibilis, scilicet laicorum, quibus utilem Deus dedit librum, scilicet visibilem mundum istum. Res vero proprias et spirituales theologia, sicut quaelibet alia scientia, habet cognoscere non solum secundum *proprietates,* sed etiam secundum *causas.* Propter hoc moralium rerum tentandum est cum effectibus et proprietatibus etiam principia [5] assumere, ut sic cognoscantur in veritate; quorum quaedam eligantur, quaedam fugiantur sine deceptione, ut non solum discernatur *lepra* a *lepra,* sed etiam *lepor* a *lepore,* honestas ab honestate, et *lepra* a *lepore.* Non tamen negamus, quin rerum naturalium possint causae assignari, magis autem artificialium; sed maxime causae et effectus assignari debent spiritualium veritatum, scilicet vitiorum et eorum, de quibus est meritum [6].

Excellentia theologiae.

EXPLICIT DOCTRINA SERMOCINANDI.

---

[1] Cfr. Priscian., libr. I. c. 2, n. 4: Littera igitur est nota elementi et velut imago quaedam *vocis litteratae.* Et c. 1. n. 1. distinguuntur quatuor vocis differentiae: *articulata, inarticulata, litterata* (quae scribi potest), *illitterata* (quae scribi non potest). — Verba: *ad philosophias in scripto* videntur esse corrupta.

[2] Cod. G addit *quae dicuntur Sacramenta.*

[3] Scilicet rem superioris ordinis.

[4] Cfr. Augost., l. de Doctrina christian. c. 2. n. 2, et II. c. 1. n. 1. seqq.

[5] Cod. G *principalia.*

[6] Observandum esse videtur, complures ex multis thematum divisionibus in hoc opusculo descriptis a nobis inventas esse in quibusdam sermonibus eiusdem aevi vel secundum partes, vel integres. Exempli gratia illud thema supra n. 27. tractatum: *Iam parata sunt omnia,* fere ad verbum habetur in codice Tudertino n. 182. fol. 267. v.

S. BONAVENTURAE

SERMONES DE TEMPORE

DOMINICA PRIMA ADVENTUS.

Sermo I [1].

His autem fieri incipientibus, respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra, Lucae vigesimo primo [2].

Prothema: *Parvus fons, qui crevit in fluvium et in lucem solemque conversus est.*

Verba secundo proposita scripta sunt in Esther [3], in quibus negotiator sive praedicator sacrae Scripturae sufficienter describitur, qualis esse debeat in *affectu*, quia *humilis;* in *profectu*, quia *utilis;* in *aspectu*, quia *nobilis.* Et idcirco affectus *humilitas* tangitur primitus: *Parvus fons;* profectus *utilitas* notatur, cum subditur: *crevit in fluvium;* et aspectus *nobilitas*, cum dicitur: *in lucem solemque conversus est.* Per primum affectus humilitatis redditur *gratiosus in intentione;* per secundum profectus utilitatis redditur *fructuosus in operatione;* per tertium aspectus nobilitatis redditur *speciosus in conversatione.*

Prothematis divisio.

Cum igitur nostra sit communis intentio circa ipsius sacrae Scripturae indaginem negotiari secundum illam influentiam Spiritus, qua solet in alios se transferre; et ipsius infundentis et influentis Spiritus sancti gratiam primitus invocemus, ut qui super humiles *requiescit* affectioni nostrae tribuat *humilitatem*, qua intentione faciat nos *gratiosos;* et qui in habentibus non *tepescit* operationi nostrae tribuat *utilitatem*, quae nos in operatione faciat *fructuosos;* et tandem, qui virtutum floribus non *marcescit* conversationi nostrae tribuat *honestatem*, quae nos cunctis reddat aspicientibus *speciosos*, ut tandem *humiles* in affectione, *fructuosi* in operatione, *speciosi* in conversatione, circa ipsam sacram Scripturam sive praedicationem taliter nostrum desudet ingenium, quod sit ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, Patris et Filii et Spiritus sancti et gloriosae Virginis Mariae et totius Ecclesiae commodum nostrarumque animarum tam gratiae in praesenti quam gloriae in futuro. Amen.

Eiusdem applicatio.

His autem fieri incipientibus etc. Quoniam in Evangelio hodierno ponuntur praesagia secundi adventus Christi; ideo totum praesens Evangelium refertur ad aspectum et caput levandum ad *signa*, quae *erunt in sole et luna et stellis* [4] et ceteris elementis. Sed quia ex aspectu istorum signorum multi *incircumspecti* ex defectu notitiae, *seducti* errore et *concussi* terrore avertent se a fidei veritate; ideo Dominus ad exhibendam cautelam circumspectionis et ad removendam fallaciam deceptionis atque ad eliminandam inconstantiam timoris in verbo proposito tria facit: nam primo *praedicit futuram tribulationem*, ut instruamur; secundo *excitat ad providam considerationem*, ne seducamur; tertio *promittit omnimodam consolationem*, ne terreamur. Et sic reddit nos *dociles* ex instructione futurae tribulationis; *circumspectos* ex attentione providae considerationis; *benevolos* ex promissione omnimodae consolationis. — Primo ergo *praedicit futuram tribulationem*, ut instruamur, cum dicit: *His autem fieri incipientibus;* secundo *excitat ad providam considerationem*, ne seducamur, cum subdit: *Respicite et levate capita vestra*, id est mentem; quoniam, sicut caput praeeminet ceteris membris corporis, sic mens,

Sermo.

Divisio principalis.

---

[1] Genuini *de Tempore* sermones, qui sunt in ed. Vaticana, ab ea sumti sunt ex editione Basileensi an. 1502, cum qua fere perfecte conveniunt. Cum nomine Bonaventurae hi habentur in codd. C (Florentino) D (Brunopolitano) E (Erlangensi) F (Bambergensi) quasi infinitum numerum lectionum variantium praebentibus. — Primum sermonem F ponit in Dom. II. Adventus, sed E eum omittit. Inspeximus etiam codd. Tudertinos G H valde contractos. Idem exstat etiam in codd. I (Aldovadensi) et L (Monasteriensi). De his et de modo, quo textum correximus, vide supra Prolegomena.

[2] Vers. 28.

[3] Cap. 10, 6. — Hoc prothema et plurima alia quae sequuntur prothemata sumta sunt ex solo cod. Florentino C. — De prothemate cfr. supra pag. 6 col. II.

[4] Luc. 21, 25.

secundum quod hic accipitur pro superiori parte rationis, omnibus viribus animae; tertio *promittit omnimodam consolationem*, ne terreamur, cum subinfert: *Quoniam appropinquat redemptio vestra;* quasi dicat: licet haec signa *initia sint dolorum* [1], non tamen terreamini, quoniam vobis patienter sustinentibus et finaliter perseverantibus appropinquat redemptio, non exterminatio.

Pars 1. I. Quantum ergo ad primum *praedicit futuram tribulationem*, ut instruamur, cum dicit: *His fieri incipientibus.* Hic reddit nos dociles ex instructione seu praedictione futurorum signorum, quae erunt in secundo adventu iudicis. Multa enim signa debent praecurrere, antequam veniet dies iudicii, et hoc est valde per omnia consonum rationi, quoniam, sicut in primo adventu ad demonstrationem *assumtae infirmitatis* contigerunt signa multiplicia — nam *stella perducebat Magos* [2] ad monstrandum natum, *sol obscuratus est* ad demonstrandum passum, *terra mota est, et velum templi* cum lapidibus *scissum est* ad terrorem incutiendum — multo magis signa erunt in secundo adventu ad demonstrationem *collatae potestatis*, ut sic *omnis* creatura non tantum verbis, sed etiam factis *confiteatur* [3], quia Domino Iesu Christo *data est omnis potestas in caelo et in terra*, et *in nomine eius omne genu flectatur caelestium, terrestrium et infernorum.*

Cuiusmodi autem signa erunt tunc in secundo
Signorum tres species. adventu, ex textu sacrae Scripturae potest colligi. Nam discipulis interrogantibus, Matthaei vigesimo quarto [4]: *Quod* est *signum adventus tui et consummationis saeculi?* respondit: *Post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellae cadent de caelo.* Ex intellectu horum verborum et hodierni Evangelii potest colligi, quod tria erunt signa secundum adventum praecedentia, ad quae omnia alia poterunt reduci [5]. Nam primo erunt signa *deceptibilium miraculorum* ad subversionem veritatis fidei; secundo erunt signa *carnalium delectationum* ad refrigerationem incendii caritatis; tertio erunt signa *multiplicium tribulationum* ad evulsionem longanimitatis spei. Signa *carnalium delectationum* intelliguntur per lunaris luminis privationem, signa *deceptibilium miraculorum* intelliguntur per solaris radii obscurationem, signa *multiplicium tribulationum* intelliguntur per stellarum casum et declinationem.

Prima signa *deceptibilium miraculorum* ad sub-
Species 1. versionem *veritatis fidei* intelliguntur per solaris radii obscurationem. Sicut enim radius solis ex oppositione nubis dicitur obscurari, sic radius fidei, obnubilatus per huiusmodi signa in seducto Christiano, non dabit lumen veritatis, quia tunc *surgent pseudochristi et pseudoprophetae et dabunt signa magna, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi*, ut dicitur Matthaei vigesimo quarto [6]. De hoc similiter dicitur secundae ad Thessalonicenses secundo: *Revelabitur ille iniquus, cuius adventus est secundum operationem satanae in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus et in omni seductione iniquitatis.* Dicuntur signa antichristi *mendacia*, non quod non faciat aliqua signa veracia, sed habendo respectum ad finem et intentionem, quia ad hoc faciet, ut mendacium et falsum persuadeat. Nec propter hoc huiusmodi signa, licet videantur fieri in imperceptibili tempore, debent dici *vera miracula*, quia fiunt per transmutationem formarum vi naturae in natura; sed *miracula* debent dici illa quae fiunt supra naturam et facultatem naturae, nulla dispositione et transmutatione praecedente, et ideo attestantur soli divinae potentiae. Natura enim adiuta et consita rebus convenientibus quasi repente prorumpit in effectum [7], sicut patet de generatione ranarum, quas de quibusdam foliis in modico tempore nasci contingit. Unde et daemones maxime faciunt ranas et serpentes et huiusmodi vilia et inutilia, quae de facili producuntur operatione naturae [8]. Unde Deus tunc, sicut etiam modo, condescendet diabolicae potentiae et astutiae, ut patiatur seducere malos iuxta eorum demerita, et etiam deprehendantur a bonis, ut fides simul cum signis habeat locum.

De falsis signis

Notandum

Secundo signa *carnalium delectationum* ad re- Species 2
frigerationem caritatis incendii intelliguntur per lunaris luminis privationem et in sanguinem conversionem, quod fit, quando spiritualis et honestus homo convertitur in sanguinem carnalitatis et privatur lucido exemplo honestatis. Et de hoc potest exponi illud Ecclesiastici quadragesimo tertio [9]: *A luna signum diei festi, luna minuitur in consummatione mensis.* Per *lunam*, quae *minuitur in consummatione mensis*, intelligitur vir fidelis, qui per lasciviam carnalitatis minuitur in consummatione vitae suae; ab isto ergo, qui sic mutatur et minuitur sicut luna, est *signum diei*, iudicii scilicet. Tunc enim adimplebitur illud Sapientiae secundo [10]: *Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo nostrum sit exsors luxuriae nostrae; ubique relinquamus signa laetitiae, quoniam haec est pars nostra.*

Tertio erunt signa *multiplicium tribulationum* Species 3.
ad evulsionem *longanimitatis spei*, quae intelliguntur

---

[1] Matth. 24, 8.

[2] Matth. 2, 1. seqq.; deinde sequitur Luc. 23, 45. et Matth. 27, 51.

[3] Cfr. Phil. 2, 11: *Omnis lingua* confiteatur; sequitur Matth. 28, 18. et Phil. 2, 10.

[4] Vers. 3. et 29.

[5] Verba *secundum adventum praecedentia* etc. sumta sunt ex cod. D.

[6] Vers. 24; sequitur II. Thess. 2, 8-10.

[7] Verba *Natura enim* etc. sumsimus ex codd. D F.

[8] De praecedentibus cfr. tom. II. d. 7. p. II. a. 2. q. 2, praesertim ad 6.

[9] Vers. 7. 8. Vulgata et cod. F: A luna signum diei festi, luminare quod minuitur in consummatione. Mensis secundum nomen etc.

[10] Vers. 8. seq.

per stellarum casum et deiectionem. Tunc enim granum purum, excussa palea inconstantiae et timiditatis per examinationem diversarum afflictionum, summi Regis intrabit in horrea [1], et ventosa cauda draconis trahet paleam inconstantiae et timiditatis in locum damnationis. Et de hoc dicitur Lucae vigesimo primo [2]: *Surget gens contra gentem, et regnum adversus regnum, et terrae motus magni erunt per loca, et pestilentiae et fames terroresque de caelo et signa magna erunt.* Et in hodierno Evangelio dicitur: *Erit pressura gentium prae confusione sonitus maris et fluctuum, arescentibus hominibus prae timore. — Erit pressura gentium*, quia *tunc surget gens contra gentem, et pater filium et filius patrem tradet in mortem, et odio habebuntur omnes* Christum confitentes. *Prae confusione sonitus maris.* Tunc enim, secundum Hieronymum [3], doctorem veracissimum, qui dicit, se legisse in annalibus Hebraeorum, mare exaltabitur quindecim cubitis super excelsos montes et postea prosternetur in imum profundi; et omnia, quae moventur in aquis, levabuntur super aquas; volatilia vero in invicem garrient et non gustabunt nec bibent; animalia similiter congregabuntur de silvis ad campos invicem mugientia et non gustantia nec bibentia; et sic tanta erit confusio sonitus maris, garritus avium et mugitus animalium, ut nesciat homo, quid faciat prae timore signorum et terrae motuum, *arescentibus hominibus prae timore et exspectatione* [4].

ebsta Petri Damiani.

II. Secundo vero notatur *excitatio providae con-* Pars II.
siderationis, ne seducamur, cum subdit: *Respicite et levate capita vestra.* Levate ergo mentem vestram per providam considerationem primo ad *Filii sapientiam*, ne per *fallaciam* deceptibilium miraculorum a *fidei veritate* avertamini; secundo ad *Spiritus sancti clementiam*, ne per *luxuriam* carnalium delectationum a *Christi caritate* separemini; tertio ad *Patris potentiam*, ne per *saevitiam* innumerabilium tribulationum a *spei firmitate* evellamini. Ad primam elevationem pertinet fidei firmitas, ad secundam mentis vel dilectionis unitas et solitudo, ad tertiam spei longanimitas.

Considerationis triplex.

Primo levate mentem vestram ad *Filii sapien-* De considerationis 1.
tiam, ne per fallaciam deceptibilium miraculorum a *fidei veritate* avertamini. Et de hoc dicitur in Psalmo [5]: *Ad te, Domine, levavi animam meam. Deus meus, in te confido, non erubescam, neque irrideant me inimici mei. Etenim universi, qui sustinent te, non confundentur. Confundantur omnes iniqua agentes supervacue* etc. — *Ad te, Domine, levavi animam meam*, per fidem cordis, credendo te Deum et hominem, ad quod non poteram per rationem attingere. *Deus meus, in te confido, non erubescam*, confitendo ore improperium Crucifixi. *Neque irrideant me inimici mei*, per sua malefacta seducendo. *Etenim universi, qui sustinent te, non confundentur*, acquiescendo falsitati. *Confundantur* ergo *omnes* ministri antichristi, *iniqua agentes* et *supervacue*, inducendo alios ad vanitatem falsitatis et mendacii [6]. Sed tu, *Domine*, qui es veritas et sapientia, *vias tuas demonstra mihi*, in praeceptis, *et semitas tuas edoce me* [7], in consiliis.

Secundo levate mentem vestram ad *Spiritus san-* De considerationis 2.
cti clementiam, ne per lasciviam carnalium delectationum a *Christi caritate* separemini. Et de hoc dicitur Threnorum tertio [8]: *Sedebit solitarius et tacebit, quia levabit se supra se.* Tunc verus Christianus *sedebit solitarius*, per exclusionem carnalium delectationum, immundarum affectionum et pravarum cogitationum; *et tacebit*, quando per repressionem fomitis in carne eam voluntarie et sine murmure coget per omnia obedire spiritui. *Et levabit se supra se*, quando, postposita omni creatura, mentali intuitu ascendet ad caelum Trinitatis ei per conformitatem voluntatis inhaerendo, ut iam *quae sursum sunt sapiat, non quae super terram* [9]. De hoc similiter dicitur in figura tertii Esdrae quarto [10]: *Elevavit faciem in Ierusalem, benedixit Regem caeli et dixit: Abs te est victoria* etc. — Per *faciem* notitia fidei intelligitur, sed Ierusalem *visio pacis* interpretatur; unde tunc homo *elevat faciem in Ierusalem*, quando per notitiam fidei elevatur ad videndum tranquillitatem et concordiam pacis in regno animae, carnalibus desideriis suppeditatis. Et quia illa concordia est a Deo — nam *nullus potest esse continens, nisi Deus det* [11] — ideo totum Deo attribuit ei gratiarum actiones referendo, cum subdit: *Benedixit Regem caeli et dixit: Abs te est victoria*, supple: carnalium delectationum. Notandum.

Tertio levate mentem ad *Patris potentiam*, ne De considerationis 3.
per saevitiam multiplicium tribulationum a *firmitate spei* evellamini. Unde in Psalmo [12]: *Laetifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi. Eripe me de inimicis meis, et ab his qui oderunt me, quoniam confortati sunt super me* etc. — *Laetifica animam servi tui, secundum multitudinem*

---

[1] Respicitur Matth. 3, 12. et deinde Apoc. 12, 4.

[2] Vers. 10. seq. Sequitur ibid. v. 25. seq. et Matth. 10, 21. seq.

[3] Potius est apud Petr. Damian., Opusc. 59. De Novissimis et Antichristo c. 4, qui dicit, B. Hieronymum haec referre. Cfr. de his 15 signis Bonav., IV. Sent. dist. 48. dub. 3, ubi in fine dicitur: « Haec utrum ita se habeant, Deus novit ». Cfr. etiam infra sermo IX., qui aliis verbis de eisdem agit, et insuper Comment. in Luc., tom. VII. pag. 535 n. 47, et S. Thom., IV. Sent. dist. 48. q. 1. art. 4. quaestiunc. 1. In F hic diffusius singula recensentur, sed incorrecte et saepe diversa ab eis, quae habentur locis citt.

[4] Luc. 21, 26.

[5] Psalm. 24, 1. seqq.

[6] Ultima sententia addita est ex cod. F.

[7] Psalm. 24, 4.

[8] Vers. 28. Vulgata: *levavit super se.*

[9] Coloss. 3, 2.

[10] Vers. 58. seq. Vulgata: *Elevans faciem* etc.

[11] Sap. 8, 21.

[12] Psalm. 85, 4. Sequitur Ps. 58, 2. et 17, 18.

dolorum [1] et afflictionum infundendo dulcedinem consolationum. *Quoniam ad te, Domine, animam meam levavi*, per spei fiduciam. *Eripe me de inimicis meis fortissimis et ab his qui oderunt me*, inducendo in laqueum mortis aeternae, *quoniam confortati sunt super me*, multiplicando tribulationes et flagella, damna et opprobria.

III. Tertio notatur *promissio omnimodae con-* Pars III. *solationis*, cum dicitur: *Quoniam appropinquat redemptio vestra*. Vere omnimoda consolatio tunc erit perseverantibus et mentem ad Deum per providam Consolatio triplex. considerationem levantibus. Nam triplex appropinquabit consolatio secundum triplicem mentis elevationem, ad quam omnis alia consolatio habet reduci. Et primo in elevantibus mentem ad *Filii sapientiam* purgabitur omnis *error* visione infallibilis veritatis; secundo in elevantibus mentem ad *Spiritus sancti clementiam* desipiet omnis *carnalis amor* fruitione inaestimabilis suavitatis; tertio in elevantibus mentem ad *Patris potentiam* evacuabitur *omnis timor* tentione immobilis firmitatis. Et in ista triplici *dote*, scilicet visionis clarae, fruitionis quietae et tentionis securae, consistit imago gloriae, cui respondet imago gratiae, quae consistit in fide firmâ, caritate non ficta et spe certa in statu isto.

Primo in elevantibus mentem ad *Filii sapien-* Per primam purgabitur error. *tiam* purgabitur omnis *error* visione infallibilis veritatis. Unde dicitur Iob decimo nono [2]: *Scio, quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum et rursum circumdabor pelle mea et in carne mea videbo Deum* Salvatorem *meum. — Scio, quod Redemptor meus vivit*, quasi dicat: licet in passione *vita* fuerit induta morte, tamen in resurrectione, deglutita morte, tota *vita* resurrexit. *Et in novissimo die de terra surrecturus sum et rursum circumdabor pelle mea*, quando *corpus humilitatis meae configuratum fuerit corpori claritatis* [3] Christi. *Et in carne mea videbo Deum* Salvatorem *meum, facie ad faciem* [4]; in quo modo videndi non potest esse error sicut in modo videndi *per speculum in aenigmate*, qui est in vita praesenti; quia tunc sapientia divina proponet Beatis illas rationes aeternas ad contemplandum in se ipso tanquam in *speculo* pulcriformiter, tanquam in *libro* indelebiliter et tanquam in *mensa* delectabiliter. Unde Augustinus de Trinitate [5]; « Veritatem sine ulla difficultate videbimus eaque clarissima et certissima perfruemur, nec aliquid quaeremus mente ratiocinante, sed cernemus contemplante ».

Secundo in elevantibus mentem ad *Spiritus san-* Per secundam desipit carnalis amor. *cti clementium* desipiet omnis *carnalis amor* dulcedine inaestimabilis suavitatis. Et de hoc potest exponi illud primae Petri primo [6]: *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi et incontaminati. — Vana conversatio paternae traditionis* est perseverare lasciviendo in faecibus carnalis voluptatis. Nam merito paternae praevaricationis facti sumus *carnales et venunduti sub peccato* [7]. Sed de ista *vana conversatione* Beati redempti sunt *pretioso sanguine Christi*, eo quod merito eius sanguinis effusionis degustant dulcedinem sapientialis obiectabilitatis, quae tanto ardore desiderii rapit totaliter animam in sui concupiscentiam, ut desipiat omnis caro. Unde licet faciat satietatem, non tamen generat fastidium, immo continuat desiderium. Sed Beati, quia tunc bene et perfecte, exterminato fomite concupiscentiae, erunt intenti solum dulcedini divinae suavitatis, ideo dicuntur similes angelicis spiritibus, *qui non nubent neque nubentur* [8].

Tertio in elevantibus mentem ad *Patris poten-* Per tertiam evacuabitur timor. *tiam* evacuabitur omnis *timor* tentione immobilis firmitatis. Et de hoc dicitur Ieremiae trigesimo primo [9]: *Redemit Dominus Iacob et liberavit eum de manu potentioris, et venient et laudabunt in monte Sion. — Redemit Dominus Iacob*, a servitute legis peccati, *et liberavit eum de manu potentioris*, scilicet diaboli, multipliciter eum affligendo, *et venient*, cum exsultatione, *et laudabunt*, eum continue, *in monte Sion*, id est in loco eminenti caeli empyrei. Sion enim, quae *specula* interpretatur, significat caelum empyreum, in quo ponuntur Beati ad speculandum et contemplandum immobiliter claritatem Deitatis. Unde Augustinus de Civitate Dei [10] dicit: « Quanta erit illa felicitas, ubi nullum erit malum, nullum latebit bonum, vacabitur Dei laudibus, qui erit *omnia in omnibus* »! Tunc adhaerebit vinculo indissolu- Conclusio. bili summo et incommutabili bono. — Rogemus ergo Christum Dominum nostrum, ut sic nos faciat elevare mentem nostram ad Filii sapientiam per *fidei splendorem*, ad Spiritus sancti clementiam per *caritatis ardorem*, ad Patris potentiam per *spei certitudinem*, ut possimus mereri dotem apertae *visionis*,

---

[1] Psalm. 93, 19.
[2] Vers. 25. seq.
[3] Phil. 3, 21.
[4] Epist. I. Cor. 13, 12.
[5] Libr. XV. c. 25. n. 45.
[6] Vers. 18. seq.
[7] Rom. 7, 14.
[8] Matth. 22, 30. — Ed. Vaticana post *ideo dicuntur* non bene addit: quasi *agni immaculati et incontaminati*. Cod. D solet explicationem locorum Scripturae aliter et communiter brevius exhibere; cuius exemplum hoc loco transcribimus. « *Vana* dicitur, quia propter protoplastorum inobedientiam facti sumus vani et miseri, adeo ut carnalibus voluptatibus immergamur. Nam merito *paternae traditionis* venundati sumus sub peccato et omnino carnales effecti; *sed pretioso sanguine quasi agni incontaminati Iesu Christi* ab illa paterna traditione sumus redempti, ita ut vanitatem illam evadere valeamus. Vel *pretioso sanguine* ipsius *Iesu Christi* ab illa paterna traditione sumus redempti, ita ut iam effecti simus ut *agni immaculati et incontaminati*, angelicis spiritibus similes, *qui nec nubent nec nubentur*, quia, exstincto concupiscibili fomite, solum suavitati divinae dulcedinis intenti esse debeamus. De tertio ».
[9] Vers. 11. seq.
[10] Libr. XXII. c. 30. n. 1, in quo citatur I. Cor. 15, 28.

quietae *fruitionis* et securae *tentionis*. Quod nobis praestare dignetur etc.

Sermo II [1].

Veniet desideratus cunctis gentibus, Aggaei secundo [2].

Prothema. *Omni negotio tempus est et opportunitas,* Ecclesiastae octavo.

Oportet, sapientem quemlibet in rationali substantia considerare *operationem* respectu potentiae ad provocationem *effectus* per virilitatem; *durationem* respectu praesentiae ad promotionem *affectus* per iucunditatem; *intentionem* respectu diligentiae ad
Divisio. declarationem *intellectus* per congruitatem. Et idcirco verbis secundo loco propositis tangitur *effectus provocatio* ex consideratione operationis per virilitatem potentiae, cum praemittitur: *Omni negotio; affectus promotio* ex consideratione durationis per iucunditatem praesentiae, cum sequitur: *tempus est; intellectus declaratio* ex consideratione intentionis per veritatem congruentiae, cum subiungitur: *et opportunitas.* Nos ergo, carissimi, in nostrorum verborum primordio Patrem misericordiarum primitus deprecemur, a quo omnis *virilitas* per influentiam potestatis, *iucunditas* per influentiam bonitatis, *congruitas* per influentiam veritatis, ut nos omnes faciat *viriles* in operatione potentiae, *iucundos* in duratione gratiae et *rationabiles* in intentione gloriae; ut sic, *provocati* in effectu per virilitatem operationis, *promoti* in affectu per iucunditatem durationis, *declarati* in intellectu per congruitatem intentionis, possimus ea dicere et audire, quae sunt ad laudem illius qui « tempus ab aevo ire iubet [3] » et qui in Daniele *antiquus dierum* describitur, et ad consolationem nostram, qui eius gratiam in praesenti desideramus et in futuro suam gloriam praestolamur. Amen.

Quoniam ad misericordiam pertinet desolatos et
Sermo. afflictos consolari, hinc est, quod Deus, *Pater misericordiae et totius consolationis* [4], videns sanctos Patres vehementer desolari et affligi ex suae promissionis dilatione et animo sitibundo et affectu piissimo preces importune multiplicare pro eius acceleratione, dignatus est eos multipliciter consolari, cum in verbo proposito certificet eos de promissi beneficii adimpletione, dicens: *Veniet desideratus cunctis gentibus.* Sed quia ad petendum *benignitas* excitat, *utilitas* provocat et *petentis sinceritas* aures divinae misericordiae ad audiendum inclinat; ideo hic tria notantur in verbo proposito. Nam primo notatur *benignitas* ex parte Filii Dei venientis, secundo *animi sinceritas* ex parte populi appetentis, tertio *utilitas* ex parte finis subsequentis. Divisio principalis.

Primo magna *benignitas* fuit *in Dei Filio veniente,* quia non misit, nec scripsit, immo venit personaliter, et hoc est quod dicit: *Veniet* etc. — Secundo magna *animi sinceritas* ex parte *populi appetentis,* quia non desiderabat aurum vel aliquod terrenum, sed Dei Filium; et propter hoc subditur: *desideratus.* — Tertio magna *utilitas* fuit *in fine subsequente,* scilicet novi testamenti; nam per istum adventum cunctae gentes vocatae sunt ad veritatem fidei; ideo subinfertur: *cunctis gentibus.*

I. Dicitur ergo: *Veniet,* ubi notatur *benignitas* Pars I.
ex parte personae venientis. Si quaeratur ratio et Ratio incarnationis.
causa principalis, quare Dei Filius venit in carnem, optime respondetur, quod huius ratio praecipua est excellentissima benignitas Dei, a qua et secundum quam et propter quam facta est Verbi incarnatio. Nam ille adventus a benignitate procedit, praetendit benignitatem et ad benignitatem perducit. Igitur Dei Filius propter nimiam benignitatem voluit humanari, ut veniret primo tanquam *mediator gratiosissimus* Finis eius triplex.
ad exhibenda remedia pacis et concordiae; secundo tanquam *doctor veracissimus* ad danda documenta pietatis et institiae; tertio tanquam *rex humillimus* ad demonstranda exempla humilitatis et paupertatis sive indigentiae; ut sic ratione primi, quia mediator, sit sinceriter *diligendus;* ratione secundi, quia doctor, humiliter *reverendus;* ratione tertii, quia praecessor, exemplo conformiter *imitandus.*

Primo venit tanquam *mediator gratiosissimus* Venit primo et mediatur gratiosissimus.
ad exhibenda remedia pacis et concordiae. Et de hoc dicitur ad Ephesios secundo [5]: *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriae solvens, inimicitias in carne sua, legem mandatorum decretis evacuans;* et sequitur: *Veniens evangelizavit nobis pacem.* — Filius Dei assumendo humanam naturam in unitate personae *fecit utraque,* scilicet Divinitatis et humanitatis, *unum,* sustinendo voluntarie tormentum crucis et mortis, ad quam non tenebatur, eo quod immunis erat ab omni peccato; *evacuavit* decretum divinae sententiae de clausione iannae paradisi caelestis, *solvens medium parietem* inimicitiae et discordiae, qui erat inter nos et Deum; et sic Christus tanquam verus mediator *veniens evangelizavit pacem* et concordiam factam inter nos et Deum per se ipsum, non per alium, quia non convenichat. Non enim *Angelus* Rationes congruentiae.
congruebat, quia non debebat, nec etiam per hoc divinae iustitiae esset satisfactum; non *Angelus*

---

[1] Habetur in C D E F et multo brevius in G H. In cod. Mediolanensi A (n. 29.) est sermo de eodem themate, qui eandem habet divisionem principalem; satis convenit etiam quoad expositionem membri 2. et 3, sed primum membrum omnino differt. Ibi inscribitur sic: « Sermo fratris Guillielmi de Ligniaco magistri editus coram rege et familia in capella, Parisius eadem II. Dominica ». Huius Guillielmi mentionem nullibi invenire potuimus. De similibus mutationibus vide Prolegomena huius toni.

[2] Vers. 8, et prothema habetur Eccle. 8, 6.

[3] Boeth., III. de Consolat. metr. 9. Sequitur Dan. 7, 9.

[4] Epist. II. Cor. 1, 3.

[5] Vers. 14. 15. 17.

humanatus, qui ad partem hominis tanquam ad propriam potuisset declinasse [1], et etiam homo non relevaretur ad pristinum statum, in quo soli Deo erat subiectus, eo quod ratione tanti beneficii Angelo multum teneretur; non *homo*, quia non poterat restituere ablatum, eo quod primus parens amisit sibi et eius posteritati innocentiam; non *Deus sine carnis assumtione*, quia non debet, et etiam ab homine posset haberi suspectus; sed *Christus Deus et homo*, qui in quantum Deus potest, in quantum homo debet, nec ab aliqua parte potest haberi suConfirmatur. spectus. Et hoc est quod dicit Bernardus [2]: « Unde constat mihi, quod liberator meus nequaquam sit in parte declinandus? Tamen si vere, ut dicitis, decrevit misereri Deus et cogitat, *ut complaciter sit adhuc*, eximaniat se et humiliet et *osculetur me osculo oris sui*; sit in signum pacis, faciat de pace securum, ex aequo partibus congruens, neutri sit suspectus, Dei Filius fiat filius hominis et certum me reddat in hoc *osculo oris sui*. Securus suscipio mediatorem Filium Dei, quem agnosco et meum. Minime plane iam mihi erit suspectus, quia *frater meus et caro mea est*».

Secondo, ut doctor verissimus. Secundo venit tanquam *doctor veracissimus* ad danda documenta pietatis et iustitiae. Unde Osee decimo [3] dicitur: *Seminate vobis in iustitia et metite in ore misericordiae; innovate vobis novale, tempus autem requirendi Dominum, cum venerit qui docebit vos iustitiam. — Dominum requirimus*, dum eius gratiam postulamus; sed *tempus* postulandi illam gratiam, ut a vetustate culpae innovemur, est, cum venerit verus doctor Christus, qui docet *seminare* Notandum. verbo et facto *veritatem iustitiae* in puniendo et *pietatem misericordiae* in remittendo, quia *pietas* misericordiae sine veritate iustitiae culpam non aestimat, sed ignorat; unde Isaiae vigesimo sexto [4]: *Misereamur impio, et non discet iustitiam*; quia *severitas* iustitiae sine pietate misericordiae Deo nequaquam est placita, quia *iudicium sine misericordia fiet ei qui non fecerit misericordiam*, cum *misericordia* in remittendo debeat secundum doctrinam Christi *superexaltare iudicium* in puniendo, ut sic peccator non exacerbetur et desperet propter severitatem iustitiae, sed ad poenitentiam inducatur cum benignitate misericordiae, quae faciliter parcit.

Tertio, ut rex humillimus. Tertio venit tanquam *rex humillimus* ad demonstranda exempla humilitatis et inopiae. Et de hoc dicitur Zachariae nono [5]: *Ecce, rex tuus veniet tibi iustus et salvator, ipse pauper et ascendens super asinam. Rex* noster, Christus, ut destrueret superbiam primi hominis, noluit venire *fastuosus* et superbus *in curribus et in equis* [6] phaleratis, sed humilis et mansuetus *ascendens* in die Palmarum [7] *super asinam* contemptibilitatis, ut hominem terrenum revocaret ab amore terrenorum et ad amorem Dei provocaret. Noluit venire *pomposus* in divitiis et lapidibus pretiosis, sed *pauper* et egenus, ut sic per suam humilitatem destrueret omnis superbia et per suam paupertatem mundi malitia cognoscatur, quia ipse est verus Salvator. Et hoc est quod ipse Dominus dicit [8]: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare et dare animam suam, redemptionem pro multis.* Certe erubescat membrum esse superbum, cum eius caput est humile, alioquin monstruosa res est, si pes non vult imitari et subiici capiti, sed ei superponi [9].

Pars II. II. Sequitur: *Desideratus*. Hic exprimitur *avi- ditas et sinceritas populi appetentis*. Avide enim et cum sinceritate cordis desiderabant sancti Patres, Filium Dei incarnari, eo quod tria erant in ipso, quae Ratio motiv triplex. omne desiderium complent. Nam tria sunt, quae sufficienter quamlibet rem suo modo reddunt desiderabilem, videlicet *speciositas* in aspectu, *utilitas* in effectu et *deliciositas* in gustu. Tunc enim aliquid est sufficienter desiderabile suo modo, cum primo delectat *visum* in intuendo, secundo decorat *subiectum* in possidendo, tertio dulcorat *gustum* in utendo sive perfruendo. Cum ergo ista tria sint in Domino Iesu Christo excellentissime, merito non tantum a sanctis Patribus, sed etiam ab omnibus ratione utentibus debet esse desideratus. Nam primo Christus est *desiderabilis* et *speciosus* ad intuendum propter nitorem originalis innocentiae; secundo *utilis* et *pretiosus* ad possidendum propter decorationem illuminantis gratiae; tertio *delectabilis* et *deliciosus* ad perfruendum propter oblectabilitatem sapientialis demulcentiae.

Prima ex speciosita Primo est desideratus, quia propter *speciositatem originalis innocentiae* delectat *visum* in intuendo. Nullus enim fuit sine peccato actuali vel originali nisi solus Christus, qui est *speciosus forma prae filiis hominum* [10], *desiderium collium aeternorum*, id est Angelorum et sanctorum Patrum, *speculum sine macula Dei maiestatis, speciosior sole, in quem desiderant Angeli prospicere*, et verus ille Salomon, de quo dictum est tertii Regum decimo [11]: *Universa terra desiderabat videre vultum Salomonis*. Multiplici enim figura ille figuratus Salomon repraesentat verum Salomonem Christum. Unde Augustinus de Civitate Dei [12]: « Quae de Salomone dicuntur adeo conveniunt soli Christo, ut in illo sit figura adumbrata, sed in Christo veritas repraesentata ».

Notandum.

[1] Cod. F *posset declinare*. D easdem fere sententias, sed minus apte exprimit.

[2] In Cant., serm. 2. n. 6, ubi citatur Ps. 76, 8, Cant. 1, 1. et Gen. 37, 27.

[3] Vers. 12.

[4] Vers. 10. Sequitur Iac. 2, 13.

[5] Vers. 9.

[6] Respicitur Ps. 19, 8.

[7] Cfr. Matth. 21, 5.

[8] Matth. 20, 28.

[9] Cfr. Bernard., serm. 5. in festo Omnium Sanctor. n. 9, et August., serm. 304. (alias 37. de Diversis, vel serm. 3. in solemnitate Laurentii Mart.) c. 4. n. 3.

[10] Psalm. 44, 3; sequuntur Gen. 49, 26, Sap. 7, 26. 29. et I. Petr. 1, 12.

[11] Vers. 24.

[12] Libr. XVII. c. 8. n. 2.

Secundo est desideratus Christus, quia propter
secunda, pretiositas.
suam *pretiositatem illuminantis gratiae* decorat proprium *subiectum* in possidendo. Unde Isaiae vigesimo sexto [1]: *Anima mea desideravit te in nocte*, ut videat *lumen in lumine tuo*. — *Anima mea desideravit te in nocte*, scilicet tenebrositatis et ignorantiae, ut *lumen* videat *in lumine tuo*. Et ratione huius pretiositatis dicitur Proverbiorum tertio [2]: *Omnia, quae desiderantur, huic non valent comparari*, quia, sicut non est comparatio inter umbram et similitudinem ad veritatem, sic non est comparatio inter creaturam et divinam sapientiam. Nam omnis creatura est similitudo et umbra divinae veritatis.

Tertio est Christus desiderabilis propter *oblectationem sapientialis demulcentiae*, quia delectat sive
tertio, oblectatio.
dulcorat *gustum* in perfruendo. Unde Canticorum secundo [3]: *Sub umbra illius quem desideraveram, sedi, et fructus eius dulcis gutturi meo*. — *Sub umbra*, refrigerantis gratiae, *illius*, scilicet Christi, *quem desideraveram*, per excessum inflammatae dilectionis, *sedi*, per mentis quietationem, non discurrendo per mentis vagationem, *et fructus eius dulcis gutturi meo*, propter degustationem sapientiae. Unde ad hoc,
Conditiones ad degustandum.
ut anima degustet dulcedinem divinae sapientiae, requiritur, ut purgetur a peccato, resolvatur in aquam devotionis et abstrahatur ab amore mundano, ut non sit dispersa ad exteriora, immo recolligatur totaliter ad interiora, ne interponatur aliqua caligo, ut immediate recipiat stillicidium divinae influentiae et degustet dulcorem aeternae suavitatis. Hunc dulcorem aliqualiter sentiens David Propheta, dicebat [4]: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus.*

III. Tertio notatur *utilitas in fine subsequente*
Pars III.
ex parte populi gentilis, cum dicit: *Cunctis gentibus.* Merito erat desideratus a sanctis Patribus et cunctis gentibus, eo quod Christus in isto adventu meruit
Utilitas triplex.
cunctis gentibus primo *gratificationem adoptionis benignae* delendo originalem culpam; secundo, *apertionem caelestis ianuae* relaxando indicialem vindictam; tertio, *sublimitatem finalis gloriae* amovendo totalem miseriam.

Primo gentes per adventum Christi consecutae
De prima.
sunt *gratificationem adoptionis benignae* propter deletionem originalis culpae. Unde Actuum undecimo dicit Petrus [5]: *Si ergo eandem gratiam dedit illis Deus*, scilicet gentibus, *sicut et nobis, qui credidimus in Dominum Iesum Christum*, sic *ergo et gentibus poenitentiam dedit Deus ad vitam*. Ratione huius beneficii David Propheta invitabat omnes gentes ad gratiarum actionem, dicens [6]: *Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi: quoniam confirmata est super nos misericordia eius*, benignae adoptionis.

Secundo cunctae gentes consecutae sunt per
De secunda.
istum adventum *apertionem caelestis ianuae* propter relaxationem indicialis vindictae; et de hoc dicitur Isaiae vigesimo sexto [7]: *Aperite portas, et ingrediatur gens iusta, custodiens veritatem; vetus* enim *error abiit*, quia Dominus Iesus Christus habebat clavem reserandi aditum aeternitatis. Ideo tanquam auctoritatem habens angelicis spiritibus dixit: *Attollite portas, principes, vestras*, quoniam per meum sanguinem facta est reparatio concordiae universalis, relaxatio vindictae iudicialis. Nunc ergo, amoto flammeo gladio de porta paradisi [8], volo, ut fiat reseratio ianuae caelestis, ut *ingrediatur gens iusta et custodiens veritatem; vetus* enim *error* primae praevaricationis, merito cuius obligabatur ad poenam, *abiit*.

Tertio gentes per istum adventum consecutae
De tertia.
sunt *sublimitatem finalis gloriae* propter amotionem totalis miseriae. Unde Isaiae ultimo [9]: *Declinabo super eam quasi fluvium pacis et quasi torrentem inundantem gloriam gentium.* Et in praedicto themate dicitur de hoc: *Veniet desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria.* — *Domus ista gloria implebitur* in generali resurrectione, quando a corpore cuiuslibet Beati, cuius corpus fuit domus et habitaculum Spiritus sancti per gratiam, amovebitur omnis corruptio per dotem impassibilitatis, omnis deformitas et obscuritas per dotem claritatis, omnis tarditas per dotem agilitatis, omnis infirmitas et animalitas per dotem virtutis et subtilitatis sive spiritualitatis. Unde Augustinus de Civitate Dei [10]: « Abiicietur a corporibus nostris omnis deformitas, omnis tarditas, omnis infirmitas omnisque corruptio ». Quod nobis praestare dignetur etc.

Sermo III [11].

Sermo Fratris Bonaventurae coram rege Franciae in palatio extra Parisius apud nemus, in prima Dominica de Adventu ante Natale.

Ecce, odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus, Genesis vigesimo septimo [12].

---

[1] Vers. 9; sequitur Ps. 35, 10.
[2] Vers. 15.
[3] Vers. 3. — Deinde loco *refrigerantis* F habet *regenerantis*.
[4] Psalm. 41, 2.
[5] Vers. 17. seq.
[6] Psalm. 116, 1. seq.
[7] Vers. 2. seq. Sequitur Ps. 23, 9.
[8] Respicitur Gen. 3, 24.
[9] Vers. 12.
[10] Libr. XXII. c. 20. n. 3.
[11] Loco multorum spuriorum sermonum, qui in ed. Vaticana sequuntur, substituimus hic et in sequentibus Dominicis aliorum sermonum schemata, plerumque prol nimis brevia, quae habentur Mediolani in antiquo et pretioso codice biblioth. Ambrosianae A, de quo diffuse agitur a P. Fideli a Fanna *(Ratio novae collectionis* etc. pag. 90-135) et etiam a nobis supra in Prolegomenis. Horum sermonum complures exhibentur etiam in cod. Parisiensi B, et alii in aliis codicibus, interdum in forma magis diffusa, ut consequenter ad calcem notabitur. In hoc ultimo codice scriptor praemittit monitionem supra transcriptam, ut errores in contrahendis sermonibus commissi imputentur sibi, non sermonum auctori, quod etiam quoad schemata saepe vitiosi codicis A observari iuvat. Vide de his supra Prolegomena. — Hic sermo habetur ibi fol. 1 r., sed schema est manifeste incompletum.
[12] Vers. 27.

In verbis his describit nobis Pater aeternus Verbum incarnatum cum incarnationis fragrantia, cuius odorem et gloriam repraesentat, veneratur et
Divisio. colit mater Ecclesia tripliciter, scilicet ut *sempiterna gratia redolentissimum*, cum dicitur: *Ecce, odor filii mei,* scilicet Verbi incarnati; ut *sempiterna sapientia opulentissimum*, cum additur: *agri pleni,* quasi diceret: *in quo sunt omnes thesauri sapientiae* [1]; ut *sempiterna elegantia seu gloria formosissimum*, cum subditur: *cui benedixit Dominus.*

Fuit ergo Verbum incarnatum *campus plenus,*
De secundo membro reforuntur 6 privilegia. plenus, inquam, regni caelorum *thesauro: pretiositate* propter privilegia sempiternalium dignitatum, quas continebat; Matthaei decimo tertio [2]: *Simile est regnum caelorum thesauro abscondito in agro.* — *Speciositate* propter privilegia luciformium pulcritudinum, quas repraesentabat vel repraesentat; Psalmus [3]: *Pulcritudo agri mecum est.* — *Gratiositate* propter privilegia pulcriformium honestatum, quibus resplendebat; Genesis vigesimo quarto [4]: *Egressus fuerat* (Isaac) *ad meditandum in agro.* — *Fragrantiae odore* propter privilegia sursum agentium suavitatum, quas emittebat; Canticorum septimo [5]: *Egrediamur in agrum.* — *Deliciositate* propter privilegia exhilarantium dulcedinum, quas possidebat et communicabat; Ieremiae quadragesimo primo [6]: *Habemus thesauros in agro.* — *Opulentia seu copiositate* propter privilegia instaurantium virtutum, quas reddebat et influebat; Proverbiorum ultimo [7]: *Consideravit agrum et emit eum.*

Sermo IV [8].

Item, sermo fratris Bonaventurae eadem die coram regina Franciae et filia eius, regina Navarrae.

Quasi cedrus in Libano, pulcher ramis et frondibus nemorosus, Ezechielis trigesimo primo [9].

Verba haec, quamvis secundum litteram de altero [10] accipiantur et in alteram partem, tamen secundum veritatem et intelligentiam spiritualem possunt exponi de Verbo incarnato (in utero [11]) Virginis tanquam in Libano spirituali insidente, cuius beatae incarnationis mysterium et sacrum adventum in carnem modo recolit mater Ecclesia. Describitur
Divisio. autem in ipsis Verbum incarnatum tripliciter: ut *gratiae singularitate altissimum*, cum dicitur: *Quasi cedrus in Libano;* id est Matre Virgine candida [12], vel mundiali machina, vel universali Ecclesia, vel caelesti patria; ut *sapientiae luciformitate speciosissimum*, cum additur: *Pulcher ramis,* fontalis sapientiae [13] universalis (?)....; ut *angelicae hierarchiae mysterio vernantissimum*, cum additur: *et frondibus nemorosus,* Angelis vallatus, secundum Glossam (?) ornatus omnibus donis et praerogativis. — Cum isto scire debemus, quod quia Verbi incarnati persona est tam alta, tam profunda, tam arcana, quod nulla creatura nulla figura una posset illius dignitatem et conditionem nobilem explicare; ideo Spiritus sanctus in Scriptura ipsa explicat per *cedrum* alta petentem, et hoc ad designandum *sublimitatem* utrinsque naturae eius, divinae scilicet et humanae; Ecclesiastici vigesimo quarto [14]: *Quasi cedrus exaltata sum in Libano.* — Per *cypressum* fragrantem, et hoc ad designandum *suavitatem* gratiae eius; Ecclesiastici vigesimo quarto [15]: *Quasi cypressus in monte Sion.* — Per *olivam* pullulantem, et hoc ad designandum *bonitatem* et *speciositatem* vitae et morum eius; Ecclesiastici quinquagesimo [16]: *Quasi oliva pullulans* etc. — Per *palmam* praeeminentem, et hoc ad designandum *longanimitatem patientiae* eius; Canticorum septimo [17]: *Statura tua assimilata est palmae.* — Per *nardum* redolentem, ad designandum *celebritatem famae* eius; Canticorum primo [18]: *Nardus mea dedit odorem suum.* — Per *hyssopum* emundantem, et hoc ad designandum *humilis passionis eius virtutem;* Psalmus [19]: *Asperges me hyssopo, et mundabor.* — Per *myrrham* conservantem, et hoc ad designandum corporis eius *incorruptibilitatem;* Canticorum quinto [20]: *Digiti mei pleni myrrha probatissima.*

Figurae Verbi incarnati.

Sermo V [21].

Sermo fratris Bonaventurae Parisius coram Universitate studentium, in domo Praedicatorum, tempore Adventus Dominica prima.

Venite, et ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis eius, Isaiae secundo [22].

Introductio.

Volenti verbum Dei proponere vel audire cum fructu animarum, secundum quod dicit beatus Dionysius in libro de Ecclesiastica Hierarchia [23] et in libro de Mystica Theologia, tria sunt necessaria: *humilitas intellectus, pietas affectus* et *voluntas effectus* sive aviditas actus. Divinus enim radius non *relucet* nisi spiritualibus, non *expanditur* nisi humilibus, non *requiescit* nisi super devotis, sicut dicit idem beatus Dionysius in eisdem libris. Eapropter

Tria necessaria.

---

[1] Coloss. 2, 3.
[2] Vers. 44.
[3] Psalm. 49, 11.
[4] Vers. 63.
[5] Vers. 11.
[6] Vers. 8.
[7] Cap. 31, 16.
[8] Ex eodem cod. A fol. 4 v. Hoc schema est incompletum.
[9] Vers. 3.
[10] Scil. Assur.
[11] Haec duo verba in codice exciderunt.
[12] Secundum Hieron., l. adversus Iovinian. n. 30: Libanus, λευκασμός, id est *candor* interpretatur.
[13] Quae sequuntur ita male in codice scripta sunt, ut sensum investigare non potuerimus. Etiam seq. locus est defectuosus et lectio dubia.
[14] Vers. 17.
[15] Vers. 17.
[16] Vers. 11.
[17] Vers. 7.
[18] Vers. 11.
[19] Psalm. 50, 9.
[20] Vers. 5.
[21] Ex eodem cod. fol. 2 r.
[22] Vers. 3.
[23] Cap. 2. et de Mystica Theolog. c. 1. secundum sensum; ibi inveniuntur etiam quae sequuntur.

invocamus Dominum Iesum Christum in principio, qui est origo omnis verae *illuminationis* ad scientiam, qui est origo omnis rectae *informationis* ad gratiam, qui est origo omnis fructuosae *locutionis* ad doctrinam, ut ipse, qui est divinissima virtus et divinissimus animus, qui solus cor humanum ut superessentialiter suave olens delectatione complet secundum enndem in Ecclesiastica Hierarchia [1], ipse det mihi aliquid dicere et vobis audire etc.

Sermo. *Venite, et ascendamus ad montem Dei et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas* etc. — Secundum Philosophum decimo Ethicorum [2], felicitas hominis consistit in cognitione maximorum intelligibilium, et secundum quod dicit beatus Augustinus in libro Soliloquiorum [3]: « Summum bonum in homine est sapere; optimum enim in homine est sapientia »; ideo non immerito sacer Isaias sancto Spiritus afflamine pro tempore isto devoto Adventus invitat veritatis amatores et sapientiae verae zelatores, omnem litteratum et clericum ac Religiosum

Divisio principialis. ad tria [4], scilicet ad *culmina supernaturalium virtutum*, ibi: *Venite et ascendamus ad montem Domini*; ad *solatia supercaelestium iucunditatum*, ibi: *et ad domum Dei Iacob*; ad *lumina spiritualium virtutum*, ibi: *et docebit nos vias suas*; ad *specula regularium sanctitatum*, ibi: *et ambulabimus in semitis eius*.

Pars I. I. Quantum ad primam partem nota, quod mons supermentalium sive spiritualium virtutum est sancta Ecclesia, vel Religio, vel devota conscientia sive anima, vel ipsa sancta Scriptura, quia in omnibus his et singulis eorum, sicut in monte vero, sublimi

Huius montis 6 privilegia. et sacro, sunt ad similitudinem montis materialis *fulgidissimae speculationes* aeternalium splendorum, et de hoc Apocalypsis vigesimo primo [5]: *Sustulit me in spiritu in montem magnum et altum*, et vidi *Ierusalem habentem claritatem Dei*; Exodi vigesimo quarto [6]: *Ascenderuntque Moyses et Aaron* etc.; et Numerorum vigesimo septimo [7]: *Ascende in montem istum Abarim et contemplare inde terram* etc. — *Fervidissimae irradiationes* sublimium desideriorum, et de hoc primi Machabaeorum sexto [8]: *Refulsit sol in clypeos aureos et aereos, resplenduerunt montes ab eis; ex eis flamma accensa est* etc.; ad Hebraeos duodecimo [9]: *Accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Ierusalem caelestem* etc. — *Securissimae mansiones* tendentium mentium, et de hoc Isaiae secundo [10]: *Erit praeparatus mons domus Domini in vertice montium et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes*; Exodi decimo quinto [11]: *Introduces eos et plantabis in monte hereditatis tuae, firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es, Domine; sanctuarium tuum, Domine, quod firmaverunt manus tuae*; Psalmus: *Fundamenta eius in montibus sanctis.* — *Redolentissimae pullulationes* aedificantium actionum, et de hoc Canticorum ultimo [12]: *Fuge, dilecte mi, et assimilare capreae hinnuloque cervorum super montes aromatum*; Ezechielis trigesimo quarto: *In pascuis uberrimis pascam eas, et in montibus excelsis Israel erunt pascua earum; ibi requiescent in herbis virentibus et in pascuis pinguibus pascentur super montes Israel.* — *Frequentissimae irrorationes* supervenientium gratiarum; Psalmus [13]: *Rigans montes de superioribus suis, de fructu operum tuorum satiabitur terra.* — *Amoenissimae recreationes* deiformium affectionum; Iob trigesimo nono [14]: *Circumspicit montes pascuae suae et virentia quaeque perquirit.*

Ascendendum per 4 exercitia. Ad hunc montem ascendendum est per *contemptum vanitatis mundanae*; Psalmus [15]: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus et mundo corde* etc. — Per *habitum honestatis praeclarae*; primi Machabaeorum quarto [16]: *Ascendamus nunc mundare sancta et renovare.* — Per *studium pietatis ecclesiasticae*; primi Regum decimo quarto [17]: *Ascendit autem Ionathas, manibus et pedibus reptans, et armiger eius post eum.* — Per *zelum veritatis internae*; Isaiae quadragesimo [18]: *Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion.*

Pars II. II. Quantum ad secundam partem nota, quod si, ut dixit, *ascendimus in montem Domini*, per culmina sublimium virtutum, venimus procul dubio *ad domum Dei Iacob*, id est ad aeternam vitam et Ierusalem supernam; quae quidem domus aeterna nobis est summe *desideranda* et per sacra merita *requirenda*, quia est domus *magnifice praeparata* secundum munificentiae regalis celsitudinem; unde dicitur Baruch tertio [19]: *O Israel, quam magna est domus Dei et ingens locus possessionis eius! Magnus est et non habet finem, excelsus et immensus.* — *Mirifice ordinata* secundum mirabilis dispositionis sapientiam; unde Ioannis decimo quarto [20]:

Supernae domus 8 privilegia.

---

[1] Cap. 1. et 4.
[2] Cap. 7. seq., ubi haec sententia explicatur.
[3] Libr. I. c. 12. n. 21.
[4] Sequuntur 4 membra, sed exponuntur tantum tria.
[5] Vers. 10. seq. [6] Vers. 9.
[7] Vers. 12.
[8] Vers. 39; sequitur II. Mach. 1, 32.
[9] Vers. 22.
[10] Vers. 2.
[11] Vers. 17. Sequitur Ps. 86, 1.
[12] Cap. 8, 14; sequitur Ezech. 34, 14. — In eod. omissa sunt verba Ezechielis, et citatur solummodo Ezech. 32, in quo capitulo nullus locus idoneus invenitur. Ceterum codicis citationes passim sunt falsae.
[13] Psalm. 103, 13. [14] Vers. 8.
[15] Psalm. 23, 3. seq. [16] Vers. 36.
[17] Vers. 13. Gregor., V. in 1. Regum, n. 16. haec applicat ad praedicatorem et inter alia dicit: Quia in manibus opera solent significari, reptat manibus pastor, quando peccatoribus viam, quam tenere conversi debeant, non profert sapientia verbi, sed exemplo conversationis.
[18] Vers. 9.
[19] Vers. 24. seq.
[20] Vers. 2.

In domo Patris mei mansiones multae sunt. — Suavifice cibativa secundum benevolentiam liberalis praemiationis; unde Psalmus [1]: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos;* et quarto Esdrae [2]. — *Sempiterne mansiva* secundum condescendentiam sempiternalis imperatoris; unde Psalmus [3]: *Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in saecula saeculorum laudabunt te.*

III. Quantum ad tertiam partem nota, quod disponentem se discipulum *docet* Christus, magister aeternus, *vias suas*, quae sunt hae: *via puritatis* et *sanctimoniae* angelicae, de qua in Psalmo [4]: *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.* — *Via veritatis* et *sapientiae* supercaelicae, de qua Proverbiorum quarto [5]: *Viam sapientiae monstrabo tibi, ducam te per semitas aequitatis;* et in Psalmo: *Viam veritatis elegi* etc. — *Via sanctitatis* et *vitae* apostolicae, de qua Iob vigesimo tertio [6]: *Viam eius custodivi et non declinavi ex ea.* — *Via pacis* et *concordiae* fraternae, de qua Lucae primo [7]: Ortus est Christus *ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.*

Pars III. Viae Christi cum 4 privilegiis.

Sermo VI [8].

Sermo fratris Bonaventurae prima Dominica de Adventu in conventu Fratrum Montispessulani coram Fratribus tantum, quem fecit rogatus in die sanctae Agathae [9], quia Fratres communicare debebant.

Qui timent Dominum praeparabunt corda sua, et in conspectu illius sanctificabunt animas suas, Ecclesiastici secundo [10].

Introductio.

Tempus istud a beato Petro ordinatum fuit, scilicet Adventus Domini, et in eo ieiunium constituit circa decimum octavum annum post ascensionem Domini, post conditionem Evangeliorum Matthaei [11] et Marci; ut Christi fideles Nativitatem Christi mundius et diguius praevenirent, devotius celebrarent et divinis Officiis sive laudibus et praedicationibus huius temporis studiosius intenderent, advertentes intentionem sanctorum Patrum, quod quatuor Dominicae istae, quamvis principaliter quantum ad Officia versentur circa Christi adventum in carnem et ad iudicium; tamen duos alios adventus designant, scilicet in *mentem* per gratiam novam et ad *mortem* per aeternam gloriam, de quibus etiam memoriam consequenter agunt, sicut prudenter intelligens advertere potest.

Notandum.

Sapiens ergo, caelesti lumine radiatus, quasi pro isto tempore loqueretur, dicit: *Qui timent Dominum* etc. In quibus verbis tria tanguntur, quae hominis ad praeveniendam devote Christi propinquam Nativitatem disponunt, scilicet *divina reverentia, interna mundities, sancta et religiosa vita.* Primum tangitur ibi: *Qui timent Dominum;* secundum, ibi: *praeparabunt corda sua;* tertium, ibi: *et in conspectu illius sanctificabunt animas suas.*

Tria adpositionem requisita.

Circa *haec omnia* nota, quod qui volunt digne praeparari ad celebrandum Christi desideративam Nativitatem debent esse: *veneratores Maiestatis aeternae;* primi Regum septimo [12]: *Praeparate corda vestra Domino et servite ei soli, et eruet vos de manu Philisthiim. — Cultores castitatis mundissimae;* Apocalypsis decimo nono [13]: *Venerunt nuptiae Agni, et uxor eius praeparavit se. — Zelatores sanctitatis vitae;* Psalmus [14]: *Paratus sum et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua. — Amatores caritatis fraternae;* Lucae tertio [15]: *Parate viam Domini, rectas facite semitas eius;* et Genesis vigesimo quarto: *Ingredere, benedicte Domini, cur foris stas? Praeparavi domum et locum camelis* etc. — *Speculatores veritatis sapientiae;* primi Esdrae septimo [16]: *Esdras praeparavit cor suum, ut investigaret legem Domini. — Possessores tranquillitatis internae;* Amos quarto [17]: *Praeparare in occursum Dei tui, Israel.*

Sex exercitia virtutum.

Sermo VII [18].

Item, sermo Fratris Bonaventurae prima Dominica de Adventu coram Universitate in Montepessulano.

Vidi, et ecce nubem candidam et super nubem sedentem similem Filio hominis, Apocalypsis decimo quarto [19].

Divisio.

Sacer Evangelista Ioannes, caelesti claritate suspensus et sublimi revelatione attonitus, explicat nobis in verbis propositis beatae incarnationis mysterium sub metaphoricis verbis dupliciter, scilicet quantum ad *puritatem* elegantissimam *electae Virginis* concipientis, et quantum ad *sublimitatem* nobilissimam ipsius superbenedictae *conceptae prolis.* Primum notatur in *nube candida;* secundum, in *sedente super eam* etc.

---

[1] Psalm. 35, 9.
[2] Cfr. 8, 52.
[3] Psalm. 83, 5.
[4] Psalm. 100, 6.
[5] Vers. 11; sequitur Ps. 118, 30.
[6] Vers. 11.
[7] Vers. 79.
[8] Ex eodem codice fol. 3 v.
[9] Qui dies nunc celebratur sec. Martyrol. Rom. die 5 Febr. Fortasse S. Agatha pro S. Lucia (13 Dec.) substituta est.
[10] Vers. 20.
[11] Scriptores catholici nostra aetate communius tenent, Evang. Matthaei scriptum esse inter an. 42-50, Evang. Marci inter an. 42-44. Cfr. Kaulen, Einleitung in die h. Schrift (ed. 1876), pag. 401 et 412.
[12] Vers. 3.
[13] Vers. 7.
[14] Psalm. 118, 60.
[15] Vers. 4; sequitur Gen. 24, 31. seq.
[16] Vers. 10.
[17] Vers. 42.
[18] Ex eodem codice fol. 4 r. — Cum divisione membrorum et pluribus sententiis huius sermonis aliquatenus convenit alius genuinus S. Bonaventurae sermo in Annuntiatione B. M. V., cuius initium habetur in P. Fidelis opusculo *Ratio novae collectionis* etc. pag. 308. Sed hic habet tria membra: *nobilitas* concipientis, *puritas* conceptionis, *sublimitas* conceptae prolis.
[19] Vers. 14.

Notandum.

Circa haec nota, quod quia istud mysterium est tam *arcanum*, quod nullius ingenii perspicacitas potest comprehendere; tam *altum*, quod nullius intelligentiae vivacitas potest investigare; tam *profundum*, quod nullius eloquentiae vel eloquii facultas potest enarrare: ideo Spiritus sanctus sub diversis figuris illud manifestat, ut quod una non potest altera suppleat.

Figurae Scriptura iplem.

Circa quod nota, quod *puritas* elegantissima Virginis electae concipientis et ipsius conceptionis designatur in sancta Scriptura sub metaphora non solum *nubis* candidae sive candentis, sed etiam *rubi* mirabiliter inflammati et incombusti ad designandum, quod fuit sine corruptione carnis; Exodi tertio [1]: *Videbat, quod rubus arderet et non combureretur.* — *Virgae* mirabiliter virescentis et florescentis ad designandum, quod fuit sine successione temporis; Numerorum decimo septimo [2]: *Invenit, germinasse virgam Aaron in domo Levi, et turgentibus gemmis, eruperant flores.* — *Velleris* mirabiliter compluti et irrorati ad designandum, quod fuit sine delectatione libidinis; Iudicum sexto [3]: *Expresso vellere, concham rore implevit.* — *Nubis* mirabiliter irrorantis ad designandum, quod fuit cum plenitudine fontalis gratiae; Ecclesiastici trigesimo quinto [4]: *Quasi nubes pluviae in tempore siccitatis.* — *Iridis* mirabiliter refulgentis ad designandum, quod fuit cum plenitudine fontalis sapientiae; Ecclesiastici quadragesimo tertio [5]: *Vide arcum et benedic eum qui fecit illum; valde speciosus est in splendore suo. Arcus* in nube, Christus in Virgine quadricolor, quia cognitionem habens *innatam*, *infusam*, *acquisitam* et *gloriosam*. — *Sideris* mirabiliter dirigentis ad designandum, quod fuit cum rectitudine venerabilis vitae; Ecclesiastici quinquagesimo [6]: *Quasi stella matutina in medio nebulae et quasi luna plena in diebus suis lucet.*

Sermo VIII [7].

Item, sermo Fratris Bonaventurae prima Dominica de Adventu in domo Praedicatorum coram Fratribus in Montepessulano in Capitulo.

Germinet terra herbam virentem et facientem semen et lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, Genesis primo [8].

Divisio.

Sacer Moyses, fontalis lucis radio illustratus et elevatus, explicat nobis Filii Dei adventum in carnem, quem modo colere coepimus, quantum ad tria facta, scilicèt quantum ad *fecunditatem* caelicam gloriosae et almae *Virginis concipientis*, ibi: *Germinet terra;* quantum ad *gratiositatem* amoenam et pulcram conceptae *beatae prolis;* ibi: *herbam virentem;* quantum ad universalem et desiderativam *utilitatem humani generis*, ibi: *et facientem semen et lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum.*

Pars I.

I. Circa haec nota, quod Virginis almae *concipientis fecunditas* et singularis *nobilitas* designatur sub metaphora *terrae* supernaturaliter germinantis, et hoc ad designandum seu insinuandum eius profundissimam *humilitatem*, ut hic: *Germinet terra* etc. — *Radicis* supernaturaliter pullulantis, et hoc ad insinuandum eius inconcussam *virtutem;* Iob vigesimo nono [9]: *Radix mea aperta est secus aquas;* Ecclesiastici vigesimo quarto: *Radicavi in populo honorificato.* — *Fontis* supernaturaliter satiantis, et hoc ad insinuandum eius liberalissimam *caritatem;* Genesis secundo [10]: *Sed fons ascendebat e terra, irrigans universam superficiem terrae;* Canticorum quarto: *Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quae fluunt impetu de Libano.* — *Fluvii* supernaturaliter irrigantis, et hoc ad insinuandum eius abundantissimam *pietatem;* Genesis secundo [11]: *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum.*

Pars II.

II. Gratiosa vero *amoenitas* superbenedictae ipsius *prolis* designatur sub metaphora *rosae* praefulgidae, et hoc ad insinuandum *suavitatem* ipsius animae; Ecclesiastici quinquagesimo [12]: *Quasi flos rosarum in diebus vernis.* — *Urnae* aureae, et hoc ad insinuandum capacitatem multiformis ipsius *gratiae;* ad Hebraeos nono [13]: *In qua urna aurea habens manna et virga Aaron, quae fronduerat, et tabulae testamenti.* — *Arcae* [14] auro circumtectae, et hoc ad insinuandum *claritatem* plenitudinis sapientiae; ad Hebraeos nono [15]: *Habens arcam circumtectam ex omni parte auro.* — *Aureolae* aromaticae, et hoc ad insinuandum *celebritatem ipsius vitae;* Canticorum sexto [16]: *Dilectus meus descendit in hortum suum ad aureolam aromatum.*

Pars III.

III. Perdesiderata huius adventus *utilitas*, quam fecit adveniens ipse, designatur sub metaphora *solis* singulariter *stantis*, et hoc ad designandum ipsius *immutabilitatem* celsitudinis; Iosue decimo [17]: *Stetit sol in medio caeli.* — *Solis* singulariter *retrocedentis*, et hoc ad designandum ipsius *mirabilem condescensionem;* Isaiae trigesimo octavo [18]: *Reversus est sol decem lineis per gradus, quos descenderat.* — *Solis* singulariter *sublatentis*, et hoc ad insinuandum ipsius *venerabilem dispositionem;* secundi Machabaeorum primo [19]: *Tempus affuit, quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo.* — *Solis* singulariter *regyrantis*, et hoc ad insinuandum ipsius zeli incessabilem *sollicitudinem;* Ecclesiastae primo [20]:

---

[1] Vers. 2.
[2] Vers. 8.
[3] Vers. 38.
[4] Vers. 26.
[5] Vers. 12.
[6] Vers. 8.
[7] Ex eodem codice fol. 4 v.
[8] Vers. 11.
[9] Vers. 19; sequitur Eccli. 24, 16.
[10] Vers. 6; sequitur Cant. 4, 15.
[11] Vers. 10.
[12] Vers. 8.
[13] Vers. 4.
[14] Hic et infra pro *Arcae* cod. habet vocem *mensae*, de qua mentio fit v. 2. et cfr. Exod. 25, 23. seq.
[15] Vers. 4.
[16] Vers. 1.
[17] Vers. 13.
[18] Vers. 8.
[19] Vers. 22.
[20] Vers. 6.

Lustrans universa in circuitu pergit spiritus et in circulos suos revertitur.

Sermo IX [1].

Sermo Fratris Bonaventurae editus in Lugduno (sic!) ad populum prima Dominica de Adventu.

Erunt signa in sole et luna et stellis, et in terris pressura gentium prae confusione sonitus maris et fluctuum, Lucae vigesimo primo [2].

In isto Evangelio describitur adventus Domini ad iudicium ut de caelo multiplicibus indiciis praesignificandus et ut ab omnibus elementis multiformiter insigniendus. Circa omnia nota, quod, sicut ex hoc Evangelio et aliis Evangeliis et locis Scripturae colligere possumus, multa signa praecedent iudicium, ut nnusquisque se paret ad ipsum; quae sunt haec:

Signa 32 praecedentia iudicium.

Primum est solis et lunae et omnium luminarium caelestium *obscuratio*, secundum quod habetur in Evangelio hodierno. — Secundum est ignis *conflagratio* de elemento, de inferno et de terra ascendens plus quam aquae diluvii ad purgationem electorum et poenam, ad consumtionem mortalium reproborum, secundum quod dicitur in Psalmo [3]: *Ignis ante ipsum praecedet et inflammabit in circuitu inimicos eius.* — Tertium est *pestilentia* sive universalis corruptio et aegritudo, secundum quod habetur Lucae vigesimo primo [4]: *Terraemotus magni erunt per loca et pestilentiae* etc. — Quartum est hominum et terrarum, regnorum et familiarum universalis *perturbatio* et ad invicem proeliatio, secundum quod habetur Lucae vigesimo primo [5]: *Surget gens contra gentem et regnum adversus regnum.* — Quintum est coniunctorum et sociorum universalis *proditio* et insidiatio, secundum quod habetur Lucae vigesimo primo [6]: *Trademini autem a parentibus et fratribus et cognatis et amicis, et morte afficient ex vobis* etc. — Sextum est *famis* universalis *inundatio*, secundum quod habetur Lucae vigesimo primo [7]: *Et fames.* — Septimum est *tempestatum* universalium de caelo *abluvio*, secundum quod habetur Lucae vigesimo primo [8]: *Pressura gentium prae confusione sonitus maris et fluctuum.* — Octavum est maxima, longa et universalis *terraemotuum commotio*, secundum quod habetur Lucae vigesimo primo [9]: *Terraemotus magni erunt per loca*, ita quod nullus homo stare poterit seu animal, sed solo prosternentur omnia. — Nonum est *terrorum de caelo* variorum lapsus *continuatio*, secundum quod habetur Lucae vigesimo primo [10]: *Terroresque de caelo et signa magna erunt*, ita quod omnia sidera errantia et stationata comas spargent ex se igneas, signum orbi et habitatoribus eius. — Decimum est omnium hominum universalis *angustiatio* prae timore et quasi arefactio, secundum quod habetur Lucae vigesimo primo [11]: *Arescentibus hominibus prae timore et exspectatione* etc. — Undecimum est falsorum praedicatorum et nuntiorum antichristi et *simulatio miraculorum* et fictio, secundum quod habetur Matthaei vigesimo quarto [12]: *Surgent pseudochristi et pseudoprophetae et dabunt signa magna et prodigia* etc. — Duodecimum est *antichristi* valida *persecutio* et in fide perseverantium tormentatio et occisio, secundum quod habetur Matthaei vigesimo quarto [13]: *Tradent vos in tribulationem et occident vos.* — Decimum tertium est multorum, qui stare videntur, *a fide discessio* et contra fidem proditio, secundum quod habetur Matthaei vigesimo quarto [14]: *Et tunc scandalizabuntur multi et invicem tradent.* — Quartumdecimum est *antichristi* et suorum de caelo *percussio* et damnatio, sicut dicit Glossa secundae ad Thessalonicenses secundo [15]. — Quintumdecimum est *Eliae* et *Henoch praedicatio* et praeconizatio et tandem per antichristum interfectio [16]. — Sextumdecimum signum praecedens iudicium est, secundum quod dicit Hieronymus [17], in Annalibus Hebraeorum se invenisse, quia *maria exaltabuntur* super omnes montes, non tamen effluent terrae, secundum illud Psalmi [18]: *Mirabiles elationes maris.* — Decimum septimum est, quia *aequora prosternentur* in imum profundi, ut vix oculis humanis videantur, secundum quod dicit Hieronymus, in Annalibus Hebraeorum se invenisse. — Decimum octavum est, quia omnia *maria* redigentur in antiquum statum, qualia creata sunt, sicut magistri sentiunt. — Decimum nonum est, quia *belluae* et omnia volatilia, et quae moventur in aquis, congregabuntur et *dabunt rugitum* ad caelum more contentionis, secundum quod narrat Hieronymus. — Vigesimum est, quia omnia *volatilia* congregabuntur in campis, unumquodque in ordine suo, plorantes, ululantes, et non gustabunt, secundum quod narrat Hieronymus. — Vigesimum primum est, quia *fulmina ignea* surgent ab occasu solis contra faciem firmamenti usque ad orientem concurrentia, secundum magistros. — Vigesimum secundum est, quia *ardebit aqua*, secundum narrationem Hieronymi. — Vigesimum tertium est, quia *herbae et arbores* dabunt rorem sanguineum, secundum narrationem Hieronymi.

---

[1] Ex eodem codice fol. 5 v. De eodem themate tractat supra sermo primus.
[2] Vers. 25.
[3] Psalm. 96, 3.
[4] Vers. 11.
[5] Vers. 10.
[6] Vers. 16.
[7] Vers. 11.
[8] Vers. 25.
[9] Vers. 11.
[10] Ibid.
[11] Vers. 26.
[12] Vers. 24.
[13] Vers. 9.
[14] Vers. 10.
[15] Vers. 8. seq. Glossa *interlinearis* ad verbum *cuius* dicit: « Scilicet et antichristi »; cfr. ibid. Glossa *ordinaria*.
[16] Cfr. IV. Reg. 2, 11, Eccli. 44, 16. et Apoc. 11, 3. et 7. seqq.
[17] Vide supra pag. 25, notam 3. Sed de his signis Bonav., Comment. in Luc. cap. 21. v. 27. dicit, quod « a diversis diversimode ordinantur », ut fit ab ipso Bonav. locc. supra citt.
[18] Psalm. 92, 4.

— Vigesimum quartum est, quia omnia *aedificia* humana arte constructa simpliciter et universaliter *ruent*, secundum Evangelium Matthaei [1]. — Vigesimum quintum est, quia omnes *lapides* magni et parvi *scindentur* in multas partes et collidentur ad invicem, secundum narrationem Hieronymi. — Vigesimum sextum est, quia omnes *montes* et colles et lapides *in pulverem redigentur*, secundum narrationem Hieronymi. — Vigesimum septimum est, quia omnia *animalia terrae* venient ad campos de silvis mugientia et non gustantia, secundum narrationem Hieronymi. — Vigesimum octavum est, quia fiet *adaequatio terrae*, secundum narrationem Hieronymi. — Vigesimum nonum est, quia exibunt *homines* de cavernis et ibunt velut amentes et non poterunt sibi mutuo loqui, secundum narrationem Hieronymi. — Trigesimum est, quia omnia *sepulcra* patebunt, resurgentibus (sic) unoquoque hora sua, secundum Hieronymum. — Trigesimum primum est, quia *morientur homines vivi* tunc, ut cum mortuis resurgant. — Trigesimum secundum est, quia apparebit *signum Filii hominis* in caelo, secundum Matthaei vigesimum quartum [2], cum omnibus passionis suae instrumentis et cicatricibus. Hieronymus: « Tunc veniet Filius hominis in maiestate sua et omnes Angeli eius cum eo, et fiet discussio et sententia pro universis ».

Quibus peractis, cessabit motus caeli et influentia luminarium, facta remuneratione corporum caelestium [3], et non erit nox prima nisi in inferno, omnibus corporibus caeli stantibus in ordine, quo creata sunt, igne remanente mundificato ad modum vernantis scharlati in substantia sine potentia agendi vel multiplicandi se, aëre vero renovato, serenato, clarificato ad modum auri amoenissimi. Terra vero orbicularis et plana et lucida effecta, clarissima ad instar crystalli et virentissima ad instar smaragdi, aqua etiam gelata et pervia, ut vitrum perlucidum, faece tandem omnium sic purgatorum descendente in barbam damnatorum ad infernum.

Sermo X [4].

Item, summaria intentio Evangelii secundum Lucam [5], quod legitur prima Dominica de Adventu secundum ordinem sanctae Romanae Ecclesiae, et praedicavit eam sic decurrendo Evangelium illud frater Bonaventura coram rege Franciae ad petitionem ipsius.

Erunt, inquit, *signa in sole et luna et stellis, et in terris pressura gentium prae confusione sonitus maris et fluctuum*, Lucae vigesimo primo [6].

In isto Evangelio, ut per timorem adventus iudicialis unusquisque fidelis disponatur ad celebrandum et recolendum Nativitatem Christi, in qua solemnizatur adventus clementiae sempiternalis, qui factus est per unionem divinae naturae cum humana, Dominus et Salvator noster Iesus, alloquens discipulos in persona omnium electorum, duo principaliter facit.

I. Primo *erudit ad providentiam* finalium tribulationum, exprimens circa finale iudicium futuram universalem commotionem ex parte *naturae caelestis*, quia *erunt signa*, obscurationis, *in sole et luna et stellis*. — Ex parte *naturae elementaris*, quia *in terris pressura gentium prae confusione sonitus maris et fluctuum* erit. — Ex parte *naturae rationalis* humanae, quia *arescent homines prae timore et exspectatione, quae supervenient universo orbi*. — Ex parte *naturae intellectualis* angelicae, quia *virtutes caelorum commovebuntur*. — Ex parte *iudicis apparentis* in rutila nube et praecellenti claritate et dignitate, quia *tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et maiestate*. Pars I.

II. Secundo *erigit ad confidentiam* caelestium consolationum, et hoc *exhortatione confortatoria* sub spe redemptionis appropinquantis; *his*, inquit, *fieri incipientibus, respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra*. — *Similitudine manuductoria* sub metaphora terrestris pullulationis *ficulneae* aestatem signantis. — *Assertione certificatoria* sub nomine *caeli et terrae* potius periturorum quam verborum horum suorum non implendorum. Pars II.

Sermo XI [7].

Item, sermo fratris Bonaventurae de eadem Dominica, factus in capella domini regis Parisius coram rege et familia.

Erunt signa in sole et luna et stellis, Lucae vigesimo primo [8].

In hac prima Dominica Adventus Domini renovatur Ecclesia in Officiis [9], per quod ostenditur, quod, si quis vult Nativitatem Domini digne celebrare, digne renovari debet interius in *affectibus* et exterius in sacris *moribus* et *operibus*, ut inveniantur in eo signa salvationis per conformationem ad Christum solem et Matrem lunam et Apostolos stellas. *Spiritualiter* accipiendo verba proposita, describit hic Dominus, in exemplum Ecclesiae convocandae et aedificandae et ad sui et Matris et Apostolorum imitationem alliciendae, primo *suae vitae perfectionem multiplicem*, cum dicit: *Erunt signa in sole*; secundo suae Matris *conversationem deiformem*, cum addit: *et luna*; tertio suae *comititiae sanctitudinem*, cum subinfert: *et stellis*, id est Apostolis. Divisio.

---

[1] Cap. 24, 2. seqq. [2] Vers. 30.
[3] Cfr. Bonav., IV. Sent. d. 48. a. 2. q. 1. 2. 3.
[4] Ex eodem codice fol. 7 r. Sermo est per modum homiliae. [5] Cap. 21, 25-33. [6] Vers. 25.
[7] Ex eodem codice fol. 8 r. [8] Vers. 25.
[9] Id est, incipit novus annus ecclesiasticus.

I. Sciendum igitur, quod qui vult dominicae Na-
Pars I. tivitatis celebritatem desiderabilem honorifice praevenire et in se ostendere, debet digne Christum recipere vivendo et moriendo; studeat habere et invenire in se signa, quae Christus et Mater et Apostoli in se ostenderunt et praebuerunt et reliquerunt mundo. Signa autem haec fuerunt et sunt novem: primum signum, quod fuit in *sole*, Christo, et debet esse in populo christiano, est signum *paupertatis altissimae*; Lucae secundo [1]: *Hoc erit vobis signum: invenietis infantem pannis involutum et positum in praesepio.* Hoc signo signari debet qui vult sequi Christum. — Secundum signum fuit *pietatis affluentissimae*, de quo Isaiae undecimo [2]: *In die illa radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.* Stetit autem Christus *in signum populorum* ad *filios Dei dispersos congregandos in unum* [3]. — Tertium signum, quod fuit in Christo sole, fuit *humilitatis profundissimae*, in figura cuius habetur Isaiae vigesimo [4]: *Sicut ambulavit servus meus Isaias nudus et discalceatus, trium annorum signum et portentum erit*, supple: Christus Christianis [5].

II. Primum autem signum, quod fuit in *luna*,
Pars II. Matre Virgine, fuit signum *imitandae honestatis*, de quo Apocalypsis duodecimo [6]: *Signum magnum apparuit in caelo*, id est in Ecclesia, *mulier amicta sole*, id est honestatis claritate, *et luna*, hoc est perfecta integritas, *sub pedibus eius*, id est affectibus mentis et corporis eius, *et in capite eius*, id est in mentis vertice, *corona stellarum duodecim*, id est honor et gaudium plenum quinque sensuum interiorum et quinque exteriorum incorruptione et virginitate post partum. — Secundum signum, quod fuit in Matre Virgine, fuit signum *laudandae* per omnia *sobrietatis*, et de hoc signo habetur Isaiae sexagesimo secundo [7]: *Praeparate viam populo, planum facite iter, eligite lapides et elevate signum ad populos.* Hoc totum fecit beata Virgo virtute suae laudandae in omnibus et per omnia sobrietatis, ut *paratam viam* haberet ad continuam contemplationem et *planam* et mitem haberet conversationem et omnibus se praeberet exemplum et *signum* ad salvationem. — Tertium signum, quod fuit in Matre Virgine, fuit signum *praedicandae* per omnia *fidelitatis*, et de hoc habetur Isaiae quadragesimo nono [8]: *Ecce, levabo ad gentes manum meam et ad populos exaltabo signum meum. — Ecce, levabo*, inquit Filius, *ad gentes manum meam*, id est, ostendam eis potestatem meam, *et ad populos exaltabo*, id est coram populis, *signum meum*, id est fidelitatem [9], quae fuit in Matre mea.

III. Primum autem signum aedificationis, quod Pars III.
fuit in *stellis*, id est Apostolis, fuit signum *zeli ferventissimi*, et de hoc habetur Sapientiae decimo sexto [10]: Fuerunt, inquit, *signum habentes salutis ad commemorationem mandati legis tuae*; et Sapientiae decimo [11]: *Stetit*, Moyses, id est coetus apostolicus, *contra reges horrendos in portentis et signis.* — Secundum signum, quod fuit in Apostolis, fuit signum *martyrii promptissimi*, de quo potest exponi illud Psalmi [12]: *Posuerunt signa sua signa et non cognoverunt*, id est, infideles hoc cognoscere recusaverunt. — Tertium signum, quod fuit in Apostolis, fuit signum *propositi constantissimi*, et de hoc dicitur Ecclesiastici quadragesimo quinto [13]: *Corona aurea super caput eius*, id est ordinis apostolici, *expressa signo sanctitatis*, id est infirmitatis, *et gloria honoris, opus fortitudinis.*

Sermo XII [14].

Item, sermo fratris Bonaventurae factus Lugduni in choro maioris ecclesiae coram clericis et canonicis Lugduni in eadem ecclesia.

Erunt signa in sole et luna et stellis, Lucae vigesimo primo [15].

Cum in Ecclesia militante videantur quidam esse iustitiae *eminentis*, ut sint sicut *sol* [16]; quidam iustitiae *crescentis*, ut sint sicut *luna*; quidam iustitiae *sufficientis*, ut sint sicut *stellae*; ostenditur nobis his verbis spiritualiter intellectis primo mul- Divisio.
torum talium, qualis fuit in antiquis et qualis debet esse in modernis, *status vitae et excrescentia*, et hoc in *claritate luminarium*. Secundo, in fine temporum, qui iam incepit, ostenditur multorum talium *ignominiosa nequitia*, et hoc in *obscuratione* ipsorum per subtractionem bonorum operum et sacrorum exemplorum futurorum et aliquorum iam existentium. Primum tangitur ibi: *in sole et luna et stellis*; secundum innuitur, cum dicitur, quod in eis *erunt signa*, obscurationis eorum.

I. Notandum ergo, quod *superiores praelati* vel Pars I.
viri *iustitiae eminentis* comparantur *soli* propter *sublimitatem positionis* in *virtutum culmine*. Unde ipsi debent esse in Ecclesia *sicut sol oriens mundo in altissimis Dei*, iuxta illud Ecclesiastici vigesimo sexto [17]. — Propter *nobilitatem oppositionis* in *doctrinae acumine*. Ipsi enim debent esse sicut *sol tripliciter exurens montes*, id est omnes tempestates et haereses, Ecclesiastici quadragesimo tertio [18]. — Propter *nobilitatem directionis* in *curae regimine* et sui ipsius revisione; Ecclesiastici quadragesimo

---

[1] Vers. 12.
[2] Vers. 10.
[3] Ioan. 11, 52.
[4] Vers. 3.
[5] Vulgata: *super Aegyptum.*
[6] Vers. 1.
[7] Vers. 10.
[8] Vers. 22.
[9] Cod. *felicitatem.*
[10] Vers. 6.
[11] Vers. 16.
[12] Psalm. 73, 4. seq.
[13] Vers. 14; infra substituimus *humilitatis* pro *infirmitatis.*
[14] Ex eodem codice fol. 8 v.
[15] Vers. 25.
[16] Hoc primum membrum in codice excidit, sed ex infra dictis suppleri potuit.
[17] Vers. 21.
[18] Vers. 4.

secundo [1]: *Sol illuminans per omnia respexit, et gloria Domini plenum est opus eius;* Ecclesiastae primo [2]: *Oritur sol et occidit et ad locum suum revertitur;* tertii Esdrae quarto [3]: *Velox cursus solis convertit in gyro caelum in locum suum in una die.*

De clericis. Comparantur vero *inferiores praelati* sive clerici et doctores *lunae,* quia sicut luna sunt *mensuratores* temporis et varietatis indicium [4] per universalem discretionem et providentiam, secundum illud Ecclesiastici quadragesimo tertio [5]: *Luna in omnibus in tempore suo ostensio temporis et signum aevi. — Dominatores maris et humiditatis* dominium non per auctoritatis iurisdictionem et familiarum sive subditorum reformationem et conciliationem, iuxta illud Psalmi [6]: *Thronus eius sicut sol in conspectu meo et sicut luna perfecta in aeternum. — Ministratores roris et serenitatis* praesagium per beneficiorum subventionem et consolationum spiritualium subministrationem viscerosam, iuxta illud quod dicitur Ecclesiastici quadragesimo tertio [7]: *A luna signum diei festi.*

De Religiosis. Comparantur tandem *Religiosi* sive alii inferiores *stellis* propter *claritatem luminum* sapientiae; Baruch tertio [8]: *Stellae dederunt lumen in custodiis suis.* — Propter *firmitatem habitum* iustitiae; Danielis duodecimo [9]: *Quasi stellae in perpetuas aeternitates.* — Propter *exemplorum vitae formositatem;* Ecclesiastici quadragesimo tertio [10]: *Species caeli,* id est Ecclesiae, *gloria stellarum,* id est honor et decus vitae, exemplorum amor [11].

Pars II. II. Sed proh dolor! in fine temporum, qui coepit iam, in aliquibus pro peccatis nostris sunt et *erunt* maxime *signa* in sole et luna et in omnibus stellis et in omnibus gradibus Ecclesiae supra dictis. Patiuntur enim et maxime patientur, secundum Domini sententiam, ad instar luminarium caeli consueti *itineris inordinationem* per negligentiam nimiam; Apocalypsis octavo [12]: *Et percussa est tertia pars solis et tertia pars lunae et tertia pars stellarum, ita ut obscuraretur tertia pars eorum. — Maculae infusionem* per licentiam abusivam; Ezechielis trigesimo secundo [13]: *Et nigrescere faciam stellas eius, solem nube tegam, et luna non dabit lumen suum. Omnia luminaria caeli moerere faciam super te et dabo tenebras super terram tuam, dicit Dominus Deus. — Sanguinis infusionem* per iniustitiam excessivam; Apocalypsis sexto [14]: *Sol factus est niger tanquam saccus cilicinus, et luna tota facta est sicut sanguis, et stellae de caelo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos, cum a vento magno movetur.*

Sermo XIII [15].

Item, sermo fratris Bonaventurae editus prima Dominica de Adventu, cum esset cardinalis, praesente Papa Gregorio X. et multis cardinalibus et tota curia ad Missam.

Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum, Psalmus [16].*

Sanctus et sacer David, *spiritu magno videns ultima* [17] dominicae incarnationis sive adventum incarnandi, quem modo colere coepimus, tria eleganter in verbis his facit sive designat, quorum primum est *Dei* potentis influentis *mirifica liberalitas,* ibi: *Dominus dabit benignitatem;* secundum est *Virginis* supernaturaliter concipientis *gloriosa fecunditas,* ibi: *et terra nostra;* tertium est superbenedictae *prolis gloriosa nativitas,* ibi: *dabit fructum suum.* Divisio.

Pars I. I. Circa primum notandum, quod Dominus dedit Virgini Mariae concipienti triformem benignitatem, scilicet gratiae *praevenientis* per primam sanctificationem in utero; ad Titum tertio [18]: *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti.* — Gratiae *dirigentis* per sanctam conversationem in mundo; Psalmus [19]: *Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion, ut aedificentur muri Ierusalem; Sion,* beata Maria. — Gratiae *fecundantis* per almam conceptionem de Spiritu sancto; Psalmus [20]: *Benedices coronae anni benignitatis tuae, et campi tui replebuntur ubertate; benedices coronae,* id est integritati virginali; *anni benignitatis tuae,* scilicet conceptum et ortum Christi.

Pars II. II. Circa secundum nota, quod beata Maria concipiens dicitur *terra,* quia instar bonae et electae terrae fuit ab omnibus *malis radicitus segregata* per exstinctionem omnium fomitum; Psalmus [21]: *Benedixisti, Domine, terram tuam, avertisti captivitatem Iacob. — Aquis pluvialibus irrigata* per effusionem multiformium devotionum; Genesis [22]: *Fons ascendebat e terra, irrigans universam superficiem terrae. — Radiis solaribus opposita* per inflammationem caelestium desideriorum; Ecclesiastici quadragesimo tertio [23]: *Sol in meridiano exurit terram, et in conspectu ardoris eius quis poterit sustinere?*

---

[1] Vers. 16. [2] Vers. 5.
[3] Vers. 34.
[4] In codice habetur incongrum vocabulum *verbum* et infra post *humiditatis* videtur legendum *dominium.*
[5] Vers. 6. [6] Psalm. 88, 38.
[7] Vers. 7. [8] Vers. 34.
[9] Vers. 3. [10] Vers. 10.
[11] In ultimis huius num. verbis videtur esse defectus, vel corruptio.
[12] Vers. 12. [13] Vers. 7. seq.
[14] Vers. 12. seq.
[15] Ex eodem codice fol. 10 r. [16] Psalm. 84, 13.
[17] Eccli. 48, 27. In codice subiungitur incongrue vox *cura.* Infra pro *potentis* lege *potenter.*
[18] Vers. 4, seq. Vulgata: *Cum autem benignitas et humanitas apparuit* etc. [19] Psalm. 50, 20.
[20] Psalm. 64, 12. [21] Psalm. 84, 2
[22] Cap. 2, 6. [23] Vers. 2. seq.

III. Circa tertium nota, quod Virgo benedicta
Pars III. dedit mundo *fructum triplicem*, scilicet *spectabilem, mundilitiae* scilicet fontalis, deiformiter mundum pulcrificantis; Proverbiorum tertio [1]: *Auri primi et purissimi fructus eius. — Desiderabilem, claritatis* scilicet sapientialis, mundo intellectualiter supersplendentis; Psalmus [2]: *Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. — Oblectabilem, familiaritatis* scilicet spiritualis, affectualiter devotum suavificantis; Canticorum secundo [3]: *Sub umbra illius quem desideraveram, sedi, et fructus eius dulcis gutturi meo.*

SERMO XIV [4].

Item, sermo fratris Bonaventurae factus in domo Praedicatorum Parisius coram Universitate.

Dicite filiae Sion: Ecce, rex tuus venit tibi mansuetus, Matthaei vigesimo primo [5].

Cum secundum beatum Augustinum in libro de
Introductio. Spiritu et anima [6] nihil intelligere valeat intellectus noster nisi mediante influentia lucis aeternae, et quoniam quidquid scimus, hoc est per participationem sapientiae increatae, secundum quod dicit Hugo de Sapientia Christi [7], et sapientia Christus est; ideo invocabimus Dominum Iesum Christum, paternum lumen, secundum Dionysium in principio angelicae Hierarchiae [8], ut ipse, qui est fontale principium omnis verae *illuminationis* ad scientiam, fontale principium omnis rectae *informationis* ad gratiam, fontale principium fructuosae *elocutionis* ad doctrinam, ut per viscera pietatis et per intercessionem gloriosissimae Matris suae etc.

Dicite filiae Sion etc. In verbo isto, quod in
Sermo. prima Dominica de Adventu in multis ecclesiis legitur, describitur nobis adventus Salvatoris, quem ce-
Divisio. lebrat modo mater Ecclesia, tribus modis: primo, quantum ad *praesentiam* festivam et laetam *adventientis*, ibi: *Dicite filiae Sion: Ecce, rex tuus;* secundo, quantum ad *utilitatem* magnam et praecipuam *adventus*, ibi: *venit tibi;* tertio, quantum ad *modum* aedificatorium *veniendi*, ibi: *mansuetus.*

I. Quantum igitur ad primam partem, qua di-
Pars I. citur: *Filiae Sion: Ecce, rex tuus venit,* notare possumus et scire, quod Christi regis nostri advenientis
Praesentia Christi veneranda. praesentiā est nobis omnibus *veneranda* propter generosam venientis originem. Haec autem generosa Christi origo ostenditur ex supernaturali de utero Virginis *processione*, ex supersubstantiali de Patris utero *emanatione* et ex stabili sui *immutabilitate*. Non enim propter assumtionem carnis fuit in eo facta mutatio, sed in natura tantum assumta; « divina enim natura », secundum quod dicit Anselmus in libro Cur Deus homo [9], « nullatenus potest humiliari », et hoc est quod dicit Pater Malachiae tertio [10]: *Ecce, ego mitto,* per carnis assumtionem, *angelum meum,* id est venerabilem Filium de mea substantia genitum, qui *praeparabit viam*, salutis aeternae, *ante faciem* tuam, o genus humanum, *et statim*, per praesentiam carnis et procurationis tuae salvationis, *veniet ad templum* sanctum *suum Dominator, quem vos quaeritis*, ad colendum, *et Angelus testamenti, quem vos vultis*, ad venerandum. — *Desideranda* Desiderand. propter gratiae largifluam plenitudinem. Venit antem sic: ad irrigandum nos triplici gratia Spiritus sancti, scilicet charismatibus *compunctionis* amarae, *devotionis* mellifluae et *contemplationis* excessivae, iuxta quae tria dicitur Canticorum quinto [11]: *Veniat dilectus meus in hortum suum et comedat fructum pomorum suorum. Messui myrrham meam cum aromatibus meis, comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo;* ut myrrha pro primo, favus et mel pro secundo, vinum et lac pro tertio accipiatur. — *Formidanda* propter iustitiae severi- Formidand. tatem inaestimabilem. Veniet enim in die iudicii in *potestate*, quam nullus poterit effugere, in *austeritate*, quam nullus poterit inflectere, in *aequitate*, quam nullus poterit declinare, in *claritate*, quam nullus poterit latere; et hoc est quod dicitur Isaiae quadragesimo [12]: *Ecce, Dominus Deus in fortitudine veniet, et brachium eius dominabitur.*

II. Quantum ad secundam partem, qua dicitur: Pars II.
venit tibi, notare possumus, quod Filius Dei venit
Ad nos liberandum. nobis, hoc est ad utilitatem nostram. Venit enim *ad liberandum nos ab omni malo*, et hoc per immensae virtutis effectum; etenim per suum adventum liberavit nos ab *universalitate* perpetuae culpae, ab *immensitate* offensae divinae, a *mortalitate* naturae leprosae, qua nullus carebat, et ab *interminabilitate* poenae gehennae, ad quorum singulorum liberationem requirebatur, quod esset Deus, qui liberaret. Pro quibus omnibus orabat David dicens in Psalmo [13]: *Excita*, Domine, *potentiam tuam et veni, ut salvos facias nos*, ab his, supple, quatuor malis maximis, quibus obstricti omnes tenemur.

Vel venit *ad eruditendum nos in omni vero,*
Ad nos eruditendum. et hoc per increatae lucis influxum. Per suum enim adventum *illustravit* nos ad interiora reformanda, *elevavit* ad divina munera cognoscenda, *deduxit* nos ad mundana omnia aspernenda; quae omnia nullus poterat in nobis efficere, nisi esset Deus. Propter quae omnia ipse Dei Filius dixit Ioannis duodecimo [14]: *Ego lux in mundum veni, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat*, supple praemissorum quatuor.

---

[1] Vers. 14.
[2] Psalm. 1, 3.
[3] Vers. 3.
[4] Ex eodem codice fol. 10 v.
[5] Vers. 5; cfr. Isai. 62, 11.
[6] Cap. 12.
[7] De Sapientia animae Christi; Migne Patrol. Lat. tom. 176. col. 850 seq., cfr. col. 848.
[8] Cap. 1. § 2: Τὸ πατρικὸν φῶς.
[9] Lib. 1. c. 8. (inter Op. Augustini).
[10] Vers. 1.
[11] Vers. 1.
[12] Vers. 10.
[13] Psalm. 79, 3.
[14] Vers. 46.

d nos per-ciendum.

Ad perficiendum nos in omni bono, per excessivae caritatis incendium. Etenim per suum adventum *inflammavit* nos ad suam dilectionem et degustationem, *allexit* ad supernam aedificationem, *excitavit* ad ecclesiasticam promotionem, *constituit* in salutis et caritatis statu et beatitudine. Propter quae omnia ipse dicebat Lucae duodecimo [1]: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur?*

Pars III.

III. Quantum ad tertiam partem, qua dicitur venisse *mansuetus*, notandum, quod mansuetudo regis nostri Iesu advenientis apparuit in his: quia enim non potest esse mansuetus ille, in quo regnat *avaritia*, quia talis vult semper alios spoliare; nec ille, in quo regnat *malitia*, quia talis vult semper alios concutere; nec ille, in quo regnat *superbia*, quia talis semper vult alios conculcare: ideo, ut se mansuetum ostenderet secundum apparentiam et secundum veritatem, venit ut *pauper* contra *avaritiam*, venit, inquam, ut pauper quoad actum *possidendi*, quoad actum *amandi*, quoad actum *sperandi*, quoad actum *recogitandi*. Hoc est quod Zachariae nono [2] dicitur Ecclesiae christianae: *Iubila, filia Ierusalem; ecce, rex tuus veniet tibi iustus et salvator; ipse pauper et ascendens super asinam et super pullum, filium asinae.* — Ut *clemens* contra *malitiam*; veniens enim mala non *amavit*, mala non *fecit*, mala non *procuravit*, malis *benefecit*, malos *in bono vicit* [3]; et hoc est quod ipse dicit Ioannis tertio [4]: *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* — Ut *obediens* contra *superbiam*; etenim veniendo voluntati Patris *obedivit*, voluntatem suam voluntati Patris in omnibus *conformavit*, vituperia propria non *curavit*, in vera obedientia permanendo, iustitiam quoque servando *vitam finivit*. Unde ipse dicebat Ioannis decimo sexto [5]: *Exivi a Patre et veni in mundum, iterum relinquo mundum et vado ad Patrem. — Exivi a Patre*, per aeternam generationem, *et veni in mundum*, per carnis assumtionem; *iterum relinquo mundum*, per passionem.

Venit ut pauper.

t clemens.

obediens.

Sermo XV [6].

Item, sermo fratris Bonaventurae de eadem Dominica factus in eadem domo Praedicatorum Parisius coram Universitate.

Benedictus, qui venit in nomine Domini, Matthaei vigesimo primo [7].

In isto verbo, quod in prima Dominica de Adventu in multis ecclesiis legitur, describitur nobis Domini nostri Iesu Christi adventus in mundum istum dupliciter, scilicet ut *mirabiliter gratiosus* et ut *venerabiliter fructuosus*. Propter primum dicitur: *Benedictus;* propter secundum dicitur: *qui venit in nomine Domini.*

Divisio.

Pars I.

I. Quantum ad primam partem notare possumus, quod adventus Filii Dei in hunc mundum fuit benedictus quadriformiter. Nam fuit benedictus in *incarnatione* propter plenitudinem gratiae; et hoc est quod dicit mater Ioannis beatae Mariae: *Benedictus fructus ventris tui* [8]. — In *conversatione* propter pulcritudinem vitae; et hoc est quod dicitur Deuteronomii vigesimo octavo [9]: *Benedictus eris tu ingrediens et egrediens.* — In *praedicatione* propter perfectionem doctrinae; et hoc est quod dicitur primi Regum vigesimo quinto [10]: *Benedictus Dominus Deus Israel, et benedictum eloquium tuum.* — In *operatione* propter sanctitudinem innocentiae; et hoc est quod dicitur Deuteronomii trigesimo tertio [11]: *Benedictus in filiis Aser*, id est in operibus et exemplis.

Benedictus in incarnatione.

In conversatione.

In praedicatione.

In operatione.

Pars II.

II. Quantum ad secundam partem notare possumus, quod Filius Dei dicitur venisse in hunc mundum *in nomine Domini*, quia venit in zelo paternae *laudis* et *honorificentiae;* et hoc est quod ipse dicebat Iudaeis ingratis Ioannis quinto [12]: *Ego veni in nomine Patris mei, et non accipitis me.* — In zelo *pacis* et *concordiae;* et hoc est quod orabat ecclesia, Iudith tertio [13]: *Veni nobis pacificus Dominus et utere servitio nostro, sicut placuerit tibi.* — In zelo omnimodae *veritatis* et *iustitiae;* et hoc est quod ipse dicebat Ioannis decimo octavo [14]: *Ego in hoc natus sum et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* — In zelo *pietatis* et *misericordiae;* et hoc est quod ipse dicebat Lucae decimo nono [15]: *Venit enim Filius hominis quaerere et salvum facere quod perierat.* — In zelo *paupertatis* altissimae; et hoc est quod habetur Zachariae nono [16]: *Ecce, rex tuus veniet tibi iustus et salvator, ipse pauper ascendens super asinam et super pullum, filium asinae.* — In zelo mundae *castitatis* et *sanctimoniae;* et hoc est quod Baptista Ioannes testatur Ioannis tertio [17]: *Qui est de terra de terra est et de terra loquitur; qui* autem *de caelo venit*, hoc est « de altitudine humanae naturae » sive munditiae, *super omnes est.*

Christi zelus sexformis.

Sermo XVI [18].

Item, sermo Bonaventurae prima Dominica de Adventu editus in Conventu Fratrum Minorum Parisius in Capitulo.

Respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra, Lucae vigesimo primo [19].

---

[1] Vers. 49.
[2] Vers. 9.
[3] Rom. 12, 21.
[4] Vers. 17.
[5] Vers. 28.
[6] Ex eodem codice fol. 12 r.
[7] Vers. 9.
[8] Luc. 4, 42.
[9] Vers. 6.
[10] Vers. 32.
[11] Vers. 24.
[12] Vers. 43.
[13] Vers. 6.
[14] Vers. 37.
[15] Vers. 10.
[16] Vers. 9.
[17] Vers. 31. — Sequitur Glossa *ordinaria* in Ioan. 3, 31.
[18] Ex eodem codice fol. 13 r.
[19] Vers. 28.

In his verbis, volens Salvator praemunire suos contra futuram in fine mundi tribulationem, duo fa-
Divisio. cit: primo *excitat ad provisum considerationem* et desiderium aeternorum, ne seducamur; secundo *pronuntiat omnimodam consolationem* ne terreamur. Per primum instruit ad contemptum terrenorum et desiderium aeternorum; per secundum ad gaudium et pacem interiorem. Primum facit ibi: *Respicite et levate capita vestra*, quasi dicat: cum videritis, haec temporalia transire, et signa finis mundi advenire; occurrite Domino, ite obviam [1] Christo per affectiones elevatas et desideria sancta in Deum translata. In cuius signum sancta mater Ecclesia incipit hodie Officium Missae: *Ad te levavi animam meam* [2]. Secundum facit ibi: *quoniam appropinquat redemptio vestra*, id est effectus redemptionis vestrae, qui est in vera participatione gloriae paradisi.

I. Notandum itaque, quod ad hoc, quod anima sur-
Pars I. sum agatur et contra tribulationes [3], primum oportet, quod sursum feratur in Deum secundum motionem omnium virium suarum ad modum alatarum avium, naturaliter sursum se ferentium et se undique expandentium, sicut patet ex Scriptura sancta, in qua Dominus docet nos et monet levare omnia membra
Levare debemus caput. interiora ad Deum. Debemus enim levare primo *capita* per simplicitatem intentionis; Ecclesiastici vigesimo [4]: *Est propter gloriam minoratio, et est qui*
Oculos. *ab humilitate levabit caput.* — Secundo, *oculos* per limpiditatem circumspectionis; Matthaei decimo septimo [5]: *Levantes autem oculos suos neminem vi-*
Corda. *derunt nisi solum Iesum.* — Tertio, *corda* per vivacitatem affectionis; Threnorum tertio [6]: *Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in caelos.*
Manus. — Quarto, *manus* per virtutem operationis; Psalmus [7]: *Et levavi manus meas ad mandata tua, quae dilexi, et exercebar in iustificationibus tuis.*
Vocem. — Quinto, *vocem* per veritatem locutionis; Isaiae quinquagesimo secundo [8]: *Vox speculatorum tuorum: levaverunt vocem, simul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt, cum converterit Domi-*
Faciem. *nus Sion.* — Sexto, *faciem* per venustatem conversationis; Iob undecimo [9]: *Tunc levare poteris* ad Deum *faciem tuam absque macula.* — Septimo,
Totam animam. *totam animam* per suavitatem devotionis; Psalmus [10]: *Ad te, Domine, levavi animam meam, Deus meus, in te confido, non erubescam.*

II. Si autem levatis membra interiora singula
Pars II. cum toto animo, simul *appropinquat redemptionis effectus*, qui quidem consistit in septiformi gaudio paradisi: in ardua *celsitudine divinae gloriae*, quae nobis plene manifestabitur; in ornata *pulcritudine divinae sapientiae*, quam aperte contemplabimur; in reflexa *rectitudine divinae iustitiae*, quam rite admirabimur; in immensa *dulcedine divinae clementiae*, quam perfecte experiemur; in optata *amoenitate societatis beatae*, quam notorie [11] (?) assequemur; in praeclara *reseratione nostrae animae*, qua aeterne dilatabimur; in summa *impletione voluntatis omnimodae*, quam plenarie adipiscemur. — Si igitur sic septiformiter levemur in Deum et in eum naturaliter transferamus nostrum desiderium, indubitanter cum electis Dei ad istud septiforme gaudium, in quo consistit effectus nostrae redemptionis et consummatio nostrae salutis, transferemur in paradisum.

Gaudium septiforo

Sermo XVII [12].

Item, sermo fratris Bonaventurae editus in Conventu Lugdunensi coram Fratribus in Capitulo, prima Dominica de Adventu.

Scitote, quoniam prope est regnum Dei, Lucae vigesimo primo [13].

Verba ista, sive accipiantur de regno Dei, quod *adventum Filii Dei* vocamus, ad cuius Nativitatem nos modo praeparare debemus, sive de regno Dei, quod *paradisum* dicimus, utroque modo proprie et vere accipiuntur, quia regnum *gloriae* prope est servis Dei, et regnum *gratiae*, adventus Christi, iam est inter servos Dei et crescere et multiplicare habet quotidie in servis suis.

Utroque ergo modo sumtum regnum Dei, dicere possumus, quod regnum hoc est locus sive res summae *maiestatis*, et ideo requirit prope se viros nobilium desideriorum et venerationum; Psalmus [14]: *Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius, ut inhabitet gloria in terra nostra.* — Summae *claritatis*, et ideo requirit prope se viros praeclararum contemplationum et meditationum; Psalmus [15]: *Prope es tu, Domine, et omnes viae tuae veritas.* — Summae *suavitatis*, et ideo requirit prope se viros caelestium unctionum et recreationum; ad Philippenses quarto [16]: *Gaudete in Domino semper, iterum dico*: *Gaudete* etc., *Dominus prope est.* — Summae *sanctitatis*, et ideo requirit prope se viros regularium conversationum sive deiformium; Psalmus [17]: *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate.*

---

[1] Respicitur Ioan. 12, 13.
[2] Psalm. 24, 1.
[3] Supple: *praemuniatur.*
[4] Vers. 11.
[5] Vers. 8.
[6] Vers. 41.
[7] Psalm. 118, 48.
[8] Vers. 8.
[9] Vers. 15.
[10] Psalm. 24, 1.
[11] Ita videtur habere codex, sed parum congrue.
[12] Ex eodem codice fol. 13 v.
[13] Vers. 31.
[14] Psalm. 84, 10.
[15] Psalm. 118, 151.
[16] Vers. 4. seq.
[17] Psalm. 144, 18.

Sermo XVIII [1].

Item, sermo fratris Bonaventurae editus in sancto Dionysio de Parisiis prima Dominica de Adventu, coram toto Monasterio in Capitulo monachorum.

Videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et maiestate, Lucae vigesimo primo [2].

In hac auctoritate describitur tam adventus Filii Dei in uterum virginalem quam adventus ad iudi- Divisio.
cium generale triformiter, scilicet ut *universaliter contemplabilis* in hoc, quod dicitur ab omnibus visurus [3]; ut *mysterialiter intelligibilis* in hoc, quod dicitur *in nube* venturus; ut *venerabiliter admirabilis* in hoc, quod dicitur in *maiestate* appariturus.

I. Notare itaque possumus, quod quantum ad *priPars I.
mum adventum*, qui fuit in uterum virginalem, ve- Figura ou-
nit Filius Dei in *nube parvula* propter profundum quadrulat.
suae humilitatis; tertii Regum decimo octavo [4]: *Nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari.* — In *nube candida* propter privilegium puritatis; Apocalypsis decimo quarto [5]: *Vidi, et ecce, nubem candidam et super nubem sedentem similem Filio hominis.* — In *nube perlustrata* propter magisterium suae veritatis; Apocalypsis decimo [6]: *Vidi alium Angelum fortem descendentem de caelo amictum nube, et iris in capite eius.* — In *nube imbrifera* propter affectum eius pietatis; Ecclesiastici trigesimo quinto [7]: *Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis quasi nubes pluviae in tempore siccitatis.*

II. Venturus est autem in *fine temporum* ad iudi- Pars II.
cium generale in *nube praecelsa* quantum ad sub- Alise 4 figu-
limitatem potentiae, quam nullus poterit effugere; rae nubis.
Matthaei vigesimo sexto [8]: *Videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et venientem in nubibus caeli.* — In *nube ignea* quantum ad claritatem et virtuositatem sapientiae, quam nullus poterit latere; Ezechielis primo [9]: *Vidi, et ecce, nubes magna et ignis involvens et splendor in circuitu eius et de medio eius quasi species electri, id est de medio ignis.* — In *nube recta* quantum ad severitatem iustitiae, quam nullus poterit inflectere; Psalmus [10]: *Nubes et caligo in circuitu eius, iustitia et iudicium correctio sedis eius.* — In *nube gloriosa* quantum ad aeternitatem reverentiae, quam nullus poterit declinare; Danielis septimo [11]: *Aspiciebam in visione noctis, et ecce, cum nubibus caeli quasi Filius hominis veniebat et usque ad antiquum dierum pervenit* etc. *Et dedit ei potestatem et honorem et regnum, et omnes populi, tribus et linguae ipsi servient; potestas eius potestas aeterna, quae non auferetur* [12].

Sermo XIX [13].

Item, sermo fratris Bonaventurae editus prima Dominica de Adventu in domo Praedicatorum, Parisius coram Universitate.

Caelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt, Lucae vigesimo primo [14].

Magister noster Iesus in verbo isto, quod est consummatio Evangelii primi et ultimi omnium Dominicarum totius anni [15], comprehendit in summa universitatem omnium divinorum verborum. In quo Divisio.
verbo duo facit: primo innuit, *libri mundanae creaturae formas corruptibiles* esse et transmutabiles, et hoc facit sub nomine *transitus caeli et terrae*, per quod mittit ad contemptum huius saeculi; secundo innuit, *libri sacrae Scripturae sententias esse invariabiles* et intelligentias stabiles, et hoc facit sub nomine *verborum suorum non transiturorum*, per quod ipsum mittit ad cultum sublimis sapientiae Dei.

I. Quantum ad haec omnia notare habemus, quod Pars I.
est transitus *exterior* sive naturae, et hic est triplex, Triplex
scilicet *successionis morarum temporalium*, qui ge- transitus ex-
nerat in nobis huius mundi contemptum; Iob octavo [16]: terior.
Hesterni quippe sumus et ignoramus, quoniam sicut umbra dies nostri sunt super terram. — *Transmutationis rerum corruptibilium*, qui generat in nobis rationalis iudicii sensum; Psalmus [17]: *Mane sicut herba transeat, mane floreat et transeat* etc., id est, *sicut flos foeni transibit*, Iacobi primo [18]. — *Innovationis creaturarum mundialium*, qui generat in nobis alterius mundi desiderium; secundae Petri tertio [19]: *Adveniet autem dies Domini ut fur, in quo caeli magno impetu transient.* — Sed hic Notandum.
nota, quod quaedam transibunt quantum ad *substantiam*, sicut substantiae sensibiles et vegetabiles, quae non habent dispositionem ad aeternitatem; cuiusmodi sunt animalia et arbusta. Quaedam transibunt quantum ad *virtutem*, sicut qualitates elementares, quae non erunt activae, nec remanebit virtus agendi aut immutandi. Quaedam transibunt quantum ad *operationem*, sicut motus caeli; non enim movebitur amplius caelum, nec erit generatio et corruptio. Quaedam transibunt quantum ad *effigiem*, sicut omnia ista mundialia. Omnia tamen haec ipsa innovabuntur, ita quod, si quis videat tunc mundum hunc et mundum innovatum, et solem hunc et solem innovatum vel potius remuneratum, quasi diceret, alium mundum

---

[1] Ex eodem codice fol. 14 r.
[2] Vers. 27.
[3] Ita cod. pro *videndus*.
[4] Vers. 44.
[5] Vers. 14.
[6] Vers. 1.
[7] Vers. 26.
[8] Vers. 64.
[9] Vers. 4.
[10] Psalm. 96, 2.
[11] Vers. 13. seq.
[12] Non exposita sunt singula membra divisionis.
[13] Ex eodem codice A fol. 17 r. et Parisiensi B fol. 1 v. qui satis convenit cum A, exceptis pluribus sententiarum transpositionibus.
[14] Vers. 33.
[15] Cod. B addit *sive totius officii ecclesiastici*.
[16] Vers. 9.
[17] Psalm. 89, 6.
[18] Vers. 10.
[19] Vers. 10.

et alium solem esse, et hoc solum propter mutationem figurae, non autem substantiae [1].

II. *Interior* sive gratiae, et iste est triplex, scilicet *poenitentialis*, amarus et continuus, quo transimus de malis ad bona, quasi de Aegypto in desertum; Isaiae vigesimo tertio [2]: *Transi terram tuam quasi flumen, filia maris.* — *Iustitialis* respectu actionis et passionis, quo transimus de bonis ad meliora, quasi per mansiones deserti; Iob nono [3]: *Dies mei velociores fuerunt cursore, fugerunt et non viderunt bonum. Pertransierunt quasi naves poma portantes.* — *Sapientialis* respectu speculationis et saporis, quo transimus de melioribus ad optima, quasi per Iordanis fluenta in terram promissionis; Ecclesiastici vigesimo quarto [4]: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me.*

Pars II. Triplex transitus interior.

III. *Superior* sive gloriae, et hic est triplex, scilicet *regressivus* ad principium fontale, et iste est transitus ad cognitionem matutinam et vespertinam [5]; Ioannis decimo tertio [6]: *Sciens Iesus, quia venit hora eius, ut transeat ex hoc mundo.* — *Ingressivus* in domum sapientiae, et iste est transitus ad rationes omnium viventium et mansiones omnium praedestinatorum; Psalmus [7]: *Transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.* — *Supergressivus* sive superexcessivus in gaudium incomprehensibile, et iste est transitus ad pascua interiora Divinitatis et exteriora humanitatis Iesu Domini nostri, de quibus Lucae duodecimo [8]: *Praecinget se et faciet illos discumbere et transiens ministrabit illis.*

Pars III. Triplex transitus superior.

Sermo XX [9].

Item, sermo fratris Bonaventurae editus eadem Dominica in Conventu Fratrum de Neapoli coram Fratribus omnibus.

Nunc propior est nostra salus, quam cum credidimus, ad Romanos decimo tertio [10].

Ad commendationem praesentis temporis et gratiae Salvatoris tria hic describuntur, scilicet *influentia caelestis* nobis *praesentialis*, cum dicitur: *Nunc est; condescendentia benignitatis* nobis *liberalis*, cum dicitur: *propior est; sufficientia salutis universalis*, cum dicitur: *nostra salus.*

Divisio.

I. Circa primum notandum, quod *nunc*, id est in isto tempore, est influentia *fontis vitae;* Ioannis quinto [11]: *Venit hora et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint vivent.* — Influentia *lucis sapientiae;* Danielis decimo [12]: *Daniel, vir desideriorum, intellige verba, quae ego loquor ad te, et sta in gradu tuo; nunc enim sum missus ad te.* — Influentia *triumphi victoriosi;* Ioannis duodecimo [13]: *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* — Influentia *felicitatis aeternae;* secundae ad Corinthios sexto [14]: *Ecce, nunc tempus acceptabile, ecce, nunc dies salutis.*

Pars I. Influentiae quatuor.

II. Quantum ad secundum nota, quod Christus, *nostra salus*, est *prope* et *propior reverentibus* suam altissimam Maiestatem; Psalmus [15]: *Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius.* — *Credentibus* suam profundissimam veritatem; ad Romanos decimo [16]: *Prope est verbum in ore tuo et in corde tuo, hoc est verbum fidei, quod praedicamus.* — *Invocantibus* suam latissimam pietatem; Psalmus [17]: *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate.* — *Exspectantibus* suam longissimam aeternitatem; ad Philippenses quarto [18]: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus, Dominus prope est.*

Pars II. Christus a. verend. Credend. Invocand. Exspect. dns.

III. Quantum ad tertium nota, quod *salvat nos* Iesus universaliter, quia ab *iniquitatibus* culparum superinfundendo gratiam; Matthaei primo [19]: *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* — *A reatibus* offensarum sufferendo poenam; Isaiae quadragesimo sexto [20]: *Ego feci et ego feram, ego portabo et salvabo.* — *Ab hostilitatibus* daemonum superando pugnam; Psalmus [21]: *Salvasti enim nos de affligentibus nos et odientes nos confudisti.* — *A calamitatibus* miseriarum retribuendo coronam; ad Philippenses tertio [22]: *Salvatorem exspectamus, Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae.*

Pars III. Salvat quadrupl.

Sermo XXI [23].

Item, sermo fratris Bonaventurae editus Assisii coram Fratribus in Capitulo, prima Dominica de Adventu.

Induimini Dominum Iesum Christum, ad Romanos decimo tertio [24].

Sacer Apostolus, sacro spiratus afflamine, in hoc devoto tempore Salvatoris adventus in his verbis modis omnibus congruentibus, quibus potest, inducit, movet, monet et inflammat fideles ad conformitatem animae, linguae, vitae, famae et mortis cum

---

[1] Cod. B addit: iste novus (?) valet nobis ad cultum substantialis (!) Dei. — De praecedente doctrina cfr. IV. Sent. d. 48. a. 2. q. 1-4.
[2] Vers. 10.
[3] Vers. 25. seq.
[4] Vers. 26.
[5] De cognitione matutina et vespertina cfr. II. Sent. d. 4. a. 3. q. 1. 2.
[6] Vers. 1.
[7] Psalm. 41, 5.
[8] Vers. 37.
[9] Ex eodem cod. A fol. 20 r. et ex B, qui refert tantum tria membra divisionis sine explicatione.
[10] Vers. 11.
[11] Vers. 25.
[12] Vers. 11.
[13] Vers. 31.
[14] Vers. 2.
[15] Psalm. 84, 10.
[16] Vers. 8.
[17] Psalm. 144, 18.
[18] Vers. 5.
[19] Vers. 21.
[20] Vers. 4.
[21] Psalm. 43, 8.
[22] Vers. 20. seq.
[23] Ex eodem codice fol. 21 r.
[24] Vers. 14.

Iesu. Eapropter sciendum, quod induit, inviscerat et incorporat sibi quis Dominum Iesum suo modo imitando eum *per contemptum vanitatis* mundanae, spernendo scilicet quae ipse spernit: divitias, delicias et honores; ad Ephesios quarto [1]: *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis.* — *Per gemitum devotionis* abundae, afficiendo scilicet se circa ea, circa quae ipse se afficiebat, scilicet circa zelum animarum, circa cultum caelestium, circa studium spiritualium unctionum; ad Colossenses tertio [2]: *Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis et induentes novum eum, qui renovatur in agnitionem secundum imaginem eius qui creavit illum.* — *Per habitum honestatis* praeclarae, conservando scilicet motus animae et corporis, linguae et sensitivae, et regulando sub legibus rationis et subiiciendo legibus aeternis; ad Ephesios sexto [3]: *State succincti lumbos vestros in veritate et induti loricam iustitiae et calceati pedes in praeparatione Evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei* etc. — *Per amplexum caritatis* geminae, amando scilicet ea quae ipse amavit; ad Colossenses tertio [4]: *Induite vos sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam* etc.

Imitandus Christus per contemptum vanitatis.

Per gemitum devotionis.

Per habitum honestatis.

Per amplexum caritatis.

Sermo XXII [5].

Domine, inclina caelos tuos et descende, Psalmus [6].

Loquitur Propheta egregius ad Dei Filium sicut ardentissimus amator salutis hominum in persona totius humani generis; et in his verbis tria facit: primo *explicat fastigium potentiae excellentis*, ibi: *Domine;* secundo *flagitat beneficium clementiae miserentis* [7], ibi: *inclina caelos tuos;* tertio *postulat solatium praesentiae demulcentis*, ibi: *et descende.*

Divisio.

I. Huius Domini excellentia colligitur ex multis, quia ipse est Dominus *incomparabilis* ratione maiestatis magnificae; ideo Exodi decimo quinto [8]: *Quis similis tui in fortibus, Domine? Quis similis tui, magnificus in sanctitate?* et Psalmus: *Domine, Deus virtutum, quis similis tibi?* et idem: *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat?* ideo Psalmus: *Non est similis tui in diis, Domine, et non est secundum opera tua.* — *Infallibilis* ratione perspicacitatis clarissimae; Proverbiorum decimo quinto [9]: *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos et malos;* et Psalmus: *Dominus scit cogitationes hominum;* et Ieremiae decimo septimo: *Ego Dominus scrutans cor, qui do unicuique iuxta viam suam;* ideo Ecclesiastici vigesimo tertio [10]: *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum et profundum abyssi et hominum corda intuentes in absconditas partes;* et ibidem: *Domino Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita, et post perfectum respicit omnia;* et Ioannis ultimo: *Domine, tu omnia nosti.* — *Collaudabilis* ratione bonitatis amplissimae; propter quod Psalmus [11]: *Laudate Dominum, quia bonus Dominus;* et idem: *Lauda, anima mea, Dominum;* et idem: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo;* ideo concluditur: *Omnis spiritus laudet Dominum.* — *Magnificabilis* ratione aequitatis rectissimae; Psalmus [12]: *Iustus Dominus, iustitiam dilexit, aequitatem vidit vultus eius;* Danielis tertio: *Benedictus es, Domine, Deus patrum nostrorum, et gloriosum nomen tuum in saecula, quia iustus es in omnibus, quae fecisti nobis, et universa opera tua vera et viae tuae rectae;* Psalmus: *Iustus es, Domine, et rectum iudicium tuum;* Apocalypsis decimo sexto: *Domine, Deus omnipotens, vera et iusta iudicia tua.* — *Propitiabilis* ratione pietatis dulcissimae; propter quod Psalmus [13]: *Quoniam tu, Domine, suavis et mitis et multae misericordiae omnibus invocantibus te;* idem: *Apud te propitiatio est* etc.; ideo Isaiae quinquagesimo quinto: *Revertatur ad Dominum, et miserebitur eius, et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum;* Psalmus [14]: *Miserator et misericors Dominus, patiens et multum misericors;* item: *Misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se;* item: *Misericordia tua, Domine, plena est terra;* unde: *Miserationes eius super omnia opera eius.*

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Pars I. Ratio prima.

II. Hunc ergo Dominum Propheta alloquitur, ut *inclinet caelos suos*, qui sunt tres secundum numerum caelorum [15] et propter tres conditiones in caelo repertas. In caelo quidem est *superioritas praeeminentiae*, sicut dicitur Ecclesiastici primo [16]: *Altitudinem caeli et latitudinem terrae et profundum abyssi*

Pars II.

Conditiones tres. Prima.

---

[1] Vers. 24.
[2] Vers. 9. seq.
[3] Vers. 14. seqq.
[4] Vers. 12.
[5] Hic sermo cum nomine Bonaventurae et quoad divisionem principalem habetur in cod. Berolinensi N et integer in codd. Tudertinis K M, qui non paucos Bonaventurianos sermones, tacito eius nomine, exhibent. Interna criteria eidem favent.
[6] Psalm. 143, 5.
[7] Ita cod. Berol. N; Tudert. K M *ignoscentis.*
[8] Vers. 11. — Sequuntur Ps. 88, 9; 112, 5. et 85, 8.
[9] Vers. 3. — Duo seqq. loci sunt Ps. 93, 11. et Ier. 17, 10.
[10] Vers. 28, post quem v. 29. et Ioan. 21, 17.
[11] Psalm. 134, 3. — Tres seqq. loci sunt Ps. 145, 2; 33, 2. et 150, 6.
[12] Psalm. 10, 8. — Sequuntur Dan. 3, 26. seq.; Ps. 118, 137. et Apoc. 16, 7.
[13] Psalm. 85, 5, post quem Ps. 129, 4. et Isai. 55, 7.
[14] Psalm. 144, 8; sequuntur Ps. 110, 4. seq., 148, 64. et 144, 9. Quatuor ultimi loci sunt in solo cod. Tudert. M.
[15] Cfr. Bonav., II. Sent. d. 2. p. II. a. 1. q. 2, ubi distinguitur caelum sidereum, crystallinum et empyreum; vide etiam Glossam in II. Cor. 12, 2. apud Petr. Lombard., ubi explicatur raptus Pauli usque ad *tertium caelum.*
[16] Vers. 2.

Secunda. *quis dimensus est?* — *Claritas refulgentiae;* Ecclesiastici vigesimo quarto [1]: *Ego feci in caelis, ut*
Tertia. *oriretur lumen indeficiens.* — *Copiositas influentiae;* Deuteronomii vigesimo octavo [2]: *Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, caelum, ut tribuat pluviam terrae tuae in tempore suo.* Sic et in caelo Trinitatis sanctissimae [3] est *sublimitas potentiae incomparabilis, limpiditas sapientiae imperscrutabilis,*
Oratio. *benignitas clementiae inenarrabilis.* — Hos caelos petit Propheta inclinari ad nos, quasi dicat: tu, Domine potentissime, inclina altitudinem potentiae ad assumendam naturam infirmatam per impotentiam; tu, Domine sapientissime, inclina magnitudinem sapientiae ad instruendam naturam excaecatam per ignorantiam; tu, Domine clementissime, inclina dulcedinem clementiae ad redimendam naturam captivatam per malitiam.

III. Et quoniam assumtio naturae infirmatae, in-
Pars III. structio naturae excaecatae et redemptio naturae captivatae facta est per descensum Filii Dei; ideo dicit: *descende.*

Descendit quidem Deus *in principio* ad *confun-*
Duplex descensus formidabilis. *dendam humanam arrogantiam;* Genesis undecimo [4]: *Venite, descendamus et confundamus linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui.* — Descendet *in ultimo* ad *discutiendam humanam vitam;* primae ad Thessalonicenses quarto [5]: *Quoniam ipse Dominus in iussu et in voce Archangeli et in tuba Dei descendet de caelo* etc.; et Genesis decimo octavo: *Clamor Sodomorum et Gomorrhae multiplicatus est, et peccatum eorum aggravatum est nimis, descendam et videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint.*

Sed nunc *petit descensum* ad *assumendam hu-*
Descensus petitus. *manam naturam,* de quo potest intelligi illud ludicum decimo quarto [6]: *Descendit* Samson *et locutus est mulieri, quae placuerat oculis eius, ut acciperet eam,* quia tunc descendit ut sponsus suavissimus in Virginem; ideo ipsa dicit Canticorum sexto: *Descendit dilectus meus in hortum suum ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis et lilia colligat,* ut scilicet de-
Ratio prima. lectetur in animabus castis et sanctis. — Hic autem descensus appetendus et postulandus erat, quia tunc descendit *ad visitandum* [7] *amicos* ut *amicus verac-issimus;* ideo dicitur Canticorum sexto [8]: *Descendi in hortum meum,* id est mundum, *ut viderem poma convallium et inspicerem, si floruissent vineae et germinassent mala punica.* Sancti dicuntur *poma* propter dulcorem vitae; *vineae,* propter odorem doctrinae, sed *mala punica* propter ruborem patientiae vel amicitiae. — *Ad satiandum famelicos* sicut *ci-* Secunda. *bus efficacissimus;* ideo dicitur Ioannis sexto [9]: *Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi; si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum;* et ibidem: *Hic est panis de caelo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur;* et ibidem: *Panis enim Dei est, qui de caelo descendit et dat vitam mundo.* — *Ad rectificandum devios* sicut Tertia. *splendor illustrissimus;* secundi Esdrae nono [10]: *Descendisti et locutus es cum eis de caelo et dedisti eis iudicia recta et legem veritatis;* et Exodi decimo nono: *Descendit Moyses* de monte *ad populum et omnia narravit eis;* et ibidem: *Descende et contestare populum, ne velit transcendere terminos ad videndum Dominum, et pereat ex eis plurima multitudo.* — *Ad inflammandum tepidos* ut *calor inflam-* Quarta. *mativus;* propter quod dicitur Exodi decimo nono [11]: *Totus mons Sinai fumabat, eo quod Dominus descendisset super eum in igne;* et Lucae duodecimo: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur?* — *Ad curandum morbidos* sicut *cu-* Quinta. *rator reparativus;* ideo signatur per descensum Angeli, de quo Ioannis quinto [12]: *Angelus Domini secundum tempus descendebat in piscinam, et movebatur aqua, et qui prior descendebat in piscinam post motionem aquae sanus fiebat, a quacumque detinebatur infirmitate;* per quem potest significari Christus, qui nostros languores curat; Lucae sexto: *Descendens* Iesus de monte *stetit in loco campestri, et turba discipulorum eius et multitudo copiosa plebis ab omni Iudaea et Ierusalem et maritima et Tyri et Sidonis, qui venerant, ut audirent eum et sanarentur a languoribus suis. Et qui vexabantur a spiritibus immundis curabantur. Et omnis turba quaerebat eum tangere, quia virtus de illo exibat et sanabat omnes.* — *Ad sanctificandum foetidos* Sexta. sicut *pontifex* vel mediator *purificativus;* ideo dicitur Exodi decimo nono [13]: *Descenditque Moyses de monte ad populum et sanctificavit eum;* de hoc ad Hebraeos decimo: *Sanctificati sumus per oblationem corporis Christi;* et infra: *Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* — *Ad lae-* Septima. *tificandum afflictos* sicut *consolator laetificativus,* quos Christus consolatur in tribulatione; Sapientiae decimo [14]: *Descenditque cum illo in foveam et in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni et potentiam adversus eos qui eum deprimebant.* — *Ad liberandum oppressos* sicut Octava.

---

[1] Vers. 6. [2] Vers. 12.
[3] Cfr. Bonav., II. Sent. d. 2. p. II. dub. 2, ubi exponit, quod celsitudo Divinitatis vocatur *caelum* propter proprietates tres caelis convenientes.
[4] Vers. 7.
[5] Vers. 15. — Subinde allegatur Gen. 18, 20. seq.
[6] Vers. 7. seq. — Sequitur Cant. 6, 1.
[7] Ita M; K *consolandum.*
[8] Vers. 10, ubi pro *meum* Vulgata *nucum,* et pro *floruissent vineae* ipsa *floruisset vinea.*
[9] Vers. 51. seq. — Duo seqq. loci sunt ibid. v. 50. et v. 33.
[10] Vers. 13, post quem Exod. 19, 25. et 21.
[11] Vers. 18. — Sequitur Luc. 12, 49.
[12] Vers. 4. — Subinde allegatur Luc. 6, 17-19.
[13] Vers. 14, post quem Hebr. 10, 10. et 14.
[14] Vers. 13. seq.

liberator praestantissimus; Exodi tertio [1]: *Vidi afflictionem populi mei in Aegypto et clamorem eius audivi et descendi, ut liberem eum de manibus Aegyptiorum et educam in terram bonam et spatiosam, quae fluit lacte et melle;* et ad Ephesios quarto: *Descendit primum in inferiores partes terrae,* quia Matthaei tertio: *Sic decet nos implere*
Nona. *omnem iustitiam. — Ad glorificandum subiectos* sicut *glorificator altissimus;* ad Ephesios quarto [2]: *Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes caelos, ut impleret omnia;* factus est enim peregrinus secundum illud Genesis duodecimo: *Descendit Abram in Aegyptum, ut peregrinaretur ibi,* ut peregrinos exaltaret. Sicut descendit autem in incarnatione, sic ascendit in ascensione; propter quod dicitur Isaiae trigesimo octavo [3]: *Reversus est sol decem lineis per gradus, quos ascenderat.*

DOMINICA SECUNDA ADVENTUS.

Sermo I [4].

Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus? Matthaei undecimo [5].

Prothema. *Quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?*

Verba secundo loco proposita sunt verba Iob
Expositio prothematis. sacramentum incarnationis Dominicae formidantis et sumta sunt ex Iob vigesimo sexto. Ratione cuius sciendum est, quod in homine ante adventum Christi triplex erat defectus, scilicet *potentiae* in operatione respectu debilitatis, *experientiae* in comprehensione respectu brevitatis, *intelligentiae* in cognitione respectu obscuritatis. Defectum ergo *potentiae* in operatione tangit Iob, dicens: *Quis poterit?* — Defectum [6] *experientiae* in comprehensione tangit Iob, cum subiungitur: *tonitruum magnitudinis eius;* quod est tonitruum *auditui* est magnitudo *visui.* Hinc fuit Christi adventus in carne existentibus ante Legem (formidandus), ratione cuius dicit unus illorum, scilicet Habacuc [7], admirans: *Domine, audivi auditionem tuam et timui, consideravi opera tua et expavi.* In *auditu* enim timuit, in *visu* expavit. — Defectum *intelligentiae* in cognitione tangit, cum subinfert: *intueri. Caligaverunt enim oculi Isaac, et videre non poterat,* ut dicitur Genesis vigesimo septimo [8].

Omnes ergo propter hoc ante omnia divinae pie-
Hortatio ad orationem. tatis clementiam imploremus, ut nobis tanquam existentibus sub iugo suavitatis et onere levitatis *potentiam* fortificet in operatione, *experientiam* amplificet in comprehensione et tandem *intelligentiam* clarificet in cognitione, ut in operatione vivaces, in comprehensione sagaces, in cognitione veraces aliqua possimus conferre in medium, quae sint in gloriam et laudem sui sanctissimi nominis benedicti et consolationem animarum nostrarum. Amen.

Cum audisset Ioannes etc. Verba sunt Ioannis Sermo. ad discipulos suos et pro eis prolata. Non est enim credendum, Christi praecursorem et baptistam de adventu Christi in carnem dubitasse, eo quod in baptismate a Spiritu sancto in specie columbae de caelo descendente et super Christum manente [9] didicerat et vocem Patris audierat: *Hic est Filius meus dilectus,* nec non et testimonium ei perhibuerat: *Ecce, Agnus Dei.* Si enim ipsum venisse ignorasset, quomodo eum praesentem digito demonstrasset et ei testimonium perhibuisset? Relinquitur ergo, quod nec ipse ignorans quaesivit nec dubitans discipulos misit, maxime si verba Evangelii diligenter intelligantur. Nam in verbo proposito tria notantur, per quae omnibus veritas potest esse manifesta. Primo enim Divisio. notatur *multiplicis hominis status significatio* per Ioannis vincula, cum dicitur: *Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi;* secundo, proposita *de adventu Christi dubitantium quaestio,* cum subdit: *Mittens duos ex discipulis suis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus?* tertio, per mystica opera *aperta Christi responsio,* cum subinfertur [10]: *Respondens Iesus ait illis: Euntes renuntiate Ioanni quae audistis et vidistis: caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.*

I. Dicit ergo: *Cum audisset Ioannes in vin-* Pars I.
culis opera Christi; ubi notatur *significatio multiplicis status hominis* per vincula Ioannis. Sicut enim princeps Apostolorum Petrus post confirmationem positus in carcerem repraesentat statum hominis *peccatoris;* sic Ioannes Baptista in vinculis constitutus significat animas existentes in multiplici statu *miseriae et calamitatis.* Nam primo significat animas Subdivisio.

---

[1] Vers. 7. seq. — Duo seqq. loci sunt Eph. 4, 9. et Matth. 3, 15.

[2] Vers. 10. — Sequitur Gen. 12, 10.

[3] Vers. 8, ubi pro *ascenderat* Vulgata *descenderat.*

[4] Sermo hic pro Dom. II. Advent. in ed. Vatic. est ordine secundus, habetur in C D E et in F (ad Dominicam III.).

[5] Vers. 2. seq. Prothema est Iob 26, 14.

[6] Verba *in operatione tangit* etc. usque *Defectum* in C omissa supplevimus. Infra cod. idem omittit *auditui* ante *est magnitudo.* Supplevimus deinde etiam vocem *formidandus.*

[7] Cap. 3, 2. secundum versionem Septuaginta; cfr. Hieron., II. Comment. in Habac., c. 3, 2, ubi pro *expavi* legitur *obstupui.*

[8] Vers. 1.

[9] Ita bene legit D; cfr. Matth. 3, 16; sequitur v. 17. et deinde loan. 1, 29.

[10] Matth. 11, 4. seq.

circumplexas *vinculis originalis culpae;* secundo significat animas circumpeditas [1] *vinculis reatus poenae;* tertio significat animas circumvolutas *vinculis corporalis miseriae.*

Primo de vinculis originalis culpae.

Primo de vinculis *originalis culpae* dicitur Lucae decimo tertio [2]: *Hanc filiam Abrahae, quam satanas alligavit, ecce, decem et octo annis, nonne oportuit solvi a vinculo isto die sabbati?* quasi diceret: mulier ista inclinata ad terram, quae non poterat sursum respicere, significat animam meriti corruptionis originalis culpae alligatam ad terrena propter pronitatem ad malum, nec potest appetere caelestia propter difficultatem ad bonum. His ergo vinculis originalis culpae, scilicet pronitatis ad malum et difficultatis ad bonum, alligavit eam satanas, a quibus non potest absolvi perfecte nisi in sabbato quiescentium; quia, licet concupiscentia transeat in baptizato quantum ad reatum poenae, remanet tamen quantum ad exercitium, ut quemlibet nostrum experientia docet.

De vinculis reatus poenae.

Secundo, de vinculis *reatus poenae* potest exponi illud Ieremiae [3]: *Oculos Sedeciae eruit et vinxit eum in compedibus,* ut duceretur *in Babylonem.* — *Sedecias positus in compedibus* a rege Babylonis, qui interpretatur *iustitia Domini,* significat [4] animam ex rigore divinae iustitiae merito primae praevaricationis positam a diabolo *in compedibus* reatus poenae sive carentiae visionis divinae; unde *oculos* eius *eruisse* dicitur, quia a visione verae lucis excluserat. *Ducitur* etiam *in Babylonem,* id est in limbum; Babylon enim *confusio* interpretatur, et significat limbum ratione obscuritatis, quam habebant ibi sancti Patres.

De vinculis corporalis miseriae.

Tertio, de vinculis *corporalis miseriae;* et potest dici in persona generis humani illud [5]: *Incurvatus sum multo vinculo ferreo, et non est respiratio mihi.* — Vere homo in statu praesentis miseriae *incurvatus* est multiplici *vinculo ferreo:* nunc vinculo famis, nunc vinculo sitis, aliquando vinculo nuditatis, quandoque vinculo infirmitatis; *nec est sibi respiratio,* eo quod aestas impugnat eum per nimiam caliditatem, hiems per nimiam frigiditatem, autumnus per nimiam siccitatem, ver per excedentem humiditatem; tempus autem est principium corruptionis. Sensualitas autem repugnat rationi, ipsa quoque voluntas in semetipsa est contraria et diversa, et sic non est ex aliqua parte misero homini respiratio.

Pars II.

II. Dicto de significatione multiplicis status hominis significati per Ioannis vincula, restat videre de *quaestione dubitantium de adventu Christi,* quod notatur secundo, cum dicitur: *Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus?* In ista *quaestione,* quam proponunt, ostendunt, se dubitare, sed in *exspectatione,* quam supponunt, ostendunt, se desiderare. *Quaerimus* enim quod dubitamus, et desideramus quod proprie *exspectamus.* Proponunt igitur quaestionem, eo quod Christum venisse dubitant; supponunt exspectationem, eo quod Cbristum [6] venturum desiderant. — Primo quaerunt: *Tu es, qui venturus es,* in mundum ad solvendum vincula originalis culpae? Secundo quaerunt: *Tu es, qui venturus es,* in limbum ad dissolvendum vincula reatus poenae? Tertio quaerunt: *Tu es, qui venturus es,* ad iudicium ad exterminandum vincula corporalis miseriae?

Quaestio triplex.

De quaestione prima.

Primo quaerunt: *Tu es, qui venturus es,* in mundum ad solvendum vincula *originalis culpae?* Non enim Ioannes propter se istam quaestionem fecit, sed propter discipulos suos, qui non credebant in Christum, ut patet, quando invidia moti, eo quod Christus praeferebatur magistro eorum, dicebant [7]: *Ecce, hic* qui *baptizat, et omnes veniunt ad eum.* Unde ad certificandum eos dicit idem Ioannes: Nonne dixi vobis, quod *ego non sum Christus, sed quia missus sum ante illum?* quasi diceret: sic. Similiter, quasi praeferendo se ipsos discipulis Christi, dicebant ad Iesum [8]: *Quare nos et Pharisaei ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant?* Volens ergo beatus Ioannes eorum saluti providere et consulere, positus in carcere, cum esset ab eis in brevi per martyrium discessurus, ne in errore eos relinquat, mittit discipulos suos ad Christum, ut, auditis eius verbis et visis eius operibus, credant qui prius eius testimonio credere nolebant. Ut ergo dubitationi eorum satisfaciat responsio Christi, quaestionem secundum dubitationem eorum formavit, dicens: *Tu es, qui venturus es,* in mundum ad solvendum vincula originalis culpae?

De secunda.

Secundo quaerunt: *Tu es, qui venturus es,* in limbum ad dissolvendum vincula *reatus poenae?* De isto autem adventu Ioannes non erat certus, et ideo de isto pro se interrogavit, non de primo. Unde Gregorius in hoc loco [9]: « Non enim Ioannes, quod Filius Dei esset, dubitavit, sed hic quaerebat, ut quem iam venisse praedicando Salvatorem clamaverat, ipsum etiam ad inferos praecurrendo nuntiaret »; quasi diceret: « Sicut pro omnibus dignatus es nasci, an pro omnibus mori digneris, mihi insinua; ut sicut praecursor nativitatis exstiti, ita etiam praecursor mortis fiam ».

De tertia.

Tertio quaerunt: *Tu es, qui venturus es,* ad iudicium ad exterminandum vincula *corporalis miseriae?* quasi diceret: nos ipsi didicimus per Legem et Prophetas, quod resurrectio erit, in qua amovebitur a corporibus Beatorum omnis defectus miseriae.

---

[1] Cod. D *irretitas.*
[2] Vers. 16.
[3] Cap. 52, 11.
[4] Cod. C adiungit *deviam.*
[5] Oratio Manasse inter apocrypha Bibliae.
[6] Verba *venisse dubitant* etc. supplevimus ex C D F.
[7] Ioan. 3, 26; sequitur v. 28.
[8] Matth. 9, 14.
[9] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 6. n. 1. et I. Homil. in Ezech. homil. 1. n. 5.

Si ergo *tu es, qui venturus es* ad iudicium, ut istos corporales defectus amoveas, nos dubitantes certifica [1].

Pars III. III. Viso de significatione multiplicis status hominum significati per Ioannis vincula, et etiam de quaestione dubitantium de adventu Christi; restat

Responsio per mystica opera. tertio videre de *aperta responsione per mystica opera Christi*, cum subinfertur: *Respondens Iesus, ait illis: Euntes renuntiate Ioanni quae audistis et vidistis: caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, pauperes evangelizantur, mortui resurgunt.* Prima enim facie non videtur illa responsio ad factam interrogationem pertinere; sed certe, si vim repraesentativam facti diligenter perpendimus; cum « quaelibet Christi actio sit nostra instructio [2] »; videbimus, istam responsionem multum per omnia satisfacere quaestioni. Nam ipse Dominus, qui videbat corda, satisfecit intentioni quaerentium interius potius quam ad quaestionem exterius. Dubitantibus enim illis, an ipse esset Christus, fecit opera, quae nullus alius nisi Christus facere potuisset, et tollit ambiguitatem, quia melius

Responsio triplex. creditur factis quam verbis. — Et propter hoc per mystica facta respondit Ioanni figuranti [3] animas existentes in multiplici vinculo calamitatis et miseriae, di-

Prima. cens primo: *Euntes renuntiate Ioanni*, id est animabus circumplexis vinculo originalis culpae, adventum Mediatoris, quia ego sum, qui veni in mundum ad dissolvendum vincula originalis culpae per humanae carnis assumtionem. In signum huius *leprosi*

Secunda. *mundantur, surdi audiunt.* — Secundo: *renuntiate Ioanni*, id est animabus circumpeditis vinculis reatus poenae, adventum Salvatoris, quia ego sum, qui venturus sum in limbum ad praecidendum vincula reatus poenae per voluntariae mortis assumtionem. Et hoc erit vobis signum, quia *caeci vident, claudi*

Tertia. *ambulant.* — Tertio: *euntes renuntiate Ioanni*, id est animabus circumvolutis vinculis corporalis miseriae, adventum Salvatoris, quia ego sum, qui venturus sum ad iudicium ad exterminandum vincula corporalis miseriae per utriusque hominis glorificationem. Signum autem huius est: *mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.*

Primo *renuntiate Ioanni*, id est animabus exi-

De responsione prima. stentibus in originali culpa, quia ego sum, qui venturus sum in mundum per humanae carnis assumtionem ad dissolvendum vincula originalis culpae.

De lepra et surditate spirituali. Signum autem huius est, quia *leprosi mundantur, surdi audiunt.* Et bene morbus *leprae* significat peccatum primi hominis, eo quod, sicut morbus leprae est communis habitationis separativus, totius hominis infectivus et generati generanti assimilativus; sic primus parens merito primae praevaricationis fuit eiectus de paradiso, corruptus in corpore et in anima et etiam filios infectos peccato originali generavit. Comparatur nihilominus eius peccatum *surditati*, eo quod ad similitudinem *aspidis surdae et obturantis aures suas, ne audiat vocem venefici incantantis sapienter* [4], quae secundum Isidorum [5] « unam aurem ad terram premit, aliam obturat cauda »; sic Adam aurem *affectus* clausit terrena et animali affectione satisfaciendo uxori, ne contristaret delicias suas, et aurem *intellectus* clausit cauda spe consequendi veniam de peccato, ne audiret vocem Dei praecipientis: Quacumque hora *comederis ex eo* [6] etc. Unde Augustinus [7]: « Adam utrumque fieri posse credidit, ut et mulieri morem gereret et postea per poenitentiam poeniteret ». — De isto autem adventu dicitur in Psalmo [8]: *Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, Beniamin et Manasse. Excita potentiam tuam et veni, ut salvos facias nos. Deus, converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus.* — *Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, Beniamin et Manasse*, quasi dicat: tu, qui praesides cunctis caelestibus spiritibus per eminentiam excellentis magnificentiae, *manifestare coram* cunctis hominibus per evidentiam humanitatis assumtae. *Excita potentiam tuam*, scilicet tu, qui infinitate tuae potentiae cuncta de nihilo produxisti in *esse naturae*, tu *excita potentiam* eandem, ut cuncta perficias in *esse gratiae. Et veni*, coniungendo primum [9] Divinitatis ultimo humanitatis in unitate personae, ut per hoc *salvos facias nos* a vinculis originalis culpae. Domine *Deus* virtutum, *converte nos*, in pristinam innocentiam, faciendo de impio pium, quod est maioris virtutis et potentiae quam creare caelum et terram. *Et ostende faciem tuam*, assumtae humanitatis, *et salvi erimus*, a transgressione primi parentis. Propter hoc dicitur ad Ephesios secundo [10]: *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum;* sequitur: *Veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis, et pacem iis qui prope.* Christus noster reconciliator ad Deum *fecit utraque*, scilicet Deitatis et humanitatis, *unum*, personae, *et veniens*, tanquam verus Mediator concordans cum utroque extremo, *evangelizavit* videlicet *pacem*, factam per suum adventum, *his qui prope*, scilicet Iudaeis, ratione datae Legis et factae promissionis; *et vobis, qui longe fuistis*, scilicet gentibus, quae Legem non habebant et Deum non cognoscebant.

Sanatio per adventum Christi.

Explicatur locus Scripturae.

Secundo *renuntiate* animabus existentibus in poenali angustia, quia ego sum, qui venturus sum ad limbum per acerbae mortis assumtionem et ad

De secunda.

---

[1] Cod. D adiungit: Sed huic tertiae quaestioni respondet ipsa Veritas in Matth. XVI. (v. 27.): *Filius autem hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, et tunc reddet unicuique secundum opera eius.*

[2] Cfr. Gregor., II. Homil. in Ezech. homil. 2. n. 6. et Homil. in Evang. homil. 17. n. 1.

[3] Cod. F *scienti.*

[4] Psalm. 57, 5. seq.

[5] Libr. XII. Etymolog. c. 4. n. 12.

[6] Gen. 2, 17; Vulgata: *In quocumque enim die* etc.

[7] Libr. XI. de Gen. ad lit. c. 31. n. 41. et c. 42. n. 59, quoad sensum; verbotenus Hug. I. de Sacram. p. VII. c. 10.

[8] Psalm. 79, 2. seqq.

[9] Cod. F *principium.* Cfr. Bonav., II. Sent. d. 1. a. 2. q. 1. fund. 2.

[10] Vers. 14. 17.

praecidendum vincula reatus poenae. In cuius signum
De spiritualiter caecis et surdis. *caeci vident, claudi ambulant.* — *Caeci* dicebantur sancti Patres existentes in limbo, quia visione divinae lucis erant privati, sed *claudi*, quia ex una parte non habebant poenam sensus, ex alia autem [1] habebant poenam damni sive carentiae visionis Dei, et hic pes affectuosus fuit eis restitutus per adventum Christi in limbum, cum aperte lucem Divinitatis vi-
Sanatio per adventum Christi. derunt. — De primo autem adventu dicitur in figura Baruch quarto [2]: *Et venit mihi gaudium a sancto super misericordia, quae veniet vobis ab aeterno salutari nostro. Emisi enim vos cum luctu et ploratu, reducet autem vos mihi Dominus cum gau-*
Explicatio. *dio et iucunditate.* — Et licet sit verbum Prophetae loquentis in persona Ierusalem et gandentis de liberatione filiorum Israel, qui erant in Babylone in captivitate sub potestate inimicorum; tamen, quia *omnia contingebant illis in figura* [3], potest esse verbum matris Ecclesiae gandentis de liberatione filiorum suorum, qui erant in limbo in captivitate aliquo modo sub potestate inimicorum. Mater vero Ecclesia *emiserat filios* suos *cum ploratu et luctu* in Babylonem, id est in limbum obscuritatis ab Abel usque ad mortem Christi; sed cum *reduxit* eos *Dominus* descendendo in limbum cum gaudio et iucunditate, conferendo eis perpetuitatem gloriae; tunc *venit* sibi *gaudium* a *Sancto* sanctorum, Christo, *super misericordia*, eo quod liberati fuerunt per effusionem proprii sanguinis Christi.

Tertio *renuntiate* animabus existentibus in cor-
De tertia. porali miseria, quia ego sum, qui venturus sum ad iudicium ad exterminandum vincula corporalis miseriae per utriusque hominis glorificationem. Et hoc
De spiritualiter mortuis et pauperibus. erit vobis signum, quia *mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.* — In *paupertate* et *morte* notatur duplex miseria, per quam opprimitur genus humanum usque ad diem generalis resurrectionis, ad quam duplicem miseriam omnis alia poenalis miseria potest reduci. Nam in *paupertate* intelligitur indigentia ne-
Sanatio per adventum Christi. cessariorum, sed in *morte* tolerantia dolorum. — Et de isto adventu dicitur Aggaei secundo [4]: *Adhuc unum modicum, et ego commovebo caelum et terram et mare et aridam, et movebo omnes gentes. Et veniet desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria;* quod adimplebitur, quando *corpus humilitatis nostrae*, quod est domus Dei, *reformabitur* ab omni miseria per configurationem *claritatis corpori* [5] Christi. Quod nobis praestare dignetur etc.

Sermo II [6].

Dominica secunda de Adventu. Sermo fratris Bonaventurae editus Parisius in Conventu Fratrum Praedicatorum coram Universitate Parisiensi.

Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, Exodi trigesimo tertio [7].

Dominus noster Iesus Christus, qui est veritas *aeterna*, et ideo virtus Patris et Angelorum et ho- Divisio.
minum, secundum Augustinum [8]; qui est veritas *plena*, et ideo emanatio omnium scientiarum et legum, secundum Ambrosium; qui est veritas *intima*, et ideo causa omnium bonitatum et speculum sanctitatum, secundum Gregorium; ipse illuminet, inflammet, informet et fecundet nos ad aliquid dicendum etc.

Si inveni gratiam etc. Augustinus [9]: « O de- Hortatio.
vota anima, quantum fuit desiderium Sanctorum antiquorum videre faciem Christi in humanitate assumta »! Ecce enim, Moyses, gratiosissimus in oculis Dei, nihil principalius requirebat a Deo. Qui vult ergo in tempore adventus gratiae Salvatoris Christum venerari et contemplari incarnatum et faciem ipsius speculari desideratam ab omnibus electis Dei, studeat habere gratiam in oculis Dei et non mundi; et sic ostendet ei faciem, quae est imago et *figura substantiae* [10] Patris.

Invenitur vero gratia in oculis Dei per haec Per quatuor exercitia invenitur gratia.
quatuor, scilicet per *reverentiam et cultum divini nominis;* Exodi trigesimo tertio [11]: *Invenisti enim gratiam coram me, et te ipsum novi ex nomine.* Ita fuit dictum Moysi, magno cultori Divinitatis. — Per *amorem sanctimoniae* mentalis et corporalis; Proverbiorum vigesimo secundo [12]: *Qui diligit cordis munditiam propter gratiam labiorum suorum*, id est intellectus et affectus casti, *habebit amicum regem*, Deum. — Per *humilitatem innatae mansuetudinis;* Ecclesiastici tertio [13]: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus et coram Deo invenies gratiam;* Lucae primo [14]: *Invenisti gratiam apud Deum*, dictum est Virgini humili. — Per *dulcorem* sive decorem *piae conversationis* et religiosae; Esther secundo [15]: *Invenit* Esther *gratiam in conspectu* regis, *quae non quaesivit mulierem cultum, erat enim formosa valde.*

Habenti vero dicta quatuor et per ea obtinenti Faciei Christi 4 proprietates.
gratiam Dei ostenditur a Patre gratiarum *facies* Verbi Christum esse plenitudinem Legis et veritatem novi Testamenti. Denique Gregor., in Prooem. in Ps. 1. poenit. et 1. Reg. lib. 1. c. 3. n. 6. seqq. docet, Christum esse principium sanctificationis Angelorum et hominum.

---

[1] Verba *non habebant poenam* etc. in Vat. desunt.
[2] Vers. 22. seq.
[3] Epist. 1. Cor. 10, 11.
[4] Vers. 7. seq.
[5] Phil. 3, 21.
[6] Ex eod. cod. A fol. 22 r.
[7] Vers. 13.
[8] Enarrat. in Ps. 134. n. 3. Sequitur Ambros., l. de Fide, c. 8. n. 5, ubi docet, Verbum esse conditorem utriusque Testamenti, et in Ps. 118. serm. 18. n. 37. seqq., ubi exponit,
[9] Serm. 370. (alias 20. de Tempore) c. 3. n. 3.
[10] Hebr. 1, 3.
[11] Vers. 17.
[12] Vers. 11.
[13] Vers. 20.
[14] Vers. 30.
[15] Vers. 9. 15.

Prima. incarnati, quae quidem est primo *gloriosa*, et ideo fons et finis omnium honorum et dignitatum; Apocalypsis primo [1]: *Facies eius sicut sol lucet in virtute sua*, hoc est maiestas et gloria; Psalmus [2]: *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei?* — Secunda. Secundo, *luminosa*, et ideo fons et finis omnium studiorum sive scientiarum et luminum; primae ad Corinthios decimo tertio [3]: *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem*, hoc est in claritate plenaria; Psalmus [4]: *Fa-* Tertia. *ciem tuam illumina super servum tuum.* — Tertio, *gratiosa*, et ideo fons et finis omnium desideriorum et voluntatum; Esther decimo quinto [5]: *Valde mirabilis es, Domine, et facies tua plena est* Quarta. *gratiarum.* — Quarto, *opulenta* sive copiosa, et ideo fons et finis omnium consolationum et delectationum sive requies omnium laborum et calamitatum; Genesis trigesimo secundo [6]: *Vidi Deum facie ad faciem, et salva facta est anima mea.*

Sermo III [7].

Item, sermo fratris Bonaventurae editus eadem Dominica secunda in Conventu Fratrum de Colonia, editus in Capitulo.

Veni, Domine Iesu, Apocalypsis ultimo [8].

Sacer Evangelista Ioannes in sua Apocalypsi, sacro inspiratus afflamine, pro tempore isto gratiae Salvatoris adventus in verbis invocativis huiusmodi Divisio. tria in persona Ecclesiae facit. Primo *recognoscit* reverentissime sui principii *sublimem originem*, cum dicit: *Domine;* secundo *implorat* devotissime divini adventus *desideratam consolationem*, cum subdit: *veni;* tertio *exprimit* iucundissime sui amoris seu affectus *fontalem delectationem*, cum addit: *Iesu*, quod est nomen dulce laudare et nominare.

I. Quantum ad primam partem nota, quod per- Pars I. cum 4 membris. sonam Verbi incarnati appellat beatus Ioannes *Dominum*, quia ipse superexcellenter *potest omnia*, et ideo per ipsum habemus subsistere; Indith ultimo [9]: *Adonai Domine, magnus es tu et praeclarus in virtute tua.* — Supersplendenter *novit singula*, et ideo per ipsum habemus intelligere; Actuum primo [10]: *Domine, qui nosti omnia, antequam fiant.* — Superaffluenter *diligit cuncta*, et ideo per ipsum habemus salvari; Psalmus [11]: *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* — Supersapienter *regit universa*, et ideo per ipsum habemus conservari; Sapientiae nono [12]: *Domine Deus, qui sapientia tua constituisti hominem, ut dominaretur creaturae, quae a te facta est.*

II. Quantum ad secundam partem nota, quod Pars II. cum 4 membris. divini adventus consolatio est omnibus et ab omnibus imploranda et memoranda. Venit enim ad nos Dei Filius ut *mediator gratiae* ad exhibenda remedia pacis et concordiae; ad Ephesios secundo [13]: *Veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis, et pacem iis qui prope* etc. — Ut *doctor sapientiae* ad danda documenta pietatis et institiae; Osee decimo [14]: *Veniet qui docebit vos institiam.* — Ut *pastor animae* ad influenda solatia suavitatis internae; Ioannis decimo [15]: *Ego veni, ut vitam habeant et abundantius habeant.* — Ut *ordinator vitae* ad exhibenda exempla sanctitatis et innocentiae; Matthaei vigesimo primo [16]: *Ecce, rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam* etc.

III. Quantum ad tertium nota, quod nomen Iesu Pars III. cum 12 membris. *est nomen sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*, sicut dicitur Actuum quarto [17]. Et ideo est nobis super omnia amandum, venerandum et desiderandum. Ipsum enim nomen Iesu est tam mirificum, tam gloriosum, tam gratiosum, quod *scriptum lucet* sive resplendet [18]; Ioannis decimo nono [19]. — *Meditatum recreat* et delectat; ad Galatas ultimo [20]. — *Nominatum dirigit* et confortat; ad Colossenses secundo [21]. — *Invocatum animat* et inflammat; ad Hebraeos quarto [22]. — *Praedicatum clarificat* et illustrat; secundae ad Corinthios quarto [23]. — *Disputatum solidat* et confirmat; Actuum decimo quinto [24]. — *Lectum ampliat* et dilatat; Apocalypsis primo [25]. — *Depictum intonat* et inclamat; ad Hebraeos duodecimo [26]. — *Ruminatum suavificat*

---

[1] Vers. 16.
[2] Psalm. 41, 3.
[3] Vers. 12.
[4] Psalm. 118, 135.
[5] Vers. 17.
[6] Vers. 30.
[7] Ex eod. codice fol. 24 v.
[8] Vers. 20.
[9] Vers. 16.
[10] Vers. 24; sed melius Dan. 13, 42.
[11] Psalm. 15, 2.
[12] Vers. 1. seq.
[13] Vers. 17.
[14] Vers. 12. Vulgata: *Cum venerit qui* etc.
[15] Vers. 10.
[16] Vers. 5.
[17] Vers. 12.
[18] Cfr. Bern., serm. 15. in Cant. n. 5. seqq., ubi similia inveniuntur. Hic et in subsequentibus in codice tantum respectiva *capitula* citata sunt sine indicatione verborum.
[19] Respicitur probabiliter v. 19: *Scripsit autem et titulum Pilatus et posuit super crucem. Erat autem scriptum: Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum.*
[20] Vers. 14: *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.*
[21] Vers. 3: *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi.*
[22] Vers. 16: *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus* etc.
[23] Praecipue v. 6: *Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiae claritatis Dei in facie Christi Iesu.*
[24] Vers. 1-11, ubi controversia de necessitate circumcisionis decisa est et statutum decretum, quod *per gratiam Domini Iesu Christi credimus salvari.*
[25] Vers. 1: *Apocalypsis Iesu Christi, quam dedit illi Deus palam facere* etc. Et v. 3: *Beatus, qui legit et audit verba prophetiae huius.*
[26] Ubi de novi testamenti excellentia super vetus agitur.

et laetificat; ad Hebraeos duodecimo [1]. — *Contemplatum elevat* et sublimat; secundae ad Corinthios duodecimo [2]. — *Desideratum componit* et ordinat; ad Philippenses primo [3]. — *Honoratum perficit* et salvat; primae Petri secundo [4].

Sermo IV [5].

Sermo fratris Bonaventurae editus secunda Dominica de Adventu in ecclesia cathedrali Lugduni, coram clero et populo.

Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus? Matthaei undecimo [6].

Dominus noster Iesus Christus, qui dignatus est
Introductio. venire ad nos sicut *regula* vitae aeternae, sicut *doctrina* sapientiae supercaelicae, sicut *forma* iustitiae evangelicae, ipse de fonte suae lucis nos irradiet, de fonte suae suavitatis nos reficiat, de fonte suae bonitatis nos fecundet, ut possimus [7] etc.

Cum audisset Ioannes etc.

In isto Evangelio hodierno continetur quaestio [8], quam proposuit praecipuus discipulus veritatis, Ioannes Baptista, quam etiam optimus magistrorum dissolvit Dominus Iesus Christus, respondens: *Caeci vi-*
Ratio quaerendi triplex. *dent, claudi ambulant* [9] etc. Quaesivit autem Ioannes, non quia de persona Domini dubitaret, sed ratione *nobilis mysterii*, quo, secundum Glossam [10], « Lex ad Evangelia transmittit »; ratione *commissi* [11] *officii*, quo scire volebat, utrum deberet eum nuntiare inferis; ratione *proprii magisterii*, in quo quod per se non poterat satisfacere discipulis satisfaceret per ipsum superiorem magistrum. In *proponendo* ergo quaestionem Ioannes ostendit se plenum pietate, Dominus vero in *solvendo* ostendit per illa septem, quae respondit, se esse universalem mundi Reparatorem et *plenum gratiae et veritatis* [12].

I. Notandum quantum ad omnia intelligenda praePars I. dicta, quod homo factus ad imaginem Dei et similitudinem per hoc fuit capax et particeps pro modo possibilitatis suae earum conditionum nobilium, quae
Deus fons 7 bonorum. sunt in Deo sicut in sua fontali origine. Deus autem est fons *lucis*, ac per hoc homo formatus factus est particeps aeternae lucis per *sapientiam;* fons *virtutis*, ac per hoc homo factus est particeps aeternae virtutis per *constantiam;* fons *puritatis*, ac per hoc homo factus est particeps aeternae puritatis per *pudicitiam;* fons *legis iustitiae*, ac per hoc homo factus est particeps legis iustitiae per *obedientiam;* fons *immortalitatis*, ac per hoc homo factus est particeps aeternae vitae per *impassibilitatem;* fons *opulentiae*, ac per hoc homo factus est particeps aeternae opulentiae per *universorum possessionem;* fons *felicitatis aeternae*, ac per hoc homo factus est particeps aeternae felicitatis per quandam inchoatam *beatitudinem*.

Pars II. II. Verumtamen, cum peccatum sit aversio ab incommutabili bono et conversio ad commutabile bonum, necessario subsecutum est ad peccatum primi parentis, ut, quia recessit cum tota posteritate a Deo, evenerit, quod [13], dum recessit a fonte *lucis*, factus est ignarus, ac per hoc *caecus;* dum recessit a fonte *virtutis*, factus est infirmus, ac per hoc *claudus;* dum recessit a fonte *puritatis*, factus est immundus, ac per hoc *leprosus;* dum recessit a fonte *iustitiae*, factus est inobediens, ac per hoc *surdus;* dum recessit a fonte *opulentiae*, factus est *pauper et egenus;* dum recessit a fonte *vitae*, factus est *mortalis* et necessitati moriendi addictus; dum recessit a fonte *felicitatis*, factus est miser, ac per hoc *calamitosus*. Sed quia impossibile erat, quod per se consurgeret *caecus* ad lucem, *claudus* ad rectitudinem [14], *leprosus* ad munditiam, *surdus* ad auditum, *mortuus* ad vitam, *pauper* ad opulentiam, *miser* ad felicitatem; ideo aut necesse erat, hominem in his miseriis derelinqui, aut a fonte bonitatis per condescensionem misericordiae visitari. Ex quo apparet multiformis necessitas nostra, ex cuius consideratione misericordia Dei fuit dulciter inclinata, iuxta quod figuratum fuerat Exodi tertio [15]: *Vidi afflictionem populi mei in Aegypto* etc. *Et descendi, ut liberem eum.*

Pars III. III. Ex harum autem afflictionum septem spiritualium praemissarum consideratione sancti Patres clamabant ad Deum Patrem, ut *mitteret quem missurus erat* [16]. — In harum etiam consideratione nos
Huius consideratio fructus multiplex. humiliari debemus, cum simus *caeci* per ignorantiam, *claudi* per virtutis amissionem, *leprosi* per

---

[1] Vers. 5: *Et obliti estis consolationis, quae vobis tanquam filiis loquitur* etc.

[2] Ubi agitur de sublimibus visionibus Pauli et amore crucis: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis* etc. (v. 9. 10.).

[3] Vers. 23. seqq.: *Coarctor autem e duobus: desiderium habens dissolvi et esse cum Christo, multo magis melius. Permanere autem in carne necessarium propter vos. Et hoc confidens scio, quia manebo* etc.

[4] Vers. 17: *Omnes honorate; fraternitatem diligite; Deum timete; regem honorificate,* cum subsequentibus v. 19-25.

[5] Ex eodem codice A fol. 25 v. et B fol. 3 r.

[6] Vers. 3. seq.

[7] Hic prologus deest in B.

[8] Plura de hac quaestione vide supra serm. I. de Dominica II. Adventus.

[9] Matth. 11, 5. seq.

[10] *Interlineavis*, ibid.

[11] Cod. A *transmissi;* et inferius B *denuntiare* pro *nuntiare*.

[12] Ioan. 1, 14.

[13] Quae praecedunt et sic leguntur in B, in A ponuntur infra post verba *ac per hoc calamitosus*.

[14] Cod. A *fortitudinem*.

[15] Vers. 7. seq. [16] Exod. 4, 13.

immunditiae turpitudinem, *surdi* per malignitatem, *mortui* per gratiae absentiam, *pauperes* per defectum meritorum, *infelices* per multitudinem poenalitatum. — Ex harum tandem consideratione assurgere debemus ad implorandum adventum gratiae Iesu Christi. — Clarescit etiam nobis ex his septem, quanta fuerit necessitas a parte nostra, ut Filius Dei in hunc mundum veniret. — Clarescit etiam ex his modus adveniendi ipsius et dignitas, propter quae sacer et sanctificatus praecursor Ioannes non immerito suis discipulis septem sacramenta praefata sui adventus per propriam et specialem quaestionem ad Dominum et ordinariam solutionem reserari volebat, dicens: *Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus?* et audiens: *Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur, et beatus, qui non fuerit scandalizatus in me.* Quia enim Christus venit [1] ad septem incommoda relevanda praemissa, ut novis remediis et contrariis opponendo pericula pelleret; ideo respondit septem, ut simul assereret et probaret, se venisse secundum septiformem necessitatem praemissam, quasi secundum septiformem proprietatem septem diebus conditionis primariae mirabiliter consonantem. — Ostendit etiam de his septem, quae respondit, septiformem utilitatem evidentem sui misericordis adventus.

Pars IV. Remedia salvatoris.

IV. Venit ergo secundum praemissa ut *lux ignorantium* [7] per documenta veritatis; Ioannis duodecimo [2]: *Ego lux in mundum veni, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat;* Isaiae trigesimo quinto: *Tunc aperientur oculi caecorum.* — Ut *virtus infirmorum* per exempla virtutis; Isaiae quadragesimo [3]: *Ecce, Dominus in fortitudine veniet, et brachium eius dominabitur;* et Isaiae trigesimo quinto: *Tunc saliet sicut cervus claudus.* — Ut *sanctitas immundorum* per Sacramenta salutis; Ioannis primo [4]: *Ecce, Agnus Dei, ecce, qui tollit peccatum mundi. Hic est, de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est;* quarti Regum quinto: *Vade et lavare septies in Iordano.* — Ut *legislator inobedientium* per praeceptа claritatis; Isaiae trigesimo tertio [5]: *Dominus legifer noster, ipse salvabit nos;* Isaiae trigesimo quinto: *Aures surdorum patebunt.* — Ut *vita mortuorum* per charismata Spiritus sancti; Ioannis decimo [6]: *Ego veni, ut vitam habeant et abundantius habeant;* ad Romanos quarto: *Qui vivificat mortuos et vocat ea quae non sunt tanquam ea quae sunt.* — Ut *copia pauperum* per consilia Evangelii provehentis; Aggaei secundo [7]: *Et veniet desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria;* Isaiae vigesimo nono: *Pauperes homines in sancto Israel exsultabunt.* — Ut *beatitudo miserorum* per praemia paradisi glorificantis; Matthaei vigesimo quinto [8]: *Ecce, sponsus venit, exite obviam ei;* Lucae vigesimo secundo: *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo et sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel.*

Monitio.

Recognoscentes ergo, Fratres, supra dicta beneficia adventus Filii Dei, his sanctis diebus recurramus ad eum sicut ad fontem *lucis*, fontem *virtutis*, fontem *sanctitatis*, fontem *legis*, fontem *immortalitatis*, fontem *opulentiae*, fontem *felicitatis;* ut sic liberemur a septem defectibus praemissis nostris.

Sermo V [9].

Item, sermo fratris Bonaventurae editus Parisius eadem Dominica secunda de Adventu, coram Fratribus omnibus in Capitulo de mane.

Introductio.

Erit radix Iesse, et qui exsurget regere gentes, in eum gentes sperabunt, ad Romanos decimo quinto [10].

Dominus Iesus, qui exivit per aeternam generationem a Patre et venit in mundum per carnis assumtionem, ipse in quantum *lux* omnium scientiarum et luminum nos illuminet, in quantum *fons* omnium bonitatum et sanctitatum nos informet, in quantum *Verbum* universarum rationum viventium nos irradiet et erudiat, ut possimus ad suam laudem [11] etc.

Divisio.

Erit radix Iesse etc. — In hac Epistola hodierna allegat Apostolus ad Romanos decimo quinto auctoritatem, quam sumit de Isaiae undecimo [12], in qua explicat adventum Salvatoris et ostendit, quod iste adventus est pro Ecclesia, quamvis processerit de synagoga. Unde Isaiae nono [13]: *Verbum misit Dominus in Iacob et cecidit in Israel,* id est in populum christianum, veros Iudaeos et vere Dominum videntes [14]. Describitur autem adventus Christi in verbo praesenti quantum ad tria, scilicet quantum ad *ortum* nobilissimum, quantum ad *profectum* sive progressum gratiosissimum et quantum ad *fructum* saluberrimum. Primum, ibi: *Erit radix Iesse;* secundum, ibi: *et qui exsurget regere gentes;* tertium,

---

[1] In B ordo sententiarum cum quibusdam mutationibus omnino inveritur. Idem notandum est etiam quoad alios sermones cum eodem collatos.

[2] Vers. 46; sequitur Isai. 35, 5.

[3] Vers. 10. et 35, 6.

[4] Vers. 29. 30; sequitur IV. Reg. 5, 10.

[5] Vers. 22. et 35, 5.

[6] Vers. 10; sequitur Rom. 4, 17.

[7] Vers. 8; sequitur Isai. 29, 19.

[8] Vers. 6; sequitur Luc. 22, 28-30.

[9] Ex eodem codice A fol. 29 v. et B fol. 4 v.

[10] Vers. 12.

[11] Quae praecedunt desiderantur in B.

[12] Vers. 10. [13] Vers. 8.

[14] Verba *veros Iudaeos* etc. sumsimus ex B; *Israel* interpretatur *Deum videns.*

ibi: *in eum gentes sperabunt.* Haec tria similiter declarat clarius ad Titum secundo [1]: *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus,* quoad primum; *erudiens nos, ut, abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo,* quoad secundum; *exspectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi,* quoad tertium.

Quantum ad primam partem scire debemus, quod, sicut duplex est regio, scilicet caelestis et infernalis, sic duplex est genus radicum et plantationum in hoc mundo; unde dicitur Matthaei decimo quinto [2]: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus caelestis, eradicabitur.* Secundum ergo quod est duplex *plantatio,* una scilicet caelestis, alia infernalis, sic duplex est *radix,* una scilicet plantationis caelicae, alia plantationis gehennae. Duplex radix.

I. Radix vero plantationis caelicae est Filius Virginis, qui quidem *radix* hic dicitur propter tres proprietates radicis materialis. Radix enim habet *asperitatem* in tactu, cui attestatur in Christo passibilitas carnis; Isaiae quinquagesimo tertio [3]: *Ascendet sicut virgultum coram eo et sicut radix de terra sitienti, non est ei species neque decor* etc. — *Profunditatem* in situ, cui attestatur in Christo humilitas mentis; Iob vigesimo nono [4]: *Radix mea aperta est secus aquas,* humilitas enim ad se trahit humorem gratiae sicut radix. — *Fecunditatem* in fructu, cui attestatur in Christo virtus Divinitatis; ad Romanos undecimo [5]: *Si radix sancta, et rami;* Lucae primo: *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* — Haec vero radix plantationis caelicae pullulat incessanter *charismata* spiritualia; Isaiae undecimo [6]: *Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet. Et requiescet super eum spiritus Domini.* — *Lumina* sapientialia; radix enim omnis cognitionis in via est Verbum incarnatum, et radix omnis cognitionis in patria est Verbum increatum; Ezechielis decimo septimo [7]: *Aquila grandis magnarum alarum* etc. *Venit ad Libanum et tulit medullam cedri. Et tulit de semine terrae et posuit illud in terra pro semine, ut firmaret radicem super aquas multas; in superficie posuit illud, cumque germinasset, crevit in vineam latiorem humili statura, respicientibus ramis eius ad eam, et radices eius sub illa erant.* — *Exercitia* iustitialia; Ecclesiastici vigesimo quarto [8]: *Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hereditas illius, et in plenitudine Sanctorum detentio mea. Quasi cedrus exaltata sum in Libano* etc. *In electis meis mitte radices.* Ubi ponit sapientia sex arbores, per quas significatur exercitatio virtutum, scilicet cedrum, cypressum, palmam, rosam, olivam et platanum. Exercitatur enim iustus in actionibus virtuosis quoad lumina fidei, quoad solatia caritatis, quoad tolerantiam adversitatis, quoad condescendentiam pietatis, quoad aedificationem Ecclesiae universalis [9]. Pars 1. Radicis tres proprietates. Tres effectus radicis mysticae.

II. Sed huic radici et huic plantationi caelicae adversatur radix plantationis infernalis et eius plantatio gehennalis, quae quidem non est essentia, sed casus ab illa; secundum illud Psalmi [10]: *Evellet radicem tuam de terra viventium.* Hanc eradicabit Dominus, secundum illud Matthaei tertio: *Iam enim securis ad radicem arborum posita est; securis* est divina institia [11]. Ista autem radix plantationis inferni est triplex, scilicet *infructuosa* per concupiscentiam oculorum; Iob trigesimo [12]: *Radix iuniperorum erat cibus eorum;* arbor *iuniperi* est aspera et spinosa, sed radicem habet mollem, quia avari appetunt spinas divitiarum. — *Amara* per concupiscentiam carnis; ad Hebraeos duodecimo [13]: *Ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, et per illam inquinentur multi.* Haec est quae *ingreditur blande, novissima autem illius amara quasi absinthium.* — *Venenata* per superbiam vitae; Isaiae decimo quarto [14]: *De radice enim colubri egredietur regulus,* id est error schismaticus vel haereticus, qui ortum habent a superbia vitae. — De hac triplici radice infernali dicitur Ezechielis decimo sexto [15]: *Radix tua et generatio tua de terra Chanaan,* id est negotiationis, hoc est avaritia, *pater tuus Amorrhaeus,* hoc est diabolus per superbiam vitae, *et mater tua Cethaea,* hoc est concupiscentia carnis. Haec autem radix infernalis plantationis pullulat peccata culparum et calamitates miseriarum in praesenti et incendia poenarum sempiternarum in futuro. Para II. Radix infernalis. Est triplex

Sermo VI [16].

Item, sermo fratris Bonaventurae Parisius coram Universitate secunda Dominica de Adventu prolatus.

Quaecumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ad Romanos decimo quinto [17].

Pro tempore isto adventus gratiae Salvatoris in verbis his duo facit Apostolus: innuit sacrarum Scripturarum de Christi adventu, vita et morte loquentium *multiformitatem,* cum dicit: *Quaecumque scripta sunt;* Glossa [18]: « De Christo ». Secundo exprimit Divisio.

---

[1] Vers. 11. seqq. Verba *Haec tria... quoad tertium* sumta sunt ex B.
[2] Vers. 13.
[3] Vers. 2.
[4] Vers. 19.
[5] Vers. 16; sequitur Luc. 1, 35.
[6] Vers. 1. seq.
[7] Vers. 3. seqq.
[8] Vers. 16. 17-19 13.
[9] Referuntur non sex, sed tantum quinque exercitia virtutum. Fortasse excidit *suspiria spei* post *fidei.*
[10] Psalm. 51, 7; sequitur Matth. 3, 10.
[11] Verba *securis* etc. sumsimus ex B.
[12] Vers. 4; verba *arbor iuniperi... spinas divitiarum* sumta sunt ex B.
[13] Vers. 15; sequitur Prov. 23, 31. et 5, 4.
[14] Vers. 29.
[15] Vers. 3.
[16] Ex codice A fol. 30 v.
[17] Vers. 4.
[18] *Interlinearis* in hunc locum: « De Christo, cuius vita vitae nostrae et morum est disciplina ».

causam, quae movit scribentes, universalem scilicet nostram utilitatem, cum dicit: *ad nostram doctrinam scripta sunt.*

Notare itaque possumus ad nostram doctrinam, Pars I. quod quaedam legimus scripta *in Christo*, quaedam *de Christo*, quaedam *a Christo* et quaedam *pro Christo*. — Invenimus enim quaedam scripta *in Christo* sub ratione exprimentis et continentis christianam religionem, et hoc tripliciter, scilicet, si est in *exemplo* immutabiliter explicante claritatem exemplorum; Psalmus [1]: *In libro tuo omnes scribentur*, id est « in me », dicit Filius, quem dedisti omnibus formam. — In *vita* indelebiliter conservante dignitatem meritorum; Isaiae quarto [2]: *Sanctus vocabitur omnis, qui scriptus est in vita in Ierusalem.* — In *signo* memorabiliter praesentante necessitatem filiorum; Isaiae quadragesimo nono [3]: *Ecce, in manibus meis descripsi te, muri tui coram oculis meis semper.*

Scripta in Christo tripliciter.

De *ipso* sub ratione intendentis et exsequentis nostram redemptionem, et hoc tripliciter, scilicet de ipso *aeternaliter generato*; Matthaei secundo [4]: *Dictum est per Prophetas, quoniam Nazaraeus vocabitur*; haec enim Scriptura respicit mirabilem illam dignationem in nostrae carnis assumtione. — *Temporaliter incarnato*; Psalmus [5]: *In capite libri scriptum est de me*; haec enim Scriptura respicit aeternam voluntatem de nostra reparatione. — *Immortaliter resuscitato*; Lucae ultimo [6]: *Necesse est, impleri omnia, quae scripta sunt in Lege Moysi et Prophetis et Psalmis de me*; haec Scriptura respicit finalem illam utilitatem in beatificatione nostra totali.

De Christo tripliciter.

Ab *ipso* sub ratione dirigentis et disponentis humanam conditionem, et hoc tripliciter. Scriptum est enim ab ipso in *tabulis lapideis* ad directionem ignorantiae viatorum; Exodi trigesimo secundo [7]: *Scriptura quoque Dei erat sculpta in tabulis.* — In *animabus beatificandis* ad perfectionem excellentiae comprehensorum; Apocalypsis tertio [8]: *Qui vicerit, scribam super eum nomen Dei mei et nomen civitatis Dei mei, novae Ierusalem, quae descendit de caelo a Deo meo et nomen meum novum.* — In *pulveribus terreis* ad declarationem nequitiae peccatorum; Ioannis octavo [9]: *Inclinans se deorsum, digito scribebat in terra*; item Ieremiae decimo septimo: *Recedentes a te in terra scribentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum.*

A Christo tripliciter.

Pro *ipso* sub ratione possidentis et requirentis nostram subiectionem, et hoc tripliciter, pro ipso scilicet *honorando singulariter* propter irrefragabilem potentiam; Matthaei quarto [10]: *Scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.* — *Audiendo suaviter* propter incomparabilem sapientiam; Matthaei quarto: [11] *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* — *Praedicando laudabiliter* propter ineffabilem clementiam; Psalmus [12]: *Scribantur haec in generatione altera, et populus, qui creabitur, laudabit Dominum.*

Pro Christo tripliciter.

Continuatio [13].

Quaecumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus, ad Romanos decimo quinto [14].

II. In verbis istis triplex notatur Scripturae sacrae utilitas secundum triplicem vim ipsius animae: est enim utilis ad *eruiendum* rationalem contra ignorantiam, ad *fortificandum* irascibilem contra impatientiam, ad *consolandum* concupiscibilem contra tristitiam. Propter primum dicit, quod *ad nostram doctrinam*; propter secundum: *ut per patientiam*, quam scilicet suadet Scriptura; propter tertium addit: *et consolationem Scripturarum spem habeamus.*

Divisio.

I. Quantum ad primum notandum, quod ad nostram *eruditionem* Scriptura sacra continet *reprehensionem peccatorum*, ut ingerat dolorem; *communationem suppliciorum*, ut incutiat timorem; *propositionem mandatorum*, ut excitet ad laborem; *ostensionem exemplorum*, ut stimulet per pudorem; *promissionem beneficiorum*, ut alliciat ad amorem. — De primo, Ieremiae decimo septimo [15]: *Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino*, in quo notatur indelebilitas, donec fuerit per confessionem revelatum; tunc enim fit quod dicitur Michaeae ultimo: *Deponet iniquitates nostras et proiiciet in profundum maris omnia peccata nostra*, quia non requiret illa ultra ad puniendum. — De secundo, primae ad Corinthios decimo [16]: *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt*, et sequitur: *Scripta sunt autem ad correptionem nostram*, scilicet, ut ex consideratione punitionis illorum timeamus similia committere. — De tertio, Exodi vigesimo quarto [17]: *Ascende ad me in montem et esto ibi, daboque tibi* duas *tabulas lapideas et Legem ac mandata, quae scripsi, ut doceas* filios Israel, scilicet observare quae praecipio; notandum, quod praecipit Dominus.

Pars I. Quintuplex utilitas.

De prima.

De secunda.

De tertia.

---

[1] Psalm. 138, 16. Ibi Glossa *interlinearis:* In me scilicet.
[2] Vers. 3.
[3] Vers. 16.
[4] Vers. 23.
[5] Psalm. 39, 8.
[6] Vers. 44.
[7] Vers. 16.
[8] Vers. 12.
[9] Vers. 6; sequitur Ier. 17, 13.
[10] Vers. 10; cfr. Deut. 6, 13.
[11] Vers. 4.
[12] Psalm. 101, 19.
[13] In praecedente schemate desideratur pars II. supra indicata. Haec tamen habetur anonyma ut specialis sermo in codd. Tuderinis G et H, qui non pauca sermonum Bonaventurianorum schemata exhibent. Cod. A pluries omittit ultimam partem sermonum, probabiliter, quia haec non mane, sed vespere per modum collationis pronuntiabatur (cfr. supra pag. 5 col. II.). Haec pars propter interna criteria iam a P. Fideli a Fanna S. Bonaventurae adindicabatur. Quod confirmatur, quia eadem bene convenit cum parte prima.
[14] Vers. 4.
[15] Vers. 1. — Subinde allegatur Mich. 7, 19.
[16] Vers. 9. et 14.
[17] Vers. 12.

De quarta. — De quarto dicitur ad Romanos quarto [1] de Abraham, *qui contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium*, et sequitur: *Non est autem scriptum tantum propter ipsum, sed et propter nos;* verecundum enim valde est Sanctorum praecedentium exempla non imitari; propter quod dicitur Isaiae vigesimo nono: *Non modo confundetur Iacob, nec modo vultus eius erubescet, sed cum viderit filios suos, opera manuum mearum,*

De quinta. *in medio sui sanctificantes nomen meum.* — De quinto, Psalmus [2]: *Quoniam aedificabit Dominus Sion, et videbitur in gloria sua*, et sequitur: *Scribantur haec in generatione altera, et populus, qui creabitur, laudabit Dominum*, cognoscentes scilicet, quanta bona conferat Dominus electis suis; Psalmus: *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine!*

II. Quantum ad secundum notandum, quod inter

Pars II. alia, quae nos informant *ad patientiam*, sunt ea quae scripta sunt de *Christo*, qui est exemplar patientiae

Quinque virtutes Christi. nostrae. De ipso autem multa scribuntur, videlicet *promptitudo obedientis, mansuetudo conversantis, amaritudo patientis, rectitudo iudicantis, magni-*

De prima. *tudo regnantis.* — De primo, Psalmus [3]: *In capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam* etc.; ad Philippenses secundo: *Factus obediens usque ad mortem.* Istius consideratio facit nos obedientiam patienter portare, quando innocens Dominus tam duram obedientiam a Patre accepit; ideo dicitur primae Petri secundo: *Si bene facientes patienter sustinetis; haec est gratia apud Deum.* —

De secunda. De secundo dicitur Ioannis duodecimo [4]: *Turba multa, quae venerat ad diem festum*, post: *Et invenit Iesus asellum et sedit super eum, sicut scriptum est: Noli timere, filia Sion, ecce, rex tuus venit, sedens super pullum asinae.* Si vilipendamur et vilificemur ab aliis, (cogitemus), quia Filius Dei non fastuosus, sed humilis venit; ideo dicitur Ecclesiastici secundo: *In humilitate tua patientiam habe*, id est, quando ab aliis humiliaris et

De tertia. vilificaris. — De tertio, Matthaei vigesimo sexto [5]: *Scriptum est: Percutiam pastorem*, scilicet crucifigi permittendo, *et dispergentur oves gregis;* Lucae decimo octavo: *Ecce, ascendimus Ierosolymam, et consummabuntur omnia, quae scripta sunt de Filio hominis* etc. Istud nos informet ad patientiam in *adversis*, si tanta pro nobis Filius Dei sustinuit; ideo dicitur ad Hebraeos duodecimo: *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum, qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem.* — De quarto dicitur De quarta. Apocalypsis primo [6]: *Quod vides scribe in libro*, et sequitur de iudice: *Vox illius tanquam vox aquarum multarum, et de ore eius gladius utraque parte acutus exibat.* Iste *gladius* est sententia recta et dura contra malos, incidens eos et puniens quantum ad animam et quantum ad corpus. Istud informet nos ad patientiam *in labore poenitentiae*, ut non deficiamus, quia poena parata est deficientibus; Ecclesiastici secundo: *Qui timent Dominum custodiunt mandata illius et patientiam habebunt usque ad inspectionem illius, dicentes: Si poenitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini* etc. — De quinto dicitur Apocalypsis decimo nono [7]: *Habet in* De quinta. *vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium.* Istud inducit ad *compatiendum aliis* et ad supportandum invicem defectus, ut invicem cum illo regnemus; ideo dicitur ad Ephesios quarto: *Cum patientia supportantes invicem in caritate;* ad Colossenses tertio: *Induite vos sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam* etc.

III. Quantum ad tertium notandum, quod con- Pars III. Quinque consolationes. *solari* nos debet *memoria apud Deum nostrae operationis; forma nobis data sanctae dilectionis; locus devotae orationis; sermo sanctae exhortationis; merces aeternae retributionis.* Haec enim omnia scripta sunt ad utilitatem et consolationem nostram. —

De prima. De primo, Lucae decimo [8]: *Gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in caelis;* Isaiae quadragesimo nono: *Nunquid oblivisci potest mater infantem suum?* et post: *In manibus meis descripsi te.* Hoc debet nos multum consolari, quod Deus sic recordatur de nobis; Isaiae quadragesimo: *Consolamini,*

De secunda *consolamini, populo meus.* — De secundo dicitur Lucae decimo [9], cum ille peteret, *quid faciendo vitam aeternam* haberet, *dixit: In Lege quid scriptum est? quomodo legis? Diliges Dominum Deum tuum* etc. Haec est via directa ad vitam, sicut odium est via ad mortem. Hoc debet esse nobis magna consolatio, quod ostendit nobis Dominus viam salutis; Isaiae quadragesimo nono: *Consolatus est Dominus populum suum et pauperum suorum misserebitur.* — De tertio, Matthaei vigesimo primo [10]: De tertia. *Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur*, ibi enim frequenter multa consolatio recipitur; Isaiae ultimo dicitur de illis qui frequentant

---

[1] Vers. 18. et 23. seq. — Subinde allegatur Isai. 29, 22. seq.

[2] Psalm. 101, 17. et 19, post quem Ps. 30, 20.

[3] Psalm. 39, 8. seq. — Duo seqq. loci sunt Phil. 2, 8. et I. Petr. 2, 20.

[4] Vers. 12. et 14. seq. (cfr. Zach. 9, 9.). — Subinde allegatur Eccli. 2, 4.

[5] Vers. 31. (cfr. Zach. 13, 7.). — Sequuntur Luc. 18, 31. et Hebr. 12, 1. seq.

[6] Vers. 11. et 15. seq. — Subinde allegatur Eccli. 2, 21. seq.

[7] Vers. 16. — Duo seqq. loci sunt Eph. 4, 2. et Col. 3, 12. seq.

[8] Vers. 20. — Subinde allegantur Isai. 49, 15. seq. et 40, 1.

[9] Vers. 25. seqq. — Sequitur Isai. 49, 13.

[10] Vers. 13. (cfr. Isai. 56, 7.), post quem Isai. 66, 13.

ecclesiam et orationis locum: *Quomodo, si cui mater blandiatur, ita* et *ego consolabor vos, et in Jerusalem consolabimini.* — De quarto, Malachiae tertio [1]: *Locuti sunt timentes Dominum, unusquisque cum proximo suo, et attendit Dominus et audivit, et scriptus est liber monumenti coram eo;* et Dominus de talibus ait: *Parcam eis, sicut parcit vir filio suo servienti sibi.* De hoc autem debemus multum consolari, quia Deus omnia bona verba nostra in scriptum redigit; primae ad Thessalonicenses quarto: *Consolamini invicem in verbis istis,* quae scilicet de Deo loquimur. — De quinto, Apocalypsis decimo quarto [2]: *Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur* etc. Hoc debet esse nobis magna materia consolationis, quod illi qui moriuntur in manibus Domini, hoc est in bono statu, transeunt in continenti [3] ad regnum; Iob decimo quinto: *Nunquid grande est, ut consoletur te Deus?* supple: immo.

Item notandum, quod est delectatio *carnalis delectationis* peccatorum, *purgationis temporalis* delictorum, *materialis relevationis* afflictorum, *spiritualis refectionis* amicorum, *aeternalis fruitionis* Beatorum. — De primo, Zachariae decimo [4]: *Somniatores frustra locuti sunt, vane consolabantur;* Lucae sexto: *Vae vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram!* — De secundo, Psalmus [5]: *Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt;* Iob sexto: *Haec mihi consolatio, ut affligens me dolore, non parcat.* — De tertio, Isaiae duodecimo [6]: *Conversus est furor tuus, et consolatus es me;* Iudith octavo: *Exspectemus humiles consolationem eius.* — De quarto, Psalmus [7]: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuae laetificaverunt animam meam;* secundae ad Corinthios primo: *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra;* Threnorum primo: *Adduxisti diem consolationis.* — De quinto, Matthaei quinto [8]: *Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur;* Lucae decimo sexto dixit Abraham diviti damnato de Lazaro: *Nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.*

Quinque species delectationum. — De prima. — De secunda. — De tertia. — De quarta. — De quinta.

Sermo VII [9].

Item, sermo fratris Bonaventurae in Conventu Lugduni editus in Capitulo coram.... eadem Dominica in mane.

Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo, ut abundetis in spe et virtute Spiritus sancti, ad Romanos decimo quinto [10].

In verbis his Apostolus, maximus zelator humanae salutis, pro isto sacro tempore Christi adventus optat Christianis quinque, quae sunt eis valde necessaria, scilicet *serenitatem* sive suavitatem beatae aeternitatis, cum dicit: *Deus autem spei repleat vos omni gaudio;* ad Philippenses quarto [11]: *Gaudete in Domino semper, iterum dico: Gaudete. — Tranquillitatem* sive quietem silentii devotae mentis, cum dicit: *et pace;* ad Philippenses quarto [12]: *Et pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Iesu. — Sinceritatem* seu puritatem fidei Christi Divinitatis et humanitatis, cum dicit: *in credendo;* secundae ad Timotheum secundo [13]: *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare se ipsum non potest. — Soliditatem* sive integritatem spei aeternae felicitatis, cum dicit: *ut abundetis in spe;* secundae ad Corinthios primo [14]: *Ut spes nostra firma sit pro vobis. — Firmitatem* sive perseverantiam in fortitudine geminae caritatis, cum addit: *et virtute Spiritus sancti;* ad Romanos octavo [15]: *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quae est in Christo Iesu Domino nostro;* supple: *geminata* ad nostrum exemplum.

Quinque necessaria ad salutem.

Sermo VIII [16].

Dominica secunda de Adventu sermo fratris Bonaventurae, quem explicavit ad petitionem reginae Franciae in illa die.

Cum audisset Joannes in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus?

In isto Evangelio, quod sumitur de Matthaei undecimo [17], quatuor principaliter continentur. — Primum est venerabilis Baptistae mirabilis *devotio* et amor ad Christum, qui etiam in carcere satagebat et zelabat clarificationem nominis eius et ipsum mentibus discipulorum suorum praecordialiter imprimere nitebatur.

Divisio. Membrum primum.

Secundum est mysterialis et nobilis *quaestio,* quam per discipulos dubios non dubius ipse, sed plenus fide et pietate et zelo communis aedificationis Christo magistro direxit.

Secundum.

Tertium notabilis et universalis Christi ad propositam sibi quaestionem *satisfactio* respondens et

Tertium.

---

[1] Vers. 16. et 17. — Subinde allegatur 1. Thess. 4, 18.
[2] Vers. 13.
[3] Secundum Du Cange, Glossarium etc.: *In continenti* idem est ac statim, illico, continuo, Gall. *incontinent.* — Sequitur Iob 15, 11.
[4] Vers. 2, post quem Luc. 6, 24.
[5] Psalm. 22, 4. et deinde Iob 6, 10.
[6] Vers. 1; sequitur Iudith 8, 20.
[7] Psalm. 93, 19; sequuntur II. Cor. 1, 3. seq. et Thren. 1, 21.
[8] Vers. 5, post quem Luc. 16, 25.
[9] Ex eodem codice A fol. 31 v. Infra post *coram* probabiliter addendum est *Fratribus.*
[10] Vers. 13.
[11] Vers. 4.
[12] Vers. 7.
[13] Vers. 13.
[14] Vers. 7.
[15] Vers. 38. seq.
[16] Ex eodem cod. A fol. 32. Est homiletica totius Evangelii dominicalis expositio. Cfr. supra pag. 4 et 5.
[17] Vers. 2. seq.

ostendens, nullum debere dubitare, eum esse universalem mundi Reparatorem propter septem illa, quae exercebat in mundo, quoniam venerat in mundum et vivebat et agebat in mundo ut *caecorum*, id est ignorantium, *claritas; claudorum*, id est spiritualiter debilium, *soliditas; leprosorum*, id est immundorum, *sanctitas; surdorum*, id est inobedientium, *lex et veritas; mortuorum* in peccatis *vita et immortalitas; pauperum* Dei *saturitas; perseverantium* et non a fide cadentium *felicitas*.

Quartum est ipsius dilecti Praecursoris propter
Quartum. suspicationem turbarum tacita per Christum *excusatio* et miranda eiusdem de *constantia* mentis, *iustitia* austeritatis, *vita* sanctitatis et *doctrina* veritatis commendatio.

Sermo IX [1].

Item, sermo fratris Bonaventurae editus Lugduni in domo Praedicatorum, praesente curia Romana ibidem.

Lignum vitae desiderium veniens, Proverbiorum decimo tertio [2].

Describitur in verbis his adventus Christi in carnem tripliciter, scilicet ut *universaliter peroptatus*, ibi: *desiderium;* ut *singulariter praeoptandus*, ibi: *lignum vitae;* ut *praesentialiter exhibitus*, ibi: *veniens*.

Pars I. I. Circa primum nota, quod adventum hunc sancti Patres desideraverunt ex quadruplici consideConsideratio prima. ratione, scilicet ex consideratione miseriae *iniquitatis*, quae est pronitas ad malum, et tali modo desiderabat David, *in iniquitatibus conceptus* [3]: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum,*
Secunda. *ita desiderat anima mea ad te, Deus.* — Miseriae *infirmitatis*, quae est difficultas ad bonum, et hoc modo desiderabat Iob [4]: *Quis mihi tribuat auditorem, ut desiderium meum audiat Omnipotens?*
Tertia. — Miseriae *caecitatis*, quae est ineptitudo ad cognoscendum verum, et hoc modo desiderabat Tobias [5]: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo et lumen caeli non video?* et tertii Regum decimo: *Universa terra desiderabat vultum Salomonis, ut*
Quarta. *audiret sapientiam eius* etc. — Miseriae *captivitatis*, quae est impedimentum ad aeternum regnum, et hoc modo fuit desiderium in Daniele; Danielis decimo [6]: *Daniel, vir desideriorum, intellige verba, quae ego loquor ad te, et sta in gradu tuo.* Desiderabat enim, ut Christus veniret sicut *iustificatio* contra miseriam iniquitatis, sicut *corroboratio* contra miseriam infirmitatis, sicut *illuminatio* contra miseriam caecitatis et sicut *liberatio* contra miseriam captivitatis.

Pars II. II. Nec poterat Christus venire melius contra has miserias, quam quod veniret sicut *lignum vitae*. Si autem attendamus lignum vitae huiusmodi, scilicet Christi propter nos incarnati *originem*, invenimus, quod est lignum *vitae purissimae;* Genesis secundo [7]: *Produxit Dominus Deus de humo lignum vitae in medio paradisi;* quarti Esdrae secundo: *Lignum vitae erit illis in odore unguenti, et non laborabunt neque fatigabuntur.* — *Dispositionem*, invenimus, quod est lignum *vitae pulcherrimae;* Levitici vigesimo tertio [8]: *Sumetis vobis die primo fructus arboris pulcherrimae spatulasque palmarum et ramos ligni densarum frondium* etc. — *Fructum*, invenimus, quod est lignum *vitae plenissimae;* Apocalypsis ultimo [9]: *Ex utraque parte fluminis lignum vitae, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum et folia ligni ad sanitatem gentium.* — *Situm*, invenimus, quod est lignum *vitae promptissimae;* Genesis secundo [10]: *Lignum etiam vitae in medio paradisi;* Canticorum secundo: *Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios.*

Respectu primus. Secundus. Tertius. Quartus.

Pars III. III. Istud vero lignum vitae Christus fuit plenus *pulcritudine* viae [11]; Proverbiorum tertio: *Viae eius viae pulcrae, et omnes semitae illius pacificae. Lignum vitae est his qui apprehenderint eam.* — Plenus *dignatione* clementiae; Matthaei vigesimo primo [12]: *Venit tibi mansuetus.* — Plenus *illustratione* sapientiae; Ioannis duodecimo [13]: *Ego lux in mundum veni, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat.* — Plenus *religione* sive perfectione vitae; Lucae duodecimo [14]: *Ignem veni mittere in terram;* Matthaei quinto: *Non veni solvere Legem, sed adimplere.* — Plenus *remuneratione* gloriae; Apocalypsis vigesimo secundo [15]: *Ecce, venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua.*

Quinque praerogativae Christi.

---

[1] Ex A fol. 33 v.
[2] Vers. 12.
[3] Psalm. 50, 7; sequitur Ps. 41, 2.
[4] Cap. 31, 35.
[5] Cap. 5, 12; sequitur III. Reg. 10, 24.
[6] Vers. 11.
[7] Vers. 9; sequitur IV. Esdr. 2, 12.
[8] Vers. 40.
[9] Vers. 2.
[10] Vers. 9; sequitur Cant. 2, 3.
[11] Verba *plenus pulcritudine viae* desunt in codice. — Sequitur Prov. 3, 17. seq.
[12] Vers. 5; cfr. Zach. 9, 9.
[13] Vers. 46.
[14] Vers. 49; sequitur Matth. 5, 17.
[15] Vers. 12.

DOMINICA TERTIA ADVENTUS.

Sermo I [1].

Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis, Ioannis primo [2].

Prothema. *Loquente Petro verba haec, cecidit* Introductio. *Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum* etc., Actuum decimo. In his verbis ultimo propositis describuntur tria notabilia cuilibet praedicatori convenientia; quorum primum est *conferentis certitudo,* quae tangitur, cum praemittitur: *Loquente Petro.* Loquitur enim cognoscens. Secundum, *infundentis promptitudo,* quae tangitur, cum sequitur: *cecidit Spiritus sanctus.* Tertium est *audientis populi multitudo,* quae tangitur, cum subiungitur: *super omnes, qui audiebant.* Ratione horum trium devote divinae pietatis gratiam imploremus, ut *conferentem* impleat verborum certitudine et *audientem* statuat in Sanctorum multitudine, ut tandem conferens et audiens gaudeant in se *infundentis* Spiritus promptitudine, qua mediante possim ego aliqua dicere et vos intelligere, quae sint ad laudem et gloriam Mediatoris nostri et salutem et consolationem animarum nostrarum. Amen.

Medius autem vestrum stetit, quem vos ne- Sermo. *scitis.* Licet tantae sanctitatis esset Ioannes Baptista, ut a pluribus Christus reputaretur, interrogatus tamen a Iudaeis, utrum esset Christus, respondit veritatem, quia non esset Christus; sed ut ad propositam quaestionem de Christo responsio pateat, tanquam nuntius fidelitatis et praeco veritatis adiunxit propositum verbum, dicens: *Medius autem vestrum stetit* etc. In Divisio. quo quidem verbo primo asserit reconciliativi officii *congruentiam;* secundo recolit Verbi incarnati *praesentiam;* tertio arguit populi Iudaici *negligentiam.* Primo asserit reconciliativi officii *congruentiam,* cum dicit: *Medius autem vestrum;* secundo recolit Verbi incarnati *praesentiam,* cum subdit: *stetit,* id est, praesentialiter inter vos fuit; tertio arguit Iudaici populi *negligentiam,* cum subinfertur: *quem vos nescitis.*

I. Dicit ergo: *Medius autem vestrum,* ubi no- Pars I. tatur *congruentia reconciliativi officii.* Certe congruum fuit, ut qui medium tenebat in throno medium teneret in officio, et qui medium in via fuerat creationis medium existeret in via recreationis, ut per Verbum mundus reficeretur, per quod fuerat Subdivisio. factus. Est autem Christus congruum medium primo mirabilis *colligantiae* in incarnatione; secundo, regularis *disciplinae* in conversatione; tertio, vitalis *influentiae* in passione.

Primo Christus est medium congruum mirabilis Christus medium colligantiae. *colligantiae* in incarnatione, quia in ipso mirabiliter duo coniunguntur extrema, videlicet primum Divinitatis et ultimum humanitatis. *Ipse enim est pax nostra, qui utraque unum fecit* [3], et propter hoc multo melius quam Moyses potest dicere Christus, per quem gratia reconciliationis et veritas incarnationis facta est, illud Deuteronomii: *Ego medius fui et sequester inter vos et Dominum.* Ipse enim est *quasi stella matutina in medio nebulae,* id est assumtae humanitatis, secundum quod dicitur Ecclesiastici quinquagesimo. Sicut enim stella matutina est media inter tempora diurna et nocturna et influit ad purgationem tenebrarum; sic Christus fuit medius inter diem Divinitatis et noctem humanitatis, peccatorum tenebras amovendo.

Secundo Christus fuit congruum medium regu- Medium disciplinae. laris *disciplinae* in conversatione. Hic enim non recedit a medio virtutis in affectione, a medio veritatis [4] in locutione, a medio honestatis in operatione, quia semper medium tenuit in omni genere virtutis et perfectionis. Ideo dicitur in Psalmo [5] de ipso: *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. Deus in medio eius, non commovebitur.* Et ratio huius est, quia ita in virtute humilitatis se firmaverat, quod, licet flarent venti altivolantis superbiae, ad fontem tamen eius humilitatis nunquam potuerunt attingere. Nam, cum esset Rex ditissimus, pauperibus et piscatoribus se sociavit; Doctor sapientissimus, ad modum pueri simplicissimi ministravit; Magister prudentissimus, ut scholaris humillimus [6] doctores audivit; Princeps fortissimus, ad crucis patibulum se duci permisit. Unde ipse dicit de se ipso Lucae vigesimo secundo [7]: *Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat;* et Lucae secundo: *Invenerunt illum in medio doctorum;* et Lucae penultimo: *Crucifixerunt Iesum in medio latronum. In medio stat,* damnans angulos ambitionis in honorum exhibitione; latibula personarum acceptionis in praebendarum dispensatione, delusoria privatae consolationis et conventicula sordidae delectationis, *sicut qui ministrat,* non sicut qui dominatur.

Tertio Christus fuit medium vitalis *influentiae* Medium influentiae. in passione, ubi *operatus est salutem in medio terrae* [8]. Sicut enim cor, quod est medium vivifici

[1] Habetur integer in Vat. ac codd. C D E F; et brevior in M, qui tamen pauca addit, praesertim in fine; insuper magis contracte et cum alia explicatione in P; denique in I et T.

[2] Vers. 26. Prothema in cod. C habetur Act. 10, 44.

[3] Eph. 2, 14; sequitur Deut. 5, 5. et Eccli. 50, 6.

[4] Verba *in affectione, a medio veritatis* supplevimus ex D.

[5] Psalm. 45, 5. seq.

[6] Verba *ministravit; Magister* etc. supplevimus ex E F, et infra verba *et Lucae secundo* usque *in medio latronum* ex F.

[7] Vers. 27; sequitur 2, 46. et 23, 33: *Crucifixerunt eum et latrones, unum a dextris et alterum a sinistris.*

[8] Psalm. 73, 12.

caloris in sensibus, mediantibus spiritibus influit vitam in cetera membra animalis; sic Christus crucifixus in medio latronum, qui est *lignum vitae* plantatum a Deo *in medio paradisi* [1], id est Ecclesiae militantis, mediantibus Sacramentis influit vitam gratiae in cetera membra corporis mystici. Et hoc est quod dicitur Apocalypsis vigesimo secundo [2]: *Ostendit mihi fluvium aquae vitae splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni in medio plateae eius.* — *Fluvius* dicitur dispensatio Sacramentorum, sed *splendidus tanquam crystallus* propter claritatem et nitorem gratiae, quem relinquit in animabus, quae in hoc flumine depurantur. Dicitur autem *fluvius aquae vitae* propter efficaciam gratiae, quae vivificat et mundat animas. Hic dicitur *procedere a sede Dei et Agni*, quia sacramentalis gratia procedit a Deo tanquam ab auctore et efficiente, sed a Christo tanquam a mediatore et promerente; propter quod dicuntur omnia Sacramenta habere efficaciam a passione Christi. Unde secundum Augustinum [3], « de latere Christi dormientis in cruce fluxerunt Sacramenta », dum inde fluxit sanguis et aqua *in medio plateae eius*, id est in medio Ecclesiae, quae est corpus mysticum, ut per eum vivificetur.

Pars II. Subdivisio.

II. Secundo notatur *Verbi incarnati praesentia*, cum subdit: *Stetit*, id est, praesentialiter inter vos fuit. *Stetit* autem Christus inter homines primo ut *Pontifex clementissimus* ad purgandum delinquentes a malo culpae; secundo ut *Doctor sapientissimus* ad illuminandum verbo doctrinae ignorantes; tertio ut *Rex potentissimus* ad liberandum impotentes a malo poenae, et tanquam *Remunerator liberalissimus* ad introducendum in bonum gloriae. Sic Christus tanquam mediator sufficiens et verus Angelus novi testamenti habuit tres actus hierarchicos [4] in ecclesiastica hierarchia, scilicet purgare per expiationem culpae, illuminare per eruditionem doctrinae et perficere per remotionem poenae et collationem gratiae et gloriae.

Christus Pontifex clementissimus.

Primo stetit ut *Pontifex clementissimus* ad purgandum delinquentes a malo culpae. Unde Apocalypsis tertio [5]: Ego *sto ad ostium et pulso; si quis audierit vocem meam et aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum et coenabo cum illo, et ipse mecum.* — *Ego*, scilicet Christus, *sto ad ostium*, cordis clausi per peccati delectationem, *et pulso*, per internam inspirationem, qua loquor ad cor uniuscuiusque peccatoris; *si quis audierit vocem meam*, scilicet per auditus inclinationem et operis exsecutionem, *et aperuerit mihi ianuam*, per peccati confessionem et desertionem; *intrabo ad illum*, per instificantis gratiae inhabitationem, *et coenabo cum illo, et ipse mecum*, per spiritualium et suavium ciborum refectionem. Unde Augustinus super Genesim ad litteram [6]: « Principium rationalis creaturae est aeterna Sapientia, quae nullo modo cessat occulta inspiratione locutionis loqui creaturae, quae ab ipsa formata est, ut ad ipsum convertatur, quia aliter perfecta esse non potest ».

Doctor sapientissimus.

Secundo stetit ut *Doctor sapientissimus* ad illuminandum ignorantes verbo doctrinae. Unde dicitur Ioannis septimo [7]: *In novissimo autem die magnae festivitatis stabat Iesus et clamabat, dicens: Si quis sitit, veniat ad me et bibat.* — *Stabat*, ut verus doctor, *et clamabat*, ut praedicator, *quasi tuba exaltando vocem suam, dicens: Si quis sitit*, haustum scientiae salutaris, *veniat ad me*, humiliter petendo sine pertinacia contemptionis, *et bibat*, dulce vitae poculum, quod de pelago sapientiae propinabo; et Matthaei undecimo [8]: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos;* et Lucae quarto: *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me.*

Rex potentissimus.

Tertio stetit ut *Rex potentissimus* ad liberandum impotentes a malo poenae. Unde dicitur Actuum septimo [9]: *Video caelos apertos et* Iesum *stantem a dextris* virtutis *Dei.* — Dominus *Iesus* Christus *stans a dextris* virtutis *Dei*, id est ad aequalitatem Patris in quantum Deus, et in bonis potioribus eius in quantum homo, non solum dignatus est Protomartyri sustinenti ictus lapidantium pro eius nomine facere abundantem proventum gratiae, per quam superabat immanitatem Iudaeorum per benignitatem orationis, sed etiam dignatus est *aperire caelos* et se ipsum ei ostendere quasi in signum, quod eum introducturus esset in locum consimilis gloriae. Videns suum militem in agone, confortat eum ratione *status*, quia *a dextris Dei*; Exodi decimo quinto [10]: *Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitudine* etc.

Pars III. Subdivisio. Ratio 1.

III. Sequitur tertium: *Quem vos nescitis*, ubi arguit *Iudaeorum ignorantiam*, quae consurgebat triplici de causa. Primo propter *defectum* illuminationis supernae; secundo propter *impedimentum* argumentationis sophisticae; tertio propter *odium* aemulationis fraternae. — Primo nescitur Christus propter *defectum* illuminationis supernae. Unde in Psalmo [11]: *Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant*, quia non intelligunt Verbum veritatis, quod erat eis *praesens* per essentiam, licet propter caecitatem malitiae esset eis *absens* per gratiam et notitiam, sicut sol est praesens caeco et nequaquam apprehenditur ab ipso [12]. Ideo nescierunt fugere malum culpae nec facere bonum iustitiae; nam nullus potest dirigi sine luce fidei, immo *in tenebris ambulant*,

---

[1] Gen. 3, 9. [2] Vers. 1. seq.
[3] In Ioan. Evang. tr. 9. n. 10. et tr. 15. n. 8.
[4] Cfr. Dionysius, De Caelest. Hierarch. c. 3. § 2.
[5] Vers. 20. [6] Lib. 1. c. 3. n. 10, nonnullis hic omissis.
[7] Vers. 37, in quo respicitur Isai. 55, 1.
[8] Vers. 28; sequitur Luc. 4, 18; cfr. Isai. 61, 1. Hi duo loci Scripturae additi sunt ex F. [9] Vers. 55. seq.
[10] Vers. 6. Verba *Videns suum* etc. supplevimus ex F.
[11] Psalm. 81, 5.
[12] Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 1. n. 5.

sectando falsitatem infidelitatis. Et propter hoc dicitur Proverbiorum quarto [1]: *Via impiorum tenebrosa, nesciunt, ubi corruunt.*

Ratio 2. Secundo nescitur Christus propter *impedimentum* argumentationis sophisticae; unde Baruch tertio [2]: *Filii Agar, qui exquirunt prudentiam, quae de terra est, negotiatores Merrhae et Theman, et fabulatores et exquisitores prudentiae et intelligentiae, viam autem sapientiae nescierunt.* — Licet omnis scientia sit bona, quia a Deo est, tamen quia scientia humana perverse utentibus occasionem cupiditatis praebet, ideo dicuntur *filii Agar exquirere prudentiam, quae de terra est. Agar* enim *perversio* interpretatur et designat perverse utentes mundana scientia, qui *statuerunt oculos suos declinare in terram* [3]. Dicuntur etiam *negotiatores Theman* ratione voluptatis; *Theman* enim *ficus* interpretatur et significat voluptatem ratione suae dulcedinis. Adhuc dicuntur *fabulatores et exquisitores prudentiae et intelligentiae* ratione vanitatis et inflationis. Et sic quandoque scientia dicitur *mundana*, quia occasionem praebet multiplicis erroris perverse utentibus, quae nomine *filiorum Agar* designatur; dicitur Iacobi tertio [4] *terrena*, ratione cupiditatis deprimentis; *animalis*, ratione voluptatis subvertentis; dicitur etiam *diabolica*, ratione inflationis superbientis. Et quia tales nolunt credere nec acquiescere primae veritati tanquam matri bonae, merito credent malae novercae, id est phantasticae rationi. Propter hoc sequitur: *Viam autem sapientiae nescierunt,* non attendentes, suum defectum esse, non divinae sapientiae.

Ratio 3. Tertio nescitur Christus propter *odium* fraternae aemulationis; primae Ioannis secundo [5]: *Qui autem odit fratrem suum in tenebris ambulat et nescit, quo eat, quia tenebrae obcaecaverunt oculos eius.* Quia populus Iudaicus, cum loqueretur ei Christus veritatem vitae, *gratis impugnabat* in eo bonum supernae gratiae, ideo dicitur *odire fratrem suum* Christum et *in tenebris* esse, immo, quod peius est, *dicebant bonum malum* et *ponebant lucem tenebras* [6], dicendo miraculosa opera Christi facta non *in digito Dei, sed in Beelzebub principe daemoniorum;* ideo *in tenebris ambulant et nesciunt, quo vadant,* et hoc quia tenebrae invidiae et falsitatis obcaecaverunt oculos eorum, ut *non videant videntes, et intelligentes non intelligant;* Isaiae sexto [7]: *Excaeca cor populi huius et aures eius aggrava et oculos eius claude; ne forte videat oculis suis et auribus suis audiat et corde suo intelligat* [8].

Sermo II [9].

Medius vestrum stetit, quem vos nescitis. Ipse est, qui post me venturus est, cuius ego non sum dignus, ut solvam eius corrigiam calceamenti, Ioannis primo [10].

(Prothema). *Ego vox clamantis in deserto,* Ioannis primo.

Introductio. Utrumque verbum scriptum est in Evangelio hodierno, quod hodie recitatur in Ecclesia, et sunt verba beati Ioannis. Primum est de *Verbo incarnato,* scilicet de Christo; secundum est de *voce* ipsius Verbi, et praemittitur secundum verbum ante primum, quia vox manifestat ipsum verbum. Vox enim signum est intentionis intellectus sive conceptus mentalis, quia « voces sunt notae ipsarum passionum, quae sunt in anima », ut dicit Philosophus [11]; unde sunt signa eorum quae sunt in anima, maxime per modum conceptus. Unde dicit ille peritus [12] in arte grammatica, quod « omnis pars orationis signat mentis conceptum ». Et sicut vox signat mentis conceptum, ita beatus Ioannes signum fuit Christi; et sicut « signum se offert sensui et aliud facit in cognitionem venire », et signum se offert signato *totum,* ita praedicatio debet habere totaliter oculum (?) suum, ut imprimatur in cordibus audientium; et sicut tota dictio significat, non eius pars, quia syllaba vel littera « per se nihil significat [13] »; ita qui veritatem debet praedicare ex *se toto* debet eam praedicare: in sua *locutione,* in *desiderio mentali* et in sua *exteriori conversatione,* id est, quod quantum ad suam *intentionem* nihil quaerat, quantum ad *cogitationem* nihil desideret, quantum ad *locutionem* nihil exprimat et in sua *conversatione* nihil ostendat nisi illud solum, quod ad laudem Dei pertinet, sicut beatus Ioannes fecit. In sua conversatione, in sua doctrina, in suo baptismo et in sua passione semper ostendit, quod nuntius Christi fuit. *Ego,* inquit, sum *vox clamantis in deserto.* — Ego non sum talis, sicut ipse fuit; non sum dignus praedicare, *non sum dignus corrigiam solvere calceamenti;* sed assumimus quandoque officium praedicationis propter inopiam, confisi de gratia Spiritus sancti, quod *dabit voci suae vocem virtutis* [14] etc.

Sermo. *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis.* Verba ista sunt Ioannis Baptistae ut primo proponentis et sunt Ioannis Evangelistae ut recitantis, et in isto verbo uterque explicat nobis mysterium incarnationis ut *sublime,* ut *profundum* et ut *admirabile.* Et quamquam videantur simplicibus verbis loqui, credo, quod

[1] Vers. 19. [2] Vers. 23.
[3] Psalm. 16, 11.
[4] Vers. 15. [5] Vers. 11.
[6] Isai. 5, 20; sequuntur Luc. 11, 20. 15, Ioan. 12, 35. et Luc. 8, 10. [7] Vers. 10.
[8] De eodem themate habetur collatio inter Collationes in Ioannem, collat. 4. (tom. VI. pag. 340), quae tamen omnino differt.
[9] Sumtus est ex antiquo cod. Trecensi n. 951 (Q) et inscribitur: « Sermo in quarta Dominica Adventus fratris Bonaventurae ». Agit de eodem ac praecedens sermo themate, unde eum hoc loco posuimus. Dictionis defectus multiplices manifeste demonstrant, ex ore praedicantis eum fuisse exceptum.
[10] Vers. 26. 27; Prothema habetur ibid. v. 23. Supplevimus verbum *Prothema.* [11] Aristot., I. Periher. c. 1.
[12] Cfr. Priscian., II. Grammat. c. 3. seqq. et Aristot., loc. cit. c. 2-4. De definitione signi cfr. August., II. de Doctrina christiana c. 1. n. 1.
[13] Priscian., II. Grammat. c. 3. [14] Psalm. 67, 34.

non altius posset explicari mysterium incarnationis. Explicatur enim mysterium incarnationis ut *admirabile* propter admirabilem *assumentis et assumti co-*
Divisio. *pulationem*. Admirabilis *dignatio assumentis* notatur, quando dicit: *Medius vestrum stetit* etc.; admirabilis *assumti celsitudo* tangitur, cum dicit: *ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est;* admirabilis *assumentis et assumti copulatio* tangitur, cum dicit: *cuius ego non sum dignus, ut solvam eius corrigiam calceamenti.* In ista metaphora implicatur manifestatio (?) mysterii incarnationis.

I. Primo, dico, explicatur mysterium incarna-
Pars I. tionis ut sublime propter *admirabilem assumentis dignationem*, cum dicit: *Medius vestrum stetit* etc.
Dignatio admirabilis. Mirabilis est dignatio, si consideretur, quis fuit iste qui *stetit in medio*, quia *Deus aeternus* in medio mortalium hominum, *Agnus innocens* in medio malignantium peccatorum et *Salvator gloriosus* in medio miserabilium perditorum. Admirabilis est ista
Tamen rationabilis. dignatio, tamen non est irrationabilis, si attenditur causa et ratio, quare stetit in medio *Iudaeorum*, qui medius fuit in *Trinitate*. Dei Filius media persona est in Trinitate. Pater tenet rationem *principii*, quia ab ipso procedit et Filius et Spiritus sanctus. Spiritus sanctus, a quo non procedit alius, tenet rationem *ultimi et completivi*, et Filius est *media persona*, qui medius est in Trinitate. — Nunc stetit
Subdivisio. medius inter Iudaeos ut *eruditor verus*, ut *informator sanctus* et ut *reparator pius*. Dico igitur, quod beatus Ioannes dicit et loquitur Iudaeis: Dominus *medius vestrum stetit* etc. — Bene dico, quod
Christus primo ut eruditor verus. fuit in medio Iudaeorum ut *eruditor verus*, quia « cathedram habet in caelis qui intus corda hominum docet in terris [1] », ipse est Verbum, quod est fons totius sapientiae; unde in Ecclesiastico [2]: *Fons sapientiae Verbum Dei in excelsis.* Ad hoc autem, quod eruditor iste intraret in corda hominum in terra, necesse fuit, homines elevari sursum, vel Verbum inclinari. Homines fuerunt brutales et sensuales, et ideo impossibile erat, hominem ad ipsum Verbum ineffabile sublimari et ad *lucem inaccessibilem* [3] et in aeternam pulcritudinem oculos defigere; et ideo oportuit, aut quod Verbum in medio hominum veniret, aut quod homines in sua stultitia remanerent. Propterea Christus incarnatus est et de Virgine natus; et dicitur in Habacuc [4] natus fuisse *in medio duorum animalium;* unde dicitur, quod in praesepio bovis et asini natus fuit, quia instructor fuit populi Iudaici et Christiani. Unde, *cum esset annorum duodecim, remansit* [5] in templo. Unde in Evangelio: *Post triduum invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos et interrogantem eos.* Et *stupebant omnes super prudentia et responsis eius. Requirebant eum* parentes *inter cognatos et non invenerunt eum*, sed in *templo*, ubi est locus doctrinae, ibi invenerunt eum docentem. Et quando? *Post triduum*, quia tri- Notandum
plex illuminatio praecessit Christi adventum, scilicet illuminatio legis naturae, illustratio Scripturae et illustratio revelationis propheticae. Unde dicit Apostolus [6]: *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime, diebus istis locutus est nobis in Filio. Stupebant super prudentia et responsis eius*, non tamen ei credebant; audiebant, sed non intelligebant, immo, cum deberent ipsum summe venerari et ei credere, nitebantur ipsum occidere. Unde in Luca [7]: Redux Iesus de baptismo, *venit Nazareth.* Aperuit librum et incepit legere, et occurit ei: *Spiritus Domini super me* [8] etc.; et dicit: *Hodie impleta est haec Scriptura in auribus vestris*, quia missus sum ad docendum vos. Et tunc ipsi quaerebant miracula [9], et dixit eis Iesus, quod non essent digni habere miracula, et posuit exemplum de miraculo Elisei et Eliae. Eliseus cnravit Naaman Syrum, Elias filium viduae suscitavit, quae fuit de terra Sidoniorum; et tunc scandalizati fuerunt Iudaei et irati et eiecerunt eum de templo, et exivit de medio eorum; tunc verificata est Scriptura [10], quae dicit: *Excaeca cor populi huius et aures eius aggrava et oculos eius claude, ne forte videat oculis suis et auribus suis audiat et corde suo intelligat et convertatur, et sanem eos.* Magna ergo fuit dignatio Christi, quod venit in medio eorum Iudaeorum, sicut eruditor verus; unde dicit: *Medius vestrum stetit;* sed maxima est ingratitudo; quod dicit: *quem vos nescitis.* Quid valet habere bonum doctorem et non reputare eius doctrinam?

Secundo stetit Iesus in medio Iudaeorum ut *in-* Secundo, ut informator sanctus.
formator sanctus, quia indigebant homines documentis et exemplis; plus enim movent exempla quam verba. Qui irreprehensibilis est fecit hominem ad imaginem suam [11] et se fecit imitabilem. Generatio, formatio et creatio nostra est ad imaginem istius Verbi, dicit Bernardus [12]. Nata est creatura humana imitari Verbum; sed non potuit aliquis ipsum imitari in *pulcritudine* et *sapientia*. Primus Angelus voluit ipsum Notandum.
imitari in *pulcritudine*, et ideo cecidit; Adam voluit ipsum imitari in *sapientia*, et ideo corruit; et ideo ipsum Verbum condescendit ad humanitatem, ut possemus ipsum imitari et nos reformare per suam imitationem; quod designatur nobis in Ezechiele [13], ubi

---

[1] August., in Epist. Ioan. tr. 3. n. 13; de Magistro, c. 11. n. 38. seqq. et alibi; cfr. tom. V. pag. 324, nota 2.
[2] Cap. 1, 5. [3] Cfr. 1. Tim. 6, 16.
[4] Cap. 3, 1, secundum translationem *Septuaginta*.
[5] Luc. 2, 42. seq.; sequuntur v. 46. seq. et 44. seq.
[6] Hebr. 1, 1. [7] Cap. 4, 16.
[8] Luc. 4, 18; cfr. Isai. 61, 1; sequitur Luc. 4, 21.
[9] Cfr. Luc. 4, 23. seqq. [10] Isai. 6, 10.
[11] Respicitur Gen. 1, 26.
[12] Cfr. serm. 80. seqq. in Cant., ubi de convenientia Verbi et animae fusius agitur; de Gratia et lib. arbitr. c. 10. n. 32. seq.
[13] Cap. 3, 15.

dicitur: *Veni ad transmigrationem, ad acervum novarum frugum, ad eos qui habitant flumen Chobar, et sedi, ubi illi sedebant, et mansi ibi septem diebus, moerens in medio eorum.* — Propheta, loquens de eo quod futurum est, dicit, quod Iudaei adhaerebant Domino propter terrena, ideo perversi permanserunt; unde Propheta [1]: *Incrassatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem suum,* et ideo Dei Filius assumsit nostram humanitatem, ut doceret nos in poenalitate vivere. Unde dicit: *mansi septem diebus. Septem diebus* significatur totum tempus praesentis vitae, quod debet esse tempus inediae, abiectionis et confusionis, quod notatur, cum dicit: *mansi ibi moerens.* Omnia bona contempsit Christus, unde reputabant eum Iudaei *virum dolorum* [2]; illud erat exemplum magnae virtutis. Via revertendi in paradisum est per viam moeroris [3]. Iudaei vero non quaerebant nisi laetitias et quaerebant unum, qui posset exterminare inimicos eorum et qui faceret eis convivia; et Christus pauper fuit, ideo nullus post eum ire voluit. Unde dicit: *Quem vos nescitis,* quia quaeritis solatia. *Genimina,* inquit [4], *viperarum! Quis ostendit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructus dignos poenitentiae, et ne coeperitis dicere: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae.* — Non est Deus in medio viperarum, sed in medio filiorum Abrahae; ideo qui veri sunt *filii Abrahae* [5] sint imitatores non Adam transgressionis, sed Christi reformationis. Dicit: *potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae,* id est de Iudaeis, qui corda habent dura et lapidea; de illis suscitavit Christum. Sed Iudaei Christum propter carnalitatem suam non cognoverunt; simul non potuerunt habere caelestia et terrena; ideo perdiderunt caelestia, quia quaerebant terrena et Christum Dominum imitari noluerunt. Dicit igitur: *quem vos nescitis.* — Utinam non ad nos possit dirigi illud verbum! Reprehensibile esset in nobis, si Ioannes extenderet verbum suum ad nos.

Tertio, ut reparator pius.

Tertio stetit in medio eorum sicut *reparator pius.* Unde in Ezechiele [6]: *Ego ipse requirum oves meus et visitabo eas. Sicut visitat pastor gregem suum in die, quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum, sic visitabo oves meas.* — Dicit illud Deus, et Deus est Verbum, qui est pastor noster et pascens nos. Oves eius fuerunt dissipatae; *non* est *missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel* [7]. Sicut Iacob misit filium suum Ioseph ad fratres suos visitandum, et sicut pastor mittitur ad gregem dissipatum; sic Christus missus est ad eos qui destituti erant, ad congregandum dispersos. Dispersi fuerunt homines propter discordiam inter *Creatorem* et *creaturam,* inter *angelicam* naturam et *humanam,* inter *voluntatem* et *conscientiam,* inter *sensualitatem* et *rationem,* inter *carnem* et *spiritum,* inter *hominem* et *proximum,* inter *peccatorem* et *universum orbem.* — Discordia fuit inter *Creatorem* et *creaturam* propter peccatum, et ideo *angelica* natura contraria fuit *humanae.* Item, discordia erat inter *voluntatem* et *conscientiam,* quia voluntas inclinat ad unum, conscientia ad aliud. Item, discordia est inter *rationem* et *sensualitatem,* quia ratio dictat unum, sed sensualitas movet ad aliud; hoc autem est naturae lapsae et corruptae, et istud docet sacra Scriptura, non philosophia. Item, *caro* repugnat *spiritui,* quia *caro concupiscit adversus spiritum et spiritus adversus carnem* [8]. Item, discordia facta est inter *hominem* et *proximum;* deberet unus alium diligere; vix unus diligit reliquum (sic), immo frater odit fratrem suum. Item, discordia fuit inter *hominem* et *universum orbem.* — Quis posset ista reconciliare, pacificare et in unum recolligere? Per quem fiet illud? Dico, quod fiet istud per illum qui universalem habet potestatem super omnem creaturam, qui *Pontifex magnus est, qui penetravit caelos* [9]. Ille est, qui est verus Deus et verus homo. *Dissipati* eramus, non coniuncti, sed ipse nos coniunxit in sua passione. Dicit Christus: *Frenduerunt super me dentibus suis* [10]. Cum Christus diceret, se esse bonum pastorem, voluerunt devorare Agnum, *sustulerunt lapides, ut eum lapidarent.* Unde dixit Iesus Iudaeis [11]: *Multa bona opera ostendi vobis; propter quod eorum opus me lapidatis? Responderunt ei Iudaei: De bono opere,* quod ostendisti, *non lapidamus te, sed de blasphemia, et quia tu, homo cum sis, facis te ipsum Deum.* Lapidaverunt *Agnum,* id est Christum, *et oves,* id est Apostolos.

Discordia septoplex.

Solos Christus harum discordiarum reparator.

Dicit ergo: *Medius vestrum stetit,* mira *dignatio; quem vos nescitis,* ecce; miserabilis *ingratitudo!* Quia fuit *instructor verus,* ideo fuit *credibilis;* quia *informator sanctus,* ideo *imitabilis,* et quia fuit *reparator pius,* ideo *diligibilis;* sed vos in ipsum non *creditis,* ipsum non *sequimini,* ipsum non *diligitis:* ideo *stetit in medio vestrum, quem vos nescitis.* — Videamus, si tangat vos verbum istud. Loquitur Apostolis, in quorum *medio* stetit Christus, *sicut* ille *qui ministrat* [12]. Dicit Isaias [13]: *Verbum misit Dominus in Iacob, et cecidit in Israel.* Quia venit verbum ad Christianos, posset verbum hoc venire ad vos. Si non creditis *doctori vero,* si non imitamini *informatorem sanctum,* si non diligitis *reparatorem*

Contra hanc dignationem oppositur humana ingratitudo tripliciter.

Applicatio.

---

[1] Deut. 32, 15.
[2] Isai. 53, 3.
[3] Cfr. Gregor., l. Homil. in Evang. homil. 10, n. 7.
[4] Luc. 3, 7. seq.; cfr. Matth. 3, 7. seqq.
[5] Ioan. 8, 39.
[6] Cap. 34, 11. seq.
[7] Matth. 15, 24; pro sequentibus cfr. Gen. 27, 13. seqq.
[8] Gal. 5, 17. [9] Hebr. 4, 14.
[10] Psalm. 34, 16. Sequitur Ioan. 10, 11. et 31. — In textu substituimus *voluerunt devorare* pro *devoraverunt.*
[11] Ioan. 10, 32. 33.
[12] Luc. 22, 27. [13] Cap. 9, 8.

pium; tunc potest dici vobis: *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis.* Dicitur in Exodo [1]: *Sanctificabo et tabernaculum testimonii cum altari et Aaron cum filiis suis, ut sacerdotio fungantur mihi. Et habitabo in medio filiorum Israel.* Illud impletum est, quando Dominus *sanctificavit tabernaculum,* id est Ecclesiam, et instituit sacerdotes, id est Apostolos, et *habitabat in medio filiorum Israel,* id est in medio verorum Israelitarum. — Sed Iudaei privati sunt isto beneficio propter ingratitudinem eorum; unde in Daniele [2]: *Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt super populum tuum et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur iustitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum. Et occidetur Christus, et non erit eius populus, qui eum negaturus est.* — Si istam auctoritatem considerassent, potuissent scivisse tempus adventus Christi. Ab aedificatione Ierusalem usque ad adventum Christi septuaginta erant hebdomades, et accipimus *diem* pro *anno,* et erant *abbreviatae,* quia erant secundum numerum annorum lunarium. Si ad hoc respexissent Iudaei, potuissent scivisse tempus adventus Christi. Dicit: *et non erit eius populus, qui eum negaturus est,* id est populus Iudaicus; et tunc translatus est Christus *de medio eorum* et venit in medio Christianorum, quia (isti) nescierunt Christum, ideo in *tenebris ambulant* [3], et quidquid in terra fuit commotum est tunc. Periculum magnum est ingratitudinis peccatum. Fuit igitur Christus in medio Iudaeorum sicut *eruditor verus,* sed ipsi in eum non crediderunt.

Fuit Christus in medio eorum sicut *informator sanctus,* sed ipsi eum sequi noluerunt; fuit in medio eorum sicut *reparator pius,* et quia ipsi eum non dilexerunt, ideo ipsum perdiderunt. Dicit igitur: *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis.* Quibus loquitur? Dico: tribus generibus hominum. *Miserunt Iudaei ab Ierosolymis sacerdotes et levitas* et Pharisaeos ad Ioannem, *ut interrogarent eum: Tu quis es* [4]? Istis loquitur Ioannes. Sacerdotes vacabant officio altaris; levitae vacabant studio divinae legis, et Pharisaei honestati religionis. Isti sollicitissimi erant ad cognoscendum Christum, et quia ipsum non cognoverunt, ideo reprehendendi sunt. — *Sacerdotibus* dicit Ioannes: Nescitis Christum propter *avaritiam; levitis* dicit: Nescitis Christum propter *curiositatem,* et *Pharisaeis* dicit: Nescitis Christum propter *indevotionem.* In sacerdotibus summe damnatur *avaritia,* in studentibus summe damnatur *curiositas,* in Religiosis summe damnatur *indevotio.* Loquitur Ioannes secundum certiorem vocem veteris legis, et secundum aestimationem novae. — Dico: *sacerdotes* nesciunt Christum propter *avaritiam;* unde in libro primo Regum [5]: *Porro filii Heli, filii Belial, nescientes Dominum neque officium sacerdotum ad populum. — Heli* interpretatur *iniquitas;* unde filii Heli sunt filii iniquitatis. Filii Heli habuerunt *fuscinulam tridentem,* quam *mittebant in cacabum,* et quidquid assumebant cum tridente asportabant. Clausit avaritia oculos Iudaeorum, quod non cognoverunt Christum; *supercecidit ignis,* cupiditatis et avaritiae, *et non viderunt solem* [6], scilicet iustitiae. Cupiditas generat fumum, qui excaecat oculos cupidorum [7]. Cum tridente *asportabant carnes;* per *tridentem* signatur cupiditas, quae habet tres dentes, scilicet cupiditatem in *acquirendo,* rapacitatem in *auferendo* et tenacitatem in *abscondendo. — Gratis accepistis, gratis date* [8]. Non debent sacerdotes reditus Ecclesiae abscondere, quia abscondere eos est indaizare, immo sequi Iudam. Utinam ista *fuscinula,* quae est avaritia, non esset hodie in sacerdotibus! quia *omnes* hodie *avaritiae student* [9]. Quis curat de ecclesia habenda nisi propter pecuniam? *Retrahunt a sacrificio* Domini propter pecuniam. Dicitur, quod *erat peccatum puerorum grande, quia retrahebant a sacrificio* [10]. — Voluerunt *carnes crudas,* ut lautius eas praepararent. Totum transit per os, quod manus potest congregare, et non est nisi fimus. *Omnis labor hominis in ore eius* [11]. Haec est ratio ignorantiae. Omnes vacamus isti gulositati. Officium sacerdotis est hodie lautius vivere, congregare et rapere, et ideo ab eis nescitur Christus. Contra istos dicit Isaias [12]: *Vocavit Dominus Deus exercituum ad fletum et ad planctum et ad calvitium et ad cingulum sacci. Et ecce, gaudium* illorum *et laetitia occidere vitulos et iugulare arietes, comedere carnes et bibere vinum. Comedamus et bibamus; eras enim morientur.* Videtur eis, quod non sit alia vita nisi ista. Audiamus Ioannem, qui dicit, quod omnes avari erant [13]; Dominus detestabatur divitias: *Audiebant omnia haec Pharisaei, qui erant avari, et deridebant eum* [14]. Praedicavit quidam, quod divitiae essent stercora. Dixit quidam: « Ego vellem, quod domus mea plena esset talibus stercoribus ». Carissimi, *animalis homo non percipit ea quae Dei sunt* [15]. Dimittamus sacerdotes.

Quid dicemus de *levitis,* qui vacant studio divinae legis? Isti nescunt Christum propter *curiositatem.* Dicitur in Ioanne [16], quod dixerunt legisperiti:

Eruditorem Iudaei spernebant.

Item, informatorem et reparatorem.

Tria hominum genera.

Primum de sacerdotibus avaris.

Notandum

Applicati

Contra gulositatem.

De levitis curiosis.

[1] Cap. 29, 44. seq.
[2] Cap. 9, 24. et 26.
[3] Ioan. 12, 35.
[4] Ioan. 1, 19; de Pharisaeis vide v. 24.
[5] Cap. 2, 12. seqq.
[6] Psalm. 57, 9.
[7] In codice citatur *Prov.* Fortasse respicitur Eccli. 20, 31: *Xenia et dona excaecant oculos iudicum,* vel Sap. 2, 21: *Excaecavit illos malitia eorum.*
[8] Matth. 10, 8.
[9] Ier. 6, 13.
[10] Libr. I. Reg. 2, 17. Deinde respicitur ibi v. 13.
[11] Eccle. 6, 7.
[12] Cap. 22, 12. seq.
[13] Haec verba Ioannis non inveniuntur; sed vide locum sequentem.
[14] Luc. 16, 14.
[15] Epist. I. Cor. 2, 14.
[16] Cap. 9, 29. seqq.

Nos scimus, quia Moysi locutus est Deus, hunc autem nescimus, unde sit; et dixit *ille homo: In hoc enim mirabile est, quod vos nescitis, unde sit, et aperuit meos oculos,* caeci nati. *Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam. Et dixerunt ei: In peccatis natus es totus, et tu doces nos? Et eiecerunt eum* extra synagogam. Hic iacet periculum. Condemnaverunt Iesum, quando luto illuminavit oculos caeci nati; et dixerunt: *Non est a Deo qui sabbatum non custodit*[1]. Inimicus Dei de Lege facit argumentum ad perdendum eum, quem Lex praedicavit. Perdidit Adam esus ligni vitae. Legitur, quod Adam, comedens
Applicatio. lignum prohibitum, expulsus est de paradiso[2]. Hoc impletum est hodie in doctoribus nostris. *Spiritualis* intelligentia dicitur *lignum vitae, litteralis* intelligentia dicitur *lignum scientiae boni et mali. Littera,* id est litteralis intelligentia, *occidit; spiritus,* id est spiritualis intelligentia, *vivificat*[3]. Dedit Deus decalogum et scripsit *digito suo*[4], et sunt servanda praecepta Legis. Litteralis intelligentia dicit, quod observantia Legis servanda est in perpetuum. Unde quia Iudaei tenebant, quod omnia ad litteram servari deberent; ideo insurrexerunt contra latorem Legis. Litteralis intelligentia est *scientia boni et mali,* quae dicit, quod mandata in perpetuum servari debent, sicut observantia sabbati et circumcisio, quae ad tempus servanda sunt. Excaecati fuerunt Iudaei, ne viderent promissum in Lege, et dixerunt securi: *Occidamus illum*[5]; et sicut Iudaei noviter conversi ceciderunt a fide, dicentes, quod omnia deberent ad litEbionitae. teram servari; ita ceciderunt a fide Ebionitae, qui dixerunt, quod legalia cum Evangelio servanda sunt. Isti volebant manducare de ligno *scientiae boni et mali.* Dixerunt, quod servanda est observantia sabbati et circumcisionis; contra quos dicit Apostolus[6]: *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.*
Notandum. Attendamus periculum: sicut finali tempore synagogae vacabant Iudaei doctrinae divinae legis per auctoritatem, ita modo vacamus doctrinae divinae legis per rationem. Qui diligunt sacram Scripturam diligunt etiam philosophiam, ut per eam confirment fidem; sed philosophia est *lignum scientiae boni et mali,* quia veritati permixta est falsitas. Sed si es aemulator philosophorum, dicis: quomodo potuit decipi Aristoteles? Et non diligis sacram Scripturam; necessario cadis a fide. Si dicis mundum aeternum, nihil scis de Christo. Si dicis unum intellectum in omnibus, et non esse felicitatem post hanc vitam nec resurrectionem mortuorum; si manducas de isto *ligno scientiae boni et mali;* cadis a fide. Cavere debent sibi discentes quae sunt philosophiae; fugiendum est omne illud, quod est contrarium doctrinae Christi, sicut interfectivum animae. Si probas, quod mundus sit aeternus, dices, quod dicis esse probationes tuas, sed non credis. Audi, quid dicitur in Notandum. Lege[7]: *Si quis aperuerit cisternam et foderit et non operuerit eam, ceciderituque bos aut asinus in eam, reddet dominus cisternae pretium iumentorum.* Credis, quod Spiritus sanctus faciat vim de fovea *materiali?* Certe non, sed de fovea *erroris.* Fovea *aperitur,* quando aliquam falsitatem facis credibilem et adducis ad hoc rationes; non *claudis foveam,* quando rationes dimittis insolutas. Si tunc discipulus tuus cadit in foveam illam erroris, teneris ad eius restitutionem. Aliqui claudunt eam insufficienter; dicunt: fides tenet contrarium; das mihi occasionem, quod male credam de fide, quia « dubius in fide infidelis est[8] ». Aliquis facit se magistrum in scientia, qui nihil scivit, et generat errores. Sacra Scriptura maximae profunditatis est et difficultatis. Aliquis volet per philosophiam determinare mysterium Trinitatis, et nesciet, quid dicat. Deberet esse eruditus in sacra Scriptura, aut quaerere ab illo qui eruditus est; quia oportet in simplicitate fidei ambulare. — Patet modo de sacerdotibus et levitis, quod nesciunt Christum, sacerdotes propter avaritiam et levitae propter curiositatem.

De *Pharisaeis* quid dicemus? Dico, quod ipsi De Pharisaeis infidelitatis nesciunt Christum propter *indevotionem.* Scribitur in Deuteronomio[9]: *Eduxit rivos de petra durissima. Et cibavit te manna in solitudine, quod nescierunt patres tui.* Loquitur ad populum iuvenem, qui iam per desertum transierunt, quorum patres *mortui sunt in deserto*[10]. — Dicit, *quod nescierunt manna,* immo manducaverunt, sed non invenerunt in eo saporem. — Duo sunt genera hominum in solitudine sive in statu Applicatur ad Religiosos. religioso existentium. Aliqui sunt in Religione non corde, sed *corpore,* qui significantur per illos qui in *deserto prostrati sunt.* Isti flagrabant desiderio deliciarum Aegypti, dicentes in mente: *In mentem nobis veniunt cucumeres et pepones porrique et cepae et allia, quae comedebamus in Aegypto gratis*[11]. Alii sunt in Religione *mente,* qui significantur per iuvenes, qui non sunt secuti incredulitatem patrum, et isti saporem inveniunt in pane, quem misit eis Deus; de quo pane dicitur in libro Sapientiae[12]: *Panem de caelo praestitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem et omnis saporis suavitatem.* Quis est iste panis? Iste est panis, de quo dicit Dominus in Ioanne: *Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi.* Panem istum comedunt qui in Religione corde commorantur, et aquam bibunt

[1] Ioan. 9, 16.
[2] Gen. 3, 23. seq.
[3] Epist. II. Cor. 3, 6.
[4] Exod. 31, 18.
[5] Luc. 20, 14.
[6] Gal. 5, 2.
[7] Exod. 21, 33. seq.
[8] Gregor. IX., in Decret. c. *Dubius in fide* (c. 1.), X. de Haereticis (libr. V. tit. 7.).
[9] Cap. 8, 15. seq.; cfr. Exod. 17, 6. et 16, 15.
[10] Num. 14, 37; cfr. I. Cor. 10, 5. et Hebr. 3, 17. et pro sequentibus Num. 21, 5.
[11] Num. 11, 5.
[12] Cap. 16, 20. Sequitur Ioan. 6, 41.

qui de concepta devotione reficiuntur. Panis iste est
Hortatio. verorum filiorum Israel, non Pharisaeorum. Omnes debemus aspirare, ut gustemus Christum, qui est suavis panis. Et quomodo ? Dicitur in Canticis [1]: *Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium et inspicerem, si floruisset vinea, et germinassent mala punica. Nescivi; anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab.* — Verbum istud est sponsae ad Sponsum, in quo designantur
Proprietates quatuor. nobis quatuor proprietates, quae dignos faciunt nos ad recipiendum influentiam divinae dulcedinis, et sunt *austeritas* in carne, *humilitas* in mente, *ardor caritatis* et *dulcedo devotionis*. *Austeritas* in carne tangitur, cum dicit: *Descendi in hortum nucum.* Nux interius habet dulcedinem, sed exterius habet corticem amarum et signat illos qui devotionem habent intus in corde et exterius austeritatem in carne. *Humilitas* in mente tangitur, cum dicit: *ut viderem poma convallium.* Valles abundant aqua, similiter aqua divinae consolationis descendit ad humiles. *Ardor caritatis* tangitur, cum dicit: *et inspicerem, si floruisset vinea.* Vinea producens fructum, scilicet vinum, significat *ardorem caritatis*, quia vinum inflammat, exhilarat et alienat; ita ardor caritatis in Deum fervet, ardet et alienat. *Dulcedo devotionis* tangitur, cum dicit: *et germinassent mala punica.* Mala punica sub uno cortice habent plura grana et signant animam, quae habet refici devotione multiplicis dulcedinis. Sequitur: *Nescivi; anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab.* — *Aminadab* interpretatur *volubilis*, et significat volubilitatem cogitationum et affectionum perstrepentium animam, ut non possit quiescere et recipere influentiam divinae dulcedinis. — Domine, pauci hodie te sciunt vere. *Medius* igitur *vestrum stetit, quem vos nescitis*, scilicet vos *sacerdotes* propter hoc, quod non vultis esse pauperes, vos *levitae*, quia non vultis esse studiosi, vos *Pharisaei*, quia non estis devoti. Rogemus Dominum etc.

Collatio [2].

Medius vestrum stetit, quem vos nescitis.

In medio Ecclesiae aperiet os eius et adimplebit illum spiritu sapientiae et intellectus. Verba ista sunt in Ecclesiastico [3].

Secundum litterae exteriorem superficiem vide-
Introductio. tur inordinate loqui, quia videtur, quod prius deberet impleri spiritu sapientiae quam aperire os suum. Videtur durum, quod primo debet homo aperire os quam impleri sapientia. Unde dixit Ieremias [4]: *A a a, Domine Deus, ecce, nescio loqui.* Sed quomodo *implevit eum Dominus spiritu sapientiae?* Dicit Gregorius [5], qui fuit doctor veritatis, quod multa fuernnt, quae secum non intellexit, sed quando erat coram Fratribus suis, tunc bene intellexit. Multa dantur praedicatori propter audientes et devotionem audientium, et excitatur praedicator, ut meliora dicat, quam cogitavit. Unde super illud Ezechielis [6]: *Linguam tuam adhaerere faciam palato tuo, et eris mutus nec quasi vir obiurgans, quia domus exasperans est*, dicit Glossa, quod « propter demerita auditorum aufertur aliquando praedicatori gratia praedicationis ». Ergo propter merita auditorum confertur et gratia, sicut panes quandoque multiplicavit Dominus propter devotionem assistentium. Ergo in principio rogabimus Dominum etc.

Medius vestrum stetit. Urbano modo loquitur; Spiritus sanctus docuerat eum. Dicebam, quod bea- Repetitio.
tus Ioannes mysterium incarnationis volebat laudare; ad hoc enim in mundum venit, et nos omnes ad hoc facti sumus, ut laudemus mysterium incarnationis. Et dixi, quod explicatur mysterium incarnationis dominicae in verbis istis ut *admirabile*, ut *sublime*, ut *profundum*. Ut *admirabile* propter admirabilem *assumentis dignationem*, ut *sublime* propter admirabilem *assumti celsitudinem*, ut *profundum* propter admirabilem *assumentis et assumti copulationem*. — Dicit: *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis*, et quod estis vos, qui neseitis eum. Stetit *Dominus* aeternus in medio mortalium hominum, *Agnus* innocens in medio malignantium peccatorum et *Salvator* gloriosus in medio miserabilium perditorum, *sapientissimus* in medio stultorum, *sacratissimus* in medio foedorum, *beatissimus* in medio damnatorum. Dicebam, quod rationabile fuit, quod stetit in medio ludaeorum, unde natus fuit. Stetit, dico, in medio eorum ut *eruditor verus*, ideo credendus est; ut *informator sanctus*, ideo imitandus est; ut *reparator pius*, ideo diligendus est. Et quia illi ei non credebant, eum non imitabantur nec eum diligebant, ideo ingrati fuerunt. Exprimit ingratitudinem eorum sive indignitatem, cum dicit: *Medius vestrum stetit, quem vos nesciitis*. Ex ingratitudine *sacerdotes* ipsum non sciunt propter eorum avaritiam, *levitae* propter eorum curiositatem sive legisperiti, *Pharisaei* propter eorum indevotionem. Patet igitur modo de assumentis dignatione.

II. Restat modo videre de *assumti celsitudine*, Pars II. totius Sermonis.
quae notatur, cum dicit: *Qui post me venturus est ante me factus est* [7]. Dicitur Christus *ante factus* propter rationem assumtae naturae; qui venit *post* Ioannem *ante* Ioannem *factus est*. Hoc non verum est ratione divinae naturae, quia ratione divinae naturae *non est factus nec creatus, sed genitus* [8]. Sed si *post* ipsum est natus, quomodo *ante* ipsum est

---

[1] Cap. 6, 10. seq.

[2] Haec habetur fol. 46 v. et est continuatio praecedentis sermonis. De hoc vide supra pag. 5 col. II. Secundus textus est prothema.

[3] Cap. 15, 5.

[4] Cap. 1, 6.

[5] Libr. II. Homil. in Ezech. homil. 2. n. 1.

[6] Cap. 3, 26. — Sequitur Glossa *ordinaria* in hunc locum.

[7] Ioan. 1, 27.

[8] Cfr. Symbol. Athanasian.

factus? Certe, *dignitate*. Unde Ioannes dixit: Creditis, quia ego sim ille? *Non sum* [1]. Explicat, dico, assumti celsitudinem, cum dicit: *qui post me venturus est ante me factus est*. Et quam celsitudinem explicat? Dico, quod Christus venit post Ioannem sicut *sponsus* post paranymphum, sicut *rex* post nuntiatorem praeambulum et sicut *fulgor* meridianus post diluculum matutinum. In hoc debes potestatis eius celsitudinem attendere. Quare iactas ista verba? Non iacto, sed assero. Venit Christus post Ioannem sicut *sponsus* post paranymphum propter *gratiae plenitudinem*. Venit Christus post Ioannem sicut *rex* post nuntiatorem praeambulum propter omnis *potestatis praerogativam*. Venit Christus post Ioannem sicut *fulgor* meridianus post diluculum matutinum propter *sapientiae praeclaritatem*. In quo igitur excellit Christus Ioannem? Certe in istis tribus, scilicet in *gratiae plenitudine*, in omnis *potestatis praerogativa* et in *sapientiae praeclaritate*.

Triplex comparatio.

Dicit igitur: *Qui post me venturus est ante me factus est;* et venit Christus post, primo sicut venit *sponsus* post paranymphum. Paranymphus est qui tractat et procurat nuntium ante adventum sponsi. Sed quod Christus venit in mundum sicut sponsus, hoc patet et verum est in *novo* et in *veteri* testamento. In veteri testamento patet; unde dicit Psalmus [2]: *In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Item, quod venit sponsus, patet in novo testamento, cum dicitur [3]: *Ecce, sponsus venit, exite obviam ei.* Et quod Ioannes sit paranymphus, hoc patet, quia dicit [4]: *Qui habet sponsam sponsus est, amicus autem sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est. Illum oportet crescere, me autem minui.* Et quod Christus sit *sponsus*, dicit Apostolus [5]: *Sacramentum hoc*, inquit, *magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* Sponsus Ecclesiae est Christus; quod patet per hoc, quod Christus solus est, qui Ecclesiam potest fecundare. Unde dicit Augustinus [6]: Per quod fecundatur Ecclesia? Per hoc, quod virgo concepit. Sed per quid concepit? Certe per Spiritum sanctum. Sed quis potest dare Spiritum sanctum? Certe, qui potest dare sponsum. Unde Ioannes Baptista in aqua baptizare potest, sed Christus vere baptizare potest, quia solus Christus potest dare Spiritum sanctum; unde et Christus in Apostolos *insufflavit Spiritum sanctum* [7]; ideo fuit sponsus; unde Psalmus: *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Christus est homo et Deus ex unitate Divinitatis cum humanitate; ipse est *in quo est plenitudo* [8] gratiarum; ipse est, de quo dicitur in Evangelio: *Ecce, sponsus venit, exite obviam ei.* Item scribitur [9]: *Egredimini, filiae Sion, et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius et in die laetitiae cordis eius.* Haec est dies nativitatis Domini, in qua est gaudendum, et gaudere debent omnes. Istud est gaudium Christi, non carnalium hominum. Qui ad istas nuptias venire volunt debent ire ad confessionem, sed volunt quidam modo [10] ludere ad talos. Quia Christus natus est, pro misericordia Dei! *abiiciamus opera tenebrarum et induamur arma lucis* [11]. Non est modo nox, sed lux. Absit, quod aliquis sit in peccato mortali in ista Nativitate Domini. Venit igitur Christus post Ioannem sicut sponsus post paranymphum.

Christus venit sicut sponsus.

Item dicit Ioannes: *Qui post me venturus est ante me factus est*, quia Christus venit post Ioannem ut *rex* post nuntiatorem praeambulum propter omnis *potestatis praerogativam*. Unde de isto adventu Dei in Malachia [12]: *Ecce, ego mitto Angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis.* — Dicit: *et praeparabit viam*, id est beatus Ioannes, qui praeparavit viam Christi. *Statim veniet*, id est, post Christum venit Ioannes, id est, antequam Ioannes exiret ex utero matris suae, Christus venit in mundum; unde et beata Virgo impraegnata salutavit Elisabeth. Non posset modo aliqua creatura ad tantam humilitatem pervenire. Suscitavit Christus matrem suam ad curialitatem. — Iudaeus aliter exponit et dicit, quod Christus dixit: *Ecce, mitto Angelum meum ante faciem tuam;* hoc intelligitur de secundo adventu Domini, quia, sicut primus adventus desiderandus est, sic iste secundus adventus est formidandus, et de isto scribitur [13]: *Ecce, venit, dicit Dominus exercituum; et quis poterit cogitare diem adventus eius, et quis stabit ad videndum eum?* In isto autem secundo adventu Christus statim veniet ad puniendum malos et ad remunerandum bonos. — Iste adventus Christi est exspectandus cum timore. Si aliquis crederet suspendi ad furcas, adveniente rege; cum timore exspectaret adventum regis. Et quia timemus nobis de divino iudicio, ideo cum timore eius iudicium exspectare debemus. — Sed *quomodo* debemus exspectare istum Christi secundum adventum? Dicit Dominus in Evangelio [14]: *Sint lumbi vestri praecincti et lucernae ardentes in manibus vestris* etc., *ut, cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei.* — *Sint lumbi*

Item, sicut rex.

Applicatio.

Modus se praeparandi.

---

[1] Ioan. 1, 20: *Non sum ego Christus.*
[2] Psalm. 18, 6.
[3] Matth. 25, 6.
[4] Ioan. 3, 29. 30.
[5] Eph. 5, 32.
[6] De Virginitate, c. 2. n. 2; Serm. 195. (alias 12. de Tempore) n. 2; Serm. 213. (alias 119. de Tempore) c. 7. n. 7.
[7] Ioan. 20, 22; sequitur Ps. 18, 6.
[8] Cfr. Ioan. 1, 16; sequitur Matth. 25, 6.
[9] Cant. 3, 11.
[10] Apographum male habet *quodam modo*.
[11] Rom. 13, 12.
[12] Cap. 3, 1.
[13] Mal. 3, 1. et 2.
[14] Luc. 12, 35. seq.

vestri praecincti; dicit Gregorius [1], quod « *lumbos praecingimus,* cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus ». *Et lucernae ardentes* etc.; dicit Gregorius [2]: « Lucernas ardentes habemus, cum lucis exempla monstramus ». Ergo si vis exspectare secure secundum Christi adventum, restringas concupiscentias carnales et adhibeas operationes bonas. Paulus vero dicit [3]: *Succincti lumbos vestros in ve-*
De veritate castitatis. *ritate,* id est, sit castitas vestra non in apparentia, sed *in veritate,* non sit, sicut est castitas hypocritarum, sed sicut illa quae est in occulto. Aliquorum castitas est talis, quod se abstinent ab uno genere peccati sive immunditiae, sed praecipitant se in aliud genus immunditiae. Dicit Apostolus: *in veritate,* ut studeat homo esse castus in oculo Dei, non hominum. Accidit de isto, quod fornicatur in occulto quandoque, sicut de illo qui est leprosus in occulto et absconditi lepram suam ad tempus; tandem erumpit lepra, et sic ille turpissimus hominum. Ita simulata castitas quandoque pessima est, et permittit Dominus quandoque, talem cadere pessime in peccatum, ut inde veniat ad veram poenitentiam. Omnis autem sensus corruptionis libidinosae per partem generativam, si vigilando acciderit, etiam si non per partem corporis, sed si sit in consensu libidinis, detestandus est. Propter hoc dicit beatus Petrus [4]: *Succin-*
Notandum. *cti lumbos mentis vestrae* in veritate. Habetne *mens* lumbos? Utique; in lumbis et renibus origo est carnalis delectationis. Non sectatur istas delectationes, quicumque in oculis divinae Maiestatis gratiam invenire paratus est; et oportet, quod non solum a delectatione luxuriae, immo etiam a *fermento nequitiae et malitiae* [5] non corrumpatur neque a superbia neque ab ira. Dicit igitur: *Sint lumbi vestri praecincti et lucernae ardentes in manibus vestris.* — Non sitis nati ad manducandum sicut Saraceni, sed sumus nati, ut eamus in societatem Angelorum. Sed non possumus pervenire ad societatem Angelorum, nisi simus *strenui;* et tu nulla opera strenuitatis facis. *Ecce, rex tuus veniet tibi* [6]. *Sint lumbi vestri praecincti* etc.

Tertio dicit Ioannes: *Qui post me venturus est*
Item, sicut fulgor. *ante me factus est,* quia venit Christus post Ioannem sicut *fulgor* meridianus post diluculum matu-
Notandum. tinum. Aliquando sacra Scriptura comparat Ioannem Baptistam *aurorae,* aliquando *stellae matutinae,* aliquando *diluculo;* Christum autem comparat *luci.* Dicit Ioannes [7]: *In principio erat Verbum* etc.; postea de Verbo incarnato dicit: *Verbum caro factum est;* in medio vero dicit: *Fuit homo missus a Deo;* sequitur: *Non erat ille lux* etc. *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et Christus dicit [8]: *Ego lux in mundum veni.* Ille qui est *Principium* [9], est *lux vera.* Ioannes vero est *lucerna ardens et lucens* [10]; *non erat ille lux.* Tamen Christus commendavit eum. Christus dicitur *lux vera* propter sapientiae praeclaritatem. Istud apparebit in finali iudicio, quando veniet ut lux, sicut in primo adventu venit ut rex. Unde primae ad Corinthios quarto [11]: *Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium; et tunc laus erit unicuique a Deo.* Quando cogito de Dei pulcritudine et de mea deformitate, tunc nihil est, quod tantum timeam; timeo, quod aperientur omnes cogitationes meae. Sed quomodo possumus nos aptare ad istam lucem? Certe, *collyrio inunge oculos tuos, ut videas* [12]. — *Collyrium* est compunctio poenitentiae. Posuisti forte super oculos tuos lutum, non collyrium; non potes plorare. Quidam per quinquaginta annos semper ploravit. Sumus in valle lacrymarum, igitur semper plorare debemus.

Iste igitur, *qui post me venturus est, ante me factus est,* in quo est omnis *gratiae plenitudo* [13], omnis *potestatis praerogativa* et omnis *sapientiae praeclaritas.*

III. *Cuius non sum dignus, ut solvam eius* Pars III.
corrigiam calceamenti. Beatus Ioannes imponit mihi silentium, dabo tamen vobis (aliquid) ad cogitandum, sive occasionem cogitandi. Hic tangit admirabilem *as-*
Notandum. *sumentis et assumti copulationem.* Ostendere istam copulationem non est aliud nisi *corrigiam calceamenti solvere.* Ista docent nos, ut ad sublimia recurramus, dico, secundum nostram possibilitatem.
Expositio mystica. — Verbum aeternum dicitur *pes,* natura assumta dicitur *calceamentum;* unio unius cum altero dicitur *ligatura,* et quare? Dico, quod *pes* totum portat; ideo Verbum aeternum *omnia portat,* et illud est scriptum [14], quod *cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius portansque omnia verbo virtutis suae.* — *Calceamentum* unitur pedi et est de pellibus mortuorum animalium et significat naturam mortalitatis nostrae, quae Verbo aeterno est unita per assumtionem naturae humanae. *Calceamentum* tegit pedem, ita natura humana tegit naturam divinam, tamen est extranea a natura divina, sicut calceamentum a pede. *Ligatura* vero tantae sublimitatis est, quod *non sum dignus solvere,* id est explicare istud mysterium [15]. Videte, quare non vult solvere? Dico, quod coniunctio Divinitatis cum humanitate est coniunctio *primi* cum *ultimo, summi* cum *infimo,*

---

[1] Homil. in Evang. homil. 12. n. 1.
[2] Ex eadem homilia Gregorii n. 1.
[3] Eph. 6, 14.
[4] Epist. I. Petr. 1, 13.
[5] Epist. I. Cor. 5, 8.
[6] Zach. 9, 9.
[7] Cap. 1, 1. — Sequitur v. 14. 6. et 8. seq.
[8] Ioan. 12, 46.
[9] Respicitur Ioan. 8, 25.
[10] Ioan. 5, 35. et 1, 8.
[11] Vers. 5.
[12] Apoc. 3, 18.
[13] Respicitur Ioan. 1, 16.
[14] Hebr. 1, 3.
[15] De hac expositione cfr. Bonav., Apologia Pauperum, c. 10. n. 7. (tom. VIII.).

scilicet Dei cum terra, et *simplicissimi* cum *compositissimo*, quia Verbum aeternum simplicissimum est, et natura humana compositissima. Quae convenientia inter ista? *Solve* convenientiam et expone! Aliqui *ligant* eam, sed hoc non est magnum, sed *solvere* est magnum. *Primum* est invariabile, *summum* est imminorabile, et *simplicissimum* est incomponibile. Ecce, ligatum est! sed dico, quod Veritas dicit et Ioannes dicit, quod primum unitur ultimo sine sui *variatione*, summum unitur infimo sine sui *minoratione*, et simplicissimum unitur compositissimo sine sui *compositione*. Illud est verissimum, et (huius explicatio) desiderat tractum temporis. Dico, quod Deus aeternus est de non principiante principians [1] sine sui variatione, et hoc est per primam operationem, per quam fecit mundum sine sui variatione. Si hoc potest Deus, quare non potest efficere mysterium incarnationis? Hoc enim mysterium factum est sine ulla mutatione facta in Deo. Rogabimus Dominum etc.

Sermo III [2].

Item, sermo fratris Bonaventurae editus tertia Dominica de Adventu Lugduni, coram Fratribus in Capitulo de mane.

Ego vox clamantis in deserto, Ioannis primo [3].

Sacer Baptista Ioannes in hoc brevi verbo tria
Divisio. facit: primo insinuat suae *humilitatis fragilitatem;* secundo, suae *dignitatis sublimitatem;* tertio, suae *iurisdictionis potestatem.* Primum facit, cum dicit: *Ego vox;* secundum, cum dicit: *clamantis;* Glossa [4]: « Verbi incarnati in me »; tertium, cum addit: *in deserto*, id est in Iudaeorum populo.

Fuit autem Ioannes *vox* in praedicando Verbum
Metaphorae ocio. incarnatum, sicut enim vox praeit verbum, praecessit ipsum. — *Lucerna* ante lucem per spiritum *sapientiae invitantis*, et quantum ad hoc fuit *vox Domini super aquas* [5]; Ioannis quinto: *Ille erat lucerna ardens et lucens.* — *Aurora* ante diem per spiritum *intellectus ascendentis sive sursum agentis*, et quantum ad hoc fuit *vox Domini in virtute* [6]; secundi Regum vigesimo tertio: *Sicut lux aurorae, oriente sole, mane absque nubibus rutilat.* — *Lucifer* ante solem per spiritum *consilii vigorantis*, et quantum ad hoc fuit *vox Domini in magnificentia* [7]; Iob trigesimo octavo: *Nunquid producis luciferum in tempore suo* etc. — *Praeco* ante iudicem per spiritum *fortitudinis confirmantis*, et quantum ad hoc fuit *vox Domini confringentis cedros* [8]; Lucae primo: *Ipse praecedet ante illum in spiritu et virtute Eliae* etc. — *Angelus* ante Salvatorem per spiritum *scientiae illustrantis*, et quantum ad hoc fuit *vox Domini intercidentis flammam ignis* [9]; Matthaei undecimo: *Hic est, de quo scriptum est: Ecce, ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te.* — *Paranymphus* ante sponsum per spiritum *pietatis transformantis*, et quantum ad hoc fuit *vox Domini concutientis desertum* [10]; Ioannis tertio: *Amicus autem sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi.* — *Servus* ante Dominum per spiritum *timoris reverentis*, et quantum ad hoc fuit *vox Domini praeparantis cervos* [11]; Ioannis primo: *Qui post me venturus est ante me factus est, cuius ego non sum dignus* etc.

Sermo IV [12].

Item, sermo fratris Bonaventurae editus eadem tertia Dominica in Conventu Viterbiensi, praesente curia Romana ibidem.

Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini, Ioannis primo [13].

Venerabilis Baptista et sacro spiratus afflamine
duo facit maxime in verbis istis: primo enim ostendit Divisio. sui ministerii *humillimam conditionem;* secundo exprimit eiusdem *saluberrimam* formam sive *exsecutionem.* Quantum ad primum vocat se instrumentum tantum; Glossa [14]: « Vox Verbi incarnati clamantis in me », in populo Iudaeorum a Deo propter peccatum deserto; quantum ad secundum dicit: *Dirigite viam Domini.*

I. Quantum ad primam partem sciendum, quod Pars I.
sacer et sanctificatus Praecursor fuit sua vita et do- Sex species vocis.
ctrina et fama et gratia veraciter vox *sanctitatis* et *munditiae*, quia praedicabat baptismum poenitentiae; Psalmus [15]: *Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit, Dominus super aquas multas.* — Vox *suavitatis* et *laetitiae*, quia praedicabat adventum Christi, personae desideratae; Canticorum octavo [16]: *Amici auscultant, fac me audire vocem tuam.* — Vox *libertatis* et *amicitiae*, quia praedicabat *annum benignitatis* [17] et gratiae; Proverbiorum octavo: *O viri, ad vos clamito, et vox mea ad filios hominum.* — Vox *veritatis* et *iustitiae*, quia praedicabat severitatem divinae irae; Iob trigesimo septimo [18]: *Tonabit Deus in voce sua mirabiliter.* — Vox *amoenitatis* et *gloriae*, quia praedicabat regnum felicitatis

---

[1] Cfr. Bonav., I. Sent. d. 8. p. I. a. 2. q. 1. ad 3. 4.
[2] Ex A fol. 35 r. et B fol. 6 r.
[3] Vers. 23.
[4] Scilicet *interlinearis* in hunc locum.
[5] Psalm. 28, 3; sequitur Ioan. 5, 35.
[6] Psalm. 28, 4; sequitur II. Reg. 23, 4.
[7] Psalm. 28, 4; sequitur Iob 38, 32.
[8] Psalm. 28, 5; sequitur Luc. 1, 17.
[9] Psalm. 28, 7; sequitur Matth. 11, 10.
[10] Psalm. 28, 8; sequitur Ioan. 3, 29.
[11] Psalm. 28, 9; sequitur Ioan. 1, 27.
[12] Ex A fol. 35 v. et codice Parisiensi R fol. 177, qui solus habet II. partem.
[13] Vers. 23. [14] *Interlinearis* in hunc locum.
[15] Psalm. 28, 3. [16] Vers. 13.
[17] Psalm. 64, 12; sequitur Prov. 8, 4. [18] Vers. 5.

aeternae; Canticorum secundo [1]: *Sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis et facies tua decora.* — Vox *claritatis* et *elegantiae*, quia praedicabat mores et opera observantiae novae; Proverbiorum octavo: *Nunquid non sapientia clamitat, et prudentia* in plateis *dat vocem suam?*

Pars II. Exercitia perfectionis octo.

II. Quantum ad secundam partem dicitur: *Dirigite viam Domini*, primo, per perfectam *ad Dominum conversionem;* Proverbiorum vigesimo tertio [2]: *Dirige in via animum tuum;* Ieremiae trigesimo primo: *Dirige cor tuum in viam rectam.* — Secundo, *per poenitentiae integram exsecutionem;* Proverbiorum quarto [3]: *Dirige semitam pedibus tuis, et omnes viae tuae stabilientur.* — Tertio, per *mandatorum perseverantem observationem;* Proverbiorum undecimo [4]: *Justitia simplicis dirigit viam eius;* Ecclesiastici secundo: *Dirige viam tuam et spera in illum.* — Quarto, per virtutum et gratiarum et donorum et beatitudinum et Sacramentorum *intellectum verum et perceptionem;* Psalmus [5]: *Utinam dirigantur viae meae ad custodiendas iustificationes tuas!* — Quinto, per *orationis sanctae suspensionem* sive mentis elevationem; Proverbiorum decimo quinto [6]: *Vir prudens dirigit gressus suos.* — Sexto, per *cordis pietatem et compassionem;* Genesis vigesimo quarto [7]: *Mittet Angelum suum tecum et diriget viam tuam.* — Septimo, per *devotionis sacrae unctionem;* Ieremiae decimo [8]: *Scio, Domine, quia non est hominis via eius, nec viri est, ut ambulet et dirigat gressus suos;* Proverbiorum vigesimo: *A Domino diriguntur gressus viri; quis autem hominum intelligere potest viam suam?* — Octavo, per *honestae vitae conversationem;* Genesis vigesimo quarto [9]: *Domine Deus domini mei Abraham, si direxisti viam meam, in qua nunc ambulo;* Psalmus: *Dirige me in veritate tua;* infra: *Docebit mites vias suas.*

Sermo V [10].

Item, sermo fratris Bonaventurae editus coram Fratribus Viterbii, vacante Sede, ibidem post Clementem IV.

Ego vox clamantis in deserto, Ioannis primo [11].

Sacer et sanctificatus Praecursor duo facit in his verbis: primo innuit sui *officii humilitatem*, ibi: *Ego vox;* secundo exprimit suae *iurisdictionis auctoritatem*, ibi: *clamantis in deserto.*

Sex metaphorae.

Fuit autem Ioannes vox *securitatis* et *constantiae* per immobilitatem sanctae vitae; Isaiae tregesimo tertio [12]: *A voce Angeli fugerunt populi, et ab exaltatione tua dispersae sunt gentes.* — Vox *tranquillitatis* et *concordiae* per suavitatem pietatis intimae [13]; Iob quarto: *Vocem quasi aurae lenis audivi.* — Vox *humilitatis* et *patientiae* per captivationem intellectus et personae suae; Canticorum secundo [14]: *Vox dilecti mei, ecce, iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* — Vox *puritatis* et *sanctimoniae* per promotionem caelibatus et pudicitiae; Canticorum secundo [15]: *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis et facies tua decora.* — Vox *caritatis* et *benevolentiae* per adamationem salutis omnis animae; Proverbiorum octavo [16]: *O viri, ad vos clamito, et vox mea ad filios hominum.* — Vox *viscerositatis* et *concupiscentiae* per vehementiam desiderii gloriae; Psalmus [17]: *In voce exsultationis et confessionis sonus epulantis.*

Sermo VI [18].

Item, sermo fratris Bonaventurae editus eadem Dominica tertia de Adventu Parisius, coram Fratribus in Capitulo.

Dirigite viam Domini, Ioannis primo [19].

Introductio.

Dominus noster Iesus Christus, qui dignatus est venire in mundum sicut *fons claritatis* aeternae, sicut *imago bonitatis* paternae, sicut *speculum* et regula salutis humanae, ipse nostros intellectus illustret, nostros affectus informet, nostros sermones et actus componat et ordinet, ut possimus ad laudem suam etc.

Dirigite viam Domini; sumtum de Isaiae quadragesimo [20]. Quicumque vult devote et digne Domini Iesu Nativitatem proximam celebrare, secundum hanc praedicationem venerabilis praecursoris Baptistae Ioannis *dirigat viam* Dei aeterni ad se et ad animam suam per ista quatuor, scilicet per universalis *impuritatis expurgationem;* Ieremiae trigesimo primo [21]: *Statue tibi speculum, pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam.* — Per universalis *pietatis assumtionem;* Genesis vigesimo quarto [22]: *Mittet Angelum suum tecum et diriget viam tuam.* — Per universalis *sanctitatis conversationem;* Proverbiorum vigesimo tertio [23]: *Audi, fili mi, et esto sapiens et dirige in via animum tuum;* Proverbiorum decimo quinto: *Vir prudens dirigit gressus*

Quatuor exercitia virtutum.

---

[1] Vers. 14; sequitur Prov. 8, 1.
[2] Vers. 19; sequitur Ier. 31, 21.
[3] Vers. 5; sequitur Eccli. 2, 6.
[4] Psalm. 118, 5.
[5] Vers. 21.
[6] Vers. 23; sequitur Prov. 20, 24.
[7] Vers. 40.
[8] Vers. 42; sequitur Ps. 24, 5; dein v. 9.
[9] Vers. 26.
[10] Ex A fol. 35 v.; habetur etiam aliquantulum differens in R fol. 177, sed ibi ut pars secunda praecedentis sermonis, quae deest in A.
[11] Vers. 23.
[12] Vers. 3.
[13] Cod. R legit: *per intensum affectum pietatis et clementiae.* — Sequitur Iob 4, 16.
[14] Vers. 8.
[15] Vers. 14.
[16] Vers. 4.
[17] Psalm. 41, 5. — Explicatio partis secundae deest.
[18] Ex A fol. 36 r.
[19] Vers. 23.
[20] Vers. 3: *Parate viam* etc.
[21] Vers. 24.
[22] Vers. 40.
[23] Vers. 19. et 15, 21.

suos. — Per universalis *salutis promotionem;* Psalmus [1]: *Utinam dirigantur viae meae ad custodiendas iustificationes tuas!* Ieremiae decimo: *Scio, Domine, quia non est hominis via eius, nec viri est, ut ambulet et dirigat gressus suos;* Proverbiorum quarto: *Dirige semitam pedibus tuis, et omnes viae tuae stabilientur.*

Sermo VII [2].

Item, sermo fratris Bonaventurae editus eadem Dominica tertia Lugduni in ecclesia sancti Nicetii, coram populo et clero.

Ego baptizo in aqua, medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis, Ioannis primo [3].

In verbis his nobilis Christi Praecursor tria facit. Primo exprimit *suam humilitatem* profundam, ibi: *Ego baptizo in aqua;* secundo, *Verbi incarnati fidelitatem* sinceram, cum addit: *medius autem vestrum stetit;* tertio, *Iudaeorum negligentiam* omni mundo notam, ibi: *quem vos nescitis.* Divisio.

Omisso autem, quomodo Ioannes baptizavit in aqua, sciendum, quod Verbum incarnatum fuit et est medius nostrum tripliciter. Nam fuit medium *colligantiae* mirae in incarnatione, in qua iunctum ultimum cum primo, humana scilicet natura cum divina; Deuteronomii quinto [4]: *Ego sequester et medius fui inter Dominum et vos.* — *Disciplinae* sanctae in conversatione, in qua iunctum est honestum cum vero, sanctitas scilicet vitae cum veritate doctrinae; Lucae vigesimo secundo [5]: *Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.* — *Influentiae* vitae in passione, in qua iunctum est infimum cum supremo, infirmitas scilicet nostra divinae virtuti coniuncta; Ioannis decimo nono [6]: *Crucifixerunt eum, et cum eo alios duos hinc et hinc, medium autem Iesum,* quasi influentiae divinae mediatorem ad animas. De membro 3. tria. Christus est medium triplicitor.

Sciendum etiam, quod Iudaeorum ignorantia, sicut et quorundam Christianorum, causabatur, sicut et hodie causatur, a *defectu illuminationis* internae, ad quam se non disponebant; Psalmus [7]: *Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant.* — Ab *obstaculo argumentationis mundanae,* per quam recalcitrabant; Baruch tertio [8]: *Filii Agar, qui exquirunt prudentiam, quae de terra est, negotiatores Merrhae et Theman et fabulatores et exquisitores prudentiae et intelligentiae; viam autem sapientiae nescierunt.* — Ab *odio aemulationis* invidae, cui insistebant; primae Ioannis secundo [9]: *Qui odit fratrem suum in tenebris est et in tenebris ambulat et nescit, quo eat* etc. De membro 3. tria.

Sermo VIII [10].

Item, sermo fratris Bonaventurae editus coram rege Franciae et tota familia.

Et pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Iesu, ad Philippenses quarto [11].

Duo facit hic Apostolus, divina pace et suavitate et tranquillitate repletus. Primo ostendit pacifluae Divinitatis transcendentem *excellentiam,* ab omnibus venerandam et desiderandam; secundo *eandem* exprimit et optat affective universis tanquam universaliter necessariam. Divisio.

Circa totum notandum, quod quicumque vult habere ad custodiam sui cordis et intelligere istam pacem, quae Deus est et quae Dei paradisus est et quae requies et salus mentis est, oportet, quod *convertat* animam suam ad interiora universaliter; Isaiae quinquagesimo septimo [12]: *Veniat pax, requiescat in cubili suo.* — *Expandat* se super cuncta inferiora potenter; ad Romanos decimo sexto [13]: *Deus autem pacis conterat satanam sub pedibus vestris velociter.* — *Transformetur* in sublimia desideria glorianter; Isaiae vigesimo sexto [14]: *Domine, dabis pacem nobis, omnia enim opera nostra operatus es nobis;* et ibi: *Anima mea desideravit te in nocte. Nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animae.* — In *admiratione se constituat* super caelestia et aeterna sapienter; ad Hebraeos ultimo [15]: *Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium in sanguine testamenti aeterni, Dominum nostrum Iesum Christum, aptet vos in omni bono, ut faciatis eius voluntatem.* Requiruntur quatuor ad pacem.

Sermo IX [16].

Item, sermo fratris Bonaventurae editus Assisii apud sanctam Claram, Dominica tertia de Adventu.

Modestia vestra nota sit omnibus hominibus, ad Philippenses quarto [17].

Apostolus, maximus animarum zelator, in tempore adventus gratiae Salvatoris hortatur ad duo, scilicet ad *modum* et *ordinem vitae;* ibi: *Modestia vestra,* id est rationalis et ordinatus modus vivendi, qui sit in verbis; et ad *praeconium* et *claritatem famae,* ibi: *nota sit omnibus hominibus.* Divisio.

Vera autem *modestia* consistit in *humilitate* et pietate intellectuum; primae Petri tertio [18]: Estote *unanimes, compatientes, misericordes, modesti, humiles.* — In *mititate* et paucitate sermonum; ad Colossenses tertio [19]: *Induite vos sicut electi Dei,* Quoque exercitia virtutum.

---

[1] Psalm. 118, 5; sequitur Ier. 10, 23. et Prov. 4, 26.
[2] Ex A fol. 36 v.
[3] Vers. 26.
[4] Vers. 5.
[5] Vers. 27.
[6] Vers. 18.
[7] Psalm. 81, 5.
[8] Vers. 23.
[9] Vers. 11.
[10] Ex A fol. 38 r.
[11] Vers. 7.
[12] Vers. 2.
[13] Vers. 20.
[14] Vers. 12. 9. 8.
[15] Vers. 20. seq.
[16] Ex A fol. 38 r.
[17] Vers. 5.
[18] Vers. 8.
[19] Vers. 12. seq.

sancti et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam. Supportantes invicem. — In *lenitate* et religiositate morum; secundi Machabaeorum quarto [1]: *Flexus ad misericordiam* Antiochus *lacrymas fudit, recordatus* Oniae *defuncti sobrietatem et modestiam.* — In *discretione* et suavitate actionum; Proverbiorum duodecimo [2]: *Qui suavis est in vini demorationibus;* ad Galatas ultimo: *Fructus spiritus est modestia, continentia, castitas.* — In *benignitate* et probitate exhortationum sive consiliorum; primae ad Timotheum tertio [3]: *Oportet episcopum esse prudentem, sed modestum, non litigiosum.*

Sermo X [4].

Item, sermo fratris Bonaventurae editus Mediolani in Capitulo coram Fratribus et post prandium explanatus coram omni populo.

Dominus prope est, ad Philippenses quarto [5].

Verbum istud apostolicum quantitate parvum, virtute mirificum nostri intellectus continet illuminationem et nostri affectus excitat devotionem ad celebrandum digne et ad salutem Christi proximam
Divisio. Nativitatem. Sciendum autem, quod *Dominus est prope reverentibus* suam altissimam *Maiestatem;* habet enim celsitudinem potentiae, et ideo requirit in sibi propinquis pietatem theosebiae; Psalmus [6]: *Prope timentes eum salutare ipsius.* — *Credentibus* suam profundissimam *veritatem;* habet enim plenitudinem sapientiae, ideo requirit captivationem intelligentiae; ad Romanos decimo [7]: *Prope est verbum in ore tuo et in corde tuo.* — *Invocantibus* suam latissimam *pietatem;* habet enim condescensionem misericordiae, ideo requirit aviditatem gratiae; Psalmus [8]: *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate.* — *Exspectantibus* suam longissimam *aeternitatem;* habet enim longitudinem persistentiae, ideo requirit longanimitatem perseverantiae; Psalmus [9]: *Prope es, tu Domine, et omnes viae tuae veritas. Initio cognovi de testimoniis tuis, quia in aeternum fundasti ea.*

Sermo XI [10].

Item, sermo Bonaventurae editus Parisius coram Fratribus in Capitulo de mane et post prandium explanatus coram rege et familia.

Pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Iesu, ad Philippenses quarto [11].

In verbis his Apostolus, Spiritu sancto inspiratus et animarum zelo accensus, optat fidelibus et omnibus salvari in Christo volentibus condescendentiam divinae benevolentiae sive protectionis supernae. Circa quae tria facit. Primo enim, ut ad co- Divisio.
gnitionem illuminet, ostendit, in Deo esse imperturbabilis pietatis *fontalitatem,* cum dicit: *Pax Dei,* id est Deus, qui est pax essentialiter intransitive; secundo, ut ad devotionem inflammet, ostendit, in eo esse inexterminabilis suavitatis *felicitatem,* cum addit: *quae exsuperat omnem sensum,* id est, transcendit et excedit omnem intellectum angelicum et humanum; tertio, ut suam affectionem insinuet, implorat filiis gratiae fidei et caritatis *perseverantiam* et *indefectibilitatem,* cum subdit: *custodiat corda vestra,* in vera caritate, *et intelligentias vestras,* in vera fide.

I. Nota ergo, quod Deus aeternus dicitur *pax,* Pars I.
quia ipse est pacis *inspirator, dator* et *auctor;* Ratio qu
Isaiae vigesimo sexto [12]: *Domine, dabis pacem nobis, omnia enim opera nostra operatus es nobis.* — Pacis *immissor, fautor* et *amator;* Lucae decimo [13]: *Si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra; sin autem, ad vos revertetur;* ad Colossenses tertio: *Pax Christi exsultet in cordibus vestris.* — Pacis *conservator, reformator* et *promotor;* primae ad Corinthios decimo quarto [14]: *Non enim est dissensionis Deus, sed pacis, sicut et in omnibus Ecclesiis Sanctorum doceo.* — Pacis *commendator, remunerator* et *praemiator;* Matthaei quinto [15]: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.*

II. Optat autem Apostolus hanc pacem fidelibus Pars II,
tanto studio et tanto zelo, quia ipsa est *origo* omnium Ratio qu
gratiarum; Psalmus [16]: *Factus est in pace locus eius et habitatio eius in Sion.* — *Radix* omnium meritorum; Iacobi tertio [17]: *Fructus autem iustitiae in pace seminatur facientibus pacem.* — *Plenitudo* omnium iucunditatum; ad Romanos decimo quarto [18]: *Non est regnum Dei esca et potus, sed iustitia et pax et gaudium in Spiritu sancto.* — *Possessio* omnium virtutum et omnium interiorum potentiarum et desideriorum; Ioannis decimo quarto [19]: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Non turbetur cor vestrum neque formidet;* et Ioannis decimo sexto: *In mundo pressuram habebitis, in me* autem *pacem.*

Si autem velimus exponere, pax Dei, id est pax Quid sit pa
Christi, est « benignitas scilicet eius pacifica », secundum Dionysium de Divinis Nominibus [20], « secundum quam discimus non ultra pugnare neque cum nobis

[1] Vers. 37. [2] Vers. 11. Sequitur Gal. 5, 22. seq.
[3] Vers. 2. seq.; sed plura verba omissa sunt.
[4] Ex A fol. 39 r. [5] Vers. 5.
[6] Psalm. 84, 10. [7] Vers. 8; cfr. Deut. 30, 14.
[8] Psalm. 144, 18. [9] Psalm. 118, 151. seq.
[10] Ex A fol. 39 r. [11] Vers. 7.
[12] Vers. 12. [13] Vers. 6. Sequitur Coloss. 3, 15.
[14] Vers. 33. [15] Vers. 9.
[16] Psalm. 75, 3. [17] Vers. 18.
[18] Vers. 17.
[19] Vers. 27. et c. 16, 33.
[20] Cap. 11. § 5. Locum hunc in codice corruptissimum ex originali correximus. Quae sequuntur exponuntur ibid., praecipue § 2. et 4.

ipsis neque ad invicem »; qui etiam dicitur *pax*, quia unitivus omnium et suavificativus et quietativus et terminativus desideriorum; ac propter hoc eam *transcendere omnem sensum*, satis possumus et vere dicere. Tunc enim in sacri hominis mente est pax ipsa Dei et Christi, quando mens ex nimio motu amoris in Deum pacificatur, nihil quaerens extra illum. Unde Augustinus [1]: « Quando aliquid aeternum mente capimus, quantum possumus, non in hoc mundo sumus ». « Quia anima verius est ubi amat, quam ubi animat ». Per quem modum et secundum quem dicitur pax huiusmodi *transcendere omnem sensum*, id est intellectum et affectum Angelorum et hominum.

Sermo XII [2].

Summaria intentio Evangelii huius tertiae Dominicae Adventus, quem frater Bonaventura sic ad petitionem reginae Navarrae explicavit.

Miserunt Iudaei ab Ierosolymis sacerdotes et levitas ad eum, ut interrogarent eum: Tu quis es? Ioannis primo [3].

In isto Evangelio ad nostram aedificationem quatuor continentur, scilicet venerabilis Baptistae erga Christum magna *humilitas*, quia, cum crederetur a Iudaeis, quod ipse esset Christus, interrogatus ab eis multoties super hoc, semper respondit, quod non. — Magna *virilitas*, quia, cum impeteretur malitiose a sacerdotibus, levitis et Pharisaeis, ut saltem confiteretur se aliquem de Prophetis, audacter repellebat eos et propositas quaestiones ab eis negando, se non esse, quod illi contra Christum volebant. — Magna *fidelitas*, quia compulsus omnino ab eis, ut saltem officii, quod habebat, dignitatem promeret, dixit, quod non erat nisi instrumentum Christi. — Magna *pietas* sive sedulitas, quia continue erat baptizans et praedicans.

Quatuor bonum virtutes.

Sermo XIII [4].

Dominus prope est, ad Philippenses quarto [5].

Verbum istud est verbum mirae consolationis, inenarrabilis fortitudinis continentivus, cum divus Apostolus dicit: *Dominus prope est.* Sunius enim constituti in fluctuatione praesentis miseriae, in colluctatione hostilis inimicitiae et in exspectatione supernae gloriae; et *Dominus prope est* ad *liberandum* ab afflictione praesentis miseriae, ad *auxiliandum* respectu hostilis inimicitiae et ad *remunerandum* per exhibitionem supernae gloriae; et ideo optime dictum est: *Dominus prope est.* In isto autem verbo confortativo nec minus consolatorio insinuatur nobis Dei benignissimi sive humillimi *sublimitas* sive nobilitas, cum dicitur: *Dominus;* secundo sublimissima seu nobilissima dignativa *benignitas* sive humilitas, cum subiungitur: *prope est.* Et re vera nihil amabilius quam *benignitas* in sublimitate, *humilitas* in nobilitate, et nihil gratiosius quam *sublimitas* in benignitate, *nobilitas* in humilitate.

Introductio. Divisio.

I. Primo ergo tangitur Dei benignissima potestativa *sublimitas* sive nobilitas, cum dicitur: *Dominus.* Iste autem Dominus *sublimissimus* seu nobilissimus secundum veritatem est peccatoribus *formidabilis*, poenitentibus *placabilis*, pervenientibus *suavis* et delectabilis, sed respectu omnium est *insuperabilis.*

Para 1. Sublimitas quadruplex.

Est ergo *peccantibus* nimium *formidabilis*; primi Regum secundo [6]: *Dominum formidabunt adversarii eius, et super ipsos in caelis tonabit.* Re vera *Dominum formidabunt adversarii eius* in die ultionis proferentem tonitruum sententiae damnationis contra parvipendentes imperium suae dominationis, quando scilicet *pugnabit cum illo orbis terrarum contra* [7] eos; quando dicet et terribiliter proclamabit: *Terra, terra, terra, ne operias sanguinem meum* [8]; quando universa creatura, quae consistit in machina mundiali, exiget sanguinem Creatoris de manu creaturae iniquae; quando ignis ferocitatis, electos purgans, proiiciet eos in profundum inferni, ut *conteratur cum delinquente delictum* [9], id est ferocitas introducta occasione delicti; quando dicetur reprobis: *Ite, maledicti, in ignem aeternum, qui praeparatus est diabolo et angelis eius* [10]; quando videbunt superius iustum iudicem, inferius ignem aeternum, interius conscientiam remordentem et externus hostem constantissime accusantem; tunc procul dubio in tantum Dominum formidabunt adversarii eius, quod *dicent montibus: Cadite super nos, et collibus: Operite nos* [11].

De prima.

Est etiam *poenitentibus placabilis;* Isaiae decimo nono [12]: *Revertentur Aegyptii ad Dominum, et placabitur eis et sanabit eos.* — *Aegyptii* tenebrosi sunt peccatores quondam peccatorum tenebris involuti, qui, cum revertuntur ad Dominum, invenerunt eum *placabilem* adeo, ut nullo modo sustineat, quod *contra eos pugnet orbis terrarum*, quod ab eis exigatur sanguis Christi Dei et hominis innocentis, quod conterantur aeternaliter cum *delictis*, quod audiant illud verbum durissimum: *Discedite a me,*

De secunda.

---

[1] Libr. IV. de Trin. c. 20. n. 28; sed ultima propositio est Bernardi, de Praecepto et dispens. c. 20. n. 60.

[2] Ex codice A fol. 40 r.

[3] Vers. 19. et sequitur Evangelium usque ad v. 28.

[4] Sumtus ex Parisiensi codice S fol. 331 r., ubi assignatus est Dominicae IV. Adv. sicut et seq. sermo. Sed thema primi habetur in Epistola III. Domin. et secundi in Evangelio eiusdem. Uterque sermo in S tribuitur Bonaventurae.

[5] Vers. 5.

[6] Vers. 10.

[7] Sap. 5, 21.

[8] Iob 16, 19: *Terra, ne* etc.; triplex repetitio vocis *terra* habetur Ier. 22, 29.

[9] Eccli. 27, 3.

[10] Matth. 25, 41. De sequentibus cfr. Bernard., Tract. De interiori domo (inter opera Bernardi), c. 22. n. 46; et Anselm., Meditat. 2.

[11] Luc. 23, 30; cfr. Apoc. 6, 16.

[12] Vers. 22.

maledicti; sed potius illud dulcissimum [1]: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum* etc. — Sed, pro dolor! cum Deus voluerit placari et reconciliari hominibus universis, aliqui tamen tanquam ingratissimi impugnant eum gula, alii ventre, alii lingua, alii capite, cum tamen scriptum sit: *Revertentur Aegyptii ad Dominum, et placabitur eis.* Applicatio.

Est nihilominus *pervenientibus suavis* et delectabilis; Psalmus [2]: *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam* pervenientibus dabit, quando *inebriabuntur ab ubertate domus* eius, *et torrente voluptatis* suae *potabit eos; quoniam apud* eum *est fons vitae,* qui distillabit in quamlibet partem corporis et in quamlibet potentiam animae suavitatem et delectationem perpetuam, excedentem omnes suavitates et delicias temporales, quas habuerunt reges et principes et ceterae creaturae insimul congregatae, quae non possent comparari suavitati minoris digiti corporis gloriosi. Et tunc *in lumine eius videbunt lumen* [3], quando videbunt Patrem in Filio et Filium in Patre per comparabilitatem [4] naturae. De tertia.

Est etiam *respectu omnium insuperabilis;* Esther decimo tertio [5]: *Domine, Domine, rex omnipotens; in ditione enim tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuae resistere voluntati, si decreveris salvare Israel.* Hic notatur omnipotentia ipsius ad resistendum reprobis et ad liberandum electos. Cum enim veniet ad iudicium grex reproborum cum satellitibus suis, videlicet lucifer cum peccantibus angelis, Cain cum homicidis, Lamech cum bigamis, Esau cum venditoribus benedictionis aeternae, Pharao cum persecutoribus electorum, Balaam cum prophetis iniquis, Ieroboam cum idololatris, Giezi cum simoniacis, Iudas cum proditoribus, Simon Magus cum hominibus simulatoribus, Arius cum haereticis, Mahumetus cum infidelibus, antichristus cum pseudoapostolis et prophetis; Iesus nutu voluntatis suae eos proiiciet in profundum inferni, quia non est qui ipsius possit *resistere voluntati* [6]; et tunc plangent se super se omnes, uti *familiae seorsum et familiae seorsum.* Electos vero aeternaliter sublimabit ab omni miseria liberando, quia, si decreverit Salvator, Israel continuo liberabitur. De quarta.

II. Et tangitur Dei sublimissimi dignativa *benignitas* sive humilitas, cum dicit: *prope est.* Est autem *prope* in *carne* ad *miserandum* sive ad salvandum, in *mente* ad *medendum* sive ad curandum, in *Sacramenti altaris* specie ad *reficiendum,* sed in *iudicio* sive in iudiciali nube ad *discernendum* et ad *remunerandum.* Pars II. Est prope quadruplicitor.

Est ergo in *carne prope ad miserandum* sive ad salvandum tanquam propinquus frater, sicut legitur Ruth tertio [7] sub figura: *Expande pallium tuum super famulam tuam, quia propinquus es.* Potest dicere Ecclesia Verbo incarnato sive Christo Domino respectu humanae naturae, *quia propinquus es.* Propter hoc dicitur Isaiae decimo quarto [8]: *Prope est, ut veniat tempus eius, et dies eius non elongabuntur;* item, Psalmus [9]: *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate.* Prope carne.

Est etiam *prope in mente ad medendum* sive ad curandum vulnera peccatorum, iuxta illud Lucae decimo [10]: *Samaritanus alligavit vulnera eius* etc. Ecce, mira Dei dignatio curantis et sanantis per se ipsum foetida et immundissima vulnera delictorum! cum tamen vix inveniatur adeo carus et fidelis amicus, qui non abhorreat curare vulnera foetentia corporis. Unde ergo tanta ingratitudo, tanta incurialitas, qua homo huiusmodi vulnera renovare vix cesset? In mente.

Est nihilominus *prope in Sacramento* altaris *ad reficiendum* sive ad cibandum. Unde quantum ad propinquitatem mentalem et *sacramentalem* dicitur ad Romanos decimo [11]: *Prope est verbum in ore tuo et in corde tuo;* in *corde* ad medendum, in *ore* ad reficiendum. Hoc est illud Verbum, de quo scribitur Ioannis primo [12]: *Verbum caro factum est et habitavit in nobis.* In Sacramento.

Ultimo *prope est in iudicio ad discernendum* et *remunerandum* secundum merita singulorum; Apocalypsis primo [13]: *Beatus, qui legit et audit verba prophetiae huius et servat ea quae in ea scripta sunt; tempus enim prope est.* In iudicio

Sermo XIV [14].

Non sum ego Christus, Ioannis primo [15].

Hic exprimitur fidelis et pia confessio Praecursoris dicentis: *Non sum ego Christus.* In ista confessione primo excludit a se *entitatem et proprietatem* primi principii, cum dicit: *Non sum ego;* secundo, *paritilatem et virtuositatem summi remedii,* cum dicit: *Christus,* quasi dicat: sicut *ego non sum* per me nec a me, quod est proprietas primi principii, sic non sum *Christus.* Christus proprie dictus est *nobilitas summi remedii,* quod fuit Christus existens Deus et homo, qui interpretatur *unctus,* sua sacra unctione remedium afferens sauciatis. Divisio.

Primo ergo excludit a se *proprietatem* et entitatem primi principii, cum dicit: *Non sum ego. Sum,* hoc enim proprie potest dicere solus Deus, cuius essentia non mutatur; Malachiae tertio [16]: *Ego enim Dominus* Pars I.

[1] Matth. 25, 34.
[2] Psalm. 30, 20; dein Ps. 35, 9. 10.
[3] Psalm. 35, 9.
[4] Lectio haec apographi non convenit.
[5] Vers. 9.
[6] Rom. 9, 19; sequitur Zach. 12, 12.
[7] Vers. 9.
[8] Vers. 1.
[9] Psalm. 144, 18.
[10] Vers. 33. 34.
[11] Vers. 8.
[12] Vers. 14.
[13] Vers. 3.
[14] Habetur in eodem ut praecedens sermo codice S fol. 333 r.
[15] Vers. 20.
[16] Vers. 6; sequitur Exod. 3, 14. et dein Apoc. 1, 8.

et non mutor; et Exodi tertio: *Ego sum qui sum. Ait: Sic dices filiis Israel: Qui est misit me ad vos,* quasi dicat: ego sum qui solus proprie sum, nec habens de vanitate annexum; Apocalypsis primo: *Ego sum alpha et omega, principium et finis,* Subdivisio. *dicit Dominus Deus;* et ideo ego sum vere *lux* illuminans intellectum, *vita* vivificans affectum, *virtus* purgans et iustificans totum subiectum.

Deus ergo est *lux, quae illuminat omnem ho-* Primo est lux. *minem venientem in hunc mundum;* Ioannis primo [1]. *Erat lux vera;* et Ioannis octavo: *Ego sum lux mundi; qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae.* — Per istam lucem illuminantur omnia illuminationem receptiva. Nulla enim veritas nisi per veritatem primam potest illuminare [2]; omnis enim veritas praeter primam semper est in fluxu usque ad illam, et ideo non nisi per illam potest apprehendi, quia quod est in fluxu in quantum huiusmodi non potest apprehendi, et ideo non nisi per veritatem primam potest illuminari nec apprehendi, et ideo signanter lux aeterna dicit: *Ego sum lux mundi; qui sequitur me,* ut omnem veritatem aliam cognoscat per me et per eam illuminetur a me, *non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae.* Ipsa enim prima lux est sicut speculum tersum, in quo anima rationalis videt et cognoscit se et alia a se; Sapientiae septimo [3]: *Candor est lucis aeternae et speculum sine macula Dei maiestatis.*

Et ita est etiam Deus *vita vivificans,* quae vi- Secundo est vita. vificat spiritum rationalem; Ioannis decimo quarto [4]: *Ego sum via, veritas et vita.* Sicut autem illud quod vivificat, intrat formaliter corpus et essentialiter in qualibet parte vivificat; sic quod vivificat animam effective sive causaliter est essentialiter in anima et in qualibet potentia animae. Hic autem est solus Deus, qui solus illuminat eam. Sicut ergo solus eam proprie illuminat, sic eam solus proprie vivificat.

Est nihilominus Deus *virtus purgans* sive iu- Tertio est virtus. stificans; ad Hebraeos primo [5]: *Cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius portansque omnia verbo virtutis suae, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis.* Propter quod ipse dicit Isaiae quadragesimo tertio [6]: *Ego sum, ego sum Dominus, et non est absque me salvator;* et ibidem: *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me.* Cum enim solus Deus illuminator sit animae, solus potest eam a peccatis purgare; et cum est ibi per gratiam, delens peccata formaliter, tunc causaliter ipsam vivificat et purgat; quia vero gratia in ea in inferno non erit, totus ignis infernalis ipsam purgare non poterit nec ab ea peccatorum maculam amovere. Cum igitur beatus Ioannes *non* esset *lux,* sed *ut testimonium perhiberet de lumine* [7]; neque *vita vivificans,* quia solus Deus est, qui *dat flatum populo, qui est super terram, et spiritum calcantibus eam;* neque *virtus purgans* causaliter, quia solus Deus est *iustus et iustificans eum qui est ex fide Iesu Christi* [8]; ideo merito dicebat: *non sum ego.*

II. Secundo *excludit* a se *puritatem* et *virtu-* Pars II. *sitatem summi remedii,* cum subiungit: *Christus,* quasi dicat: sicut ego non *sum* proprie vel per me, sic nec sum *Christus,* in quo est summum remedium vere. Sicut autem Deus est lux illuminans, vita vivificans et virtus purgans, quod convenit primo principio; sic Christus, cum sit Deus et homo, se habet in ratione *remedii illuminantis, vivificantis* et Subdivisio. *iustificantis,* quod convenit summo remedio; et ideo beatus Ioannes poterat dicere: *non sum Christus,* remedium illuminans, vivificans et iustificans, sed *praecursor* ab eo *illuminatus, vivificatus* et *iustificatus.*

Primo ergo Christus fuit remedium mundum Remedium illuminans dupliciter. Primo, praedicando. *illuminans praedicando;* Lucae secundo [9]: *Responsum accepit a Spiritu sancto,* dicitur de Simeone, *non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini;* qui parum infra de Christo subiungit: *Parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium et gloriam plebis tuae Israel.* — Ac mundo irradians *exemplum patiendi et* Secundo, exemplum irradiando. *tribulationem sustinendi,* iuxta illud primae Petri secundo [10]: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius;* item ad Hebraeos: *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum, qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem.*

Secundo fuit remedium mundum *vivificans* Item, vivificans. *moriendo,* quando mortem nostram moriendo destruxit; primae Petri tertio [11]: *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu.* In morte enim Christi *stetit Angelus* magni consilii, id est Verbum aeternum, *ante altare* crucis, in quo immolandus erat agnus immaculatus, *habens thuribulum aureum in manu sua* [12], id est sacratissimam humanitatem, *auro* caritatis ornatam ac plenam aromatibus sempiternis, *in manu,* id est potestate sua. Cum igitur vulneratori sive fractori expositum fuit thuribulum supra dictum, plenum igne caritatis et acerbae tribulationis, succensa sunt aromata, per clavorum foramina odor exivit suavissimus, mortuos vivificans ac Deum placans, quando *odoratus est Dominus odorem suavitatis* [13] prohibentem diluvium peccatorum.

---

[1] Vers. 9; dein Ioan. 8, 12.
[2] Cfr. Collat. in Hexaëm. collat. 12. p. I. n. 5, p. II. et opusculum *De humanae cognitionis ratione* per totum.
[3] Vers. 26. [4] Vers. 6.
[5] Vers. 3. [6] Vers. 11. et deinde v. 25. [7] Ioan. 1, 8; dein Isai. 42, 5.
[8] Rom. 3, 26. [9] Vers. 26. 31. seq.
[10] Vers. 21; sequitur Hebr. 12, 1. seq. [11] Vers. 18.
[12] Apoc. 8, 3, et respiciuntur verba, quae sequuntur: *et data sunt ei incensa multa* etc. [13] Gen. 8, 21.

Tertio fuit remedium mundum perfecte *iustificans* a foeditate corporis et cordis *a mortuis resurgendo*, iuxta illud ad Romanos quarto [1]: *Suscitavit Iesum Christum Dominum nostrum a mortuis, qui traditus est propter delicta nostra et resurrexit propter iustificationem nostram.* — Mundum illuminando se praebuit in exemplum, mundum vivificando et instificando ostendit in se ipso triumphum.

Item, iustificans.

DOMINICA QUARTA ADVENTUS.

Sermo I [2].

Parate viam Domino, Lucae tertio [3].

Prothema: *Praeceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus; in verbo autem tuo laxabo rete.*

Si *rete* est praedicatio, qua capiuntur ut reti pisces, et *piscator* est praedicator, cuius est *retia laxare*, id est sermones componere, *lavare* id est, ornare, et *reficere* id est auctoritatibus reficere et confirmare; nisi tamen *praeceptor* Deus praecipiat, ut *verbo* suo *laxentur retia*, ipsa praedicatio est *tenebrosa* per erroris obscuritatem, quae tangitur, cum dicitur: *per totam noctem; onerosa* per laboris gravitatem, quae notatur, cum subdit: *laborantes;* et *infructuosa* per operis inutilitatem, cum subinfert: *nihil cepimus.* Et ideo ante omnia prece petendus est Dominus, ut sua gratia et pietate verbo suo *rete*, id est sermonem nostrum, *laxet* et *ampliet* ad *veritatis claritatem* removendo a nobis *infructuositatem operis*, ut tandem *clari* in intellectu, *suaves* in affectu et *fructuosi* in effectu possimus aliqua dicere ad laudem et gloriam etc.

Introductio.

Ioannes Baptista, tanquam bonus discipulus et fidelis nuntius et verus praeco, praemissus ad praeparandam viam veri magistri, magni regis, aequi iudicis, Iesu Christi, volens officium a Deo sibi iniunctum exsequi diligenter, in verbo proposito tria facit. Primo praemittit *admonitionem excitativam*, ut a somno peccati surgamus; secundo addit *informationem directivam*, ut regulam bene vivendi sumamus; tertio subiungit *explicationem motivam*, ut Deo obsequio humili occurramus. Primo praemittit *admonitionem excitativam*, ut a somno peccati surgamus, cum dicit: *Parate.* Secundo addit *informationem directivam*, ut regulam bene vivendi sumamus, cum subdit: *viam;* sicut enim via materialis est quaedam regula rectificans hominem, ne erret per devia, sed duceus ad habitaculum civitatis; sic spiritualis via poenitentiae est quaedam regula rectificans hominem a deviis errorum, quousque perducat eum ad habitaculum patriae caelestis. Tertio subiungit *explicationem motivam*, ut Christo obsequio humili occurramus, cum subinfertur: *Domino*, id est Christo.

Sermo.

Divisio.

I. Sed quia tertium tenet rationem finis motivi, eo quod finis nostrae praeparationis est adventus Domini; ideo primo videamus hic Domini *proprietates;* secundo, multiformem eius *proprietatum excellentiam*, ut iuxta modulum nostrae possibilitatis praeparemus viam ei habitaculi mentalis.

Pars I.

Subdivisio.

Habet autem Dominus noster Iesus Christus in se *triplicem nobilem proprietatem*, ratione cuius est sufficiens motor nostrae praeparationis. Prima autem proprietas est *profunditas sapientiae*, ratione cuius est *magister* sapientissimus; secunda proprietas est *sublimitas potentiae*, ratione cuius est *rex* potentissimus; tertia proprietas est *aequitas iustitiae*, ratione cuius est *iudex* rectissimus. Et sic respectu *bonorum* et *malorum* habet certitudinalem *cognitionem*, respectu *viatorum* regalem *gubernationem*, et respectu *vivorum* et *mortuorum* sententialem *iurisdictionem.*

Tres Christi proprietates excellentissimae.

Primo Christus est *magister sapientissimus* ratione profunditatis sapientiae; unde in Psalmo [4]: *Magnus Dominus noster, et magna virtus eius, et sapientiae eius non est numerus.* — Vere *magnus Dominus*, quia est intimus cuilibet rei in *essendo*; et ideo, non putemus, eum abesse, cum locum eius foedamus. *Et magna virtus eius*, quia potentissimus in *agendo;* ideo, cum mala committimus, non putemus poenam evadere, cuius imperium deturpavimus. *Et sapientiae eius non est numerus*, quia praesentissimus in *cognoscendo;* et ideo, cum turpia committimus, non putemus, eum ignorare, quia *oculis eius*, infallibilis sapientiae, *omnia nuda et aperta sunt* [5]. Unde Gregorius: « Oculos clausos in sole teneus, nec te ipsi, sed ipsum tibi abscondis ». Ratione huius profunditatis sapientiae dicitur [6]: *Recedant vetera de ore vestro, quia Deus scientiarum dominus est, et ipsi praeparentur cogitationes*, quasi dicat: cogitationes humanae philosophiae subiiciendae sunt secundum dictamen veritatis aeternae, non secundum dictamen rationis philosophicae [7], quae ad modum veterum nullius valoris est, quia Dominus Iesus Christus est *dominus scientiarum, in quo sunt omnes thesauri scientiae et sapientiae Dei absconditi* [8].

De prima.

Secundo est *rex potentissimus* ratione sublimitatis potentiae; unde Exodi decimo quinto [9]: *Quis similis tui in fortibus, Domine? Quis similis tui*

De secunda

[1] Vers. 24. 25.
[2] Est in ed. Vat. et in C D E F.
[3] Vers. 4 (Vulgata: *Domini*), et Prothema habetur Luc. 5, 5.
[4] Psalm. 146, 5.
[5] Hebr. 4, 13. — Sequitur Gregor., XXV. Moral. c. 6. n. 11.
[6] I. Reg. 2, 3, in cantico Annae.
[7] Cod. E *sophisticae;* Vat. corrupte *dictamen rationis, quemadmodum veterum nullius* etc.
[8] Col. 2, 3.
[9] Vers. 11. Sequitur 1. Cor. 10, 11.

magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia? — Quia *omnia* ista *contingebant illis in figura*, nostrae liberationis de manu diabolicae potestatis; ideo secundum exhibitam veritatem dicamus: *Quis similis tui in fortibus, Domine*, potestates diabolicas in profundum abyssi demergendo; *quis similis tui magnificus in sanctitate*, fidelem populum a percussione mortis aeternae per effusionem proprii sanguinis liberando; *laudabilis*, in passione propter amorem benevolentiae et caritatis; *atque terribilis*, in resurrectione propter splendorem gloriae et claritatis; *et faciens mirabilia*, in ascensione propter elevationem corporis terrestris ad dexteram Patris.

Tertio est *iudex rectissimus* ratione aequitatis De tertia. et institiae; unde Sophoniae secundo [1]: *Quaerite Dominum, omnes mansueti terrae, qui iudicium eius estis operati; quaerite iustum, quaerite mansuetum. — Mansueti terrae* dicuntur humiles corde, qui *quaerunt Dominum* cum subiectione filialis reverentiae; *qui iudicium eius faciunt*, praeterita peccata emendando et postmodum non committendo; *quaerite iustum*, in puniendo superbientes; *quaerite mansuetum*, in recipiendo poenitentes; unde Bernardus [2]: Qualem te sibi tribuis, talem adventum experieris, quia *cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris, et cum electo electus eris, et cum perverso perverteris* [3].

II. Sequitur: *Parate;* ubi notatur *admonitio* Pars II. *excitativa*. Admonemur autem, iuxta triplicem eius proprietatum excellentiam ut nos praeparemus. Nam Ratio triplex. primo, quia *magister sapientissimus*, praeparemus nos ut *discipuli anhelantes* ad credendum magistro docenti per captivationem intellectus. Secundo, quia *rex potentissimus*, praeparemus nos ut *servi obsequentes* ad obediendum praecipienti per exsecutionem effectus. Tertio, quia *iudex rectissimus*, praeparemus nos ut *viri* [4] *poenitentes* ad respondendum iudici per emendationem defectus.

Primo dico: praeparemus nos ut *discipuli an-* De prima. *helantes* ad credendum magistro docenti per captivationem intellectus. Et de hoc potest exponi illud primi Esdrae septimo [5]: *Esdras paravit cor suum, ut investigaret legem Domini.* Quilibet bonus Christianus exemplo Esdrae deberet parare cor suum per Tria exercitia. *soliditatem fidei* in cognitiva, per *sinceritatem spei* in affectiva, per *sedulitatem studii* in operativa ad investigandum legem evangelicam, non secundum dictamen rationis philosophicae [6], sed secundum dictamen veritatis aeternae. Quae quidem lex illustrat rationalem ad cognoscendum verum, inflammat concupiscibilem ad desiderandum bonum, elevat irascibilem ad sperandum arduum.

Secundo praeparemus nos ut *servi obsequentes* De secunda. ad obediendum praecipienti per exsecutionem effectus. Et de hoc dicitur in Psalmo [7]: *Paratus sum et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua. — Paratus sum,* inquit, ubi notatur promptitudo obediendi; *et non sum turbatus*, quia voluntarie et cum amore tibi sacrificabo; *ut custodiam mandata tua*, opere diligenter adimplendo. Et de hoc similiter primi Regum septimo [8]: *Praeparate corda vestra Domino et servite ei soli*, nulla admittentes contraria, nulla aequiparantes disparia, sed eum extollentes sublimiter super omnia, eum corde amando, opere exsequendo, ore praedicando, et si necesse fuerit, corpore patiendo sive moriendo.

Tertio praeparemus nos ut *viri poenitentes* ad De tertia. respondendum iudici per emendationem defectus. Et de hoc dicitur Ecclesiastici secundo [9]: *Qui timent Dominum praeparabunt corda sua, et in conspectu illius sanctificabunt animas suas*, quasi dicat: *Qui timent Dominum*, scilicet timore filialis reverentiae, *praeparabunt corda sua*, per amotionem mortalis culpae. Unde Gregorius [10]: « Tergat sordes pravi operis qui Deo praeparat domum mentis ». *Et in conspectu illius*, scilicet Dei, *sanctificabunt animas suas*, id est affectus amoris et benevolentiae.

III. Tertio notatur in verbo proposito *informa-* Pars III. *tio directiva*, ut regulam bene vivendi sumamus, cum dicit: *Viam.* Summo enim studio viam mentalis habitaculi ad exemplum viae materialis Domino praeparemus. Nisi enim via mentalis habitaculi sibi bene praeparata fuerit, nunquam Christus veniet ad nos, nec nos poterimus occurrere Christo. Sicut enim via materialis bene praeparatur, primo per sordium amotionem, secundo per vestium prostrationem, tertio per florum superpositionem; sic via mentalis et spiritualis habitaculi bene praeparatur, primo, per *im-* Praeparatio triplex. *munditiae et foeditatis expulsionem* in completa confessione; secundo, per *lasciviae carnalis prostrationem* in discreta et debita castigatione; tertio, per *floridae castitatis supererogationem* in pura mentis et corporis conservatione.

Primo autem via mentalis habitaculi bene prae- De prima. paratur per immunditiae et foeditatis expulsionem in *completa confessione;* unde Ieremiae trigesimo primo [11]: *Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam. — Statuenda est specula*, ut peccatores videant suas conscientias ad confitendum peccata; *pone tibi amaritudines*, compunctionis ad deplorandum commissa;

---

[1] Vers. 3.

[2] Serm. 69. in Cant. n. 7: Igitur qualem te paraveris Deo, talis oportet appareat tibi Deus. *Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris.*

[3] Psalm. 17, 26. seq.

[4] Ita **F**, alii *veri*.

[5] Vers. 10.

[6] Codd. **DE** *sophisticae*.

[7] Psalm. 118, 60.

[8] Vers. 3.

[9] Vers. 20.

[10] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 30. n. 2.

[11] Vers. 21.

dirige cor tuum in viam rectam, ad operandum bona [1].

De secunda. Secundo via mentalis habitaculi bene praeparatur per vestium prostrationem in *lasciviae carnalis discreta et debita castigatione*. Unde dicitur Deuteronomii quinto [2]: *Non declinabitis neque ad dexteram neque ad sinistram, sed per viam, quam praecepit Dominus Deus vester, ambulabitis, ut vivatis.* — Tunc enim in via austeritatis et poenitentiae *non declinatur nec ad dexteram nec ad sinistram*, quando caro obedit spiritui imperanti, ne pronat ad peccandum, et spiritus condescendit necessitatibus carnis, ne succumbat ad moriendum. Per talem enim viam discretae castigationis carnis *praecepit* nobis *Deus ambulare, ut vivamus.* Nam in ea *via vitae increpatio* est *disciplinae* [3], quando per dictamen discretae disciplinae lasciva caro reprimitur et spiritui servire cogitur. Qui enim concupiscentiam castigat culpam devitat, ex qua mala omnia oriuntur. Unde Gregorius [4]: « Mens nostra, si in carnalibus imaginibus fuerit sparsa, nequaquam vel se vel animae naturam sufficit considerare, quia, per quot cogitationes ducitur, quasi per tot obstacula caecatur ». Unde, quia diabolus multum praesumit de sua potestate, carnis fragilitate et mundi vanitate; ideo diaboli machinamenta debemus confringere, carnem propriam vincere et mundi vanitates despicere, et tunc *in via, quam praecepit* nobis *Deus, ambulantes, non declinabimus ad dexteram nec ad sinistram.*

De tertia. Tertio via mentalis habitaculi bene praeparatur per floridae castitatis supererogationem in *pura mentis et corporis conservatione*. Unde dicitur in Psalmo [5]: *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.* — Ille *ambulat in via immaculata*, castitatis, qui Christo flores virginitatis *ministrat*, qui non solum habet munditiam carnis exterius, sed etiam perfectam cordis munditiam sive ordinationem interius per affectiones bonas. Nam sicut videmus in humano corpore, quod quando in eo abundant multi mali humores, generant quandam scabiem et pruriginem et frequenter lepram, quae tollunt munditiam corporis; sic malae et immundae cogitationes, quando abundant in corde, generant in eo quosdam humores corruptos et desideria in carne, quae generant scabiem incontinentiae et lepram luxuriae, quae tollunt munditiam castitatis et sanctimoniae. Unde Sapientiae primo [6]: *Perversae cogitationes separant* hominem *a Deo.* Rogemus ergo etc.

Sermo II [7].

Dominica quarta de Adventu. Sermo fratris Bonaventurae editus in sancto Dionysio Parisius, coram Conventu et aliis multis.

Anno quintodecimo imperii Tiberii Caesaris factum est verbum Domini super Ioannem, Zachariae filium, in deserto, Lucae tertio [8].

Introductio. Dominus Iesus Christus, qui est dignatus venire ad nos sicut *splendor* aeternae *gloriae et figura* paternae *substantiae* [9], *candor lucis aeternae et speculum sine macula Dei maiestatis et imago* divinae *bonitatis*, et de altitudine maiestatis suae nos dignetur respicere et visitare, ut possimus aliquid dicere et audire etc.

Divisio. *Anno quintodecimo imperii* etc. In verbis his quatuor notantur, scilicet *opportunitas temporis* evangelicae praedicationis, *originalitas spiritualis informationis, idoneitas personae*, cui fiat beneficium supernae inspirationis, et *necessitas loci*, in quo fiat exsecutio factae revelationis. Primum, ibi: *Anno quintodecimo imperii Tiberii Caesaris*, tempore scilicet a Deo disposito; secundum, ibi: *factum est verbum Domini*; tertium, ibi: *super Ioannem, Zachariae filium*; quartum, ibi: *in deserto*, hoc est, populo a Deo derelicto.

Inspirationis & effectus. Sciendum autem, quod verbum Domini sive inspiratio fit homini ad quatuor, scilicet ad *vivificandum* a morte peccati; Ieremiae undecimo [10]: *Verbum, quod factum est a Domino ad Ieremiam, dicens: Audite verba pacti huius; maledictus vir, qui non audierit verba pacti huius.* — Ad *illuminandum* ad cognitionem veri; Ieremiae trigesimo [11]: *Verbum, quod factum est ad Ieremiam a Domino, dicens: Scribe tibi omnia verba, quae locutus sum ad te, in libro.* — Ad *inflammandum* ad amorem boni; Ieremiae vigesimo [12]: *Factus est mihi sermo Domini in corde meo quasi ignis exaestuans claususque in ossibus meis, et defeci, ferre non sustinens.* — Ad *animandum* ad observantiam Evangelii; Ieremiae decimo quinto [13]: *Factum est mihi verbum tuum in gaudium et laetitiam cordis mei.*

Eiusdem & conditiones. Fit autem verbum Dei super hominem *mundum castitate* integra; Isaiae quadragesimo secundo [14]: *Ecce, puer meus, quem elegi, posui super eum spiritum meum.* — Hominem *honestum conversatione* angelica; quarti Regum secundo [15]: *Requievit spiritus*

---

[1] Verba *Statuenda est specula* etc. omissa sunt in Vat.
[2] Vers. 32. seq.
[3] Prov. 6, 23.
[4] Lib. II. Homil. in Ezech. homil. 5. n. 8.
[5] Psalm. 100, 6.
[6] Vers. 3.
[7] Ex A fol. 40 r.
[8] Vers. 1. seq.
[9] Hebr. 1, 3; sequitur Sap. 7, 26.
[10] Vers. 1-3
[11] Vers. 1. seq.
[12] Vers. 8. seq.
[13] Vers. 16.
[14] Vers. 1, sec. Evangel. Matth. c. 12. v. 18, quod pro *posui* habet *ponam*.
[15] Vers. 15.

Eliae super Eliseum. — Hominem *suspensum devotione* supercaelica; Isaiae vigesimo primo [1]: *Super speculam Domini ego sum stans iugiter per diem et super custodiam meam ego sum stans totis noctibus.* — Hominem *remotum* a mundo *sequestratione* perfecta; Ezechielis trigesimo septimo [2]: *Facta est super me manus Domini et eduxit me in spiritu Domini* [3].

Sermo III [4].

Factum est verbum Domini super Ioannem, Zachariae filium, in deserto, Lucae tertio [5].

In verbis his tangit Evangelista inspirationem ad
Divisio. homines: primo, divinae *gratiae inspirationem;* secundo, eiusdem *gratiae distinctionem inter* homines; tertio, *loci discretionem* sive opportunitatem *per* homines. Primum tangit ibi: *Factum est verbum Domini;* secundum, ibi: *super Ioannem;* tertium, ibi: *in deserto.*

Notandum ergo, quod *verbum Domini* sive in-
Notatur modi inspirationem. spiratio omnipotentis Dei aliquando fit *super* hominem per specialis informationem doctrinae, ad quam illustrat; Ecclesiastici primo [6]: *Fons sapientiae verbum Dei in excelsis, et ingressus illius mandata aeterna.* — *Intra* hominem per excellentem benevolentiae dilectionem, ad quam inflammat; Psalmus [7]: *Ferrum pertransiit animam eius, donec veniret verbum eius, eloquium Domini inflammavit eum.* — *Propter* hominem per sublimem vitae exaltationem, ad quam restaurat; Psalmus [8]: *Misit verbum suum et sanavit eos.* — *Per* hominem per efficacem iustitiae observantiam, ad quam informat; Ecclesiastici trigesimo septimo [9]: *Ante omnia opera verbum verax praecedat te, et ante omnem actum consilium stabile.*

Fit vero Verbum Domini *increatum* in veritate
Verbum increatum. Dei Patris, maxime super sollicite vigilantes; Iob quarto [10]: *Ad me dictum est verbum absconditum, et quasi furtive suscepit auris mea venas susurri*
Inspiratum. *eius.* — Verbum Domini *inspiratum* in sinu humanae mentis, maxime intra devote interpellantes; Lucae primo [11]: *Ecce, ancilla Domini, fiat mihi secun-*
Incarnatum. *dum verbum tuum.* — Verbum Domini *incarnatum* in utero Virginis Matris, maxime propter toto corde assentientes; Isaiae nono [12]: *Verbum misit Dominus in Iacob, et cecidit in Israel.* — Verbum Domini
Imperatum. *imperatum* in Evangelio novae legis, maxime per humiliter obtemperantes; Matthaei septimo [13]: *Omnis, qui audit verba mea et facit ea, assimilabitur viro sapienti.*

Sermo IV [14].

Item, sermo fratris Bonaventurae editus Parisius in Capitulo coram Fratribus, Dominica quarta de Adventu in mane.

Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur, Lucae tertio [15], sumptum de Isaiae quadragesimo.

In his verbis venerabilis Praecursoris tangitur duplex adventus Christi, tam in carne quam ad
Divisio. iudicium (cum duplici effectu). Qui quidem duplex effectus est *exaltatio humilium* et devotorum et *depressio rebellium* et superbornm. Primus effectus notatur ibi: *Omnis vallis implebitur;* secundus, ibi: *omnis mons et collis humiliabitur.*

Circa primum nota, quod *omnis vallis,* id est
Humiles quinque modis implentur. omnis humilis et devotus Verbo incarnato, implebitur per Christum suo multiformi dono; omnis enim humilis et devotus in *conscientia* implebitur divina gratia; secundi Paralipomenon vigesimo [16]: *Vocaverunt locum illum Vallis benedictionis.* — Humilis et devotus in *eloquentia* implebitur divina Scriptura; Psalmus [17]: *Valles abundabunt frumento, clamabunt, etenim hymnum dicent.* — Humilis et devotus in *vita* implebitur divina honorificentia; Genesis decimo octavo [18]: *Apparuit Dominus* Abrahae *in convalle Mambre sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso fervore diei.* — Humilis et devotus in *apparentia* implebitur divina efficacia; Psalmus [19]: *Qui emittis fontes in convallibus, inter medium montium pertransibunt aquae, potabunt omnes bestiae agri* etc. — Humilis et devotus in sua *fama* vel gratia implebitur sempiternali caeli gloria; Numerorum vigesimo quarto [20]: *Quam pulcra tabernacula tua, Iacob, et tentoria tua, Israel, ut valles nemorosae, ut horti iuxta fluvios irrigui.*

---

[1] Vers. 8. [2] Vers. 1.

[3] Membra divisionis, praesertim quartum non exponuntur. In R habetur sermo de eodem themate et cum eadem fere divisione, sed cum additionibus, quae ab alio auctore factae esse videntur. Pro divisione principali ponit:

I. divinae gratiae inspirationem ad praedicationis officium committendum;

II. eiusdem distinctionem ad praedicatorem eligendum;

III. loci discretionem ad huiusmodi percipiendum seu docendum.

I. De primo membro dicit: *Factum est verbum Domini,* ad vivificandum, illuminandum, inflammandum, elevandum (ad considerationem futuri), laetificandum, conservandum, fortificandum, dulcorandum, fructificandum.

II. De secundo: *super Ioannem,* scilicet electissimum, mundissimum, suspensissimum, accensissimum, devotissimum, probatissimum, humillimum, remotissimum (per sequestrationem perfectissimam).

III. De tertio: *in deserto,* qui est locus solitudinis, asperitatis, devotionis, amoenitatis, speculationis, meditationis, orationis, quietis, decantationis.

[4] Ex A fol. 40 v. et B fol. 6 v, qui quoad divisionem primariam habet eandem ut sermo praecedens, sed passim aliter expositam.

[5] Vers. 2. [6] Vers. 5.
[7] Psalm. 104, 18. seq. [8] Psalm. 106, 20.
[9] Vers. 20. [10] Vers. 12.
[11] Vers. 38. [12] Vers. 8.
[13] Vers. 24. [14] Ex A fol. 41 v.
[15] Vers. 5. et Isai. 40, 4. [16] Vers. 26.
[17] Psalm. 64, 14. [18] Vers. 1.
[19] Psalm. 103, 10. seq. [20] Vers. 5. seq.

Sermo V [1].

Item, sermo fratris Bonaventurae coram Fratribus Praedicatoribus in Conventu Lugduni, in Capitulo.

Gaudete in Domino semper, iterum dico: Gaudete, ad Philippenses quarto [2].

In verbis his duo facit Apostolus: primo hortatur ad nova *solatia charismatum gratiae;* secundo, ad continua *desideria suavitatis gloriae.* Divisio.

I. Circa primum nota, quod qui vult habere solatia gratiae sive gaudia conscientiae, oportet, quod habeat *animam mundam;* Apocalypsis decimo nono [3]: *Gaudeamus et exsultemus et demus gloriam ei, quia venerunt nuptiae Agni, et uxor eius praeparavit se* etc. — *Vitam religiosam;* Proverbiorum vigesimo primo [4]: *Gaudium iusto est facere iudicium, et pavor operantibus iniquitatem. — Famam odoriferam;* ad Philippenses quarto [5]: *Gaudium meum et corona mea, sic state in Domino, carissimi.* De primo tria.

II. Circa secundum nota, quod qui vult habere desideria continua gloriae, oportet, quod habeat semper affectiones *conservativas* ad amorem patriae; Isaiae ultimo [6]: *Gaudete cum ea gaudio universi, qui lugetis super eam. — Transformativas* ad compassionem Christi poenae; Habacuc tertio [7]: *Ego autem in Domino gaudebo et exsultabo in Deo Iesu meo. — Refrigerativas* ad conciliationem status innocentiae; Isaiae sexagesimo primo [8]: *Gaudens gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo meo.* Item, de secundo.

Sermo VI [9].

Item, sermo fratris Bonaventurae factus in domo Praedicatorum quarta Dominica de Adventu, coram Universitate.

Videbit omnis caro salutare Dei, Lucae tertio [10], summum de Isaiae quinquagesimo secundo.

Verba haec, si exponantur de adventu Christi ad iudicium, tria continent, quae tunc contingent, et sunt haec, scilicet certitudinalis *manifestatio occultorum*, generalis *resurrectio mortuorum* et finalis *salvatio electorum*. Primum nota in verbo *videndi;* secundum, in nomine *omnis carnis;* tertium, in nomine *salutaris Dei.* Divisio.

I. Circa primum notandum, quod dupliciter videbitur Christus in iudicio, scilicet a *malis* in humanitate *assumta et passa*, in qua quidem visione apparebit eis, et erit *Maiestas irata*, non in sua specie et pulcritudine; Iob vigesimo primo [11]: *Videbunt oculi eius interfectionem suam, et de furore Omnipotentis bibet. — Imaginatio consternata* certiori pavore; Sapientiae quinto [12]: *Videntes turbabuntur timore horribili et mirabuntur in subitatione insperatae salutis* etc. — *Memoria patefacta* et reserata in singularium deformitatum recordatione; Iob trigesimo octavo [13]: *Nunquid apertae sunt tibi portae mortis, et ostia tenebrosa vidisti? — Ratio attonita* et dementata in excusationis et rationis defectione; Apocalypsis primo [14]: *Videbit eum omnis oculus et qui eum pupugerunt, et plangent se super eum omnes tribus terrae. — Affectio* quadrifomiter *perturbata* in metus et spei, moeroris et gaudii confusionem et frustrationem; Psalmus [15]: *Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt* etc. — *Actionis libertas sublata* atque praeclusa ex status merendi privatione; Deuteronomii trigesimo secundo [16]: *Videbit, quod infirmata sit manus, et clausi quoque defecerunt residuique consunti sunt.* Pars I. cum subdivisione. De visione malorum notanda.

A *bonis* in *Divinitate et humanitate sibi unita*, in qua visione videbunt eum electi incunditate felici *germanitate attinentem;* Iob decimo nono [17]: *Rursum circumdabor pelle mea et in carne mea videbo Deum meum. — Placiditate arridentem;* Isaiae quinquagesimo secundo [18]: *Simul laudabunt te, quia oculo ad oculum videbunt;* Iob trigesimo tertio [19]: *Videbit faciem eius in iubilo. — Speciositate refulgentem;* Isaiae trigesimo tertio [20]: *Regem in decore suo videbunt. — Auctoritate praesidentem*, ut monarcham caeli et terrae imperialiter coronatum; Isaiae sexto [21]: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum* etc. — In *aequitate iudicantem*, quasi inimicos demergentem; Psalmus [22]: *Laetabitur iustus, cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris.* — In *liberalitate praemiantem;* Isaiae quadragesimo [23]: *Revelabitur gloria Domini, et videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum est.* De visione bonorum sex.

II. Circa secundum nota, quod ad hanc tam felicem visionem non perveniet nisi caro *renata Sacramentis;* ad Ephesios quinto [24]: *Membra corporis eius sumus, de carne eius et de ossibus eius. — Regulata praeceptis*, secundum illud primae Petri secundo [25]: *Abstinere vos a carnalibus desideriis, quae militant adversus animam. — Deputata exercitiis* virtutis; ad Philippenses primo [26]: *Permanere autem in carne necessarium propter vos. — Configurata* [Christi] *martyriis;* ad Galatas quinto [27]: Pars II. Conditione sex.

---

[1] Ex A fol. 42 r.
[2] Vers. 4.
[3] Vers. 7.
[4] Vers. 15.
[5] Vers. 1.
[6] Vers. 10.
[7] Vers. 18.
[8] Vers. 10.
[9] Ex A fol. 42 r.
[10] Vers. 6. et Isai. 52, 10.
[11] Vers. 20.
[12] Vers. 2.
[13] Vers. 17.
[14] Vers. 7.
[15] Psalm. 47, 6.
[16] Vers. 36.
[17] Vers. 26.
[18] Vers. 8.
[19] Vers. 26.
[20] Vers. 17.
[21] Vers. 1.
[22] Psalm. 57, 11.
[23] Vers. 5.
[24] Vers. 30.
[25] Vers. 11.
[26] Vers. 24.
[27] Vers. 24.

Qui autem sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. — Praeventa gaudiis; Psalmus [1]: *Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum. — Inflammata desideriis;* Psalmus [2]: *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea!*

IDEM SERMO IN FORMA MAGIS DIFFUSA [3].

Videbit omnis caro salutare Dei, Lucae tertio [4].

Verbum istud est finis Evangelii hodierni et exprimit finem ipsius mundi. Cum enim *omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur* [5], ut *nova omnia* fiant; tunc, veniente ad iudicium Domino maiestatis, *videbit omnis caro salutare Dei,* id est Iesum, Salvatorem omnium. Implicantur autem tria in verbo isto, primo videlicet certitudinalis *manifestatio occultorum,* et hoc in verbo *videndi;* tunc enim videbimus quod modo credimus; secundo, generalis *resurrectio mortuorum,* et hoc in nomine *carnis,* quae videre non posset, nisi resurrexerit; tertio, finalis *salvatio electorum,* in hoc quod dicit: *salutare.* Videbunt ergo mali Iesum, videbunt etiam boni, sed infelix visio malorum, felix visio bonorum. Vis tu scire, qualis erit visio malorum, qui videbunt Christum? Recurre ad considerandum progressum naturalem in qualibet visione. In visione enim primo species rei visibilis oculis exterius offertur; deinde imago interius formatur; tertio, quadam assimilatione ipsa memoria in actum recordationis revocatur; quarto, ipsa ratio excitatur, confert, negotiatur; quinto, aliqua affectio gignitur; sexto, in actione aliqua movetur et solicitatur. — In illa ergo visione, quam reprobi videbunt, erunt scilicet *Maiestas* irata, *imaginatio* consternata, *memoria* patefacta et reserata, *ratio* attonita, conclusa et dementata, *affectio* quadriformiter perturbata, *actionis libertas* ablata atque praeclusa.

Divisio.

Duplex visio.

Notandum.

Sex terribilia.

I. Videbunt ergo *Maiestatem iratam* non in specie sua, sed in ira et furore suo; qui enim in primo adventu venit humilis pro redemptione peccatorum in secundo apparebit terribilis pro ingratitudine malorum, et qui bonis apparebit blandus perversis apparebit iratus; Lucae vigesimo primo [6]: *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et maiestate.* Cum aggravatione loquitur Dominus, quasi dicat: tunc videbunt venientem in iudicium, quem noluerunt videre iacentem in praesepio, pendentem in patibulo, latentem in Sacramento, sedentem et admonentem in caelo, et qui contempserunt *plenum gratiae et veritatis* [7] videbunt plenum irae et severitatis; Iob vigesimo primo [8]: *Videbunt oculi eius interfectionem suam, et de furore Omnipotentis bibet. Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Erit enim ira in vultu, ira in comitatu, ira in apparatu.

De primo.

II. Visa Maiestate irata exterius, sequitur *imaginatio consternata* interius; Sapientiae quinto [9]: *Videntes turbabuntur timore horribili.* Quod sic patet: res magna noviter apprehensa occupat imaginativam sua magnitudine; si autem est non solum magna, sed terribilis, tunc non solum occupat sua magnitudine, sed quassat terribilitate; et si ulterius magna est et terribilis et etiam incurribilis [10] et nociva, tunc non solum occupat imaginativam sua magnitudine et quassat sua terribilitate, sed consternat sua immobilitate. Putas ergo, quod stabunt in pedibus suis reprobi? Malachiae tertio [11]: *Quis poterit cogitare diem adventus eius, et quis stabit ad videndum eum?* Corruentes ergo iacebunt, consternati ad visionem durissimam, de qua Isaiae vigesimo primo [12]: *Corrui, cum audirem; conturbatus sum, cum viderem.* Adverte, quantum tunc puniatur illa meretrix et prostibularia, scilicet imaginativa seu phantasia, in qua tot adulteria sunt commissa; et in qua fuerunt prius foedae compositiones, tunc erunt dissolutiones et defectiones; Nahum secundo [13]: *Dissolutio genicolorum et defectio in cunctis renibus.* Advertant peccatores illud Danielis decimo [14]: *Domine mi, in visione tua dissolutae sunt compages meae, et nihil in me remansit virium.* Si enim Propheta in visione Angeli non quidem irascentis, sed insolite apparentis, fuit ita prostratus; quomodo non erit peccator ad visionem irati iudicis prosternatus?

De secundo.

III. Visa Maiestate irata et ipsa imaginativa in peccatoribus consternata, erit *memoria* in illa visione *patefacta* et *reserata,* ita ut ebulliat et evomat de omnibus suis receptaculis multitudinem, magnitudinem et turpitudinem peccatorum, eructans et exundans ante oculos tuos sicut cataclismus omnia, quae fecisti; de qua visione interrogatur peccator, Iob trigesimo octavo [15]: *Nunquid apertae sunt tibi portae mortis, et ostia tenebrosa vidisti?* quasi dicat: non! Modo enim, o peccator, non vides tenebrosam speluncam conscientiae tuae, clausisti eam et *thesaurizas tibi iram in diem irae et revelationis iusti iudicii Dei* [16]. Sed aperientur ostia *tenebrosa* memoriae tuae et conscientiae, ut videas te. Augustinus super illud Psalmi [17]: *Arguam te,* ait: « Quod tu post dorsum posuisti, ego ante faciem tuam ponam;

De tertio.

[1] Psalm. 83, 3. [2] Psalm. 62, 2.

[3] Hic transcriptus est ex codice Florentino biblioth. Nationalis U (n. VI. E. 1017.) fol. 10 v. et mutum correctus subsidio codicis Tudertini V (n. 161.) fol. 107 v. [4] Vers. 6.

[5] Luc. 3, 5; deinde respicitur Apoc. 21, 5.

[6] Vers. 27. [7] Ioan. 1, 14.

[8] Vers. 20; sequitur Ps. 6, 2.

[9] Vers. 2.

[10] Cod. V *immutabilis,* et infra *immutabilitate* pro *immobilitate.*

[11] Vers. 2. [12] Vers. 3.

[13] Vers. 10. [14] Vers. 16.

[15] Vers. 17. [16] Rom. 2, 5.

[17] Psalm. 49, 21; locus Augustini est Enarrat. in Ps. 49. n. 28.

videbis foeditatem tuam, non ut corrigas, sed ut erubescas ». Bernardus [1]: « Qualem conscientiam ad illud tribunal terrificum portas, ubi secretissimos recessus mentium divinus ille investigat intuitus et ad subitum *solis iustitiae* fulgorem animorum expansi sinus cuncta evomunt, quae celabant »? Gregorius super Ezechielem [2]: « Quae mens erit hominis aeterni iudicis praesentiam non formidantis? ibi cuncta peccata simul ante oculos redeunt, ibi omnia, quae cum delectatione acta sunt, ad memoriam cum pavore revocantur ». Quod ergo, peccator, modo non vis videre ad compunctionem tunc videbis ad confusionem, et quod abscondis in antro conscientiae tunc, apertis penetralibus, vel potius effractis, catervatim prosiliet ante faciem omnium populorum.

IV. Ulterius in illa infelici visione est *ratio attonita, confusa* et *dementata;* et mirum est, quod ratio tunc deficiet, cum ratio requiretur; mirum certe! cum cogetur homo *reddere rationem villicationis suae* [3], ea esse deberet penitus expedita et discreta. Tunc *omnis iniquitas oppilabit os suum* [4]. Quid dicet, *aut quid respondebit* Deo? Nunquid poterit defendere causam suam in consistorio suo terribili? Non certe, quia lex *aeterna* aget contra eam, lex *conscientiae* contra eam, lex *scripta* contra eam, chirographus daemonum contra eam, et omnes creaturae testes contra eam. Et si quaeris, super quam causam ratio videbit intentari contra se; non unam causam, sed infinitas de *commissis* et *dimissis* et *promissis;* lob nono [5]: *Non poterit ei unum respondere pro mille*, praecipue causam laesae et contemptae Maiestatis, mortem videlicet Filii Dei, quae, cum pro omnibus facta sit, sicut *gratis* deputatur ad gratiam, ita *ingratis* intorquetur ad culpam, quasi ipsi fecerint, et pro eis actum fuerit. Affertur in illa visione talis causa: Apocalypsis primo [6]: *Ecce, venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus et qui eum pupugerunt; et plangent se super eum omnes tribus terrae* etc.; Sapientiae duodecimo: *Videntes illum quem olim negabant se nosse, verum Deum agnoverunt;* Deuteronomii trigesimo secundo: *Videte, quod ego solus sim, et non sit alius Deus praeter me.* Sicut non valebunt iura, ita nec argumenta cavillosa; una sola conclusio erit ad manum, de qua Sapientiae quinto [7]: *Ergo erravimus a via veritatis, et iustitiae lumen non luxit nobis, et sol intelligentiae non est ortus nobis.* — Si quaeris, unde venit talis conclusio? Respondeo, quod a tali *fine* sic: omnis qui ad talem finem venit, erravit; nos ad talem finem veninus: *ergo erravimus.* Fac tibi, o peccator, talem conclusionem in praesenti: omnis, qui ad illum finem vadit, errat; per mundana delectamenta ad talem finem pergimus: ergo erramus: ergo convertamur ad viam virtutis; modo enim, si sic *concludis*, tibi restat solutio. Cum autem tibi *fuerit conclusum*, nulla restabit *ratio*, nulla succurret *appellatio, exceptio* vel *dilatio.*

De quarto.

V. Quinto erit in illa visione *affectio quadriformiter perturbata;* Psalmus [8]: *Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt. Tremor apprehendit eos; ibi dolores ut parturientis. In spiritu vehementi conteres naves Tharsis.* Sic quatuor supra dicta: *Maiestatem* iratam, *imaginationem* consternatam, *memoriam* patefactam, *rationem* attonitam, *mirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt.* Ecce, *affectio* ipsa pro praeterito *decepta*, pro praesenti *frustrata*, pro futuro *evulsa;* lob decimo nono [9]: *Quasi evulsae arbori abstulit spem meam. Tremor apprehendit eos;* ecce, affectio tremoris validissima, non solum in animam introducens formidinem, sed foris in corpus inducens tremorem; *ibi dolores ut parturientis;* ecce, affectio doloris acutissima; *conterens naves Tharsis*, ecce, affectio gaudii attrita et ad nihilum redacta! *Tharsis* enim interpretatur *exspoliatio gaudii* [10]. Quod autem dicit: *ibi dolores ut parturientis*, apta similitudo est non solum pro doloris acerbitate, sed pro negotii qualitate; praecurrit enim ibi culpa poenam; Iacobi primo [11]: *Peccatum, cum consummatum fuerit, generat mortem;* ut sic praeveniat vita [12] saeculi vitam inferni; unde de filiis saeculi dicitur Ecclesiastici quadragesimo primo [13]: *Etsi nati fuerilis, in maledictione nascemini*, vel, sicut dicit Augustinus [14], praecurrent divina beneficia divina iudicia; « laboremus, inquit, ut beneficia Dei non nobis iudicia pariant, sed potius profectum », ut in die rationis reddendae quidquid Salvator nobis contulit iudicatus integrum inveniat iudicaturus; nam quod contulit in adventu primo exacturus est in secundo.

De quinto.

VI. Sexto in illa visione erit *actionis libertas praeclusa* atque *sublata;* Deuteronomii trigesimo secundo [15]: *Videbit, quod infirmata sit manus,* immo abscissa, vel omni impotentia ligata, ut nec possis te donis redimere nec viribus resistere nec fuga

De sexto.

---

[1] Epistola 7. ad Adam Monachum n. 13, ubi additur: Ibi facientes et consentientes pari poena punientur.

[2] Libr. I. Homil. homil. 2. n. 16.

[3] Luc. 16, 2.

[4] Psalm. 106, 42. deinde respicitur Iob 31, 14.

[5] Vers. 3. Quoad verba *de ommissis... promissis* cfr. opusculum De triplici Via, c. 2. n. 7.

[6] Vers. 7; sequuntur Sap. 12, 27. et Deut. 32, 39.

[7] Vers. 6.

[8] Psalm. 47, 6-8.
Vers. 10.

[9] Hieron., de Nominibus Hebraicis, III. Reg. *Tharsis:* exploratio gaudii.

[10] Vers. 15.

[11] Locus in utroque codice corrupte et male scriptus videtur sic legendus: *vel (ut) sic percutiat* (!) *vitam saeculi vitam inferni.*

[12] Vers. 12.

[13] Sermo 44. (alias 36. ex Homiliis 50) n. 8, ubi legitur: « Quantum possumus totis viribus laboremus, ut beneficia Dei non nobis iudicium pariant, sed profectum ». Idem dicitur Serm. 44. in Append. (alias 208. de Tempore) n. 6. et Serm. 45. (alias 210. de Tempore) n. 3.

[14] Vers. 36.

salvare: ergo unius tantum actionis erunt solliciti, videlicet absconsionis; Apocalypsis sexto [1]: *Dicent montibus et petris: Cadite super nos et abscondite nos a facie sedentis super thronum et ab ira Agni.* Haec omnia in anima, sed quid in vase carnis? Quomodo collidetur, quomodo agitabitur terra! Videas ibi durum bellum inter carnem et animam et durius inter poenam et naturam. Imprimet anima carni passiones suas et percutiet eam fortissime, imprimet et caro suas ipsi animae, et acerbissime excoquent eam; unde Propheta interrogatus [2], quid videret in poenis damnatorum, respondit, quod duo: *vigilantem virgam* et *ollam succensam.* Bernardus ad Eugenium [3]: « Ita est, Eugeni; non potest Deo aliquid esse contrarium et sibimet cohaerere; cui omne adversum, et sibi adversari necesse est ». Bellum autem inter bonum naturae et malum poenae ostendit Augustinus in libro de Civitate Dei [4] his verbis: « Quod bellum gravius et amarius cogitari potest, quam ubi voluntas sic adversa est passioni et passio voluntati, ut nullius earum victoria tales inimicitiae finiantur; et ubi sic confligit cum ipsa natura corporis dolor, ut nentrum alteri cedat? Hic enim, quando contingit iste conflictus, aut dolor vincit, et sensum mors adimit; aut natura vincit, et dolorem sanitas tollit; ibi autem et dolor permanet, ut affligat, et natura perdurat, ut sentiat; quia utrumque ideo non deficit, ne poena deficiat ».

Videbunt *boni* etiam Iesum, sed felicissima et incundissima visione. Quaeris: quare? Quia videbis eum tibi *attinentem* germanitate, *refulgentem* speciositate, *iudicantem* in aequitate, *arridentem* placiditate, *praesidentem* auctoritate, *praemiantem* in largitate.

Bars II. De felici visione bonorum multiplici.

I. De primo, Iob decimo nono [5]: *Rursum circumdabor pelle mea et in carne mea videbo Deum meum*, id est carne meae naturae vestitum, ita ut possis eum digito ostendere et dicere: *Frater enim et caro nostra est* [6]. Scito autem, quod haec germanitas sive fraternitas facta est in incarnatione, probata in passione, sed manifestata in resurrectione; in cuius rei signum dixit Dominus Matthaei ultimo: *Nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilaeam; ibi me videbunt*, ibi me vere cognoscent esse *fratrem* suum.

Videbis ger-manitate fratrem.

II. Videbis eum tibi *arridentem placiditate et hilaritate;* quidquid blanditiarum cogitari potest, sive in nutibus oculorum, sive in risu oris et habitudine faciei, sive in applausu et gratulatione verborum, totum tibi arridebit in Iesu; de qua visione dicit Isaias quinquagesimo secundo [7]: *Levaverunt vocem, simul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt.* — Quid est *oculo ad oculum videre?* Nonne gratioso aspectu aspici et aspicere? Non refugies oculis pro culpae conscientia nec reverberabis pro maiestatis excellentia; Iob trigesimo tertio [8]: *Videbis faciem eius in iubilo;* nec dissimulabit ultra Ioseph recognoscere fratres suos.

Placiditate arridentem.

III. Nunquid panperem vel male vestitum videbimus fratrem nostrum? Non, *immo refulgentem speciositate et claritate;* Isaiae trigesimo tertio [9]: *Regem in decore suo videbunt*, non in squallore suo, qualis fuit in cruce, sed in perfecto splendore carnis gloriosae; Ecclesiastae undecimo [10]: *Dulce lumen, et delectabile oculis videre solem;* sed sol iste prius fuit in sacco [11], sed de sacco venitur ad solem.

Speciositate refulgentem.

IV. Eritne potens hic frater noster? Ita; videbis eum universaliter in *auctoritate praesidentem* et quasi monarcham *imperialiter coronatum.* Tunc erit verum illud Apostoli ad Hebraeos secundo [12]: *Videmus Iesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum;* ad quod etiam pertinet illa visio Isaiae sexto [13]: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum* etc. Illud *solium* est natura assumta et dicitur *excelsum* propter optima naturalia et *elevatum* propter optima gratuita, et tantum est *elevatum*, quod natura angelica substat ei; unde sequitur: *Seraphim stabant* subter thronum [14].

Auctoritate praesiden-tem.

V. Ulterius, quia iste frater noster habuit *inimicos*, videbis eum quinto loco *iudicantem in aequitate;* Psalmus [15]: *Laetabitur iustus, cum viderit vindictam; manus suas lavabit in sanguine peccatoris.* Videbit populus christianus submergi inimicos suos in profundum inferni; Exodi decimo quarto: *State et videte magnalia Domini, quae facturus est hodie; Aegyptios enim, quos nunc videtis, nequaquam ultra videbitis usque in sempiternum.*

In aequitate iudicantem.

VI. Sexto et ultimo, quia iste frater noster *amicos* habuit et servientes, quibus promisit gloriam suam; videbis eum *praemiantem in largitate;* Isaias [16]: *Revelabitur gloria Domini, et videbit omnis caro*, bonorum scilicet, *quod os Domini locutum est*, id est istud quod Dominus ore suo promisit; Psalmus [17]: *Sicut audivimus*, pronuntientem, *sic vidimus*, adimplentem. Tunc habetur illa visio in sua perfecta claritate, de qua dicitur Malachiae tertio [18]: *Videbitis, quid sit inter iustum et impium et inter servientem Deo et non servientem ei.*

In largitate praemian-tem.

Ad istam visionem pervenit omnis caro digna pervenire; et si quaeris: quid facit carnem dignam videre Iesum? respondeo, quia oportet, quod talis caro

Sex condi-tiones per-veniendi ad hanc visio-nem.

---

[1] Vers. 16. [2] Ier. 1, 11. 13.
[3] Libr. V. de Considerat. c. 12. n. 26, mutato ordine propositionum.
[4] Libr. XIX. c. 28. [5] Vers. 26.
[6] Gen. 37, 27; sequitur Matth. 28, 10.
[7] Vers. 8.
[8] Vers. 26; deinde respicitur Gen. 45, 1.
[9] Vers. 17. [10] Vers. 7.
[11] Cfr. Apoc. 6, 12: *Sol factus est tanquam saccus cilicinus.* [12] Vers. 9.
[13] Vers. 1. seqq.
[14] Vulgata: *super illud;* Septuaginta: *in circuitu eius;* cfr. Hieron., in hunc locum.
[15] Psalm. 57, 11; sequitur Exod. 14, 13.
[16] Cap. 40, 5.
[17] Psalm. 47, 9. [18] Vers. 19.

sit *renata* Sacramentis, *regulata* praeceptis, *deputata* serviliis, *configurata martyriis* (Christi), *praeventa* gaudiis, *inflammata* desideriis.

Oportet ergo, quod caro, quae feliciter vult vi-
De primo. dere Iesum, sit eius *renata Sacramentis*, praecipue per baptismum, quo incorporamur ipsi; ad Ephesios quinto [1]: *Membra corporis eius sumus, de carne eius et ossibus eius;* de qua posset dicere Christus quod dixit Adam Genesis secundo [2]: *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea.*

Erit etiam *regulata regulis disciplinae*, ut abs-
De secundo. tineat a corruptionibus et illecebris voluptatum. Putas, illa caro est apta videre Iesum, de qua dicitur Genesis sexto [3]: *Omnis quippe caro corruperat viam suam?* Primae ad Corinthios decimo quinto: *Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptelam possidebit;* ergo domanda et refrenanda est a malis desideriis; primae Petri secundo [4]: *Abstinete vos a carnalibus desideriis, quae militant adversus animam* etc. Vincatur primo a spiritu, quam vincat; ad Galatas quinto [5]: *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem* etc.; et ibidem: *Manifesta sunt opera carnis* etc. Nisi ab his fuerit regulata, non erit illa visione digna.

Item, sit eius *deputata servitiis*, quia non suf-
De tertio. ficit regulari ab operibus vitiosis, nisi deputetur operibus virtuosis. Debet enim homo in carne militare sicut in bono dextrario ad gloriam summi Regis; secundae ad Corinthios decimo [6]: *In carne enim ambulantes non secundum carnem militamus;* et ad salutem concivium suorum; ad Philippenses primo: *Permanere autem in carne necessarium propter vos.* O quot sunt militantes diabolo in carne sua per diversos excessus vitiorum!

Sit ulterius *Christi configurata martyriis;* ad
De quarto. Galatas quinto [7]: *Qui autem sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* eius; sic et Apostolus faciebat, qui de se dicebat ad Colossenses primo [8]: *Adimpleo quae desunt passionum Christi in carne mea;* non enim poterat caro nostra communicare Christo in dulcibus, nisi prius communicaverit in amaris.

Sit ulterius *praeventa Christi gaudiis* et conso-
De quinto. lationibus; communicat enim anima carni et quadam redundantia participem eam facit spiritualium gaudiorum; Psalmus [9]: *Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum* etc. Augustinus: « Quare addidit *vivum?* Ut ostenderet, quod totum, quod non pertinet ad Dei cultum, debemus habere quasi mortuum ».

Sexto et ultimo sit eius *inflammata desideriis*, De sexto
ut nolit hic in faecibus suis requiescere, sed ad Christum desideret pervenire; propterea dicebat Prophetа [10]: *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea,* quia *multiplicius* gravatur caro mea quam anima; omnia enim opera poenitentiae super carnem imponuntur, et ideo sicut asina onerata cogitur accelerare et festinare ad Deum. Talibus incundata donis felici spe *dormiet et requiescet* [11]; Psalmus: *Caro mea requiescet in spe;* quam spem ipse nobis etc.

Sermo VII [12].

Item, sermo fratris Bonaventurae eadem Dominica quarta editus in Conventu Lugdunensi, coram populo, praesente ibidem curia Romana.

Videbit omnis caro salutare Dei, Lucae tertio [13], sumtum de Isaiae quinquagesimo secundo.

Verba ista, si exponantur de adventu Christi in carnem, continent tria haec, scilicet *exspectatae gra-* Divisio
tiae revelationem; revelatae manifestationem mirificum; ipsius *revelati et manifestati expressionem gratificam.* Primum nota in verbo *visionis;* secundum in verbo *omnis carnis;* tertium in verbo *saluturis Dei.*

Circa haec omnia notandum, quod habemus videre et considerare Christum *carnem assumentem,* Secunda.
in *caelo regnantem* et *ad iudicium redeuntem.*

I. In ipso *nascente* habemus videre tria, scilicet Pars I.
benignitatem condescendentem; Lucae secundo [14]: *Videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis.* — *Liberalitatem* se communicantem; Ioannis primo [15]: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis. Et de plenitudine eius nos omnes accepimus et gratiam pro gratia.* — *Suavitatem* satiantem; Lucae decimo [16]: *Beati oculi, qui vident quae vos videtis* etc.; Psalmus: *Videte, quoniam suavis est Dominus.*

II. In ipso *regnante* tria haec habemus videre, Pars II.
scilicet *multiplicationem rationum aeternarum;* Psalmus [17]: *Apud te est fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen.* — *Diversitatem triformium naturarum;* Ecclesiastici quadragesimo tertio [18]: *Vide arcum, et benedic eum qui fecit illum.* Sicut quilibet color in qualibet parte nubis, ita tres naturae sunt unitae in Christo, scilicet Verbi, animae et carnis. — *Pulcriformitatem dispositionis hierarchiarum;* tertii Regum decimo [19]: *Regina Saba videns ordines ministrantium* etc.

---

[1] Vers. 30.
[2] Vers. 23.
[3] Vers. 12; sequitur I. Cor. 15, 50.
[4] Vers. 11.
[5] Vers. 17. sequ.
[6] Vers. 3; sequitur Phil. 1, 24. — Supra *dextrarius* est equus ad pugnam bellicam aptus.
[7] Vers. 24.
[8] Vers. 24.
[9] Psalm. 83, 3. — Sequitur August., Serm. 54. in append. (alias 33. ex homiliis 50.) n. 1.
[10] Psalm. 62, 2; cfr. August., in hunc locum.
[11] Psalm. 4, 9. et 15, 9.
[12] Ex A fol. 43 r.
[13] Vers. 6. et Isai. 52, 10.
[14] Vers. 15.
[15] Vers. 14. 16.
[16] Vers. 23; sequitur Ps. 33, 9.
[17] Psalm. 35, 10.
[18] Vers. 12.
[19] Vers. 1. 4. 5.

III. In ipso vero *ad iudicium redeunte* habemus
Pars III. videre *sublimitatem dominii;* Isaiae sexto [1]: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum* etc. — *Subtilitatem scrutinii;* Apocalypsis vigesimo [2]: *Vidi thronum magnum, candidum* etc. *Et libri aperti sunt.* — *Severitatem iudicii;* Malachiae tertio [3]: *Quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans et quasi herba fullonum* etc.

Sermo VIII [4].

Item, sermo fratris Bonaventurae editus coram rege et familia, Parisius in palatio regali.

Videbit omnis caro salutare Dei, Lucae tertio [5].

Quadruplex est visio Dei. Prima est in mundi
Divisio. *creatura;* secunda est in humana *natura assumta;* tertia in humana *conscientia;* quarta in sua *essentia.* Prima visio est ut *umbra* in signo; secunda, ut *sol* in vitro; tertia, ut *imago* in speculo; quarta, sicut *species* in aperto.

I. Videtur ergo Deus primo in mundi *creatura,*
Pars I. in qua et per quam *origo* rerum per creationem, distinctionem et ornatum et magnitudinem potentiae immensitatem eius clamat; ad Romanos primo [6]: *Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et Divinitas* etc.; Psalmus: *Venite et videte opera Domini, quae posuit prodigia super terram.* — *Multitudo, pulcritudo* incomprehensibilem sapientiam declarat; Sapientiae decimo tertio [7]: *A magnitudine enim speciei et creaturae cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* — *Plenitudo* et *operatio* et *ordo* et *utilitas* inexterminabilem bonitatem praedicat; Ecclesiastici quadragesimo tertio [8]: *Vide arcum et benedic eum qui fecit illum.*

II. Secundo, in humana *natura assumta,* et ista
Pars II. visione visus est *a Patriarchis* figuraliter cum desiderio; Exodi tertio [9]: *Vadam et videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.* — Ab *Apostolis* praesentialiter cum gaudio; Ioannis primo [10]: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.* — A *nobis* speculariter cum merito; primae ad Corinthios decimo tertio [11]: *Videmus nunc per speculum in aenigmate.* — A *Beatis* perspicaciter cum praemio; Isaiae trigesimo tertio [12]: *Regem in decore suo videbunt oculi eius.*

III. Tertio, in humana *conscientia,* et ista visione
Pars III. videtur triformiter, scilicet per industriam rationis et fidei assensum; Lucae decimo [13]: *Beati oculi, qui vident quae vos videtis.* — Per cordis munditiam et intellectus donum; Matthaei quinto [14]: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* — Per fervens desiderium et sapientiae gustum; Psalmus [15]: *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus.*

IV. Quarto, in sua *essentia,* et hac visione vi- Pars IV.
detur triformiter, scilicet praeclare et manifeste; primae Ioannis tertio [16]: *Videbimus eum, sicuti est.* — lucunde et gloriose; Isaiae ultimo [17]: *Videbitis, et gaudebit cor vestrum.* — Perpetuo et sine fine; Ioannis decimo sexto [18]: *Iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium nemo tollet a vobis.*

Sermo IX [19].

Item, sermo fratris Bonaventurae editus Viterbii in domo Praedicatorum, coram Fratribus in Capitulo.

Videbit omnis caro salutare Dei, Lucae tertio [20].

Fratres mei, quanta sit luciformitas, pulcrifor- Introductio.
mitas, amoenitas et utilitas in speculatione et perpetratione sapientiae, ipsa Sapientia aeterna testatur Proverbiorum octavo [21]: *Beatus homo, qui audit me et qui vigilat ad fores ostii mei; qui me invenerit inveniet vitam et hauriet salutem a Domino.* Nullus etiam se nolens disponere de hoc excusari valet, quia dicit Philosophus primi Ethicorum [22], quod felicitas intellectus scientiae est quoddam bonum, quod possibile omnibus non orbatis pervenire ad virtutem. Eapropter bonum et conferens nobis est verbum sanctae Scripturae intendere. Ut ergo digne et utiliter aliquid dicere et audire possimus etc.

Videbit omnis caro etc.

« Visio Verbi incarnati est tota merces nostra [23] ». *Salus eius* est vita nostra, quod quidem vocatur *salutare nostrum* et divinitus nobis missum, quia universaliter *curat* a peccati deformitate; Ge- Effectus quatuor in via.
nesis quadragesimo nono [24]: *Salutare tuum expectabo, Domine.* — *Liberat* a persecutionis crudelitate; Actuum ultimo [25]: *Gentibus missum est hoc salutare Dei, et ipsi audient.* — *Exuit* ab aeternae mortis horribilitate; Lucae secundo [26]: *Viderunt oculi mei salutare tuum.* — *Introducit* ad beatae vitae aeternitatem; Psalmus [27]: *Magna est gloria eius in salutari tuo.*

Visio autem eius sive ipsius facici aspectus bea- Item, in patria.
tificat universaliter *purgando* omnem *errorem* lumine infallibilis veritatis; Psalmus [28]: *In lumine tuo videbimus lumen.* — *Fugando* omnem *dolorem*

---

[1] Vers. 1. seq.
[2] Vers. 11. seq.
[3] Vers. 2.
[4] Ex A fol. 43 v.
[5] Vers. 6.
[6] Vers. 20; sequitur Ps. 45, 9.
[7] Vers. 5.
[8] Vers. 12.
[9] Vers. 3.
[10] Vers. 14.
[11] Vers. 12.
[12] Vers. 17.
[13] Vers. 23.
[14] Vers. 8.
[15] Psalm. 33, 9.
[16] Vers. 2.
[17] Vers. 14.
[18] Vers. 22.
[19] Ex A fol. 44 r.
[20] Vers. 6.
[21] Vers. 34. seq.
[22] Cap. 9.
[23] Glossa Petri Lombardi in Ps. 90, 16, ex August., in exposit. eiusdem loci.
[24] Vers. 18.
[25] Vers. 28.
[26] Vers. 30.
[27] Psalm. 20, 6.
[28] Psalm. 35, 10.

dulcedine inexplicabilis suavitatis; Ecclesiastae undecimo [1]: *Dulce lumen, et delectabile est oculis videre solem.* — *Terminando* omnem *laborem* quiete interminabilis tranquillitatis; Isaiae sexagesimo [2]: *Tunc videbis et afflues, et mirabitur et dilatabitur cor tuum* etc. — *Evacuando* omnem *timorem* certitudine immobilis securitatis; Isaiae ultimo [3]: *Videbitis, et gaudebit cor vestrum.*

Sermo X [4].

Item, sermo fratris Bonaventurae editus in Conventu Aurelianensi Fratrum Praedicatorum, in Capitulo.

Videbit omnis caro salutare Dei, Lucae tertio [5].

I. Verbum incarnatum, cuius Nativitatem modo celebrare debemus et habemus et contemplari et ru-
Pars I. Salutare vocatur ob 7 rationes. minare cum attenta devotione cordium, *vocatur salutare* humani generis, quia *innocentibus* conservando dat sanctimoniam; Psalmus [6]: *Innocens manibus et mundo corde* etc.; *hic accipiet benedictionem a Domino et misericordiam a Deo salutari suo.* — *Exspectantibus* consolando dat laetitiam; Isaiae vigesimo quinto [7]: *Exspectavimus eum, et salvabit nos, iste Dominus; sustinuimus eum, exsultabimus et laetabimur in salutari eius.* — *Timentibus* confortando dat fiduciam; Psalmus [8]: *Prope timentes eum salutare ipsius.* — *Operantibus* cooperando dat spem firmam; Psalmus [9]: *Ponam in salutari, fiducialiter agam in eo.* — *Pugnantibus* assistendo dat victoriam; primi Regum secundo [10]: *Dilatatum est os meum super inimicos meos, quia laetata sum in salutari tuo.* — *Triumphantibus* praemiando dat gloriam; Psalmus [11]: *Magna est gloria eius in salutari tuo.* — *Omnibus* se offerendo dat salutem et misericordiam; Actuum ultimo [12]: *Gentibus missum est hoc salutare Dei, et ipsi audient.*

Pars II. Visum est 8 modis.

II. Istud salutare *visum* est ab omni carne, quia a *simplicibus pastoribus* in animalium praesepio; Lucae secundo [13]: *Videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis.* — A *sapientibus regibus* in gremio Matris; Matthaei secundo [14]: *Vidimus stellam eius in oriente et venimus adorare eum.* — A *sanctissimis Anna* et *Simeone* in Dei templo; Lucae secundo [15]: *Viderunt oculi mei salutare tuum.* — Ab *Apostolis* et discipulis conversando in mundo; Ioannis primo [16]: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.* — A *militibus* pendens in crucis patibulo; Marci decimo quinto [17]: *Videns autem centurio* etc.; *ait: vere hic homo Filius Dei erat.* — A *sanctis mulieribus* rediens de inferno; Ioannis vigesimo [18]: *Conversa est retrorsum et vidit Iesum stantem.* — A *Stephano* sedens ad dexteram Patris in caelo; Actuum septimo [19]: *Video caelos apertos et Filium hominis stantem a dextris Dei.* — Ultimo videbitur ab *omnibus* in iudicio; Apocalypsis primo [20]: *Videbit eum omnis oculus et qui eum pupugerunt.*

Sermo XI [21].

Item, sermo fratris Bonaventurae editus Assisii in domo Fratrum, coram Praedicatoribus et Minoribus.

Videbit omnis caro salutare Dei, Lucae tertio [22].

Salutare nostrum est Christus, cuius « visio est Notandum tota merces », secundum Augustinum [23]. Post istud salutare est tutum *incedere,* huic salutari est securum *credere,* hoc salutare est securum *concupiscere,* ipsi est securum *adhaerere,* ad ipsum est securum *attendere.*

Pars I. Modi sex.

I. Quod totum manifestat nobis *patriarchalis praestolatio;* exspectabant enim ipsum cum desiderio et suspirio; Genesis penultimo [24]: *Salutare tuum exspectabo, Domine.* — *Regalis postulatio;* requirebant enim ipsum reges; unde David [25]: *Visita nos in salutari tuo.* — *Prophetalis vaticinatio;* prophetabant enim ipsum Prophetae omnes; unde Isaiae quinquagesimo secundo [26]: *Videbunt omnes fines terrae salutare Dei nostri.* — *Praecursoris praenuntiatio;* Lucae tertio [27]: *Venit in omnem regionem Iordanis* etc.; *et videbit omnis caro salutare Dei.* — *Senis evangelici praeconizatio;* Lucae secundo [28]: *Viderunt oculi mei salutare tuum.* — *Pauli,* philosophi theologici (!), *attestatio;* Actuum ultimo [29]: *Gentibus missum est hoc salutare Dei,* dicebat Paulus.

Pars II. Effectus quinque.

II. Istud autem salutare contemplatum et meditatum conservat *conscientiam* in castitate generalissima; Psalmus [30]: *Innocens manibus et mundo corde* etc., *hic accipiet benedictionem a Domino et misericordiam a Deo salutari suo.* — Conservat *linguam* in veritate infallibilissima; primi Regum secundo [31]: *Dilatatum est os meum super inimicos meos, quia laetata sum in salutari tuo.* — Conservat *vitam* in sanctitate ordinatissima; Actuum decimo tertio [32]: *Viri fratres, filii generis Abraham et qui in vobis timent Deum, vobis verbum salutis huius missum est.* — Conservat *formam* in charitate

---

[1] Vers. 7.
[2] Vers. 5.
[3] Vers. 14.
[4] Ex A fol. 44 v.
[5] Vers. 6.
[6] Psalm. 23, 4. seq.
[7] Vers. 9.
[8] Psalm. 84, 10.
[9] Psalm. 11, 6.
[10] Vers. 1.
[11] Psalm. 20, 6.
[12] Vers. 28.
[13] Vers. 15.
[14] Vers. 2.
[15] Vers. 30.
[16] Vers. 14.
[17] Vers. 39.
[18] Vers. 55.
[19] Ex A fol. 45 v.
[20] Vers. 7.
[21] Exposit. in Psalm. 90, 16.
[22] Vers. 6.
[23] Psalm. 105, 4.
[24] Cap. 49, 18.
[25] Psalm. 105, 4.
[26] Vers. 10.
[27] Vers. 3. 6.
[28] Vers. 30.
[29] Vers. 28.
[30] Psalm. 23, 4. seq.
[31] Vers. 1.
[32] Vers. 26.

flagrantissima; Isaiae vigesimo quinto [1]: *Salvabit nos et laetabimur in salutari eius.* — Conservat et constituit *corpus* et *animam* in felicitate iucundissima; Psalmus [2]: *Magna est gloria eius in salutari tuo, gloriam et magnum decorem impones super eum.*

Sermo XII [3].

Item, sermo fratris Bonaventurae factus in Urbeveteri coram domino Papa Urbano et cardinalibus, in aula episcopatus illius.

Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei, primae ad Corinthios quarto [4].

In verbis his Apostolus, generalissimus praedi-
Introductio. cator et zelator animarum, hortatur praelatos Ecclesiae et in praelatis omnes subditos eorum, Christi fideles, ad *vitae evangelicae* veritatem et *famae*
Divisio prima. *praeclarae celebritatem* dupliciter: primo per comparationem ad *Deum,* secundo per comparationem ad *proximum.* Primum, ibi: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi,* hoc est tales sitis in vita, quod omnis homo cogitet et habeat vos pro servis Christi. Secundum notatur, ibi: *et dispensatores mysteriorum Dei,* hoc est tales sitis in fama, quod omnis homo reputet vos fideles dispensatores officiorum vobis commissorum.

Circa haec notandum, quod iuxta Ecclesiae tri-
Divisio secunda. plicem gradum, scilicet *activorum, praelatorum* et *contemplativorum,* triplex debemus Deo ministerium tripliciter exhibere, si volumus veritati vitae evangelicae et celebritati famae respondere et ad similitudinem triplicis hierarchiae caelestis Deo in terra servire.

I. Nam ministrare Deo debent *activi* tripliciter, ut
Pars I. respondeant infimae hierarchiae, scilicet in *operibus iustitiae* per obsequia benevolentiae, per quod conformantur Angelis; Lucae quarto [5]: *Continuo surgens ministrabat illis.* — In *condescensionibus misericordiae* per beneficia eleemosynae, per quod conformantur Archangelis; primae ad Corinthios ultimo [6]: *In ministerio sanctorum ordinaverunt se ipsos.* — In *exhibitionibus patientiae* per exercitia magnificentiae, per quod conformantur Virtutibus; secundae Petri primo [7]: *Ministrate in fide vestra virtutem.*

II. Ministrare vero debent *praelati* tripliciter, ut Pars II.
respondeant mediae hierarchiae in caelo, scilicet in *correctionibus* censurae, per quod conformantur Potestatibus; ad Romanos decimo tertio [8]: *Dei enim minister vindex est in iram ei qui male agit.* — In *eruditionibus* doctrinae, per quod conformantur Principatibus; secundae ad Timotheum ultimo [9]: *Opus fac evangelistae, ministerium tuum imple, sobrius esto.* — In *subventionibus* spiritualis et corporalis indigentiae, per quod conformantur Dominationibus; primae ad Timotheum tertio [10]: *Qui bene ministraverint gradum bonum sibi acquirent.*

III. Ministrare vero debent *contemplativi* triplici- Pars III.
ter, ut respondeant hierarchiae supremae, scilicet in *devotionibus* gratiae, per quod conformantur Thronis; Genesis quadragesimo [11]: *Recordabitur Pharao ministerii tui et restituet te in gradum pristinum;* primi Regum secundo: *Puer Samuel ministrabat.* — In *laudibus* reverentiae, per quod conformantur Cherubim; secundi Paralipomenon vigesimo nono [12]: *Vos elegit Deus, ut stetis coram eo et ministretis illi colatisque eum et cremetis ei incensum.* — In *oblationibus* et ardoribus excellentiae, per quod conformantur Seraphim; Ioannis duodecimo [13]: *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus* [14].

Sermo XIII [15].

Item, sermo fratris Bonaventurae factus Perusii in consistorio coram domino Papa Clemente et cardinalibus, in aula episcopatus illius.

Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei, primae ad Corinthios quarto [16].

Hortatur in verbis istis Apostolus, universalis doctor, tam praelatos Ecclesiae quam omnes christianos eis subditos ad duo, scilicet ad angelicae con- Divisio.
formitatis nobilissimum *coelibatum* et ad vitae claritatis laudabilissimum *studium.* Primum, ibi: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi;* secundum ibi: *et dispensatores mysteriorum Dei.*

Notandum ergo, quod ut mereamur ab omnibus existimari ministri Christi, debemus in vita respon-
Conformitas ad 9 choros Angelorum. dere Deo, in terra Angelis, ministris eius in caelo, per hierarchicam gratiam, ut simus conformes *Angelis* per sedulitatem fraterni obsequii; primae ad Corinthios ultimo [17]: *In ministerium sanctorum ordinaverunt se ipsos.* — *Archangelis* per assiduitatem divini

---

[1] Vers. 9.
[2] Vers. 6.
[3] Ex A fol. 45 v.
[4] Psalm. 20, 6.
[5] Vers. 39.
[6] Vers. 15.
[7] Vers. 5.
[8] Vers. 4.
[9] Vers. 5.
[10] Vers. 13.
[11] Vers. 13; sequitur I. Reg. 2, 18.
[12] Vers. 11.
[13] Vers. 26.
[14] Substantia huius sermonis habetur etiam in codice Monacensi regiae bibliothecae, cod. Lat. 15744 (C. 106. Bas. fol. 10 r.), sed mutatis nonnullis, praesertim exordio et ordine membrorum, scilicet trium statuum in Ecclesia, quia ibi primo loco ponuntur contemplativi, deinde activi et praelati; omittitur etiam comparatio horum statuum cum novem choris hierarchiae caelestis. Hae mutationes alium a Bonaventura auctorem insinuant.
[15] Ex A fol. 46 v.
[16] Vers. 1.
[17] Vers. 15.

praeconii; secundi Paralipomenon vigesimo nono [1]: *Vos elegit Dominus, ut stetis coram eo et ministretis illi colatisque eum et cremetis ei incensum.* — *Virtutibus* per victoriositatem domestici inimici; secundae ad Corinthios sexto [2]: *In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus* etc., *in castitate, in scientia* etc. — *Potestatibus* per fidelitatem divini zeli; primae ad Timotheum quarto [3]: *Bonus eris minister Christi Iesu, enutritus verbis fidei et bonae doctrinae, quam assecutus es.* — *Dominationibus* per nobilitatem ingenui animi; secundae ad Timotheum secundo [4]: *Labora sicut bonus miles Christi Iesu.* — *Thronis* per uniformitatem stabiliti propositi; secundae Petri primo [5]: *Ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam* etc. — *Cherubim* per perspicacitatem sursumactivi ingenii; Proverbiorum decimo quarto [6]: *Acceptus est regi minister intelligens.* — *Seraphim* per incessabilitatem accensi desiderii; Psalmus [7]: *Qui facis Angelos tuos spiritus et ministros tuos ignem urentem.*

Sermo XIV [8].

Item, sermo fratris Bonaventurae factus Remis in synodo Metropolis illius, coram omnibus praelatis provinciae congregatis ibidem.

Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei, primae ad Corinthios quarto [9].

Apostolus, zelator animarum universalissimus, hortatur praelatos Ecclesiae et in eis fideles omnes
Divisio. ad duo, scilicet ad *vitae evangelicae puritatem* et *commissi officii* seu concessi doni *exsecutionem fidelem.* Primum, ibi: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi;* secundum, ibi: *et dispensatores mysteriorum Dei.*

Notandum ergo, quod qui vult haberi minister
Virtutes respondentes 9 choris Angelorum. Christi verus debet habere pro posse suo *diligentiam* angelicam in meditando rationabiliter; secundae ad Timotheum ultimo [10]: *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac evangelistae, ministerium tuum imple.* — *Providentiam* archangelicam in agendo acceptabiliter; Proverbiorum decimo quarto [11]: *Acceptus est regi minister intelligens.* — *Sanctimoniam* virtuticam in conversando irreprehensibiliter; Psalmus [12]: *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.* — *Vigilantiam* potestaticam in orando ferventer; Ioelis secundo [13]: *Inter vestibulum et altare plorabunt sacerdotes, ministri Domini, et dicent: Parce Domine, parce populo tuo* etc. — *Reverentiam* principaticam in obsequendo regulariter; secundi Paralipomenon vigesimo nono [14]: *Vos elegit Dominus, ut stetis coram eo et ministretis illi colatisque eum et cremetis ei incensum.* — *Efficaciam* dominaticam in consistendo prudenter; primae ad Timotheum quarto [15]: *Haec proponens fratribus, bonus eris minister Christi Iesu, enutritus verbis fidei* etc. — *Benevolentiam* thronicam in satisfaciendo gratanter; Marci decimo [16]: *Quicumque voluerit fieri maior erit vester minister.* — *Intelligentiam* cherubicam in erudiendo sapienter; primae ad Corinthios ultimo [17]: *In ministerium sanctorum ordinaverunt se ipsos;* secundae Petri primo: *Ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam.* — *Affectivam* seraphicam in amando et desiderando incessanter; Psalmus [18]: *Qui facis Angelos tuos spiritus et ministros tuos ignem urentem.*

Sermo XV [19].

In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, secundae ad Corinthios sexto [20]. — In his verbis describitur, quales debent esse viri evangelici sive veri Christiani. Nam debent esse primo *uni-* Divisio.
versaliter irreprehensibiles in conversationibus, ibi: *In omnibus;* secundo, *infatigabiliter laborantes* in administrationibus hierarchicis, ibi: *exhibeamus nosmetipsos;* tertio, *christiformiter relucentes* in exemplis sursumactivis, ibi: *sicut Dei ministros.*

Sermo XVI [21].

Item, sermo fratris Bonaventurae editus coram Fratribus Parisius in Capitulo, Dominica quarta de Adventu in mane.

Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei, primae ad Corinthios quarto [22].

Volenti divini verbi fructum ex auditu et affatu Introductio.
percipere tria sunt necessaria secundum Dionysium de caelesti Hierarchia [23], scilicet *devotio affectus;* divinus enim radius non relucet nisi spiritualibus. — *Captivatio intellectus;* abundantius enim et amplius Deus se manifestat humilibus. — *Religio caelibatus;* Sapientia enim aeterna maxime a mundis acceptat amari et possideri. Ut igitur ista tria in nobis habere per haec Dei verba valeamus etc. [24].

Sic nos existimet etc.

Apostolus Spiritu sancto plenus et animarum zelo succensus hortatur his verbis omnes servos

---

[1] Vers. 11. — Excidit conformitas cum *Principatibus.*
[2] Vers. 4-6.
[3] Vers. 6.
[4] Vers. 3. seq.
[5] Vers. 5.
[6] Vers. 35.
[7] Psalm. 103, 4.
[8] Ex A fol. 47 r.
[9] Vers. 1.
[10] Vers. 5.
[11] Vers. 35.
[12] Psalm. 100, 6.
[13] Vers. 17.
[14] Vers. 11.
[15] Vers. 6.
[16] Vers. 43.
[17] Vers. 45; sequitur II. Petr. 1, 5.
[18] Psalm. 103, 4.
[19] Ex A fol. 47 r. et B fol. 7 r.
[20] Vers. 4.
[21] Ex A fol. 47 v. et B fol. 7 r.
[22] Vers. 1.
[23] Cap. 3. § 3.
[24] Praecedentia desunt in B.

Dei et in eis omnes Christianos subditos ad duo, Divisio. scilicet ad devotum *cultum evangelicae religionis* et strenuum *studium ecclesiasticae pietatis*. Primum respicit Deum, ibi: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi;* secundum proximum, ibi: *et dispensatores mysteriorum Dei.*

Pars I. Ministri virtutes septem debent habere.

I. Sciendum ergo, quod qui vult esse minister Christi et reputari debet habere *munditiam cordis* quantum ad affectum; Psalmus [1]: *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.* — *Sapientiam mentis* quantum ad intellectum; Proverbiorum decimo quarto [2]: *Acceptus est regi minister intelligens.* — *Providentiam oris* quantum ad eloquium; primae ad Timotheum quarto [3]: *Haec proponens fratribus, bonus eris minister Christi Iesu.* — *Excellentiam operis* quantum ad exercitium; secundae ad Timotheum quarto [4]: *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac evangelistae, ministerium tuum imple;* secundae ad Timotheum secundo: *Labora sicut bonus miles Christi Iesu.* — *Famam laudis* quantum ad praeconium; secundae ad Corinthios sexto [5]: *In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, ut non vituperetur ministerium nostrum.* — *Elegantiam conversationis* quantum ad convictum; primae ad Timotheum tertio [6]: *Qui enim bene ministraverint gradum bonum sibi acquirent.* — *Excedentiam affectus* quantum ad desiderium; Psalmus [7]: *Qui facis Angelos tuos spiritus et ministros tuos ignem urentem.*

Pars II. Tres modi dispensationis.

II. Quantum ad secundum [8] nota, quod ad hoc, quod possint aestimari dispensatores mysteriorum Dei, debent dispensare ut dispensatores fideles et prudentes [9] *temporalia* pauperibus fideliter; primae ad Corinthios quarto [10]: *Hic iam quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur;* Lucae duodecimo: *Quis, putas, est fidelis dispensator et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram?* — *Sacramenta* fidelibus liberaliter; primae Petri quarto [11]: *Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei.* — *Verba* Dei cunctis hominibus veraciter; primae ad Corinthios nono [12]: *Dispensatio mihi credita est* etc., *ut, Evangelium praedicans, sine sumtu ponam Evangelium;* secundae ad Corinthios tertio: *Qui et idoneos nos fecit ministros novi Testamenti, non littera, sed spiritu.*

Sermo XVII [13].

Item, sermo fratris Bonaventurae coram Fratribus apud Assisium.

Mihi autem pro minimo est, ut a vobis iudicer, aut ab humano die, primae ad Corinthios quarto [14].

Sciendum, quod Apostolus non curabat, immo pro nihilo habebat et ducebat iudicia mundi de se vel verba hominum mundanorum; nec nos curare debemus, immo pro nihilo habere quaecumque sunt, nisi in veritate Evangelii, quia ex his nostra *conscientia* non fit indignior ante Deum, secundum Hieronymum [15]; quia ex his nostra *vita* non fit impurior ante hominem bonum, secundum Augustinum; quia ex his nostra *fama* non fit obscurior ante aliquem discretum, secundum Gregorium; quia ex his nostrae *salutis veritas* in nullo fit infirmior vel extra meritum. — Item, non debemus amare vel curare mundanorum iudicia vel eloquia prava, quia eorum *potentia* brevis; Ecclesiastici decimo [16]: *Omnis potentatus brevis vita.* — *Conscientia* inanis; ad Titum primo [17]: *Inquinatae sunt eorum et mens et conscientia.* — *Lingua* turpis; Ecclesiastae decimo [18]: *Initium verborum eius stultitia, et novissimum oris illius error pessimus.* — *Vita* miserabilis; ad Ephesios quarto [19]: *Alienati a vita Dei per ignorantiam, quae est in illis propter caecitatem cordis ipsorum.* — *Fama* vilis; Proverbiorum decimo [20]: *Nomen impiorum putrescet;* primi Machabaeorum secundo: *Gloria eius stercus et vermis est.* — *Finis* horribilis; Iob vigesimo primo [21]: *Ducunt in bonis dies suos et in puncto ad inferna descendunt.*

Rationes ex parte subiecti.

Item, ex parte modificatorum.

Sermo XVIII [22].

Summaria intentio Evangelii huius quartae Dominicae secundum Bonaventuram.

Anno quintodecimo [23] etc.

In isto Evangelio continentur tria [24], scilicet *tempus* opportunum praedicationis venerabilis Praecursoris, quia *anno quintodecimo imperii Tiberii Caesaris* etc. Temporis autem opportunitas consistit vel colligitur ex *unione* imperii Romani, ex *partitione* regni Iudaici; ex *divisione* sacerdotii levitici, quae omnia hic continentur. — *Forma* sive modus caelitus Divisio.

---

[1] Psalm. 100, 6.
[2] Vers. 35.
[3] Vers. 6.
[4] Vers. 5. et 2, 3; primus locus sumtus est ex B.
[5] Vers. 4. 3.
[6] Vers. 13.
[7] Psalm. 103, 4.
[8] Quae sequuntur desunt in A et supplentur ex B, qui tamen in prima parte aliqua membra omittit.
[9] Respicitur Luc. 12, 42.
[10] Vers. 2; sequitur Luc. 12, 42.
[11] Vers. 10.
[12] Vers. 17. seqq.; sequitur II. Cor. 3, 6.
[13] Ex A fol. 47 v.
[14] Vers. 3.
[15] Ipsa verba huius sententiae et duarum sequentium, quae tribuuntur Augustino et Gregorio, frustra quaesita sunt in operibus eorum.
[16] Vers. 11.
[17] Vers. 15.
[18] Vers. 13.
[19] Vers. 18.
[20] Vers. 7; sequitur I. Mach. 2, 62.
[21] Vers. 13.
[22] Ex A fol. 49 r.
[23] Luc. 3, 1. seqq.
[24] Cod. A habet *duo*.

sibi factae ad huiusmodi inspirationis, quia *factum est verbum Domini* etc. — *Locus* et *ordo* eiusdem exsecutionis fidelis, quia *venit in omnem regionem Iordanis praedicans baptismum poenitentiae* etc., in quo commendatur ipse Ioannes a *ministerio* humilis obedientiae, quia *venit in omnem regionem Iordanis;* a *signo* sacramentalis medicinae; quia *praedicans baptismum poenitentiae;* a zeli animarum *sollicitudine*, quia erat *vox clamantis in deserto.*

VIGILIA NATIVITATIS DOMINI.

Sermo I [1].

Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meae, ut inveniam te foris et deosculer te et iam me nemo despiciat? Canticorum octavo [2].

Introductio.

In verbo proposito desiderium animae devotae desiderantis Nativitatem Christi in proximo futuram describitur ordinate. Ordo autem et ratio huius desiderii talis fuit: anima rationalis, cum creata est, Dei imagine est insignita et cunctis visibilibus praeposita, et *omnia subiecta sunt pedibus eius* [3], secundum illud Genesis primo: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et praesit piscibus maris* etc. Sed hanc excellentiam perdidit, cum peccavit; remansit tamen in ea sublimitatis et excellentiae *appetitus*. Videns igitur anima lumine fidei illustrata, se non posse in pristinam excellentiam restitui, nisi tantum se humiliaret Dei Filius, quantum se exaltaverat homo superbus, et credens, hoc aliquando futurum, coepit eum vehementer amare. Et quia amans amato desiderat copulari [4], desideravit gratam copulam; et quia copulari non poterat gratanter absenti et latenti, ideo desiderat eius praesentiam et apparentiam. Haec igitur anima devota primo desiderat Christi *apparentiam manifestam*, ut per illam perveniat ad *familiarem praesentiam*, et rursus familiarem praesentiam, ut per hanc perveniat ad *gratam copulam*, et rursus gratam copulam, ut per hanc resurgat in *excellentiam perditam*.

Divisio principalis.

— Primo ergo notatur desiderium *apparentiae manifestae*, cum dicit: *Quis mihi det te fratrem meum;* secundo desiderium *familiaris praesentiae*, cum dicit: *ut inveniam te foris;* tertio *copulae gratae*, cum subdit *et deosculer te;* quarto *excellentiae perditae*, cum subiungit: *et iam me nemo despiciat.*

Petit igitur haec anima devota Filii Dei *manifestam apparentiam*, quia non tantum petit, sibi dari in *mente*, sicut illa anima devota, Sapientiae nono [5]: *Da mihi*, Domine, *sedium tuarum assistricem sapientiam* etc.; sed petebat, dari in *carne: Quis mihi det te fratrem meum.* Nec petebat, dari in carne *latenter*, sicut in Virginis utero, sed *apparenter*, sicut in gremio vel in praesepio; unde addit: *sugentem ubera matris meae*, quasi dicat: non tantum peto, te mihi dari ut Deum in anima, nec tantum ut fratrem in utero, sed manifeste dari ut parvulum in gremio; et hoc est in nativitate completum, sicut cantat Ecclesia [6], et Isaias praedixit: *Parvulus natus est nobis, et filius datus est* etc. Hunc parvulum non tantum petit sibi *nasci*, sed etiam sibi *dari*, quia nativitas Christi donatio quaedam fuit, quia nobis *natus* est et *donatus*.

Subdivisio.

In hac autem donatione tria admiranda occurrunt: primum est *petentis importunitas;* secundum est *dantis largitas;* tertium est *dati utilitas.*

Pars I. Notandum

I. Vere admirabile est, quomodo anima ausa est a Deo tantum donum *petere*, ut Filius Dei fieret homo; et superadmirandum, quomodo ausa est tam *importune petere*, ut nolit amplius differri, sed statim dari. Non enim petebat: quis *dabit*, sed *quis det.* Sed considerantibus rationes moventes hanc animam non videtur mirabile, sed delectabile. — Importune [7] petebat primo, quia *promittentis veritas excitabat;* non enim fuisset anima ausa petere, nisi Deus prius dignatus esset promittere et non tantum promittere, sed etiam iuramento firmare, secundum quod dicitur Lucae primo [8]: *Iusiurandum, quod iuravit ad Abraham, patrem nostrum, daturum se nobis;* daturum, inquam, Christum, iuravit; Genesis vigesimo secundo [9]: *Per memetipsum iuravi, dicit Dominus; benedicam tibi et multiplicabo semen tuum* etc., *et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae.* Hoc *semen*, dicit Apostolus ad Galatas [10], esse Christum. Ex hac igitur promissione accepta fiducia, ausae sunt animae Deum suum alloqui et petere instanter: *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam* [11]. Tu, Domine, *promisisti* verbo,

Importunitatis ratio I

---

[1] Hunc sermonem habent tres codices bibliothecae regiae Monacensis; scilicet n. 7776. fol. 221 col. B. (sign. W). Porro, n. 15744 (C. 106. Bas.) fol. 73 v. (Y), qui cum primo fere semper convenit, exceptis locis Scripturae non integre scriptis, in eodem hic sermo inscribitur *Sermo fratris Bonaventure de Nativitate Domini*, dum duo alii eundem tribuunt *Vigiliae Nativitatis*. Denique n. 16029. fol. 2 v. col. 1. (X), qui hinc inde sententias contrahit, sed etiam aliqua addit. — In Vat. pro hac Vigilia sermo S. Bonaventurae non invenitur. Quatuor sermones ibi impressi restituendi sunt Fr. Conrado a Saxonia.

[2] Vers. 1.

[3] Psalm. 8, 7; sequitur Gen. 1, 26.

[4] August., VIII. de Trin. c. 10. n. 14.

[5] Vers. 4.

[6] Passim in Officio et Missa de Nativitate; sequitur Isai. 9, 6.

[7] Cod. X hic et infra addit *non*.

[8] Vers. 73.

[9] Vers. 16-18.

[10] Cap. 3, 16: *et semini tuo, qui est Christus.*

[11] Psalm. 84, 8; sequitur Luc. 1, 21.

sed nunc *ostende* facto, *et salutare tuum da nobis*, id est Christum; *ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.*

Importune etiam petebat, quia *petentis necessitas perurgebat.* Erant enim insti in tribulatione maxima constituti, et ideo oportebat *clamare ad Dominum a facie tribulantis*[1]: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Et quia *gratia Dei per Iesum Christum*, ausi sunt ipsum postulare et dicere: *da nobis*, Domine, *auxilium de tribulatione*[2]; *auxilium*, inquam, tuum, *brachium* tuum[3], *Filium* tuum, non hominem purum, quia *vana salus hominis; vana*, quia momentanea; sed Iesus, Dei Filius, *salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum.*

Ratio 2.

Importune etiam petebat, quia *temporis diuturnitas cruciabat.* Promiserat enim Dominus, *se daturum*, a diebus antiquis, et iam Sanctorum animae erant in exspectando lassatae, et ideo opportune et importune instabant, dicentes illud Ecclesiastici trigesimo sexto[4]: *Da mercedem*, Domine, *sustinentibus te, ut Prophetae tui fideles inveniantur*, quasi dicat: promisisti dare nobis Christum, sed tamdiu exspectavimus, quod ipsa exspectatione comparavimus[5]. *Da*, inquam, *mercedem*, da, inquam, cito, *ut Prophetae tui fideles inveniantur*, Isaias scilicet, per quem dixisti[6]: *Prope feci iustitiam meam, non elongabitur* etc., *dabo in Sion salutem et in Israel gloriam meam;* et Aggaei secundo: *Adhuc unum modicum est, et ego commovebo caelum et terram* etc. Et post: *Et in loco isto dabo pacem*, id est Christum, qui *est pax nostra* et *fecit utraque unum*[7]. Si ergo amplius differs, non iam *fideles Prophetae*, sed profecto mendaces *inveniantur*. O beatum huius sanctae animae desiderium! o imitandum sanctitatis exemplum[8]! Quam misera, quam indevota est anima! in qua non renovatur haec affectio, cum instat Nativitas Salvatoris; quae non sentit, se moveri et hilarescere, debet se mortuam reputare.

Ratio 3.

Admiror etiam *dantis largitatem*, quia petenti animae non dedit pecuniam, sed personam, non dedit servum, sed Filium, cum quo dedit omne quod *fuit*, omne quod *habuit*, omne quod *potuit*. Primo dedit Filium[9], inquam, *naturalem*, ad quem dicit[10]: *Ex utero ante luciferum genui te.* Et quia una natura Patris et Filii, ideo dando ipsum dedit omne quod *fuit;* ad Galatas quarto[11]: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Dedit ergo Filium suum in fratrem, dedit etiam se ipsum in patrem; unde addit: *ut adoptionem filiorum reciperemus;* et ex hoc dedit Spiritum sanctum in consolatorem. Unde subiungit: *Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem: Abba, Pater.* Dando ergo Filium naturalem, totam dedit Trinitatem; et ideo omne quod *fuit.* Unde nos *ditavit*, secundum illud Iacobi primo[12]: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* etc. Nos etiam *deificavit*, secundum illud Ioannis primo[13]: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.*

Admiranda dantis largitas. — Dedit Filium naturalem.

Dedit etiam Filium *aequalem*, secundum quod ipse Filius Dei dicit[14] Patri: *Mea omnia tua sunt, et tua mea sunt;* et etiam dicit nobis: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo;* et ideo dedit nobis omne quod *habuit*, secundum illud ad Romanos octavo[15]: *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Immo vere *omnia*, quia qui habet aliquem habet omnia, quae sunt eius. Si ergo *Pater diligit Filium et omnia dedit in manu eius*[16], nihil sibi reservans; cum dat nobis Filium, omnia quae habuit nobis dedit in illo et in hoc mirabiliter nos ditavit, secundum illud Tobiae duodecimo[17]: *Bonis omnibus per eum repleti sumus.*

Item, aequalem.

Dedit etiam Filium *singularem*, secundum quod ipse de eo dicit, Matthaei tertio[18]: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* etc. *Hic* discretive tenetur, et ideo dando nobis eundem dedit omne quod *potuit*, quia Unigenitus erat, et alium Filium non poterat generare; Ioannis tertio[19]: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Mirabile donum, quod dat Unigenitum pro servo! Immo *nimium* videtur et est. Sed non est mirum, si fuit excessus in dando, cum excessus fuerit in amando; *sic enim dilexit, ut daret;* et quia nimium dilexit, ideo nimium dedit; ad Ephesios secundo[20]: *Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos; et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo* etc. — Mira igitur largitas dantis, quia dedit omne, quod *fuit*, omne, quod *habuit*, et omne, quod *potuit. Quid* igitur *retribuemus Domino pro omnibus, quae retribuit* nobis[21]? Quale servitium, cum *bonorum nostrorum non egeat?*

Item, singulare. — Retribuendum Domino.

---

[1] Isai. 19, 20; sequitur Rom. 7, 24. seq.
[2] Psalm. 59, 13.
[3] Respicitur Ps. 76, 16: *Redemisti in brachio tuo populum tuum;* sequuntur Ps. 59, 13. et Hebr. 7, 25.
[4] Vers. 18.
[5] Cod. X legit: *Sed exspectavimus, quod iam deficimus;* qui locus ab Y omittitur.
[6] Cap. 46, 13; sequitur Agg. 2, 7. 10.
[7] Eph. 2, 14. — Cod. X post *et fecit* adiungit: *pacem inter hominem et hominem, inter hominem et Angelum, inter hominem et Deum.*
[8] Cod. X quaedam non magni momenti addit.
[9] Verba *cum quo dedit* etc. sumta sunt ex X.
[10] Psalm. 109, 3.
[11] Vers. 4; et deinde v. 5. et 6.
[12] Vers. 17.
[13] Vers. 12.
[14] Ioan. 17, 10; sequitur Luc. 10, 22.
[15] Vers. 32.
[16] Ioan. 3, 35.
[17] Vers. 3.
[18] Vers. 17.
[19] Vers. 16.
[20] Vers. 4. seq.
[21] Psalm. 115, 3; sequitur Ps. 15, 2.

Retribuamus igitur sibi saltem amoris donum. Sicut enim dicit Hugo [1]: « Quod ex amore datum est nullo modo potest melius quam amando rependi ».

Admiror etiam tertio *dati utilitatem*. Vere hoc est *datum optimum*, et hoc est *donum perfectum*, quod *descendit a Patre luminum* [2], quod omnem nostram relevet necessitatem et multiplicem indigentiam, ad quam tollendam *parvulus natus est nobis, et Filius datus est*. Anima enim merito primae praevaricationis *infirmata* est amissione *potentiae*, secundum quod dicitur in Psalmo [3]: *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum. Excaecata* etiam fuit amissione *sapientiae*, propter quod in Psalmo [4] plangit: *Dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum. Captiva* etiam fuit amissione *iustitiae*, quia, Domino relinquente, diabolus eam invasit; Threnorum primo [5]: *Propter multitudinem iniquitatum eius, parvuli eius ducti sunt in captivitatem ante faciem tribulantis.*

Admiranda dati utilitas.

Anima est infirmata.

Excaecata.

Captivata.

Animae igitur *infirmatae* datus est Parvulus noster in *virtutem*; Isaiae quadragesimo [6]: *Dat lasso virtutem, et his qui non sunt, fortitudinem et robur multiplicat. Lassus* iste est genus humanum infirmatum et debilitatum; *virtus* ei *datur*, quando Virtus Dei et Sapientia incarnatur. — Sed nunquid non erat fortitudo nostra, etiamsi non incarnaretur? Erat utique, sed *nobis improportionabilis* omnino, et ideo congruum fuit, fortitudinem infirmari, et Deum fortissimum fieri infantulum. Ante enim erat cibus solidus Angelorum, sed *sugens Matris ubera* panis effectus est parvulorum et sustentaculum infirmorum. Unde datus est in sustentamentum; unde Ioannis sexto [7]: *Pater meus dat vobis panem de caelo verum.* Vere iste *panis* confirmat; unde: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum.* Hunc panem fortificantem semper debemus desiderare, secundum quod Iudaei dixerunt: *Domine, semper da nobis panem hunc.* Maxime tamen debent desiderare Religiosi et sacerdotes, qui tota die petunt: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* [8]; et mane et sero et nocte et die petimus, quia semper esurire debemus, secundum illud Ecclesiastici vigesimo quarto [9]: *Qui edunt me adhuc esurient* etc. — Sed quia pauci esuriunt, ideo pauci delectantur, et ideo pauci fortificantur. *Ideo inter* Religiosos *multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi* [10]. Magna prorsus miseria non appetere hunc *panem* continentem *in se omne delectamentum et omnis saporis suavitatem* [11].

Infirmata recipit virtutem.

Obiectio solvitur.

Colpa bonum.

Animae *excaecatae* datus est in *lucem*, secundum illud Isaiae quadragesimo nono [12]: *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae.* Ideo dicit *gentium*, quia gentes caecatae erant et ignorabant Deum. Unde et ipse dicebat, Ioannis duodecimo [13]: *Ego lux in mundum veni.* — Sed nunquid non ante incarnationem *erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum?* Erat utique, sed *inaccessibilis* propter sui incomprehensibilitatem. Et ideo necesse fuit, carne obumbrari, ut homines possent videre et imitari. Unde ipse Dominus, ut alii possent eum imitari, super omnia exemplum humilitatis et vilitatis dedit. Unde Matthaei undecimo [14]: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Hoc exemplum etiam reliquit ante mortem omnibus, cum lavit pedes discipulorum suorum, cum dixit: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis* [15]; et certe in hoc maxime Religiosis, qui sunt servi Christi et discipuli Christi; et sicut ipse Dominus dicit: *Vocatis me Magister et Domine, et bene dicitis, sum etenim*; vos servos meos et discipulos. Si ergo *non est discipulus super magistrum* [16], *vos debetis alter alterius lavare pedes*, id est humiliari sub pedibus. — Sed timendum, ne inter Religiosos inveniantur qui magis velint lavari quam lavare, ministrari quam ministrare, dominari quam servire, imperare quam obedire; tales non sunt Christi servi, sed domini; non sunt discipuli Christi, sed magistri. Unde Bernardus [17]: « Quoties hominibus praeesse desidero, toties Deum meum praeire contendo ».

Excaecata recipit lucem.

Obiectio solvitur.

Colpa bonum.

Animae vero *captivatae* datus est in *salutem*, ut scilicet, reconciliando animam Deo, liberaret a potestate diaboli. Unde Isaiae quadragesimo nono [18]: *Dedi te in foedus populi, ut suscitares terram, et possideres hereditates dissipatas*, reconciliando animam Deo, et revocando in possessionem Dei, *ut diceres his, qui vincti sunt: Exite*, liberando de carcere diaboli. — Sed nunquid non poterat nos Dei Filius reconciliare Patri, etiam si carnem non assumeret? Non limito potentiam Dei, sed addo *congruentiam*. Qui enim debet duos reconciliare debet manum suam ponere in ambobus [19] et mediator esse et cum utroque convenire; et ideo nec purus Deus nec purus homo [20], sed Deus et homo; et sic mediator de necessitate ligans extremos, quia, ex quo

Captiva recipit salutem.

Obiectio solvitur.

[1] De Arrha animae (ed. Migne, Patrol. lat. tom. 176 col. 961).
[2] Iac. 1, 17; sequitur Isai. 9, 6.
[3] Psalm. 6, 3.
[4] Psalm. 37, 11.
[5] Vers. 5.
[6] Vers. 29.
[7] Vers. 32; sequitur v. 52. et 34.
[8] Luc. 11, 3.
[9] Vers. 29.
[10] Epist. I. Cor. 11, 30.
[11] Sap. 16, 20.
[12] Vers. 6.
[13] Vers. 46; sequitur c. 1, 9.
[14] Vers. 29.
[15] Ioan. 13, 15; sequitur v. 13.
[16] Luc. 6, 40; sequitur Ioan. 13, 14.
[17] Homil. 1. super *Missus est*, n. 8. — Deinde cod. X magnum subiungit additamentum de luce naturali, spirituali et aeternali, quod nec ad rem pertinet nec bene expositum est.
[18] Vers. 8. seq.
[19] Cfr. Bonav., IV. Sent. dist. 17. p. II. a. 1. q. 2. in corp. et III. dist. 19. a. 2. q. 2. in corp.
[20] Cod. X addit *nec purus Angelus*.

Deus erat homo, aut necesse erat, quod Deus amaret hominem, aut quod Deus odiret Deum [1]. Et iste fidelissimus mediator, ut posset pacem perfectam facere, primo dedit se totum homini in nativitate, et postmodum obtulit et dedit se totum Deo pro homine in passione; ad Titum secundo [2]: *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate* etc. Unde Apostolus: Vere *empti estis pretio magno* et liberati de laqueis diaboli. — Sed cavendum *omnibus*, ut non revertantur ad dominium Pharaonis, quia *voluntarie peccantibus nobis post receptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia* [3]. Cavendum *Religiosis*, non solum, ut retrocedant ad peccatum, sed etiam, ne retro aspiciant ad mundum, ne cum uxore Loth in statuam salis vertantur [4].

Monitio.

Pars II. De desiderio praesentiae tris. Subdivisio.

II. Post appetitum apparentiae sive donationis sequitur appetitus *praesentiae* sive inventionis Christi, cum subdit: *Ut inveniam te foris*. In hac inventione tria consideranda occurrunt: primo, quis inventionis *locus;* secundo, quis inventionis *modus;* tertio, quis de inventione *fructus*. *Locus*, in quo Christus invenitur spiritualiter, datur nobis intelligi per locum, in quo inventus est corporaliter. Invenitus namque est in *stabulo*, in *domo* et in *templo*. Per haec tria signatur status Religionis, quia *stabulum* est locus abiectionis, *domus* requietionis et *templum* orationis.

De triplici loco inventionis.

Primus fuit stabulum.

Invenitur itaque in loco *abiectionis*, utpote in *stabulo*, ubi consueverunt bestiae morari; Lucae secundo [5]: *Hoc vobis signum: Invenietis infantem pannis involutum et positum in praesepio* etc. — *Invenietis infantem* vili loco contentum, *pannis involutum*, paupere vestimento coopertum, *et positum in praesepio*, in vili loco et duro lecto. *Stabulum* illud recte Religio est propter vilitatem; ad hoc enim inventa est Religio, ut homo faciat ibi sibi arctam vitam et poenitentiam, et poenitentia fit *in cinere et cilicio* [6], hoc est in *vilitate* et *asperitate*. Quodsi *vilitas* in Religione deficit, iam non est stabulum, sed palatium; si *asperitas*, non est praesepium, sed lectus; et tunc ibi non invenitur Christus; Cantìcorum tertio [7]: *In lectulo meo per noctes quaesivi quem diligit anima mea, quaesivi illum et non inveni*. Credo, quod lectus ille nec vilis nec durus est, et ideo non invenitur ibi Christus; Iob vigesimo octavo [8]: *Non invenitur in terra suaviter viventium*.

Hoc figurat Religio propter vilitatem et asperitatem.

Hortatio.

— Timendum, carissimi, ne multi expellant Christum. Illi expellunt, qui in saeculo viles, in Religione volunt esse honorabiles; qui in saeculo mendici, in Religione volunt esse delicati, sicut dicit Bernardus [9].

Secundus vero domus.

Invenitur etiam in loco *requietionis*, utpote in *domo*. *In pace* enim *factus est locus eius* [10]. Matthaei secundo: *Intrantes domum invenerunt puerum cum Maria Matre eius* etc.; ubi scilicet cum Matre quietus stabat, non circumvallatus multitudine assistentium. *Domus* ista est Religio, ubi quies est propter *habitantium concordiam;* Psalmus [11]: *Deus, qui inhabitare facit unius moris in domo;* alia translatio [12]: *unanimes;* quia non tantum debet esse externis conformitas morum, sed etiam intus concordia animorum, ut, sicut concordat habitus corporis, ita et affectus mentis; ad Philippenses secundo [13]: *Implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem caritatem habentes, unanimes, idipsum sentientes* etc. Tunc vere illud *gaudium impletur*, quia *ecce, quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum*. — Item, ibi *Dominus reperitur*, quia *haec requies* eius *in saeculum saeculi, hic habitabit, quoniam elegit eam*. — Sed tamen cavendum, ne *domus* fiat monumentum, quia ibi non invenitur. Lucae ultimo [14] dicitur, quod mulieres *ingressae* in monumentum *non invenerunt corpus Domini Iesu. Monumentum* est locus requietionis carnis tantum, spiritu recedente. Tunc igitur domus Religionis convertitur in *monumentum*, quando ibi non quaeritur requies conscientiae, sed requies carnis; et tunc non invenitur Iesus, quia, sicut caro in monumento requiem non habet, sed putrescit, sic ipsa requies carnis facit hominem foetidum et abominabilem Deo. *Mulieres* igitur, quae ingrediuntur in monumentum et Christum non inveniunt, sunt illae animae molles et fragiles, quae ideo intrant Religionem, ut ibi habeant quietem carnis et consolationem, ut multi. Non sic debet esse, sed in continuo labore et dolore carnis est permanendum, ut spiritus sit quietus, ut dicitur: *Labores manuum tuarum quia manducabis* [15].

Domus est Religio.

Invenitur etiam in loco.

Cavendum.

Tertius est templum.

Templum est Religio.

Invenitur etiam *orationis*, utpote in *templo;* Lucae secundo [16]: *Factum est, post triduum invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum. Templum* illud, ad quod divertit Dominus Iesus solus sine patre et Matre et consanguineis, quia non est inventus *inter cognatos et notos*, est Religio, in quam homo ingreditur, ut oret et offerat se Deo hostiam immaculatam, relictis parentibus et amicis. In hoc ergo loco invenitur Dominus Iesus, quia ipse *tales quaerit, qui adorent eum in spiritu et*

---

[1] Cod. Y legit *rectum erat, quod Deus amaret hominem, et homo diligeret Deum*.

[2] Vers. 14; sequitur I. Cor. 6, 20.

[3] Hebr. 10, 26.

[4] Cod. X addit *id est, ne steriles efficiantur gratia Dei.* — Respicitur Gen. 19, 26.

[5] Vers. 12. Postea W addit *Praesepium in stabulo collocatum in hoc vili invenitur et in vili habitu. Unde* etc.

[6] Cfr. Matth. 11, 21. et Luc. 10, 13.

[7] Vers. 1.

[8] Vers. 13.

[9] Cfr. Homil. 4. super *Missus est*, n. 10.

[10] Psalm. 75, 3; sequitur Matth. 2, 11.

[11] Psalm. 67, 7.

[12] Sic apud August., Enarrat. in Ps. 67, 7.

[13] Vers. 2; sequitur Ps. 132, 1. et 131, 14.

[14] Vers. 3.

[15] Psalm. 127, 2; hic locus sumtus est ex X.

[16] Vers. 46; sequitur v. 14.

veritate[1]. Unde in Psalmo: *Ecce, audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis silvae. Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco, ubi steterunt pedes eius.* — Sed cavendum, ne *domus Religionis* et orationis fiat *domus negotiationis*, secundum quod Dominus dicit Iudaeis: *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis*[2]. Tunc de templo fit forum, quando in Religione negotiatio praefertur orationi, et negotiatores praeferuntur oratoribus et in honoribus et in dignitatibus; tunc non invenitur ibi Christus, quia non quaeritur sapientia caelestis, sed terrena; Baruch tertio[3]: *Filii Agar exquirunt prudentiam, quae de terra est, negotiatores Merrhae et Theman et fabulatores et exquisitores prudentiae et intelligentiae.*

Cavendum.

Modus inveniendi est per inquisitionem, secundum illud Matthaei septimo[4]: *Petite, et dabitur vobis; quaerite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim, qui quaerit, invenit; et qui petit accipit;* sed quantuncumque homo quaerat, non invenit, nisi *viam* quaerendi sciat et *modum*. Quaerendus est igitur Dominus Iesus primo *pure*, ut sit *simplicitas* in intentione, ut non quaerat simul placere Deo et mundo; Sapientiae primo[5]: *In simplicitate cordis quaerite illum, quoniam invenitur ab his qui non tentant illum;* exemplum de mercatore *quaerente margaritam*. — Sed econtra, qui quaerit dolose non invenit[6]; unde Proverbiorum duodecimo: *Non inveniet fraudulentus* bona, sed potius mala; *quoniam* enim *dolose egit in conspectu eius, ut inveniatur iniquitas eius ad odium*[7]; unde tanto magis recedit a Christo, quanto magis quaerit[8].

De modo inveniendi.

Christus quaerendus primo pure.

Secundo est quaerendus *sollicite*, ut sit *caritas* in affectione, quae reddit hominem ferventem et vigilantem; Proverbiorum octavo[9]: *Qui mane vigilant ad me invenient me;* et Sapientiae sexto: *Qui de luce vigilaverit ad illam non laborabit; assidentem enim illam foribus suis inveniet.* Amor enim et cupiditas est quae vigilare facit; Proverbiorum secundo[10]: *Si quaesieris eam quasi pecuniam, et sicut thesauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini et scientiam Dei invenies* etc.; exemplum de avaro quaerente pecuniam. — Sed sub specie sollicitudinis et caritatis latet aliquando inquietudo curiositatis; et talis non invenit, sed magis recedit a Deo; Ecclesiastae tertio[11]: *Mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus.* Isti sunt *semper discentes et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes.*

Secundo, sollicite.

Tertio quaerendus est *continue*, ut sit *perseverantia* in inquisitione, ut non desistat, donec inveniat, quia Dominus aliquando ad tempus se absentat, ut post se magis gratanter offerat[12]; Canticorum tertio[13]: *Surgam et circuibo civitatem, per vicos et plateas quaeram quem diligit anima mea* etc.; et post: *Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea;* exemplum de *muliere quaerente drachmam*. — Sed econtra, quidam quaerunt derisorie, qui statim desistunt, cum gravamen sentiunt, et hi non inveniunt; Proverbiorum decimo quarto[14]: *Quaerit derisor sapientiam et non invenit.*

Tertio, continue.

Fructus autem huius inventionis est magnus, quia terminat omnino appetitum quaerentis. Ipse enim est *merces magna nimis*[15]. Qui enim laborat inquirendo non quaerit nisi requiescere, et hoc aeternaliter et feliciter; et sic Christus inventus dat nobis *omnem requiem:* requiem *pacis;* Ecclesiastici quinquagesimo primo[16]: *Modicum laboravi, et inveni mihi multam requiem;* et Matthaei undecimo: *Tollite iugum meum super vos* etc., *et invenietis requiem animabus vestris.* — Requiem *aeternitatis;* Proverbiorum octavo[17]: *Qui me invenerit inveniet vitam et hauriet salutem a Domino;* et haec est vita aeternitatis. « Aeternitas est interminabilis vitae possessio »[18]. — Requiem *felicitatis;* Proverbiorum tertio[19]: *Qui tenuerit eam, beatus; eam,* scilicet sapientiam, quae est Christus Dominus, cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

De fructu inventionis.

Sermo II[20].

Item, sermo fratris Bonaventurae editus in Vigilia Nativitatis Domini coram rege Franciae et consiliariis et familia tota, in palatio regali Parisius.

Nascetur vobis parvulus et vocabitur Deus, fortis, Isaiae nono.

Introductio.

Qui vellet aliquid digne dicere vel audire de illo pulcherrimo, gratiosissimo et fragrantissimo flore[21], et de illa nobilissima, florentissima et vernantissima *virga de radice Iesse,* oportet, eum degustare aliquid de illo summe harmonico, summe odorifero et summe delectabili, et hoc per viam *abundantissimae*

---

[1] Ioan. 4, 23; sequitur Ps. 131, 6. seq.
[2] Ioan. 2, 16.
[3] Vers. 23.
[4] Vers. 7. seq.
[5] Vers. 1. seq.; deinde respicitur Matth. 13, 45.
[6] Cod. Y addit: Quia non quaerit vera bona, sed falsa mala. — Sequitur Prov. 12, 27: *Non inveniet fraudulentus lucrum.*
[7] Psalm. 35, 3.
[8] Cod. X addit: *Spiritus sanctus effugiet fictum* (Sap. 1, 5.).
[9] Vers. 17; sequitur Sap. 6, 15.
[10] Vers. 4. seq.
[11] Vers. 11; sequitur II. Tim. 3, 7.
[12] Cod. X addit: Et hoc propter tria: primo, ut homo se non credat habere a natura quod habet a gratia; secundo, ut eam (?) ad maiorem utilitatem, humilitatem inclinet; tertio, ut eius fidelitatem examinet.
[13] Vers. 2. 4; deinde respicitur Luc. 15, 8. seqq.
[14] Vers. 6. Postea X adiungit: Ergo *quaerite Dominum, dum inveniri possit* etc. (Isai. 55, 6.).
[15] Gen. 15, 1.
[16] Vers. 35; sequitur Matth. 11, 29.
[17] Vers. 35.
[18] Boethius, V. de Consol. Philos. prosa 6.
[19] Vers. 18.
[20] Ex A fol. 49 r. — Sequitur Isai. 9, 6. Vulgata legit: *Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis,* et plura addit.
[21] Corrupte codex adiungit: *dum vacaret,* et infra *vel degustare* post *degustare aliquid.*

devotionis, per quam anima fit *sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris et universi pulveris pigmentarii* [1]. — Per viam *excellentissimae admirationis*, per quam anima fit sicut aurea luna et sol [2] secundum processum illuminationum suspendentium animam ad admirandum Sponsum desideratum. — Per viam *superabundantis exsultationis*, per quam anima fit suavissimae dilectionis *deliciis affluens, innixa super dilectum suum* [3]. Quoniam vero ista tria sunt difficilia mihi, immo quod penitus ignoro; ideo rogabimus ipsum pulcherrimum florem de Nazareth, ut interventione Matris suae, Virginis electae *de radice Iesse* etc.

Nascetur vobis parvulus etc. Secundum Hebraicam veritatem sacer et sanctus Isaias duo in his verbis intendit, scilicet Filii Dei in carnem venturi *mirandam humilitatem* et ipsius in carne nati *praecelsam sublimitatem*. Primum, ibi: *Nascetur vobis parvulus;* secundum, ibi: *et vocabitur Deus, fortis.*

Divisio.

Nota ergo, quod natus est Filius Dei mundo et in mundo multiformiter utilis, quia sicut vere *campus florum* universalium ad replendum mundum *puritate* florigera; quarti Esdrae nono [4]: *Profectus sum in campum* florum *et sedi ibi in floribus. — Hortus liliorum* pulcriformium ad replendum mundum *castitate* caelica; Canticorum sexto [5]: *Dilectus meus descendit in hortum suum, ut pascatur in hortis et lilia colligat. — Paradisus deliciarum* omnium ad replendum mundum *amoenitate* sancta; Genesis secundo: *Produxit Dominus Deus de humo omne lignum pulcrum visu et ad vescendum suave, lignum etiam vitae in medio paradisi. — Viridarium pomorum* caelestium ad replendum mundum *satietate* interna; Canticorum quarto [6]: *Emissiones tuae paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. — Pratum aromatum* aeternorum ad replendum mundum *suavitate* aeterna; Canticorum sexto: *Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum. — Fons benedictionum* singularium ad replendum mundum *sanctitate* perfecta; Genesis secundo [7]: *Fons ascendebat e terra, irrigans universum superficiem terrae. — Fluvius plenitudinis* gratiarum ad replendum mundum *felicitate* consummata; Genesis secundo: *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum.*

Septem utilitates mundo allatae.

Sermo III [8].

Summaria intentio Evangelii Vigiliae Nativitatis, quam frater Bonaventura coram rege Francorum explicavit ad petitionem eius, quando Vigilia venit in Dominica.

Cum esset desponsata [9] etc.

In isto Evangelio quatuor continentur, scilicet gloriosae Virginis concipientis intemerata *fecunditas*, quia, *cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens. —* Almae conceptionis ipsius beata *puritas*, quia *quod in ea natum est de Spiritu sancto est*, dixit Angelus. — Ioseph sancti devota *pietas*, quia, *cum esset iustus et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. —* Superbenedictae Prolis conceptae gratiosa et universalis *fructuositas*, quia *ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum.*

Summarium huius Evangelii.

Sermo IV [10].

Item, sermo fratris Bonaventurae editus in Vigilia Nativitatis Domini coram Fratribus apud Assisium, in Capitulo, de mane post Missam.

Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum, Psalmus [11].

---

[1] Cant. 3, 6.

[2] Cfr. Cant. 6, 9: *Pulcra ut luna, electa ut sol.*

[3] Cant. 8, 5; sequitur Isai. 11, 1.

[4] Vers. 26. Vulgata habet: *in campum, qui vocatur Ardath.*

[5] Vers. 1; sequitur Gen. 2, 9.

[6] Vers. 13; sequitur Cant. 6, 1.

[7] Vers. 6; deinde sequitur v. 10.

[8] Ex A fol. 50 r. [9] Matth. 1, 18-21.

[10] Ex A fol. 50 r. Sermo hic et sequens uniuntur in unum sermonem tum in cod. Parisiensi B, tum in quodam codice biblioth. Monacensis Regiae (cod. lat. 25595.), ubi inscribitur *In Virginis nativitate.* Horum uterque cum paucis variantibus sic incipit: « Sub velamine istorum verborum involvitur et mysticatur partus Virginis gloriosae, qui quoniam *crastino* est futurus, ideo eleganter dicere possumus hodie: *Terra nostra dabit fructum suum. Terra* ista Maria est; *fructus* eius Filius eius, Christus Deus; *dare* ipsius parere est. Insistemus igitur circa tria: primo circa *similitudinis congruitatem*, qua Virgo dicitur *terra;* — secundo circa *dationis* qualitatem in hoc, quod dicitur *dabit;* — tertio circa *fructus nobilitatem* sive utilitatem, quod notatur ibi: *fructum suum* ».

Quoad primum sermonem parum probabile nobis videtur, ipsum Bonaventuram duos suos ordinario longos sermones, quorum primus habitus est Assisii, alter vero Lugduni, in unum sermonem contraxisse. Praeterea, ibi adiiciuntur tres divisiones cum expositione, quas Bonaventura non habet in cod. Ambrosiano: « *dedit fructum benedictum* in praedicatione; *speciosum* in conversatione; *virtuosum* in passione; *aromaticum* in oratione ». Alia etiam divisio in cod. Ambrosiano omissa est, scilicet « vel fructum *speciosissimum* ad videndum per fidem; *suavissimum* ad odorandum per spem; *sapidissimum* ad gustandum per caritatem; *sanctificatissimum* ad sustentandum; *pretiosissimum* ad possidendum ». Item, tertia divisio: « vel fructum *benedictum* ingressu nascendo; *speciosum* in progressu conversando; *odoriferum* in egressu moriendo; *virtuosum* in regressu resurgendo ». Haec accumulatio divisionum aliena est a Bonaventura.

Alter vero sermo codicis Monacensis est totus de B. Maria; non exponit nisi primum membrum divisionis, additis multis de B. Maria sententiis, praesertim ex Bernardo sumtis, et etiam quadam nova membrorum divisione praeter eas, quae iam habentur in duobus sermonibus Bonaventurae. Sed cum sermo inscribatur de *Virginis Nativitate* et totus sit de B. Maria, in principio sermonis parum conveniunt verba: « *partus gloriosae Virginis, qui, quoniam crastino est futurus* » etc. — Inter tot alia exempla, quod posteriores praedicatores praecedentium sermones sallem ex parte sibi usurpabant, etiam hoc recensendum esse videtur. — Idem sermones ex parte referuntur etiam in codice membr. saec. XIV. Rothomagensi (cod. A. 584 546/549) et etiam in Tudertino n. 115. f. 33.

[11] Psalm. 84, 13.

Divisio. In verbis istis circa Christi imminentem Nativitatem tria notantur, scilicet maxima *liberalitas Dei* condescendentis, gloriosa *fecunditas Virginis* parientis, opulenta *gratiositas* natae *Prolis*. Primum, ibi: *Dominus dabit benignitatem;* secundum, ibi: *et terra nostra dabit;* tertium, ibi: *fructum suum.*

Membrum 2. Terrae [1] proprietates. Notandum igitur, quod beatam Virginem appellavit *terram*, quae quidem est *media libratione;* est enim librata et appensa inter orbes elementares et caelestes illius sapientia et potentia et bonitate, qui *appendit* eam *tribus digitis*, Isaiae quadragesimo [1]. — *Infima locatione;* in omni enim sphaerico quod est centro propinquius est infimius, et quod a centro remotius est altius; Proverbiorum vigesimo quinto [2]: *Caelum sursum et terra deorsum. — Firma stabilitione;* non enim movetur a centro nec ad centrum nec contra centrum, cum sit centrum, immo, cum omnia moveantur, ipsa *in aeternum stat*, Ecclesiastae primo. — *Arida conditione;* hoc enim inest ei per natnram suam; Genesis primo: *Vocavit Deus aridam terram.*

Applicantur ad Virg. Mariam. Secundum ergo has quatnor proprietates terrae beata Mater Christi fuit *terra*, quia fuit *media libratione* per institiam et aequitatem, nunqnam recedens a medio decore virtutis in affectione, a medio veritatis in locutione et a medio honestatis in conversatione; et hoc est *appendi tribus digitis molem terrae*, Isaiae quadragesimo [3]. Nam digito potentiae appendit eam Deus in medio virtutis, digito sapientiae in medio veritatis, digito sanctimoniae in medio honestatis. Non igitur sine causa Deus, qui « est *sphaera intelligibilis* [4] », se centrificavit in medio eius; Psalmus [5]: *Deus autem Rex noster ante saecula operatus est salutem in medio terrae. — Infima locatione* per clementiam et humilitatem. Hac enim virtute ita se infimavit, ut nec virginitate insolesceret nec fecunditate superbiret nec utroque simul iuncto se extolleret. Et ideo secundum illud Ecclesiastici decimo sexto [6]: *Deus in terram respexit et implevit illam bonis suis;* Lucae primo: *Respexit humilitatem ancillae suae. — Firma stabilitione* per fortitudinem et constantiam. Hac enim virtute nullius cedebat tentationi, nulli unquam succubuit tribulationi; Psalmus [7]: *Qui fundasti terram super stabilitatem suam; non inclinabitur in saeculum saeculi. — Arida conditione* per virtutem abstinentiae et paupertatis et continentiae. His enim donis sicca fuit et arida ab omni humore carnalitatis et favore mundanae proprietatis; Genesis primo: *Terra autem erat inanis et vacua;* et ideo dixit Deus de ea: *Germinet terra herbam virentem.*

Membri 3. 4. Et non mirum, si talis terra *dedit fructum suum.* Dedit autem beata Maria fructum pariendo mundo Filium fructuosum. Fuit enim fructus iste *benedictus* in ingressu nascendo; Lucae primo [8]: *Benedictus fructus ventris tui. — Speciosus* in progressu conversando; Deuteronomii trigesimo tertio: *De benedictione Domini terra eius, de pomis caeli et rore atque abysso subiacente, de pomis fructuum solis ac lunae. — Odoriferus* in egressu moriendo; Ezechielis quadragesimo septimo: *Erunt fructus eius in cibum et folia eius ad medicinam. — Virtuosus* in regressu resurgendo et ascendendo et Spiritum sanctum mittendo; Apocalypsis ultimo: *Ex utraque parte fluminis lignum vitae, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum.*

Sermo V [9].

Item, sermo fratris Bonaventurae editus Lugduni in Capitulo coram Fratribus de mane, in Vigilia Nativitatis.

Terra nostra dabit fructum suum, Psalmus [10].

Maria comparata Christo quadrupliciter. *Terra nostra* Virgo Maria est, *fructus* suus Christus natus est, *dare* ipsius parere est. — Fuit autem beata Maria terra divina manu *culta* et a malis radicibus expurgata per exterminium fomitis et concupiscentiae; Exodi tertio: *Locus, in quo stas, terra sancta est*, fuit dictum Moysi, quando vidit rubum. — *Soli opposita*, cum calore vivifico incaluit per incendium Spiritus sancti amoris et benevolentiae; Ecclesiastici quadragesimo tertio [11]: *In meridiano exurit terram, et in conspectu ardoris eius quis poterit sustinere? — Computa*, humectata et irrorata per influxum sempiterni interius gaudii et laetitiae; Psalmus: *Visitasti terram et inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam.* — Debito et digno semine *sata* per illapsum divinae Sapientiae sive Filii Dei personae; Genesis vigesimo sexto: *Sevit Isaac in terra illa et invenit in ipso anno centuplum.*

Fructus eximius quadrupliciter. *Dedit* autem beata Maria sive protulit nobis *fructum florigerum* in ortu suae nativitatis propter medicinam omnimodam; Proverbiorum tertio [12]: *Primi et purissimi fructus eius. — Gratiosum* in aspectu suae conversationis propter innocentiam perfectam; Ecclesiastici vigesimo quarto: *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, et flores mei fructus honoris et honestatis. — Pretiosum* in gustu suae praedicationis propter gratiam veram; Canticorum secundo: *Sub umbra illius quem desideraveram, sedi, et fructus eius dulcis gutturi meo.*

---

[1] Vers. 12: *Quis appendit tribus digitis molem terrae?*
[2] Vers. 3; sequitur Eccle. 1, 4. et Gen. 1, 10.
[3] Vers. 12.
[4] Alanus ab Insulis, Theolog. Regul. regul. 7.
[5] Psalm. 73, 12.
[6] Vers. 30; sequitur Luc. 1, 48.
[7] Psalm. 103, 5; sequitur Gen. 1, 2. 11.
[8] Vers. 42; sequitur Deut. 33, 13. seq., Ezech. 47, 12. et Apoc. 22, 2.
[9] Ex A fol. 51 r.
[10] Psalm. 84, 13; sequitur Exod. 3, 5.
[11] Vers. 3; sequitur Ps. 64, 10. et Gen. 26, 12.
[12] Vers. 14; sequitur Eccli. 24. 23, Cant. 2, 3. et 7, 8.

— *Opulentum* in actu suae passionis propter efficaciam aeternam; Canticorum septimo: *Dixi: ascendam in palmam et apprehendam fructus eius.*

Sermo VI [1].

Item, sermo fratris Bonaventurae editus in Vigilia Nativitatis coram canonicis Lugduni et aliis multis in choro ecclesiae cathedralis.

Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiae, et sanitas in pennis eius, Malachiae quarto [2].

Vespera diei praesentis cum nocte imminenti magnam indicit reverentiam Angelis et hominibus, quia plenius referta, pressius fecunda mysteriis caelestibus. Mysteria vero sunt haec: intemeratae Virginis benedicta fecunditas, superbenedictae Prolis sublimis simul et singularis humilitas, beati Ioseph officiosa sedulitas, pastorum simplicium devota credulitas, angelicorum spirituum nova iucunditas, totius humani generis inchoata felicitas, christianae religionis initiata claritas. Ad quae omnia oculum habens Malachias Propheta, aeterni radii nec perfusus, inquit quod praemisi: *Orietur vobis* etc. In quibus
Divisio. verbis duo nota, scilicet Filii Dei dignativam per carnem *nativitatem*, ibi: *Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiae;* ipsius nativitatis vivam et expressam *utilitatem*, ibi: *et sanitas in pennis eius.*

Para 1. quadruplex similitudo.

I. Quantum ad primum nota, quod *timentibus nomen* suum ortus est in carne Dei Filius sicut *sol* in firmamento intelligentiae ad universalem irradiationem et inflammationem cogitantium; primi Regum undecimo [3]: *Cras erit vobis salus, cum incaluerit sol.* — Sicut *fons* in paradiso conscientiae ad universalem mundificationem et irrigationem affectuum; Genesis secundo: *Fons ascendebat e terra, irrigans universum superficiem terrae.* — Sicut *flos* in rosario Ecclesiae ad universalem recreationem et confortationem spirituum; Canticorum secundo: *Ego flos campi et lilium convallium;* Ecclesiastici quinquagesimo: *Quasi flos rosarum in diebus vernis.* — Sicut *speculum* in universo mundialis machinae ad universalem emendationem et correctionem defectuum; Sapientiae septimo: *Candor est enim lucis aeternae et speculum sine macula Dei maiestatis et imago bonitatis illius.*

ars II. Peculiarum praerogativae.

II. Habuit autem Christus natus *pennas*, in quibus consistit *sanitas* animarum et quibus volavit et volare voluit suos ad astra, scilicet pennas *puritatis* sanctimoniae, *humilitatis* vitae, *veritatis* doctrinae, *caritatis* fraternae, *pietatis* animae, *paupertatis* extremae, *sanctitatis* praeclarae. De quibus pennis dicitur in Psalmo [4]: *Quis dabit mihi pennas sicut columbae*, id est, sicut habuit Christus, vera columba. De quibus dicitur: *Pennae columbae deargentatae, et posteriora dorsi eius in pallore auri*, quia omnia, quae fecit constitutus in carne, fulgent auro aeternae sapientiae; Isaiae quadragesimo: *Assument pennas sicut aquilae*, id est ad exemplum Christi, qui sic ad caelos volavit; *current et non laborabunt.*

Sermo VII [5].

Item, sermo fratris Bonaventurae editus in Vigilia Nativitatis Domini coram Conventu Monachorum sancti Dionysii, de mane.

Veritas de terra orta est, Psalmus [6].

Dominus Iesus, qui dignatus est nasci et appa- Introductio.
rere inter homines sicut gemma et pretiosissima margarita, de qua Matthaei decimo tertio [7], ad universalem candorem animarum, ad universalem fulgorem intelligentiarum, ad universalem confortationem debilium, ad universalem recreationem et exhilarationem fidelium, ipse sua bonitate aeterna, sua pietate, sua liberalitate det mihi etc.

Veritas de terra orta est. Ecce, impleta est prophetia Isaiae [8] orantis et praedicantis, quod *de terra germinaretur Salvator*, et *de caelo roraretur* iustus aliorum iustificator, quia *veritas de terra orta est.* Ortus est autem de Virgine Matre tanquam de terra de caelo fecundata et benedicta ipse Dei Filius sicut *fons* in horto ad abluendum quadrupli- Quadruplex similitudo.
cem immunditiam nostram, scilicet sensuum, consensuum, affectuum et cogitationum; Canticorum quarto: *Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quae fluunt impetu de Libano.* — Sicut *flos* in campis ad fragrandum per septiformem gratiam; Isaiae undecimo [9]: *Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet, et requiescet super eum spiritus Domini: spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini.* — Sicut *fructus* in agro ad reficiendum per multiformem efficaciam; Apocalypsis ultimo: *Lignum vitae afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum et folia ligni ad sanitatem gentium.* — Sicut *sol* in caelo ad influendum universalem sapientiam vel prudentiam; Malachiae ultimo: *Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiae;* Isaiae trigesimo octavo: *Regressus est sol decem lineis per gradus, quos descenderat.*

---

[1] Ex A fol. 51 v.
[2] Vers. 2.
[3] Vers. 9; sequitur Gen. 2, 6; Cant. 2, 1; Eccli. 50, 8. et Sap. 7, 26.
[4] Psalm. 54, 7. et 67, 14. et deinde Isai. 40, 31.
[5] Ex A fol. 52 r.
[6] Psalm. 84, 12.
[7] Vers. 46.
[8] Cap. 45, 8; sequitur Cant. 4, 15.
[9] Vers. 1-3. Deinde sequuntur Apoc. 22, 2; Malach. 4, 2. et Isai. 38, 8.

Sermo VIII [1].

Item, sermo fratris Bonaventurae editus coram canonicis Parisius in ecclesia maiori.

Egredimini et videte, filiae Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius et in die laetitiae cordis eius, Canticorum tertio [2].

Sapiens, Spiritu sancto praeventus, hortatur his verbis omnem animam ad Nativitatem Christi devotissime celebrandam et diligentissime ruminandam et speculandam. Proponit autem de ista sacra solemni-
Divisio in 5 membra. tate primo, *quomodo* debeat celebrari, quia *devote* et *pure* et *sincere*, cum dicit: *Egredimini.* Iste autem egressus non est nisi quaedam praeparatio digna devotae mentis. — Secundo, *a quibus* debeat celebrari, quia a clericis, Religiosis et veris Christianis, cum dicit: *filiae Sion*, quae intelligitur *specula* vel *speculatio.* — Tertio, *de quo* debeat celebrari, quia de Filio Regis aeterni, cum dicit: *et videte regem Salomonem*, pacificum et amabilem, Christum. — Quarto, *pro qua re* debeat celebrari, quia pro Nativitate Salvatoris, cum dicit: *in diademate, quo coronavit illum mater sua,* per carnem, *in die desponsationis illius* etc., unionis divinae naturae et humanae, unionis cum Ecclesia, *et in die laetitiae cordis eius,* id est utilitatis assumtionis et unionis illius et gaudii ex hoc sempiterni beatae Mariae et universalis in hoc desponsatae Ecclesiae.

I. Circa primum nota, quod si volumus celePars I. brare *devote* et *pure* et *sincere* Christi Nativitatem, debemus *egredi* de *captivitate peccatorum* ad libertatem virtutum gratiae et desertionem mundialium; Genesis duodecimo [3]: *Egredere de terra tua et de cognatione tua et de domo patris tui* etc. — De *opacitate intellectuum* ad claritatem luminum sapientiae per meditationem caelestium; Genesis vigesimo quarto: *Egressus fuerat ad meditandum in agro* etc. — De *tempestate occupationum* exteriorum ad incunditatem aeternorum per tranquillitatem interiorum; Canticorum septimo: *Egrediamur in agrum, commoremur in villis, mane surgamus ad vineas, videamus, si floruit vinea.*

II. Circa secundum nota, quod clerici et ReliPars II. giosi et veri fideles, digne volentes Christi Nativitatem colere, debent esse *filiae Sion* per *decorem* integritatis sensuum; Canticorum secundo [4]: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* — Per *gratiositatem* promptitudinis mysteriorum; Psalmus: *Audi, filia, et vide et inclina aurem tuam.* — Per *ornatum* multiformitatis virtutum; Psalmus: *Omnis gloria eius filiae regis ab intus in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus.*

III. Circa tertium nota, quod Christus natus Pars III. habuit plus quam Salomon pulcritudinem omnis sapientiae, gratiae et affluentiae. Ideo debemus videre et considerare in eo sicut in vero Salomone, cuius ille figura fuit, plenitudinem superexcellentis *potentiae* et ei humiliari et eum venerari; Apocalypsis decimo nono [5]: *Habet in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium.* — Superspiendentis *sapientiae,* et eum contemplari, speculari et meditari; Ieremiae vigesimo tertio: *Regnabit rex et sapiens erit et faciet iudicium et iustitiam in terra.* — Superaffluentis *pacis* et concordiae, et eum desiderare, degustare et amare; Psalmus: *Deus, iudicium tuum regi da. Orietur in diebus eius iustitia et abundantia pacis.*

Sermo IX [6].

Item, sermo fratris Bonaventurae in Vigilia Nativitatis Domini coram rege Navarriae et uxore et familia tota.

Sanctificamini hodie; *cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia,* Iosue tertio [7].

Sanctus Iosue, successor Moysi, in prophetiis divino inspiratus radio in his verbis hortatur populum Dei ad Christi imminentem Nativitatem devotissime Divisio. *praeveniendam* et attentissime *exspectandam.* Primum facit propter solemnitatis sublimem *dignitatem;* secundum propter mysteriorum sive privilegiorum tantae diei *fecunditatem.* Propter primum dicit: *Sanctificamini* hodie; propter secundum dicit: *Cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia.*

I. Si ergo volumus devote *praevenire* Christi Nativitatem, debemus *sanctificari* hodie per studium *purificationis internae;* secundae ad Timotheum secundo [8]: *Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honoren sanctificatum et utile Domino, ad omne opus bonum paratum.* — Per studium *religionis extrinsecae;* primi Paralipomenon decimo quinto: *Sanctificati sunt ergo sacerdotes et levitae, ut portarent arcam Domini Dei Israel;* Ezechielis trigesimo sexto: *Cum sanctificatus fuero in vobis coram eis, tollam quippe vos de gentibus et congregabo vos de universis terris et adducam vos in terram vestram.* — Per studium *meditationis evangelicae;* primae Ioannis tertio [9]: *Qui habet hanc spem in eo sanctificat se, sicut et ille sanctus est.* — Per studium *devotionis gratiae;* Exodi vigesimo nono: *Mundabis altare et unges illud in sanctificationem.*

---

[1] Ex A fol. 52 v.
[2] Vers. 11.
[3] Vers. 1; sequuntur Gen. 24, 63. et Cant. 7, 11. seq.
[4] Vers. 2. Deinde sequitur Ps. 44, 11. et 14. 15.
[5] Vers. 16; sequuntur Ier. 23, 5. et Ps. 71, 2. et 7. — Pars quarta deest.
[6] Ex A fol. 53 r. De eodem themate habetur sermo in bibl. Nat. Parisiensi, cod. 14595., qui in utroque divisionis membro alia subdivisionis membra usque ad duodecim adiungit, sed minus sapit Bonaventurae spiritum.
[7] Vers. 5.
[8] Vers. 21; sequuntur I. Par. 15, 14. et Ezech. 36, 23. 24.
[9] Epist. I. Ioan. 3, 3. et deinde Exod. 29, 36.

II. *Mirabilia* autem facta inter homines in die
Pars II. nativitatis sunt haec: quia *Rex regum et Dominus dominantium* factus est *servus* et famulus humilis hominum; Ecclesiastici trigesimo sexto [1]: *Innova signa et immuta mirabilia;* Psalmus: *Mirabilis facta est scientia tua ex me.* — Deus gloriosissimus, habitans in fastigio Maiestatis, habitavit in *praesepio vilitatis;* Ieremiae quinto: *Stupor et mirabilia facta sunt in terra.* — Deus, Angelorum desiderium, factus est *pastorum spectaculum;* Psalmus: *Tu es Deus, qui facis mirabilia; notam fecisti in populis virtutem tuam.* — Deus, universorum Creator, factus est *animalium associator;* Tobiae duodecimo: *Vos benedicite Deum et narrate omnia mirabilia eius.* — Deus immensissimus factus est *Agnus mundissimus;* Psalmus [2]: *Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit.* — *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris,* factus est *primogenitus Virginis Matris;* Esther decimo quinto: *Valde mirabilis es, Domine, et facies tua plena est gratiarum.* — Deus copiosissimus inventus est *pauniculis* pauperrimis *involutus;* Ioelis secundo: *Laudabitis nomen Domini Dei vestri, qui fecit mirabilia vobiscum.*

Sermo X [3].

Item, sermo fratris Bonaventurae in Vigilia Nativitatis editus apud sanctam Mariam de Portiuncula, coram Fratribus loci et multis aliis.

Sanctificamini, cras comedetis carnes, Numerorum undecimo [4].

Sacer et sanctus Moyses, radio lucis aeternae illuminatus, hortatur his verbis populum Dei primo ad Christi Nativitatis *praeparationem condignam;* secundo ipsius praeparationis condignae assignat *cau-*
Divisio. *sam sufficientissimam.* Primum, ibi: *Sanctificamini;* secundum, ibi: *cras comedetis carnes,* id est, reficiemini spiritualiter Christi nativitate per carnem.

I. Nota primo, quod qui vult in die Nativitatis
Pars I. Christi refici spiritualiter per Christum natum debet sanctificari hodie per cultum *puritatis interioris;* primae ad Thessalonicenses quarto [5]: *Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem.* — Per cultum *religiositatis exterioris;* Psalmus: *Super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.* — Per cultum *devotionis caelestis;* primi Regum decimo sexto: *Sanctificamini et venite mecum, ut immolem.* — Per cultum *meditationis* ipsius *incarnationis;* Iosue tertio: *Sanctificamini, cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia.*

II. Sanctificari vero debemus merito hodie et Pars II.
praeparari, quia dies crastinus est dies *desideratus* cum vehementi flagrantia; Genesis trigesimo [6]: *Respondebit mihi cras iustitia mea.* — *Suspiratus* cum inexplicabili vehementia; primi Regum undecimo: *Cras erit vobis salus, cum incaluerit sol.* — *Amatus* propter utilitatis efficaciam; secundi Paralipomenon vigesimo: *Cras egrediemini contra eos, et Dominus erit vobiscum.* — *Decoratus* propter mysteriorum redundantiam; Exodi nono: *Cras faciet Dominus verbum istud in terra.* — *Fecundatus* propter benedictionum exuberantiam; quarti Regum septimo [7]: *In tempore hoc cras modius similae uno statere erit et duo modii hordei statere uno in porta Samariae.* — *Glorificatus* propter gestorum evidentiam; Iosue tertio: *Cras faciet Deus inter vos mirabilia.*

Sermo XI [8].

Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto, Matthaei primo [9].

In verbo proposito nativitas Christi explicatur, primo, quantum ad *concipientis idoneitatem,* ibi: Divisio.
Cum esset desponsata etc.; secundo, quantum ad *conceptae Prolis celsitudinem,* ibi: *inventa est* etc.; tertio, quantum ad *originalis principii sublimitatem,* ibi: *de Spiritu sancto.* Et quia Spiritus sanctus nobilissimum fuit horum trium principium, ideo ab illo quasi resolutorie incipiamus.

Absque dubio ineffabile est mysterium, et non est Expositio incipit a membro 3.
nostrae capacitatis (dicere), qualiter Spiritus sanctus
Virginem fecundavit; sed sicut balbutiens ex vestigio creaturae aliquid inde dabo intelligere. Terra fecundatur ex influentia caeli; influentia autem caelestis, fecundans per corpus solare, lunam et stellarum naturam, triformis est, quia influit *calorem, humorem* et *vigorem;* et haec repraesentant beatissimam Trinitatem. Influendo *calorem* subtiliat, inflammat et elevat; influendo *humorem* penetrat, conciliat et inebriat; influendo *vigorem* movet, format et germinat. Sic Spiritus sanctus in quantum sanctificans Subdivisio.
assimilatur *calori* subtilianti, in quantum exhilarans *humori* irriganti, in quantum fecundans *vigori* potenter operanti. Haec tria fecit Spiritus sanctus in

[1] Vers. 6. Deinde sequuntur Ps. 138, 6; Ier. 5, 30; Ps. 76, 15. et Tob. 12, 20.

[2] Psalm. 97, 1; sequuntur Ioan. 1, 18; Esth. 15, 17. et Ioel 2, 26.

[3] Ex A fol. 54 r. [4] Vers. 18.

[5] Vers. 7; sequuntur Ps. 131, 18; I. Reg. 16, 5. et Ios. 3, 5.

[6] Vers. 33. Sequuntur I. Reg. 11. 9; II. Paral. 20, 17; Exod. 9, 5.

[7] IV. Reg. 7, 1. et Ios. 3, 5.

[8] Ex cod. biblioth. Berolinens. Mss. theol. lat. oct. 31, in cuius folio 1 r. a posteriore manu notatur: « Sermones de Sanctis, quos fecit Bonaventura cardinalis de Ordine fratrum Minorum ». Sed vide quod de hoc codice diximus in Prolegomenis. Hic sermo in pluribus convenit cum sermone VII. supra pag. 32 col. II. et 33 relato aliisque.

[9] Vers. 18.

terra nostra benedicta, Virgine gloriosa. Primo ut *ardor* ipsam sanctificavit, secundo ut *humor* spiritualis ipsam inebriavit, tertio ut *vigor* spiritualis ipsam fecundavit. Propter haec tria incarnatio Domini figurata fuit in tribus miraculis: in *igne* rubi, in *rore* velleris, in *virga* floris.

Subdivisionis membrum 1.

Sanctificatio B. Mariae.

I. Primo ergo ipsam ut *ardor* subtilians sanctificavit; Psalmus [1]: *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. Deus in medio eius, non commovebitur.* In utero sanctificata fuit ut in *persona;* sed quia debuit fieri Mater Dei, oportuit, quod etiam sanctificaretur ut *natura* in quantum principium. Prima sanctificatio fomitem *ligabat* [2], ut ad malum non inclinaret nec a bono retraheret; in secunda per essentiam *exstinctus fuit.* — Sed quomodo hoc, cum esset in carne, eo quod appetitus carnalis est in anima per carnem? Nulla via est nisi per appetitum omnino *spiritualem.* Nunquam enim cupiditas expellitur nisi caritate, concupiscentia nisi appetitu spirituali. Ideo ut *ardor* venit non consumptivus, sed purificativus. Ideo dixit Moyses Exodi tertio [3]: *Vadam,* inquit, *et videbo visionem hanc magnam, quare rubus ardeat et non comburatur.* Ardor caritatis est, qui consumit rubiginem culpae, ut in Magdalena, Lucae septimo: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Unde etiam tantus ardor intravit in Virginem, quod, nisi fuisset obumbratio Spiritus sancti, non potuisset sustinere. Et liceat dicere, quod etiam transcendit ardorem Seraphim; nec mirum, ex quo Filius Dei erat in ea concipiendus. Anselmus [4]: « Decebat, ut ea puritate niteret Virgo, qua sub Deo maior nequit intelligi ». Elevata enim est super omnes creaturas, ut ad concipiendum Deum disponeretur; Isaias [5]: *Cuius ignis est in Sion, et caminus eius in Ierusalem.* Nonne *lapis de monte abscissus sine manibus?* Daniel; et quomodo nisi calore Spiritus sancti? — O quam mirabiliter deberemus accendi ex hac fornace et a terrenis concupiscentiis elevari! Unde Dominus Moysi [6]: *Non appropies, inquit, huc; solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim in quo stas, terra sancta est.* Quid est hoc, quod *calceati* imus ad ignem, et non erimus calidi. Calceamenta sunt terrenae affectiones, quia per vim amoris transformaris in illa quae diligis. Unde dicatur avaro de amore divino; nihil sentit; et lege Cantica divini amoris homini carnali; et carnalia cogitabit. Appropinquemus ergo ad hunc calorem, et *liquefiat anima nostra ad vocem dilecti* [7]. *Ponamus* eum *sicut signaculum super cor nostrum;* vere, qui Deum diligeret, totum mundum nihil reputaret.

Difficultas solvitur.

Applicatio ad nos.

Item, membrum 2.

II. Secundo Spiritus sanctus ipsam ut spiritualis *humor* penetrans et concilians inebriavit; Psalmus [8]: *Visitasti, Domine, terram tuam,* per Angelum nuntiantem, *et inebriasti eam,* per Spiritum laetificantem; Psalmus: *Fluminis impetus laetificat civitatem Dei.* Iste fluvius inebriavit et replevit eam tanta laetitia et exsultatione, ut dilataretur anima eius et disponeretur ad suscipiendum illum, qui transcendit omnia; gaudium enim naturaliter dilatat cor et addit humorem; Isaiae quadragesimo quinto [9]: *Rorate caeli desuper, et nubes pluant iustum, aperiatur terra et germinet Salvatorem.* Quae est haec *terra germinans* nisi Virgo Maria? Ipsa vellus Gedeonis rore madens in area sicca, Iudicum sexto, id est plena dispositione fructifera in medio synagogae, quae permansit arida per infidelitatem. Haec est illa Virgo pulcherrima et incognita viro, *quam praeparavit Dominus* Filio suo, quae *descenderat ad fontem* vitae per humilitatem et impleverat *hydriam* suam per gratiae plenitudinem, a qua, cum sit curialissima, cum servo Abrahae imploremus, ut de sua plenitudine *pauxillum* praebeat *aquae,* ut reficiamur, Genesis vigesimo quarto [10]. Bernardus [11]: « Maria sinum misericordiae omnibus aperuit, ut *de plenitudine eius accipiant* universi: captivus redemptionem, aeger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, Angelus laetitiam, denique tota Trinitas gloriam et persona Filii humanae carnis substantiam ».

De matertate B. Mariae.

Solutio difficultatis.

Sed hic occurrit valde notabile et dignum diligenti consideratione. Quae fuit ratio, quod fuit *desponsata,* et *virgo* tamen? Bene concedo, quod decuit esse *virginem* ratione puritatis; sed quare *desponsata* rusticello Ioseph? Licet esset de genere regum, tamen vixit de labore manuum suarum; erat enim faber. Dico, quod propter quatuor: primo, propter *honestatis decentiam.* Ambrosius [12]: « Dominus maluit, ad tempus aliquos de suo ortu quam de Matris pudore dubitare. Sciebat enim, teneram esse virginis verecundiam et lubricam famam pudoris ». — Secundo, propter *obsequii opportunitatem,* ut esset Virgini peregrinanti in Aegyptum in solatium et Proli et Matri in familiare obsequium. — Tertio, propter *mysterii consummationem.* Augustinus [13]: « Mysterium maximum praecessit in Virgine, ut, sicut illa Virgo Deum peperit carnaliter, sic virgo Ecclesia pareret Christum spiritualiter ». — Quarto, *ratione paupertatis.*

[1] Psalm. 45, 5. seq.
[2] Cfr. III. Sent. d. 3. p. 1. a. 1. q. 1-3.
[3] Vers. 3; cfr. etiam v. 2. Sequitur Luc. 7, 47.
[4] De Concept. virgin. c. 18.
[5] Cap. 31, 9; sequuntur Dan. 2, 34.
[6] Exod. 3, 5.
[7] Respicitur Cant. 5, 6: *Anima mea liquefacta est, ut locutus est.* Sequitur cap. 8, 6.
[8] Psalm. 64, 10.
[9] Vers. 8. Deinde respicitur Iudic. 6, 37.
[10] Cfr. vers. 13. seqq.
[11] Serm. in Domin. infra Octavam Assumt. B. V. M. n. 2, ubi respicitur Ioan. 1, 16.
[12] Exposit. in Lucam, II. n. 1.
[13] De Sancta Virginitate, c. 6. n. 6. et de Symbulo ad Catechum. serm. alius, c. 1. n. 1, sed locus parum est mutatus.

Christus enim super omnia venerat confundere superbiam, et ideo maluit vocari fabri filius quam regis. O admirabile mysterium! Et vere mirabile, quod ex una parte se manifestat et ex altera se celat.

Item, membrum 3.

III. Tertio Spiritus sanctus ut *vigor* potenter operans ipsam fecundavit. Unde, cum diceret: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco;* respondit

Obumbratio B. Mariae.

Angelus: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*, Lucae primo [1]. Splendor solaris veniens in corpus opacum proiicit umbram; sic splendor aeternus, Dei Filius, in Virgine umbram sibi fecit, per quam nobis condescendit, ut posset videri. Sicut enim arcus generatur a sole sine adminiculo alio in nube rorida et concava; sic Christus in hac nubecula virginali a Spiritu sancto sine adminiculo creaturae; et ideo fecit umbram, qua contemperavit se Dei Filius nobis; Genesis primo: *Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Unde sicut Abraham, non pensata senectute Sarae, credidit, eam posse parere per Dei potentiam, sic et Virgo dicens: *Ecce, ancilla Domini* etc.

Sed quare attribuitur Spiritui sancto istud opus,

Solutio difficultatis.

cum fuerit totius Trinitatis? Ideo, quia ex *unione* debuit esse Filius Dei [2], oportebat, hanc esse gratiam tam excellentissimam, ut nec in Angelis posset

De celsitudine concupiae Prolis.

cogitari quid altius gratia unionis. Augustinus de Trinitate Dei [3]: Tanta « fuit haec unio, ut faceret Deum hominem et hominem Deum ». Unde omnis alia gratia distat ab ista in infinitum. Quod patet ex ingressu Dei in creaturam ut *principium*, et ideo ab eo conservatur omnis creatura; ut *obiectum*, et ideo eius imago, sicut creatura rationalis; ut *donum* infusum, et ideo eius electi (?), ut spiritus iustorum; ut *actus* semper beatificans, et ideo deificati, ut Angeli et Sancti; ut *virtus supernaturaliter fecundans*, et ideo Mater Dei. Et omnibus his ingressibus adhuc est distantia infinita ad enm, ut *hypostasis* superessentialis substantificans, et ideo Christus Deus; et hic cessat. Non tamen oportet ponere distantiam infinitam omnino, sed ratione hypostasis quandam proportionem, quam non possumus intelligere. Unde Damascenus [4]: « Quis hoc intelligeret, quomodo persona ilia est subsistens, et quomodo duae naturae in

Ineffabile mysterium.

una persona »? — O admirabile sacramentum! Istud non potest esse nisi per Spiritum sanctum, cum sit super naturam; ergo cum sit idem principium essendi et cognoscendi, si vis cognoscere, oportet, quod quaeras Spiritum sanctum; aliter totum erit phantasia. Hic *regnum et sacerdotium;* unde Moyses dicit, virgam floruisse in domo Aaron, quia Virgo fuit de genere sacerdotali et etiam regali; et ideo per *virgam Aaron* floridam et per *virgam de radice* significatur, Numerorum decimo septimo [5]. — Certe desidia nostra arguitur hic per omnem modum, quia non disponimus nos ad Spiritum sanctum, qui paratus est descendere, si cordis domicilium per orationis studium ei non neglexerimus praeparare [6].

Sermo XII [7].

Quod enim in ea natum est de Spiritu sancto est, Matthaei primo.

Verba ista et *evangelica* sunt et *angelica; evan-* Introductio.

gelica Matthaei primo scripta ab Evangelista nativitatem Domini describente, *angelica* dicta ab Angelo nativitatem Domini nuntiante; ait enim: *Ioseph, fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est de Spiritu sancto est,* quasi dicat: ne stupeas ad novitatem miraculi, quod inveneris eam habentem in utero, antequam conveniretis, quia *de Spiritu sancto est,* qui scilicet supra naturam operatur. Nec cadat in te suspicio adulterii, quia *de Spiritu sancto est; quod enim in ea natum est de Spiritu sancto est. De Spiritu sancto,* apud quem *non erit impossibile omne verbum* [8]; de *sancto,* qui nihil operatur nisi sanctum, et ideo ait Mariae Lucae primo: *Ideoque et quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei.*

Quod in ea natum est etc. In verbis istis tria Divisio.

occurrunt consideranda, videlicet, *quid* in ea, *quae* sit ea, *de quo* ea. *Quid* in ea, quoniam Deus et homo; *quae* sit ea, quoniam Mater Virgo; *de quo* ea, quoniam *de Spiritu sancto.* Haec enim sunt tria, quae circa nativitatem hanc et miramur et laudamus et benedicimus, scilicet *Parvulum* nascentem, *Matrem* parientem et *Spiritum sanctum* sanctificantem. Intellige sane *sanctificantem:* non facientem Filium Dei sanctum, sed facientem, ut sit in ea sanctum.

I. Primum igitur consideremus *natum in ea.* Pars I.

Circa quod notandum, quod nati in ea triplicem legimus nativitatem. Nam natus est *ante eam;* natus est *in ea;* natus etiam *ex ea. Ante eam* natus est

Triplex nativitas.

Natus ante eam.

nativitate *aeterna,* immo ante omnem etiam creaturam; de quo Ecclesiastici vigesimo quarto [9]: *Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam,* ubi declarat, et *quis* nascatur, quoniam Dei Sapientia, quae loquitur, cum dicit: *Ego, Dei Sapientia, Christus,* primae ad Corinthios primo; *de quo,* quoniam de Patre, cum dicitur: *Altissimi;* et *modum* nascendi, cum dicit: *prodivi ex ore,* quoniam « sicut verbum a dicente », et hoc dicit

[1] Vers. 34. seq.; sequitur Gen. 1, 2. et 17, 19. seqq. et Iac. 2, 23; Luc. 1, 38.

[2] Supple: et Spiritus sanctus celebratur ut unio Patris et Filii.

[3] Libr. I. c. 13. n. 28. — De ingressu Dei in creaturam cfr. Bonav., Breviloq., p. II. c. 12.

[4] Cfr. III. de orthod. Fide, c. 7. Infra respicitur II. Mach. 2, 17.

[5] Vers. 2-9. et Isai. 11, 1.

[6] Partes I. et II. incidenter in III. exponuntur.

[7] Ex cod. Monacensi W fol. 237 r. — Thema habetur Matth. 1, 20, deinde v. 18.

[8] Luc. 1, 37. et deinde v. 35.

[9] Vers. 5; sequitur I. Cor. 1, 21.

beatus Augustinus [1], qui etiam alibi dicit, quod « Spiritus procedit a Patre, quo datus; Filius, quomodo natus ». — Natus etiam *in ea* est nativitate quasi *interna*, nativitate scilicet in utero, quae est conceptio, de qua hic: *Quod enim in ea natum est* etc.; et in Psalmo [2]: *Homo natus est in ea* etc., cuius nativitatis modum ineffabilem significans, praemisit: *Nunquid Sion dicet homo?* quasi dicat: non. Et quare dicit, *homo natus est in ea* etc.? Sed *Dominus narrabit in Scripturis*, quasi non est hominis investigare, sed Spiritus sancti revelare. Ille solus novit revelare, qui solus novit facere. — Natus est deinde *ex ea* nativitate *externa* sive ex utero, de qua Lucae primo [3]: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Quae promissio impleta est, quando *impleti sunt dies* Mariae, *ut pareret Filium suum primogenitum*, Lucae secundo. Sic igitur patet, quia in ea natus est quasi triplici nativitate.

Natus in ea.

Natus ex ea.

Ad cuius intelligentiam pleniorem, etsi non possit eorum quae supra naturam sunt, in natura exemplum conveniens inveniri; tamen videmus, quod aliter nascitur *splendor* a luce, aliter *germen* in vite, aliter *flos* ex ramo vel arbore. — Oritur *splendor ex luce* ita, quod connaturalis est luci, nec tamen dicimus, quod lux sit splendor, et e converso. Per hunc modum est Filius a Patre, ut sit consubstantialis Patri, sed tamen nec Filius est Pater, nec Pater est Filius, sed idem ipsum unus, quod alius. Et ideo gloriosam illam nativitatem recolens Ecclesia canit [4]: « O oriens! splendor lucis aeternae ». — Oritur *germen in vite* ita, quod vitem fecundat et implet, sed integritatem eius nec aperit nec pollnit nec infringit. Per hunc modum nascitur Deus in Virgine ita, ut eam impleat, fecundet et sanctificet, nec frangat nec violet nec contaminet. Propter hoc, comparans natum in ea germini, ait Dominus per Prophetam [5]: *Suscitabo Duvid germen iustum* etc., et Isaiae quadragesimo quinto: *Rorate caeli desuper, et nubes pluant iustum; aperiatur terra et germinet Salvatorem. Terra* humilis, stabilis, fertilis est beata Virgo, quae *aperta est*, non corporaliter ad corrumpendum, sed spiritualiter ad credendum, *et germinavit Salvatorem.* — Oritur *flos ex ramo* vel ex arbore ita, quod nec ramum corrumpit, sed meliorat, nec aperit, sed decorat. Ita et Deus ex Virgine natus est non aperiendo, non corrumpendo, quia *haec porta clausa erit* in perpetuum; *non aperietur, et vir non transibit per eam*, ait Ezechiel [6], sed fecundando et decorando. Ideo comparatur eius nativitas egressui floris; Isaiae undecimo: *Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini.* Virgo Dei Genitrix *virga* est; *flos*, Filius eius; *egressus virgae*, nativitas Virginis; *ascensus floris*, nativitas Salvatoris; et hoc omnino *de radice Iesse.* Nam stirps Iesse virgam prodnxit virgaque florem, et super hunc florem *requiescit Spiritus* almus. — Sic igitur natus in ea natus est *ante uterum* de Deo Patre sicut splendor ex luce, natus *in utero* de Virgine Matre sicut germen ex vite, natus etiam *ex utero* sicut flos ex ramo, virga vel arbore. Prima nativitate natus est et semper nascitur de Deo Patre secundum divinam naturam; secunda et tertia natus est de Virgine Matre secundum humanam. Prima nativitas non est de Spiritu sancto, quia secundum aeternam originem personarum non Filius a Spiritu sancto, sed Spiritus sanctus a Patre et Filio. Sed secunda et tertia de Spiritu sancto sunt, quia *Spiritus sanctus*, ait Angelus, *superveniet in te* etc., Lucae primo [7]. Secunda et tertia nobis exhibita est in terris in remedium; prima reservatur nobis in caelis in praemium. Nam *haec est*, inquit, *vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Iesum Christum*, Ioannis decimo septimo. Secunda nativitas pertinet ad diem solemnitatis hodiernae, qua legimus de eius in *utero* nativitate; tertia pertinet ad diem solemnitatis crastinae, qua canimus: *Puer natus est nobis* [8]; prima ad diem solemnitatis aeternae.

Epilogus.

Ulterior expositio.

Triplex modus nascendi.

Oritur primo ut splendor.

Secundo, ut germen.

Tertio, ut flos.

II. *Quod in ea natum est* etc. Contemplanda est nobis Unigeniti Dei et Virginis corporalis nativitas, quae, ut dictum est, data est nobis in praesenti *ad remedium*, quam etiam hodie et cras celebramus, quae quidem diligentius considerata apparet *contemplantibus* in miraculum, *desiderantibus* in solatium, *proficientibus* in exemplum. Si enim convertamus *intellectum* ad eius contemplationem, nihil *mirabilius* ad contemplandum; si *affectum* ad eius dilectionem, nihil *delectabilius* ad amandum; si *effectum* ad eius imitationem, nihil *utilius* ad imitandum. — Convertamus igitur *oculos spirituales* ad contemplationem Dominicae nativitatis, et cogit nos ipsius novitatis admiratio *cantare Domino canticum novum, quia mirabilia fecit* [9]. Quid enim mirabilius contemplanti quam *maiestas* humilis, *potestas* infirma, *immensitas* brevis, *sapientia* infans, *aeternitas* nata [10]! Et haec omnia concurrunt in eo qui *natus est in ea.* Haec enim, secundum *improprietatem* loquendo, secundum quod loquuntur Sancti, dici possunt, sed secundum *proprietatem* quae in abstracto dicuntur quasi de natura intelligenda sunt de persona, ut

Pars II.

Corporalis nativitas Christi apparet tripli citer.

Conversio intellectus ad miranduin.

Notandum.

[1] Libr. IX. de Trin. c. 7. n. 12. De seq. loco V. de Trin. c. 14. n. 15; cfr. XV. de Trin. c. 26. n. 47; serm. 71. de Verb. Evang. c. 16. n. 26. et II. contra Maxim. c. 24. n. 1.

[2] Psalm. 86, 5. et infra v. 6.

[3] Vers. 35; sequitur c. 2, 6. seq.

[4] Cfr. Brevior. Rom., Antiph. ad Magnif. diei 21. Dec.

[5] Ier. 23, 5; sequitur Isai. 45, 8.

[6] Cap. 44, 2; sequitur Isai. 11, 1. seq.

[7] Luc. 1, 35; sequitur Ioan. 17, 3.

[8] In Nativ. Domini in Introitu 3. Missae, in quo respicitur Isai. 9, 6: *Parvulus natus est* etc.

[9] Psalm. 97, 1.

[10] Cfr. S. Bern., homil. 2. super *Missus est* n. 9.

sit sensus, quod ille qui est maiestas, humiliatur, ille qui potestas, infirmatur, et sic de aliis. Nec minus mirum est; quid enim mirabilius ad contemplandum quam in Omnipotente infirmitas, in Altissimo abiectio, brevitas in Immenso, in Sapientissimo infantia, novitas in Aeterno? — Nonne *maiestas* humilis facta est? quando, *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens* [1] etc., et ita inter servos abiectus, ut « iaceret in praesepio qui regnabat in caelo »; unde David [2] indicibiliter mirabatur: *Numquid Sion dicet: homo, et homo natus est in ea?* homo et Deus, humilis ad *opprobrium, et abiectio plebis, et ipse* est, qui *fundavit eam Altissimus.* « O magnum mysterium et admirabile sacramentum »! nota totum Responsorium [3]. — Nonne et *virtus* infirma? quando *Verbum Domini,* quo *caeli firmati sunt* [4], Verbum, inquam, omnia potens, quia Deus ipse *portans omnia verbo virtutis suae* etc., ad Hebraeos primo; hoc, inquam, *Verbum caro factum est et habitavit in nobis,* quando *Verbum caro, fit* virtus infirma. Nonne et *immensitas* brevis? quando ille, cuius *magnitudinis non est finis* [5], arctabatur in praesepio, factus brevis: « Vagit enim infans inter arcta » etc., nam, ut ait Apostolus ad Romanos [6]: *Verbum abbreviatum.* — Nonne et *sapientia* muta? quando illa sapientia, quae Deus est, *dixit, et facta sunt* omnia; quae *cum eo erat cuncta componens,* Proverbiorum octavo, iacet infans, id est non fans, in praesepio etc.; *Invenietis,* inquit, *infantem* [7] etc. — Nonne et *aeternitas* nata? quando illa quae *ab aeterno ordinata est* sapientia, quae de *ore Altissimi prodiit primogenita ante omnem creaturam,* natus est in ea, id est in Maria; *homo,* inquit, *natus est in ea.* Ubi, quaeso, maiora mirabilia? Unde Bernardus super Missus est [8]: « Plena quippe sunt omnia supernis mysteriis » etc.

Probatur ex Scriptura. Maiestas humilis.

Virtus infirma.

Immensitas brevis.

Sapientia muta.

Aeternitas nata.

Convertamus postmodum *affectum* nostrum ad dilectionem nascentis, et nihil *dulcius* ad amandum; sicut summe mirabile est qui *natus* est, ita summe amabile qui *nobis* natus est. « Puer, ait Ecclesia, natus est nobis »; et Isaias [9]: *Parvulus natus est nobis, et Filius datus est nobis.* Attendendum hoc quod dicitur: *Parvulus natus et Filius datus. Parvulus* Matris, *Filius* Dei Patris, ut videlicet accipias parvulum, et tamen habeas Deum. — Indigebas enim Deo, nec minori quam eo, quia non alio redimi poteras. Sed si daretur secundum formam suae immensitatis, quo eum caperes, non habebas. Ideo divina dispensatione mirabiliter factum est, ut habeas Dei Filium, quo eges, et capias Parvulum, quod potes. Consulnit divina providentia suae largitati, ut videlicet donet quod ipsam decebat dare; consuluit et nostrae parvitati, ut daret quod nos decebat accipere. Ideo *verbum abbreviatum fecit Dominus super terram* [10]; ideo *natus est Parvulus,* et *datus est Filius* manens immensus. — O quid datur, cum datur Filius! Nonne et Deus datur, et omne, quod minus est Deo, datur? Quid enim negaturus est Deus illis quibus datus est Filius? Immo, *quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit,* ait Apostolus ad Romanos. — Sed quid est quod datur parvulus? Nonne, si daretur *immensus* [11], magis timeret homo peccator eius potestatem omnia corrigentem? Sed, si daretur *facundus,* timeret homo rens eius sapientiam omnia disquirentem; si venisset *Angelorum agminibus circumseptus,* nonne erubesceret homo miser societatem? maxime quia *spernerent eum,* id est hominem, Angeli *videntes ignominiam eius,* Threnorum primo [12]. Quid ergo optabat humana necessitas, nisi ut nasceretur parvulus, ut non timeret puniri; nasceretur infans, a quo non timeret argui; nasceretur pauper et solus, a quo non timeret contemni? Hoc desiderium suum exprimebat Ecclesia, Canticorum octavo [13]: *Quis mihi det te fratrem meum, sugentem ubera matris meae?* Nota et expone. *Nascitur* ideo *parvulus,* ut habeamus qualem optabamus, sed *datur Filius,* ut noster sit quo indigebamus. Nonne ergo ipse est, qui *replet in bonis,* et hoc *desiderium tuum?* immo vide, si non excedit desiderium tuum, vide, si *pax Christi exsuperat omnem sensum.* Quid desiderasti, o Adam? nonne *esse sicut Deus* [14]? Quid tu, o superbe lucifere! nonne esse *similis Deo?* Adhuc in desiderio vestro non intravit, *ut essetis dii.* Nunquam desiderare ausa est creatura, ut sit Deus. Hoc autem supra omne desiderium factum est, quia Deus homo est, et homo Deus. Quid dulcius, quid amabilius, quid confidentius! — Homo Deum *offenderat,* et Deus videbatur odire hominem et *mutatus esse in crudelem* [15]. Nunc autem aut Deus amabit hominem, aut odio habebit Deum [16], quia homo est Deus. Similiter homo *exsulerat* eiectus de paradiso; sed nunc aut homo intrabit paradisum, aut Deus abiicietur ab illo, quia homo est Deus. Homo *erat captivus* diaboli;

Conversio affectus ad amandum.

Ratio.

Magnitudo doni.

Obiectio solvitur.

Notandum.

---

[1] Phil. 2, 6. seq.; sequitur VIII. Resp. ad Matut. Dom. infra Octav. Nat. Dom.

[2] Psalm. 86, 5; et deinde Ps. 21, 7.

[3] Scilicet IV. ad Matut. in Nat. Dom., ubi sequitur: « Ut animalia viderent Dominum natum iacentem in praesepio. Beata Virgo, cuius viscera meruerunt portare Dominum Christum ».

[4] Psalm. 32, 6; sequitur Hebr. 1, 3. et Ioan. 1, 14.

[5] Psalm. 144, 3; sequitur versus sumtus ex Hymno Matut. in Dominica Passionis.

[6] Cap. 9, 28; sequitur Ps. 148, 5. et Prov. 8, 30.

[7] Luc. 2, 12; dein respicitur Prov. 8, 23. et Eccli. 24, 5.

[8] Homil. 1. super *Missus est,* n. 1; sequitur in originali: Haec caelesti singula dulcedine redundantia ».

[9] Cap. 9, 6.

[10] Rom. 9, 29; dein c. 8, 32.

[11] Hoc verbum deest in codice.

[12] Respicitur Thren. 1, 2: *Omnes amici eius spreverunt eam;* et v. 8: *quia viderunt ignominiam eius.*

[13] Vers. 1; sequitur Ps. 102, 5. et Phil. 4, 7.

[14] Respicitur Gen. 3, 5. et deinde Isai. 14, 14: *Similis ero Altissimo.*

[15] Iob 30, 21.

[16] Cfr. supra serm. 1. pag. 91. col. 1.

sed nunc aut homo eripietur, aut Deus captivabitur, quia homo est Deus. Sed Deo (ista) non conveniunt: propter quod necesse est, hominem liberari, hominem reduci, hominem reconciliari. Nonne ergo exceditur omnium desiderium? Sic ergo nativitate Christi nihil videtur dulcius ad amandum.

Convertamus nos iterum ad eius *conformationem*, quia nihil utilius ad imitandum; quod patet considerantibus nativitatis modum, quem descripsit Angelus Lucae secundo[1]: *Annuntio*, inquit, *vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator. Et hoc vobis signum: invenietis infantem pannis involutum et positum in praesepio.* Attende hoc *signum*. Si quaeris virtuosius esse, ne divertas a signo, quia ibi ostenditur tibi bonum; attende *fugam vanitatis* et *exemplum virtutis*. Doceris enim *fugere vanitatem*, cum vides *infantem* etc. In quo enim gloriantur qui *vani sunt et post vanitatem abierunt*[2]? Re vera, quidam in scientiis, quidam in divitiis, quidam in honoribus et potentiis. Isti enim sunt, qui quaerunt *primos accubitus in coenis*, scilicet ut divites; *primas cathedras in synagogis*, ut magnates; *et vocari ab hominibus Rabbi*[3], ut sapientes. Sed, ecce, contra vanitatem scientiarum invenietis *infantem* non loquentem, non loquacem; contra vanitatem divitiarum invenietis *pannis involutum*, non panno, non pellibus, sed panniculis tantum, non uno, sed pluribus propter inopiam; contra vanitatem dignitatum et honorum *positum in praesepio*, inter pedes animalium. Ecce ergo, sapientissimus infans: erubescat loquax insipientia; locupletissimus egens: erubescat avara abundantia; altissimus iacens: erubescat vilitas superba. — Sed et videas, homo, quid debeas imitari. Habes enim signum *virtutis*. Quid enim docuit Christus? quid sonat totum Evangelium? Ad quem finem tendit sacra doctrina, nisi ut habeatur puritas in carne, paupertas in possessione, humilitas in mente? Ad hoc enim tria consilia Evangelii referuntur. Sed si quaeritur puritas: *invenietis infantem*. Quidquid enim dicat Sapiens, quod *nemo est qui bonum faciat, et non peccet*[4], *nec infans unius diei super terram*[5]; ego virum de mille unum reperi, *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius*[6]. Si quaeritur paupertas, *invenietis pannis involutum;* si humilitas, *positum in praesepio*. Istae sunt obstetrices *obstetricandi habentes scientiam*, quae Dominum in die ortus sui de Matris utero susceperunt, scilicet *puritas, paupertas* et *humilitas*. *Puritas* de Matris utero eum suscepit, quod notatur, cum dicitur: *invenietis infantem; paupertas pannis involvit*, quod notatur, cum dicitur: *pannis involutum; humilitas in praesepio reclinavit*, quod notatur, cum dicitur: *positum in praesepio*. — Rogemus ipsum natum, ut ita det nobis nativitatem hodiernae solemnitatis admirari, diligere et imitari, quod possimus pervenire ad contemplationem nativitatis aeternae etc.

Conversio effectus ad imitandum.

Primo, fugienda vanitas.

Secundo imitanda virtus.

NATIVITAS DOMINI.

Sermo I[7].

Transeamus usque Bethlehem et videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis, Lucae secundo[8].

Verba ista possunt exponi dupliciter, scilicet *litteraliter* et *allegorice;* litteraliter exposita sunt verba pastorum, sed allegorice sunt verba contemplativorum.

Duplex expositio.

I. Quantum ad *litteralem* sensum notantur ibi duo: pastorum *fervens devotio*, cum dicitur: *Transeamus;* et ipsorum *pia confessio*, cum dicitur: *verbum, quod factum est* etc.

Pars I.

Litteralis est duplex.

Quantum ad primum est ipsorum *devotio* in duobus, scilicet, in *proposito* eundi et in *desiderio* videndi; primum, cum dicitur: *Transeamus;* secundum, cum dicitur: *videamus hoc verbum*. — Quantum ergo ad propositum eundi dicunt: *Transeamus;* nec hoc dixerunt simulative aut ficte; quia sequitur: *et venerunt festinantes;* et ideo, quia festinaverunt venire, meruerunt videre. Unde subditur: *Et invenerunt Mariam et Ioseph et Infantem positum in praesepio*[9]. Unde in hoc instruimur, ut sollicite et festinanter quaeramus Christum; et ideo Glossa, ibi: « Non cum desidia quaerenda est Christi praesentia; ideo pastores sine mora inveniunt, quia non ficta fide currunt videre quod audierunt ». Sic ergo ostenditur pastorum fervens devotio in proposito eundi et in desiderio videndi.

De primo duo.

Secundo ostenditur eorum *pia confessio*, cum dicunt: *hoc verbum* etc. Non dicunt, *videamus* simpliciter, si est; sed dicunt: *verbum, quod factum est*, asserendo, non dubitando. Unde Glossa[10]: « Credentes

De secundo tria.

---

[1] Vers. 10. seqq.: *Evangelizo vobis* etc.

[2] Ier. 2, 5: *Ambulaverunt post vanitatem* etc.

[3] Matth. 23, 6. seq.

[4] Eccle. 7, 21.

[5] Iob 14, 4, sec. Septuaginta; Vulg. legit: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu, qui solus es?*

[6] I. Petr. 2, 22; sequitur Luc. 2, 12; dein Exod. 1, 19.

[7] Habetur in cod. Trecensi Q fol. 110 et Florent. U fol. 25 r. et in Tudertino n. 182. fol. 83 r. insuper *breve* et *incompletum* excerptum refertur in codice Ambrosiano (sermo 106.), fol. 64 v., quod infra huic sermoni subiicimus. — Novem de Nativitate Domini sermones, qui habentur in ed. Vaticana, sunt omnes Fr. Conradi a Saxonia.

[8] Vers. 15.

[9] Vers. 16. — Sequitur Glossa *ordinaria* in Luc. 2, 16, desumta ex Beda, in Evang. Lucae, c. 2, lib. I. c. 6.

[10] *Interlinearis* in Luc. 2, 15.

verbis Angeli, pastores dant testimonium vero Agno », confitentes scilicet Salvatorem mundi Verbum incarnatum et natum; unde in confessione ipsorum notantur tria: confitentur enim Salvatoris *incarnationem*, incarnationis *auctorem* et incarnati *nativitatem;* primum, cum dicunt: *hoc verbum, quod factum est*, Verbum scilicet Patris aeterni, quod non dicitur factum, cum *per ipsum sint omnia facta*, sed *Verbum caro factum est*, Ioannis primo [1]. — Secundum ostendunt, cum dicunt: *quod Dominus* fecit; Psalmus: *A Domino factum est istud et est mirabile in oculis nostris.* « Tria opera et tres mixturas fecit illa Maiestas omnipotens in assumtione naturae carnis mirabiliter singularia et singulariter mirabilia, ut taliter nec facta nec facienda sint amplius super terram. Coniuncta quippe sunt Deus et homo, mater et virgo, fides et cor humanum. Mirabiles hae mixturae! In prima videmus *quid;* in secunda, *per quid;* in tertia, *propter quid*. Deus dedit tibi, et dedit tibi Christum per Mariam propter sanitatem. In prima est *remedium*, in secunda *adiutorium*, quia nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariae manus non transierit; in tertia *meritum*, quia cum hoc firmiter credimus, iam meritum habemus, et in fide sanitas est [2] ».

Confitentur primo incarnationem.

Secundo, auctorem.

Tertio confitentur *incarnati nativitatem*, cum additur: *et ostendit nobis*, ut qui prius erat invisibilis nobis fieret visibilis; et sicut verbum mentale, non voce expressum est insensibile, sed voce indutum nobis fit sensibile; sic et Verbum incarnatum ante nativitatem est inintelligibile, sed post nativitatem, per modum verbi voce expressi, carne indutum fit nobis sensibile. Unde Augustinus primo de Doctrina christiana [3]: « Sicuti cum loquimur, ut id quod animo gerimus, per aures carneas in audientis animum illabatur, fit sonus verbum, quod corde gestamus, et locutio vocatur; nec tamen in eundem sonum cogitatio nostra convertitur, sed apud se manens integra, formam vocis, qua se insinuet auribus, sine aliqua labe suae mutationis assumit; ita Verbum Dei non commutatum, caro tamen factum est, ut habitaret in nobis ». Et sic factum est Verbum visibile, non solum audibile. Verbo enim secundum se plus competit audiri quam videri; sed illud Verbum Patris, quod audiri non poterat nec videri, in sua nativitate factum est visibile et audibile; primae Ioannis primo [4]: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt de Verbo vitae: et vita manifestata est, et vidimus et testamur et annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem et apparuit nobis.* Hoc erat Verbum, quod desiderabant pastores, cum dicebant: *videamus hoc verbum* etc. Nec mirum, quia, Lucae decimo, *multi Prophetae et reges voluerunt videre quae vos videtis, et non viderunt* etc.; ut patet in sanctis Patribus; Isaiae sexagesimo quarto [5]: *Utinam dirumperes caelos et descenderes;* et omnes alii; *et audire*, scilicet Filium Dei in carne loquentem, *et non audierunt*. Unde ad Hebraeos primo: *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.* Et ideo pastores festinaverunt videre quod alii videre non potuerunt. — Sic igitur tangitur pastorum fervens dilectio et ipsorum pia confessio secundum litteralem sensum [6].

Tertio, nativitatem.

II. Secundum autem *spiritualem* sensum possunt esse verba *contemplativorum* contemplantium Christi incarnationem, et possunt ibi duo notari: primum est ad visionem *praeparatio* dispositiva, cum dicitur: *Transeamus;* secundum est *visio* confortativa, cum dicitur: *et videamus.* Est autem quadruplex transitus disponens ad quadruplicem visionem Dei.

Pars II. Spiritualis expositio tangit duo.

Quadruplex transitus.

Est enim transitus *ab ignorantia ad sapientiam;* Ecclesiastae secundo [7]: *Transivi ad contemplandam sapientiam erroresque et stultitiam.* Et nota, quod dicitur *transivi* ad similitudinem illorum qui relinquunt patriam, ut percipiant sapientiam. Hieronymus in epistola ad Paulinum [8]: « Legimus in veteribus historiis, quosdam lustrasse provincias, novos adiisse populos, maria transisse » etc. ad contemplandam sapientiam, secundum consilium ipsius Ecclesiastici vigesimo quarto [9]: *Transite ad me, omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini.* Cum desiderio enim attendenda est *sapientia*, quia ipsa *est pretiosior cunctis opibus* etc., Proverbiorum tertio. *Erroresque et stultitiam*, quia contemplando stultitiam alienam proficit homo ad sapientiam; Proverbiorum vigesimo quarto: *Per agrum hominis pigri transivi et per vineam viri stulti. Et ecce, totum repleverant urticae* etc. *Et cum vidissem, posui in corde meo et exemplo didici disciplinam;* quia ex consideratione stultitiae alienae assumit homo sibi exemplum cautelae, ut patet in illo divite, Lucae duodecimo: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te* etc.

Transitus primus.

Est etiam transitus *de culpa ad poenitentiam;* Isaiae quadragesimo quinto [10]: *Labor Aegypti et negotiatio Aethiopiae et Sabaim viri sublimes ad te transibunt et tui erunt. Post te ambulabunt, vincti manicis pergent et te adorabunt teque deprecabuntur.* In *labore Aegypti* intelligitur luxuria. *Aegyptus* interpretatur tenebrae, ad quas observant, luxuriosi

Secundus.

---

[1] Ioan. 1, 3. et 14; sequitur Ps. 117, 23.

[2] Bernard., Serm. III. in Vigilia Nativit. Domini, n. 7-10, multis omissis et nonnullis transpositis.

[3] Cap. 13. n. 12.

[4] Vers. 1. seq.; sequitur Luc. 10, 24.

[5] Vers. 1. et deinde Hebr. 1, 1. seq.

[6] Haec prima pars non habetur nisi in solo cod. Tudertino n. 182.

[7] Vers. 12.

[8] Epist. 53. (alias 103.) n. 1.

[9] Vers. 26; sequitur Prov. 3, 15. et 24, 30-32. et Luc. 12, 20.

[10] Vers. 14.

scilicet; Iob vigesimo quarto [1]: *Oculus adulteri observat caliginem, dicens: Non me videbit oculus.* In *negotiatione Aethiopiae*, avaritia, propter quam fit negotiatio. Per *Sabaim viri sublimes*, superbia. Tales ergo *ad te transibunt* per poenitentiam, *post te ambulabunt* per carnis macerationem et abstinentiam, tollendo crucem qui prius diffluebant per luxuriam. *Te adorabunt* per reverentiam qui prius te inhonorabant per inobedientiam; *te deprecabuntur*, implorando misericordiam qui prius non timebant iustitiam. Ad istum transitum monet Isaias, Isaiae vigesimo tertio [2]: *Transi terram tuam*, id est terrenam conversationem, *quasi flumen, filia maris*, id est anima peccatrix, quae es in mundo, qui per *mare*
Hortatio. ostenditur. — Transi ergo « festinando ad caelum », sicut dicit Interlinearis, quia Matthaei tertio: *Poenitentiam agite; appropinquavit enim regnum caelorum.* Fugientibus autem poenitentiam et quaerentibus consolationem terrenam appropinquat poena aeterna; Lucae sexto [3]: *Vae vobis, divitibus! quia habetis consolationem vestram.* Bernardus [4]: « Vae iis qui vanam et transitoriam laetitiam quaerunt; cum enim de transitoriis laetitiam quaerunt, non poterit non transire iis, de quibus erat ». Sicut enim deficientibus lignis ignis deficit, sic *transit mundus et concupiscentia eius*, primae Ioannis secundo. Transeamus ergo a culpa ad poenitentiam.

Est etiam transitus *a poenitentia ad abundantem iustitiam*; Genesis trigesimo tertio [5]: *Iacob venit*
Transitus tertius. *in Socoth, ubi aedificata domo et fixis tentoriis, vocavit nomen loci illius* Socoth, *id est tabernacula. Transivitque in Salem. Iacob* interpretatur luctator, et *Salem* iustitia, vel consummatio perfectionis. Per transitum ergo Iacob in Salem significatur transitus eius qui supplantavit vitia per poenitentiam, ad abundantem iustitiam. Ad hunc transitum monet Isaias, Isaiae sexagesimo secundo: *Transite, transite per portas, praeparate viam populo, planum facite iter, eligite lapides et elevate signum ad populos.*
Explicatio. — Hoc praecipue dicitur ministris Ecclesiae et praelatis; loquitur enim custodibus murorum Ecclesiae, et isti sunt praelati; *super muros tuos, Ierusalem, constitui custodes, tota die et tota nocte in perpetuum non tacebunt.* Istis dicitur *transite, transite*; non sufficit eis *transire per portas* poenitentiae, per contritionem etc., sed etiam debent transire per portas iustitiae; unde Glossa [6] per portas exponit « virtutes, quae ducunt in caelum », quia debent ire *de virtute in virtutem*, id est in abundanti et perfecta iustitia se exercendo et subditos suos ad poenitentiam exhortando. Et ideo dicit: *praeparate viam populo*, per praedicationem et doctrinam; Lucae primo [7]: *Praeibis ante faciem Domini, parare vias eius. Planum facite iter*, per scandalorum amotionem. Unde sequitur: *eligite lapides* etc., id est duros homines et incorrigibiles; *et levate signum ad populos*, per Christi ostensionem; ad Philippenses secundo: *Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.*
— Sed econtra faciunt hodie; Ieremiae: *Grex perditus* Obiurge. *factus est populus meus, pastores eorum seduxerunt eos feceruntque vagari in montibus.*

Est etiam transitus *de miseria ad gloriam*; Transitus quartus. Threnorum primo [8]: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus*; et sunt verba animae peccatricis peccatis compressae, considerantis alios, qui euntes per veram *viam*, quae est Christus, transeunt ad patriam, et ex hoc, quod cum illis non potest transire ad patriam, gemit; et hoc propter obicem peccati, quem sibi opposuit; Iob decimo nono: *Semitam meam circumsepsit, et transire non possum.* De hoc transitu Psalmus: *Transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei. In voce exsultationis et confessionis sonus epulantis*; gaudia, quae ibi erunt, (describuntur) Isaiae penultimo: *Ecce, servi mei comedent, et vos esurietis; ecce, servi mei bibent, et vos sitietis; ecce, servi mei laetabuntur, et vos confundemini; ecce, servi mei laudabunt prae exsultatione cordis, et vos clamabitis prae dolore cordis et prae contritione spiritus ululabitis.* Bernardus super Cantica [9]: « Festinemus ad locum tutiorem, ad pastum suaviorem, ad uberiorem et fertiliorem agrum. Festinemus, ut habitemus sine metu, abundemus sine defectu, epulemur sine fastidio ».

III. Secundum quod est quadruplex transitus, Pars III., sic quadruplex. sic etiam est quadruplex *visio*, ad quam disponit quadruplex transitus, scilicet primo *ab ignorantia ad sapientiam.* — Est enim visio, qua videtur Deus Visio 4. in *creatura*, et sic videtur a transeuntibus ab ignorantia ad sapientiam; Sapientiae decimo tertio [10]: *A magnitudine speciei et creaturae cognoscibiliter poterit Creator horum videri*; ad Romanos primo: *Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et Divinitas.* Glossa: « Consideraverunt, quidquid est in substantiis etc. ». Magnitudo enim creaturae et nobilitas clamat dignitatem et magnitudinem Creatoris; unde Sapientiae decimo tertio [11]: *Quorum si specie delectati deos putaverunt, sciant, quanto his Dominator eorum speciosior est.* Unde Augustinus secundo de Libero Arbitrio [12]: « O suavissima lux purgatae mentis, sapientia; non enim

[1] Vers. 15.
[2] Vers. 10; sequitur Glossa *interlinearis* in hunc locum et Matth. 3, 2.
[3] Vers. 24.
[4] Locum Bernardi non invenimus; sequitur I. Ioan. 2, 17.
[5] Vers. 17. seq.; sequitur Isai. 62, 10. et 6.
[6] Scilicet *ordinaria* in Isai. 64, 10, ubi respicitur Ps. 83, 8.
[7] Vers. 76; deinde sequuntur Phil. 2, 15. et Ier. 50, 6.
[8] Vers. 12; sequuntur Iob 19, 8; Ps. 41, 5; Isai. 65, 13.
[9] Serm. 33. n. 4.
[10] Vers. 5; sequitur Rom. 1, 20. — Glossa est Petri Lombardi in hunc locum, ita prosequens: « vel corpus esse, vel spiritum; meliusque aliquid spiritum esse quam corpus » etc.
[11] Vers. 3. — Infra locus Augustini est II. de Lib. Arbitr. c. 16. n. 43.
[12] Libr. II. c. 16. n. 43. Sequitur Damasc., de Fide orthod. II. c. 6.

cessas innuere nobis, quae et quanta sis, et nutus tui sunt omne creaturarum decus ». Damascenus: « *Enarrant caeli gloriam Dei* [1], non quod eiusmodi vocem mittant, quae auribus sensibilibus percipiatur, sed ex propria magnitudine Conditoris virtutem nobis ostendentes; quorum inspecta pulcritudine excogitantes, factorem sicut optimum opificem admiramur et glorificamus ». Et non est in hac pulcritudine creaturae standum, sed debet referri ad laudem illius; quia Augustinus, de Libero Arbitrio libro secundo [2]: « Vae iis qui derelinquunt te ducem et oberrant in vestigiis tuis, qui nutus tuos pro te amant et obliviscuntur, quid innuas » !

Est etiam visio, qua videtur in humana *natura*
Visio 2. *assumta*, et ad hanc disponit transitus *a culpa ad poenitentiam*. Quamvis enim videant illum peccatores et visuri sint illum in iudicio in humanitate assumta, non tamen ad suam consolationem, sed damnationem. In persona poenitentium dicitur Isaiae quinquagesimo tertio [3]: *Et vidimus eum, et non erat aspectus*, ecce, eius humilitas; *et desideravimus eum*, non despeximus ut Iudaei et incredeli, *despectum et novissimum virorum*, qualis reputabatur ab aliis, *virum dolorum* etc. De hac visione Ioannis primo: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae*, quae non tantum redundabat in videntes, sed etiam in credentes et non videntes, quia Ioannis vigesimo: *Beati, qui non viderunt et crediderunt*. In iudicio autem videbitur ab omnibus universaliter, sed dissimiliter; Augustinus, primo de Trinitate ultimo [4]: « Omnes resurgentes videbunt eum in forma, qua potest ab omnibus videri, alii ad damnationem, et alii ad vitam aeternam »; et sequitur: « Quando Iudicem videbunt mali, non eis videbitur bonus, quia non ad eum gaudebunt corde, sed tunc *se plangent super eum omnes tribus terrae* »; Isaiae quinquagesimo secundo [5]: *Videbunt omnes fines terrae salutare Dei nostri*; Apocalypsis primo: *Videbit eum omnis oculus et qui eum pupugerunt, et plangent se super eum omnes tribus terrae*. — Si
Applicatio. ergo volumus videre in iudicio Iudicem istum secure, transeamus a culpa ad poenitentiam. Gregorius [6]: « Voluptatum fallacia nulla nos decipiat, nulla vana laetitia seducat ». Revocemus ante oculos mala, quae fecimus; consideremus, quam terribilis Iudex hic puniturus adveniat; mentem formemus ad lamenta; vita nostra ad tempus amarescat in poenitentia, ne aeternam amaritudinem sentiat in vindicta.

Tertio videtur Deus in humana *conscientia*, et
Visio 3. ad hanc disponit transitus *a poenitentia ad abundantem iustitiam*; Matthaei quinto [7]: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Oportet enim, quod mens purgetur a peccato, ut Deum videat, quia, primae Ioannis tertio, *omnis, qui peccat, non vidit Deum*. Requiritur etiam non solum purgatio a peccato, sed etiam abstractio ab amore mundano; Psalmus: *Vacate*, scilicet ab operibus et desideriis saecularibus, *et videte, quoniam ego sum Deus*. Augustinus, secundo de Doctrina christiana [8]: « Illi vident Deum, qui huic saeculo moriuntur; in quantum autem hic vivunt, non vident ». Augustinus, secundo de Trinitate: « Haec visio rapit omnem animam desiderio sui, tanto ardentiorem quanto mundiorem, et tanto mundiorem quanto ad spiritualia assurgentem, et tanto ad spiritualia assurgentem quanto a carnalibus morientem ». — Ad istam ergo visionem disponit Dispositio. transitus ad perfectam iustitiam; Augustinus, decimo quarto de Trinitate [9]: « In agnitione igitur Dei instiatque et sanctitate veritatis qui *de die in diem* proficiendo *renovatur* transfert amorem a temporalibus ad aeterna, a visibilibus ad intelligibilia, a carnalibus ad spiritualia, atque ab istis cupiditatem frenare ac minuere seque illis caritate alligare diligenter insistit ».

Quarto videtur Deus in gloria in sua *essentia* Visio 4. et natura a transeuntibus *a via ad patriam*; primae Ioannis tertio [10]: *Scimus, quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus*; ad Colossenses tertio: *Cum Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria*. In hac autem vita videri non potest; Exodi trigesimo tertio: *Non enim videbit me homo et vivet*; et hoc est, quia « visio est tota merces et beatitudo [11] ». — Beatificat autem ista Beatificat quadruplicier. Primo. visio *purgando* omnem *errorem* lumine interminabilis veritatis, et hoc ab iis qui, transeuntes ad sapientiam, viderunt eum increatum; Psalmus [12]: *In lumine tuo videbimus lumen*, id est, in Filio, *qui est splendor gloriae et figura substantiae eius, videbimus lumen*, Patrem. Hic enim *videmus per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem*. Unde Augustinus, decimo quinto de Trinitate [13]: « Nemo miretur in isto videndi modo, qui concessus est huic vitae, per speculum scilicet in aenigmate, laborare nos, ut quomodocumque videamus; nomen quippe hic non sonaret aenigmatis, si esset facilitas visionis ». Idem Augustinus ibidem, vigesimo quinto capitulo eiusdem libri: « Ibi veritatem sine nulla difficultate videbimus eaque clarissima et certissima perfruemur, nec aliquid quaeremus mente ratiocinante, sed contemplante cernemus ». — Beatificat etiam Secundo.

---

[1] Psalm. 18, 2. [2] Vide supra pag. 104, notam 10.
[3] Vers. 2. seq.; sequitur Ioan. 1, 14. et 20, 29.
[4] Cap. 13, n. 30; sequitur Ibid. n. 31.
[5] Vers. 10; sequitur Apoc. 1, 7.
[6] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 10. n. 7.
[7] Vers. 8; sequitur I. Ioan. 3, 6. et Ps. 45, 11.
[8] Cap. 7. n. 11. Sequitur August., II. de Trin. c. 17. n. 28.
[9] Cap. 17. n. 23, ubi respicitur II. Cor. 4, 16.
[10] Vers. 2; sequuntur Col. 3, 4. et Exod. 33, 20.
[11] August., Sermo 2. in Ps. 90. n. 13.
[12] Psalm. 35, 10; deinde sequuntur Hebr. I, 3. et I. Cor. 13, 12.
[13] Cap. 9. n. 16; sequitur c. 25. n. 45.

fugando omnem *dolorem* dulcedine inaestimabilis suavitatis ab iis qui, transeuntes a peccatis, viderunt Deum vel corporaliter, vel corde in humana natura; Ecclesiastae undecimo [1]: *Dulce lumen et delectabile est oculis videre solem;* Psalmus: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua;* Psalmus: *Adimplebis me laetitiu cum vultu tuo;* Ecclesiastici quadragesimo secundo: *Quis satiabitur, videns gloriam eius?* scilicet satietate generante fastidium, sed continuante desiderium; Ecclesiastici vigesimo quarto: *Qui edunt me adhuc esurient, et qui bibunt me*
Tertio. *adhuc sitient.* — Beatificat etiam *terminando* omnem *laborem* tranquillitate interminabilis quietis in his qui, transeuntes a multis laboribus ad perfectam iustitiam, viderunt Deum in propria conscientia. Ibi enim terminatur illud: *Vacate et videte* [2] etc., quia nihil aliud agetur ibi, nisi quod *vacabitur* Dei laudibus, qui erit *omnia in omnibus.* Augustinus ultimo de Civitate Dei: « Quanta erit illa felicitas, ubi nullum erit malum, nullum latebit bonum. *Vacabitur* Dei laudibus, qui erit *omnia in omnibus* »; et ibidem: « Sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur ». Apocalypsis [3]: *Amodo iam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis.*
Quarto. — Beatificat etiam *evacuando* omnem *timorem* certitudine immobilis firmitatis; Isaiae ultimo [4]: *Videbitis, et gaudebit cor vestrum;* et post: *Quia sicut caeli novi et terra nova, quae ego facio stare* immobilia *coram me, dicit Dominus; sic stabit semen vestrum et nomen vestrum.* Iam nullus potest esse timor, ubi *regem in decore suo videbunt* [5]. Quod nobis concedat etc.

Schema praecedentis sermonis.

Item, sermo fratris Bonaventurae ad Moniales de sancta Clara, in Nativitate Domini.

Transeamus usque Bethlehem et videamus hoc verbum, Lucae secundo [6].

Verba sunt vivorum devotorum Christi nativitatem contemplari et venerari affectantium exemplo
Visio quadruplex. pastorum. — Nota ergo circa ea, quod quicumque vult videre Dei Filium, Patris Verbum, et venerari et contemplari ipsum visione, quae est *in creatura* mundana tota, oportet, quod transeat de ignorantia ad sapientiam; Ecclesiastae secundo [7]: *Transivi ad contemplandam sapientiam.* — Visione, quae est in *natura assumta,* oportet, quod transeat de culpa ad poenitentiam; Isaiae quadragesimo quinto: *Viri sublimes ad te transibunt.* — Visione, quae est in *humana conscientia,* oportet, quod transeat de poenitentia ad abundantem institiam; Ecclesiastici vigesimo quarto: *Transite ad me, omnes, qui concupiscitis me.* — Visione, quae est in *essentia propria,* oportet, quod transeat de miseria ad gloriam; Psalmus: *Transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.*

Sermo II [8].

Verbum caro factum est, Ioannis primo [9].

Exprimitur in his verbis istud caeleste mysterium et admirabile sacramentum, istud opus magnificum et beneficium infinitum, quod Deus aeternus, humiliter se inclinans, limum nostrae naturae in suae assumsit unitatem personae. Tangitur ergo *as-* Divisio.
sumens nomine *Verbi, assumtum* nomine *carnis,* et *ipsa assumtio* et *copula* nomine *factionis.*.

I. Dicamus ergo *Verbum caro factum est.* Non Pars I.
est istud verbum syllabis compositum vel litteris exaratum, nec est verbum aëre fluidum vel coniugationibus declinatum; non est imaginative vel prophetice figuratum; sed plane hoc est Verbum Dei, Deus, quia *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* [10]. Ut autem hoc Ver- Duplex v
bum quale sit, melius innotescat; distinguamus verbum *mentale* et verbum *causale.* Verbum *mentale* est ipsa cogitatio vel conceptus mentis nostrae; Verbum *causale* est, de quo loquimur. Studeas ergo intelligere, quod *mentale* sit speculum, et *causale* sit speculatum. Non enim sine causa dicit Apostolus primae ad Corinthios decimo tertio: *Videmus nunc per speculum.* Est ergo *Verbum* istud, quod *caro factum* De Ver
est, Verbum Dei et *aeternaliter manativum* [11], *stabiliter permansivum, vocaliter progressivum, luculenter manifestativum, potenter operativum.*

Aeternaliter manativum, quia aeternaliter ma- Primo, aeternaliter manativo
nat Verbum de Patre, sicut verbum nostrum nascitur de mente [12]. Cum autem mens se ipsam intelligit, sui ipsius speciem in se gignit; et si ab aeterno se intelligeret, ab aeterno suam speciem generaret. Idem enim est *species,* quae de mente gignitur, et *verbum,* quod de mente nascitur. Quia ergo nunquam fuit Deus, quin se intelligeret; nunquam fuit Deus, quin Verbum diceret, nunquam fuit Pater, quin Filium ge- Comparat
neraret. — Nota bene etiam, quod cum verbum de mente [13] nascitur, opus habet gignente, tamen non

---

[1] Vers. 7; sequuntur Ps. 16, 15. et 15, 11. et Eccli. 42, 26. et 24, 29.

[2] Psalm. 45, 11; dein I. Cor. 15, 28. Sequitur August., loc. cit. c. 30. n. 4.

[3] Cap. 14, 13. [4] Cap. 66, 14. et 22.

[5] Isai. 33, 17. [6] Vers. 15.

[7] Vers. 12; sequuntur Isai. 45, 14; Eccli. 24, 26. et Ps. 41, 5.

[8] Iste sermo desumtus est ex cod. Trecensi Q. Eiusdem schema infra positum habetur, addito quarto membro, in A fol. 65 r. [9] Vers. 14.

[10] Ioan. 1, 1; sequitur I. Cor. 13, 12.

[11] Originale hic legit potius *emanatum.*

[12] De tota hac comparatione inter *verbum* mentis nostrae voce illud vestientis et *Verbum* divinum carne se vestiens cfr. Bonav., I. Sent. d. 27. p. II. q. 4; III. Sent. d. 1. a. 2. q. 3; de Reductione artium etc. num. 16. [13] Originale falso habet *de carne.*

indiget genitrice; et quod, si in divinis nascitur Filius de Patris substantia, non ei genitrix est requirenda. — Notabis et aliud, quod ita mens suam generat speciem, quod non per spatia temporum nec per curricula motionum. Sic mens verbum suum dicit, quod silentium non frangit nec sonitum ullum facit. — *Pereant a facie Dei* [1], qui captiosas argumentationes, immo deliriationes conficiunt, dicentes: Deus ab aeterno gignebat: ergo movebatur; vel Deus ab aeterno Verbum dixit: ergo silentium fregit! *Erraverunt ab utero*, sacrae scientiae, *locuti sunt falsa.*

Obiectio solvitur.

Hoc ergo est Verbum *stabiliter permansivum*, non oblivione delebile de corde Patris, non prolatione transibile, non loco separabile a dicente, sicut nec species a mente. Sicut enim a Patre manat quod stabiliter manat, sic procedit quod non recedit; Psalmus [2]: *In aeternum verbum tuum permanet;* Ioannis primo: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum.* Ubi notatur esse *fixum* quantum ad substantiam, cum dicit: *In principio erat Verbum;* et *distinctum* quantum ad personam, cum dicit: *et Verbum erat apud Deum;* et *divinum* quantum ad naturam, cum dicit: *et Deus erat Verbum; seclusum* [3] quantum ad nostram *notitiam*, cum dicit: *Hoc erat in principio apud Deum.* —

Secundo, stabiliter mansivum.

Hic volo, quod recurras ad verbum mentale et consideres istud *esse* arcanum et occultum, quod habet verbum in mente nostra, prinsquam foris sonet. Si enim Verbum divinum habet *esse* occultum, thesaurum voluit Moyses reserari humano generi, cum dicebat, Numerorum vigesimo: *Aperi eis thesaurum tuum, fontem aquae vivae, ut satiati, cesset murmuratio eorum. Et apparuit gloria Domini super eos.* Si *gloria Dei* erat *tunc* Verbum celare, non faceret tempore debito opus suum; propter quod sequitur tertia conditio:

Comparatur cum verbo mentali.

Hoc est Verbum *vocaliter progressivum.* Nam cum *venit plenitudo temporis* [4] in divina praescientia constituti, Verbum olim occultum e penetralibus Dei Patris in uterum venit castissimae Matris. — Nota ergo quod dico: in publicum progreditur verbum *mentale*, cum induit vestem *vocis;* progressum est in publicum Verbum *causale*, cum induit vestem *carnis.* Cum enim verbum mentale exterius profertur, quasi voce vestitur, et vox quidem ista progreditur, sonat in publicum, ut *signatum* maneat in occulto, quia *vox* percipitur sensu, *signatum* vero percipitur intellectu. Sed Verbum Patris prius quidem fuit nudum, quia nulli creaturae unitum; postea vero carne vestitum, ostendit exterius carnem, celans intra Divinitatem; Isaiae quadragesimo quinto: *Vere tu es Deus absconditus.* — Nota etiam, quod verbum mentis et verbum vocis non sunt *duo* verba, sed *unum*, prius quidem nudum, postea vestitum. Sic Verbum-caro, cum sit Deus et homo, non duo sunt, sed unus est Christus [5]. — Tertio nota, quod verbum assumendo voces, ita exit in publicum, quod non relinquit suum mentale domicilium; sic Christus venit in carnem, quod non relinquit suum fontale principium; Ioannis decimo quarto: *Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est?*

Tertio, vocaliter progressivum.

Comparatur cum verbo mentali tripliciter.

Primo.

Secundo.

Tertio.

Quarto, verbum istud est *luculenter manifestativum;* et hoc patet per verbum *mentale.* Est enim verbum nostrum, cum procedit in vocem, nuntius rationis, interpres mentis, manifestatio voluntatis; sic Verbum Dei, Deus secreta paterna nobis manifestavit; Ioannis primo [6]: *Deum nemo vidit unquam; unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. Lucerna pedibus meis verbum tuum et lumen semitis meis.* Non enim sumus, quasi nesciamus, quid velit Deus. Habemus enim *legatum a latere*, conscium regiae voluntatis, qui sic se toto fecit luculentam manifestationem et ethicam generalem et universalem in moribus disciplinam, ut non *agendum* sit aliter quam (egit) Christus, ut non *vivendum* aliter, quam vixit Christus, nec *patiendum* aliter, quam passus est Christus, nec *transeundum* aliter, quam transivit Christus.

Quarto, luculenter manifestativum; item, comparatur cum verbo mentali.

Quinto et ultimo istud Verbum est *potenter operativum.* Lege Augustinum, nono de Trinitate [7], et vide, quod omnia, « quae foris agimus, verbo apud nos intus edito praevenimus », in quo est auctoritas imperandi et virtus efficiendi; denique principes magis *dicendo* faciunt; hoc modo Deus dicendo *facit omnia;* Psalmus [8]: *Dixit, et facta sunt;* Sapientiae nono: *Fecisti omnia Verbo tuo.* Nos autem dicimus: *refecisti* omnia Verbo tuo. *Fecisti*, inquam, *omnia* Verbo tuo increato, et *refecisti* omnia Verbo incarnato. Sicut enim fuit potenter operativum in rerum *conditione*, quia *Verbo Domini caeli firmati sunt*, et omnia condita; sic potenter operativum fuit in rerum *reparatione;* Ioannis decimo quinto: *Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent.*

Quinto, potenter operativum.

Pars II.

Subdistinctio.

II. Sequitur: *caro factum est*, ubi tangitur *assumtum* nomine *carnis. Est* ergo *Verbum factum caro secundum* carnem pro vera humana ratione; caro *praeter* carnem pro vitata corruptione; caro *supra* carnem pro mira operatione; caro *contra* carnem pro carnis expurgatione; caro *propter* carnem pro finali salvatione.

---

[1] Psalm. 67, 3: *Pereant peccatores* etc. Deinde sequitur Ps. 57, 4.

[2] Psalm. 118, 89; sequitur Ioan. 1, 1. seq.

[3] Cfr. Forcellini: Festus: « Seclusa sacra dicebantur, quae Graeci mysteria appellant ». Sequitur Num. 20, 6.

[4] Gal. 4, 4; sequitur Isai. 45, 15.

[5] Cfr. Bonav., tom. III. dist. 6. a. 1. q. 1. Sequitur Ioan. 14, 10.

[6] Vers. 18; sequitur Ps. 118, 105.

[7] Cap. 7. n. 12; sequitur: Nemo enim volens aliquid facit, quod non in corde suo prius dixerit. — In seqq. aliquid deest.

[8] Psalm. 32, 9; sequuntur Sap. 9, 1; Ps. 32, 6. et Ioan. 15, 24.

De primo dicit Apostolus ad Romanos primo[1]: *Factus est ei ex semine David secundum carnem*, id est secundum verae carnis substantiam in divina persona. Si enim veram carnem non habuisset, timores et dolores non sensisset; Matthaei vigesimo sexto: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Item, si veram carnem non habuisset, palpabilis non fuisset; Lucae ultimo: *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* Item, si veram carnem non habuisset, carnem nostram non redemisset; nunc autem

Primo, factum secundum carnem. De qua tria.

« carne carnem liberans,
Ne perderet quos condidit[2] ».

Secundo *factum est caro praeter* carnem pro vitata corruptione. « Nihil enim in hanc singularem nativitatem de carnis concupiscentia transivit, nihil de peccati lege manavit »; Isaiae septimo[3]: *Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum. Butyrum et mel comedit*, quando carnem et animam assumsit, sed *malum reprobavit*, quando nec in *butyro* carnis habuit infectionem concupiscentiae, nec in *melle* habuit anima aculeum originalis iniustitiae. Praeter carnem ergo *factum est caro; praeter carnem*, dico, illo modo acceptam, quo significat corruptionem vitiosam; de qua Apostolus primae ad Corinthios decimo quinto: *Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptelam possidebit.*

Secundo, praeter carnem.

Tertio *factum est caro supra* carnem pro mira operatione. Non enim ratio naturalis auriga fuit vel artifex principalis in opere incarnationis, sed virtus sempiternalis; Isaiae quarto[4]: *Apprehendent septem mulieres virum unum in die illa*, scilicet conceptionis; istae *mulieres* fuerunt septem mirabiles *operationes*, quae in die conceptionis *apprehenderunt* Christum, quae in his nominibus exprimuntur: totius massae *sanctificatio*, carnis Christi *excisio, excisae formatio* sive organizatio, *animae creatio*, creatae in omni scientia et virtute *praedotatio*, carnis et animae ad invicem *iunctio*, carnis et animae sic unitarum a Verbo in unitate personae *assumtio*.

Tertio, supra carnem. Notandum.

Ulterius *factum est caro contra* carnem pro carnis expurgatione et subiugatione. Siquidem in humano genere, immo in ipso homine bellum erat: *caro concupiscebat adversus spiritum* et *spiritus adversus carnem*[5], et caro iam velut meretrix erat, quia in toto mundo quasi monarchiam et imperium obtinebat; Genesis sexto: *Omnis quippe caro corruperat viam suam.* Videns ergo divina Sapientia, omnium ordinatrix, ordinem suum fore corruptum, venit in carne; et in se ipsa carnem subiecit spiritui et subiiciendam monstravit, docuit et praecepit. — Contulit spiritui quatuor cumamenta[6] contra carnem: primo *exemplum* viventi in carne; ad Hebraeos quinto: *Qui in diebus carnis suae preces supplicationesque ad eum qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Augustinus, libro septimo de Trinitate: Factus est « exemplum sursum videntibus Deum, exemplum deorsum mirantibus hominem, exemplum sanis ad permanendum, exemplum infirmis ad convalescendum, exemplum morituris ad non timendum, exemplum mortuis ad resurgendum ». — Secundo contulit *praecepta* contra carnem; Lucae nono[7]: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam quotidie et sequatur me;* ad Galatas quinto: *Spiritu ambulate et desideria carnis non perficietis.* — Tertio contulit *arma* contra carnem, scilicet gratias et virtutes; secundae ad Corinthios decimo: *Arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum* etc.; ad Ephesios sexto: *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.* — Quarto contulit *remedia* contra carnem, scilicet gratias Sacramentorum ad relevandum casum per carnem; de quibus gratiis singulariter dicitur quarto Regum quinto[8]: *Vade et lavare septies in Iordane, et recipiet sanitatem caro tua.*

Cumamenta 4. Primum. Secundum. Tertium. Quartum.

Ultimo *factum est Verbum caro propter* carnem pro finali salvatione. Tota enim ratio incarnationis (est salvatio) animae et carnis[9]; Lucae tertio: *Videbit omnis caro salutare Dei.* Fecit ergo Verbum Dei, Deus de carne assumta *commercium* sive unionem, ut naturam nostram nobilitaret; *pretium*, ut naturam redimeret; *cibum*, ut naturam pasceret; *spectaculum*, ut naturam beatificaret. — De primo, Genesis secundo: *Erunt duo in carne una*, scilicet Deus et homo. Istud *commercium* fuit contractum per carnis assumtionem; unde dicere possumus illud Genesis secundo[10]: *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea.* — *Pretium*, ut naturam redimeret; primae Petri quarto[11]: *Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini;* ad Colossenses primo: *Reconciliavit vos in corpore carnis eius per mortem...* Cum dato tempore ant fiet emendatio, aut vindicta; Iob vigesimo primo[12]: *Et ego, quando recordatus fuero, pertimesco, et concutit carnem meam tremor.* — *Cibum*, ut naturam

Quinto, pro carne facta quatuor. Primum. Secundum. Tertium.

---

[1] Vers. 3; sequuntur Matth. 26, 41. et Luc. 24, 39.

[2] Breviar. Rom., Hymn. in Nat. Dom. ad Laudes. Sequitur S. Leo, serm. I. de Nativ. Dom. c. 1.

[3] Cap. 7, 15; sequitur 1. Cor. 15, 50.

[4] Vers. 1.

[5] Gal. 5, 17; sequitur Gen. 6, 12.

[6] Vide Du Cange. Sequitur Hebr. 5, 7. et August., VII. de Trin. c. 3. n. 5.

[7] Vers. 23; sequuntur Gal. 5, 16; II. Cor. 10, 4. et Eph. 6, 11.

[8] Vers. 10.

[9] Ita videtur intelligendus hic locus corruptus. Sequuntur Luc. 3, 6. et Gen. 2, 24.

[10] Vers. 23.

[11] Vers. 1; sequitur Coloss. 1, 22. Deinde nonnulla, quae legi non poterant, omissa sunt.

[12] Vers. 6.

pasceret; Ioannis sexto [1]: *Caro mea vere est cibus,* Quartum. *et sanguis meus vere est potus.* — *Spectaculum,* ut naturam beatificaret; Iob decimo nono: *Et in carne mea videbo Deum meum;* Ioannis decimo: *Ingredietur et egredietur et pascua inveniet; ingredietur* ad Verbum, *et inveniet pascua* in contemplatione Divinitatis, *et egredietur* ad carnem, *et pascua inveniet* in contemplatione humanitatis [2]. Est propterea *caro factum,* ut animam et carnem beatificaret, cui laus et gloria etc.

III. Sequitur: *factum est.* Ut autem haec co- Pars III. pula, quae hic innuitur, memoriae commendetur, ne- Subdivisio. cessario mihi occurrunt *factio, confectio, defectio, refectio, perfectio.* Sit autem *factio* potentiae operantis, sit *confectio* sapientiae temperantis vel moderantis, sit *defectio* excellentis naturae se humiliantis, sit *refectio* reparantis gratiae et relevantis, sit *perfectio* magnificentiae consummantis.

Primo ergo hoc factum secundum sui *factionem* Primo, de factione. est potentiae mirabiliter operantis, in quo facto sileat *natura* cum omnibus viribus [3] suis, sileat *ratio* cum omnibus locis suis, sileat *consuetudo* cum omnibus experimentis suis; exaltetur autem sola divina *potentia* cum miraculis suis. Propter quod exclamabat Isaias, Isaiae sexagesimo sexto [4]: *Quis audivit unquam tale? Et quis vidit huic simile?* Exclamabat Iob, Iob quinto: *Qui facit magna et inscrutabilia et mirabilia absque numero,* quia contra naturam, contra rationem, contra consuetudinem. Hanc potentiam exposcebat genus humanum; Psalmus [5]: *Excita potentiam tuam et veni, ut salvos facias nos.*

Et etiam in hoc facto *confectio* sapientiae tem- Secundo, de confectione. perantis, quae sic modificat divina et humana exaltat, ut, salva utriusque naturae veritate, contemperetur in hac copula immensitas parvitati, fortitudo debilitati, claritas obscuritati, immortalitas mortalitati, Divinitas humanitati, divitiae paupertati; Psalmus [6]: Similitudines Ires. *Simul in unum dives et pauper.* — Istud est *electrum* ex auro et argento confectum; Ezechielis primo: *De medio eius quasi species electri,* hoc est Deus humanatus. *Electrum* fit ex auro et argento, et Christus ex Divinitate et humanitate, dum Divinitas a fulgore suo nostris est aspectibus temperata, quia aurum per argentum pallescit. — Istud est *lutum,* cuius inunctione caecus sanatur; Ioannis nono: *Lutum fecit ex sputo.* Quid est *lutum ex sputo fucere* quam salivam, id est Sapientiam Dei Patris, cum limo nostrae carnis coniungere? — Istud est electrum, istud est lutum, istud est *osculum;* Canticorum primo [7]: *Osculetur me osculo oris sui,* quia osculum est medium inter osculans et osculatum; Bernardus: « Sit *osculans* Verbum assumens, *osculatum* caro, quae assumitur, *osculum* vero, quod pariter ab osculante et osculato conficitur, persona ipsa, scilicet ex utroque compacta, *mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus* ».

Est quoque in hoc verbo *caro factum defectio* Tertio, de defectione. excellentiae naturae se humiliantis, *evacuans quod ex parte est* [8], (hoc) oportet intelligi scilicet quoad apparentiam et reputationem humanam; ad Philippenses secundo [9]: *Humiliavit semetipsum, semetipsum exinanivit* etc. Bernardus: « Deposuit diadema, pulvere aspersit caput, visus est non habere speciem neque decorem »; tantum, ut sola creatura videretur et creatura peccatrix. Magna defectio apparet, quando sol iste materialis fiet *niger sicut saccus cilicinus* [10]; maior satis hic, cum sol iustitiae similitudinem induit nostrae culpae et veritatem poenalitatis nostrae. De ista apparentia Gregorius in Moralibus, libro decimo sexto [11]: « Fortis super omnia apparuit infirmus inter omnia, ut, dum nobis ex assumta infirmitate congrueret, ad permanentem nos suam fortitudinem elevaret ».

Est etiam in hoc verbo *caro factum refectio* Quarto, de refectione. gratiae reparantis, quia, dum caro, id est homo, efficitur quod fecit, reficitur quod defecit. Augustinus [12]: « Quo omnia fecit, eo refecit »; Verbo autem fecit et eo refecit; Verbum increatum fecit hominem, sed Verbum incarnatum refecit hominem. — Non debuit tam Ratio. nobilem structuram, id est humanam naturam, alius architectus fabricare, et dirutam instaurare, sed idem fabricavit eam Creator Deus, et instauravit eam Deus-homo; ad Ephesios primo [13]: *Instaurare omnia in Christo, quae in caelis et quae in terra sunt, in ipso.* Si fecisset, et alius refecisset, genus humanum duo inconvenientia incurreret, scilicet quod tributum Duo inconvenientia. honoris deberemus alteri, et homo non fuisset ad illam arcem pristinam restitutus; secundum, quod Deus non fuisset vel videretur plene reconciliatus, si in faciendo apposuisset manum propriam, sed alienam in reficiendo [14]; Exodi trigesimo tertio: *Si non tu ipse praecedas, ne educas nos de loco isto.*

Est etiam in hoc verbo *perfectio* magnificentiae Quinto, de perfectione duplicitei. consummantis et complentis omnia; quia figura sphaerica attestatur perfectionem in corporibus *maioris* mundi et *minoris.* In *maiori* mundo maiora corpora habent figuram rotundam, ut caelum, sol et luna etc.; in *minori,* ut in homine, nobiliora membra figuram habent rotundam, ut caput, cor et oculus. Ista figura non est in universo completa. Ut autem perfectissima

---

[1] Vers. 56; sequuntur Iob 19, 26. et Ioan. 10, 9.
[2] Cfr. Itinerarium mentis in Deum, Prologus, n. 3.
[3] Supplevimus vocem *viribus.*
[4] Vers. 8; deinde sequitur Iob 5, 9.
[5] Psalm. 79, 3.
[6] Psalm. 48, 3; sequuntur Ezech. 1, 4; Ioan. 9, 6.
[7] Vers. 1; sequitur Bernard., serm. 2. in Cant. n. 3, ubi respicitur I. Tim. 2, 5.
[8] Epist. I. Cor. 13, 10. Ante *Evacuans* supple: Verba.
[9] Vers. 8, 7. — Sequitur Bernard., serm. 3. in Nativ. Dom. n. 4.
[10] Apoc. 6, 12.
[11] Cap. 30. n. 37.
[12] Serm. 176. (alias 10. de Verbis Apost.) c. 5. n. 5.
[13] Vers. 10.
[14] Supplevimus *si* ante *in faciendo* et hic *in reficiendo.* Sequitur Exod. 33, 15.

esset figura, universitatis linea curvata est in circulum; primus enim simpliciter Deus, ultimus in operibus mundi homo. Cum ergo Deus factus est homo, *Dei perfecta sunt opera* [1]. Ideo ipse Christus, Deushomo vocatur *alpha et omega*, id est *principium et finis*, et ideo, quia audistis, quod finis omnium, homo, dicitur etiam *primus et novissimus*. — Est etiam aliqno modo intelligere (? hanc) perfectionem in naturali dispositione [2]. Ut nobilissima omnium potentiarum receptivarum, quae erat in humana natura plantata, scilicet unibilitas cum divina in unitate personae, non esset otiosa, est in actum reducta; per hoc autem, dum in actum reducitur, omnis creaturae perfectio ultimatur, et in illo uno tota unitas consummatur; Isaiae duodecimo [3]: *Cantate Domino, quoniam magnifice fecit*, quoad completionem primam; *exsulta et lauda, habitatio Sion*, id est humana natura, *quia magnus in medio tui sanctus Israel*, quoad secundam suae potentiae receptionem. Augustinus [4]: « Carissime, ista potentia te confirmet in actibus vel fide, quia universum complet; illa sapientia te contemperet in moribus; illa excellentia te humiliet in affectibus, vel eadem (?) te restauret per misericordiam in praesenti, illa magnificentia te consummet in praemiis per gloriam in futuro » Amen.

Alia ratio.

Sermonis praecedentis schema.

Item, sermo fratris Bonaventurae editus Parisius in domo Fratrum coram Universitate in die Nativitatis, de mane.

Verbum caro factum est et habitavit in nobis, Ioannis primo [5].

In hoc brevi verbo per sanctum et sanctificatum, illuminatum et inflammatum Ioannem Evangelistam describitur nobis illud caeleste mysterium, arcanum et admirabile sacramentum, illud opus magnificum et beneficium infinitum, quo Deus aeternus, nostrae se humilitati profunda caritate inclinans, limum nostrae mortalitatis in unione suae personae assumsit. Tanguntur vero hic quatuor, scilicet *persona assumens, natura assumta, ipsa assumtio* sive copula, et *ipsius naturae* divinae et humanae *unitae conversatio* inter homines benedicta. Primum nota in nomine *Verbum;* secundum in nomine *carnis;* tertium in nomine *factionis;* quartum in nomine *habitationis in nobis*.

Divisio.

Factus est autem Dei Filius homo in nostrum aeternum *commercium*, ut scilicet nostram naturam nobilitaret; in figura cuius rei dicitur Genesis secundo [6]: *Hoc nunc os de ossibus meis, et caro de carne mea*, dixit Adam regressus ab extasi. — In nostrum aeternum *documentum*, ut scilicet nostram naturam erudiret et cautam ab immundis redderet; secundi Regum decimo nono: *Fratres mei vos, os meum et caro mea vos.* — In nostrum aeternum *pabulum*, ut scilicet nostram naturam reficeret; Ioannis sexto: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* — In nostrum aeternum *praemium*, ut scilicet nostram naturam redimeret; primae Petri quarto [7]: *Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini.* — In nostrum aeternum *speculum*, ut scilicet nostram naturam beatificaret; Iob decimo nono: *In carne mea videbo Deum meum.*

De 4. membro quinque.

Sermo III [8].

Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, Lucae secundo [9].

Verbum propositum est inenarrabilis gaudii; perfectio autem istius gaudii attenditur quantum ad tria; quantum ad gaudii *magnitudinem*, cum dicitur: *Evangelizo vobis gaudium magnum;* quantum ad gaudii *latitudinem*, cum dicitur: *quod erit omni populo;* quantum ad gaudii *perfectam rationem*, in hoc quod dicitur: *quia natus est* etc.

Divisio.

I. Quantum ad primum notandum est, quod illud gaudium debet esse *magnum* in cordibus fidelium, quia hodierna die fuit *inchoata laetitia*, quia hodie *terminata tristitia*, quia hodie *consummata iustitia*, quia hodie *renovata* inter Deum et hominem *pristina amicitia*. Haec quatuor sumuntur secundum quatuor, quae deerant humano generi ante adventum Filii Dei. Deerat enim ei *laetitia* quantum ad affectum, *hilaritas* quantum ad aspectum, *perfectio iustitiae* quantum ad effectum, *reconciliatio* divinae amicitiae quantum ad amplexum.

Pars I.

Subdivisio.

Primum igitur fuit Verbum incarnatum *inchoativum laetitiae;* Ieremiae decimo quinto [10]: *Factum est mihi verbum tuum in gaudium et laetitiam* etc.; hoc est Verbum, de quo Ioannis primo: *Verbum caro factum est* etc.; Isaiae trigesimo quinto: *Gaudium et laetitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus;* Ieremiae trigesimo primo: *Convertam luctum eorum in gaudium.* Laetificavit nos Salvator noster hodie, quando vagiebat in praesepio, ut sua tristitia in nobis laetitiam inchoaret. Bernardus [11]: « O nativitas

Primo, de inchoata laetitia.

---

[1] Deut. 32, 4; sequuntur Apoc. 1, 8. et 22, 13. — Hic aliquid excidisse videtur, ut et in sequentibus; meliori quo potuimus modo sententiam insinuavimus.

[2] In textu incongrue habetur *incarnatione*, et infra ante *esset otiosa* supplevimus *non*.

[3] Vers. 5. seq.

[4] Iste locus frustra quaesitus est.

[5] Vers. 14.

[6] Vers. 33; sequuntur II. Reg. 19, 12. et Ioan. 6, 56.

[7] Vers. 1; sequitur Iob 19, 26.

[8] Habetur in cod. Florentino U fol. 77 r. et in Trecensi Q fol. 99 r. et paulo diffusius in cod. Tudertino n. 140. fol. 153. Ex parte conveniunt codd. Tudertini n. 64. fol. 57, n. 115. fol. 36 r. et n. 104. fol. 36. — Schema partis huius sermonis ex A fol. 64 r. sequitur infra.

[9] Vers. 10. seq.

[10] Vers. 16; sequuntur Ioan. 1, 14; Isai. 35, 10. et Ier. 31, 13.

[11] Serm. 1. in Vigilia Nativit. n. 1. et super *Missus est*, homil. 2. n. 9.

ilibata sanctitate, honorabilis mundo, amabilis hominibus! Nova ac mira profecto ibi inspicit qui diligenter inquirit. Porro, ibi cognoscitur longitudo brevis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana; ibi agnoscitor lux non lucens, aqua sitiens, panis esuriens. Vides, si attendas, potentiam regi, sapientiam instrui, virtutem sustentari, Deum denique latentem, sed Angelos reficientem, vagientem, sed miseros consolantem. Videas tristari laetitiam, pavere fiduciam, salutem pati, vitam mori, fortitudinem infirmari; sed, quod non minus admirandum, ibi agnoscitur tristitia laetificans, pavor confortans, passio salvans, mors vivificans, infirmitas roborans».

Invitatio. — Ad istius gaudii laetitiam invitans Isaias Ecclesiam militantem secundum conformitatem Ecclesiae triumphantis ait [1]: *Laetamini cum Ierusalem et exsultate cum ea, omnes, qui diligitis eam, gaudete cum ea gaudio, universi, qui lugetis super eam;* et sequitur: *Ut delicitis affluatis ab omnimoda gloria eius;* Glossa: «Fide, virtutibus, operibus, cognitione Divinitatis et humanitatis Christi». Nam, sicut idem Propheta ait [2], *gaudium et laetitia invenietur in ea, gratiarum actio et vox laudis.* Sicut enim mater consolatur filios suos, ita Creator noster consolabitur omnem creaturam humanam; Isaiae sexagesimo sexto: *Sicut mater consolatur filios suos, ita et ego consolabor vos,* dicit Dominus; Ioannis decimo sexto: *Videbo vos, et gaudebit cor vestrum.*

Secundo, de terminata tristitia.

Secundo fuit *terminativum tristitiae*, quod optime praefigurative dictum est Esther decimo sexto [3]: *Hanc enim diem Deus omnipotens moeroris et luctus vertit in gaudium.* Luctus et tristitia erant in vultu hominis propter primae praevaricationis offensam, sed in gaudium conversa sunt in Christi nativitate; et in eo inventur gaudium, quod in nulla creatura inveniri potuit. Unde Bernardus [4]: «Solum est vernum gaudium, quod non de creatura, sed de Creatore concipitur, cui comparata omnis alia iucunditas moeror est, omnis suavitas dolor est, omne, quod delectare potest, molestum». Isaiae trigesimo quinto [5]: *Gaudium et laetitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus.*

Tertio, de consummata iustitia.

Tertium fuit *consummatio* vel perfectio *iustitiae*; Isaiae sexagesimo primo [6]: *Gaudens gaudebo in Domino;* et post: *indumento iustitiae circumdedit me;* ecce, perfecta iustitia, qua circumdata est humana creatura, quando *iustitia de caelo prospexit;* Psalmus: *Orietur in diebus eius iustitia et abundantia pacis.* Et haec est maxima materia gaudii, quia, Proverbiorum vigesimo primo [7], *gaudium iusto est facere iudicium;* placent enim Deo opera iusti viri: *Vade et comede in laetitia panem tuum et bibe cum gaudio vinum tuum, quia Deo placent opera tua.*

Quarto, de renovata amicitia.

Quarto fuit *reparativum* inter Deum et hominem *confoederationis antiquae; ipse* enim *est pax nostra* [8]; et ideo Lucae secundo: *Et in terra pax hominibus bonae voluntatis;* Tobiae decimo tertio: *Beati omnes, qui diligunt te et qui gaudent super pace tua;* Isaiae sexagesimo quinto: *Non erunt in memoria priora,* scilicet peccata ad puniendum, *sed gaudebitis et exsultabitis usque in sempiternum in his quae ego creo;* et Zachariae nono [9]: *Loquetur pacem gentibus.* Et de hoc debet esse gaudium, quia, Proverbiorum duodecimo, *qui pacis ineunt consilia, sequitur eos gaudium.*

Pars II. Primo, latitudo quoad peccatores.

II. Secundo notatur hic gaudii *latitudo*, cum dicitur: *quod erit omni populo.* Hoc gaudium extendit se ad omnes, scilicet ad *peccatorem confitentem*, ut in eo inchoetur laetitia; Esther octavo [10]: *Iudaeis nova lux oriri visa est, gaudium, honor et tripudium. Iudaeus* interpretatur confitens et significat poenitentem, cui debet esse *gaudium* in contritione, *honor* in confessione, *tripudium* in satisfactione; Isaiae quinquagesimo secundo: *Gaudete et laudate simul, deserta Ierusalem,* quasi dicat: vos quondam derelicti a Deo, gaudete, *quia consolatus est Dominus populum suum, redemit Ierusalem;* Zachariae octavo: *Erit domui Iuda in gaudium et laetitiam.*

Secundo, quoad Virginem.

Ad *Virginem parientem*, ut in ea supplantetur tristitia. Nam ipsa sine tristitia parturivit; unde ipsa potuit dicere illud Habacuc tertio [11]: *Ego autem in Domino gaudebo et exsultabo in Deo Iesu meo;* et Proverbiorum vigesimo tertio: *Gaudeat pater tuus et mater tua, et exsultet quae genuit te.* Re vera gaudebat Puella pariens et congratulabatur quam plurimum, ceteros ad secum gratulandum invitans, secundum quod in persona eius cantat Ecclesia [12]: «Congratulamini mihi, omnes, qui diligitis Dominum, quia, cum essem parvula, placui Altissimo et de meis visceribus genui Deum et hominem».

Tertio, quoad iustum.

Ad *iustum gratiam obtinentem*, ut in eo consummetur institia; Ioannis tertio [13]: *Amicus autem sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est;* Ioannis octavo: *Abraham, pater vester, exsultavit, ut videret diem meum, vidit et gavisus est;*

---

[1] Cap. 66, 10. seq.; sequitur Glossa *interlinearis* in hunc locum.

[2] Cap. 51, 3; sequuntur 66, 13: *Quomodo, si cui mater blanditur, ita ego* etc., et Ioan. 16, 22.

[3] Vers. 21. — Omnia, quae praecedunt a verbis *Ad istius gaudii laetitiam* usque *Hanc enim diem* adiunximus ex cod. Tuderi. n. 140.

[4] Epist. 114. n. 1, nonnullis hic omissis.

[5] Vers. 10.

[6] Vers. 10; sequitur Ps. 84, 12. et 71, 7.

[7] Vers. 15; sequitur Eccle. 9, 7.

[8] Eph. 2, 14; sequuntur Luc. 2, 14; Tob. 13, 18. et Isai. 65, 17. seq.

[9] Vers. 10; sequitur Prov. 12, 20.

[10] Vers. 16; sequitur Isai. 52, 9. et Zach. 8, 19.

[11] Vers. 18; sequitur Prov. 23, 25.

[12] Haec magis diffusa verba *Re vera gaudent* etc., sumsimus ex cod. Tudertino n. 140.

[13] Vers. 29. et 8, 56.

et Lucae primo [1]: *Exultavit in gaudio infans in utero meo;* Psalmus: *Lux orta est iusto, et rectis corde laetitia.*

Quarto, quand Angelum. Ad *Angelum gloriam possidentem;* nam inter ipsum et hominem renovatur amicitia; Apocalypsis decimo nono [2]: Vox est Angelorum: *Gaudeamus et exsultemus et demus gloriam ei, quia venerunt nuptiae Agni, et uxor eius praeparavit se;* et illud: « Gaudet chorus caelestium, et Angeli canunt Deo [3] » etc.

Pars III. III. Tertio notatur *perfecta* ipsius gaudii *ratio, quia natus est hodie Salvator.* De hoc Salvatore Isaiae quadragesimo quinto [4]: *Rorate, caeli, desuper, et nubes pluant iustum* etc.; primae Ioannis quarto:

Salvator primo est clemens. *Misit Filium suum Salvatorem mundi.* — Iste autem *Salvator*, qui *natus est hodie*, est *clemens* in liberando a culpa peccatorem; Danielis sexto [5]: *Ipse liberator atque salvator;* Matthaei primo: *Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum;* Isaiae quadragesimo tertio [6]: *Non est absque me salvator;* ad Titum tertio: *Non ex operibus iustitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit;* et sic est gratuita.

Secundo, fortis. Est *fortis* in protegendo Virginem in partu a poena; Isaiae duodecimo [7]: *Ecce, Deus* Salvator *meus; fiducialiter agam et non timebo, quia fortitudo mea et laus mea Dominus et factus est mihi in salutem;* et Ecclesiastici quinquagesimo primo: *Confitebor tibi, Domine rex, et laudabo te Deum Salvatorem meum;* Isaiae quadragesimo tertio [8]: *Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te, cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te, quia ego Dominus Deus tuus, sanctus Israel, Salvator tuus;* et Isaiae vigesimo sexto: *Urbs fortitudinis nostrae Sion Salvator, ponetur in ea murus* etc.; et sexagesimo tertio: *Factus est eis salvator. In omni tribulatione eorum non est tribulatus.*

Tertio, promptus. Est *promptus* in subveniendo indesinenter iusto per gratiam; Isaiae quinquagesimo primo [9]: *Prope est iustus meus, egressus est Salvator meus;* Isaiae duodecimo: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, quia magnus in medio tui Sanctus Israel.*

Quarto est *liberalis* in remunerando in gloria; Quarto, liberalis. Isaiae sexagesimo secundo [10]: *Dicite filiae Sion: ecce, Salvator tuus venit, ecce, merces eius cum eo; merces,* inquam, aeternae salvationis; Isaiae quadragesimo quinto: *Israel salvatus est in Domino salute aeterna*, et hoc quantum ad corporis glorificationem; ad Philippenses tertio [11]: *Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae;* et quantum ad gloriam animae singularem; ad Titum secundo: *Sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo, exspectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri, Iesu Christi.*

Schema praecedentis sermonis [12].

Item, sermo fratris Bonaventurae editus Assisii in die Nativitatis ad sanctam Claram, post Nonam ad populum.

Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, Lucae secundo [13].

Divisio. In hac auctoritate exprimitur perfectio gaudii celebritatis hodiernae quantum ad *magnitudinem* laetitiae intensivae, quia de re magna; quantum ad *latitudinem* laetitiae extensivae, quia de re universaliter formosa; et quantum ad *rationem* laetitiae completivam, *quia natus est Salvator.*

De 1. membre quatre. *Evangelizo*, inquit Angelus, quantum ad ista tria, *vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est hodie vobis Salvator.* Debemus autem gaudere, quia hodie *inchoata* fuit nostra vera *laetitia;* Ieremiae decimo quinto [14]: *Factum est mihi verbum tuum in gaudium et laetitiam cordis mei, quoniam invocatum est nomen tuum super me.* — Quia hodie *terminata* fuit nostra magna *tristitia;* Esther nono: *Luctus atque tristitia in gaudium conversa sunt*, quia *Iudaeis nova lux oriri visa est.* — Quia hodie *consummata* fuit nostra parva *iustitia;* Isaiae sexagesimo primo [15]: *Gaudens gaudebo in Domino* etc., *quia induit me* etc. Quia hodie *renovata* fuit inter nos et Deum *amicitia;* Isaiae sexagesimo quinto: *Non erunt in memoria priora, sed gaudebitis et exsultabitis usque in sempiternum.*

De 2. et membro novem. Invitant autem nos hodie ad gaudendum incarnati Verbi mysterium et per hoc divinum circa nos *beneplacitum;* Pueri nati *solatium;* reparationis nostrae *initium;* angelicae restaurationis *subsidium;* Virginis parientis *prodigium;* Parvuli vagientis *spectaculum;* ovis lactantis *suffragium;* pastorum simplicium beatum *tripudium;* supernorum spirituum hymnus et *iubilus.*

Sermo IV [16].

In Nativitate Domini sermo fratris Bonaventurae editus Parisius in domo Fratrum Minorum coram Universitate Parisiensi.

Vide arcum et benedic eum qui fecit illum; valde speciosus est in splendore suo. Gyravit caelum

---

[1] Vers. 44; sequitur Ps. 96, 11. [2] Vers. 7.
[3] Brevior. Rom., Hymn. Nativ. Dom. ad Laudes.
[4] Vers. 8; sequitur I. Ioan. 4, 14.
[5] Vers. 27; sequitur Matth. 1, 21.
[6] Vers. 11; sequitur Tit. 3, 5.
[7] Vers. 2; sequitur Eccli. 51, 1.
[8] Vers. 2. seq ; sequitur ibid. c. 26, 1. et 63, 8. seq.
[9] Vers. 5; sequitur c. 12, 3. 6.
[10] Vers. 11; sequitur c. 45, 17.
[11] Vers. 20. seq.; sequitur Tit. 2, 12. seq.
[12] Ex A fol. 64 r. [13] Vers. 10. seq.
[14] Vers. 16; sequitur Esth. 9, 22. et 8, 16.
[15] Vers. 10; sequitur ibid. c. 65, 17.
[16] Ex A fol. 54 v.

in circuitu gloriae suae, manus Excelsi aperuerunt illum, Ecclesiastici quadragesimo tertio [1].

Consideranti mihi celebritatis hodiernae inenarrabile mysterium et admirabile sacramentum et inexplicabile beneficium occurrit praemissa auctoritas, in qua nativitatis Christi novae per carnem veritas explicatur sub metaphora *iridis* sive arcus caelestis.

Divisio. In qua Sapiens quatuor facit: primo mittit ad devotam *recognitionem* originalis et universalis Dei *potentiae*, per carnis assumtionem inclinatae, cum dicit: *Vide arcum et benedic eum qui fecit illum.* — Secundo inducit ad studiosam *speculationem* luciformis et pulciformis Dei *sapientiae*, per novam nativitatem revelatae, cum dicit: *valde speciosus est in splendore suo.* — Tertio deducit ad gratiosam *degustationem* boniformis et liberalis Dei *clementiae*, humano generi hodie communicatae, cum dicit: *gyravit caelum in circuitu gloriae suae.* — Quarto reducit ad harum omnium *gratiarum* debitam *actionem* per recogitationem tantae gratiae, divinitus mundo effusae, cum addit: *manus Excelsi aperuerunt illum.*

Sub metaphora ergo *iridis* sive caelestis arcus

De Patris potentia. Dei *potentia* nobis inclinata per humanitatem ostenditur, cum dicit Sapiens: *Vide arcum,* id est, divinam Maiestatem considera quasi per nubem humanitatis, se mundo inclinantem per incarnationis mysterium et condescendentem per novae nativitatis in carne sacramentum; *et benedic*, per recognitionem, *qui fecit illum*, hoc est Patrem aeternum, qui sic eum incarnari et nasci ordinavit.

Nota ergo, quod Christus natus dicitur *arcus*

Octo proprietates iridis ad Christum applicatae. *caelestis* propter octo proprietates virtuales, quae sunt in arcu secundum *repraesentationem*, et fuerunt in Christo nato per omne tempus secundum *veritatem*. —

Prima. Nam arcus quantum ad substantiam *procreatur* ex refulgentia et repercussione radiorum solarium in nube concava, rorida et imbrifera. Sic substantia Christi nati quantum ad corpus et animam procreata est ex reflexione radiorum et virtutum beatissimae Trinitatis tanquam solis aeterni in Virginem gloriosam sive in naturam humanam, tanquam in nube concava per humilitatem profundam, rorida et imbrifera per Spiritus sancti superventionem abundam; Ecclesiastici quinquagesimo [2]: *Quasi arcus refulgens inter nebu-*

Secunda. *las gloriae* etc., dicitur de Christo nato. — Plena facie *respicit solem* ex opposito et respicitur a sole. Sic Christus natus plena facie animae per plenitudinem sapientiae respiciebat in fontem lucis aeternae et respiciebatur a fonte lucis, utpote in quo erant *thesauri sapientiae et scientiae* Dei *absconditi*, et *in quo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter;* Ezechielis primo [3]: *Vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu, velut aspectum arcus, cum fuerit in nube in die pluviae. Hic erat aspectus splendoris per gyrum. Haec visio similitudinis gloriae Domini.* — A terra usque ad caelum cir- Tertia. culariter *elevatur*, duobus cornibus terram percutiendo et vertice caelum tangendo. Sic Christus natus in terra ut *viator* elevatur in caelum, ut *comprehensor* et spiritu et carne calcabat mundum et syderesi habitabat caelum; Apocalypsis decimo [4]: *Vidi alium Angelum fortem, descendentem de caelo, amictum nube, et iris in capite eius, et facies eius erat ut sol, et pedes eius tanquam columnae ignis.* — *Quadricolor est* ex quatuor elementis sibi oppositis Quarta. et in se relucentibus. Sic Christus natus in se transformavit colorem *rubeum* per caritatem igneam; colorem *aëreum* per serenitatem placidam; colorem *viridem* per amoenitatem gratiosam; colorem *aqueum* per pietatem fraternam; absque coloribus aliis specialibus variis, quos in eo distinguere non sinit causa, sicut nullus pictor potest alios colores arcus distinguere secundum Philosophum [5]; Apocalypsis quarto: *Iris erat in circuitu sedis similis visioni smaragdinae.* — Nunquam videtur nisi *de die;* creatur Quinta. enim a radiis solaribus, et non nisi bis de nocte in quinquaginta annis, creatus tunc a radiis lunae [6]; sic Christus natus nunquam apparuit nisi in claritate exemplorum fidelibus, et bis de nocte puer delatus est in Aegyptum et reductus a facie infidelium. Genesis nono [7]: *Arcum meum ponam in nubibus, et erit signum foederis inter me et inter terram.* — Nun- Sexta. quam apparet nisi *in tempore pluviali* de mane, aut de sero, « non autem in meridie », quia tunc sol mediat orbem nec potest sibi opponi, secundum Philosophum [8]. Sic Christus natus nunquam apparuit nisi misericors, pius, pacificus et gratiosus, nunquam autem terribilis fuit sive furens; Genesis nono: *Cumque obduxero nubibus caelum, apparebit arcus meus in nubibus.* — Per *sui resolutionem* in pluviam vel Septima. in rorem inferiora fecundat, superiora serenat. Sic Christus natus per sui ipsius exinanitionem et largifluam influentiam et benedictionem humanum genus in Deum fecundavit et angelicam naturam de sui reparatione incundavit; Genesis nono [9]: *Apparebit arcus meus in nubibus, et recordabor foederis mei vobiscum.* — Dominum humiditatis in aëre (significat); pro- Octava. pter quod dicit Beda et magister [10] in Historia, « quod per quadraginta annos ante iudicium non apparebit in signum desiccationis et defectionis elementorum ». Sic Christus natus significavit praedominativam pietatis et misericordiae et gratiae dandam mundo, in cuius

[1] Vers. 12. seq.
[2] Vers. 8; sequuntur Coloss. 2, 3. et 9.
[3] Vers. 27. seq. et 2, 1.
[4] Vers. 1.
[5] Aristot., III. Meteor. c. 2. Sequitur Apoc. 4, 3.
[6] Cfr. Aristot., loc. cit.
[7] Vers. 13. et deinde ibid. 9, 14.
[8] Aristot., loc. cit.
[9] Vers. 14. seq.
[10] Petr. Comest., Histor. scholastica, libr. Genesis c. 35. De fonte olei cfr. tom. VIII. pag. 95, nota 3. Sequitur Ezech. 1, 28.

signum, nato Christo, Romae fons olei erupit et defluxit in Tyberim; Ezechielis primo: *Velut aspectum arcus, cum fuerit in nube in die pluviae.*

Sermo V [1].

Item, sermo fratris Bonaventurae in die Nativitatis, editus Parisius coram rege et familia tota in capella regali.

Ego sum radix et genus David, stella splendida et matutina, Apocalypsis ultimo [2].

Verba sunt Verbi incarnati in ipsa sua nativitate nova per carnem, in quibus se commendat a regalis prosapiae *dignitate* et singularis sapientiae *fontalitate.* Primum, ibi: *Ego sum radix et genus David;* secundum, ibi: *stella splendida et matutina.*

Divisio.

Natus est autem Christus sicut *stella* radiantissima, ut illuminaret mundum caecum; Ecclesiastici quinquagesimo [3]: *Quasi stella matutina in medio nebulae et quasi luna plena in diebus suis lucet.* — Sicut *facula* ardentissima, ut inflammaret mundum tepidum; Lucae duodecimo: *Ignem veni mittere in terram et quid volo, nisi ut accendatur?* — Sicut *rosa* redolentissima, ut delectaret mundum angustiatum; Canticorum secundo [4]: *Ego flos campi et lilium convallium.* — Sicut *margarita* pretiosissima, ut confortaret mundum debilitatum; Proverbiorum vigesimo quinto: *Inauris aurea et margarita fulgens.* — Sicut *sapientia* refici entissima, ut pasceret mundum famelicum; Ecclesiastici vigesimo quarto [5]: *Ego Sapientia ex ore Altissimi prodivi. Transite ad me, omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini.* — Sicut *regula* ordinatissima, ut dirigeret mundum deordinatum; Ioannis primo: *Rabbi, tu es Filius Dei, tu es rex Israel;* Ioannis tertio: *Rabbi, scimus, quia a Deo venisti magister.* — Sicut *vita* indeficientissima, ut vivificaret mundum mortuum; Ioannis decimo [6]: *Ego veni, ut vitam habeant et abundantius habeant;* Ioannis decimo quarto: *Ego sum via et veritas et vita.*

Septem Christi praerogativae.

Sermo VI [7].

Item, sermo fratris Bonaventurae in Nativitate Domini, editus in domo Fratrum Parisius, coram Universitate.

Gratia sicut paradisus in benedictionibus, Ecclesiastici quadragesimo [8].

In verbis his describitur Christi nova et gratiosa per carnem nativitas, primo, ut summe *amabilis;* secundo, ut summe *delectabilis;* tertio, ut summe *venerabilis;* amabilis enim, quia *gratia* per antonomasiam, secundum Apostolum ad Titum secundo [9]: *Apparuit gratia;* delectabilis, quia *paradisus* uber; venerabilis, quia *in benedictionibus* multiformibus mundo salutaribus.

Divisio.

Notandum circa haec omnia, quod Christus in sua nativitate gratiosa et benedictionibus Dei plena et per totam vitam dicitur *paradisus voluptatis,* manu Dei in mundo et pro mundo *plantatus,* propter duodecim nobiles conditiones, quas habuit, correspondentes duodecim proprietatibus paradisi terrestris. — Est locus maximae *sublimitatis;* nam secundum Damascenum [10], « est celsior penitus omni terra », ita quod dicit magister in Historia [11], quod « aquae diluvii illuc non perveherunt », et beatus M..... praedicabat: « proximus caelo; longo enim terrae et maris contractu est a nostro habitabili segregatus ». Secundum etiam Bedam [12] et Isidorum et Magistrum, « lunarem tangit circulum », id est, attingit usque ad aetherem quietum post istum aërem turbulentum, ubi est finis exhalationum et vaporum humidorum. Sic Christus natus hodie maximae fuit *sublimitatis* tum propter dignitatem carnis, quae de altitudine humanae naturae assumta fuit, tum quia anima eius omnem dignitatem transcendit, tum quia ille homo *praedestinatus* fuit *Filius Dei in virtute* [13] ratione unionis inseparabilis et inexplicabilis; Ezechielis trigesimo primo: *Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei.* — (Est locus) maximae *puritatis,* quia ibi nulla est turbulentia aëris vel exhalatio terrae vel fumus vel aliquid eiusmodi, secundum Bedam [14]. Sic Christus natus maximae fuit *puritatis;* nam nullam habuit peccati turbulentiam aut maculam modicam aut magnam a conceptu usque ad mortem; Ezechielis trigesimo primo: *Omne lignum paradisi Dei non est assimilatum illi et pulchritudini eius.* — Maximae *claritatis;* nam ibi est plenitudo lucis et luminis de nocte et de die suo modo, quia nulla nubes opponitur, secundum Damascenum et Bedam [15]. Sic Christus natus maximae fuit *claritatis,* qui a conceptu plenus luce sapientiae aeternae fuit; Ezechielis vigesimo octavo [16]: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia et perfectus decore in deliciis paradisi Dei fuisti.* — Maximae *temperiei,* quia ibi nec frigus nec aestus unquam, sed omni tempore

Duodecim paradisi proprietates Christum assimilatae. Prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

---

[1] Ex A fol. 55 v.
[2] Cap. 22, 16.
[3] Vers. 6; sequitur Luc. 12, 49.
[4] Vers. 1; dein sequitur Prov. 25, 12.
[5] Vers. 3. et 26; sequitur Ioan. 1, 49. et 3, 2.
[6] Vers. 10; dein ibid. c. 14, 6.
[7] Ex A fol. 56 r.
[8] Vers. 17.
[9] Vers. 11; infra respicitur Gen. 2, 8.
[10] Libr. II. de Fide orthod. c. 11.
[11] Petr. Comestor, Historia scholast., libr. Genes. c. 13. — Deinde quis sit iste etiam infra citatus *beatus M.* indagare nequivimus.
[12] Hexaëm. ad Gen. 2, 9; sequitur Isidor., IV. Etymolog. c. 3. n. 3.
[13] Rom. 1, 4; sequitur Ezech. 31, 8.
[14] Cfr. Bonav., II. Sent. pag. 428, nota 1, et Isidor., de Ordine creaturarum, c. 6. n. 2. Sequitur Ezech. 31, 8.
[15] Libr. II. de Fide orthod. c. 11. Pro *Beda* potius Basil., Oratio 3. de Paradiso, n. 2.
[16] Vers. 12. seq.; sequitur Gen. 3, 8. Cfr. Gen. 2, 9. seqq.

una temperies gratiosa aëris. Sic Christus a nativitate per totam vitam fuit maximae *temperiei*, quia modum et pacem et ordinem in omnibus conservavit; Genesis tertio: *Deambulantis in paradiso ad*
Quinta. *auram post meridiem.* — Maximae *amoenitatis* sive incunditatis et recreationis, quia ibi fontium irrigantium multitudo, ibi floridae plantae et arbores semper fructum ferentes, ibi tam arborum et florum et frondium rosarum et liliorum immarcescibilis viror et odor, secundum Damascenum [1]. Sic Christus natus fuit maximae *amoenitatis* et incunditatis et virtutum et gratiarum plenitudinis; quia, in quantum est homo, pulcritudinem et laetitiam paradisi semper a conceptu percepit et ipsius odorem non perdidit et in eo semper delectatus fuit; Genesis decimo tertio: *Vidit omnem circa regionem Iordanis, quae universa ir-*
Sexta. *rigabatur sicut paradisus Domini* etc. — Maximae *suavitatis*, quia ibi fructuum omnium dulcedo, *omne lignum pulcrum visu et ad vescendum suave;* ibi cantus avium et obedientia, quando vocantur, secundum quod praedicabat beatus M.....; ibi etiam Angelorum melodica organa sonant, secundum quod dicebat beatus M..... Sic Christus natus sibi et aliis maximae fuit *suavitatis*, quia a sapore caelesti nunquam cessavit tam nascendo quam orando, conversando, praedicando et moriendo, immo ipsa snavitas animarum et Angelorum fuit et ipsius Matris; Genesis secundo [2]: *Fluvius egrediebatur de*
Septima. *loco voluptatis ad irrigandum paradisum.* — Maximae *sanctitatis;* nam ibi semper Deus laudatur ab Angelis, ab Henoch et Elia et suo modo a ceteris omnibus creaturis. Sic Christus natus per totam vitam maximae fuit *sanctitatis*, quia in sancta vita et laude paterna et aedificatione fraterna semper perseveravit; Ecclesiastici quadragesimo: *Timor Domini*
Octava. *sicut paradisus benedictionis.* — Maximae *securitatis;* nam « nulli spiritui malo vel carni peccatrici patet eius aditus », secundum Isidorum, libro decimo quarto Etymologiarum [3]. Sic Christus a sua nativitate fuit maximae *securitatis*, quia nulli vitio vel defectui vel tentationi diaboli vel carnis vel mundi aditum dedit; Ezechielis trigesimo primo [4]: *Aemulata sunt eum omnia ligna voluptatis, quae erant in para-*
Nona. *diso Dei.* — Maximae *incorruptibilitatis;* nam ibi sunt usque hodie Henoch et Elias incorrupti et vivi, et nihil, quod est ibi vivens, potest mori; nec mirum, quia in Hibernia etiam est insula una, in qua mortuorum corpora non putrescunt, et alia, in qua homines non possunt mori (!). Sic Christus natus usque ad mortem *inviolatus* permansit et nihil mortuum, sed totum vivens et meritorium in eo fuit; Canticorum quarto: *Hortus conclusus, fons signatus, emissiones tuae paradisus malorum punicorum cum po-*
morum fructibus. Maximae *tranquillitatis,* quia ibi Decima. nulla invidia, nulla malitia, nulla pugna, contentio, clamor vel violentia, nulla relatio turbativa, sed plena pax animae et corporis; ibi sunt omnia quietata et mansuefacta quantum ad bestias, sicut fuerunt in arca Noe. Sic Christus natus usque ad mortem omnes motus *habuit pacatos* omnino tam mentis quam corporis, tam quo in Deum quam in se et in proximum; Genesis secundo [5]: *Tulit ergo Deus hominem et posuit eum in paradiso voluptatis*, id est, constituit in statu tranquillitatis. — Angelicae *admini-* Undecima. *strationis;* nam ibi est ministerium et « Angelorum praesidium arcendis spiritibus malis », secundum Isidorum [6]. Sic Christus natus per totam vitam habuit multitudinem Angelorum ad ministerium et confortationem et reverentiam; Genesis tertio: *Collocavit* Deus *ante paradisum voluptatis Cherubim et flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitae.* — Deiformium virorum *conver-* Duodecima. *sationis;* nam sunt ibi viri duo sancti, qui ad similitudinem Angelorum degunt in terris, omnia honeste et secundum ordinem caeli agentes, de Deo et de divinis meditantes, orantes et conferentes. Sic Christus natus per totam vitam familiarem *conversationem* habuit cum electis vel eligibilibus Dei, et vita sua tota fuit ad similitudinem caeli empyrei; Genesis secundo: *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio*, id est, decrevit plantandum, *in quo*, concepto Christo scilicet, *posuit hominem, quem formaverat*, id est, humanam naturam salvandam constituit ad eius exemplum et speculum.

Sermo VII [7].

Item, sermo fratris Bonaventurae in Nativitate Domini, coram rege Franciae et filiis et familia.

Orietur stella ex Iacob, Numerorum vigesimo quarto [8].

Christus in sua nativitate apparuit mundo sicut Sex Christi praerogativae. stella, quia *clarissimus purilate* universalis munditiae; Apocalypsis ultimo: *Ego sum radix et genus David, stella splendida et matutina. — Pulcherrimus formositate* universalis gratiae; Ecclesiastici quinquagesimo [9]: *Quasi stella matutina in medio nebulae* etc. *Quasi flos rosarum* etc. — *Nobilissimus liberalitate* universalis clementiae; Apocalypsis secundo dicit: *Qui vicerit, dabo illi stellam matutinam*, id est me ipsum talem. — *Efficacissimus fructuositate* universalis beneficentiae; Baruch in Epistola [10]: *Sol quidem et luna ac sidera, cum sint splendida et emissa, ad utilitates obaudiunt.* —

[1] Loc. cit. Sequuntur Gen. 13, 10. et ibid. 2, 9.
[2] Vers. 10; sequitur Eccli. 50, 28. De Henoch et Elia cfr. Eccli. 44, 16. et IV. Reg. 2, 11. [3] Cap. 3.
[4] Vers. 9; sequitur Cant. 4, 12. seq.
[5] Vers. 15.
[6] Libr. XIV. Etymolog. c. 3. n. 4; sequitur Gen. 3, 24. et c. 2, 8. [7] Ex A fol. 58 r.
[8] Vers. 17; sequitur Apoc. 22, 16.
[9] Vers. 6. et 8; sequitur Apoc. 2, 26. 28.
[10] Cap. 6, 59; sequuntur Iudic. 5 20. et Iob 38, 31.

Ordinatissimus sanctitate universalis vitae; ludicum quinto: *Stellae manentes in ordine et cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt. — Officiosissimus pietate* universalis animae; Iob trigesimo octavo: *Nunquid coniungere valebis micantes stellas Pleiadas aut gyrum Arcturi poteris dissipare?*

Sermo VIII [1].

Item, sermo fratris Bonaventurae in Nativitate Domini editus Lugduni coram populo, in ecclesia sancti Nicetii.

Ego flos campi et lilium convallium, Canticorum secundo [2].

Sex mystici floris praerogativae.

Christus natus de agro uteri virginalis, ut esset *flos* hominum et *lilium* Angelorum, in sua nativitate et per totam vitam apparuit in mundo et fuit sicut flos *candidissimus* puritate munditiae; Canticorum secundo [3]: *Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit* etc. — *Vernantissimus* formositate gratiae; Ecclesiastici quinquagesimo: *Quasi flos rosarum in diebus vernis et quasi lilia, quae sunt in transitu aquae. — Splendidissimus* claritate sapientiae; Isaiae undecimo: *Flos de radice eius ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiae* etc. — *Fragrantissimus* suavitate vitae; Canticorum secundo [4]: *Vineae florentes dederunt odorem suum*, anima scilicet et corpus Christi nati. — *Electissimus* gratiositate innocentiae; quarti Esdrae quarto: *Ex omnibus floribus orbis elegisti tibi lilium unum. — Saluberrimus* utilitate salvationis aeternae; Canticorum secundo: *Fulcite me floribus* etc., id est Christi nati fructibus salvificis.

Sermo IX [5].

Item, sermo fratris Bonaventurae in Nativitate Domini editus Assisii coram populo, in ecclesia Fratrum ad Missam.

Fons ascendebat e terra, irrigans universam superficiem terrae, Genesis secundo [6].

Moyses, sanctus dux Israelitici populi, in omnibus verbis suis praecipuum habens oculum ad Verbum in carnem venturum, descripsit his verbis pau-
Divisio. cis Christi nativitatem dupliciter, scilicet ut divinis *charismatibus refertam* et affluentem, et ut salvandis *animabus generaliter intendentem*. Primum, ibi: *Fons ascendebat e terra*, id est Virgine gloriosa; secundum, ibi: *Irrigans universam superficiem terrae*, id est mundialis machinae.

Membri primi exponit per 7 fontis mystici praerogativas.

Ascendit autem Christus, nascens de Virgine Matre, sicut fons *puritatis* aeternae munditiae ad lavandum mundum sordidum; Zachariae decimo tertio [7]: *Erit fons patens domui David et habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris et menstruatae.* — Fons *veritatis* aeternae sapientiae ad illuminandum mundum tenebrosum; Apocalypsis ultimo, secundum litteram, quam cantat Ecclesia: *Ostendit mihi* Angelus *fluvium aquae vitae splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni.* — Fons *suavitatis* aeternae gratiae ad consolandum mundum afflictum; Numerorum vigesimo [8]: *Aperi eis thesaurum tuum, fontem aquae vivae*, orabat Moyses. — Fons *liberalitatis* aeternae gloriae ad salvandum mundum perditum; Canticorum quarto: *Fons hortorum, puteus aquarum viventium* etc.; Ioannis quarto: *Fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* — Fons *sanctitatis* aeternae regulae ad dirigendum mundum devium; Esther decimo [9]: *Parvus fons, qui crevit in fluvium et in lucem solemque conversus est;* incepit enim ab humilitate etc. — Fons *bonitatis* aeternae misericordiae ad reparandum mundum confractum; Isaiae duodecimo: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris* etc. — Fons *claritatis* aeternae famae ad restituendum mundum infamem factum; Canticorum quarto [10]: *Hortus conclusus, fons signatus. Emissiones tuae paradisus* etc.

Sermo X [11].

Item, sermo fratris Bonaventurae editus in Conventu Rothomagensi coram populo terrae et clero, praesente Fratre Rigaldo, archiepiscopo civitatis.

Produxit Dominus Deus de humo lignum vitae in medio paradisi, Genesis secundo [12].

Circa Christi novam per carnem nativitatem his verbis quatuor describuntur, scilicet *mirifica libe-* Divisio. *ralitas* ex parte Dei Patris mundo condescendentis, ibi: *Produxit Dominus Deus*, quasi gratis mittendo et incarnari Filium constituendo; *gloriosa fecunditas* ex parte Virginis singulariter parientis, ibi: *de humo*, id est Virgine de caelo fecundata et benedicta divinitus; *suavifica gratiositas* ex parte almae Prolis nascentis, ibi: *lignum vitae*, quasi cibum perpetuum animarum et praemium earum; *gratifica pietas* supernae providentiae, universaliter omnibus tam summum beneficium offerentis, ibi: *in medio paradisi*, id est congregationis salvari volentium.

De omnibus membris notanter et conditionee.

Circa haec omnia nota, quod in Christo nascente tanquam in vero *ligno vitae*, exhibito huic mundo ad

---

[1] Ex A fol. 58 r.
[2] Vers. 1.
[3] Vers. 14; sequuntur Eccli. 50, 8. et Isai. 11, 1. seq.
[4] Vers. 13; sequuntur IV. Esdr. 5, 24. et Cant. 2, 5.
[5] Ex A fol. 58 v.
[6] Vers. 6.
[7] Vers. 1; sequitur Apoc. 22, 1.
[8] Vers. 6; sequuntur Cant. 4, 15. et Ioan. 4, 14.
[9] Vers. 6; sequitur Isai. 12, 3.
[10] Vers. 12. seq.
[11] Ex A fol. 59 v.
[12] Vers.

pastum salvationum, invenimus duodecim nobiles conditiones, nobis salutares secundum duodecim proprietates ligni illius vitae materialis. — Ipsum enim Christum natum sicut verum lignum vitae invenimus mirabiliter *radicatum* propter unionis naturae divinae et humanae inseparabilitatem; Genesis tertio [1]: *De ligno, quod est in medio paradisi, praecepit nobis Deus, ne comederemus et ne tangeremus illud*, id est, ne curiose eius naturam inquiras. — Mirabiliter *statura procerum* propter Maiestatis et comprehensionis (?) aeternitatem; Apocalypsis ultimo: *Beati, qui lavant stolas suas in sanguine Agni, ut sit potestas eorum in ligno vitae* etc. — Mirabiliter *humore fecundum* propter triformis gratiae fertilitatem; Psalmus [2]: *Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* — Mirabiliter *ramis expansum* propter zeli universalis animarum caritatem; Apocalypsis ultimo: *Ex utraque parte fluminis lignum vitae*, quia venit propter Iudaeos et Gentiles. — Mirabiliter *floribus decorum* propter desideriorum aeternorum pulcriformitatem; Ezechielis trigesimo primo [3]: *Omne lignum paradisi Dei non est assimilatum illi et pulcritudini eius.* — Mirabiliter *frondibus venustum* propter sapientialium documentorum multiformitatem; Proverbiorum tertio: *Lignum vitae est his qui apprehenderint eam, et qui tenuerit eam beatus.* — Mirabiliter *fructibus suavificum* propter luciformium meritorum sanctitatem; Proverbiorum undecimo [4]: *Fructus iusti lignum vitae.* — Mirabiliter *umbra amoenum* propter afflictorum et infirmorum et peccatorum pietatem; Proverbiorum decimo tertio: *Lignum vitae desiderium veniens.* — Mirabiliter *virore perfusum* propter morum elegantiae incessantem religiositatem; Levitici vigesimo tertio [5]: *Sumetis vobis ramos ligni densarum frondium* etc. — Mirabiliter *fulgore coruscum* propter contemplationis supercaelestis claritatem; Genesis tertio: *Collocavit Cherubim ad custodiendam viam ligni vitae.* — Mirabiliter *odore gratificum* propter orationis continuae virtuosam devotionem; quarti Esdrae secundo [6]: *Lignum vitae erit illis in odore unguenti.* — Mirabiliter *conversatione salvificum* propter sanguinis in cruce aspersionem; Sapientiae decimo quarto: *Benedictum lignum, per quod fit iustitia.*

Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta. Septima. Octava. Nona. Decima. Undecima. Duodecima.

Sermo XI [7].

Item, sermo fratris Bonaventurae in Nativitate Domini editus Parisius in domo Fratrum Praedicatorum coram Universitate, quando festum Nativitatis accidit in Dominica.

Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, Genesis secundo [8].

Sacer Moyses, sacro inspiratus afflamine, in verbis his describit Christi nativitatem tripliciter, scilicet ut *nobilissimam* sive pretiosissimam, ut *deliciosissimam* sive gratiosissimam, ut *uberrimam* sive fructuosissimam. Primum nota in nomine *fluvii egredientis;* secundum in nomine *loci voluptatis*, qui quidem est Virgo, Mater Christi, et locus deliciarum humani generis, Christum concipiendo et portando; tertium nota in nomine *irrigationis paradisi*, hoc est universalis Ecclesiae, sive animae. Divisio.

Comparatur autem Christi ortus in Scriptura fluvio *vivido* ratione elevationis ad cognitionem sublimitatis divinae potentiae, quam venit *tradere;* Psalmus [9]: *Fluminis impetus laetificat civitatem Dei, sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. Deus in medio eius, non commovebitur.* — Fluvio *splendido* ratione manifestationis aeternae sapientiae, quam venit *facere;* Apocalypsis ultimo: *Ostendit mihi* Angelus *fluvium aquae vitae, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni.* — Fluvio *igneo* ratione caritatis summae clementiae, quam venit *ostendere;* Danielis septimo [10]: *Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie eius.* — Fluvio *protenso* ratione declarationis charismaticae gratiae et sempiternae gloriae, quam venit *offerre;* Ecclesiastici vigesimo quarto: *Factus est mihi trames abundans, et fluvius meus appropinquabit ad mare.* De primo membro quatuor notantur.

Sermo XII [11].

Item, sermo fratris Bonaventurae in Nativitate, coram regina Navariae, filia reginae Franciae, Parisius circa vesperas in palatio eius.

In lilio et rosa gaudio implebo filios tuos, quarti Esdrae secundo [12].

Verba sunt Angeli ex mandato et persona Dei Patris ad Esdram, servum Dei et scribam Legis, in persona Ecclesiae generalis; in quibus describitur Virgo Mater cum sua benedicta Prole dupliciter, scilicet ut universaliter *gratiosa*, et ut universaliter *fructuosa*. Primum nota in *lilio*, Filio scilicet, et *rosa*, scilicet Matre; secundum nota in verbo *impletudinis gaudii filiorum.* Divisio.

Fuerunt autem Christus nascens et Mater Virgo pariens *lilium* et *rosa* huic mundo, quia a nativitate per omne tempus fuerunt instar lilii et rosae *candidissimi* castitate sive puritate perpetua; Canticorum sexto [13]: *Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis et lilia colligat. — Virentissimi* sive florentissimi De primo membro septem notantur.

---

[1] Vers. 3; sequitur Apoc. 22, 14.
[2] Psalm. 1, 3; sequitur Apoc. 22, 2.
[3] Vers. 8; sequitur Prov. 3, 18.
[4] Vers. 30. et deinde ibid. 13, 12.
[5] Vers. 40; sequitur Gen. 3, 24.
[6] Vers. 12; sequitur Sap. 14, 7.
[7] Ex A fol. 60 r.
[8] Vers. 10.
[9] Psalm. 45, 5. seq.; sequitur Apoc. 22, 1.
[10] Vers. 10; sequitur Eccli. 24, 43.
[11] Ex A fol. 60 v.
[12] Vers. 19: *Habentes rosam et lilium, in quibus gaudio* etc.
[13] Vers. 1; sequuntur Osee 14, 6. et Isai. 35, 1.

devotione votiva; Osee ultimo: *Israel germinabit sicut lilium, et erumpet radix eius quasi Libani;* Isaiae trigesimo quinto: *Exsultabit solitudo et florebit sicut lilium.* — *Ornatissimi* religione perfecta; Canticorum secundo [1]: *Ego flos campi et lilium convallium,* id est ordinum Angelorum et hominum ornatu abundanti. — *Fragrantissimi* suavitate caelica; Ecclesiastici trigesimo nono [2]: *Florete, flores, quasi lilium et date odorem.* — *Rubentissimi* caritate flammea; Ecclesiastici quinquagesimo: *Quasi flos rosarum in diebus vernis et quasi lilia, quae sunt in transitu aquae.* — *Medicinalissimi* intercessione superna; Canticorum septimo [3]: *Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis.* — *Expansissimi* pietate continua; tertii Regum septimo: *Et folium repandi lilii.*

Sermo XIII [4].

Item, sermo fratris Bonaventurae editus coram Fratribus apud Assisium, de sero ad recreationem.

Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium, Canticorum quinto [5].

Rogemus Verbum incarnatum ut suavifice *communicativum solatium* Angelorum et hominum, ut
Introductio. sempiterne *cibativum refrigerium* omnium salvandorum, ut plenarie *quietativum praemium* omnium creaturarum rationalium.

Aperi mihi, soror mea etc.

Verbum est Verbi incarnati, hodie nati, ad quamlibet animam fidelem, in quo invitat ad duo, scilicet ad *culmina* supermentalium *virtutum,* et ad *munera*
Divisio. supercaelestium *delectationum.* Primum facit, cum dicit: *Aperi mihi, soror mea* etc., quasi quae debes mihi esse *soror* propter expressam conformitatem, *amica* per intensam caritatem, *columba* propter perspicacem simplicitatem, *immaculata* propter aeternam castitatem. Secundum facit, cum dicit: *quia caput meum plenum est rore, et cincinni* etc., id est affectus pleni *guttis noctium,* id est influentiis arcanis et Scripturarum mysteriis.

Circa totum nota, quod *aperiendum* est ab omni anima Christo nato, et (*caput*) colliocandum est in
De toto notantur quatuor. mente super omnia, quia caput est, quo accipitur ipse totus. (Hoc *caput*) *plenum* est rore *gratiae* emundantis omnia peccata; Iudicum sexto [6]: *Expresso vellere, concham rore implevit.* — Rore *veritatis* illuminantis omnia dubia; Isaiae vigesimo sexto: *Ros luc is ros tuus.* — Rore *laetitiae* suavificantis omnia tristia; Exodi decimo sexto [7]: *Mane quoque ros iacuit per circuitum castrorum.* — Rore *virtutis* fecundantis omnia arida; Osee ultimo: *Ero quasi ros, Israel germinabit sicut lilium.*

Sermo XIV [8].

Item, sermo fratris Bonaventurae editus Parisius in domo Fratrum, coram Universitate in Nativitate Domini.

Emissiones tuae paradisus, Canticorum quarto [9].

Verbum est angelicae hierarchiae, cantantis hodierna festivitate in aëre et dicentis sic ad beatam Virginem parientem; in quo describitur Christi or- Divisio.
tus ut caelica *fecunditate mirificus* ex parte Virginis parientis, et ut aeterna *suavitate iucundus* ex parte gratiosissimae Prolis. Primum, ibi: *Emissiones tuae;* secundum, ibi: *paradisus.*

Circa totum nota, quod natus est Christus ho- De toto notantur quatuor.
die de superbenedicta Virgine mundo huic misero sicut *paradisus* almae *Maiestatis* ad veneration em; Genesis secundo [10]: *Produxit Dominus Deus de humo lignum vitae in medio paradisi.* — Supernae *claritatis* ad contemplationem; Genesis secundo: *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio,* hoc est, plantandum per carnem ordinaverat. — Aeternae *suavitatis* ad degustationem; Ecclesiastici vigesimo quarto [11]: *Et sicut aquaeductus exivi de paradiso.* — Summae *sanctitatis* ad directionem; Ezechielis trigesimo primo: *Omne lignum paradisi Dei non est assimilatum illi et pulcritudini eius;* Ezechielis vigesimo octavo: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia et perfectus decore, in deliciis paradisi fuisti.*

Sermo XV [12].

Item, sermo fratris Bonaventurae editus Lugduni coram Fratribus, de sero in Nativitate Domini.

Emissiones tuae paradisus, Canticorum quarto [13].

Verba haec possunt esse cuiuslibet devotae et fidelis animae ad gloriosam Virginem, hodie fructum salutis perpetuae parientem; in quibus describitur Divisio.
gratiosa et nova nativitas ut supernis *influentiis* ex parte Matris, et ut aeternis *fragrantiis* referta ex parte Prolis. Primum, ibi: *Emissiones tuae;* secundum, ibi: *paradisus.*

Circa totum notandum, quod persona Verbi in- De toto notantur 14 conditiones.
carnati de Virgine Maria, hodie per novam nativitatem

---

[1] Vers. 1. Deinde supplevimus vocem *ornatu* ante *abundanti.*
[2] Vers. 19; sequitur ibid. 50, 8.
[3] Vers. 2; sequitur III. Reg. 7, 26.
[4] Ex A fol. 61 r.
[5] Vers. 2.
[6] Vers. 38; sequitur Isai. 26, 19.
[7] Vers. 13; sequitur Os. 14, 6.
[8] Ex A fol. 61 v.
[9] Vers. 13.
[10] Vers. 9; sequitur v. 8.
[11] Vers. 41; sequuntur Ezech. 31, 8. et 28, 12. seq.
[12] Ex A fol. 61 v.
[13] Vers. 13.

mundo apparens, vocatur et est *paradisus* quidam, et faciei eius lumine *paradiso caelesti*, hominibus in claritate, (assimilatur) propter quatuordecim nobiles conditiones, in eo repertas ab ortu et per totam vitam, quatuordecim proprietatibus paradisi caelestis correspondentes.

Apparuit namque in eo et fuit sicut aeterna *mansuetudo* ad venerationem; Ecclesiastici quadragesimo [1]: *Timor Domini sicut paradisus benedictionis.* — Prima.

Aeterna *veritas* ad eruditionem; Ecclesiastici vigesimo quarto: *Et sicut aquaeductus exivi de paradiso.* — Secunda.

Aeterna *bonitas* ad imitationem; Genesis secundo [2]: *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio; in quo posuit hominem, quem formaverat.* — Tertia.

Aeterna *suavitas* ad recreationem; Lucae vigesimo tertio: *Hodie mecum eris in paradiso.* — Quarta.

Aeterna *tranquillitas* ad pacificationem; secundae ad Corinthios duodecimo [3]: *Raptus est in paradisum et audivit arcana verba, quae non licet homini loqui.* — Quinta.

Aeterna *formositas* ad speculationem; Ecclesiastici quadragesimo quarto: *Henoch placuit Deo et translatus est in paradisum, ut det gentibus poenitentiam.* — Sexta.

Aeterna *serenitas* ad contemplationem; Genesis tertio [4]: Dum deambularet Dominus *in paradiso ad auram post meridiem.* — Septima.

Aeterna *immortalitas* ad roborationem; Genesis secundo [5]: *Lignum etiam vitae in medio paradisi.* — Octava.

Aeterna *libertas* ad evolationem; Apocalypsis secundo: *Vincenti dabo edere de ligno vitae, quod est in paradiso Dei mei.* — Nona.

Aeterna *securitas* ad certificationem; Ezechielis trigesimo primo [6]: *Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei.* — Decima.

Aeterna *caritas* ad dilatationem; Genesis secundo: *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum.* — Undecima.

Aeterna *iucunditas* ad consolationem; quarti Esdrae octavo [7]: *Vobis apertus est paradisus, plantata est arbor vitae.* — Duodecima.

Aeterna *pietas* ad condescensionem; Genesis decimo tertio: *Universa terra irrigabatur sicut paradisus Domini.* — Decima tertia.

Aeterna *sanctitas* ad iustificationem; Ezechielis trigesimo primo: *Omne lignum paradisi Dei non est assimilatum illi et pulcritudini eius.* — Decima quarta.

Sermo XVI [8].

Item, sermo fratris Bonaventurae in die Nativitatis, Parisius, coram rege Franciae et filiis et consiliaris, in aula regali, circa Vesperas.

Vobis apertus est paradisus, plantata est arbor vitae, quarti Esdrae octavo [9].

Caelestis Angelus, supercaelesti radiatus illustratione, loquens ex persona Patris aeterni pro hodierna solemnitate novae nativitatis per carnem, populum salvari volentem alloquitur verbis assumtis, in quibus Christi nativitatem describit dupliciter, scilicet ut fontale *principium* salutis humanae, et ut universale *confugium* omnis animae. Primum, ibi: *Vobis apertus est paradisus*; secundum, ibi: *plantata est arbor vitae.* — Divisio.

Circa omnia nota, quod Christus in sua nativitate et per totam vitam factus est *arbor vitae* generi humano ad salvationem et imitationem et refectionem; cuius *radix* fuit caritas; Ecclesiastici vigesimo quarto [10]: *Radicavi in populo honorificato.* — *Stipes* fuit humilitas; ad Philippenses secundo: *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltavit illum.* — *Rami* fuerunt caelestium desideriorum aviditas; Ecclesiastici vigesimo quarto [11]: *Quasi terebinthus extendi ramos meos, et rami mei honoris et gratiae.* — *Flores* fuerunt religionis et honestatis mores; Ecclesiastici vigesimo quarto: *Flores mei fructus honoris et honestatis.* — *Folia* fuerunt verborum sanctorum aedificationes; Ezechielis quadragesimo septimo [12]: *Folia eius ad medicinam*; et Apocalypsis ultimo: *Folia ligni ad sanitatem gentium.* — *Fructus* fuerunt sanctitatis et veritatis et bonitatis operationes; Proverbiorum tertio [13]: *Primi et purissimi fructus eius.* — *Umbra* fuit conversationis pietas et famae suavitas; Danielis quarto: *Sub umbra illius requieverunt omnes volucres caeli.* — *Fragrantia* fuit orationis virtuositas; quarti Esdrae secundo [14]: *Lignum vitae erit illis in odorem unguenti.* — *Viriditas* fuit devotionis ubertas; Proverbiorum undecimo: *Fructus iusti lignum vitae.* — De toto notantur novem conditiones. Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta. Septima. Octava. Nona. Decima.

Sermo XVII [15].

Item, sermo fratris Bonaventurae sero Nativitatis Domini apud Montem Pessulanum, coram Fratribus quasi ad recreationem.

Accipite iucunditatem gloriae vestrae, quarti Esdrae secundo [16].

Verba haec pauca, ex persona Patris prolata per Angelum ad Esdram, possunt esse Angelorum nocte dominicae nativitatis cantantium et sic ad totum genus humanum exclamantium. In quibus ipsi describunt Christi nativitatem novam et gratiosam per carnem dupliciter, scilicet ut liberaliter et dignanter divinitus *mundo exhibitam*, et ut laetanter et desiderabiliter *ab hominibus amplectendam*. Primum, ibi: — Divisio.

---

[1] Vers. 28; sequitur 24, 41.
[2] Vers. 8; sequitur Luc. 23, 43.
[3] Vers. 4; sequitur Eccli. 44, 16.
[4] Vers. 8: *Domini Dei deambulantis in paradiso* etc.
[5] Vers. 9; sequitur Apoc. 2, 7.
[6] Vers. 8; sequitur Gen. 2, 10.
[7] Vers. 52; sequuntur Gen. 13, 10. et Ezech. 31, 8.
[8] Ex A fol. 62 r.
[9] Vers. 52.
[10] Vers. 16; sequitur Phil. 2, 8. seq.
[11] Vers. 22; sequitur v. 23.
[12] Vers. 12; sequitur Apoc. 22, 2.
[13] Vers. 14; sequitur Dan. 4, 9: *In ramis eius conversabantur volucres caeli.*
[14] Vers. 12; sequitur Prov. 11, 30.
[15] Ex A fol. 62 v.
[16] Vers. 36.

Accipite; secundum, ibi: *iucunditatem gloriae vestrae.*

Circa totum nota, quod Filius Dei natus est nobis in iucunditatem gloriae nostrae *meditationis;* nulla enim meditatio est iucunda vel gloriosa vel esse potest sine eo; Ecclesiastici trigesimo [1]: *Iucunditas cordis haec est vita hominis,* quae, snpple, est solum Iesus Christus et a Christo et per Christum. — Nostrae *contemplationis;* nulla enim contemplatio est iucunda nisi de eo; Zachariae nono secundum Septuaginta: *Iucundare, filia Sion, iubila, filia Ierusalem, ecce, Rex tuus veniet tibi* etc. — Nostrae *locutionis;* nulla enim locutio est iucunda nisi de eo; quarti Esdrae septimo [2]: *Revelabitur Filius meus Iesus cum his qui cum eo sunt, et iucundabuntur qui relicti sunt in annis quadringentis.* — Nostrae *orationis;* nulla enim oratio est iucunda nisi ad eum; Psalmus: *Deo nostro sit iucunda decoraque laudatio.* — Nostrae *devotionis;* nulla enim devotio est iucunda nisi in eo; quarti Esdrae secundo [3]: *Iucundare, mater, cum filiis tuis, quoniam exuberant fontes mei.* — Nostrae *collationis;* nulla enim collatio est iucunda nisi de eo; Psalmus: *Iucundum sit ei eloquium meum, ego vero delectabor in Domino.* — Nostrae *conversationis;* nulla enim conversatio est iucunda nisi ab eo et secundum eum; ludith ultimo [4]: *Erat autem populus iucundus secundum faciem sanctorum.* — Nostrae *actionis;* nulla enim actio vel operatio est iucunda nisi per eum; Psalmus: *Iucundus homo, qui miseretur et commodat.* — Nostrae *aedificationis;* nulla enim aedificatio est iucunda vel gratiosa nisi sub eo; Ecclesiastici decimo quinto: *Qui timet Deum faciet bona* etc. *In medio Ecclesiae aperiet os eius* etc. *Iucunditatem et exsultationem thesaurizabit super illum.*

De toto autem vel conditionis. Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta. Septima. Octava. Nona. Divisio.

Sermo XVIII [5].

Item, sermo fratris Bonaventurae in Nativitate Domini, editus in Monte Pessulano coram omni populo, post prandium, in Gallico.

In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, Psalmus [6].

In verbis his sanctus Propheta David, aeterno radio singulariter perlustratus, describit Christi nativitatem et explicat, primo, quantum ad nobilitatem vel dignitatem nobilissimam *Virginis concipientis* et parientis; secundo, quantum ad gratiositatem elegantissimam ipsius superbenedictae conceptae et *natae Prolis.* Primum, ibi: *In sole posuit tabernaculum suum,* id est, in beata Maria elegit concipi; secundum, ibi: *et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.*

I. Circa primam partem nota, quod gloriosa Mater Filii Dei in conceptu et partu Filii et per totam vitam dicitur *sol* propter solares sive sempiternales *influentias charismatum gratiae,* quas possedit et communicavit; Ecclesiastici quadragesimo tertio [7]: Sol *vas castrorum in excelsis.* — Propter solares sive sempiternales *refulgentias luminum sapientiae,* quibus splenduit et splendere fecit; Ecclesiastici quadragesimo secundo: *Sol illuminans per omnia respexit, et gloria Domini plenum est opus eius.* — Propter solares sive sempiternales *affluentias ardorum benevolentiae,* quibus caluit et calere fecit; Ecclesiastici quadragesimo tertio [8]: *Tripliciter sol exurens montes, radios igneos exsufflans.* — Propter solares sive sempiternales *efficacias virtutis potentiae,* quibus coruscavit; Ecclesiastae primo: *Sol, lustrans universa in circuitu pergit spiritus, et in circulos suos revertitur.* — Propter solares sive sempiternales *praerogativas meritorum vitae* et *praemiorum gloriae,* quibus excessit; Ecclesiastici vigesimo sexto: *Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei* etc.

Pars I. Maria dicitur sol propter quinque praerogativas.

II. Circa secundam partem nota, quod Filius Dei processit hodierna die de utero virginali sicut *sponsus* de thalamo ad *cohabitandum;* Matthaei vigesimo quinto [9]: *Ecce, sponsus venit.* — Sicut *sol* de firmamento ad *illuminandum;* primi Regum undecimo, secundum alteram litteram: *Cum ortus fuerit sol de caelo, erit vobis salvatio.* — Sicut *flos* de rosario ad *redolendum;* Canticorum secundo [10]: *Ego flos campi;* Ecclesiastici quinquagesimo: *Quasi flos rosarum in diebus vernis.* — Sicut *lilium* de viridario ad *recreandum;* tertii Regum septimo [11]: *Quasi folium repandi lilii;* Canticorum secundo: *Ego lilium convallium.* — Sicut *margarita* de thesauro ad *confortandum;* Proverbiorum vigesimo quinto: *Inauris aurea et margaritum fulgens.*

Pars II. Christus comparatur quinque similitudinibus.

Sermo XIX [12].

Item, sermo fratris Bonaventurae editus in Monte Pessulano in die Nativitatis coram Universitate, in Claustro Fratrum, de mane.

Egredimini, filiae Sion, et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater

---

[1] Vers. 23; sequitur Zach. 9, 9.
[2] Vers. 28; sequitur Ps. 146, 1.
[3] Vers. 30, 32; sequitur Ps. 103, 34.
[4] Cap. 16, 24; sequuntur Ps. 111, 5. et Eccli. 15, 1. 5. 6.
[5] Ex A fol. 63 r.; et observandum, S. Bonav. praedicasse ad populum *Gallice;* quod etiam in aliis huius codicis sermonibus notatur.
[6] Psalm. 18, 6.
[7] Vers. 9; deinde sequitur 42, 16.
[8] Vers. 4; sequuntur Eccle. 1, 5. 6. et Eccli. 26, 21.
[9] Vers. 6; sequitur I. Reg. 11, 9; Vulgata: Cras erit vobis salus, cum incaluerit sol.
[10] Vers. 1; sequitur Eccli. 50, 8.
[11] Vers. 26; sequuntur Cant. 2, 1. et Prov. 25, 12.
[12] Ex A fol. 65 r. et cod. Parisiensi B fol. 10 v. Ex parte conveniunt Tudertinus n. 64. fol. 57 v. et Monacensis cod. lat. 8739, ubi fol. 118 v. incipiunt plures sermones S. Bonaventurae.

sua in die desponsationis eius et in die laetitiae cordis eius, Canticorum tertio [1].

Quoniam mentes nostrae tantae sunt tarditatis et pigritiae, ut vix possint assurgere ad meditandum aliquid divinum, aliquid spirituale; propterea Spiritus sanctus frequenter excitat nos et insinuat [2] frequenter in sacra Scriptura; et in verbis his maxime excitat animas fidelium ad meditandum et considerandum, venerandum et speculandum praesentem solemnitatem Nativitatis Domini. Insinuat eam ut *propinquam* sive praesentem exspectantibus per *spem,* cum dicit: *Egredimini, filiae Sion;* ut *excelsam* venerantibus per *timorem,* cum dicit: *et videte regem Salomonem;* ut *praeclaram* speculantibus per *fidem,* cum dicit: *in diademate, quo coronavit eum mater sua;* ut *laetabundam* sive iucundam desiderantibus per *amorem,* cum dicit: *in die desponsationis eius et in die laetitiae cordis eius.*

Divisio.

I. Dicit ergo alloquendo animas devotas: *Egredimini.* Iste autem *egressus* non est nisi quaedam praeparatio digna. Sed praeparatio est triplex, secundum quod triplex est operatio hierarchica. Est enim praeparatio purgativa, illuminativa, perfectiva sive consummativa. Secundum hoc est triplex egressus: a *servitute libidinis* in libertatem amoris; Genesis duodecimo [3]: *Egredere de terra tua et de cognatione tua* etc. — Ab *opacitate caliginis* in diffusionem luminis; Genesis vigesimo quarto: *Deambulabat Isaac* etc., *egressus fuerat ad meditandum in agro.* — A *modicitate temporis* in latitudinem sive in stabilitatem aeternitatis; Ezechielis decimo: *Et egressa gloria Domini a limine templi et stetit super Cherubim* etc.

Pars I.

Praeparatio et egressus triplex.

II. Sequitur: *et videte regem Salomonem,* id est Christum natum, vere pacificum et amabilem. *Videte,* inquam, eum, regem *supereminentis potentiae,* cui debetis reverentiae profunditatem; Apocalypsis decimo nono [4]: *Habet in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium.* — *Superfulgentis sapientiae,* cui debetis intelligentiae perspicacitatem; Ieremiae vigesimo tertio: *Regnabit rex et sapiens erit et faciet iudicium et iustitiam in terra.* — *Superabundantis pacis* et concordiae [5], cui debetis amicitiae intimitatem; Lucae primo: *Regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis;* et Isaiae nono: *Pacis non erit finis.*

Pars II.

Tres Christi excellentiae.

III. Sequitur: *in diademate, quo coronavit eum mater sua.* Diadema illud non est nisi humanitas Christi. Sicut enim diadema circumcingitur capitibus regum, sic ipse Christus fuit circumdatus illa beatissima carne in ventre Virginis sacratissimae, quae circumgyravit illam carnem mundissimam, quando de purissimis et virgineis sanguinibus sive humoribus suis generatus est Christus operatione Spiritus sancti. Dicit autem signanter *mater sua,* quoniam Pater coronavit eum diademate regni aeterni, sed mater Virgo coronat diademate temporalis regni, scilicet carnis mortalis mundissimae et venerabilis. Quod quidem diadema maternum, hodie mundo ostensum per novam nativitatem in carne, fuit venustatis *multiformis gratiae,* scilicet donorum, virtutum, beatitudinum; Sapientiae decimo octavo [6]: *Magnificentia tua in diademate capitis illius sculpta erat.* — Venustatis *deiformis sapientiae,* scilicet unitae, acquisitae, infusae, gloriosae; Sapientiae quinto: *Accipient regnum decoris et diadema speciei de manu Domini.* — Venustatis *singularis praeeminentiae,* scilicet in caelo et in terra et in inferno; Ecclesiastici undecimo: *Multi tyranni sederunt in throno,* apud regnum Iudaeorum, supple, *et insuspicabilis portavit diadema.*

Pars III.

Tres diadematis conditiones.

IV. Sequitur: *in die desponsationis eius et in die laetitiae cordis eius.* Haec autem dies est *dies desponsationis,* Ecclesiae, *et laetitiae cordis eius,* scilicet gloriosae Virginis parientis, propter *innovationem naturae,* quia, cum alios dies fecerit *solem* gyrando super hemisphaerium, hunc diem fecit per gyrationem *sui ipsius,* qui est *sol iustitiae* [7]; secundi Esdrae octavo: *Dies sanctificatus est Domino Deo nostro.* — Propter *infusionem gratiae,* quia, cum dies ceteros fecerit mixtos amaritudine, hunc diem per totum mundum mellifluum fecit; Psalmus: *Haec est dies, quam fecit Dominus, exsultemus et laetemur in ea.* — Propter *inchoationem gloriae,* quia, cum alios dies fecerit laboriosos valde, hunc diem fecit quietum et amabilem et plenum caelico lacte et melle; Ioel ultimo: *In die illa stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lacte* [8].

Pars IV.

Rationes tres.

Sermo XX [9].

Item, sermo fratris Bonaventurae in Nativitate Domini editus Parisius coram Universitate, in domo Fratrum.

Vas castrorum sol *in excelsis in firmamento caeli resplendens gloriose,* Ecclesiastici quadragesimo tertio [10].

In verbis istis Sapiens, divinitus illuminatus, describit Christi novam nativitatem in carne ut *contentivam* universalis salutis; ut *manifestativam*

Divisio.

---

[1] Vers. 11.

[2] *Et insinuat* additum est ex B.

[3] Vers. 1; sequuntur c. 24, 62. 63. et Ezech. 10, 18.

[4] Vers. 16; sequitur Ier. 23, 5.

[5] Cod. A *clementiae.* Sequuntur Luc. 1, 32. seq. et Isai. 9, 7.

[6] Vers. 24; sequuntur c. 5, 17. et Eccli. 11, 5.

[7] Respicitur Mal. 4, 2; deinde sequuntur II. Esdr. 8, 9; Ps. 117, 24. et Ioel 3, 18.

[8] Cod. Tudertinus addit: Psalmus (83, 11.): *Melior est dies una in atriis tuis super millia;* dies iste est dies aeternitatis, cui non succedet nox; dicitur enim in Apocalypsi (21, 25. et 23.): *Nox enim non erit ibi, claritas* enim *Dei illuminavit eum, et lucerna eius est Agnus.*

[9] Ex A fol. 66 v.

[10] Vers. 9. Vox *sol* in Vulgata deest.

divinae bonitatis et ut *repraesentativam* aeternae sapientiae et veritatis. Primum, ibi: *Vas castrorum;* secundum, ibi: *sol in excelsis;* tertium, ibi: *in firmamento caeli,* Ecclesiae, *resplendens gloriose.*

De Christo ut sole septem praedicatore.

Fuit autem Christus in sua nativitate et a sua nativitate *sol,* quia *altissimus* in situ propter unionem divinae naturae et primitiam altitudinis nostrae massae; Ecclesiastici vigesimo sexto [1]: *Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei. — Splendidissimus* in ortu propter fulgorem plenitudinis universalis sapientiae; Ecclesiastici quadragesimo secundo: *Sol illuminans per omnia respexit, gloria Domini plenum est opus eius. — Delectabilissimus* in aspectu propter pulcritudinem elegantiae et dulcedinem universalis gratiae; Ecclesiastae undecimo [2]: *Dulce lumen, et delectabile est oculis videre solem. — Ordinatissimus* in motu propter religionem et compositionem morum et totius vitae; Ecclesiastae primo: *Oritur sol et occidit et ad locum suum revertitur ibique renascens* etc. — *Officiosissimus* in usu propter condescensionem universalis pietatis et misericordiae; Matthaei quinto [3]: *Solem suum oriri facit,* supple: Pater Filium, *super bonos et malos* etc. — *Efficacissimus* in fructu propter praedicationem et attractionem ad caelum omnis animae; Psalmus: *Ortus est sol, et congregati sunt et in cubilibus suis collocabuntur. — Ferventissimus* in effectu propter abundantiam caritatis, quam habuit in nostra redemptione; Ecclesiastici quadragesimo tertio: *Fornacem custodiens in operibus ardoris, tripliciter sol exurens montes.*

Sermo XXI [4].

Item, sermo fratris Bonaventurae in Nativitate Domini apud sanctam Mariam de Portiuncula, quasi ad recreationem.

Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio, Genesis secundo [5].

Divisio.

Sacer Moyses in verbis his describit Christi nativitatem ut *ab aeterno ordinatam* et appropriatam, et ut ab ipsa Trinitate *omnibus gratiis et benedictionibus adornatam.* Propter primum dicit: *Plantaverat autem Dominus Deus a principio;* propter secundum subdit: *paradisum voluptatis.*

De Christo metaphorice septem.

Notandum autem, quod Christi nativitas gratiosa, ab omnibus desiderata et adamata in sacra Scriptura describitur sub multiformi metaphora, ut quod una non valet altera suppleat. Describitur enim Christus nascens de Virgine Matre sub metaphora *floris* albescentis propter universalem *munditiam;* Canticorum secundo [6]: *Ego flos campi et lilium convallium;* Isaiae undecimo: *Flos de radice eius ascendet. — Rosae* vernantis propter universalem *gratiam;* Ecclesiastici vigesimo quarto [7]: *Quasi plantatio rosae in Iericho;* Ecclesiastici quinquagesimo: *Quasi flos rosarum in diebus vernis. — Lilii* redolentis propter universalem *famam;* quarti Esdrae secundo [8]: *In lilio et rosa gaudio replebo filios tuos;* Ecclesiastici trigesimo nono: *Florete, flores, quasi lilium et date odorem. — Paradisi* recreantis propter universalem *sapientiam;* Canticorum quarto [9]: *Emissiones tuae paradisus,* dicitur beatae Mariae parienti. — *Areolae* aromatizantis propter universalem *clementiam;* Canticorum sexto: *Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum. — Olivae* pullulantis propter universalem *elegantiam;* Ecclesiastici quinquagesimo [10]: *Quasi oliva pullulans* etc. — *Cellae* pigmentariae reficientis propter universalem *efficaciam;* Canticorum primo: *Introduxit me rex in cellaria sua, exsultabimus et laetabimur in te* etc.

Sermo XXII [11].

Item, sermo fratris Bonaventurae editus ad populum Lugduni, in Nativitate Domini.

Anima mea, benedic Dominum, quoniam liberavit Ierusalem, civitatem suam, a cunctis tribulationibus eius Dominus Deus noster. Confitemini Domino, filii Israel, quoniam ostendit maiestatem suam in gentem peccatricem, Tobiae decimo tertio [12].

Magnalia 5

Anima uninscuiusque fidelis habet ex summa devotione mentis in hodierna celebritate benedicere Deum et confiteri Deo, ipsius magnalia extollendo sicut viri Israelitae et electi Ierosolymitae, per viginti quatuor considerationes spectantes ad hodiernae festivitatis meditationem, quae ex Evangelio noctis praeteritae summarie eliciuntur; et harum quatuor considerantur ex parte Dei *Patris,* quatuor ex parte *Filii,* quatuor ex parte *Matris,* quatuor ex parte *Ioseph,* quatuor ex parte *pastorum,* et quatuor ex parte *Angelorum.*

Divisio.

Quatuor ex parte Patri

Nam ex parte Dei *Patris* Filium incarnari et nasci constituentis habemus considerare et benedicere mirificam *liberalitatem,* quam habuit in Filium mittendo; laudabilem *fidelitatem,* quae debito tempore Patris implevit promissa; ineffabilem *caritatem,* quoniam, nobis compassus, sic placuit subvenire; aeternam *bonitatem,* quam sic nobis innotescere voluit.

Item, ex parte Filii.

Ex parte *Filii* venientis habemus considerare et benedicere admirabilem dignationis *benignitatem,*

---

[1] Vers. 21. et deinde c. 42, 16.
[2] Vers. 7. et postea c. 1, 5.
[3] Vers. 45; sequuntur Ps. 103, 22. et Eccli. 43, 3. seq.
[4] Ex A fol. 66 v.
[5] Vers. 8.
[6] Vers. 1; sequitur Isai. 11, 1.
[7] Vers. 18. et c. 50, 8.
[8] Vers. 19. Vulgata: *Et montes immensos septem, habentes rosam et lilium, in quibus gaudio implebo* etc. Sequitur Eccli. 39, 19.
[9] Vers. 13. et deinde c. 6, 1.
[10] Vers. 11; sequitur Cant. 1, 3.
[11] Ex A fol. 67 r.
[12] Vers. 19. 3. 7.

imitandae obedientiae paternae *promptitudinem*, inexcogitatae clementiae circa nos *pietatem*, compassivam ipsius *paupertatem*, *humilitatem* et *asperitatem*.

Quinto ex parte Matris.

Ex parte *Matris* parientis habemus considerare et benedicere intemeratam *virginitatem*, gloriosam *fecunditatem*, *pariendi modum* singularem, *partus* felicis *gratiositatem* felicem et gaudium.

Item, ex parte Joseph.

Ex parte *Ioseph* invenimus considerandam et benedicendam *reverentiae* profunditatem, *iustitiae* copiositatem, *obsequii* sedulitatem, *caritatis* indefectibilitatem.

Item, pastorum.

Ex parte *pastorum* habemus considerare et benedicere sanctam *simplicitatem*, devotam *iucunditatem*, laudandam *sollicitudinem*, prosperam fidem et *devotionem*.

Item, Angelorum.

Ex parte *Angelorum* considerare habemus et benedicere *claritatis* perfusivam magnitudinem, *familiaritatis* novam mansuetudinem, *praedicationis* studiositatem, novae *laudis* pulcritudinem et subhimitatem. — In his omnibus anima nostra habet hodie benedicere Deum.

Liberavit autem *civitatem suam* hodierna die, *ostendendo maiestatem suam in gentem peccatricem*, non solum Filium nasci faciendo, sed etiam diem nativitatis et horam et tempus suis mirabilibus decorando et adornando. Mirabilia autem ostensa

In nativitate Christi mirabilia 12.

genti peccatrici in Christi nativitate sunt ista, secundum historias varias [1]. Primo, *stella* quaedam praefulgida apparuit in aëre in partibus orientis, in qua videbatur forma pueri pulcherrimi, et crux in eius capite splendebat et pendebat, ut ostenderet, quod ille nascebatur, qui mundum sua doctrina et vita et morte irradiare veniebat. — Secundo, Romae de Capitolio in media die, videntibus imperatore et Sibylla, *circulus aureus* apparuit inxta solem et in medio virgo pulcherrima, puerum gestans, ut ostenderetur, quod ille qui nascebatur, monarcha erat orbis et *splendorem paternae gloriae et figuram* ipsius *substantiae* [2] se demonstrare veniebat. In eius signum prudens imperator, hoc videns, thura puero viso obtulit et *deus* de cetero vocari recusavit. — Tertio, Romae *templum pacis* corruit, quod cum aedificatum esset, et quaereretur a daemonibus, quantum duraret; responsum est, donec virgo pareret; in signum, quod ille nascebatur, qui aedificia et officia vanitatis destructurus erat. — Quarto, Romae *fons olei* erupit largiter et usque in Tyberim fluxit diu, ut ostenderetur, quod fons pietatis et misericordiae nascebatur. — Quinto, in nocte nativitatis *vineae Engaddi*, quae facinnt balsamum, florurunt, frondurunt et liquorem portabant, ut ostenderetur, quod ille nascebatur, qui mundum spiritualiter florere et frondere et fructum facere faceret et suo odore totum mundum alliceret. — Sexto, *numerus* ad triginta millia *hominum* est *occisus* imperatori rebellium, ut ostenderetur, quod ille nascebatur, qui totum mundum suae fidei subingaret et rebelles sibi in inferno perderet. — Septimo, omnes *sodomitae* mortui sunt, masculi et feminae per totum mundum, sicut dicit Hieronymus [3] super illud Psalmi: *Lux orta est iusto*, ut ostenderetur, quod ille nascebatur, qui natnram reformare venerat et castitatem promovere. — Octavo, *animal brutum* in Iudaea locutum fuerat et duo boves, ut daret intelligi, quod ille nascebatur, qui bestiales faceret rationales. — Nono, omnia *idola Aegypti* corruerunt, Virgine partum edente, secundum quod Ieremias [4] hoc signum dederat Aegyptiis, quando ivit ad eos, ut daret intelligi, quod ille nascebatur, qui erat verus Deus et solus adorandus cum Patre et Spiritu sancto. — Decimo, Parvulo nato et in praesepio reclinato, statim *bos* et *asinus genuflexerunt* et ipsum, quasi ratione vigerent, adoraverunt, ut darent intelligi, quod ille nascebatur, qui utrumque populum, Iudaicum scilicet et gentilem, ad sui cultum vocaret. — Undecimo, totus mundus gaudebat *pace* et *descriptus* fuit [5], ut ostenderetur, quod ille nascebatur, qui pacem universalem amaret et promoveret et electos suos in aeternitate ascriberet. — Duodecimo, in oriente *tres soles* apparuerunt, qui paulatim in unum corpus solare redacti fuerunt, per quod ostendebatur, quod per Christi nativitatem trini et unius Dei notitia orbi imminebat, vel quod Divinitas et anima et caro in unam personam convenerant. — Super omnibus his anima nostra habet benedicere Deum et venerari, *quoniam liberavit* nos et *maiestatem suam* per tanta mirabilia *ostendit*, in nos, *gentem peccatricem*.

Annus nativitatis Christi.

Natus est autem Dominus Iesus annis decursis a constitutione mundi quinque millibus centum nonaginta novem, a constitutione sive conditione Urbis septingentis quinquaginta tribus, olympiade tunc centesima nonagesima quarta, quadragesimo secundo anno imperii Octaviani Augusti, Herodis Ascalonitae tunc regnantis in Iudaea anno trigesimo nono regni eius, octavo Kalendas Ianuarii, praeside Syriae Cyrino [6].

Sermo XXIII [7].

Item, sermo fratris Bonaventurae, editus in sero Nativitatis ad preces sociorum Lugduni, in quo continetur summaria intentio Evangelii historiae Nativitatis.

Exiit edictum a Caesare Augusto, ut describeretur universus orbis etc., Lucae secundo [8].

---

[1] Cfr. Bonav., tom. VIII. pag. 95, Additament. I, ubi eadem fere mirabilia recensentur, et in nota 2. et 3. auctores, qui de his mirabilibus scripserunt, citantur.

[2] Hebr. 1, 3.

[3] Libr. V. Comment. in Isai. 19, 1; sequitur Ps. 96, 11.

[4] Cap. 48, 6 seqq.

[5] Cfr. Luc. 2, 1-3.

[6] Cfr. Martyrolog. Rom. in Vigilia Nativ. Dom.

[7] Ex A fol. 68 v.

[8] Vers. 1-16.

In isto reverendissimo Evangelio circa Christi, superbenedicti Dei Filii, gratiosam nativitatem de Virgine, ad aedificationem fidelium octo summopere speculanda sunt, scilicet *temporis* Christi nativitatis decentis gratiosa *idoneitas*, quia tempore Octaviani Augusti, cui totus mundus erat subditus et per eum tunc descriptus et professus. — *Loci* venerabilis praecordinata *qualitas*, quia in Iudaea provincia, Bethlehem civitate. — Intemeratae *Virginis* benedicta *fecunditas*, quia *impleti sunt dies, ut pareret, et peperit Filium suum primogenitum*. — Superbenedictae *Prolis* natae sublimis simul et singularis *humilitas*, *paupertas* et *asperitas*, quia *pannis* est *involutus*, *in praesepio reclinatus*, in *diversorio natus*. — Beati *Ioseph* officiosa simul et pia *sedulitas*, quod hinc inde subministrans, venerabatur et Partum et parientem. — *Pastorum* simplicium devota simul et sincera *credulitas*, quia *erant in regione eadem* [1]... — *Supernorum spirituum* nova simul et mira *iucunditas*, quia *facta est cum Angelo* etc. — *Humani generis* inchoata et annuntiata *felicitas*, quia *dixit illis Angelus: Evangelizo vobis gaudium* etc.

Octo bona Evangelii mediianda.

Sermo XXIV [2].

Summaria intentio, ut prius, Evangelii, quod cantatur in Missa Nativitatis in aurora, haec est. Sermo Bonaventurae, a sociis Parisius super hoc requisitus ad aedificationem.

Pastores loquebantur etc., Lucae secundo [3].

Ad nostram commendatur aedificationem diligentia pastorum in hoc Evangelio; commendatur a tribus, scilicet a *sollicitudine inquisitionis* fervidae, quia *loquebantur ad invicem: Transeamus* etc. *Et venerunt festinantes* etc. — A *certitudine inventionis* solidae, quia *invenerunt Mariam et Ioseph et Infantem*. — A *gratitudine devotionis* abundae, quia *reversi sunt glorificantes et laudantes Deum* etc. Habuerunt enim fidem caelicam, vividam, devotam, sobriam, perspicacem, religiosam, plenam gratia, fiducia, laetitia.

Tria laudantur in pastoribus.

Sermo XXV [4].

Summaria intentio Evangelii, quod cantatur in Missa maiori Nativitatis, haec est secundum fratrem Bonaventuram, coram sociis et magistris et baccalariis de Ordine nostro plurimis, Parisius.

In principio erat Verbum etc., Ioannis primo [5].

In isto Evangelio reverentiae singularis describitur Verbi incarnati persona dupliciter, scilicet quantum ad naturam *Divinitatis* altissimae, in qua declaratur ipse Dei Filius ut *aeternaliter generatus* a Patre, cum dicitur: *In principio erat Verbum*. — Ut *personaliter distinctus* in Trinitate, cum dicitur: *et Verbum erat apud Deum*. — Ut *coaequalis in maiestate*, cum dicitur: *et Deus erat Verbum*. — Ut *coaeternus in aeternitate*, cum dicitur: *hoc erat in principio apud Deum*. — Ut *principium omnis creaturae*, cum dicitur: *omnia per ipsum facta sunt*. — Ut *vita* et *ratio omnis rei* factae et fiendae, cum dicitur: *quod factum est* etc. — Ut *lux animarum*, cum dicitur: *et vita erat lux hominum*. — Ut *sapientia Angelorum*, cum dicitur: *et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt*.

Divisio.

De I. divisione membro octo servantur.

Quantum ad naturam *humanitatis* assumtae, in qua exprimitur ut *testificatus* solemniter, quia *fuit homo missus a Deo* etc.; *hic venit in testimonium*. — Ut *per quem irradiatus* est mundus universaliter, quia *erat lux vera* etc. — Ut a Iudaeis *reprobatus* damnabiliter, quia *in propria venit*. — Ut a mundanis et mundum amantibus *ignoratus* periculose et miserabiliter, quia *in mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit*. — Ut *per quem adoptati* sumus spiritualiter, quia *quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* etc. — Ut *nostrae carni unitus* clementer, quia *Verbum caro factum est et habitavit in nobis*. — Ut *manifestatus verus Deus* et *verus homo* per opera evidenter, quia *vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis*.

Item, de membro septem.

Sermo XXVI [6].

In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, Psalmus [7].

In verbo proposito Propheta David satis eleganter describit nativitatem Christi, insinuans nobis primo nativitatem eius *in utero*, cum dicit: *In sole posuit tabernaculum suum;* secundo vero nativitatem eius *ex utero*, cum subdit: *et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo*.

Divisio.

I. Natus autem fuit Christus *in utero*, quando sacrae Virginis uterum fecit sibi tabernaculum ad manendum, iuxta quod Virgo Maria potest dicere illud Ecclesiastici vigesimo quarto: *Qui creavit me requievit in tabernaculo meo*. Et quoniam ipsa Virgo Mater Dei et altissima erat in dignitate in conspectu divino et parvula erat ex humilitate in conspectu suo; ideo simul comparatur *tabernaculo* et *soli*, ut ostendatur, habitaculum uteri virginalis a Deo electum simul esse *humile* et *sublime: humile* quidem

Pars I.

---

[1] In Mss. hic habetur lacuna; supple: *vigilantes et custodientes vigilias noctis* etc.

[2] Ex A fol. 69 r.

[3] Vers. 15-20.

[4] Ex A fol. 69 r.

[5] Vers. 1-14.

[6] Hic sermo habetur Monachii in biblioth. regia, cod. lat. M. 7776. membr. in 4. s. XIV. et s. XIII, in quo multi sermones certo sunt s. Bonaventurae; signatur W. Optime conveniunt sermones codd. Tudert. n. 168. fol. 50 r. et n. 182. fol. 9 v. — Sermo hic omnino sapit spiritum Bonaventurae.

[7] Psalm. 18, 6; sequitur Eccli. 24, 12.

propter naturam terrestrem, *sublime* vero propter gratiam supercaelestem. Corpus enim Virginis formatum erat de limo, sed purgatum et sanctificatum fuit per Spiritum sanctum descendentem de caelo, qui tanquam nobilissimus artifex aedificavit Verbo Dei tabernaculum idoneum ad manendum; idoneum, inquam, quia *speciosum*, *spatiosum* et *stabilitum*.

Subdivisio.

Facta est namque Virgo Maria, Spiritu sancto operante, Verbi incarnati tabernaculum *speciosum* per *pulcritudinem pudicitiae*, secundum quod in Psalmo [1] dicitur: *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus;* quod dicitur, quia Spiritus sanctus, ipsam Virginem prorsus ab omni peccato mundando et eam purissimam reddendo, speciosiorem eam fecit, quam sit lux solis materialis, sicut Anselmus dicit [2]: « Decebat, ut illius hominis conceptio fieret de Matre purissima ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi ». Et tale tabernaculum decebat divinam sapientiam, de qua Sapientiae septimo [3]: *Candor est enim lucis aeternae et speculum sine macula Dei maiestatis;* et post: *Speciosior est sole et super omnem dispositionem stellarum, luci comparata, invenitur prior.*

Maria, tabernaculum speciosum.

Facta est etiam tabernaculum *spatiosum* per *latitudinem benevolentiae*, secundum illud Isaiae quinquagesimo quarto [4]: *Lauda, sterilis, quae non paris;* et post: *Dilata locum tentorii tui et pelles tabernaculorum tuorum extende.* Quia enim Virgo Maria concepit eum qui est caput omnium electorum, et cuius membra sunt ceteri, qui salvantur; ideo amplissimam debuit habere caritatem et benevolentiam, ut cunctos electos diligeret affectu materno, iuxta quod dicit Bernardus: « Maria, copiosissima caritate omnibus omnia facta, cunctis se exhibuit debitricem, ut de plenitudine eius accipiant universi ».

Item, spatiosum.

Facta est etiam tabernaculum *stabilitum* per *fortitudinem perseverantiae*, secundum illud Levitici vigesimo sexto [5]: *Ponam tabernaculum meum in medio vestri, et non abiiciet vos* ultra *anima mea.* Quia enim Virgo Maria eum concepit, qui nullum potuit habere peccatum; ideo confirmata fuit, ut amplius a Deo non posset recedere, quin potius recedentes et offendentes reconciliaret, tanquam tabernaculum, in quo Deus semper habitat et per quod habitat nobiscum et reconciliatur nobis, secundum illud Apocalypsis vigesimo primo: *Ecce, tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis.* Et hoc quidem verificatum est, cum *Verbum caro factum est et habitavit in nobis.* — Si igitur volumus, quod Deus habitet in nobis tanquam in tabernaculis; necesse habemus ad hoc tabernaculum accedere per *devotionem*, secundum illud Psalmi [6]: *Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco, ubi steterunt pedes eius;* et ei conformari per *imitationem*, ut sit in nobis pulcritudo *pudicitiae* et latitudo *benevolentiae* et fortitudo *perseverantiae*. Sic enim habitat Deus in nobis et nobiscum, et nos cum eo, secundum illud Isaiae trigesimo secundo: *Sedebit populus in pulcritudine pacis et in tabernaculis fiduciae et in requie opulenta.*

Item, stabilitum.

Applicatio.

II. Nativitas autem Christi *ex utero* describitur in hoc, quod additur: *et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Dicitur autem Christus esse sponsus *animae*, sponsus *Ecclesiae* et sponsus *naturae assumtae;* et hoc, quia unitur eis amore *pudico*, amore *benevolo* et amore *perpetuo*. Et quoniam in utero virginali sic coniuncta est natura humana cum Verbo, sicut unitur sponsa cum sponso amore *individuo*, ideo dicitur *procedere sicut sponsus de thalamo suo.*

Pars II.

Subdivisio.

Processit igitur ut sponsus *humanae naturae*, cui unitur amore *individuo;* propter quod Canticorum tertio [7]: *Egredimini, filiae Sion, et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius et in die laetitiae cordis eius. Diadema* istud, quo verus Salomon coronatur et desponsatur, humana natura est, quae in unitate personae cum Verbo Dei copulatur. Propter quod Isaiae sexagesimo primo: *Gaudens gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis et indumento iustitiae circumdedit me quasi sponsum decoratum corona et quasi sponsam ornatam monilibus suis;* ubi idem ipse dicitur *sponsus* et *sponsa* propter unionem duarum naturarum in una persona.

Christus, sponens humanae naturae.

Notandum.

Item, Ecclesiae.

Processit igitur ut sponsus *Ecclesiae*, cui unitur amore *benevolo*, secundum illud Ioannis tertio [8]: *Qui habet sponsam sponsus est.* Christus habet sponsam, quam sibi amore benevolentissimo copulavit, tradendo semetipsum pro illa, secundum illud ad Ephesios quinto: *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam et se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae.* Unde quia sibi eam desponsavit, non amore carnali, sed amore caelesti, ideo dicitur Apocalypsis vigesimo primo: *Ego Ioannes vidi sanctam civitatem, Ierusalem novam, descendentem de caelo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo.*

Item, animae.

Processit etiam tertio sicut sponsus *animae* sanctae, cui unitur amore *pudico;* Osee secundo [9]: *Sponsabo te mihi in fide;* et Canticorum quarto: *Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni, coronaberis. Libanus* candidatio interpretatur. Nulla

---

[1] Psalm. 45, 5.
[2] De Conceptu Virgin. c. 18.
[3] Vers. 26. et deinde v. 29.
[4] Vers. 1. seq. — Locus Bernardi est serm. in Dom. infra Octav. Assumt. B. M. V. n. 2.
[5] Vers. 11; sequuntur Apoc. 21, 3. et Ioan. 1, 14.
[6] Psalm. 131, 7; sequitur Isai. 32, 18.
[7] Vers. 11; sequitur Isai. 61, 10.
[8] Vers. 29; sequuntur Eph. 5, 25. seq. et Apoc. 21, 2.
[9] Vers. 20; sequitur Cant. 4, 8.

antem anima unitur Christo ut sponso, nisi quae habet duplicem candidationem, *mentis* videlicet et *carnis*. Quae habent utramque similes sunt prudentibus virginibus, quae alteram tantum, scilicet carnis, imprudentibus, de quibus Matthaei vigesimo quinto [1]: *Simile est regnum caelorum decem virginibus, quae accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsae;* quibus et post subditur: *Ecce, sponsus venit, exite obviam ei;* quod et nunc potest dici in Hortatio. solemnitate praesenti. — Huic autem Sponso nostro debemus *exire obviam* gaudendo et exsultando, tanquam ad eius nuptias invitati, secundum illud Apocalypsis decimo nono: *Gaudeamus et exsultemus et demus gloriam ei, quia venerunt nuptiae Agni, et uxor eius praeparavit se;* et ideo Lucae secundo: *Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator.* Hoc gaudium inchoatur in via et consummatur in patria; ad quod nos perducat etc.

Sermo XXVII [2].

Qui mane vigilant ad me invenient me, Proverbiorum octavo [3].

In verbis istis proponitur nobis a Verbo incar- Divisio. nato dulcis promissio, quae quidem *tollit* antiquae exspectationis *dilationem; exigit* humanae considerationis *attentionem; offert* et proponit propheticae promissionis *exhibitionem* sive *impletionem*. Primum facit, cum dicit: *mane;* secundum, cum subiungit: *Qui vigilant ad me;* tertium, cum subinfert: *invenient me.*

I. Primum ergo *tollit* ista promissio antiquae Pars I. exspectationis *dilationem*, cum dicit: *mane.* Sicut enim in isto *mane materiali* aër illustratur et serenatur, terra irroratur et fecundatur, ager vigoratur et quietatur; sic in isto *mane spirituali*, cum *Ver-* Subdivisio. *bum caro factum est* [4], totus mundus est *illustratus* et *serenatus* splendore aeternae Sapientiae, *irroratus* et *fecundatus* rore caelestis gratiae, sed *vigoratus* et *quietatus* vigore summae potentiae [5]. Nam istud Verbum natum est *caro factum*, quod est Verbum sapientissimum, clementissimum et potentissimum; et ideo emisit *radium* splendidissimum, mundum illustrantem et serenantem; destillavit *rorem* fecundissimum, mundum irrorantem et fecundantem; manifestavit *vigorem* sublimissimum, mundum vigorantem et quietantem.

Primo, de mundo illustrato et serenato. In isto ergo *mane* est mundus *illustratus* et *serenatus* ex praesentia Verbi nati. Nam de pastoribus dicitur Lucae secundo [6], quod, Christo nato, *claritas Dei circumfulsit illos, et timuerunt timore magno.* De isto *mane* dicitur Isaiae quinquagesimo octavo: *Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et sanitas tua citius orietur;* Exodi decimo nono: *Iam mane inclaruerat, et ecce, coeperunt audiri tonitrua,* id est comminationes tormentorum, *ac micare fulgura,* id est promissiones praemiorum; secundi Regum vigesimo tertio [7]: *Iustus dominator in timore Dei, sicut lux aurorae, oriente sole, mane absque nubibus rutilat.* — Huius splendor mentem tangebat Virginis decantantis: *Magnificat anima mea Dominum* etc. Huius *mane* claritas mentem tangebat pueri nondum nati, cum *exsultaret* adhuc cubans *in utero* materno. Huius splendor mentem tetigit prophetissae, cum dicit [8]: *Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Huius splendor mentem illuminabat illius qui dicebat: *Abscissus est lapis de monte sine manibus et replevit universam terram;* et illius qui dulci carmine depromebat [9]: *Hic est Deus noster, et non aestimabitur alius adversus eum. Post haec in terris visus est et cum hominibus conversatus est;* nec non illorum quorum alter [10] dulci modulo decantabat: *Creavit Dominus novum super terram: Femina circumdabit virum;* alter vero: *Ecce, virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel.* Huius splendor irradiabat illi qui dicebat [11]: *In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo;* et illi qui populum subiectum confortans aiebat: *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies;* et illi [12] qui prophetabat, dicens: *Non auferetur sceptrum de Iuda, et dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium.* Hoc illustratus Abraham promptus erat filium immolare, et Abel optima quaecumque sacrificare Deo altissimo. Huius suavitas *immisit soporem in Adam* [13], ut videret altissima. Huius splendor penetrabat profunda tenebrarum, cum Balaam dicebat: *Orietur stella ex Iacob, et consurget virga de Israel;* et profundum abyssi subintrabat, quando *populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam; habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est eis* [14].

Notanda exempla.

Cum igitur istius *mane* splendor tetigit mentes supra dictorum de longinquo istud *mane* considerantium, timebit omnis anima, quae isto *mane* se vero lumine non noverit illustratam, quia secundum

Applicatio.

---

[1] Vers. 1. et 6; sequitur Apoc. 19, 7. et Luc. 2, 10. seq.

[2] Ex Parisiensi cod. S fol. 330 r., Tudertinis codd. n. 104. fol. 30 v. et n. 115. fol. 31 r. Sed hi codices Tudertini, qui inter se conveniunt, primam partem tantum breviter exponunt et in secunda interdum pauca verba omittunt.

[3] Vers. 17.

[4] Ioan. 1, 14.

[5] Hucusque secuti sumus textum clariorem codicum Tudertinorum.

[6] Vers. 9; sequitur Isai. 58, 8. et Exod. 19, 16.

[7] Vers. 3. seq.; sequitur Luc. 1, 46. seqq. et deinde v. 41.

[8] Luc. 1, 43; sequitur Dan. 2, 34. seq.

[9] Baruch 3, 36. 38.

[10] Ier. 31, 22; sequitur Isai. 7, 14.

[11] Psalm. 18, 6; sequitur Deut. 18, 15.

[12] Gen. 49, 10. et deinde respiciuntur c. 22, 2. seqq. et c. 4, 4.

[13] Gen. 2, 21; sequitur Num. 24, 17.

[14] Isai. 9, 2.

illud Sapientiae decimo septimo [1]: *Omnis enim orbis terrarum limpido illuminabatur lumine;* solum autem illud dicitur de reprobis: *Superposita erat gravis nox, imago tenebrarum, quae superventura illis erat.* Unde lux clarissima, ab omni tenebra separata, quae illuminabat oculos Tobiae, cum nihil videret exterius, adhuc existens in nubilo, quam limpidissime isto *mane* illuminabit mentes fidelium, et ideo apparens et irradians in aperto, quam postmodum Tobias desiderans aiebat: *Beatus ero, si fuerint reliquiae seminis mei ad videndam claritatem Ierusalem.*

Secundo, de mundo irrorato et fecundato. Explicatio.

In isto *mane* mundus est etiam *irroratus* et *fecundatus*, quando, consperso *vellere* uteri virginalis, *impletu est concha rore caelesti*, ludicum sexto [2]. Quid enim per *vellus* de caelo roridum et conspersum nisi Virginis uterus virtute caelesti concipiens et pariens designatur? Quid per *concham* rore plenam intelligitur nisi mundus caelesti gratia in ortu Salvatoris repletus? Istum rorem desiderans, Isaias dicebat Isaiae quadragesimo quinto: *Rorate, caeli, desuper, et nubes pluant iustum. Aperiatur terra et germinet Salvatorem.* Quia in *rore caeli et* in *pinguedine terrae* est benedictio omnium; in *rore*, inquam, *caeli*, id est in rore Verbi nascentis, et in *pinguedine terrae*, id est Virginis parientis. De isto dicitur Osee sexto [3]: *Misericordia vestra quasi nubes matutina et quasi ros mane pertransiens;* et Exodi decimo sexto: *Mane*, inquit, *iacuit ros per circuitum castrorum.* Iste est ros refrigerans animam contra aestum concupiscentiae et fecundans (fetu) iustitiae, fructu bonae operationis, qui, destillans in fornacem ignis ardentis, *fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem.* Ex isto rore generatur in mente fidelis animae pretiosissima margarita.

Nota.

Tertio, de mundo vigorato et quietato.

In isto mane nihilominus est mundus *vigoratus* et *quietatus.* Ideo dicebat Isaias Isaiae trigesimo tertio [4]: *Domine, miserere nostri, te enim exspectavimus; esto brachium nostrum in mane et salus nostra in tempore tribulationis;* et Osee sexto: *In tribulatione sua mane consurgent ad me. Venite et revertamur ad Dominum, quia ipse scepit et sanabit nos, percutiet et curabit nos.*

Pars II.

II. Secundo, *exigit* humanae considerationis *attentionem*, cum subiungit: *Qui vigilant ad me.* Debet autem homo fidelis *vigilare* ad recipiendum attente et devote Puerum nasciturum, secundum repraesentationem fidelem, *viscerose, lacrymose* et *virtuose*, ut sit viscerose illustratus, lacrymose irroratus et fructuose vigoratus. — Debet ergo fidelis quilibet ad recipiendum devote Puerum vigilare *viscerose;* Cantícorum quinto [5]: *Ego*, inquit sponsa, *dormio, et cor meum vigilat;* et apertius Isaiae vigesimo sexto: *Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in praecordiis meis de mane vigilabo ad te.* — Debet secundo vigilare *lacrymose;* Threnorum secundo [6]: *Deduc quasi torrentem lacrymas per diem et noctem. Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini* etc. — Debet tertio vigilare *fructuose;* Proverbiorum octavo: *Beatus homo, qui audit me et qui vigilat ad fores meas quotidie et observat ad postes ostii mei; qui me invenerit inveniet vitam et hauriet salutem a Domino;* Lucae secundo: *Et pastores erant in regione eadem vigilantes et custodientes vigilias noctis super gregem suum, et ecce, Angelus Domini stetit iuxta illos.* Ecce, *fructus: Iam*, inquit Moyses Exodi decimo quarto [7], *advenerat vigilia matutina, et ecce, respiciens Dominus super castra Aegyptiorum per columnam ignis et nubis, interfecit exercitus eorum et subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum.*

Item, lacrymose.

Item, fructuose.

Subdivisio.

Vigilandum viscerose.

Pars III.

III. Tertio *proponit* et offert propheticae promissionis *exhibitionem* sive *impletionem*, cum dicit: *invenient me. Invenit* autem illum Puerum suavissimum qui quaerit eum cum *cordis simplicitate*, cum *cordis tranquillitate* et cum *cordis iucunditate. Inveniunt* ergo eum qui quaerunt ipsum cum *cordis simplicitate*, quia *cum simplicibus sermocinatio eius* [8]. In huius rei signum a pastoribus simplicibus est inventus; Lucae secundo: *Invenietis infantem pannis involutum et positum in praesepio;* Sapientiae primo: *In simplicitate cordis quaerite illum, quoniam invenitur ab his qui non tentant illum.* — Invenitur etiam ab his qui quaerunt eum cum *cordis tranquillitate;* Canticorum tertio [9]: *Per vicos et plateas quaeram quem diligit anima mea; quaesivi illum et non inveni. Paululum cum pertransissem eos*, ecce, tranquillitas, *inveni quem diligit anima mea.* — Invenitur nihilominus ab his qui quaerunt eum cum *cordis iucunditate;* Matthaei secundo: *Gavisi sunt gaudio magno valde, et intrantes domum invenerunt Puerum cum Maria Matre eius.*

Triplex quaerendi conditio.

De prima.

De secunda.

De tertia.

Invenitur autem Iesus in *mentis solitudine*, in *mentis sollicitudine*, in *mentis amaritudine.* — Invenitur in *mentis solitudine;* Deuteronomii trigesimo secundo [10]: *Invenit eum in terra deserta, in loco horroris et vastae solitudinis;* Canticorum octavo: *Quis mihi det te, fratrem meum, ut invenium te*

Triplex quaerendi modus. De primo.

---

[1] Vers. 19. seq.; sequuntur Tob. 11, 14. et 13, 20.
[2] Vers. 38; sequuntur Isai. 45, 8. et Gen. 27, 28.
[3] Vers. 4; sequuntur Exod. 16, 13. et Dan. 3, 50.
[4] Vers. 2; sequitur Os. 6, 4. seq.
[5] Vers. 2; dein sequitur Isai. 26, 9.
[6] Vers. 18. seq.; sequuntur Prov. 8, 34. seq. et Luc. 2, 8. seq.
[7] Vers. 24. seq.
[8] Prov. 3, 32; sequuntur Luc. 2, 12. et Sap. 1, 1. seq.
[9] Vers. 2. 4; sequitur Matth. 2, 10. seq.
[10] Vers. 10; sequitur Cant. 8, 1.

foris et deosculer te, et iam me nemo despiciat? —

De secundo. In mentis *sollicitudine;* Canticorum tertio [1]: *Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem;* possunt

De tertio. esse Filii Dei verba. — In *mentis amaritudine;* Lucae secundo [2]: *Invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos et interrogantem eos; et dixit Mater eius ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce, pater tuus et ego dolentes quaerebamus te.* Primum horum ponit hominem in via *paupertatis*, secundum in via *obedientiae* sive humilitatis, sed tertium in via *poenitentiae* sive austeritatis [3].

Sermo XXVIII [4].

Dominus de Sinai venit et de Seir ortus est nobis. Apparuit de monte Pharan, et cum eo Sanctorum millia, Deuteronomii trigesimo tertio [5].

Quoniam statim sequitur: *Qui appropinquant*

Introductio. *pedibus eius accipient de doctrina illius.* Et *appropinquant pedibus eius* etc., per *fidem* mysterii incarnationis, per *propositum* vitae imitationis, per *gemitum* devotae orationis; ideo, ut possimus *de doctrina eius accipere,* per haec tria appropinquantes, rogemus in principio Dominum etc.

Sanctus Moyses, primus scriptor et doctor sacrae Scripturae, in omnibus verbis suis oculum habens ad Filii Dei incarnationem, in fine verborum suorum ante mortem suam sub verbis metaphoricis propriissime eam descripsit quantum ad omnem *tem-*

Quoad tempus circumstantiam incarnatio describitur tripliciter. *poris circumstantiam,* dicens: *Dominus de Sinai venit* etc. Nam descripsit eam, in quantum est primo *Lege praefigurata,* cum dicit: *Dominus de Sinai venit. Sinai* enim ibi interpretatur mandatum; consignificat enim Legem illam, quae data fuit in monte illo, et tempus Legis. — Secundo descripsit eam, in quantum est *tempore Prophetarum praenuntiata,* cum subdit: *et de Seir ortus est nobis. Seir* enim interpretatur pilosus vel caper et significat Prophetas, quorum eximius Elias fuit, *vir pilosus et zona pellicea accinctus renibus* [6]; iste enim erat habitus prophetalis. — Tertio descripsit eam, in quantum est *tempore legis gratiae exhibita* et *manifestata,* cum addit: *Apparuit de monte Pharan, et cum eo Sanctorum millia. Pharan* enim interpretatur frugifer, quia quidquid temporibus retroactis florverat vel fronduerat, totum tempore legis gratiae ortum est et exhibitum.

Item, quoad triplicem conditionem venientis. Descripsit etiam eam quantum ad omnem *conditionem venientis,* cum dicit: *Dominus de Sinai venit* etc. Nam quantum ad naturam divinam *venit,* quantum ad humanam *ortus est nobis,* quantum ad utramque *apparuit nobis.*

Item, quo triplicem causalitatem. Descripsit etiam eam quantum ad omne *genus causalitatis, efficientis* scilicet, *formalis* et *finalis.* Nam cum dicitur: *de Sinai venit,* tangitur *efficiens principium. Sinai* enim interpretatur mandatum et significat Dominum *Patrem,* id est Deum, cuius mandato Filius venit. Cum vero dicitur: *de Seir ortus est nobis,* tangitur *forma* adventus. *Seir* enim interpretatur pilosus, vel caper. Ipse enim venit ad nos ut *pilosus* per austeritatem vitae, et ut *caper* per humilitatem et paupertatem, quia abiectus fuit in mundo isto. Cum vero additur: *Apparuit de monte Pharan,* tangitur *finalis utilitas. Pharan* enim interpretatur frugifer et significat illam *plenitudinem* gratiae, de qua *omnes accepimus* [7], quia tempore gratiae tunc *stillaverunt montes dulcedinem,* et « melliflui per totum mundum facti sunt caeli [8] ».

De 1. conditione venientis deo. I. Quantum ad primum nota, quod *venit* Christus ut *rex* venerabilis propter auctoritatem potentiae; et ideo recipi debet cum summa reverentia; Zachariae nono [9]: *Ecce, rex tuus veniet tibi, iustus et Salvator.* — Ut *sponsus* desiderabilis propter benignitatem clementiae; et ideo recipi debet cum ingenti laetitia; Matthaei vigesimo quinto: *Ecce, sponsus venit, exite obviam ei.* In argumentum primi in hora, in qua natus est, genuflexerunt boves et asinus coram eo [10]. In argumentum secundi *pastores festinaverunt* statim videre in carne Verbum.

De 2. conditione venientis deo. II. Quantum ad secundum nota, quod *ortus est nobis,* non sibi sicut alii homines, secundum illud Isaiae nono [11]: *Parvulus natus est nobis, et Filius datus est nobis. Ortus est* autem *nobis* Filius Dei ut *viror* virtutis ad roborandum nostram impotentiam; Isaiae trigesimo quinto: *Exsultabit solitudo et florebit quasi lilium, quia viror calami et iunci orietur.* — Ut *splendor* veritatis ad dirigendum nostram ignorantiam; secundi Regum vigesimo tertio [12]: *Sicut lux aurorae, oriente sole, mane absque nubibus rutilat* etc. — Sed quantum ad *efficientiam* non est ortus ut *viror* virtutis nisi virilibus et virilia proponentibus, nec ut *splendor* veritatis nisi humilibus et pauperibus, et secundum illud Psalmi: *Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt. Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi;* et secundum illud Esther undecimo: *Lux et sol ortus est, et humiles exaltati sunt* etc. Propter quae omnia Malachiae quarto [13] dicitur: *Orietur vobis timentibus*

---

[1] Vers. 3. Infra ex codd. Tudertinis adiunximus: *possunt esse Filii Dei verba.*

[2] Vers. 46, 48.

[3] Ita codd. Tudertini; S *castitatis.*

[4] Habetur in cod. Parisiensi B fol. 9 v. et etiam in cod. Monac. cod. lat. 8739, in quo tribuitur Bonaventurae.

[5] Vers. 2; sequitur v. 3.

[6] IV. Reg. 1, 8.

[7] Respicitur Ioan. 1, 16; sequitur Amos 9, 13.

[8] Cfr. Breviar. Roman., Responsor. 2. ad Matut. in Nativ. Dom. — Sequens divisio refertur tantum ad triplicem conditionem *venientis.*

[9] Vers. 9; sequitur Matth. 25, 6.

[10] Cfr. supra pag. 123, nota 1; deinde respicitur Luc. 2, 16.

[11] Vers. 6; et dein c. 35, 1. 7.

[12] Vers. 4; sequuntur Ps. 91, 14. seq. et Esth. 11, 11.

[13] Vers. 2.

nomen meum sol iustitiae, et sanitas in pennis eius. Habuit enim Christus natus *sanitatem in pennis*, quia in ala *sinistra* habuit pennam *contemptus terrenitatis* per paupertatem, pennam *contemptus voluptatis* per austeritatem, pennam *contemptus vanitatis* per humilitatem. In ala autem *dextera* habuit pennas *fervoris caritatis, exercitii virtutis, desiderii aeternitatis.* Non sic ille Phaëthon, filius Phoebi [1], qui fecit sibi novas pennas et consumsit orbem et semetipsum praecipitavit.

III. Quantum ad tertium nota, quod, ut Christus
Pars III. nos ad suum amorem accenderet, *apparuit* in sua na-
Triplex apparitio. tivitate nobis in *sinceritate munditiae* ferventer diligentibus; ad Titum secundo [2]: *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos* etc. *Qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate* etc. — In *lenitate misericordiae* firmiter credentibus; ad Titum tertio: *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit* etc. — Apparet autem Christus natus solum illis qui habent *humilitatem* venustantem, *habitantibus* scilicet *in convalle Mambre;* qui habent *odorem* (?) elevantem, existentibus scilicet *in ostio tabernaculi;* qui habent *fidem* illuminantem, vigilantibus *in fervore diei*, sicut legitur apparuisse Abrahae, Genesis decimo octavo [3].

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI.

Sermo I [4].

Positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel et in signum, cui contradicetur, Lucae secundo [5].

Prothema: *Surrexit Elias Propheta sicut ignis*
Prothema. *ardens.* In verbo secundo loco proposito, sumto de Ecclesiastici quadragesimo octavo [6], luculenter exprimitur, qualis debeat esse divini verbi praedicator: quia primo debet esse *elongatus* sive sequestratus a mundi terrenitate; secundo debet esse *illuminatus* Evangelii veritate; tertio debet esse *inflammatus* Dei et proximi caritate. *Elongatio* ergo mundanae prosperitatis notatur, cum dicit: *Surrexit Elias; illuminatio* evangelicae veritatis notatur, cum subdit: *Propheta; inflammatio* fraternae caritatis notatur, cum subinfert: *sicut ignis ardens.*

Nos ergo, carissimi, in principio nostri sermonis
Invocatio Dei. ante omnia misericors et fontale principium, quod est primum lumen, humiliter imploremus, ut sua benigna condescensione *separet* nos ab amore mundanae prosperitatis, *illuminet* splendore sive cognitione evangelicae veritatis, et *inflammet* fervore fraternae caritatis; ut tandem, *elongati* ab amore mundi, *illuminati* splendore Evangelii et *inflammati* dilectione Dei et proximi, possimus aliqua proferre in medium, quae sint ad laudem et gloriam sui sancti nominis benedicti et ad salutem et consolationem animarum nostrarum. Amen.

Positus est hic in ruinam etc.

Quoniam in aspectu solis materialis secundum
Sermo. varias dispositiones intuentium oportet, alios contristari, alios vero delectari; hinc est, quod sanctus Simeon, dono prophetiae illustratus, videns, ex veris [7] sermonibus, honestis exemplis et bonis operibus et lucidis, procedentibus a *sole iustitiae* [8], Christo, multos per caecitatem malitiae esse perturbandos ac per hoc in praecipitium culpae ruere, alios vero rectificandos ad lumen gratiae resurgere, propositum verbum de Christo protulit, dicens: *Positus est hic in*
Divisio. *ruinam.* In quo quidem verbo notantur quatuor: primo notatur *perversitas* acceptae occasionis in boni operis exhibitione, cum dicit: *Positus est hic in ruinam;* secundo notatur *benignitas* piae subventionis in prostrati hominis sublevatione, cum addit: *et in resurrectionem multorum;* tertio notatur *exemplaritas* imitandae directionis in bonae actionis regulatione, cum dicit: *in signum;* quarto notatur *malignitas* pravae impugnationis in benigni Doctoris [9] contradictione, cum subinfert: *cui contradicetur.*

I. Dicit ergo: *Positus est hic in ruinam,* ubi
Pars I. notatur *perversitas* acceptae occasionis in boni operis exhibitione. Vere magna perversitas, de bono alieno facere sibi malum; nihil malignius, nihil stolidius sub caelo. Sed ratio, quare isti perversi ex bonis operibus accipiebant sibi occasionem ruinae et mortis, est ista. Naturaliter enim quidquid proicitur in modulum induit formam et figuram moduli, eo quod est ibi per modum recipientis et non recepti [10]. Quia ergo corda illorum erant perversa et iniqua, ideo quidquid boni de Christo in cordibus eorum capiebatur, sola temeritate iudicii perversum fiebat. Et ob hanc rationem suae perversae malignitatis ipsi fuerunt sibi causa ruinae, licet occasionem acceperint ex
Subdivisio. bonis operibus Christi. Christus namque est *virtus,* est *veritas,* est *salus* [11]. Primo, Christus in quantum

[1] Cfr. Ovid., II. Metamorph. v. 30. seqq.
[2] Vers. 11. 12. 14. et deinde c. 3, 4. seq.
[3] Vers. 1.
[4] Habetur in ed. Vaticana pro hac Dominica et est correctus subsidiis codicum C D E F.
[5] Vers. 34.
[6] Vers. 1; Vulgata: quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat.
[7] Pro *ex veris* Vaticana habet *exterius.*
[8] Respicitur Malach. 4, 2.
[9] Vaticana habet *Conditoris*, et infra *sobita perversitate* pro *sola temeritate.*
[10] Iuxta tritum Scholasticorum axioma: quidquid recipitur per modum recipientis recipitur.
[11] Propositio *Christus namque* etc. sumta est ex D.

virtus propter benignam humiliationem assumtae infirmitatis *positus est in ruinam superborum;* secundo, in quantum *veritas* propter iustam arguti-onem humanae iniquitatis *positus est hic in ruinam malignorum;* tertio, in quantum *salus* propter voluntariam susceptionem illatae mortis *positus est hic in ruinam impiorum.*

Primo Christus in quantum *virtus* propter assumtae infirmitatis humiliationem fuit medicinalis potio ad expellendum vitium *superbiae.* Hac autem superbi medicina abutentes, quod eis debuit esse causa salutis converterunt in ruinam mortis, ut patet de illo Herode. Cum humilibus Magis noluit humiliari Deo omnipotenti, humiliter sub nostrae carnis infirmitate latenti, ut eum cum Magis quaereret adorandum, sed potius quaerebat ad perdendum. Sola namque maligni-tas suae voluntatis fuit sibi causa maximae ruinae, cum quaerebat interficere Christum [1]. Sed illud quod fuit superbo Herodi, medicinali potione humilitatis abutenti occasio mortis, hoc fuit humilibus Magis bene utentibus causa salutis. De hoc dicitur Isaiae octavo [2]: *Erit vobis* Dominus *in sanctificationem, in lapidem autem offensionis et petram scandali duabus domibus Israel, in laqueum et ruinam habitantibus Ierusalem.* Fuit Dominus *in sanctificationem* humilibus Magis, eo quod abstulit ab eis errorem insipientiae, tumorem superbiae et foetorem immunditiae, tribuendo eis *splendorem* veritatis in corde, ut cognoscerent secretum mysterii incarnationis; *firmitatem* sermonis in ore, ut confiterentur coram Herode *Regem saeculorum* [3]; et *timorem* filialis reverentiae in opere, ut adorarent Dominum omnium Creatorem. Et sic, quamvis in humanitate viderent humilem, adoraverunt tamen et crediderunt *Dei virtutem et Dei sapientiam* cognoverunt. — Est etiam Dominus Deus *in lapidem offensionis et petram scandali duabus domibus Israel. Israel* enim interpretatur directio Domini, sive vir videns Deum, et significat hominem, qui aptus natus est dirigi in viam bonam, in divinam scilicet visionem sive in creatura, sive in propria conscientia [4]. *Duae domus Israel* sunt *cor* et *os.* Nam *cor* est habitaculum Dei in credendo, *os* vero est expressivum sermonis in confitendo, eo quod *corde creditur ad iustitiam, ore fit confessio ad salutem* [5]. Sed domui *cordis* est Dominus *in lapidem offensionis* propter caecitatem infidelitatis; et domui *oris* est *petra scandali* propter negationem Divinitatis.

— Tertio est Dominus *in laqueum et in ruinam habitantibus Ierusalem,* id est Herodi et complicibus suis, propter mortis eius malignam conspirationem; qui quidem Herodes et sui collaterales tunc ad litteram habitabant sive morabantur in Ierusalem. Et de hoc dicitur in Proverbiis: *Qui exaltat cor suum quaerit ruinam.*

Secundo Christus in quantum *veritas* propter arguti-onem iustam humanae iniquitatis *positus est in ruinam malignorum.* Et hoc est quod dicitur Isaiae vigesimo sexto [6]: *Ros lucis, ros tuus, et terram gigantum detrahes in ruinam.* Efficacissima doctrina Christi nomine *lucis et roris* appellatur, eo quod erat manifestativa et denudativa turpium ad modum lucis, et moderativa sceleris ad modum roris. Nam secundum Isidorum [7]: « Ros arcet venena de nocte, ne noceant ». Sed iniqui Iudaei *dilexerunt magis tenebras quam lucem* [8] veritatis, ut liberius possent vacare sceleribus; etiam, non sustinentes increpationes et puncturas iustae arguti-onis, machinati sunt in maleficium arguentis, ut dicit Dominus: *Quid me quaeritis interficere, hominem, qui vera locutus sum vobis?* Vere miserabilis insania, qua irasci-mur sananti et non irasci-mur vulneranti! Et certe incurabilis est iste morbus, non ex defectu medici, sed ex vitio aegrotantis. *Terram gigantum detrahes in ruinam* [9], id est, homines terrenos sive Pharisaeos, qui non sapiunt nisi terrena, ad modum gigantum alios in maligno excedentes, rigore divinae iustitiae *detrahes in ruinam* damnationis aeternae.

Tertio Christus in quantum *salus* propter voluntariam susceptionem illatae mortis *est positus in ruinam impiorum.* Christus enim in cruce, tanquam botrus in torculari compressus, per vulnera sui floridi corporis odoriferum liquorem expressit, omnium morborum sanativum et salutem humani generis effectivum. Hoc autem medicinali liquore impii Iudaei offensi sunt adeo, ut ruinam mortis incurrerint et crimina super crimina multiplicarent spernendo medicamentum saluberrimum et antidotum, quo genus humanum salvabatur, similes bufonibus, qui adeo offenduntur de bono odore fragrante de ardore vinearum, ut in fugam convertantur. Et de hoc dicitur Proverbiorum vigesimo nono [10]: *In multiplicatione impiorum multiplicabuntur scelera, et ruinas eorum iusti videbunt.* — Vere *in multiplicatione impiorum,* scilicet Pharisaeorum, *multiplicata sunt scelera,* cum *collegerunt pontifices et Pharisaei consilium, ut Iesum dolo tenerent et occiderent.* Sed *iusti,* id est Apostoli, *viderunt eorum ruinas,* quando *filii regni,* scilicet Herodes et Iudaei, *fuerunt eiecti foras,* per divinam reprobationem, *et gentes in sinu Abrahae recubuerunt,* per benignam adoptionem.

II. Sequitur: *in resurrectionem multorum,* ubi notatur *benignitas* piae subventionis in prostrati hominis sublevatione. Ista benignitas piae subventionis

Primo Christus ut virtus.

Expositio verbi primi.

Secundi.

Tertii.

Secundo Christus ut veritas.

Tertio, Christus ut salus.

Expositio.

Pars II.

[1] Quae praecedunt sunt secundum meliorem lectionem in D.

[2] Vers. 14.

[3] Respicitur 1. Tim. 1, 17; sequitur 1. Cor. 1, 24.

[4] Vaticana *essentia,* sed infra sub parte II. habet *conscientia.*

[5] Rom. 10, 10; sequitur Prov. 17, 19; Vulgata: *ostium* pro *cor suum.*

[6] Vers. 19.

[7] Libr. XII. Etymol. c. 4. n. 40.

[8] Ioan. 3, 19; sequitur c. 7, 20.

[9] Isai. 26, 19. Hunc locum et quae sequuntur sumsimus ex F.

[10] Vers. 16; sequuntur Ioan. 11, 47. et Matth. 26, 4. et 8, 12. 11.

apparet in sublevatione trium generum hominum veritati obtemperantium, quibus Christus est causa vitae et salutis secundum triplicem proprietatem, per quam fuit occasio passiva et accepta ruinae et mortis obstinatis et veritati contradicentibus. Nam primo, Subdivisio. propter benignitatem piae subventionis Christi in quantum *virtus* impotentes resurgunt a crudelitate potestatis diabolicae *irascibilem* deprimentis. — Secundo, propter benignitatem piae subventionis Christi in quantum *veritas* insipientes resurgunt a tenebrositate ignorantiae *rationalem* excaecantis. — Tertio, propter benignitatem piae subventionis Christi in quantum *salus* lascivientes resurgunt a foeditate carnalis lasciviae *concupiscibilem* deformantis.

Primo, propter benignitatem piae subventionis De primo. Christi in quantum *virtus* resurgunt impotentes a crudelitate potestatis diabolicae *irascibilem* deprimentis; unde dicitur Actuum duodecimo [1]: *Surge velociter*, quia *ceciderunt catenae de manibus* tuis. — Petrus, positus in vinculis ferreis ex diabolica suggestione et sub custodia militum, ut interficeretur, fignrabat peccatorem ligatum vinculis diabolicae fraudis et positum sub custodia daemonum ad *perdendum* eum morte damnationis aeternae. Hic autem excitatur ad *surgendum* angelica admonitione, quia per auxilium virtutis Christi confringentis aëreas portas diabolicae custodiae *ceciderunt catenae*, diabolicae fraudis, *de manibus*, malorum operum eius. De hoc similiter dicitur primi Regum vigesimo primo: *Surrexit David in die illa et fugit a facie Saul.* Saul interpretatur abutens et significat diabolum, qui abutitur creaturis Dei, de cuius potestate bonus David surgit per auxilium virtutis Christi, fugiens ab eius notitia.

Secundo, propter benignitatem piae subventionis De secundo. Christi in quantum *veritas* insipientes resurgunt a tenebrositate ignorantiae *rationalem* excaecantis. Et de hoc dicitur Isaiae sexagesimo [2]: *Surge, illuminare, Ierusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est.* — *Surge, illuminare, Ierusalem*, ecce, tenebrositas caecitatis; nihil enim illuminatur nisi carens luce. *Quia venit lumen tuum*, ecce, benignitas venientis, eo quod lumen Angelorum factum est lumen hominum, lumen supernorum factum est terrenorum. *Et gloria Domini super te orta est*, ecce, incunditas cordis. Si enim magna gloria est visu carenti in videndo istam lucem; multo magis gloria debet esse generi humano, obcaecato per peccatum, quod per descensum veri luminis de tenebris ad lucem revocatur.

Tertio, propter benignitatem piae subventionis De tertio. Christi in quantum *salus* lascivientes resurgunt a foeditate carnalis lasciviae *concupiscibilem* deformantis. Et de hoc dicitur Iosue primo [3]: *Surge et transi Iordanem, tu et omnis populus tecum in terram, quam ego dabo filiis Israel*, qui interpretatur videns Deum. Sic boni Christiani per repressionem carnis Deum vident in propria conscientia; istis pro obtinenda caelestis patriae inhabitatione praecipitur transire fluxum carnalis concupiscentiae, quae nomine fluvii defluentis designatur.

III. Sequitur tertio *exemplaritas* imitandae di- Pars III. rectionis in bonae actionis regulatione, cum dicit: *in signum*. Licet fuerit Dominus Iesus Christus exemplare signum in omni sua actione, tamen quantum ad praesens triplex fuit signum: primo *virtuosissi-* Subdivisio. *mae reconciliationis* in incarnatione; secundo fuit signum *veracissimae revocationis* in praedicatione; tertio fuit signum *saluberrimae curationis* in passione.

Primo *positus est in signum virtuosissimae re-* De primo. *conciliationis* in incarnatione; unde dicitur Genesis nono [4]: *Arcum meum ponam in nubibus, et erit signum foederis.* — *Arcus* iste, qui generatur ex radio solis in nube concava et rorida, est Christus, qui constat ex radio solari Divinitatis et nube humanitatis ratione humilitatis. Et dicitur *concava* et *rorida* ratione plenitudinis gratiae; dicitur *poni in nubibus*, id est defectibus carnalibus tenebrosae humanitatis, expedientibus ad hominis salutem, non ut obscuretur, sed ut contemperetur; cuius extrema contingunt caelum Divinitatis et terram humanitatis. Et iste arcus est *signum foederis* inter Deum et creaturam.

Secundo fuit signum *veracissimae revocationis* De secundo. in praedicatione; unde dicitur Isaiae undecimo [5]: *Levavit signum Dominus in nationibus et congregabit profugos Israel et dispersos Iuda colliget a quatuor plagis terrae. — Levavit Dominus signum*, revocationis in praedicatione, *ad nationes; congregabit profugos Israel*, id est aptos dirigi in viam bonam; nam Israel directio Domini interpretatur; *et colliget dispersos Iuda, ad confitendum nomini Domini*; Iuda enim confessio interpretatur. Istos autem *congregabit et colliget a quatuor plagis terrae*, id est a quatuor inordinatis affectionibus, scilicet a *tumore* vanitatis et superbiae ad amorem humilitatis et reverentiae, a *foetore* carnalitatis et immunditiae ad nitorem castitatis et sanctimoniae, ab *ardore* terrenitatis et avaritiae ad amorem paupertatis et inopiae, a *furore* impietatis et invidiae ad dulcorem caritatis benignae.

Tertio fuit signum *salutiferae curationis* in De tertio. passione; unde dicitur Numerorum vigesimo primo [6]: *Fecit Moyses serpentem aeneum et posuit eum pro signo, quem cum percussi aspicerent, sanabantur. — Serpens* ille, qui habet similitudinem et effigiem serpentis, tamen carens veneno, significat Dominum nostrum Iesum Christum, qui habet similitudinem et naturam hominis, tamen carens veneno peccati, ut,

[1] Vers. 7; sequitur I. Reg. 21, 10.
[2] Vers. 1.
[3] Vers. 2.
[4] Vers. 13.
[5] Vers. 12; sequitur Ps. 121, 1.
[6] Vers. 9.

quemcumque momorderit astutia satanae, intueatur Christum in ligno pendentem per compassionem et imitationem, et plenam inveniet curationem. Nam si de honoribus tentatur, inveniet mortem vilissimam; si de deliciis, mortem inveniet dolorosissimam; si de divitiis, nuditatem pauperrimam; et sic virtute passionis Christi a morsibus antiqui serpentis non laedetur.

IV. Quarto et ultimo notatur *malignitas* vel
Pars IV. perversitas pravae impugnationis in benigni Doctoris contradictione, ibi: *cui contradicetur*. Vere magnae malignitas contradicere tanto ac tali Doctori! Nam
Subdivisio. primo, eius insuperabili *virtuti* contradixerunt *superbi* per temerariam attributionem infirmitatis et impotentiae; secundo, infallibili *veritati* contradixerunt *falsiloqui* per falsam impositionem falsitatis et blasphemiae; tertio, indeclinabili *bonitati* contradixerunt *maligni* per calumniationem malignam seductionis et malitiae.

Primo ergo, fuit contradictum eius insuperabili
De primo. *virtuti* per temerariam attributionem infirmitatis et impotentiae. Superbi enim Iudaei, qui videbant, Christum secundum humanitatem pati et infirmari, *habentes obscuratum intellectum* [1], propter tumorem superbiae non crediderunt, ipsum esse *Dei virtutem* secundum Divinitatem, per temerariam attributionem infirmitatis et impotentiae contradixerunt eius virtuti Divinitatis, quam antea monstraverat in factis miraculosis, cum exprobrando dicebant: *Alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere. Si rex Israel est, descendat nunc de cruce* [2]. O superbi Iudaei! caeciores ipsa caecitate, ruinam non attendentes, quoniam maioris virtutis est patienter in tormentis usque in finem perseverare et de infirmitate corporis viriliter triumphare quam *de cruce descendere* et ab infirmitate carnis miserabiliter superari. Si enim nullus *salvabitur*, nisi *qui perseveraverit usque in finem*, quomodo Christus Iesus nomine et re *Salvator* diceretur, si in cruce patienter usque in finem non perseverasset? Unde in Psalmo [3]: *Eripies me de contradictionibus populi, constitues me in caput gentium*, inquit Filius Dei ad Patrem. — *Eripies me de contradictionibus populi* Iudaici exprobrantis et temerarie attribuentis virtuti Divinitatis infirmitatem et impotentiam; *constitues me in caput gentium*, id est credentium, me non tantum esse hominem, sed etiam Deum omnipotentem.

Secundo, infallibili eius *veritati* fuit contradictum
De secundo. a *falsiloquis* per impositionem falsitatis et blasphemiae. Falsiloqui Pharisaei eius infallibili veritati imponebant falsitatem et blasphemiam, cum dicebant: *Tu de te ipso testimonium perhibes, et testimonium tuum non est verum* [4]; et alibi: *Hic blasphemat*. Et hoc est quod dicitur Iob decimo sexto [5]: *Suscitatur adversus faciem meam falsiloquus, contradicens mihi;* contra quem similiter Iob sexto dicitur: *Haec est consolatio mea, ut affligens me dolore non parcas, nec contradicam sermonibus Sancti. — Iob*, qui interpretatur dolor sive ululans, significat poenitentiam dolentem et plorantem de peccatis suis. Hic enim non solum non *contradicit sermonibus Sancti* sanctorum, Christi, sed etiam magna consolatio sibi est, ut Christus, bonus medicus, non parcat, patefaciendo vulnera scelerum cum gladio praedicationis, ut *affligatur* multiplici *dolore* contritionis propter recuperationem sanitatis.

Tertio, eius indeclinabili *bonitati* contradixerunt
De tertio. *maligni* per malignam calumniam seductionis et malitiae. Maligni Iudaei calumniabantur ipsam bonitatem Christi, dicentes, Christum esse *seductorem* [6] malitiosum in sermone et *devoratorem* atque *peccatorem* in opere. Immo, quod peius est, *ponebant bonum malum et lucem tenebras* [7], dicentes, miraculosa opera Christi, Filii Dei, fieri *in Beelzebub, principe daemoniorum*. Et quia Deus *malos male perdet* [8], ideo dicitur de eis Isaiae quadragesimo primo: *Confundantur et erubescant omnes, qui pugnant adversus te; erunt quasi non sint, et peribunt viri, qui contradicunt tibi*. Rogemus etc.

Sermo II [9].

Quoniam estis filii Dei, *misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem; Abba, Pater*, ad Galatas quarto [10].

Ostendit hic Apostolus influxum gratiae Spiri-
Divisio. tus sancti quantum ad *dispositionem praesentem* per adoptionem legitimam, cum dicitur: *Quoniam estis filii* Dei; quantum ad *operationem subsequentem* per susceptionem charismatum, cum subditur: *misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater*.

I. Quantum ergo ad primum assignat Apostolus,
Pars I. causam sive *dispositionem* adventus Spiritus sancti esse filiationem divinam, quam quidem tria comitantur, scilicet *libertas in conditione* per liberatio-
Filiationem divinam comitatur libertas. nem a servitute corruptionis; ad Romanos octavo [11]: *Ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei. — Conformi-*
Conformitas. *tas in effigie* per imitationem Christi conversationis; Ioannis duodecimo: *Dum lucem habetis, credite in*

---

[1] Eph. 4, 18; deinde respicitur I. Cor. 1, 24.
[2] Matth. 27, 42. et c. 10, 22.
[3] Psalm. 17, 44.
[4] Ioan. 8, 13; sequitur Matth. 9, 3.
[5] Vers. 9. et deinde c. 6, 10; Vulgata: Haec mihi sit etc.
[6] Matth. 27, 63; Luc. 7, 34. et Ioan. 9, 16. 24.
[7] Isai. 5, 20. et dein Matth. 12, 24.
[8] Matth. 21, 41; sequitur Isai. 41, 11.
[9] Ex cod. Parisiensi B fol. 12 r. Codex hic habet rubricam: *Dominica prima post Nativitatem et in die Pentecostes.*
[10] Vers. 6; qui textus habetur in Epistola Dominicae infra Oct. Nat. Dom.
[11] Vers. 21; sequitur Ioan. 12, 36.

micabilitas. *lucem, ut filii lucis sitis.* — *Amicabilitas in corde* per adhaesionem finalis dilectionis; primae Ioannis tertio [1]: *Videte, qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus;* unde ad Romanos octavo: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater.* — Ex his praelibatis tribus disponitur anima ad gratiam Spiritus sancti, propter quod subditur: *misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater.* Qui quidem Spiritus non datur nisi *liberis* per contemptum vanitatis; ad Romanos octavo [2]: *Spiritus vitae in Christo Iesu liberavit me,* a spiritu servitutis et carnis; Ioannis decimo quarto: *Mittam vobis Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere.* — *Conformibus* per credulitatem veritatis; Ioannis septimo [3]: *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquae vivae. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* — *Amantibus* per desiderium aeternitatis; Lucae undecimo: *Quanto magis Pater vester de caelo dabit Spiritum bonum petentibus se.*

Has explicantur.

II. Mittitur autem Spiritus sanctus et venit in corda nostra sive ad corda *innovanda* per sinceritatem innocentiae; Ezechielis trigesimo sexto [4]: *Dabo vobis cor novum et spiritum novum ponam in medio vestri; et vivetis.* — *Illustranda* per claritatem sapientiae; Ioannis decimo sexto [5]: *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* — *Inflammanda* per caritatem benevolentiae; Actuum secundo: *Factus est repente de caelo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis. Et repleti sunt omnes Spiritu sancto.*

Pars II. Spiritus S. mittitur ad tria.

CIRCUMCISIO DOMINI.

Sermo I [6].

In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet neque praeputium, sed nova creatura, ad Galatas sexto [7].

Prothema. (Prothema). *Gloria mea semper innovabitur, et arcus meus in manu mea instaurabitur,* Iob vigesimo nono [8].

In verbis secundo propositis, quae scribuntur in Iob, tanguntur tria necessaria praedicatori verbi Dei, ad hoc, ut sermo habeat effectum: primum est *conscientia recta,* secundum *doctrina certa* et ter-

Primum. tium, ut habeat *vitam iuxta doctrinam.* — Primo debet habere *conscientiam rectam,* ut scilicet gloriam Dei, non suam quaerat; et hoc notatur, cum dicitur: *Gloria mea semper innovabitur;* quia *qui in Domino gloriatur* [9] semper habet novam gloriam, quia haec non inveteratur; sed qui quaerit gloriam suam quaerit illam quae inveterascit, et iste est adulterator verbi Dei, non praedicator; se-

Secundum. cundae ad Corinthios secundo: *Non sumus adulterantes verbum Dei* etc. — Secundum, quod debet habere praedicator verbi Dei, est *doctrina certa* et stabilis, quando scilicet ipsa doctrina manat de duobus Testamentis, novo scilicet et veteri; et sicut dicit Gregorius super Iob [10]: « Arcus est sacra Scriptura; arcus, vetus Testamentum, chorda, novum ». — Tertium est, quod *vita doctrinae concordet;* et tangitur ibi: *arcus meus in manu mea instaurabitur.* Gregorius dicit [11]: « Arcus in manu, vita iuxta praedicationem ». Ille ergo est praedicator, qui habet haec tria. — Sed quis ad haec idoneus? Quia quis quaerit gloriam Dei? Quis habet utrumque Testamentum, et quis est qui habet vitam iuxta doctrinam? Et qui haec credit in se habere praesumtuosus est. Ego sum in me penitus deficiens, sed tamen confido de gratia Spiritus sancti, qui *potens est* [12] facere; et ideo rogemus Christum parvulum et Matrem eius, ut det mihi gratiam etc.

Tertium.

In Christo Iesu etc. Verbum propositum est Apostoli ad Galatas, et si consideretur superficialiter, potius huic festo videtur esse contrarium quam conveniens; quia, si *in Christo neque circumcisio aliquid valet neque praeputium* [13], ergo ipse frustra circumcisus est; sed si ipse frustra circumcisus non est, tunc circumcisio aliquid valet in ipso. — Quia Christus suscepit circumcisionem in carne sua, in qua nulla erat carnis concupiscentia, et in ipso impleta

Sermo.

Difficultas solvitur.

---

[1] Vers. 1; sequitur Rom. 8, 15.

[2] Cfr. vers. 2; sequitur Ioan. 14, 17; cfr. c. 15, 26.

[3] Vers. 38. seq.; sequitur Luc. 11, 13.

[4] Vers. 26; et deinde c. 37, 6.

[5] Vers. 13; sequitur Act. 2, 2. 4.

[6] Hic sermo habetur cum nomine Bonaventurae in cod. 36. fol. 31, membr. saec. XIII. biblioth. Monasterii Hilariensis (Wilhering) in Austria, et etiam in cod. Monacensi W fol. 215 r. et in codd. Tudertinis n. 482. fol. 236 r, n. 468. fol. 50. In primo illo codice est aliquanto diffusior, et solummodo in ipso est *Prothema* et Introductio in Collationem. Habet tamen hinc inde lacunas, praesertim in explicatione locorum Scripturae, quas supplevimus ex tribus aliis codicibus, qui optime inter se conveniunt. Satis patet, hunc sermonem esse *reportatum* et exceptum non ab uno eodemque auditore. Nihil proprio marte additimus, sed omisimus plerumque indicare addita ex W.

[7] Vers. 15.

[8] Vers. 20.

[9] Epist. I. Cor. 1, 31. et dein II. Cor. 2, 17.

[10] Libr. XIX. c. 30. n. 55, ubi dicit: « Quid arcus nomine nisi sacrum eloquium debet intelligi? in chorda etenim Testamentum novum, in cornu vero Testamentum vetus accipitur ».

[11] Ibid. n. 56: « Arcus in manu est Scriptura sacra in operatione ».

[12] Respicitur II. Cor. 9, 8.

[13] Secuti sumus in hoc cod. Monacensem.

est circumcisionis significantia: ergo debet *cessare* circumcisionis observantia; et quia Christus circumcisus est, ideo *non valet* observantia circumcisionis, sed potius *nova creatura*, quia sic circumcisionis figura impleta est, ex quo innata est cum summa Veritate; et sic est *terminus eius:* ergo debet cessare. Unde Christus circumcisus est non ad renovandum vetustatem circumcisionis, sed ad introducendum novitatis sanctitatem. Et hoc etiam alludit principio anni, quia hoc tempore Christus circumcisus est, qui *venit salvare gentes*[1]; unde dicit Apostolus in verbo proposito: *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet* etc. In quo verbo Apostolus praefert novitatem gratiae vetustati circumcisionis; quasi dicat Apostolus: ex quo Christus venit, iam non est opus vetustate umbrae, sed novitate
Divisio. gratiae[2]; et primo insinuat *ineefficaciam circumcisionis manualis*, ostendens, quod *vetustas umbrae* debet cessare, cum dicit: *In Christo Iesu neque* etc.; secundo *efficaciam renovationis spiritualis*, cum dicit: *sed nova creatura*[3].

I. Valuit circumcisio pro loco et tempore, sed iam
Pars I. non est locus vetustati circumcisionis; unde sicut *novitas* gratiae ad triplicem differentiam temporis comparatur, sic et *vetustas* Legis ad triplicem differentiam temporis comparatur. Fuit enim tempus cir-
Subdivisio. cumcisionis *institutae*, *impletae* et *prohibitae*, et secundum hoc fuit (etiam) triplex tempus *novitatis* gratiae, scilicet novitatis *promissae*, *exhibitae* et *publicatae;* primum *ante adventum*, secundum *in adventu* et tertium *post adventum*.

Tempus *circumcisionis institutae* fuit ab Abra-
Primo, tempus circumcisionis institutae. ham usque ad Christum; unde dicitur in Genesi[4]: *Erit pactum meum in carne vestra in foedus sempiternum. Circumcidetur ex vobis omne masculinum. Masculus, cuius praeputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Hoc autem tempore *promittebatur novitas gratiae* triformis secundum correspondentiam figurae et figurati. Dabatur
Ipsa data est ad Iria. enim circumcisio in *pactum, remedium* et *signum;* dedit circumcisionem *in pactum*, cum dicit: *Erit pactum meum in carne vestra; in signum*, unde dicitur ibi: *Erit signum inter me et vos;* et *in remedium*, unde subditur: *Masculus, cuius praeputii caro circumcisa non fuerit* etc. — Iuxta hoc
Triplex novitas. tempore Legis *promittebatur* novitas *Testamenti*, novitas *doni gratuiti* et novitas *praemii aeterni*. —
Novitas testamenti. In veteri lege promittebatur novitas *Testamenti;* unde in Ieremia[5]: *Ecce, dies veniunt, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Iuda foedus novum. Non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum.* Et post: *Dabo legem meam in visceribus eorum et in cordibus eorum scribam eam.* Sed impletio huius novitatis non fuit in tempore Legis. Unde per hanc auctoritatem probat Apostolus ad Hebraeos octavo, legalia cessare; quia *consummabo super domum Israel et super domum Iuda Testamentum novum* etc. — Fuit autem ibi promissa no- Item, doni gratuiti.
vitas *doni gratuiti;* unde in Ezechiele[6]: *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris* etc. Haec promissio facta est sub lege veteri, sed impleta est tempore novae legis; unde sequitur: *Auferam cor lapideum de carne vestra et dabo vobis cor carneum.* Iudaei habuerunt cor durum; unde data est eis lex scripta *in tabulis lapideis;* nobis vero data est lex scripta in *cordibus carnalibus*[7]; unde lex vetus data est ad emollienda corda dura, sed lex nova data est ad illuminandum per gratiam. — Promittebatur etiam Item, praemii aeterni.
in veteri Testamento novitas *praemii aeterni;* unde in Isaia: *Sicut caeli novi et terra nova, sic stabit semen vestrum* etc. Haec *renovatio caeli et terrae* implebitur post iudicium; unde in Apocalypsi vigesimo primo[8]: *Vidi caelum novum et terram novam.* Istud promittebatur in veteri Testamento, et hoc signabat circumcisio; et ideo erat in *pactum* et in *remedium*, et ideo duravit usque ad veritatem et tunc cessavit. Unde dicitur in Levitico: *Comedetis vetustissima veterum, et vetera, novis supervenientibus, proiicietis.* Vetera enim Sacramenta promittendo et figurando novorum introductionem, suam etiam praedicebant cessationem et legis veteris evacuationem; et hoc, quia simul currit institutio figurae cum promissione novitatis gratiae[9].

Secundo fuit tempus *circumcisionis impletae;* Secundo, tempus circumcisionis impletae.
unde dicit Apostolus ad Romanos decimo quinto[10]: *Dico enim, Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones Patrum.* Ideo accepit Christus circumcisionem in carne sua, ut impleret ea quae fuerunt Patribus repromissa; et hoc, quia in ipso et per ipsum fuit novitas *exhibita* et introducta. Et dicit Notandum.
Ecclesiastes: *Nihil sub sole novum;* verum est ante adventum Christi, sed post adventum eius hoc est falsum, quia eius nativitas erat *nova*, quia novo modo Nativitatis novitas triplex.
conceptus, novo modo *natus* et novo modo *nominatus*. Fuit enim *conceptus* praeter concupiscentiam, *natus* supra naturam et *nominatus* secundum praedestinationem aeternam. — Fuit novo modo *con-* De prima.
ceptus; unde in Ieremia[11]: *Creavit Dominus novum super terram: femina circumdabit virum.* Omnes

[1] Cfr. Gal. 3, 8.
[2] Respicitur Rom. 7, 6.
[3] Ita codices Monacensis et Tudertini exhibent divisionem.
[4] Cap. 17, 13. 10. 14; sequitur v. 11.
[5] Cap. 31, 31-33; sequitur Hebr. 8, 8.
[6] Cap. 36, 25. et dein v. 26.
[7] Epist. II. Cor. 3, 3; sequitur Isai. 66, 22.
[8] Vers. 1; sequitur Lev. 26, 10.
[9] Ultima sententia deest in cod. Hilarensi.
[10] Vers. 8; sequitur Eccle. 1, 10.
[11] Cap. 31, 22; sequuntur Ezech. 44, 2. et Esth. 8, 16. seq.

enim aliae mulieres cum concupiscentia concipiebant, sed beata Virgo Christum sine viro et sine concupiscentia concepit. Et sic incepit *novitas*, quia hic restituta est perfecta innocentia. — Fuit etiam novo modo *natus*, scilicet supra naturam, quia exiit *clausa porta;* Esther octavo: *Iudaeis nova lux oriri visa est, gaudium, honor et tripudium apud omnes populos. Nova lux*, quia Christus in nativitate luci comparatur; quia, sicut lux pervia sine corruptione transit, sic Christus *clausa porta* exivit; et sicut sol oriens totum mundum illustrat, sic Christus in nativitate sua totum mundum illuminavit; Isaiae nono [1]: *Habitantibus in regione umbrae mortis, lux orta est eis.* Et sicut lux apportat gaudium in suo adventu, sic et Christi nativitas iucundissima fuit Matri, iucundissima enim fuit universitati totius populi; et ideo dicitur: *honor, gaudium et tripudium apud omnes populos.* Unde Angelus in Luca: *Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator;* Sapientiae septimo: *Cum sit una, omnia potest et in se permanens omnia innovat.* — Item, novo modo fuit *nominatus;* hoc enim hodie factum est; unde dicitur in Luca [2], et recitatur in Evangelio hodierno: *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer; vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur;* unde in Isaia: *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit.* Quid est istud *nomen novum? Parvulus natus est nobis, et Filius datus est nobis.* Istud nomen est *Iesus*, quod interpretatur Salvator; unde dicit Angelus [3]: *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Et hoc faciendo renovabit *novitatem*, quia novitas debet manere, et vetustas circumcisionis debet expelli; unde secundae ad Corinthios quinto: *Si qua* est *in Christo nova creatura, vetera transierunt; ecce, facta sunt omnia nova;* et post: *Quoniam Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta eorum.* Ideo ergo Christus voluit circumcidi et novo modo nomine nominari, ut exhibendo novitatem gratiae, impleret simul et concluderet virtutem figurae, scilicet circumcisionis manufactae; quia Christus amovendo vetustatem peccati introduxit novitatem virtutum; et ideo tempus *gratiae exhibitae* currit cum tempore *circumcisionis impletae.*

Secunda.

De tertia.

Tertium fuit tempus *circumcisionis inhibitae.* De hoc ad Galatas quinto [4]: *Ecce, ego Paulus dico vobis, quoniam, si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit;* et ante dixit Apostolus ad Romanos secundo: *Circumcisio prodest, si Legem observes;* et sic videtur sibi Apostolus contradicere, quia quod ibi asserit, hic negat. — Sed solutio huius patet, quia quod dicit, quod circumcisio valet, *si Lex observatur*, loquitur pro statu circumcisionis *exhibitae;* quod vero dicit: *si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*, loquitur pro statu *circumcisionis impletae*, quae cucurrit cum statu *gratiae publicatae*, quae publicata est per documenta Apostolorum, et hoc tunc, quando dici poterat: *In omnem terram exivit sonus eorum.* Huiusmodi autem rationem reddit, cum subdit [5]: *In Christo enim Iesu neque circumcisio aliquid valet neque praeputium, sed fides, quae per caritatem operatur.* Ideo enim inhibebat circumcisionem, quia iam tempus erat gratiae publicandae, quae liberabat a legis veteris servitute, secundum illud ad Romanos septimo: *Soluti sumus a lege mortis, a qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritus et non in vetustate litterae. Vetustas* enim *litterae* facit servos, *novitas* autem *spiritus* facit liberos; propter quod ad Romanos octavo: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus: Abba, Pater.* Per publicationem enim *novitatis* gratiae Christus novam sponsavit *uxorem*, novum fecit *convivium nuptiale* et novam genuit *posteritatem.*

Tertio, tempus circumcisionis inhibitae.

Difficultas solvitur.

Notandum.

Alia subdivisio.

Primo desponsavit *novam uxorem;* unde in Apocalypsi [6]: *Vidi civitatem sanctam, Ierusalem novam descendentem de caelo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo. Ierusalem descendens de caelo nova*, haec est mater Ecclesia, quae debet descendere de caelo, quia per Spiritum sanctum descendentem de caelo fundata est; dicitur *nova* respectu synagogae. In istis nuptiis et contractione huius sponsae, scilicet Ecclesiae de gentibus congregatae, cantari debet canticum laudis divinae; unde in Apocalypsi Ioannes vidit *viginti quatuor seniores cantantes canticum novum supra montem coram Agno. Cantare canticum novum* est gaudere de hac desponsatione; quia, si rex Franciae duceret filiam alicuius rustici in uxorem, nonne deberent gaudere amici illius sponsae? Quanto magis de hoc gaudere debemus, quod Christus Ecclesiam sibi duxit in uxorem! Et ideo dicit Psalmus [7]: *Cantate Domino canticum novum;* et sequitur: *notum fecit Dominus salutare suum, in conspectu gentium revelavit iustitiam suam*, scilicet quia illam meretricem reiecit et Ecclesiam ex gentibus duxit.

Primo, nova uxor.

Exemplum.

Fecit etiam Dominus in publicatione huius novitatis novum *convivium nuptiale.* Absit enim, cum homo faciat convivium in nuptiis, quod Dominus non faciat convivium in nuptiis suis. De hoc convivio nuptiali dicitur primae ad Corinthios undecimo [8] et in tribus Evangeliis: *Hic calix novum*

Secundo, novum convivium.

[1] Vers. 2; sequuntur Luc. 2, 10. seq. et Sap. 7, 27.
[2] Cap. 2, 21; sequitur Isai. 62, 2. et 9, 6.
[3] Matth. 1, 21; et dein II. Cor. 5, 17. et 19.
[4] Vers. 2; sequitur Rom. 2, 25. et Ps. 18, 5.
[5] Gal. 5, 6; sequitur Rom. 7, 6. et 8, 15.
[6] Cap. 21, 2. et infra c. 5, 8. seq. et c. 14, 1. 3.
[7] Psalm. 97, 1. seq.
[8] Vers. 25; cfr. Matth. 26, 26; Marc. 14, 22. et Luc. 22, 17.

testamentum est in meo sanguine. Hic est *calix*, qui continet potum; et certum est, quod potus sanguinis *novus* potus est. Et dicitur signanter *calix* et *novum testamentum*, quia sanguis Christi, qui hodie coepit fundi, fuit pretium nostrae redemptionis, et ideo *testamentum novum;* fuit etiam poculum nostrae refectionis novae, et ideo *calix* dicitur. — Durum est credere, quod Deus aeternus *det nobis carnem suam ad manducandum*[1] et sanguinem ad potandum. — Sed si intelligas *nuptias contractas*, necessarium est, quod hoc poculum nobis propinet; quia *convivium* debet esse iuxta exigentiam nuptiarum, et nuptiae sunt de Domino et Ecclesia: ergo in istis nuptiis Ecclesia fit divina et caelestis; et ideo oportet, quod habeamus *cibum caelestem*, et iste cibus est Verbum incarnatum. In quantum enim est « Verbum *Patris*, est cibus Angelorum », secundum Augustinum[2]; sed in quantum est Verbum *caro factum*, est cibus parvulorum. Unde Verbum incarnatum, quod Virgo peperit et hodie circumcisum est et in cruce passum, proponitur nobis ad manducandum. Unde quando homo carnalis est et accedit ad istud Sacramentum, non intelligit nobilitatem eius. — Sed qui intelligit, quod unitas Christi ad Ecclesiam est sicut *corporis ad caput* — quia tota Scriptura[3] hoc dicit — quia sicut a capite sensus et motus ad corpus descendunt, sic et charismata gratiae a Christo capite ad membra Ecclesiae descendunt; et ideo oportet, quod simus *unum corpus*, et ideo oportet, quod sit *unus cibus*, et ille debet se ad omnes extendere, et hoc non est creaturae purae. — Item, si intelligas, quod Christus unitur Ecclesiae *ut sponsae*, ipsa Ecclesia non debet suo sponso privari. Duplex enim est pars Ecclesiae, scilicet triumphans et militans; Ecclesia triumphans habet eum in caelis, et Ecclesia militans similiter eum secum debet habere. Et ideo ipse dicit in Evangelio[4]: *Ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Et quia nos *ambulamus in fide*, ideo Christus in figura est nobiscum. — Item, si intelligas, quod Christus *reconciliavit nos Deo*[5] per *sacrificium;* et certum est, quod non nisi per verum sacrificium expiatur peccatum; et Ecclesia peccat: ideo oportet, quod per *sacrificium* corporis et sanguinis Domini peccatum expietur; et hoc est tertium, scilicet quod reconciliati debent habere *unum sacrificium.*

Difficultas solvitur.

Notandum.

Congruit cibus caelestis.

Confirmatur 3 rationibus. Prima.

Secunda.

Tertia.

De hoc *convivio* Sapientiae decimo sexto: *Bene disposuisti*, Domine, *populum tuum;* et loquitur ibi de manna, et dicit, quod erat *novus sapor.* Novum quid insinuatur de manna, quia ibidem dicitur: *Angelorum esca nutrivisti populum tuum;* et in Lege[6] dicitur, quod filii Israel *nauseabant super cibo isto*, et sic videtur contrarietas. Re vera habuit saporem, sed non sapiebat nisi habentibus novum palatum; quia dicunt magistri[7], quod carnales unum saporem ibi inveniebant, sed spirituales *suavitatem omnis saporis.* Sic etiam est de corpore Christi; quia illis qui carnales sunt, nonnisi unum saporem reddit, sed spirituales inveniunt ibi mirabilem delectationem, quia Damascenus[8] dicit, quod « caro Christi est sicut *carbo ignitus* », et ideo qui tangit illud efficitur ignitus. — De hoc tale andivi exemplum. Quaedam sancta mulier habuit filium unum nutritum in omni sanctitate, et iste fuit sacerdos; et quando sacerdos effectus est, tunc sancte conversatus est. Sed tamen sanctitas matris excellebat, quae quolibet die communicavit ad altare, ubi filius eius Missam celebrabat. Et quadam die, absente matre, dum filius debebat celebrare, illa hostia, quam mater debebat sumere, cecidit parum ante, et ipse non advertit, ita quod unam consecravit et aliam non. Unde ipse dubitavit, utrum illa hostia esset consecrata, vel non; et tamen volens certiorem partem eligere, dedit matri illam non consecratam; et tunc mater dixit filio: Non est corpus Christi, quod porrigis mihi, sed est hostia oblata Trinitati, quia obtulisti et non consecrasti. Et quaesivit ab ea filius, quomodo hoc sciret; et ipsa dixit ei: Quando accedo ad sumendum corpus Christi, sentio mirabilem suavitatem, et hanc modo non sensi. — Et ideo, si nos volumus ad hunc cibum accedere, simus sanctificati; unde Apostolus[9]: *Habentes igitur, fratres, fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam et viventem per velamen, id est carnem suam; accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala et abluti corpus aqua munda;* oportet enim, quod habeamus munditiam cordis et carnis, quia cibus iste Christus est. Unde, quia Deus est et est sapientia immaculata, ideo debet esse *mens* pura; et quia caro Christi est ibi, ideo et *carnem* immaculatam oportet ibi esse; et qui aliter accedit timere potest, ne Dominus percutiat. — Audivi enim, quod quidam sacerdos accessit, qui peccaverat illo abominabili et horrendo vitio, scilicet sodomitico, et celebravit et percussus est paralysi in canone et nunquam amplius curatus est.

Exemplum.

Hortatio.

Aliud exemplum.

Item, novam genuit *posteritatem;* Psalmus[10]: *Filii tui sicut novellae olivarum in circuitu mensae tuae;* quia nos sumus *in circuitu*, huius convivii, *filii*, id est Christiani; et comparantur *novellis olivarum*, quia per Christum uncti sunt oleo gratiae, quia Christianus dicitur a Christo uncto; et ille

Tertio, nova posteritas.

Scriptura de hoc convivio.

[1] Cfr. Ioan. 6, 53. seqq.
[2] Serm. 194. (alias 23. de Tempore) n. 2.
[3] Cfr. Eph. 5, 23; sequitur I. Cor. 10, 17: Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus.
[4] Matth. 28, 20; dein respicitur II. Cor. 5, 7.
[5] Respicitur Rom. 5, 10; sequitur Sap. 16, 2. et 20.
[6] Num. 21, 5. [7] Cfr. tom. VI. pag. 214 v. 20.
[8] De Fide orthod., IV. c. 13., ubi respicitur Isai. 6, 6.
[9] Hebr. 10, 19. 20. 22. [10] Psalm. 127, 3.

verus Christianus est, qui habet *oleum* gratiae *in vasis suis*[1]. Et talis potest clamare: *Abba, Pater;* et talis est, qui recipit *lavacrum regenerationis*, ut dicit Apostolus ad Titum, quia *secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti.* Et Spiritus sanctus in corde nostro facit nos vere clamare[2]; et ipsa Ecclesia *mater* est. Et isti sunt veri Christiani et spiritualiter *circumcisi* et per gratiam *innovati;* unde Ieremiae quarto: *Circumcidimini Domino et auferte praeputia cordium vestrorum, viri Iuda et habitatores Ierusalem.* Et idem, quod hic dicit Apostolus, dicit Ieremias: *Novate vobis novale;* et qualiter? Circumcidimini. Et quia spiritualiter sunt circumcisi, liberati sunt; unde ad Romanos septimo[3]: *Soluti sumus a lege mortis, ut serviamus in novitate spiritus.* Et ideo nos sumus filii Dei, quia liberati a servitute, et ideo *neque circumcisio neque praeputium valet in Christo, sed nova creatura;* quia circumcisio carnis est signum novitatis mentis.

Requiritur renovatio.

Qui enim vult spiritualiter circumcidi, oportet, eum spiritualiter *renovari;* haec autem spiritualis renovatio incipit a gratia septiformi et consummatur in gloria deiformi.

Gradus ipsius octo.

Et notandum, quod secundum octo dies circumcisionis octo debent in nobis esse *novitates* — circumcisio enim erat signum amotionis culpae et poenae — quia *gloria* dicitur uniformis et *gratia* septiformis. Debemus autem circumcidi per gratiam *iustificantem* in conversione; secundo, per gratiam *rectificantem* in intentione; tertio, per gratiam *illuminantem* in cognitione; quarto per gratiam *purificantem* in affectione; quinto, per gratiam *fructificantem* in bona operatione; sexto, per gratiam *sanctificantem* in conversatione; septimo, per gratiam *stabilientem* in tribulatione; et ultimo, per *gloriam beatificantem* in resurrectione.

Primo, per gratiam iustificantem.

Primo igitur debet homo renovari per gratiam *iustificantem* in conversione, quae quia donum Dei, est a Deo postulanda; Threnorum ultimo[4]: *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur; innova dies nostros sicut a principio. — Converte nos;* peccatum est aversio a bono incommutabili et conversio ad bonum commutabile; et ideo oportet, quod gratia nos convertat et avertat, *sicut a principio,* quando homo factus est sine peccato. Nec solum est hoc a Deo, quod peccator convertatur, sed etiam oportet, quod homo se ad hoc praeparet et disponat; unde dicitur in Ezechiele in persona Domini: *Proicite a vobis omnes praevaricationes vestras, in quibus praevaricati estis, et facite vobis cor novum et spiritum novum.* In potestate enim tua est cooperari divinae gratiae, scilicet resecando a te actum peccandi; quia, dimissis peccatis, rogandus est Dominus; homo enim potest de se dimittere actum peccandi, sed non potest homo super culpam; unde in Isaia: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis;* et sequitur: *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, ut nix dealbabuntur, et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt;* quia non restat aliud, nisi ut dimittas peccatum. — Sed dicet mihi aliquis: non possum dolere. Sed, frater, si aliquis eruisset tibi oculum, bene doleres; et tu per peccatum fecisti te expertem illius aeternae beatitudinis, et non doles? Sed ratio huius est, quare non dolemus, quia non consideramus peccatum, ut debemus.

Obiectio solviter.

Secundo, per gratiam rectificantem.

Secundo debemus renovari per gratiam *rectificantem* in intentione; haec enim gratia est nobis necessaria; unde Psalmus[5]: *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. — Spiritum rectum,* qui scilicet rectam intentionem nostram ad caelestia dirigat. Unde dicit Apostolus: *Nolite conformari huic saeculo* nequam, *sed renovamini in novitate sensus vestri, ut probetis, quae sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta.* — Si enim vis rectam intentionem habere, quaeras placere Deo, non hominibus; quia, sicut dicit Apostolus[6], *si hominibus placerem,* id est, placere intenderem, *Christi servus non essem;* quia, sicut dicit Psalmus, *Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent. Ut probetis, quae sit voluntas Dei* etc. Qui enim examinat aurum habet lapidem, et super illum lapidem alind est aurum, et ex comparatione istius quod vult probare, ad illud quod est in lapide, discernit, utrum sit bonum, vel non; sic et homo debet se probare ad divinam voluntatem, ut libenter impleat illam. Haec enim voluntas probari non potest ab eo qui quaerit gloriam hominum; qui autem probat hoc ipso a se excludit gloriam vanam, secundum illud ad Galatas sexto[7]: *Opus autem suum probet unusquisque,* scilicet ad divinam voluntatem; quia opus tuum tantum valet, quantum Deus illud acceptat; ergo si totus mundus diceret: bonum vel malum est opus tuum, propter hoc nec plus (est) nec minus, quia « quantum est apud Deum, tantum est et non amplius », sicut dicit beatus Franciscus.

Non quaeras placere hominibus.

Simile.

Tertio, per gratiam illuminantem.

Tertio debemus renovari per gratiam *illuminantem* in cognitione; et hoc est lumen doctrinae, et haec gratia manifestatur in novitate et efficacia doctrinae. Unde in Marco[8]: *Signa autem eos qui crediderint, haec sequentur: In nomine meo daemonia eiicient* et *linguis loquentur novis* etc. In

Ex parte hominis requiritur dispositio.

[1] Matth. 25, 4; sequuntur Rom. 8, 15. et Tit. 3, 5.
[2] Supple: *Abba, Pater;* sequitur Ier. 4, 4. et 3.
[3] Vers. 6.
[4] Cap. 5, 21; sequuntur Ezech. 18, 31. et Isai. 1, 16. 18.
[5] Psalm. 50, 12; sequitur Rom. 12, 2; cfr. Gal. 1, 4.
[6] Gal. 1, 10; sequitur Ps. 52, 6.
[7] Vers. 4. — De S. Franc. cfr. Bonav., Legenda c. 6. n. 1.
[8] Cap. 16, 17; sequuntur Matth. 13, 52. et Act. 17, 21.

signum novitatis fidei dabuntur novae linguae, scilicet quia gratia fidei renovat intellectum in cognitione veritatis. — Sed novitas linguae aliquando est *virtuosa*, aliquando *curiosa*, aliquando *superstitiosa*.

Triplex novitas linguae.

Prima. Loqui enim secundum divinam virtutem, hoc est linguae *virtuosae*, quando scilicet non discordat ab antiquitate veritatis; Matthaei decimo tertio: *Omnis scriba doctus in regno caelorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera*, scilicet novum et vetus Testamentum. Isti enim sunt duo veri testes; unde quantumcumque videatur aliquis loqui nova lingua, si potest probare per istos duos testes quod dicit, non est ei improperandum,

Secunda. quia verum dicit. — Sed loqui secundum humanam adinventionem hoc est *curiosum*; unde in Actibus: *Athenienses autem omnes et advenae hospites ad nihil aliud vacabant nisi aut dicere aut audire aliquid novi*; quia omnis veritas salutaris vel in Scriptura est, vel ab ipsa emanat, vel ad eam redu-

Tertia. citur. — Loqui autem secundum diabolicam suggestionem hoc est *superstitiosum*, secundum illud primae ad Timotheum ultimo [1]: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates*. Sed per quid? certe per illud Canticorum: *Omnia poma et nova et vetera, dilecte mi, reservavi tibi*, scilicet novum et vetus Testamentum; et ad hanc novitatem omnes deberemus laborare.

Collatio [2].

In Christo Iesu neque circumcisio aliquid va-

Introductio. *let* etc. — *Haec enim dies boni nuntii est*, dicitur in quarto Regum [3]. Si aliqua dies *boni nuntii* sit, tunc est ista praecipue, quando dicitur: *Annuntio vobis gaudium magnum* etc. In die circumcisionis impositum est nomen *salvator* parvulo Christo; et ideo *boni nuntii* est. Parum autem valet *dies boni nuntii*, nisi ea quae nuntiantur, serventur; sed quia nuntiari non possunt nisi mediante gratia, ideo in principio rogemus etc.

In Christo Iesu etc. Licet verbum istud videatur

Repetitio. contrariari solemnitati praesenti, tamen circumcisio certe convenit temporigratiae *promissae et solutae*. Tempore autem gratiae [4] *publicatae*, post adventum Christi et completionem gratiae, fuit inutilis circumcisio. Istud sacramentum datum fuit Iudaeis lapideis, nobis autem, qui vocati sumus *in novitate gratiae*, data est novitas gratiae. Unde sicut post octo dies oportet circumcidi, sic etiam per octonarium oportet nos renovari, ut dictum est, et primo per gratiam *iustificantem* in conversione; secundo, per gratiam *rectificantem* in intentione; tertio, per gratiam *illuminantem* in cognitione; et de his tribus dictum est.

Quarto debemus renovari per gratiam *purificantem* in affectione; et de hoc nunc restat dicendum. De hoc Apostolus [5]: *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi* etc. *Vetus fermentum expurgatur*, quando affectio nostra purificatur a vetustate et corruptione peccati. — Et quoniam septem sunt corruptiones peccati, ideo in huius signum, Exodi vigesimo tertio, *septem diebus comedes azyma, sicut praecepi tibi, tempore mensis novorum*; in quo datur intelligi, quod habenda est septiformis *incorruptio* contra septiforme peccatum. — Sed quis poterit sibi cavere a tanto coetu vitiorum, quomodo remediabimur? Multa sunt vitia, et tot sunt virtutes. Haec autem septiformis incorruptio habetur per caritatem, quae est mater virtutum. Ecce, Salvator bonum documentum dat ad haec omnia, dicens in Ioanne [6]: *Mandatum novum do vobis* etc.; et alibi: *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*. Apostolus dicit: *Qui diligit proximum legem implevit*. Sic ergo facile est totam legem adimplere. Nos autem non *expurgamus vetus fermentum*, quia non habemus caritatem. Augustinus [7]: « Habe caritatem et fac quaecumque vis ». Idem: « Sed si dicis: non possum diligere, non credimus ».

Quinto debemus renovari per gratiam *fructificantem* in bona operatione; de qua Osee decimo [8]: *Seminate vobis in iustitia et metite in ore misericordiae, innovate vobis novale*. Tunc *novale innovatur*, quando requiescit, ut fructificet incundius et fecundius; propterea oportet, quod qui vult fructificare in actione, quod requiescat per contemplationem et gratiarum actionem; quod designatur Deuteronomii decimo sexto, ubi dicitur: *Observa mensem novarum frugum et verni primum temporis, ut facias Phase Domino Deo tuo;* omnia enim opera nostra Deo sunt sacrificanda et attribuenda; ad Colossenses tertio: *Omne, quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi gratias agentes Deo et Patri per ipsum*, id est, omnia opera nostra offerre debemus Domino. Gregorius [9]: « Miranda actio cum elatione non elevat, sed gravat ». Facias omnia bona, quae facere potes, et si referas ea ad te ipsum et eleveris, nihil tibi prodest quod facis. Sed quomodo vitabimus vanam gloriam? Per contemplationem quiescendo in Deo. Opera sunt omnia Dei, non nostra; sola enim peccata nostra sunt.

Sexto loco debemus renovari per gratiam *sanctificantem* in conversatione; Apostolus ad Ephesios

Quarto, p gratiam p rificantem.

Notandum

Difficult solvitur p caritatem.

Quinto, p gratiam fr tificantem

Sexto, pe gratiam sa tificantem.

---

[1] Cap. 6, 20. et dein Cant. 7, 13.

[2] De Collationibus vespere factis vide supra pag. 5. col. II. Haec introductio et repetitio usque ad *Quarto debemus* habetur in solo codice Hilariensi.

[3] Cap. 7, 9; pro *nuntii* (ita Vulgata) codex legit hic et infra semper *nuntia*.

[4] Haec tria verba supplevimus.

[5] Epist. I. Cor. 5, 7; sequitur Exod. 23, 15.

[6] Cap. 13, 34. et 15, 12; et dein Rom. 13, 8.

[7] Tract. VII. in Epist. Ioan. n. 8. Sequitur August., serm. 225. in appendice (alias de Sanctis 47.) n. 3.

[8] Vers. 12; sequuntur Deut. 16, 1. et Coloss. 3, 17.

[9] Locus frustra quaesitus.

quarto [1]: *Deponere vos secundum pristinam conversationem veterem hominem* etc. — Quis est *vetus homo*, quem *debemus deponere*? Primus Adam, quia configuramur ei per peccatum. *Et induite novum hominem*, id est Dominum nostrum Iesum Christum, quem debemus tanquam indumentum nostrum in nostra conversatione monstrare, si sumus veri Christiani. Naturale est, quod imago vult assimilari ei cuius est imago. Ambrosius [2]: « Mendacium est Christianum se dicere et Christi opera non facere ». Apostolus ad Romanos sexto [3]: *Si complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul et resurrectionis erimus*. Quid est hoc dicere, quod Christianus immergitur in aqua? Apostolus dicit: *Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem;* unde mori debemus peccato. Tu profiteris in baptismo mori mundo et vivere Christo; et sic verus es Christianus; sed non, si vivis mundo et moreris Christo. Hoc est enim mirabile, quod membrum Christi configuretur meretrici; si copularis meretrici, factus es membrum eius [4]. Et ideo plus quam pestilentiam deberemus vitia fugere.

Assimilandum Christo.

Septimo debemus renovari per gratiam *fortificantem* in tribulatione; Apostolus [5]: *Licet is qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est, renovatur de die in diem.* Quia velis nolis, istud corruptibile corrumpetur, quantumcumque etiam illud conserves. Apostolus: *Virtus in infirmitate perficitur; quod infirmum est Dei fortius est hominibus.* Unde modus vincendi in novo Testamento est per patientiam, non per vindictam; in cuius figura dicitur ludicum quinto [6]: *Nova bella elegit Dominus et portas hostium ipse subvertit.* Et quomodo? Per patientiam. Christus poterat totum mundum subvertere, et tamen passus est; et ideo aut discipulus Christi non es, aut imitaberis eum per patientiam. Haec victoria per patientiam est gloriosissima; Iob vigesimo nono: *In nidulo meo moriar et sicut palma multiplicabo dies. Gloria mea semper innovabitur.* — Sed nos in verbis sumus patientes et non in factis; sed si indigemus virtutibus, longe a nobis sunt. *Patientia nobis necessaria est* [7]; *per multas* enim *tribulationes* omnes transierunt fideles; et Christus dicit, Lucae sexto: *Vae vobis, quia habetis hic consolationem vestram.*

Septimo, per gratiam fortificantem.

Notandum.

Applicatio.

Octavo et ultimo renovabimur per *gloriam* deiformem et *beatificantem;* Psalmus [8]: *Auferes spiritum eorum, et deficient;* et sequitur: *Emittes spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terrae.* Primum respicit mortem, secundum resurrectionem, in qua replebitur animae appetitus, et renovabitur corporis iuventus et status etc.; unde Psalmus: *Qui replet in bonis desiderium tuum*, hoc dicitur quantum ad animam; *renovabitur ut aquilae iuventus tua*, hoc dicitur quantum ad corpus; et sic totus homo renovabitur.

Octavo, per gloriam beatificantem.

O quanta sunt desideria mala et cupiditates praesentis saeculi! Dicitur, quod Alexander [9] magnus convocavit Athenis philosophos coram se, ut disputarent coram eo, an mundus esset unus, vel plures; et licet in veritate unus esset mundus, tamen determinatum fuit coram eo, quod plures essent mundi. Dicebat igitur: « Non sufficit mihi subiugare unum mundum, sed vado subiugare plures mundos ». Quanta cupiditas est in rebus corruptibilibus! Quodcumque enim in rebus transitoriis desideratur, non satiat, sive scientia sive res vel quodcumque aliud. Solus Deus *replet desiderium nostrum;* tunc enim verificabitur quod dicitur in Apocalypsi [10]: *Ecce, nova facio omnia.*

Reprobantur cupiditates.

Sermo II [11].

Item, sermo Bonaventurae coram Fratribus Lugduni.

Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus, Lucae secundo [12].

Isti *dies octo*, in quibus consummatur salus humana per sacramentum circumcisionis Christi et impositione nominis, significant *octo gradus virtuales,* qui ducunt ad vitam aeternam vel ad ipsum Iesum.

Octo gradus virtuales.

Primus est *intentio caelica;* Isaiae quarto: *In die illa erit germen Domini in magnificentia et gloria et fructus terrae sublimis et exsultatio his qui salvati fuerint de Israel.* — Secundus est *conscientia munda;* Zachariae decimo tertio [13]: *In die illa erit fons patens domui David et habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris et menstruatae.* — Tertius est *intelligentia sapida;* Isaiae vigesimo sexto: *In die illa cantabitur canticum istud in terra Iuda: Urbs fortitudinis nostrae Sion, Salvator* etc., *cum suavitate* etc. — Quartus est *vita bona;* primi Regum vigesimo quinto [14]: *In die enim bona veninus* ad te. — Quintus est *fama odorifera;* Psalmus: *Constituite diem solemnem in condensis usque ad cornu altaris.* — Sextus est *lingua evangelica;* quarti Regum septimo [15]: *Haec enim dies boni nuntii est. Si tacuerimus et noluerimus nuntiare usque mane, sceleris arguemur.* — Septimus est *memoria vitae aeternae;* Psalmus: *Haec*

Explicatio.

---

[1] Vers. 22. 24.
[2] Serm. 30. (in appendice) n. 3.
[3] Vers. 5. et deinde v. 4.
[4] Respicitur I. Cor. 6, 15. 16.
[5] Epist. II. Cor. 4, 16; sequuntur ibid. c. 12, 9. et I. Cor. 1, 25.
[6] Vers. 8; sequitur Iob 29, 18. 20.
[7] Hebr. 10, 36; sequuntur Act. 14, 21; Luc. 6, 24.
[8] Psalm. 103, 29. seq. et dein Ps. 102, 5.
[9] Cfr. Valerius Max., Dictorum factorumque etc., VIII. c. 14, Externa, n. 2.
[10] Apoc. 21, 5.
[11] Ex A fol. 81 v.
[12] Vers. 21; sequitur Isai. 4, 2.
[13] Vers. 1; sequuntur Isai. 26, 1. et Mich. 2, 4.
[14] Vers. 8; sequitur Ps. 117, 27.
[15] Vers. 9; sequuntur Ps. 117, 24; Exod. 12, 17.

est dies, quam fecit Dominus; exsultemus et laetemur in ea. — Octavus est in omnibus his *perseverantia;* Exodi duodecimo: *In eadem ipsa die educam exercitum vestrum de terra Aegypti.*

Sermo III [1].

Item, sermo fratris Bonaventurae Fratribus de Assisio.

Vocatum est nomen eius Iesus, Lucae secundo [2]. Istud nomen est omnibus *venerabile, desiderabile* et *amabile;* quia *gloriosum* ratione altiformis honoris; Danielis tertio [3]: *Benedictum nomen gloriae tuae sanctum et laudabile. — Gratiosum* ratione luciformis fulgoris; ludicum decimo tertio: *Cur quaeris nomen meum, quod est mirabile? — Speciosum* ratione pulcriformis decoris; Isaiae sexagesimo secundo [4]: *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit. — Amoenum* ratione cachiformis dulcoris; Isaiae vigesimo sexto: *Nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animae. — Odoriferum* ratione suave olentis fragroris; Psalmus [5]: *Psallite nomini* eius, *quoniam suave. — Deliciosum* ratione suave cibantis saporis; Canticorum primo: *Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulae dilexerunt te. — Opulentum* ratione satiantis amoris; Psalmus: *Secundum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terrae, iustitia plena est dextera tua.*

Nomen venerabile, desiderabile, amabile propter 7 conditiones.

Sermo IV [6].

Item, sermo fratris Bonaventurae apud Massiliam, in Octava Nativitatis.

Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur Puer, vocatum est nomen eius Iesus, Lucae secundo [7].

Sacer Evangelista Lucas in his duo ponit: scilicet infantis dignissimi Iesu dispensativam et mysterialem *circumcisionem* secundum legem Moysaicam, cum dicit: *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur Puer;* gloriosi eius *nominis* devotam et spectabilem *clarificationem* secundum ordinationem divinam, cum subdit: *vocatum est nomen eius Iesus,* id est, manifestatum est, quod nomen eius erat *Iesus.*

Divisio.

I. Circa primum notandum, quod voluit Christus homo circumcidi, cum esset sine lege, ut *commendaret veterem legem* contra Faustum [8], qui dixit, quod non erat a Deo; ad Romanos decimo quinto [9]: *Dico enim, Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones Patrum. — Ut veritatem carnis* in se *ostenderet* contra Manichaeum, qui dixit, quod habuit carnem phantasticam; Genesis decimo septimo: *Circumcidit carnem praeputii eorum statim in ipsa die. — Ut daret* nobis *exemplum* humilitatis et obedientiae et conformitatis ad alios; ad Philippenses tertio [10]: Ego *circumcisus* sum *octavo die, ex genere Israel, de tribu Beniamin. —* Ut *invitaret* ad spiritualium et corporalium sensuum *evangelicam circumcisionem;* Deuteronomii trigesimo: *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum et cor seminis tui. —* Ut *inchoaret* nostram *redemptionem* per sanguinis primitivam effusionem; ad Galatas ultimo: *In Christo enim Iesu neque circumcisio aliquid valet neque praeputium, sed nova creatura.* — Mystice octo circumcisionis dies *significant septem virtutes gratuitas,* et *octava* est, scilicet perseverantia finalis in eis; quos dies qui consummat vocatur ad salutem aeternam et circumciditur ab omni malitia et miseria et habet sive obtinet effectum nominis Iesu.

Pars I. Rationes quinque.

Notandum.

II. Est vero triplex operatio principalis, per quam nobis innotescit Deus suo nomine, scilicet *potentiae mirabiliter influentis;* et secundum hoc nomen est *Dominus Deus noster* [11], quod est nobis *admirabile,* secundum illud ludicum decimo tertio: *Cur quaeris nomen meum, quod est mirabile? — Clementiae misericorditer indulgentis;* et secundum hoc nomen est *Dominus Iesus noster* [12], quod est nomen *amabile,* secundum illud Psalmi: *Gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum. — Iustitiae inflexibiliter iudicantis;* et secundum hoc nomen est *Dominus iustus noster* [13], quod est nomen *terribile,* secundum illud Psalmi: *Sanctum et terribile nomen eius.*

Pars II. Nomen Iesu innotescit triplici operatione.

---

[1] Ex A fol. 82 r. [2] Vers. 21.

[3] Vers. 52; sequitur Iudic. 13, 18; in originali citatur Gen. 32, 29, ubi ultima verba desunt.

[4] Vers. 2; sequitur ibid. c. 26, 8.

[5] Psalm. 134, 3; sequuntur Cant. 1, 2; Ps. 47, 11.

[6] Ex A fol. 82 v. Idem sermo, omissa prima parte, habetur etiam in cod. Parisiensi B fol. 14, sed cum alia introductione, quae sequitur: « Hic tangitur materia praesentis solemnitatis, scilicet in qua secundum Legem puer Iesus fuit circumcisus et impositum sibi nomen. Licet autem aliis infantibus nominis impositio sit ad beneplacitum et casualis, huius tamen infantis nominatio aliissimum continet mysterium, et ideo *celebris* est et *solemnis. Celebris,* inquam, quantum ad tria, scilicet quantum ad nominantis sublimissimam auctoritatem, quia *vocatum est nomen eius* (Luc. 2, 21.) a Deo; quantum ad nominati gratiosissimam nobilitatem, quia *nomen eius,* id est Verbi incarnati; quantum ad nominis impositi congruentissimam proprietatem, quia *nomen eius Iesus,* id est Salvator. Sed nota, quod nomen nihil aliud est quam ratio innotescendi; innotescit autem substantia per virtutem, virtus per operationem. Est autem triplex ratio principalis, per quam innotescit Deus nobis: nomine potentiae mirabiliter influentis etc.

[7] Vers. 21.

[8] Notum est, S. Augustinum contra errores Fausti et Manichaeorum scripsisse integros libros.

[9] Vers. 8; sequitur Gen. 17, 23.

[10] Vers. 5; sequuntur Deut. 30, 6. et Gal. 6, 15.

[11] Deut. 6, 4; sequitur Iud. 13, 18.

[12] Respicitur Habac. 3, 18; dein sequitur Ps. 5, 12.

[13] Ier. 23, 6; sequitur Ps. 110, 9.

Primo, nomen admirabile propter tria.

Nomen autem habet *mirabile* ratione *potentiae mirabiliter influentis* ad *mundum fabricandum*, secundum illud Psalmi [1]: *Quam admirabile est nomen tuum!* — Ad *mundum sustinendum*, secundum illud Proverbiorum trigesimo: *Quod nomen eius, et quod nomen filii eius, si nosti? Quis continuit spiritum* eius? — Ad *mundum gubernandum*, secundum illud Isaiae nono: *Vocabitur nomen eius: Admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri saeculi* etc.

Est colaeum triplici modo.

Istud autem nomen admirabile ratione *potentiae* sic tripliciter influentis est *venerandum humiliter*, tanquam per quod intellectualia, corporalia, sensibilia et insensibilia fabricantur; Psalmus [2]: *Omnes gentes, quascumque fecisti, venient et adorabunt coram te, Domine, et glorificabunt nomen tuum.* — *Invocandum fideliter*, tanquam per quod elementa et elementata caelestia et terrestria sustentantur; ad Romanos decimo: *Omnis enim, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* — *Benedicendum hilariter*, tanquam per quod omnia prudenter, pie, potenter et pacifice gubernantur; Danielis secundo: *Sit nomen Domini benedictum a saeculo et usque in saeculum, quia sapientia et fortitudo eius sunt.*

Secundo, nomen amabile propter tria.

Habet nomen secundo *amabile* ratione *clementiae misericorditer indulgentis remissionem* patratorum *scelerum* quantum ad dona veniae; Matthaei primo [3]: *Vocabis nomen eius Iesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* — *Infusionem* spiritualium *charismatum* quantum ad dona gratiae; Canticorum primo: *Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulae dilexerunt te.* — *Adimpletionem desideriorum* mentalium quantum ad dona gloriae; Ioannis decimo sexto: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

Est diligendum triplici modo.

Istud vero nomen amabile *diligere* comprobatur *faciendo* pro ipso *laudabilia*; ad Colossenses tertio [4]: *Omne, quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite.* — *Spernendo* pro ipso *mundialia*; Matthaei decimo nono: *Omnis, qui reliquerit domum vel fratres aut sorores aut patrem aut matrem aut uxorem aut filios aut agros propter nomen meum* etc. — *Sustinendo* pro ipso *terribilia*; Actuum quinto: *Ibant* Apostoli *gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine* Domini *Iesu contumeliam pati.*

Tertio, nomine terribile propter tria.

Habet tertio nomen *terribile* ratione *iustitiae inflexibiliter iudicantis*, et ideo est formidabile propter *sublimitatem dominii* sive imperii, cui non potuerit resisti; Ieremiae decimo [5]: *Magnus es tu, Domine, et magnum nomen tuum in fortitudine, quis non timebit te, o Rex gentium?* — Propter *severitatem zeli*, qui non poterit mitigari; Isaiae trigesimo: *Ecce, nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius, gravis ad portandum* etc. — Propter *stabilitatem iudicii*, a quo non poterit appellari; Psalmus: *Secundum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terrae; iustitia plena est dextera tua.*

Tamen favet exercentibus tres virtutes.

Illud vero nomen tripliciter sic formidabile non derogabit solis *assentientibus* per fidem; Ioannis tertio [6]: *Qui non credit iam iudicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* — *Interpellantibus* per spem; Psalmus: *Sperent in te qui noverunt nomen tuum.* — *Obtemperantibus* per caritatem; Psalmus: *Gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum.*

Sermo V [7].

Item, sermo fratris Bonaventurae coram rege in Octava Nativitatis Domini.

Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, ad Titum secundo [8].

Divisio.

In verbis istis Apostolus, Spiritu sancto praeventus, describit nobis Verbum incarnatum tripliciter, scilicet ut *splendorem* lucis aeternae, et hoc in nomine *apparitionis;* ut *dulcorem* suavitatis internae, et hoc in nomine *gratiae Dei;* ut *decorem* felicitatis humanae, et hoc in nomine *Salvatoris nostri.*

Christus infloit sex modis.

Quantum ad omnia haec scire debemus, quod Christus natus apparuit in mundo omnibus salvari desiderantibus sicut *fons sapientiae supersplendentis* ad illuminationem; Sapientiae primo [9]: *Invenitur ab his qui non tentant illum; apparet autem eis qui fidem habent in illum.* — *Fons gratiae superinfluentis* ad inflammandum; Genesis decimo octavo: *Apparuit Dominus* Abrahae *in convalle Mambre sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso fervore diei.* — *Fons iustitiae dirigentis* ad sanctam conversationem; Numerorum decimo sexto [10]: *Fugerunt Moyses et Aaron ad tabernaculum foederis, quod, postquam ingressi sunt, operuit nubes, et apparuit* eis *gloria Domini.* — *Fons vitae reficientis* in firma consolatione; Ecclesiastici primo: *Quibus autem apparuerit in visu, diligunt eum in visione et in agnitione magnalium suorum.* — *Fons sanctimoniae renovantis* in sanctificatione; ad Titum tertio [11]: *Cum benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei* etc.; *per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti.* — *Fons gloriae beatificantis* in aeterna remuneratione; primae Petri quinto: *Cum apparuerit Princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriae coronam.*

---

[1] Psalm. 8, 2; sequuntur Prov. 30, 4. et Isai. 9, 6.
[2] Psalm. 85, 9; sequuntur Rom. 10, 13. et Dan. 2, 20.
[3] Vers. 21; sequitur Cant. 1, 2. et Ioan. 16, 23.
[4] Vers. 17; sequuntur Matth. 19, 29. et Act. 5, 41.
[5] Vers. 6. seq.; sequuntur Isai. 30, 27. et Ps. 47, 11.
[6] Vers. 18; sequuntur Ps. 9, 11. et Ps. 5, 12.
[7] Ex A fol. 83 v. [8] Vers. 11.
[9] Vers. 2; sequitur Gen. 18, 1.
[10] Vers. 43; sequitur Eccli. 1, 13.
[11] Vers. 4. 5; sequitur I. Petr. 5, 4.

Sermo VI [1].

Item, sermo fratris Bonaventurae Lugduni ad Fratres.

Nos sumus circumcisio, qui spiritu servimus Deo et gloriamur in Christo Iesu, ad Philippenses tertio [2].

Circa verorum Christianorum statum tria in his verbis nominantur quantum ad solemnitatem praesentem sive in solemnitate praesenti ab eis debita Deo; quorum primum est hierarchicae vitae *consummata iustitia,* cum Apostolus dicit: *Nos sumus circumcisio,* quasi non solum spiritualiter *circumcisi,* sed ipsa *circumcisio* per iustitiam consummatam. Secundum est charismaticae regulae *beata fragrantia,* cum subdit: *qui spiritu servimus Deo,* id est, vitam Deo acceptam et hominibus odoriferam ducimus. Tertium est deificae pascuae *deliciosa experientia,* cum addit: *et gloriamur in Christo Iesu,* id est, delectamur in ipso solo.

Divisio.

I. Debemus autem esse ipsa *circumcisio:* per inordinatarum affectionum *defalcationem perfectam;* ad Colossenses secundo [3]: *Circumcisi estis circumcisione non manu facta in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi, consepulti ei in baptismo.* — Per indisciplinatarum collationum *evitationem sollicitam;* Iosue quinto: *Circumcisi sunt filii* Israel *a Iosue, quia, sicut nati fuerant, in praeputio erant, nec eos in via aliquis circumciderat.* — Per incompositarum conversationum *resecationem studiosam;* Ieremiae quarto [4]: *Circumcidimini Domino et auferte praeputia cordium vestrorum, viri Iuda et habitatores Ierusalem, ne forte egrediatur ut ignis indignatio mea.* — Per superfluarum occupationum *abnegationem condignam;* ad Galatas quinto: *Nam in Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet neque praeputium, sed fides, quae per caritatem operatur.*

Pars I. Circumcisio fiat per 4 actus.

II. Debemus Deo vero *spiritu servire:* in *deiformitate* puritatis mentalis; primi Regum septimo [5]: *Praeparate corda vestra Deo et servite ei soli. Auferte deos alienos de medio vestro.* — In *luciformitate* veritatis sapientialis; Isaiae quinquagesimo secundo: *Ecce, intelliget servus meus, exaltabitur et elevabitur et sublimis erit valde.* — In *pulcriformitate* venustatis moralis; Aggaei ultimo [6]: *Assumam te, Zorobabel, fili Salathiel, serve meus, et ponam te quasi signaculum, quia te elegi.* — In *suavitate* tranquillitatis conscientialis; secundae ad Timotheum secundo: *Servum autem Dei non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes.*

Pars II. Deo serviendum per 3 perfectiones.

III. Debemus tandem *gloriari in Christo Iesu* omni tempore: sentiendo ipsum summe harmonicum per *universalis creaturae praeconium;* Ieremiae nono [7]: *In hoc glorietur qui gloriatur, scire et nosse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam et iudicium et iustitiam in terra.* — Odorando ipsum summe aromaticum per *aviditatis internae suspendium;* Psalmus: *Gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum.* — Degustando ipsum summe mellifluum per *suavitatis intimae participium;* ad Galatas ultimo [8]: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* — Admirando ipsum summe pulcherrimum per *sedulitatis contemplationis fastigium;* Ecclesiastici vigesimo quarto: *In conspectu virtutis illius gloriabitur et in medio populi sui exaltabitur et in plenitudine sancta admirabitur.*

Pars III. Christo gloriandum per 4 sensus rituales.

Sermo VII [9].

Item, sermo fratris Bonaventurae Parisius apud sanctum Dionysium.

Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis et varietate, venit ad Libanum et tulit medullam cedri. Summitatem frondium eius avulsit, Ezechielis decimo septimo [10].

In verbis istis mystice sumtis describit Propheta elevatum Verbum incarnatum et nobis natum a tribus, scilicet a *fortitudine Divinitatis immensae,* cum dicitur: *Aquila grandis,* Filius Dei, (*aquila*) scilicet dictus propter *irrefragabilitatem* potentiae; *magnarum alarum,* propter *latitudinem* benevolentiae diffusivae; *longo membrorum ductu,* propter *sempiternitatem* persistentiae; *plena plumis,* propter *ornatum* pulcritudinis multiformis universalis creaturae; *et varietate,* propter *formositates* supermirabiles pulcriformis suae gloriae. — A *mansuetudine humanitatis assumtae,* cum subditur: *venit,* per incarnationem sacratissimam; *ad Libanum,* id est ad Virginis uterum purum, clarum et candidum; *et tulit medullam cedri,* id est partem praecipuam purissimorum humorum virgineorum, et se post conceptum consummatum et eius tempus secundum naturam decursum per nativitatem temporalem mundo manifestavit. — A *dispensatione circumcisionis mysterialis susceptae,* cum addit: *Summitatem frondium eius avulsit,* id est, superfluitates vitiosas mundi resecandas contingit (?) per circumcisionis dispensationem.

Explicatio et divisio.

I. Circa primum nota, quod Verbum incarnatum dicitur *aquila:* propter *praesidentiam regiminis*

Pars I. Radices sect.

---

[1] Ex A fol. 83 v.
[2] Vers. 3.
[3] Vers. 11. seq.; sequitur Iosue 5, 7.
[4] Vers. 4; sequitur Gal. 5, 6.
[5] Vers. 3; sequitur Isai. 52, 13.
[6] Cap. 2, 24; sequitur II. Tim. 2, 24.
[7] Vers. 24; sequitur Ps. 5, 12.
[8] Cap. 6, 14; sequitur Eccli. 24, 2. 3.
[9] Ex A fol. 84 v.
[10] Vers. 3. 4.

triumphantis et militantis Ecclesiae; Osee octavo [1]: *Quasi aquila super domum Domini.* — Propter *eminentiae volatum* maiestatis divinae et altitudinis humanae naturae; Proverbiorum trigesimo: *Viam aquilae in caelo;* Iob trigesimo nono: *Nunquid ad praeceptum tuum elevabitur aquila?* — Propter *luculentiam aspectus* fontalis lucis sapientiae; Iob trigesimo nono [2]: *Oculi aquilae de longe contemplantur escam.* — Propter *reboantium affatus* universalis creaturae et suae sanctae Scripturae et propriae doctrinae; Apocalypsis octavo: *Audivi vocem unius aquilae volantis per medium caeli, dicentis voce magna: Vae, Vae* etc. — Propter *diligentiam cultus filiorum* gratiae; Deuteronomii trigesimo secundo [3]: *Sicut aquila provocans ad volatum pullos suos, et super eos volans, expandit alas suas* etc. — Propter *providentium* sive curam congregationis electorum tanquam lapidum pretiosorum in nido gloriae; Exodi decimo nono: *Vos ipsi vidistis, quae fecerim Aegyptiis, quomodo portaverim vos super alas aquilarum et assumserim mihi.*

Pars II. et membrum tertium.

II. Omisso secundo, quomodo venit in Virginem et manifestavit se per nativitatem temporalem; nota circa tertium, quod Christus natus superfluitates mundanas per circumcisionem suam mysterialem

Circumcisio habuit 7 effectus.

avulsit: dum per ipsam *resecationem spiritualem* quinque sensuum insinuavit; Isaiae vigesimo octavo [4]: *Quem docebit scientiam et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus.* — (Dum) *peccata* nostra avellere sanguinem fundendo incepit; Ieremiae quinquagesimo primo: *Extendam manum meam super te et evellam te de petris.* — Dum per eam *futuros errores* Fausti et Manichaei amputavit; Amos septimo [5]: *Armentarius ego sum vellicans sycomoros.* — Dum per eam nostram *inobedientiam* sua obedientia confutavit; Danielis septimo [6]: *Tria de cornibus primis evulsa sunt a facie eius,* scilicet in Deum, in se et in proximum. — Dum per eam nostram *singularitatem* sua conformitate damnavit; Danielis septimo: *Evulsae sunt alae* singularis bestiae, *et sublata est de terra.* — Dum per eam nostram *superbiam* sua humilitate repressit; Abdiae primo [7]: *Si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te.* — Dum per eam nostram *concupiscentiam* sua afflictione in parte illa refrenavit; Psalmus, secundum aliam litteram: *Avulsi sunt peccatores a vulva.*

Sermo VIII [8].

Item, sermo fratris Bonaventurae Fratribus de Assisio.

Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur Puer, vocatum est nomen eius Iesus, Lucae secundo [9].

Octo dies significant octo

Isti dies octo significant mystice octo virtuales exhibitiones et luciformes aedificationes, mundo in Christi nativitate praestitas et repraesentatas *per* Christum natum et *in* Christo nato et *circa* nativitatem.

virtuales aedificationes.

Primus dies nos ad aedificationem illuminans est *caritas Patris* Filium nasci mundo facientis. — Secundus dies est *humilitas Nati.* — Tertius dies est *puritas Nati.* — Quartus dies est *paupertas universalis.* — Quintus dies est *iucunditas mentis.* — Sextus dies est *exsultatio Angelorum* [10]. — Octavus dies est *circumcisio mysterialis,* consummativa horum.

Sermo IX [11].

Item, sermo fratris Bonaventurae coram sociis, Parisius.

Postquam consummati sunt dies octo etc., Lucae secundo [12].

Octo gradus contemplationis.

Isti sunt dies octo, consummantes hominem et ponentes in statu salutis aeternae. Sunt octo *gradus contemplationis caelicae.*

Primus dies est *ignis desiderii.* — Secundus dies est *unio amoris suspirii.* — Tertius dies est *extasis suspendii.* — Quartus dies est *speculatio Sponsi aeterni.* — Quintus dies est *gustus solatii intimi.* — Sextus dies est *complexus optatus Iesu Christi.* — Septimus dies est *requies interni animi.* — Octavus dies est *consummans omnia,* scilicet status aeternus in his.

Sermo X [13].

Item, sermo fratris Bonaventurae coram Fratribus, de mane.

Postquam consummati sunt dies [14] etc.

Septem affectus in poenitentia.

Hi octo dies, ponentes in gradu salutis, sunt: *pudor* in recordatione peccati; *timor* in praemeditatione iudicii; *dolor* in exterminatione damni; *clamor* in deploratione remedii; *rigor* in destructione sui; *ardor* in appetitione spiritus; *vigor* in excitatione perseveranti [15].

---

[1] Vers. 1; sequuntur Prov. 30, 19; Iob 39, 27.

[2] Vers. 29. Vulgata: Inde contemplatur escam, et de longe oculi eius (aquilae) prospiciunt. Sequitur Apoc. 8, 13.

[3] Vers. 11; sequitur Exod. 19, 4.

[4] Vers. 9; sequitur Ier. 51, 25, ubi pro *evellam* Vulgata *evolvam.*

[5] Vers. 14. — De erroribus Fausti et Manichaeorum vide supra pag. 140, notam 8.

[6] Vers. 8. et dein c. 7, 4.

[7] Vers. 4; sequitur Ps. 57, 4; Vulgata: Alienati sunt etc.

[8] Ex A fol. 85 v.

[9] Vers. 21.

[10] Septimus deficit.

[11] Ex A fol. 85 v.

[12] Vers. 21.

[13] Ex A fol. 86 r. — Verba *de mane* legi possunt etiam *de Vienna,* vel *de Vienna.*

[14] Locus ut supra.

[15] De his affectibus cfr. opusculum de Triplici Via, praesertim c. 2, n. 1.

VIGILIA EPIPHANIAE.

Sermo I [1].

Summaria intentio Evangelii in Vigilia Epiphaniae, sermo fratris Bonaventurae.

Defuncto Herode, ecce, Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Aegypto [2] etc.

In Evangelio duo tanguntur principaliter, scili-
Divisio. cet Infantis amantissimi de Aegypto dispensativa et mysterialis *reductio;* ipsius Pueri, qui erat « dignissimus animus et dignissima virtus », secundum Dionysium [3], ignorati florigera *educatio*, prophetico congruens vaticinio.

Sermo II [4].

In Vigilia Epiphaniae sermo fratris Bonaventurae in Capitulo Parisius, quando venit in Dominica ipsa Vigilia.

Surge et accipe Puerum et Matrem eius et vade in terram Israel, Matthaei secundo [5].

In verbis his angelicis ad Ioseph invitatur quili-
Divisio. bet Christianus ad duo, scilicet ad studiosam *devotionem Christi nati et eius Matris*, et ad proficuam *rememorationem gloriae caelestis.* Primum, ibi: *Surge et accipe Puerum et Matrem eius,* brachiis fidei et devotionis sanctae. Secundum, ibi: *Et vade in terram Israel,* scilicet visionis Dei gloriae, ut proficias in contemplatione maiestatis aeternae.

Circa totum nota, quod qui vult Christum natum, Matrem eius, Virginem gloriosam in devotione habere et caelestem patriam in rememoratione, opor-
Quatuor praestanda. tet, quod surgat ad quatuor, scilicet ad *conscientiam propriam explorandam et expurgandam;* Canticorum tertio [6]: *Surgam et circuibo civitatem, per vicos et plateas quaeram quem diligit anima mea.* — Ad *mundanam gloriam fugiendam et aspernandam;* Ionae ultimo: *Surrexit rex Ninive de solio suo et abiecit vestimentum suum a se et indutus est sacco.* — Ad *sapientium supercaelicam investigandam et speculandam;* Matthaei decimo septimo [7]: *Surgite et nolite timere. Levantes autem oculos suos, neminem viderunt nisi solum Iesum.* — Ad *gratiam charismaticam possidendam et degustandam;* ad Ephesios quinto: *Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus;* Canticorum secundo: *Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni.*

Sermo III [8].

Item, sermo fratris Bonaventurae Parisius in Capitulo, quando Vigilia Epiphaniae contigit in Dominica.

Consurgens Ioseph, accepit Puerum et Matrem eius et venit in terram Israel, Matthaei secundo [9].

In verbis istis evangelicis traditur utilis et compendiosa forma salutis humanae, quae est, ut quicumque vult salvari, *transumat* in se *per devotionem* et accipiat *Christum* natum, et *Matrem* eius ad Divisio. *imitationem* et *venerationem*, et sic perveniet ad *terram Israel,* id est praeclaram et aeternam Dei visionem.

I. Est autem *Christus* puer natus transumendus De Christo transumendo propter quatuor. ab omnibus per *devotionem* et accipiendus a singulis ad venerationem exemplo beati Ioseph, qui ipsum taliter transumebat et accipiebat: propter deiformitatem *venerabilis apparentiae;* relucebat enim in facie eius divina *maiestas;* primi Paralipomenon duodecimo [10]: *Sudoc etiam, puer egregiae indolis.* — Propter luciformitatem *fontalis sapientiae;* relucebat enim in facie eius aeterna *veritas;* Lucae secundo: *Puer autem crescebat et confortabatur, plenus sapientia.* — Propter pulcriformitatem *triformis gloriae;* relucebat enim in facie eius summa *bonitas;* Isaiae quadragesimo secundo [11]: *Ecce, puer meus, electus, quem elegi, ponam super eum* etc. — Propter gratiositatem *universalis innocentiae;* relucebat enim in facie eius suprema *sanctitas;* Genesis trigesimo septimo: *Ioseph pascebat gregem cum fratribus suis adhuc puer* etc.

II. *Mater* etiam *Christi* pueri transumenda et in De Matre Christi transumenda propter quatuor. *veneratione* et in *imitatione* habenda est exemplo beati Ioseph: tanquam exemplar totius *humilitatis* evangelicae; Lucae primo [12]: *Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* — Totius *pietatis* ecclesiasticae; Matthaei primo: *Cum esset desponsata Mater eius Maria Ioseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* — Totius *religiositatis* christianae; Ioannis decimo nono [13]: *Stabant iuxta crucem Iesu Mater eius* etc. — Totius *caritatis geminae;* Actuum primo: *Erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus et Maria, Matre Iesu, et fratribus eius.*

---

[1] Ex A fol. 86 r.
[2] Matth. 2, 19-23.
[3] Cfr. De caelesti Hierarch. c. 7. § 3.
[4] Ex A fol. 86 a.
[5] Vers. 20.
[6] Vers. 2; sequitur Ionas 3, 6.
[7] Vers. 7. 8; sequuntur Eph. 5, 14. et Cant. 2, 10.
[8] Ex A fol. 86 a.
[9] Vers. 21.
[10] Vers. 28; sequitur Luc. 2, 40.
[11] Vers. 1. (sec. Septuaginta); sequitur Gen. 37, 2.
[12] Vers. 43; sequitur Matth. 1, 18.
[13] Vers. 25; sequitur Act. 1, 14.

EPIPHANIA.

Sermo I [1].

Ubi est, qui natus est, rex Iudaeorum? Vidimus enim stellam eius in oriente et venimus adorare eum, Matthaei secundo [2].

(Prothema). *Sapientia ubi invenitur, et quis est locus intelligentiae?*

Quaestio secundo proposita est in lob et est una quaestio, quae omnes tangit, tamen specialiter eos qui vacant studio sapientiae. Omnes estis hic ad acquirendum sapientiam sive thesaurum sapientiae. Ista quaestio facta est lob, et ipse lob respondet statim, dicens [3]: *Nescit homo pretium eius, nec invenitur in terra suaviter viventium. Abyssus dicit: Non est in me, et mare loquitur: Non est mecum.* Loquitur verbis metaphoricis; *mare* enim non loquitur; vult ostendere, quod quatuor genera hominum inhabilia sunt ad perceptionem sapientiae, quia excluditur homo *vanus,* homo *voluptuosus,* homo *impius,* homo *iniquus; vanus,* dico, in mente, *voluptuosus* in carne, *impius* in Deum et *iniquus* in proximum. Talis homo omnino contrarius est documentis sapientiae et habet contrarias dispositiones. — Primo, dico, excluditur a perceptione sapientiae homo *vanus;* unde dicitur: *Nescit homo pretium eius.* Quis *homo?* Certe *homo vanus;* verumtamen *ecce, universa vanitas* [4], vel *omnis homo vivens.* Homo *vanus* plus quaerit *apparere* quam *existere,* et ideo excluditur a perceptione sapientiae. — Secundo excluditur a perceptione sapientiae homo *voluptuosus* in carne; unde dicitur: *Non invenitur in terra suaviter viventium. Voluptuosus* homo omnino ineptus est ad perceptionem sapientiae; unde Salomon [5]: *Luxuriosa res vinum, et tumultuosa ebrietas.* Qui delectatur his non erit sapiens. — Tertio excluditur a perceptione sapientiae homo *impius* in Deum; unde dicitur: *Abyssus dicit: Non est in me;* unde dicitur Genesis primo [6]: *Tenebrae erant super faciem abyssi.* Homo abyssalis non applicat animam suam sapientiae; unde in libro Sapientiae: *In malevolam animam non introibit sapientia nec habitabit in corpore subdito peccatis.* — Quarto excluditur a perceptione sapientiae homo *iniquus* in proximum; unde dicitur: *Mare loquitur: Non est in me. Tempestuosus* homo, qui aliis iniurias facit, omnino ineptus est ad sapientiam percipiendam, quia *radix sapientiae est iustitia* [7]. Et ad hoc, quod homo sit discipulus et inventor sapientiae, oportet, quod induat spiritum pietatis, spiritualis sanctimoniae, spiritualis castitatis et iustitiae, ut quadruplex ineptitudo excludatur. — Oportet, quod *induamur virtute ex alto* [8], quia non est aliquis, qui non habeat aliquid de voluptate, vel vanitate, vel indevotione, vel iniquitate. Imploremus igitur Spiritum sanctum, qui discipulos praeparat et docet, qui est praeparator et illustrator, ut a Patre spiritum impetret nobis gratiam suam etc.

Introductio.

Excluduntur 4 homines a sapientia.

Vanus.

Voluptuosus.

Impius.

Iniquus.

Implooratur S. Spiritus.

Ubi est, qui natus est, rex Iudaeorum etc. Verbum istud est in Matthaeo, et in isto verbo explicatur nobis materia praesentis solemnitatis, quae est adventus regum orientalium ad venerandum et adorandum Christum. Solemnizat modo Ecclesia de adventu istorum regum spirituali solemnitate in Latina et Graeca Ecclesia. Isti reges orientales fuerunt et primitiae Christianorum et quasi fundamentum fidei christianae et fuerunt inchoativi Ecclesiae gentium christianae religionis. Propterea universalis Ecclesia ad commendationem fidei ipsorum solemnitatem praesentem celebrat; et explicatur nobis fides Magorum, ut simus imitatores eorum. Sed quia habitus cognoscuntur per actus, ideo notandum, quod fides Magorum explicatur hic quantum ad triplicem actum, scilicet quantum ad actum *intrinsecum,* quantum ad actum *praeambulum,* quantum ad actum *subsequentem.* Actus *intrinsecus* est credere in Deum; actus *praeambulus* est, quando aliquis ad credendum excitatur per visum, sicut per miracula; actus *subsequens* est, quando aliquis movetur ad credendum in Deum [9]. Actum *intrinsecum* insinuat nobis Evangelista, cum dicit: *Ubi est, qui natus est, rex Iudaeorum?* Actum *praeambulum* insinuat, cum dicit: *Vidimus stellam eius in oriente;* sed actum *subsequentem* tangit, cum dicit: *et venimus adorare eum,* quasi dicat: inquirimus eum, quia vidimus signum manuductivum, et venimus offerre ei debitum cultum.

Sermo.

Divisio.

I. Primo, dico, explicatur nobis fides Magorum quantum ad actum *intrinsecum,* qui est credere in Deum, cum dicit: *Ubi est, qui natus est, rex Iudaeorum? Inquirere Deum* notat Magorum fidem. Dicit Apostolus ad Hebraeos [10]: *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est et inquirentibus se remunerator est.* Isti Magi crediderunt, *quia est et quia inquirentibus eum remunerator existit.* Ideo signanter dixerunt: *Ubi est, qui natus est* etc.

Pars I.

---

[1] Hic sermo habetur in cod. Trecensi Q fol. 59 r., ubi inscribitur: « Bonaventure in Epiphania », et est manifeste praedicatus coram studentibus Universitatis. Cfr. P. Fidelis a Fanna, Ratio novae collectionis etc., pag. 294. Ceterum sermo iste imperfecte est ab aliquo exceptus, praesertim in fine.

[2] Vers. 2. Prothema est ex lob 28, 12.

[3] Cap. 28, 13. 14.

[4] Eccle. 1, 14. et Ps. 38, 6.

[5] Prov. 20, 1.

[6] Vers. 2; sequitur Sap. 1, 4.

[7] Eccli. 1, 25; Vulgata: Radix sapientiae est timere Dominum.

[8] Respicitur Luc. 24, 49.

[9] Scil. ad cultum ei praestandum.

[10] Cap. 11, 6.

Difficultas. — Sed posset aliquis superficialiter considerando adventum regum argnere et reputare eos fatuos. Quid est, quod grandaevi et sapientes venerunt ad *puerum*? Quid facient cum isto puero, qui nec loqui potest nec eis respondere? Quid est, quod potentes et divites venerunt ad *puerum pauperculum*? Quid est, quod reges magni et divites venerunt ad *regem Iudaeorum*? Regnum Iudaeorum invasum erat ab alienigenis; ideo Romani dominabantur in regno Iudaeorum. Insuper *pro nihilo reputabatur* puer iste; nullus de Iudaeis vim faciebat de ipso. Item, monstruosum erat, quod liberi et gloriosi reges, relictis sedibus
Solutio. suis, venerunt ad puerum. — Sed hoc qui exterius consideraret, inquisitioni Magorum non responderet. Dices, quod stulti erant, quia sapientes venerunt ad puerum, divites ad pauperem, gloriosi et sublimes ad regem pro nihilo reputatum. Haec sunt sacramenta fidei, quae, superficialiter considerata, nullius rationis sunt, sed diligenter discussa magnam rationem et nobilem intelligentiam continent. — Dico, quod isti
Subdivisio. Magi quaerunt *regem Iudaeorum natum*, *puerum pauperculum* et *regem pro nihilo reputatum;* et ipsi Magi fuerunt magni, divites et gloriosi. Ut quid hoc?

Attende, et videbis. Quaerebant regem puerum
Primo, de infantulo. materna conceptione *infantulum*, sed paterna generatione *sempiternum*, et ideo admirabilem et inquisitione dignum et dignissimum. Hoc enim est, quod Angelus dixit ad Virginem[1]: *Ecce, concipies in utero et paries Filium. Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius, et regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis. Paries* puerulum, et tamen est Deus aeternus; unde dicit: *Hic erit magnus* etc. Et ideo *dabit illi Dominus Deus sedem David, patris eius.* Totum mysterium est altum, et explicat nobis Spiritus sanctus per os Michaeae Prophetae[2], quasi respondens inquisitioni Magorum Dominus: *Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Iuda; ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, et egressus eius ab initio, a diebus aeternitatis.* Sic scribae et Pharisaei responderunt, verumtamen truncatim; non posuerunt: *Et egressus eius ab initio, a diebus aeternitatis.* Spiritus sanctus explicat Magis et Christianis, quod Christus natus est non in Ierusalem, sed in Bethlehem. Verum est, quod est Rex aeternus, tamen in tempore natus et parvulus factus; ideo in parvulo loco iacere voluit.

Sed ut quid Deus aeternus natus est in tempore
Ratio. et factus parvulus? Carissimi, hoc movit Magos. Ideo Deus aeternus in tempore est natus et parvulus factus, ut homo efficeretur filius Dei; et est natus secunda nativitate in tempore, ut tu secunda nativitate renascereris in baptismo, et tu, filius hominis, efficereris filius Dei et fieres de servo liber et de parvulo dignus regno caelorum. Quod istud verum sit, testatur Scriptura; unde Apostolus ad Galatas[3]: *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub Lege, ut eos qui sub Lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.* Quorum filiorum? Certe *filiorum Dei; quoniam filii Dei sumus, misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem: Abba, Pater.* Filius Regis aeterni factus est filius Virginis, et natus ex aeternitate natus est in tempore, ut homo, qui natus est in carne, renasceretur in baptismo. Unde Dominus dixit Nicodemo[4]: *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? Nunquid potest in ventrem matris suae iterato introire et renasci? Respondit Iesus: Amen, amen dico tibi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Cuius nomen (desideratur) describi in caelo, oportet, ipsum renasci in baptismo *ex aqua et Spiritu sancto.* — Cavete vobis! Hortatio. Duas nativitates habetis: una est *carnalis* ex Adam, qua nascimur omnes *filii irae*[5]; alia est *spiritualis* ex Christo nato ex Virgine, qua nascimur filii gratiae. « Agnoscatis dignitatem vestram et nolite in pristinam vilitatem degeneri conversatione redire ». *Quod natum est in carne caro est, et quod natum est ex Spiritu spiritus est*[6]. Igitur si ex carne nati estis, *sapitis ea quae sunt carnis.* Videatis, si sitis *filii liberae, aut ancillae.* Agnoscatis nobilissimam dignitatem vestram, quae est ex nativitate vestra *spirituali.* Isti Magi praeferebant nativitatem spiritualem carnali; ideo ad terram venerunt, in qua Christus nasci debuit.

Nec tantum secunda nativitate natus est Chri- De parvulo.
stus, sed et *parvulus* factus; Isaiae nono[7]: *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis.* Et in loco parvo nasci voluit; et quare? Ut doceret te et universum mundum, quod nullus potest intrare regnum caelorum, nisi efficiatur parvulus. Unde in Matthaeo decimo octavo[8]: *Amen dico vobis, nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum;* et in Marco: *Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos; talium enim est regnum caelorum.* Item, ibidem: *Amen dico vobis: Quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud.* Ideo Christus parvulus factus est, ut parvulos sublimaret et reges faceret. Ideo reges, qui regnabant in terris, quia volebant regnare in caelis, se humiliaverunt et ad parvulum venerunt, ut doceret eos

[1] Luc. 1, 31-33.
[2] Cap. 5, 2.
[3] Cap. 4, 4. 5; sequitur ibid. c. 4, 6; cfr. Rom. 8, 15.
[4] Ioan. 3, 3-5.
[5] Respicitur Eph. 2, 3. — Sequitur S. Leo, Serm. I. de Nativit. Domini c. 3.
[6] Ioan. 3, 6; de sequentibus cfr. Rom. 8, 5; Gal. 4, 31.
[7] Vers. 6. [8] Vers. 3; sequitur Marc. 10, 14. et 15.

humilitatem. Non est tam nobile exemplum humilitatis, sicut Christus reliquit nobis, cui dicit Deus aeternus [1]: *Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae* etc.; et tamen iacebat in praesepio. — Ecce, Rex caelorum ad nostram humilitatem condescendit, et nos ambitiosi quaerimus exaltari. Sed qui vult esse maior vestrum debet esse sicut parvus [2]. Reges autem illi venerunt ad parvulum natum, ut addiscerent humilitatem, ut efficerentur spirituales. O vos Iudaei, ecce, vos carnales et praesumtuosi, regnum et sacerdotium propter vestram superbiam amisistis, quia noluistis humiliari et spirituales effici. Fundamentum fidei christianae est Christus, *qui portat omnia verbo virtutis suae.*

Hortatio.

Isti Magi quaerebant regem *pauperculum transitoria facultate nudatum*, sed *perpetua hereditate opulentum;* et hoc est quod dicit Angelus ad pastores [3]: *Ecce, evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David.* Et Angelus dedit eis *signum*, scilicet: *Invenietis infantem pannis involutum, iacentem in praesepio.* Dicit: *Ecce, evangelizo vobis gaudium* etc. Ecce, evangelica annuntiatio est annuntians de isto rege, quod sit *Rex et Dominus.* At quorum est Dominus? Crede, *universorum.* Ipse est, ut dicitur in Apocalypsi [4], qui *habet in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium.* Ipse Dominus universorum, et ideo rex absolute; ipse est rex, cuius sunt omnia. Et quomodo concordat istud, quod sit rex omnium, cum eo quod dicit: *Invenietis infantem pannis involutum* etc.? Consueverunt non taliter nasci reges potentes; videtur igitur istud signum, quod significat ipsum esse regem universorum, esse potius contrarium, scilicet *pannis involutum* vel amictum, *in praesepio reclinatum.* Carissimi, hoc est vaticinium, quod vidit Zacharias dicens [5]: *Exsulta satis, filia Sion, iubila, filia Ierusalem; ecce, rex tuus veniet tibi salvator; ipse pauper et ascendens super asinam* etc. *Loquetur pacem gentibus; dominabitur a mari usque ad mare et a fluminibus usque ad fines terrae.* Videntur ista verba esse (male) composita, tamen sunt satis ordinata. Dicit: *Exsulta satis, filia Sion,* quia Ecclesia miro modo debet gaudere; dicit: *Rex noster pauper veniet* in mundum. Intelligere debetis, quod paupertas Christi, quam ipse assumsit, propter nos assumta est; unde Apostolus [6]: *Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.* Et quare? Propter duo factus est Christus pauperculus, scilicet propter *humiles pauperes sublevandos*, et propter *inopes pauperes locupletandos.*

Secundo, de pauperculo.

Radices duae.

Primum notatur, cum dicit: *Dominabitur a mari usque ad mare* etc.; hoc habetur etiam in Psalmo; et Spiritus sanctus docuit nos: *Dominabitur,* inquit, *a mari usque ad mare et a fluminibus usque ad fines orbis terrarum. Quia liberabit pauperem a potente et pauperem, cui non erat adiutor. Et adorabunt eum omnes reges terrae, omnes gentes servient ei. Coram illo procident Aethiopes, et inimici eius terram lingent. Ex usuris et iniquitate redimet animas eorum, et honorabile nomen eorum coram illo.* Insignivit Dominus nomen *pauperum* titulo regiae dignitatis, et ubi? In Evangelio Matthaei [7], ubi dicit: *Beati, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum.* Illud fuit primum verbum, quod Dominus docuit in mundo. Si *ipsorum est regnum caelorum*: ergo sunt reges caelorum: ergo (tanto) sublimiores sunt regibus terrenis, quanto caelum sublimius est terra. Igitur isti Magi venerunt ad pauperem puerum, quia venit Christus, ut pauperes sublimaret, et sic in regno caelorum regnarent; unde in Canonica Iacobi [8]: *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide et heredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se?* Factus est igitur Christus pauper, ut *humiles pauperes sublimaret.*

Prima.

Alia ratio, quare factus est pauper, est, ut *inopes pauperes locupletaret* non corporalibus divitiis, sed spiritualibus. Propter hoc, ut vos in *interioribus* divites faceret, factus est pauper in *exterioribus;* unde dicit [9]: *Amen dico vobis: Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit.* Sicut dicit Hieronymus super locum istum: Istud centuplum nihil aliud est nisi spiritualis affluentia et sufficientia, quae in centupla proportione transcendit sufficientiam temporalem, quam habent isti qui pro Christo sua relinquunt. Illud significatur in veteri Testamento, ubi dicitur [10], quod *magnificatus est rex Salomon sapientia et divitiis super omnes reges,* qui fuerunt in Ierusalem, et nullus ante ipsum nec post ipsum similis erat ei, et fecit, ut tantum esset de *argento in Ierusalem quantum de lapidibus,* et cedros praebuit sicut sycomoros. Quomodo potuit esse tantum de argento quantum de lapidibus? Non mentitur,

Secunda.

[1] Psalm. 2, 8. — Deinde post *praesepio* textus noster repetendo habet hanc propositionem: *Reges, ut humiles essent, et sic reges in caelo regnarent.*

[2] Respicitur Luc. 9, 46. 48. et infra Hebr. 1, 3.

[3] Luc. 2, 10-12. [4] Cap. 19, 16.

[5] Cap. 9, 9. 10. Vulgata pro *dominabitur* habet *potestas eius est.* — In praecedente propositione quaedam mutavimus; infra ante *composita* excidisse videtur *male.*

[6] Epist. II. Cor. 8, 9; sequuntur Ps. 71, 8. et 12. 11. 9. 14.

[7] Cap. 5, 3.

[8] Cap. 2, 5.

[9] Matth. 19, 28. 29. — Locus Hieronymi est in Comment. in Matth. III. c. 19, 29. secundum sensum.

[10] Libr. III. Reg. 10, 23. et I. Paralip. 29, 25. et II. Paralip. 9, 27.

Notandum. sed hyperbolice dictum est; voluit (enim) laudem Salomonis impudici retorquere ad verum Salomonem, scilicet Christum. Nunquid Christus fecit, quod tantum esset de argento sicut de lapidibus? Certe tunc, quando spiritus tantae nobilitatis datus est nobis, quod cives caelestis Ierusalem spernunt argentum sicut lapides et etiam utuntur eo, quando utuntur, sicut lapidibus. Ubi fuit hoc? Certe tempore primitivae Ecclesiae, quando Apostoli spernebant argentum et aurum quasi lutum[1], et si in usum eorum veniebat, utebantur eo sicut luto. Unde dicit Ambrosius[2], quod qui voluerunt esse imitatores Apostolorum, *posuerunt* pecuniam suam *ad pedes Apostolorum*, ut ostenderent, eam esse calcandam. Et ideo isti Magi venerunt ad Christum, ut addiscerent ab eo contemptum mundanorum. Christus ita pauper fuit, quod *non habuit* ubi *caput suum reclinaret*[3]. — Istam lectionem addidicerunt Apostoli et reges, sed modo oblivioni data est, et addiscunt homines, ut locupletentur; sed ad Christum est veniendum ad addiscendam evangelicam paupertatem, per quam *humiles pauperes sublimantur*, et *inopes pauperes locupletantur*. Exspectemus parum, et tantum habebit leprosus de divitiis terrenis, quantum rex, scilicet in morte; et nos facimus vim de umbra et de rebus, quae non sunt, et de thesauro Christi non facimus vim. Sed isti reges sua dimiserunt et in aliena terra mortui sunt[4]; ideo a Christo modo sunt *sublimati* et *locupletati*.

Hortatio.

Isti quaerebant regem Iudaeorum *pro nihilo reputatum* tanquam dispensatoria passibilitate *despectum*, sed triumphativa potestate *gloriosum*. Hoc ipso, quod despectus fuit, hoc ipso fuit gloriosus; unde Apostolus[5]: *Videmus Iesum, qui propter passionem mortis paulo minus ab Angelis minoratus est, gloria et honore coronatum*; item, Apostolus: *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem*; sequitur: *Propter quod Deus exaltavit illum et donavit illi nomen, quod est super omne nomen* etc. Dico, quod isti reges quaerebant regem pro nihilo reputatum tanquam dispensatoria passibilitate *despectum* et triumphativa potestate *gloriosum*; unde in Apocalypsi[6]: *Gratia et pax a* Domino nostro *Iesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum et princeps regum terrae, qui dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo; et fecit nos regnum et sacerdotes Deo et Patri suo.* — Quare *primogenitus?* Quia *testis fidelis*, quia pro veritate passus, conculcatus et despectus; ideo *primogenitus mortuorum et princeps regum terrae*. Huic concordat prophetia de futuro Isaiae nono, qui dicit: *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius; et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, et pacis non erit finis. Super solium David et super regnum eius sedebit* etc. Explicat hic primo *despectum* Christi et postea *gloriam* eius regni. *Despectum* Christi explicat, cum dicit: *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius*, id est, causa principatus Christi fuit despectus Christi in cruce, quam humeris suis portavit; *exivit Christus baiulans crucem*[7]; et ideo *scripsit Pilatus titulum et posuit super* caput eius titulum triumphalem, scilicet: *Iesus Nazarenus, rex Iudaeorum. Dicebant Pilato pontifices Iudaeorum: Noli dicere: Rex Iudaeorum, sed, quia ipse dixit: Rex sum Iudaeorum. Respondit Pilatus: Quod scripsi scripsi.* Per hoc enim, quod condemnatus fuit et morti adiudicatus, obtinuit *regnum*, et quod regnum? Dicitur in Daniele[8]: *Potestas eius, potestas aeterna, quae non auferetur, et regnum eius, quod non corrumpetur. — Vocabitur nomen eius admirabilis, Deus* etc.; *multiplicabitur eius imperium* etc. Ideo isti reges venerunt ad regem *despectum*, quia voluerunt obtinere *regnum*; et nos scimus, si sequamur ipsum, liberabit nos de manu servitutis et introducet nos in regnum pacis. — *Super solium David*, in Ecclesia *militante*, et *super regnum eius sedebit*, id est in hierarchia *caelesti*. — Dico, quod sedet in Ecclesia *militante*, quod significatur in Iob[9], ubi dicitur: *Cum sederem quasi rex, circumstante exercitu, eram tamen moerentium consolator.* Sic Christus est *consolator moerentium*, afflictorum et desolatorum et eis compatitur; unde Apostolus: *Non habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.* — Attendat hoc quilibet, qui sedet in solio *potestatis terrenae*; quia oportet, ipsum sedere in solio *pietatis* et *misericordiae*, si non velit sedere in solio *pestilentiae*; unde dicit: *Super solium David et super regnum eius sedebit*, scilicet sicut principes. Attendant hoc qui sunt exaltati super alios; quanto sunt sublimiores, tanto debent esse misericordiores, et quanto sunt gloriosiores, tanto debent esse humiliores in oculis suis. Debent principes portare alios, non portari ab eis, maxime principes ecclesiastici, sicut Christus, pontifex noster, de se pontem fecit, ut transirent homines super corpus eius. Sedet igitur Christus in Ecclesia militante. — Item, sedet in *caelesti hierarchia*; Psalmus[10]: *Sedes tua, Deus, in saeculum saeculi; virga directionis, virga regni tui. Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem* etc. *Astitit regina a*

Primo, de spectus.

Secundo, gloriosus.

Sedet in Ecclesia militante.

Hortatio.

Item, in caelesti hierarchia.

[1] Respicitur Act. 2, 45; 3, 6.
[2] Potius Hieron., Epist. 130. (alias 8.) n. 14, et respicitur Act. 4, 34. 35.
[3] Matth. 8, 20.
[4] Vide Chrysost., Opus imperfect. in Matth., homil. 2.
[5] Hebr. 2, 9. et cfr. v. 7; sequitur Phil. 2, 8. 9.
[6] Apoc. 1, 4-6; sequitur Isai. 9. 6. 7.
[7] Ioan. 19, 17; sequitur ibid. v. 19-22.
[8] Cap. 7, 14.
[9] Cap. 29, 25; sequitur Hebr. 4, 15.
[10] Psalm. 44, 7. 8. 10; sequitur Esth. 1, 3. seqq.

dextris tuis in vestitu deaurato etc. — *Regina* ista et *sedes* regni ista fuit regina in regno Assueri. Scri-
e Assuero. bitur, quod Assuerus iussit fieri convivium permagnificum *cunctis principibus et pueris suis* et servis pro coniunctione cum Esther. Assuerus, qui praerat universo orbi, significat Christum, qui praeest omnibus et facit convivium caeleste et invitat principes suos et misit stellam Magis, quae ipsos duceret ad ipsum, et dicit[1]: *Egredimini et videte, filiae Sion, regem Salomonem in diademate, quo coro-*
Notandum. *navit eum mater sua.* Oportet Christum videre primo in humilitate, qui ipsum vult videre in sua sublimitate; primo in terra, postea in caelo. Debes esse particeps tribulationis Christi, si vis esse particeps regni. Isti reges viderunt Christum primo in terra in humilitate, et postea in caelo in suo decore. Si vis venire ad convivium Christi, audi doctrinam Christi, qui dicit Apostolis: *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.*
Notandum. Si volumus convivari cum Christo, audiamus, quid Christus dixit[2] duobus fratribus filiis Zebedaei: Petivit *mater*, quod *unus sederet a dextris et alius a sinistris; et dixit* Christus: *Nescitis, quid petatis. Potestis*, inquit, *bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare vobis,' sed quibus paratum est a Patre meo.* Dicit Glossa et bene: « Sciebat Iesus, quod possent imitari passionem eius, sed interrogabat, ut, eo interrogante et eis respondentibus, omnes audiamus, quod nullus potest regnare cum Christo, nisi eius passionem fuerit imitatus ». *Si* cum Christo *sustinemus, et conregnabimus*[3]. Nolumus calicem Christi bibere nec despici nec confundi nec pati; tamen volumus conregnare. Si vultis sedere super solium regni, bibatis
Epilogus. de calice Christi. — Iste rex parvulus, pauperculus et despectus sua parvitate magnificat *parvos*, sua paupertate locupletat *pauperes* et sua despectione glorificat *despectos*. Ideo isti reges sapientes, gloriosi et divites venerunt ad ipsum, quia voluerunt sublimari, locupletari et glorificari; etiam nos, si volumus sublimari, locupletari et glorificari, eamus ad eum. Herodes noluit ad eum ire; propterea non est sublimatus nec locupletatus nec glorificatus. Rogabimus Dominum etc.

Collatio.

Ubi est, qui natus est, rex Iudaeorum etc.

Dixi hodie, quod in verbis istis explicatur fides
Repetitio. nobilium Christianorum primorum, qui fuerunt primitiae fidei christianae in populo gentili; et explicatur fides eorum quantum ad *actum intrinsecum*, quantum ad *actum praeambulum*, quantum ad *actum subsequentem*. Actus intrinsecus est *inquirere*, et notatur, cum dicit: *Ubi est, qui natus est, rex Iudaeorum?* Et dicebam vobis, quomodo quaerebant regem Iudaeorum *puerum, pauperculum, pro nihilo reputatum*: quaerebant regem *puerum* materna conceptione *infantulum*, sed paterna generatione *aeternum*; regem *pauperculum* transitoria facultate *nudatum*, sed perpetua hereditate *opulentum*; regem *pro nihilo reputatum*, dispensatoria passibilitate *despectum*, sed triumphativa potestate super omnes *gloriosum*. Ideo opus fuit eis, quod fide aliter crederent, quam oculis viderent, quia non potuerunt per sensum (attingere)[4].

Ideo condescendit Dominus eis per miracula, et Pars II. De actu praeambulo.
ad actum fidei *praeambulum* pervenerunt per hoc, quod stellam viderunt; et hoc notatur, cum dicit: *Vidimus stellam eius in oriente.* De ista stella certum est, quod non est in orbe fixa nec est aliqua de stellis mobilibus; erat enim propinqua Magis et magna, ut ostenderet viae ducatum eis, et oportuit, quod esset ei generatio impressa non per virtutem naturalem, sed virtute supranaturali. Ibant (Magi); stella ista praecedebat eos et quiescebat. Verum est, quod non negamus, quia Factor naturae utitur natura, in quibus natura potest; sed quando natura non sufficit, tunc addit de virtute sua supranaturalem generationem stellarum. Quinque sunt genera cometarum, et generantur non a sole neque a stella alia; et sunt novem differentiae stellarum, inter quas octava est pulcherrima et vocatur *rosa*, et dicunt philosophi, quod est magna et rubicunda et habet effigiem hominis, et color eius est sicut color argenti commixti cum auro; et quod ista stella fuerit, videtur concordare Chrysostomus[5]; sed hoc non potuit fieri, quod eius generatio esset mere naturalis, sed natura angelica supplebat quod natura non potuit.

Et non solum apparuit propter Magos, sed in Pars III.
mysterium, quod *illustrat totum mundum*. Modo illustratur universus mundus per mysterium stellae; dico, sequentes viam stellae, non viam naturalem, sed viam evangelicam; et sicut Magi directi fuerunt per stellam *naturalem*, ita et nos dirigemur per stellam *spiritualem*. — Dico autem, quod stella De actu subsequente. St'lla induxit, deduxit, perduxit.
Magos *induxit* ad veniendum ad Christum, *deduxit* et *perduxit*. Quod eos *induxit*, hoc significatur, cum dicit[6]: *Vidimus stellam eius in oriente.* Et quod fuit stella, quae *deduxit* eos, hoc significatur, cum dicit: *Stella antecedebat eos, usque dum veniens staret supra, ubi erat Puer.* Et quod stella eos *perduxit*, hoc significatur, cum dicit: *Videntes stellam gavisi sunt gaudio magno valde. Et intrantes domum, invenerunt Puerum* etc. Est igitur stella

[1] Cant. 3, 11; Luc. 22, 28-30.
[2] Matth. 20, 20-23. — Glossa in hunc locum est *ordinaria* apud Lyranum.
[3] Epist. II. Tim. 2, 12.
[4] Supplevimus vocem *attingere*, et post *ibant* vocem *Magi*.
[5] Opus imperfect. in Matth. homil. 2. De eo quod supra dicitur de cometis, cfr. Plinius, Natural. Histor. II. c. 22. (alias 24.).
[6] Matth. 2, 2; sequuntur ibid. v. 9. et 10. 11.

ista *inducens*, *deducens* et *perducens*. Sed hoc dico, quod est stella *spiritualis inducens* ad Christum, *deducens* et *perducens*. — Stella, quae *inducit* ad veniendum ad Christum, significatur per stellam *matutinam*, a qua stella ista habuit originem, si ab aliqua originem habuit; et possumus dicere, quod stella *exterior* est *inducens* ad veniendum ad Christum, stella *superior* est *deducens*, stella *interior* est *perducens* ad Christum. Stella *exterior* et *inducens* ad veniendum ad Christum est sacra Scriptura, stella *deducens* et *superior* est sancta Virgo benedicta, stella *interior perducens* ad Christum est *Spiritus sancti gratia*. Ista triplex stella manuducit nos ad veniendum ad Christum.

Notaodom. Triplex stella.

Primo dico: stella *inducens* nos ad veniendum ad Christum est sacra Scriptura, de qua in Ecclesiastico [1]: *Quasi stella matutina in medio nebulae et quasi luna plena in diebus suis lucet* etc. Scriptura est *in medio nebulae*, id est in medio caliginis humanae ignorantiae. Videre faciem Christi supercaelestem non possumus, quia superiora videre non possumus; ideo necessario requiritur, quod habeamus ducatum luminis caelestis; lumen hoc est sacra Scriptura, quae est lux caelestis, per Angelos delata ad sacros Patriarchas, Prophetas, Apostolos. In istam lucem oportet inspicere, de qua dicit beatus Petrus in secunda Canonica [2]: *Firmiorem habemus propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernae lucenti* etc. Indigemus luce sacrae Scripturae, *donec dies elucescat* aeternitatis. Sacra Scriptura est lux *legalis* in Patriarchis, lux *prophetalis* in Prophetis, lux *Evangeliorum* in Apostolis. In Patriarchis est praeclaritas *meritorum*, in Prophetis est praeclaritas *meritorum* et *miraculorum*, sed in Apostolis est praeclaritas *meritorum*, *miraculorum* et *martyrii*. In Patriarchis fuit praeclaritas visionis intellectualis solum, in Prophetis fuit praeclaritas visionis intellectualis cum imaginaria, sed in Apostolis fuit praeclaritas visionis intellectualis et imaginariae cum certitudinaria, non spirituali, sed *corporali;* unde dicit Dominus [3]: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti;* et in prima Ioannis: *Quod vidimus oculis nostris et audivimus, et manus nostrae contrectaverunt de Verbo vitae* etc., *annuntiamus vobis*. Iunge praeclaritatem meritorum, miraculorum et martyriorum cum praeclaritate visionis intellectualis, imaginariae et certitudinariae, iunge ista sex insimul et concordiam omnium, et habebis certitudinem auctoritatis, quae nunquam tibi deficiet. — Ista stella fructuosissima est, per quam possumus ire ad Christum. Dicit Leo Papa [4]: « Cum ad intelligendum sacramentum, quo Dei Filius de Virgine natus sit, accedimus, abigatur terrenarum caligo rationum, et ab illuminatae fidei oculis mundanae sapientiae fumus abscedat » etc. Per istam stellam, quae est sacra Scriptura, itur ad Christum.

Stella exterior, Scriptura. Notaodom.

Sed istam stellam perdit qui ad Herodis perfidiam declinat. Herodes perfidissimus fuit et conatus fuit exstinguere Christum. Ista lux primo fuit perdita in Iudaeis, postea, in paganis, tertio, in haereticis. In Iudaeis non est ista lux, quia ipsi intendunt *genealogiis interminatis;* in paganis non est, quia ipsi intendunt *doctrinis daemoniorum* [5]; in haereticis non est, quia ipsi intendunt *versutiis fallaciarum*. — Caveamus, quod in nobis non sint ista, quia tunc perderemus lumen sacrae Scripturae; quod significatur nobis, quia Magi, quando abierunt ad Herodem, perdiderunt ducatum stellae. Est igitur stella *exterior inducens* nos ad veniendum ad Christum.

Quomodo perdatur. Hortatio.

Secundo est stella *superior*, quae est Virgo beata, *deducens* nos ad Christum; de qua stella intelligitur quod dicitur in libro Numerorum [6], ubi dicitur: *Orietur stella ex Iacob, et consurget virga ex Israel et percutiet duces Moab*. Beata Virgo dicitur *stella*, quia habuit virtutem stabilem et inconcussam; per *Moab* intelliguntur voluptuosi. *Duces Moab* sunt daemones, vel peccata capitalia. Ista stella *percussit duces Moab*, id est septem peccata capitalia: primo, spiritum *superbiae*, quia humillima fuit; spiritum *invidiae*, quia benignissima fuit; spiritum *iracundiae*, quia mansuetissima fuit; spiritum *accidiae*, quia devotissima fuit; spiritum *avaritiae*, quia liberalissima fuit; spiritum *gastrimargiae*, quia sobriissima fuit; spiritum *luxuriae*, quia castissima fuit et integerrima. Ista stella *percussit duces Moab* et deduxit ad Christum Magos. — Et sicut declinando ad Herodis *perfidiam* perdit homo ducatum stellae inducentis ad Christum, id est intelligentiam sacrae Scripturae; ita declinando ad Herodis *hypocrisim* perdit homo ducatum istius stellae, id est beatae Virginis deducentis nos ad Christum. Herodes figuram gerit hypocritarum. Dicitur in Evangelio [7], quod *Herodes, clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellae; et dixit: Ite et interrogate diligenter de Puero, et cum inveneritis, renuntiate mihi, ut et ego veniens adorem eum*. Dicit ibi Gregorius [8], quod nihil facit ita declinare a ducatu beatae Virginis sicut hypocrisis. Dixit Herodes: Inquiratis *diligenter de Puero*, ubi est, *ut ego veniens adorem eum*. Ostendebat, quod vellet inquirere de Puero ad *adorandum eum*, et habuit voluntatem ad aliud. Ita hypocrita inquirit exterius de virtutibus et fingit, se sequi beatam Virginem, et aliud intendit. Si fingis, te esse *humilem*, et es superbus; fingis te *benignum*, et es invidus; fingis te *mansuetum*, et es iracundus; *devotum*, et es accidiosus; *liberalem*, et es avarus;

Stella superior, Maria. Quomodo perdatur.

[1] Cap. 50, 6.
[2] Cap. 1, 19.
[3] Ioan. 20, 29; sequitur I. Ioan. 1, 1. seq.
[4] Sermo 7. in Nativ. Domini, c. 1.
[5] Respicitur I. Tim. 1, 4; et deinde 4, 1; Coloss. 2, 8.
[6] Cap. 24, 17.
[7] Matth. 2, 7. 8.
[8] Homil. 10. n. 3, ubi tantum dicit, Herodem hypocritas designare, qui Iesum invenire nequeunt.

sobrium, et es gulosus; *castum*, et es luxuriosus: per Deum, *Herodes* es, qui interpretatur *glorians in pellibus*, et significat hypocritas. *Gloriabatur in pellibus*, id est in coopertura exteriori; ita hypocritae in exterioribus. Si talis es, non sequeris Christum. Videte, quod isti provocant iudicium Dei. Dixit Augustinus [1], quod « nihil infelicius est felicitate peccantium ». Creditur, quod aliquis sit incundus, et est pessimus. Hoc est idololatriam facere; faciet homines credere, quod spiritus Dei sit in eo, et spiritus daemonis erit in eo. Fugite hypocrisim.

Tertio est stella *interior*, scilicet Spiritus sancti gratia, quae est *perducens* nos ad Christum. De ista stella dicitur in Apocalypsi [2]: *Qui vicerit et custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes* etc., *et dabo illi stellam matutinam*. Sed debemus scire, quod est gratia *initialis* Spiritus sancti, gratia *promovens*, gratia *finalis*. Non perducit nos ad Christum nisi gratia *finalis* Spiritus sancti, quae nos locat in aeternitate. — Ducatum istius stellae perdit qui declinat ad Herodianam *obdurationem*, scilicet qui exstinguit divinos conceptus in *se ipso*. Concepisti opera pietatis, emendare vitam tuam, intrare Religionem; dimittis propositum factum, es sicut Herodes, qui quaerebat interficere Puerum. Alii sunt sicut Pharao, qui praecepit, omnes masculos proiici in flumen. Exstinguit aliquis bonum propositum in *aliis*, si invenit. Aliquis vult intrare Religionem; dicit ei alius: Melius potes facere in saeculo; et exstinguit in eo bonum propositum. Isti sunt sicut Pharao, qui masculos praecepit interfici; sed erat peccatum Pharaonis magnum. Deberet homini sufficere proprium peccatum. Ire post carnales operationes est maximum peccatum. Isti *descendunt in profundum quasi lapis* [3], non perveniunt ad Christum. — Patet modo, quod est triplex stella, scilicet stella *inducens*, *deducens* et *perducens* ad Christum, cuius ducatum nobis praestare dignetur, qui cum Patre etc.

Stella interior, Spiritus S. gratia.

Quomodo perdatur.

Sermo II [4].

Intrantes domum invenerunt Puerum cum Maria Matre eius, Matthaei secundo [5].

In hoc verbo describitur materia praesentis solemnitatis magnae, scilicet Epiphaniae, quae quidem fuit *apparitio* Domini sive inventio a Magis. Describitur autem quantum ad triplicem conditionem: primo quantum ad *opportunitatem loci continentis*, cum dicitur: *Intrantes domum;* secundo, quantum ad *benignitatem Pueri apparentis*, ibi: *invenerunt Puerum;* tertio, quantum ad *dignitatem consortii custodientis*, ibi: *cum Maria Matre eius*.

Divisio.

Opportunitas ergo *loci* tangitur, cum dicitur *domus*, quia locus quietis erat. Et attendendum, quod secundum quadruplicem intellectum *domus* [6] praemissum verbum habet quadruplicem intellectum. Est enim domus, in qua Christus est *inventus corporaliter*, et haec est domus Virginis Mariae; et est domus, in qua *invenitur spiritualiter*, et haec est domus fidelis animae; et est domus, in qua *invenitur sacramentaliter*, et haec est domus militantis Ecclesiae; et est domus, in qua *invenitur aeternaliter*, et haec est domus caelestis curiae. Prima ad intellectum *litteralem*, secunda ad *moralem*, tertia ad *allegoricum*, quarta ad *anagogicum* intellectum refertur. Et sic in hoc verbo affectus immutantur [7], mores componuntur, fides instruitur et devotio excitatur.

Quadruplex domus.

1. Domus ergo, in qua puer Iesus inventus est *corporaliter*, est domus Virginis Mariae. In hac autem primo formatus est et inventus a Ioseph et Angelis sanctis; secundo, natus est et inventus a pastoribus et vicinis; tertio, lactatus est et inventus a regibus sive Magis; quarto, conversatus est et inventus ab Apostolis. — Domus igitur prima, in qua fornatus est puer Iesus et inventus a Ioseph et Angelis sanctis, fuit domus *uteri* virginalis, de qua Ieremiae decimo octavo [8]: *Descende in domum figuli, et ibi audies verba mea;* quod bene potest intelligi de Virginis utero, ubi Dominus finxit sibi corpus propriis manibus, et in eam Filius Dei *descendit*, ut *audiret verba* Patris, iuxta quod ipse dicit, Ioannis sexto: *Descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.* Et in hac domo fuit inventus a Ioseph et Angelis, secundum illud Matthaei primo [9]: *Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Et hoc significatum fuit Numerorum decimo septimo: Intravit Moyses in tabernaculum testimonii et *invenit, germinasse virgam Aaron in domo Levi*, quia Virgo Maria, quamvis *egressa* fuerit *de radice Iesse*, tamen coniuncta fuit generi sacerdotali.

De domo corporali quadruplici.

Prima.

Domus, in qua natus est et inventus a pastoribus et vicinis, fuit domus *praesepii* pastoralis, quae fuit paupercula et arcta, de qua Ecclesiastici vigesimo nono [10]: *Initium vitae hominis aqua et panis et vestimentum.* Necessarium *vitae* nostrae *aqua et*

Secunda.

---

[1] Epist. 138. c. 2. n. 14.

[2] Cap. 2, 26. 28.

[3] Exod. 15, 5.

[4] Hic sermo habetur in cod. *Florentino* U fol. 27 r., et etiam in codd. *Trecensi* Q fol. 83 r., *Monacensi* W fol. 218 r., *Florentino* aa fol. 83 r., *Voraviensi* (biblioth. Monasterii Vorau) n. 149. fol. 195, *Tudertino* n. 182. fol. 129. Hi codices collati bene conveniunt, nisi quod aliqui hinc inde omittunt locum Scripturae. Habetur etiam in cod. *Monacensi* (n. 476.) fol. 213 v. Bonaventurae inscribitur in cod. Parisiensi 1650. fol. 226 r. Praeterea in A fol. 88 v. habetur schema infra positum, quod etiam invenitur in cod. Parisiensi B cum paucis additis.

[5] Vers. 11. — Primum tantum membrum divisionis diffuse exponitur.

[6] Cfr. Comment. in Luc., pag. 476 n. 11.

[7] Verba *affectus immutantur* supplevimus ex A B.

[8] Vers. 2; sequitur Ioan. 6, 38.

[9] Vers. 18; sequuntur Num. 17, 8. et Isai. 11, 1.

[10] Vers. 28; sequuntur Luc. 2, 16. et I. Cor. 9, 22.

panis et domus protegens turpitudinem. Haec est domus paupercula et arcta, in qua simul est palatium et stabulum, et in hac inventus est a pastoribus; unde Lucae secundo: *Venerunt festinantes et invenerunt Mariam et Ioseph et Infantem positum in praesepio.* Convenienter enim ille qui *omnibus omnia factus est*, in loco pastorali pastoribus apparuit.

Tertia. Domus, in qua lactatus est et inventus a Magis, fuit domus *gremii* maternalis; de qua illud Canticorum tertio [1]: *Tenui eum nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meae et in cubiculum genitricis meae.* Et in hac domo exteriori desiderabat eum sponsa invenire, sicut dicitur Canticorum octavo: *Quis mihi det te, fratrem meum, sugentem ubera matris meae* etc. In hac domo invenerunt eum Magi, sicut dicitur Matthaei secundo: *Intrantes domum* etc. Signanter dicitur *cum Maria Matre eius*, quia adhuc ubera Matris sugebat, quando Magis mirabilis apparebat.

Quarta. Domus, in qua conversatus est et inventus a discipulis sive Apostolis, fuit domus *hospitii* paternalis; de qua Marci sexto [2]: *Non est Propheta sine honore nisi in patria sua et in domo sua et in cognatione sua.* Illi enim, inter quos fuerat conversatus, despicielkant eum, dicentes, esse *filium* Ioseph *fabri.* In hac tamen domo a discipulis fuit inventus, secundum illud Ioannis primo: *Dixit Philippus Nathanael: Quem scripsit Moyses in Lege et Prophetae, invenimus Iesum, filium Ioseph a Nazareth.*

Notandum. — Gloriosae sunt et prorsus desiderabiles huiusmodi inventiones, quibus puer Iesus apparuit in nostrae carnis substantia. Illas enim et omnes alias recolit sancta mater Ecclesia, illam tamen praecipue, in qua Magis apparuit, quia illa initium fuit vocationis gentilium.

De domo spirituali tripliciter. II. Domus autem, in qua inventur *spiritualiter*, est domus fidelis animae; de qua potest intelligi illud Sapientiae octavo [3]: *Intrans in domum meam, conquiescam cum illa*, scilicet cum Sapientia increata, quae est Filius Dei, Christus Iesus, quem dicimus et credimus *Dei virtutem et Dei sapientiam.*

Subdivisio. Haec autem domus primo est *construenda*, ut in eam puer Iesus *introducatur;* secundo, *custodienda*, ne ab ea *expellatur;* tertio vero *discutienda*, ut in eadem latens *inveniatur.*

Ad constructionem quatuor concurrent. Primum. Ad *constructionem* autem domus spiritualis, quae est in sancta conscientia, quatuor occurrunt: primum est *structura iustitiae;* de qua Matthaei septimo [4]: *Omnis, qui audit verba mea haec et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui aedificavit domum suam supra petram* etc.; et paulo post: *Et omnis, qui audit verba mea haec et non facit ea, similis erit viro stulto, qui aedificavit domum suam supra arenam. Et descendit pluvia* etc. Et ideo comminatur Ieremiae vigesimo secundo: *Vae! qui aedificat domum suam in iniustitia et coenacula sua non in iudicio.* Hanc structuram non habet domus avarorum, qui per fas et nefas ditari volunt; unde Habacuc secundo: *Vae! qui congregat avaritiam malam domui suae.* Nam tales domus terrenas aedificant et non caelestes; et ideo comminatur eis Dominus Isaiae quinto: *Vae! qui coniungitis domum ad domum et agrum agro copulatis usque ad terminum loci. Nunquid habitabitis vos soli in medio terrae?*

Secundum. Secundum autem est *caelatura pudicitiae*, de qua potest intelligi illud Canticorum primo [5]: *Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.* Hoc dicitur propter pulcritudinem et decorem et odorem pudicitiae, quae totam domum facit redolere. Unde Psalmus: *Domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudinem dierum;* et iterum: *Dilexi decorem domus tuae.* Sine hoc decore pudicitiae domus leprosa iudicatur; unde Levitici decimo quarto: *Si ingressus sacerdos viderit reversam lepram et parietes respersos maculis, lepra est perseverans et immunda domus.*

Tertium. Tertium est autem *firmatura confidentiae*, de qua ad Hebraeos tertio [6]: *Christus fidelis est tanquam Filius in domo sua, quae domus sumus nos, si fiduciam et gloriam spei usque ad finem firmam retineamus.* Confidentia enim nostra est in Domino, qui domum nostram adeo firmat, ut mercatur non solum dici *domus*, sed etiam *turris fortis*, secundum illud Proverbiorum decimo octavo: *Turris fortissima nomen Domini;* econtra dicitur de hypocrita, cuius spes et fiducia in Deo non est, Iob octavo: *Spes hypocritae peribit; et sicut tela aranearum fiducia eius; innitetur super domum suam, et non stabit, fulciet eam et non consurget.*

Quartum. Quartum autem est *clausura disciplinae*, de qua Ecclesiastici quinquagesimo primo [7]: *Appropinquate ad me, indocti, et congregate vos in domum disciplinae.* Illi *congregant se in domum disciplinae*, qui exterius non evagantur, sed ad interiora conscientiae recurrunt, secundum quod unicuique consulit Ecclesiasticus: *Praecurre prior in domum tuam et illic avocare et illic lude.* Econtra dicitur de indisciplinatis in persona stultae mulieris, Proverbiorum septimo: *Garrula et vaga, quietis impatiens nec valens in domo consistere pedibus suis;* unde primae ad Timotheum quinto [8] dicitur de viduis stultis, quae *circumeunt domos otiosae, verbosae, loquentes quae non oportet.* Illi *domos* alienas *circumeunt*

---

[1] Vers. 4; sequitur c. 8, 1.
[2] Vers. 4; sequuntur Matth. 13, 55. et Ioan. 1, 45.
[3] Vers. 16; sequitur I. Cor. 1, 24.
[4] Vers. 24. seqq.; sequuntur Ier. 22, 13; Hab. 2, 9. et Isai. 5, 8.
[5] Vers. 16; sequuntur Ps. 92, 5. et 25, 8. et Lev. 14, 44.
[6] Vers. 5. seq.; sequuntur Prov. 18, 10. et Iob 8, 13-15.
[7] Vers. 31; sequuntur c. 32, 15. et Prov. 7, 10. 11.
[8] Vers. 13; sequuntur Eccli. 21, 25. seq. et Ioan. 11, 20.

qui per actus exteriores de alienis conscientiis iudicare volunt; contra quos Ecclesiastici vigesimo primo: *Pes fatui facilis in domum proximi;* et iterum: *Stultus a fenestra respiciet in domum.* In talibus domibus apertis et inquietis remit Dominus habitare, quod sciens *Maria, domi sedebat,* sicut dicitur Ioannis undecimo.

Secundo, domus ita constructa est *custodienda,* ne scilicet Christus ex ea expellatur. Et hoc quidem fit per quatuor custodes: primus est *timor humilians;* Ecclesiastici vigesimo septimo [1]: *Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua.* Nec mirum, quia, sicut timor ponit in loco infimo et securo, ita tumor in loco alto et periculoso; unde Proverbiorum decimo septimo: *Qui altam facit domum suam quaerit ruinam.* Neque mirum, quia *domum superborum demolietur Dominus,* ut dicitur in eodem libro. Et ideo Seneca [2]: « Redige te ad parva, e quibus cadere non potes ».

Secundus autem custos est *pudor occultans,* qui facit hominem occultare bona sua; unde quarti Regum quarto [3]: *Dixit Eliseus* ad mulierem: *Vade et ingredere* domum tuam *et claude ostium tuum super te et mitte oleum in omnia vasa.* Per *oleum* significatur devotio mentis, quae debet abscondi, secundum quod Dominus dicit Matthaei sexto [4]: *Tu autem, cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito.* Unde Gregorius: « Inventus thesaurus absconditur, ut servetur »; et propterea consulit Ecclesiasticus [5]: *Non omnem hominem inducas in domum tuam.* Hoc autem consilium non servavit Ezechias, et ideo reprehensus fuit a Domino et ab Isaia, quarti Regum vigesimo, ubi dicitur, quod Ezechias nuntiis regis Babylonis *ostendit domum aromatum et aurum et argentum* etc.; et post Dominus comminatus est ei, quod omnia asportarentur in Babylonem; quod non dixisset, nisi Ezechias inaniter laetatus fuisset.

Tertius custos est *dolor excitans,* qui omnes excludit foras [6]; de quo potest intelligi illud Exodi duodecimo [7]: *Ortus est clamor magnus in Aegypto; neque enim erat domus, in qua non iaceret mortuus.* Iste clamor doloris domum securam reddit a periculis, propter quod dicitur Ecclesiastae septimo: *Melius est ire ad domum luctus quam ad domum convivii;* et ibidem: *Cor stultorum, ubi laetitia, et cor sapientium, ubi tristitia est.* Per dolorem namque extranei expelluntur, secundum illud Proverbiorum decimo quarto [8]: *Cor, quod novit amaritudinem animae suae, in gaudio eius non miscebitur extraneus;* et ideo dicebat Ieremias: *Solus sedebam, quoniam amaritudine replesti me.* Hanc custodiam [9] habent viri vere poenitentes, de quibus Iob trigesimo nono [10]: *Quis dimisit onagrum liberum, cui deli in solitudine domum, et tabernacula eius in terra salsuginis?*

Quartus custos est *amor sollicitans;* quando enim quis amat aliquid, ex ipso amore vigil efficitur, ne illud amittatur. Unde Lucae duodecimo [11]: *Amen dico vobis, quoniam, si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique et non sineret, perfodi domum suam.* Periculum namque est pigritari circa custodiam domus, quia dicitur Matthaei duodecimo, quod quando *spiritus immundus invenit* domum *vacantem, scopis mundatam et ornatam; tunc vadit et assumit septem alios spiritus secum nequiores se, et intrantes habitant ibi, et fiunt novissima hominis illius peiora prioribus.* Exemplum autem huius manifeste habetur secundi Regum quarto [12], ubi dicitur, quod *Isboseth dormiebat* in domo sua *super stratum suum meridie, et ostiaria domus purgans triticum obdormivit;* et latrones ingressi amputaverunt caput Isboseth. Unusquisque autem vir spiritualis hoc debet praecavere, et ideo continue vigilare, sicut sponsa in Canticis: *Ego dormio, et cor meum vigilat;* et propterea primae Petri ultimo: *Fratres, sobrii estote et vigilate.*

Tertio autem loco, postquam domus conscientiae sic fuerit fabricata et custodita, in ea Dominus Iesus invenitur, si modo debito *requiratur.* Invenitur autem, si quaeratur *intentione recta,* secundum illud Sapientiae primo [13]: *Invenitur* autem *ab his qui non tentant illum;* et paulo ante: *In simplicitate cordis quaerite illum. Cor simplex* est per rectam intentionem. — Invenitur etiam, si quaeratur *considerationе provida;* Canticorum tertio: *In lectulo meo per noctes quaesivi quem diligit anima mea* etc.; et post: *Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea. Tenui eum nec dimittam.* — Invenitur etiam, si quaeratur *inquisitione sollicita;* Proverbiorum octavo [14]: *Qui mane vigilant ad me invenient me.* — Invenitur etiam, si quaeratur *affectione praecipua,* secundum illud Matthaei decimo tertio [15], ubi Dominus dicit: *Simile est regnum caelorum margaritae et thesauro,* pro qua vel quo dantur omnia, quae habentur; et de omnibus his simul habetur Lucae decimo quinto: *Quae mulier habens drachmas decem* etc., ubi expresse tanguntur hae quatuor conditiones, quae necessariae sunt

Ad custodiam concurrunt quatuor custodes. Primus. Secundus. Tertius. Quartus. Ad discussionem dumus concurrunt quatuor. Primum. Secundum. Tertium. Quartum.

[1] Vers. 4; sequuntur Prov. 17, 16. et c. 15, 25.
[2] Epist. 20. n. 7.
[3] Vers. 2-4, aliquibus omissis.
[4] Vers. 6; sequitur Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 11. n. 1.
[5] Cap. 11, 31; sequuntur IV. Reg. 20, 13; dein v. 17.
[6] Cod. Voraviensis legit *claudit fores.*
[7] Vers. 30; sequitur Eccle. 7, 3. 5.
[8] Vers. 10; sequitur Ier. 15, 17; Vulgata: quoniam comminatione replesti me (cfr. Thren. 1, 20.).
[9] Cod. Voraviensis *Hunc custodem.*
[10] Vers. 5. seq.
[11] Vers. 37. 39; sequitur Matth. 12, 43-45, aliquibus omissis.
[12] Vers. 5-7; sequuntur Cant. 5, 2. et I. Petr. 5, 8.
[13] Vers. 2. 1; sequitur Cant. 3, 1. 4. [14] Vers. 17.
[15] Vers. 44-46; sequitur Luc. 15, 8. seqq.

volenti Christum invenire in domo conscientiae. Per hoc, quod dicitur: *accendit lucernam*, tangitur illustratio *intentionis rectae;* nam *lucerna corporis tui est oculus tuus*[1]. Per hoc, quod dicitur: *everrit domum*, tangitur ordo *considerationis providae*, quae singula disquirit et perquirit. Per hoc autem, quod subiungitur: *quaerit diligenter, donec inveniat*, tangitur sollicitudo *inquisitionis assiduae*, ut patet. Per hoc autem, quod subditur: *cum autem invenerit, convocat amicas et vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram*, tangitur gratitudo *affectionis praeci-*
Epilogus. *puae.* — Hoc autem modo, si quis in domum conscientiae intraverit, inveniet absque dubio Christum, immo vitam et omne bonum, secundum illud Proverbiorum octavo: *Qui me invenerit inveniet vitam et hauriet salutem a Domino.*

III. Domus autem, in qua invenitur *sacramen-*
Pars III. *taliter*, est domus Ecclesiae; de qua potest intelligi illud primae ad Timotheum tertio[2]: *Haec tibi scribo, ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.* Circa autem hanc domum sunt
Subdivisio. tria consideranda, scilicet primo, qualiter habeat *construi;* secundo, qualiter in ea oporteat *conversari;* tertio, qualiter in ea Puer valeat *inveniri.* — Sciendum
Primo, ad constructionem concurrunt quatuor. est enim, quod ad domus istius *constructionem* spirituliter concurrunt *fundamentum, aedificium, fulcimentum* et *ostium.*

Fundamentum est Christus, qui est *angularis*
Primum. *petra*[3]; Genesis vigesimo octavo: *Non est hic aliud nisi domus Dei et porta caeli. Tulitque lapidem, quem supposuerat capiti suo, et erexit in titulum.* Per *lapidem* intelligitur Christus, de quo primae ad Corinthios tertio[4]: *Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Chri-*
Secundum. *stus Iesus.* — *Aedificium* est ipsa Ecclesia sive membra eius mystica; unde primae Petri secundo: *Ad quem accedentes lapidem vivum, et ipsi superaedificamini domus spiritualis;* unde primae ad Co-
Tertium. rinthios tertio: *Dei aedificatio estis.* — *Fulcimentum* est sacramentalis gratia, quae multiplicata est per septem differentias; unde Proverbiorum nono[5]: *Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem.* Per illas *septem columnas* rationabiliter in-
Quartum. telliguntur septem Sacramenta. — *Ostium* est doctrina evangelica; unde Ezechielis decimo: *Elevantia Cherubim alas suas, et stetit in introitu portae domus Domini orientalis.* Per illa quatuor animalia oculata intelliguntur quatuor Evangelistae et quatuor Evangelia.

Secundo videndum est, qualiter in hac domo *oporteat conversari.* Sciendum est autem, quod qui recte vult conversari in domo Ecclesiae debet habitare in ea cum *subiectione voluntaria;* Psalmus[6]: *Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Unde dicitur Lucae decimo octavo de publicano, quod propter sui humiliationem *descendit iustificatus in domum suam.* Unde et Christus dicit in Psalmo[7]: *Non habitabit in medio domus meae qui facit superbiam,* quia superbi inter veros Christi famulos non sunt computandi. — Habitare etiam debet cum *dilectione* Secundum *mutua;* Psalmus: *Deus, qui inhabitare facit unius moris in domo;* et alibi: *In domo Dei ambulavimus cum consensu;* et per contrarium dicitur Matthaei duodecimo[8]: *Omne regnum divisum contra se desolabitur.* Et ideo Matthaei decimo: *Intrantes domum salutate eam, dicentes: Pax huic domui;* et hoc quia *in pace factus est locus eius.* — Ha- Tertium. bitare etiam debet cum *aemulatione sancta*, secundum illud animae sanctae in Psalmo[9]: *Zelus domus tuae comedit me.* Unde Zachariae decimo tertio: *Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me;* et iterum Ieremiae duodecimo[10]: *Reliqui domum meam, dimisi hereditatem meam, dedi dilectam animam meam;* quia, sicut dicitur Canticorum ultimo, *si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione, quasi nihil despiciet eum.* — Habitare etiam debet cum *oratione devota;* Quartum. Matthaei vigesimo primo[11]: *Domus mea domus orationis vocabitur;* et ideo in Psalmo: *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo;* Aggaei primo: *Domus mea deserta est, et vos festinatis unusquisque in domum suam.*

In hac autem domo *inveniturab* iis qui ingredium- Tertio, ac inventionem debemus ingredi per ostium. tur, si tamen per *ostium* intrent, hoc est per observantiam doctrinae evangelicae; unde Ioannis decimo[12]: *Qui intrat per ostium in ovile ingredietur et egredietur et pascua inveniet.* Haec autem doctrina *perfecte* impletur in observantia consiliorum; et ideo Psalmus: *Sicut iuravit Domino, votum vovit Deo Iacob: Si introiero in tabernaculum domus meae, si ascendero in lectum strati mei, si dedero somnum oculis meis et palpebris meis dormitationem et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob. Ecce, audivimus in Ephrata, invenimus eam in campis silvae.*

IV. Domus autem, in qua invenitur *sempiterna-* Pars IV. *liter*, est domus caelestis curiae; de qua potest intelligi illud Psalmi[13]: *Qui habitant in domo tua,*

[1] Luc. 11, 34; sequitur Prov. 8, 35.
[2] Vers. 14. seq.
[3] Respiciur 1. Petr. 2, 6; sequitur Gen. 28, 17. seq.
[4] Vers. 11; sequuntur 1. Petr. 2, 4. 5. et 1. Cor. 3, 9.
[5] Vers. 1; sequitur Ezech. 10, 19. — Dicuntur *oculata*, quia *plena oculis* (v. 12.).
[6] Psalm. 83, 11; sequitur Luc. 18, 14.
[7] Psalm. 100, 7. et infra Ps. 67, 6. 7. et 54, 15.
[8] Vers. 25; et dein c. 10, 12. et Ps. 75, 3.
[9] Psalm. 68, 10; sequitur Zach. 13, 6.
[10] Vers. 7; sequitur Cant. 8, 7.
[11] Vers. 13; sequuntur Ps. 5, 8. et Agg. 1, 9.
[12] Vers. 2. 9; sequitur Ps. 131, 2-6.
[13] Psalm. 83, 5; sequuntur Mich. 4, 1; Bar. 3, 24. seq. et Ioan. 14, 2.

Domine, in saecula saeculorum laudabunt te. Haec autem domus est desiderabilis propter quatuor: primo, quia domus *excelsa;* Michaeae quarto: *Erit mons domus Domini praeparatus in vertice montium et sublimis super colles.* — Secundo, quia domus *ampla;* Baruch tertio: *O Israel, quam magna est domus Dei et ingens locus possessionis eius. Magnus est et non habet finem, excelsus et immensus;* et Ioannis decimo quarto: *In domo Patris mei mansiones multae sunt.* — Tertio, quia domus *refectiva* [1]; Psalmus: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae;* Ioëlis tertio: *In illa die stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lacte. Et fons de domo Domini egredietur.* — Quarto, quia domus *aeterna;* Ecclesiastae duodecimo [2]: *Quoniam ibit homo in domum aeternitatis suae;* et Psalmus: *Ut inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum.* Hoc petebat Propheta: *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae.*

Haec domus desiderabilis propter quatuor. — Secundum. — Tertium. — Quartum.

In hac autem domo *inveniturDominus* ab iis qui quaerunt cum *perseverantia,* secundum illud Matthaei septimo [3]: *Omnis, qui petit accipit, et qui quaerit invenit, et pulsanti aperietur.* Et ideo hoc petebat et desiderabat sanctus Iob: *Quis mihi tribuat, ut cognoscam et inveniam illum et veniam usque ad solium eius?* Hoc etiam petebat Moyses, Exodi trigesimo tertio: *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, ut sciam te et inveniam gratiam ante oculos tuos* etc. — Orationi autem debet esse coniuncta *misericordia* sive eleemosyna, quae ipsam iuvat; unde Tobiae duodecimo [4]: *Bona est oratio cum ieiunio et eleemosyna magis quam thesauros auri recondere;* et paulo post: *Facit invenire vitam aeternam.* Item, Proverbiorum vigesimo primo: *Qui sequitur iustitiam et misericordiam inveniet vitam, iustitiam et gloriam;* quam nobis praestet etc.

Ad inventionem requirit. perseverantia in oratione. — Item, in misericordia.

Scuema praecedentis sermonis.

Item, sermo fratris Bonaventurae Parisius in domo Fratrum, coram Universitate.

Intrantes domum invenerunt Puerum cum Maria Matre eius, Matthaei secundo [5].

Describitur hic materia praesentis solemnitatis, Epiphaniae, quae quidem fuit *apparitio* Domini sive inventio a Magis quantum ad triformem conditionem: primo, quantum ad *opportunitatem loci continentis,* cum dicitur: *Intrantes domum;* secundo, quantum ad *benignitatem Infantis* dignissimi *apparentis,* cum additur: *invenerunt Puerum;* tertio, quantum ad *dignitatem consortii gratificantis,* cum subditur: *cum Maria Matre eius.*

Divisio.

Circa omnia haec nota, quod secundum quadruplicem intellectum *domus* in Scriptura quadrupliciter invenitur Iesus in quadruplici domo. Est enim domus *virginalis aulae,* in qua inventus est Iesus *corporaliter; fidelis animae,* in qua inventur *spiritualiter; militantis Ecclesiae,* in qua invenitur *sacramentaliter; caelestis curiae,* in qua invenitur *sempiternaliter.* Per quae quatuor approprianturet in quibus quatuor domibus affectus immutantur, mores componuntur, fides construitur et devotio excitatur.

Quadruplex domus.

In domo autem *virginalis aulae* Christus est formatus et inventus a Ioseph et Angelis sanctis; Ieremiae decimo octavo [6]: *Descende in domum figuli* etc. — Natus et inventus a pastoribus et vicinis; Ecclesiastici vigesimo nono: *Initium vitae hominis aqua et panis et domus* etc. — Lactatus et inventus a regibus sive Magis; Canticorum tertio [7]: *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum* etc. — Conversatus et inventus ab Apostolis; Marci sexto: *Non est Propheta sine honore nisi in patria sua et in domo sua et in cognatione sua* [8].

De prima tanguntur quatuor.

Ad hoc autem, quod in domo *fidelis animae* inveniatur Iesus *spiritualiter,* requiritur ad *constructionem* eius *structura iustitiae;* Matthaei septimo [9]: *Omnis, qui audit verba mea* etc., *aedificavit domum suam supra petram. — Caelatura pudicitiae;* Psalmus: *Domum tuam, Domine, decet sanctitudo. — Firmatura confidentiae;* ad Hebraeos tertio [10]: *Quae domus sumus nos, si fiduciam firmam teneamus* etc. — *Clausura disciplinae;* Ecclesiastici ultimo: *Appropinquate ad me, indocti, et congregate vos in domum disciplinae.*

Item, de secunda quatuor.

Ad *custodiam* vero huius domus necessarii sunt quatuor custodes: *timor humilians;* Ecclesiastici vigesimo septimo [11]: *Si non in timore Domini* etc., *subvertetur domus tua. — Pudor occultans;* quarti Regum quarto: *Vade et ingredere domum et claude ostium* etc. — *Dolor excitans;* Exodi duodecimo [12]: *Neque enim erat domus, in qua non iaceret mortuus. — Amor sollicitans;* Matthaei vigesimo quarto: *Si sciret paterfamilias, qua hora fur venturus esset, vigilaret utique et non sineret, perfodi domum suam.*

Ad ipsius custodiam requiruntur quatuor.

Ad *inventionem* vero Christi in hac domo per discussionem requiritur, quod quaeratur *intentione*

Et etiam, ut ibi inveniatur Christus.

---

[1] Ita cod. Voraviensis, alii *referta;* sequuntur Ps. 35, 9. et Ioël 3, 18.

[2] Vers. 5; sequuntur Ps. 22, 6. et 26, 4.

[3] Vers. 8; sequuntur Iob 23, 3. et Exod. 33, 13.

[4] Vers. 8. seq.; sequitur Prov. 21, 21.

[5] Vers. 11.

[6] Vers. 2; sequitur Eccli. 29, 28.

[7] Vers. 4; sequitur Marc. 6, 4.

[8] In β hic additur: Gloriosae prorsus et desiderabiles hae inventiones etc., ut in ipso sermone; et infra bis aliquid addit.

[9] Vers. 24; sequitur Ps. 92, 5.

[10] Vers. 6; sequitur Eccli. 51, 31.

[11] Vers. 4; sequitur IV. Reg. 4, 3. 4.

[12] Vers. 30; sequitur Matth. 24, 43.

recta; Sapientiae primo [1]: *Invenitur ab his qui non tentant illum. — Consideratione provida;* Canticorum tertio: *In lectulo meo* etc. — *Affectione praecipua;* Matthaei decimo tertio [2]: *Inventa autem una* etc. — *Inquisitione sollicita;* Proverbiorum octavo: *Qui mane vigilant ad me* etc.

Domus autem *Ecclesiae construitur* Christo *fundamento;* Genesis vigesimo octavo [3]: *Non est hic aliud, nisi domus Dei* etc. — Membrorum *aedificio;* primae ad Corinthios tertio: *Dei agricultura estis, Dei aedificatio estis.* — Sacramentorum *fulcimento;* Proverbiorum nono [4]: *Sapientia aedificavit sibi domum, miscuit vinum* etc. — Evangelicae doctrinae *ostio;* Ezechielis decimo: *Elevantia Cherubim alas suas, et stetit in introitu portae domus Domini.*

Item, de tertia domo quatnor.

Oportet autem in Ecclesiae domo *conversari* cum *subiectione voluntaria;* Psalmus [5]: *Elegi abiectus esse in domo* etc. — Cum *dilectione mutua;* Psalmus: *Qui inhabitare facit unius moris in domo.* — Cum *aemulatione sancta;* Psalmus [6]: *Zelus domus tuae comedit me* etc. — Cum *oratione devota;* Psalmus: *Introibo in domum tuam* etc.

In qua conversandum quatuor modis.

In domo autem *caelestis curiae* invenitur Iesus *sempiternaliter.* Quae quidem domus est merito omnibus desiderabilis, quia ipsa est *excelsa* magnitudine maiestatis; Michaeae quarto [7]: Iesus *erit mons domus Domini praeparatus in vertice montium.* — *Ampia* latitudine caritatis; Baruch tertio: *O Israel, quam magna est domus Domini* etc. — *Referta* plenitudine satietatis; Psalmus [8]: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae.* — *Aeterna* longitudine interminabilitatis; Psalmus: *Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in saecula saeculorum laudabunt te.*

Item, de quarta domo quatuor.

Sermo III [9].

Intrantes domum, invenerunt Puerum cum Maria, Matre eius, et procidentes adoraverunt eum, et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham, Matthaei secundo [10].

In istis verbis explicatur materia praesentis solemnitatis, quae fuit apparitio sive manifestatio Christi populo gentium in persona Magorum. Et huiusmodi superna apparitio inchoata fuit in apparitione *signi* et consummata in apparitione *signati.* Describitur autem ista inventio sub triplici ratione: primo ut *familiariter exhibita;* secundo ut *reverentialiter suscepta;* tertio ut *mysterialiter celebrata.* Primum, ibi: *Intrantes domum, invenerunt Puerum cum Maria, Matre eius;* secundum, ibi: *et procidentes adoraverunt eum;* tertium, ibi: *et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera: aurum, thus et myrrham.*

Divisio generalis.

Primum insinuatur quantum ad tria: quantum ad *locum inventionis: Intrantes domum;* quantum ad *statum personae: invenerunt Puerum;* quantum ad *modum inveniendi: cum Maria, Matre eius.* Ista tria nobis sunt consideranda, quia insinuatur in his, quod finis omnium laborum nostrorum debet esse inventio Christi; unde Proverbiorum tertio [11]: *Beatus homo, qui invenit sapientiam et qui affluit prudentia. Melior est acquisitio eius negotiatione argenti et auri primi, et purissimi fructus eius.* Ista sapientia est Christus secundum Apostolum, primae ad Corinthios primo: *Praedicamus Christum, Dei virtutem et Dei sapientiam.*

Subdivisio.

Pars I. De loco inventionis corporalis triplici.

I. *Locus* igitur *inventionis* secundum seriem Evangelii triplex fuit, quia primo inventus in *Nazareth,* secundo in *Bethlehem,* tertio in *Ierusalem;* item, primo *in* Maria; secundo, *cum* Maria; tertio, *a* Maria; item, in primo ut *conceptus;* in secundo, ut *natus;* in tertio, ut *adultus;* item, in primo, *admirabilis;* in secundo, *venerabilis;* in tertio, *desiderabilis.*

Inventio in Nazareth admirabilis.

Primo inventus est in *Nazareth in* Maria, ut *conceptus;* Matthaei primo [12]: *Cum esset desponsata Mater eius Maria Ioseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Et ista inventio est *admirabilis,* quia est fundamentum et consummatio omnium mirabilium, quae fuerunt tam in veteri Testamento in tempore Legis quam in tempore gratiae. Haec est prima visio, qua Moyses vidit *rubum ardentem, et non comburebatur,* Exodi tertio, hoc est fecundationem Virginis sine corruptione virginitatis per operationem Spiritus sancti; item, Numerorum decimo septimo [13]: *Invenit, germinasse virgam Aaron in domo Levi,* et hoc consummatum fuit in ista inventione; et Isaiae undecimo: *Egredietur virga de radice Iesse.* Nec contradicit huic quod praedictum est: *in domo Levi,* quia Maria fuit de tribu sacerdotali et regali [14].

Inventio in Bethlehem venerabilis.

Secundo inventus fuit in *Bethlehem cum* Maria et ut *natus;* Matthaei secundo [15]: *Cum natus esset Iesus in Bethlehem Iuda in diebus Herodis*

---

[1] Vers. 2; sequitur Cant. 3, 1.
[2] Vers. 44; sequitur Prov. 8, 17.
[3] Vers. 17; sequitur I. Cor. 3, 9.
[4] Vers. 1; sequitur Ezech. 10, 19.
[5] Psalm. 83, 11; et dein Ps. 67, 7.
[6] Psalm. 68, 10; sequitur Ps. 5, 8.
[7] Vers. 1; sequitur Bar. 3, 24.
[8] Psalm. 35, 9; et deinde Ps. 83, 5.
[9] Habetur in cod. Biblioth. Nationalis Parisiens. 16,500. fol. 226 r., Bonaventurae a prima manu inscriptus; et schema eiusdem inveniur in A fol. 86 r. et cum aliqua differentia in cod. Parisiensi B fol. 45. Cfr. P. Fidelis a Fanna, *Ratio novae collectionis* etc., pag. 294.
[10] Vers. 11. — Exponitur principaliter tantum I. membrum generalis divisionis.
[11] Vers. 13. seq.; sequitur I. Cor. 1, 23. seq.
[12] Vers. 18; sequitur Exod. 3, 2. et alluditur ad Luc. 1, 35.
[13] Vers. 8; sequitur Isai. 11, 1.
[14] Cfr. Matth. 1, 1-18. et Luc. 2, 4. seq.
[15] Vers. 1. seq.; sequuntur Ps. 131, 6. 7. et Isai. 63, 1.

regis, ecce, Magi ab oriente venerunt Ierosolymam, dicentes: Ubi est, qui natus est, rex Iudaeorum?

Ratio 1. Ista inventio fuit *venerabilis*, ita quod per Magos adimpleretur illud Psalmi: *Ecce, audivimus eam in Ephrata, inveninus eam in campis silvae. Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco, ubi steterunt pedes eius;* et illud Isaiae: *Quaesierunt me qui ante non interrogabant, invenerunt qui non quaesierunt me.* Aliter assumuntur verba ista ab Apostolo [1]: *Inventus sum a non quaerentibus me*, quia Iesus hodierna die apparuit gentibus et occultatus est Iudaeis, secundum quod dicit Isaias [2]: *Expandi manus meas tota die ad populum non credentem* etc. — Ista etiam inventio fuit *venerabilis*, quia fuit principium et causa nostrae salutis, nostrae redemptionis, nostrae reconciliationis et nostrae adoptionis. Hinc est, quod Graeci hodie faciunt magnam solemnitatem. — Carissimi, certum est, quod Magi fecerunt magnum honorem Christo et etiam Matri suae, quae ipsum conceperat et portaverat; ideo Ecclesia veneratur et Christum et Matrem eius.

Ratio 2.

Tertio inventus fuit in *Ierusalem* a Maria, et hoc ut *adultus*, et ista inventio fuit *desiderabilis;* Lucae secundo [3]: Parentes eius *invenerunt illum in templo, sedentem in medio doctorum* etc., inventione desiderabili, quia multum desiderabant ipsum videre. Notatur autem, quod ibi voluit quaeri a Matre sua et Ioseph, ut designaret, in quanto desiderio anima fidelis debet ipsum quaerere in superna Ierusalem. Propter hoc dicitur Isaiae sexagesimo [4]: *Surge, illuminare, Ierusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est.* — Item, fuit visa gloria Patris in Ierusalem, quando fons sapientiae loquebatur *in medio doctorum*. Sed re vera hoc non audivit terrestris Ierusalem, sed caelestis, quae designata fuit in Virgine Maria, in qua impletur illud Proverbiorum: *Mulier gratiosa inveniet gloriam*, id est Virgo Maria, quae invenit Christum, quem sollicite et diligenter quaerebat; propter hoc fiducialiter et secure *adeamus cum fiducia ad thronum gratiae* eius, id est Virginem Mariam *gratia plenam* et misericordia, *ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno*, ad Hebraeos quarto. — Carissimi, si sic voluntas esset prompta ad impetrandum praebendas, pauci sunt hic clerici, qui non haberent cito praebendas, quia plus curant de praebendis impetrandis quam de gratia.

Inventio in Ierusalem desiderabilis.

Hortatio.

Secundum hunc triplicem modum inveniendi *corporaliter* invenitur tripliciter ab Ecclesia sancta *spiritualiter*. Invenitur enim *intra* nos, *extra* nos, *supra* nos, secundum quod superius inveniebatur *in* Maria, *cum* Maria, *a* Maria. Invenitur *intra* nos ut *sapientia spiritualiter illuminans*, scilicet in anima; *extra* nos, et hoc in Ecclesia ut *sacramentaliter cibans;* tertio, *supra* nos in superna Ierusalem ut *sempiternaliter beatificans et vivificans.*

De modo inveniendi spiritualis triplici.

De primo, Ecclesiastici quinquagesimo primo [5]: *Multam inveni in me ipso sapientiam et multum profeci in ea;* et loquitur de sapientia infusa, de qua ad Ephesios tertio: *Multiformis sapientia* dicitur etc.; *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi*, ad Colossenses secundo; non de sapientia mundana, de qua primae ad Corinthios primo [6]: *Stultam fecit Deus sapientiam huius mundi.*

De inventione prima.

Et secundum quod est triplex *inventio*, fit triplex *oblatio*, quia, dum invenitur in *anima*, debet offerre *aurum* fulgentis credulitatis. Certum enim est, quod non potest sapientia, quae Christus est [7], in anima introduci nec conservari nisi per radium lucis fidei, qui aliquando assimilatur *fulgori aureo* ad credendum articulos de humanitate, aliquando *fulgori sidereo* ad credendum articulos de Divinitate. Ideo dicit Ioannes Apocalypsis primo [8]: *In medio septem candelabrorum aureorum vidi similem Filio hominis, vestitum podere et praecinctum ad mammillas zona aurea, caput autem eius et capilli erant candidi tanquam lana alba et tanquam nix, et oculi eius tanquam flamma ignis, et pedes eius similes aurichalco*, hoc quantum ad humanitatem; et sequitur: *Facies eius sicut sol*, quantum ad Divinitatem. Hinc est, quod Magi habuerunt ducatum *sideris* quantum ad credendum articulos de Divinitate et obtulerunt *aurum* ad credendum articulos de humanitate; et sicut fulgor sideris duxit eos ad locum, ubi *obtulerunt aurum*, ita fulgor Verbi increati duxit ad cognitionem humanitatis. Impossibile enim est, quod aliquis cognoscat hoc: *Verbum caro factum est* [9], nisi prius cognoscat: *In principio erat Verbum.* Unde sicut radius solis per ista pervia munda pertransit sine aliqua ruptura et unit se eis, ita splendor gloriae aeternae, qui est Filius Dei, intravit Mariam puram et mundam sine aliqua ipsius Mariae ruptura et eam fecundavit; et istud debemus firmiter credere; Sapientiae primo [10]: *Sentite de Domino in bonitate*, id est in fide etc., quia fides est, quae *stabilitat cor* et *facit invenire;* quam quia Magi habuerunt, ideo Sapientiam increatam invenerunt et facti fuerunt primi Christiani. — Carissimi, si aliqui invenerunt sapientiam, non sibi adscribentes superbiant, ne cum lucifero cadant, Isaiae decimo quarto [11]; et Apostolus: *Dicentes, se esse sapientes, stulti facti sunt.*

Et de oblatione prima.

Duplex radius fidei.

Hortatio.

---

[1] Rom. 10, 20.
[2] Isai. 65, 2; Vulgata legit: *ad populum incredulum.*
[3] Vers. 46.
[4] Vers. 1; sequuntur Prov. 11, 16. et Hebr. 4, 16.
[5] Vers. 22; sequuntur Ephes. 3, 10. et Col. 2, 3.
[6] Vers. 20.
[7] Respicitur 1. Cor. 1, 24.
[8] Vers. 13-15. et dein v. 16.
[9] Ioan. 1, 14. et v. 1.
[10] Vers. 1; deinde respiciuntur Hebr. 13, 9. et Tob. 12, 9.
[11] Vers. 12; sequitur Rom. 1, 22.

De inventione secunda.

Secundo invenitur *extra* nos in *Ecclesia* ut *Eucharistia sacramentaliter cibans;* unde Lucae secundo [1]: *Pastores loquebantur ad invicem: Transeamus usque Bethlehem et videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Et venerunt festinantes et invenerunt Mariam et Ioseph et Infantem positum in praesepio.* Expone: *Bethlehem* domus panis interpretatur; et quis est *panis,* nisi qui dicit, Ioannis sexto: *Ego sum panis vivus?* qui collocatur *in praesepio,* hoc est in altari, ubi Christus in specie panis offertur in Divinitate et humanitate; unde non solum est cibus sive panis ratione Divinitatis, sed etiam ratione humanitatis; ideo *in praesepio* ad modum foeni, ut simplices caperent, sicut boves capiunt foenum in praesepio; Isaiae quadragesimo [2]: *Omnis caro foenum, et omnis gloria eius quasi flos agri. Pastores* sunt sacerdotes, qui conficiunt hoc Sacramentum.

Et de oblatione secunda.

Ista inventio debet habere *oblationem* coniunctam, scilicet *thuris,* id est ferventis devotionis; Psalmus: *Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum. — Offeram,* sive qui conficio, sive qui assisto; *arietes,* pastores; *incensa arietum,* devotio pastorum; *medullata,* de medullis cordis. Omnis enim Christianus, quando commemorat ibi Salvatorem suum pro se datum, pro se venditum, pro se in cruce suspensum; tunc debet ei offerre *thus devotionis* ferventissimae; talis enim anima invenit pascua. Unde Ioannis decimo [3]: *Per me si quis introierit, salvabitur et ingredietur et egredietur et pascua inveniet,* id est humanitatem Christi in

Hortatio.

Sacramento altaris. — Carissimi, magnus est defectus in Ecclesia, cum non offertur istud *thus* devotionis in huiusmodi Sacramento. Aliqui enim sunt, qui non curant nisi solum, ut videant; et similiter altare brutum posset videre.

De invectione tertia.

Tertio invenitur *supra* nos in *Ierusalem superna* ut *vita sempiternaliter beatificans;* Iob [4]: *Quis mihi tribuat, ut cognoscam et inveniam illum et veniam usque ad solium eius?* Ex illo *solio* fluit fluvius, de quo dicitur Apocalypsis ultimo: *Ostendit mihi fluvium aquae vivae, splendidum tanquam crystallum,* et ille fluvius vivificat omnes; Psalmus: *Apud te est fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen;* Proverbiorum octavo: *Qui me invenerit inveniet vi-*

Et oblatione tertia.

tam et hauriet salutem a Domino etc. — Huic etiam inventioni coniuncta est *oblatio myrrhae,* hoc est oblatio fragrantis *suavitatis et exsultationis;* et hoc, quia anima in eius inventione concipit mirabilem exsultationem; Psalmus [5]: *In voce exsultationis sonus epulantis;* Isaias: *Gaudium et laetitia invenietur in eo, gratiarum actio et vox laudis.* Istam inventionem non possumus (nunc) habere, sed aliquando possumus praegustare.

Pars II. De statu personae triplici.

II. Sequitur videre et attendere *statum personae inventae.* Magi invenerunt *Puerum* secundum exteriorem faciem « in nullo ab aliorum infantium generalitate discretum », secundum Leonem Papam [6]. Nota autem, quod invenerunt puerum *pauperem* et *heredem universorum; humilem* et *regem excelsum; mortalem* et *Dominum vivum et aeternum.* Haec erat conditio illius Pueri.

Primo, pauper fuit e tamen heres universorum.

Primo invenerunt ipsum Puerum *pauperem* et *heredem universorum* [7]; Lucae secundo: *Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo; quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. Et hoc vobis signum: invenietis infantem pannis involutum et positum in praesepio.* Mirabile fuit istud *signum.* Expone: quia invenire ipsum *pannis involutum* et iacentem *in praesepio* signum fuit, quod ipse esset Salvator noster; quamvis enim secundum exteriorem faciem paupertas videatur opposita opulentiae; tamen secundum veritatem paupertas Christi est causa nostrae opulentiae; secundae ad Corinthios octavo [8]: *Pro nobis egenus factus est, cum esset dives, ut eius inopia vos divites essetis* in illo; et in eodem alibi: *Altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum;* Matthaei quinto: *Beati, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum;* et ita nos fecit non solum *divites,* sed et *heredes regni caelorum.* — Signum etiam fuit *pau-*

Alia ratio.

pertatis nostrae, divitias enim contempsit, ut contemnendas monstraret; Matthaei octavo [9]: *Vulpes foveas habent, et volucres caeli nidos; Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* — Huic inven-

Fiat oblatio aeri.

tioni debet cum Magis homo offerre *aurum* terrenae possessionis tam in feudum ratione potentiae [10] quam in sustentamentum ratione paupertatis. Cum enim terrenam possessionem non possumus ferre nobiscum — *nihil enim intulimus in hunc mundum* etc. — tradamus eam in manibus pauperum, qui sunt nuntii Domini, quam nobis reddet, quando venimus ad patriam, ad quam tendimus. *Quod uni ex his fratribus meis minimis fecistis, mihi fecistis.* Sed econtra, Iob vigesimo septimo [11]: *Dives,* avarus scilicet, *cum dormierit, nihil secum auferet, aperiet oculos et nihil inveniet,* quia thesaurizavit in terra, *ubi aerugo et tinea demolitur, et fures effodiunt et furantur;* Psalmus: *Dormierunt somnum suum;*

---

[1] Vers. 15. seq.; sequitur Ioan. 6, 48.
[2] Vers. 6; sequitur Ps. 65, 15.
[3] Vers. 9.
[4] Cap. 23, 3; sequuntur Apoc. 22, 1; Ps. 35, 10. et Prov. 8, 35.
[5] Psalm. 41, 5; sequitur Isai. 51, 3.
[6] Serm. IV. in Epiph. c. 3.
[7] Hebr. 1, 2; sequitur Luc. 2, 10-12.
[8] Vers. 9. et 2; deinde Matth. 5, 3.
[9] Vers. 20.
[10] Verba *ratione potentiae* et infra *ratione paupertatis* sumsimus ex A. — Infra sequuntur I. Tim. 6, 7. et Matth. 25, 40.
[11] Vers. 19; sequuntur Matth. 6, 19; Ps. 75, 6; Glossa illa est *ordinaria* apud Lyranum.

Glossa Augustini: « *Nihil invenerunt in manibus suis*, quia nihil posuerunt in manibus » pauperum.

Exemplum. Exemplum huius habemus in beata Maria, quae aurum sibi et Puero oblatum dedit pauperibus. Si enim sibi retinuisset, nec acu et filo cibum quaesivisset, nec Ioseph maritum suum sustinuisset tota die laborare; erat faber lignarius.

Secundo, humilis, imen rex. Item, invenerunt ipsum *humilem* et *regem caelorum*; Matthaei secundo [1]: *Tunc Herodes, clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellae, quae apparuit eis. Et mittens illos in Bethlehem, dixit: Ite et interrogate diligenter de puero; et cum inveneritis, renuntiate mihi, ut et ego veniens adorem eum.* In hoc, quod dicebat eum *puerum*, notatur eius *humilitas*; in hoc, quod dicit, se Fiat oblatio thoris. *eum adorare*, notatur, quod *Rex sit caelorum.* — Huic sic invento cum Magis offerendum est *thus reverentiae et obedientiae voluntariae*, cuius oblatio suavis est; Matthaei undecimo [2]: *Venite ad me, omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suave est, et onus meum leve*; scilicet iugum *obedientiae voluntariae* et *poenitentiae*. Istud etiam iugum est iugum humilitatis, sine qua nullus ad regnum potest pervenire; Lucae decimo quarto [3]: *Omnis, qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur*; primae Petri quinto: *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis.*

Tertio, mortalis, tamen aeternas. Item, tertio invenerunt puerum *mortalem* et regem *vivum et aeternum*; Ioannis primo [4]: *Quem scripsit Moyses in Lege et Prophetae invenimus Iesum, filium Ioseph a Nazareth*; et Michaeae quinto: *Et egressus eius ab initio, a diebus aeternitatis.* Voluit autem esse *mortalis*, ut per suam mortem esset causa nostrae immortalitatis; Ecclesiastici sexto [5]: *Amicus fidelis, medicamentum vitae et immortalitatis*; primae Petri tertio: *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu* [6].

Pars III. De modo inveniendi triplici. III. Sequitur de *modo inveniendi*. Moyses Deuteronomii quarto [7]: *Cum quaesieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum.* Si *tamen toto corde quaesieris.* Cor autem humanum ordinatur in potentiam *cognitivam veritatis*, in potentiam *excessivam amoris*, in potentiam *exercitativam virtutis.*

Divisio. Et isto triplici modo invenitur. Primus modus inveniendi est per *studium veritatis;* secundus, per *excessum amoris;* tertius, per *exercitium virtutis.*

De studio veritatis tripliciter. De primo, Proverbiorum secundo [8]: *Fili mi, si sapientiam invocaveris* etc., *tunc intelliges timorem Domini et scientiam Dei invenies.* Et sic per *studium veritatis* inventur tripliciter: primo per studium veritatis *diligenter inquisitae;* Proverbiorum octavo: *Ego diligentes me diligo, et qui mane vigilant ad me invenient me;* Ecclesiastici sexto: *Fili, a iuventute tua excipe doctrinam et usque ad canos invenies sapientiam;* Psalmus: *Quaerite faciem eius semper*, scilicet veritatem. — Secundo inventur per studium veritatis *sapienter discussae.* In cuius figura Dominus dicit Lucae decimo quinto [9]: *Mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam et everrit domum et quaerit diligenter, donec inveniat? Et cum invenerit, convocat amicas et vicinas dicens: Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram.* Expone: *Mulier*, anima rationalis, *habens decem drachmas*, id est decem illuminationes, quarum tres principales, scilicet naturalis, moralis et rationalis, et quaelibet istarum habet tres. Naturalis continet physicam, mechanicam et mathematicam; rationalis similiter continet tres: grammaticam, rhetoricam, logicam; moralis tres: monasticam, politicam, oeconomicam [10], et ultra istas est decima illuminatio, scilicet cognitio divina. Et istam ultimam cognitionem anima rationalis amisit; quia dicit Hugo [11], quod « oculus carnis in sua luce remansit, oculus rationis obnubilatus, oculus divinae contemplationis excaecatus est ». Quia igitur anima rationalis istam decimam drachmam, scilicet divinae cognitionis et contemplationis, amiserat, ideo quaerit eam modo historice, modo allegorice, modo tropologice, modo anagogice, quousque eam inveniat. — Tertio inventur per studium veritatis *sobrie investigatae;* Proverbiorum vigesimo quinto [12]: *Mel invenisti, comede quod sufficit tibi, ne forte satiatus evomas illud;* et infra: *Sicut, qui mel multum comedit, non est ei bonum; sic qui scrutator est maiestatis opprimetur a gloria.* Et beatus Dionysius [13]: « Nec omnino audemus dicere de supersubstantiali Deitate praeter quae nobis ex sacris eloquiis claruerunt ».

Primo. Secundo. Tertio.

De excessu amoris tripliciter. Primo. Secundo. Secundus modus inveniendi est per *excessum amoris.* Et hoc tripliciter: per excessum primo amoris *suspirantis* ad Christum inveniendum; Canticorum octavo [14]: *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meae, ut inveniam te foris* etc. — Secundo, per excessum amoris a mundo *sequestrantis;* amicitia enim *huius mundi inimica est Dei.* Ideo Matthaei decimo tertio: *Simile est regnum caelorum thesauro abscondito in agro, quem qui*

---

[1] Vers. 7-9.
[2] Vers. 28-30.
[3] Vers. 11; sequitur I. Petr. 5, 6.
[4] Vers. 45; sequitur Mich. 5, 2.
[5] Vers. 16; sequitur I. Petr. 3, 18.
[6] Omissa est hic *oblatio myrrhae in signum veræ mortalitatis*, ut habetur in schemate pag. 161 col. 1.
[7] Vers. 29.
[8] Vers. 1. 3. 5; et dein c. 8, 17; Eccli. 6, 18. et Ps. 104, 4.
[9] Vers. 8. seq.
[10] Cfr. Bonav., De Reduct. artium ad Theolog. n. 4. et Collat. in Hexaëm., collat. 4.
[11] Libr. I. de Sacram., p. X. c. 2.
[12] Vers. 16. et 27.
[13] De Divin. Nomin. I. c. 1. § 3.
[14] Vers. 1; sequuntur hic 4, 4. et Matth. 13, 44.

invenit homo, abscondit et prae gaudio illius vadit et vendit universa, quae habet, et emit agrum illum. Thesaurus iste, Christus, *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi*, ad Colossenses secundo [1]; *in agro*, id est in boni operis exercitio; Genesis vigesimo quarto: Isaac *egressus fuerat ad meditandum in agro. Quem qui invenit* etc., quia Canticorum ultimo: *Si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione,*

Tertio. *quasi nihil despiciet eam.* — Tertio, per excessum amoris *sursum agentis;* Canticorum tertio [2]: *In lectulo meo per noctes quaesivi quem diligit anima mea, quaesivi illum et non inveni. Surgam et circuibo civitatem, per vicos et plateas quaeram quem diligit anima mea; quaesivi illum et non inveni. Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem. Num quem diligit anima mea vidistis? Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea.* Expone: *In lectulo meo*, id est conscientia; nec *inveni*, sed *circuibo civitatem*, hoc est sacram Scripturam; *per vicos*, hoc est per vetus Testamentum, *et plateas*, id est per novum Testamentum. *Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem*, id est Angeli; et tunc dicit sancta anima: *Num quem diligit anima mea vidistis?* et ascendit per tres gradus Angelorum, nec etiam invenit. *Sed paululum cum pertransisset, invenit* etc.

Tertius modus inveniendi est per *exercitium*

De exercitio virtutis tripliciter. *perfectae virtutis.* Perfecta autem virtus est, quae *prosequitur iusta, refugit suavia* et *sustinet dura.* Et huic triplici operationi virtutis respondet triplex potentia animae: *rationalis*, quae prosequitur *iusta; concupiscibilis*, quae debet refugere *suavia; irascibilis*, quae aggreditur *adversa* et ardua. — De primo Salomon [3]: *Qui sequitur iustitiam et misericordium inveniet vitam;* de secundo Iob: *Nec invenitur in terra suaviter viventium;* de tertio in Evangelio: *Qui odit animam suam in hoc mundo in vitam aeternam custodit eam.* Ad quam nos etc.

Schema praecedentis sermonis.

In Epiphania Domini sermo fratris Bonaventurae, Parisius, coram Universitate in domo Fratrum Minorum.

Intrantes domum invenerunt Puerum cum Maria, Matre eius, et procidentes adoraverunt eum, et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera: aurum, thus et myrrham, Matthaei secundo [4].

In his verbis explicatur materia praesentis solemnitatis, quae est *apparitio* sive manifestatio nati Salvatoris, quae quidem inchoata fuit in ostensione *signi*, scilicet stellae radiantis, consummata autem hodierna die in revelatione Iesu Christi infantis, ipsius scilicet *significati*. Stella enim perduxit Magos ad locum, *ubi erat Puer*. Describitur autem ista apparitio Divisio generalis. ut *signanter praemonstrata* in stella radiante et praecunte. — Ut *familiariter exhibita*, quia in domo, *ubi erat Puer cum Matre*. Unde *intrantes domum invenerunt Puerum cum Maria, Matre eius.* — Ut *reverentialiter suscepta* in reverentiali Magorum adoratione, quia *procidentes adoraverunt eum.* — Ut *mysterialiter celebrata* in triformis muneris exhibitione, quia *obtulerunt ei munera: aurum, thus et myrrham.*

In hoc autem, quod hi Magi venerunt de tam De membro I. divisionis. Triplex locus inventionis. remotis partibus ad quaerendum Christum infantem, insinuatur nobis, *quid* debemus quaerere, quoniam Christum, qui est finis omnium inquisitionum nostrarum; Proverbiorum tertio [5]: *Beatus homo, qui invenit sapientiam.* — *Locus* autem, in quo inventus est Christus, triplex est: primo enim inventus in *Nazareth* ut conceptus *in* Maria, et haec inventio est mirabilis; Matthaei primo: *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* — Secundo vero inventus est in *Bethlehem* ut iam natus *cum* Maria, et haec inventio est venerabilis; Lucae secundo: *Invenerunt Mariam et Ioseph et Infantem positum in praesepio.* — Tertio inventus est in *Ierusalem* in templo ut iam adultus *a* Maria, et haec inventio est desiderabilis; Lucae secundo [6]: *Invenerunt illum in templo* etc.

Secundum igitur hanc triformem inventionem Item, triformis inventio. notandum, quod *spiritualiter* tripliciter invenitur Iesus, scilicet *intra* nos, *extra* nos et *supra* nos, sicut *in* Virgine, *cum* Virgine et *a* Virgine. Invenitur itaque Christus *intra* nos tanquam *in* Virgine sicut sapientia spiritualiter illuminans; Ecclesiastici ultimo [7]: *Multam inveni in me ipso sapientiam* etc. — *Extra* nos tanquam *cum* Virgine sicut Eucharistia sacramentaliter cibans; Lucae secundo: *Infantem invenietis pannis involutum et positum in praesepio.* — *Supra* nos tanquam in Ierusalem superna sicut vita sempiternaliter beatificans; Iob vigesimo tertio: *Quis mihi tribuat, ut cognoscam et inveniam illum et veniam usque ad solium eius?*

Huic autem triplici inventioni triplex debet fieri Et triplex muneris oblatio. *muneris oblatio.* Nam inventioni sapientiae radiantis debemus offerre *aurum* fulgentis credulitatis. Ipse enim Christus *ambulat in medio* septem stellarum et *septem candelabrorum aureorum* [8], id est articulorum fidei Dei et hominis. — Eucharistiae reficientis debemus offerre *thus* ferventis devotionis; Psalmus: *Holocausta medulluta offeram tibi cum incenso arietum* etc. — Vitae beatificantis debemus offerre *myrrham* gratiarum actionis ex consideratione adeptae incorruptionis; Canticorum quarto: *Vadam ad montem myrrhae et ad collem thuris.*

---

[1] Vers. 3; sequuntur Gen. 24, 63. et Cant. 8, 7.
[2] Vers. 1-4.
[3] Prov. 21, 21; sequuntur Iob 28, 13. et Ioan. 12, 25.
[4] Vers. 11. et deln v. 9.
[5] Vers. 13; sequuntur Matth. 1, 18. et Luc. 2, 16.
[6] Vers. 46.
[7] Cap. 51, 22; sequuntur Luc. 2, 12. et Iob 23, 3.
[8] Apoc. 2, 1; sequuntur Ps. 65, 14. et Cant. 4, 6.

Invenerunt, dicit Evangelista, *Puerum;* Puerum, inquam, « secundum faciem in nullo ab aliorum puerorum generalitate discretum »: *pauperem, heredem* tamen *universorum* [1], caelestium et terrestrium, cui *obtulerunt* propterea *aurum* in fendum ratione potentiae et dominationis et in sustentamentum ratione paupertatis. — *Humilem,* excelsissimum tamen *Regem regum et Dominum dominantium,* cui *obtulerunt* propterea *thus* votivae veneerationis. — *Mortalem,* Verbum tamen universarum rationum viventium et causam omnium vitarum et vitam omnium creaturarum, cui *obtulerunt* propterea *myrrham* verae mortalitatis [2].

Puero inoto tria.

Sequitur *inveniendi modus: cum Maria, Matre eius.* Invenitur autem Christus, si tamen quaeratur per *studium veritatis diligenter quaesitae;* Proverbiorum octavo [3]: *Qui mane vigilant ad me invenient me.* — *Sapienter discussae;* Lucae decimo quinto: *Nonne accendit lucernam et everrit domum et quaerit diligenter, donec inveniat?* — *Sobrie investigatae;* Proverbiorum vigesimo quinto: *Mel invenisti, comede quod sufficit tibi.*

Inveniendi modo per duplex studium quaeritur Christus.

Per *excessum amoris suspirantis* ad Christum; Canticorum octavo [4]: *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meae, ut inveniam te* etc. — *Sequestrantis* inter te et mundum; Matthaei decimo tertio: *Inventa autem* etc. — *Sursum agentis* in Deum; Canticorum tertio: *Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea.* — *Mulier* haec significat animam rationalem, quae habet decem drachmas, id est novem partes scientiae philosophicae, et decima drachma est sapientia divina, scilicet sacra theologia. Tres enim sunt scientiae philosophicae, scilicet naturalis divisa in physicam, metaphysicam et mathematicam; rationalis sive sermocinalis divisa in grammaticam, in logicam et in rhetoricam; moralis divisa in oeconomicam, monasticam et politicam, quae omnes dimittendae sunt in relatione ad finem, et quaerenda decima drachma, scilicet theologia sive sapientia Christi, quae hodie est perdita communiter in imitantibus (?) scientiam philosophicam curiose.

Per excessum amoris plicis.

De 10 rachmis.

Sermo IV [5].

Per aliam viam reversi sunt in regionem suam, Matthaei secundo [6].

His verbis innuitur duplex via creaturae rationalis: una, qua a Deo avertitur, de qua Deuteronomii trigesimo secundo: *Dereliquit Deum factorem suum et recessit a Deo salutari suo;* alia, qua ad ipsum revertitur, scilicet via *aversionis* et *conversionis* sive reversionis.

Duplex via.

I. Anima autem a Deo per hunc modum *avertitur* et his septem dietis a Deo elongatur. Prima dicitur *oblivio Dei,* quoniam ipsum non appretiatur nec diligit nec habet in memoria, et per consequens nec in intelligentia nec in voluntate; secunda dicta dicitur *incurvatio desiderii,* quando scilicet, oblito summo bono, incurvatur ad bona temporalia; ex hoc sequitur tertia, scilicet *dissipatio animi;* ex hoc sequitur quarta, *ingratitudo divini beneficii;* per hoc sequitur *dilectio praesentis saeculi,* et ex ista dilectione sequitur sexta, scilicet *perpetratio peccati,* et ex perpetratione peccati sequitur septima, scilicet *inconsideratio sui;* et sic venit anima in Aegyptum, in regionem tenebrarum et caliginum [7].

De via aversionis a Deo per 7 dietas.

II. Sed *reverti* oportet modo resolutorio, via scilicet alia, per septem dietas, ut, sicut Deus septem diebus mundum creavit, ita in septima die ad suam originem revertatur. Prima dieta sive primus modus reversionis est *consideratio sui;* secunda, *detestatio peccati;* tertia, *contemptus* sive derelictio *praesentis saeculi;* quarta, *recogitatio Domini nostri Iesu Christi;* quinta, *recollectio animi;* sexta, *sublimatio desiderii;* septima, *contemplatio Dei.*

De via reversionis per 7 dietas.

Prima ergo dieta est per *sui considerationem;* de qua Lucae decimo quinto [8], de filio prodigo, qui accepit partem substantiae etc.: *Tunc in se reversus, dixit: Quanti mercenarii* etc. Hic bene exprimitur modus aversionis. Primo enim, erecta cervice petit partem substantiae, cum dicit: *Pater, da mihi portionem* etc., quasi dicat: ego volo uti libero meo arbitrio, nolo obedire tuae voluntati. Et tunc *abiit in regionem longinquam,* quia, recedens a Dei similitudine, accedit ad peccatorum similitudinem; *et* tunc *dissipavit omnia.* — Secundo, quia diffluit in diversa genera peccatorum, *et* tunc *adhaeret uni civium regionis illius,* id est diabolo, qui tenet eum peccatorum vinculis alligatum. Et *cupit implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant,* id est, cupit adinvenire diversa peccata; *et nemo illi dabat,* quia nec in eis satiatur. — Sed tandem, videns se in tot miseriis constitutum, *revertitur in se,* per sui considerationem; Ieremiae tertio [9]: *Vide, ubi non prostrata sis;* id est, considera, quod factus sis abusor omnium naturarum, omnium Scripturarum, omnium gratiarum, omnium hierarchiarum, tam supercaelestis quam caelestis, omnium divinorum iudiciorum, omnium rationum aeternarum et omnium personarum divinarum; quae omnia

De dieta prima.

Duo gradus aversionis.

Initium reversionis.

Notandum.

[1] Hebr. 1, 2; sequitur Apoc. 19, 16.

[2] Cod. minus bene *immortalitatis.* Cfr. Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 10. n. 6.

[3] Vers. 17; sequuntur Luc. 15, 8. et Prov. 25, 16.

[4] Vers. 1; sequuntur Matth. 13, 43. et Cant. 3, 4.

[5] Habetur in cod. Monacensi W fol. 242 v. Schema huius invenitur in A fol. 87 r. et B fol. 16 v., et sequitur post hunc sermonem. Cum in divisione et principalibus sententiis hi duo codices cum isto sermone omnino conveniant, etiam hic Bonaventurae tribuendus est, licet fortasse aliena manus aliqua mutaverit.

[6] Vers. 12; sequitur Deut. 32, 15.

[7] Cfr. Exod. 10, 21. seq.

[8] Vers. 12-17.

[9] Vers. 2.

contrariantur tibi et adversantur. Contempsisti enim divinas personas, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, et etiam leges aeternas, secundum quas tu et omnia facta sunt; divina iudicia, secundum quae omnia iudicanda sunt; despexisti etiam angelicum ministerium; repulisti charismatum et gratiarum copiam; sprevisti nihilominus mandata et consilia Scripturarum; fuisti etiam, quantum in te est, deordinator omnium naturarum, et ideo haec omnia allegabuntur contra te.

Secunda dicta reversionis est per *detestationem peccati;* Ieremiae tertio[1]: *Convertimini, filii revertentes, et sanabo aversiones vestras;* et Isaiae quinquagesimo quinto: *Derelinquat impius viam suam* etc., id est omnium septem mortalium genera cum exercitibus suis, secundum quod dicit Gregorius in Moralibus[2]. Quidam enim sunt qui revertuntur uno pede, sed alio avertuntur. Multi enim sunt casti, sed tamen superbi; multi humiles, sed tamen lascivi, et huiusmodi; sed hoc nihil est, quoniam aut totaliter necesse est *converti*, aut *averti*. Dieta secunda.

Tertia dicta reversionis est per *contemptum saeculi*, quoniam impossibile est, quod amans saeculi divitias detestetur avaritiam, amans honores detestetur superbiam, amans delicias detestetur luxuriam; ideo oportet contemnere saeculum et reverti ad Religionis statum; Ieremiae trigesimo primo[3]: *Revertere, virgo Israel, revertere ad civitates tuas istas. Usquequo deliciis dissolveris, filia vaga? — Civitates istae* sunt diversae Religiones; Religio autem (est) sicut arx munitissima intra Ecclesiam, cuius portae tribus seris, id est tribus votis, firmatae sunt, ne pateat aditus daemonibus, ne possint invadere, tentare et capere. — Et nota, quod septem sunt in mundo contemnenda, quae require in sermone de transitu[4], scilicet vita propria, opulentia, sapientia, potentia, avaritia, victoria, laetitia. Quot istorum retinentur, tot proditores in civitate retinentur, qui tradant eam in manibus daemonum. Tertia. Notandum.

Quarta dicta reversionis, scilicet *recogitatio Domini nostri Iesu Christi*, sequitur ad istam. Si enim difficile est tibi contemnere vitam propriam et cetera, quae dicta sunt; recogita *Christum, vitam nostram*[5], fontem et *auctorem vitae*, *interfectum* et praedictorum omnium perfectissimum contemptorem; Ieremiae tertio[6]: *Vulgo dicitur: Si dimiserit vir uxorem suam, et recedens ab eo, duxerit virum alterum, nunquid revertetur ad eum ultra? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis. Tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te;* Osee secundo: *Vadam et revertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quam nunc.* Hoc facit anima, quando recogitat sponsum suum, Dominum nostrum Iesum Christum, pro amore ipsius nascentem, conversantem, morientem etc. Quis eum non diligeret, si ea quae nobis fecit in carne sua, recogitaret? Sed necesse est sic frequenter redire ad ipsum. Radius enim solaris non semel transeundo calefacit, sed immorando; sic nec una cogitatio vel semel Deum recogitare cor accendit, sed frequenter hoc debemus facere. Quarta. Notandum.

Quinta dicta reversionis est per *recollectionem animi;* de qua tertii Regum decimo septimo[7]: *Revertatur, obsecro, anima pueri huius in viscera eius* etc., hoc est, anima dispersa per imaginationes, cogitationes, affectiones, locutiones recolligatur; Psalmus: *Dispersiones Israelis congregabit;* non est intelligendum de Ierusalem, sicut intelligunt infatuati Iudaei, sed de dispersione virium; propter quod subdit: *qui sanat contritos corde* etc. — Sunt autem septem virtutes interiores[8], quasi circulus intra circulum, quas oportet recolligere, scilicet sensus, imaginatio, aestimatio, quae media est inter rationem et imaginationem, quoniam apprehendit aliquod spirituale bonum; ratio, per quam anima cognoscit se et cognoscendo se cognoscit alias substantias spirituales; intellectus, in quo sunt principia legum aeternarum; intelligentia, quae contemplatur ipsum Deum; et apex mentis, quod est summum ipsius animae et quasi centrum, in quo recolliguntur omnes aliae vires. Si quis autem esset sic recollectus, facilime in Deum tenderet, et secundum hoc dicebat Moyses filiis Israel in Deuteronomio[9]: *Revertatur* unusquisque *in domum suam.* Quinta. Septem virtutes interiores.

Sexta dicta reversionis est per *sublimationem* seu per suspensionem *desiderii;* Canticorum sexto[10]: *Revertere, revertere* etc. Isto utique desiderio anima suspenditur; Iob: *Suspendium elegit anima mea* etc.; et cadit desiderium super desiderium, et propterea ingeminat toties *revertere.* — Sunt autem septem desiderii, quibus debet suspendi et affici anima. Primum est desiderium *desiderandi;* Psalmus[11]: *Concupivit anima mea desiderare* etc.; secundum est desiderium *honorandi;* Psalmus: *Os meum aperui et attraxi spiritum;* tertium, desiderium *imitandi* et obediendi; quartum, desiderium *complacendi;* quintum, desiderium *gustandi;* sextum, desiderium *videndi;* septimum, desiderium *comprehendendi;* et in hoc consummatio. Et aliter impossibile est, quod homo veniat ad sapientiam. Sexta. Septem desiderii.

Septima dicta reversionis est per *contemplationem Dei sui;* quando enim anima elevata est per Septima.

---

[1] Vers. 22. et dein Isai. 55, 7.
[2] Cfr. libr. XXXI. c. 45. n. 87. seqq.
[3] Vers. 21. seq.
[4] Citatur alius sermo illius collectionis, quae est in cod. Monacensi.
[5] Respicitur Col. 3, 4. et dein Act. 3, 15.
[6] Vers. 1; sequitur Osc. 2, 7.
[7] Vers. 21; sequitur Ps. 146, 2. seq.
[8] Cfr. Bonav., Itinerar. mentis in Deum, c. 1. n. 6.
[9] Cap. 20, 5.
[10] Vers. 12. et deinde Iob 7, 15.
[11] Psalm. 118, 20. et dein v. 131.

desiderium ut *aquila, et in altis ponit nidum suum*, sicut dicitur in Iob [1]. De ista reversione dicitur Ezechielis primo [2]: *Animalia ibant et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.* Ista *animalia*, quae etiam vidit Ioannes in Apocalypsi *in circuitu et intus plena oculis, et requiem non habebant, die ac nocte dicentia: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens* etc., significant viros spirituales, plenos circumspectionibus et irradiationibus divinis. Ista autem *ibant et revertebantur; ibant* ad actionem, Standum. et *revertebantur* ad contemplationem. — Sed mirum, quod in eodem loco dicitur: *Non revertebantur, cum incederent* [3]; et iterum: *Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec revertebantur, cum ambularent;* quod sic intelligendum est, quod sic homo debet proficere, quod non deficere; sic procedere, quod non retrocedere, immo semper ad anteriora se extendere [4]. *Ambulatio* dicit processum per profectum, a quo non est aliquatenus revertendum. Bernardus: « In via vitae non progredi regredi est ». Sequitur in praedicta auctoritate: *in similitudinem fulguris coruscantis;* sicut enim fulgur, secundum quod dicit Salvator in Matthaeo [5], *exit ab oriente et paret usque in occidentem;* sic divina contemplatio et contuitio momentanea est et quasi punctalis. Unde Iob: *Nunquid mittes fulgura, et ibunt et revertentia dicent tibi: Adsumus? Fulgura*, praedicatores, qui aliquando missi vadunt propter aliorum correptionem, sed redeuntes ad contemplationem dicunt: *adsumus*, semper prompti ad obedientiam. Bernardus super Cantica [6]: « Tranquillus Deus tranquillat omnia, et *quiescere* quietum aspicere est. Sed heu! rara hora et parva mora »! Ista est ultima dieta, ad quam non sequitur alia, sicut dies septima non habuit vesperam. Deus concedat etc.

Schema praecedentis sermonis.

Item, sermo fratris Bonaventurae Parisius, coram rege et familia.

Per aliam viam reversi sunt in regionem suam, Matthaei secundo [7].

Innuitur nobis his verbis duplex via animae plex via. rationalis, una scilicet, qua *a Deo avertitur*, altera, qua *ad Deum convertitur.*

Avertitur vero anima a Deo et elongatur bis dietis, scilicet: per *oblivionem Deitatis;* per *incurvationem desiderii;* per *dissipationem animi;* per *ingratitudinem divini beneficii;* per *dilectionem praesentis saeculi;* per *perpetrationes peccati;* per *inconsiderationem sui.* In via aversionis 7 gradus.

Quam quidem oportet reverti ad Deum, si vult salvari, modo resolutorio iuxta morem revertentium de via et incipientium, ubi terminaverint prius, scilicet per *consideriationem sui*; Lucae decimo quinto [8]: Ipse *autem in se reversus dixit: Quanti mercenarii* etc. — Per *detestationem peccati;* Ieremiae tertio: *Convertimini, filii revertentes, et sanabo aversiones vestras.* — Per *desertionem saeculi;* Ieremiae trigesimo primo [9]: *Revertere, virgo Israel, revertere ad Dominum* etc. — Per *rememorationem divinae potestatis* [10]; Danielis nono [11]; Ieremiae tertio: *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te.* — Per *recollectionem animi;* tertii Regum decimo septimo [12]: *Domine Deus meus, revertatur, obsecro, anima pueri huius in viscera eius.* — Per *sublimitatem desiderii;* Canticorum sexto: *Revertere, revertere, Sulamitis, revertere, revertere, ut intueamur te.* Geminatur toties invocatio, quia desiderii sacri multiformis est actio. Debet enim anima Septem desideria. habere: desiderium *desiderandi;* desiderium *orandi;* desiderium *imitandi* et *obediendi;* desiderium *complacendi;* desiderium *gustandi;* desiderium *videndi;* desiderium *comprehendendi.* — Per *contemplationem Dei sui;* Ezechielis primo [13]: *Animalia ibant et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.* Item, in via reversionis.

Sermo V [14].

Obtulerunt ei munera: aurum, thus et myrrham [15].

Describitur et commendatur hic obsequium reverentiae oblatum Christo a Magis. Commendatur autem a *benevolentia caritatis* ex parte largientis, Divisio. ibi: *Obtulerunt*, quasi dicat: non vendiderunt ex cupiditate, nec persolverunt ex necessitate, sed obtulerunt spontanea voluntate; secundo, ab *excellentia dignitatis* ex parte recipientis, ibi: *ei*, scilicet Regi caeli et terrae; tertio, a *sufficientia quantitatis* ex parte muneris, ibi: *munera*, plura scilicet et varia.

---

[1] Cap. 39, 27, ubi pro *in altis* Vulgata *in arduis*.

[2] Vers. 14; sequitur Apoc. 4, 8.

[3] Ezech. 1, 9. 12.

[4] Respicitur Phil. 3, 13. — Sequitur Bernard., serm. 2. in Purificat. B. M. V. n. 3.

[5] Cap. 24, 27; sequitur Iob 38, 35.

[6] Serm. 23. n. 16. et 15.

[7] Vers. 12.

[8] Vers. 17; sequitur Ier. 3, 22.

[9] Vers. 21; Vulgata: revertere ad civitates tuas istas.

[10] Pro *divinae potestatis* ipse sermo et B melius habent *Domini nostri Iesu Christi.*

[11] Indicatio versus deest; videtur tamen insinuata oratio Danielis, quae incipit v. 4: *Obsecro, Domine Deus* etc. usque ad v. 19. Dein sequitur Ier. 3, 1.

[12] Vers. 21; sequitur Cant. 6, 12.

[13] Vers. 14.

[14] Habetur in cod. Monacensi W fol. 219 v. et cum exiguis variantibus lectionibus in codd. Tudertinis n. 168. fol. 9 r. et n. 182. fol. 237 v. In his tribus codicibus non pauci sermones sunt Bonaventurae, tamen sine eius nomine. Licet sermo sit valde contractus, tamen, teste P. Fidel a Fanna, Bonaventuram insinuat auctorem, quod valde probabile esse censemus.

[15] Matth. 2, 11.

Pars I. De benevolentiae in dante triplici effectu.

I. Circa primum notatur *benevolentia caritatis* in dante, sine qua nullum donum acceptatur a Deo; quae consuevit reddere voluntatem dantis *hilarem* respectu sui, *concordem* respectu proximi, *liberalem* respectu motivi [1]. Illud igitur procedit ex benevolentia caritatis, quod offertur voluntate hilari, concordi et liberali. Hoc modo fecerunt Magi. Ratione primi dicitur supra [2]: *Videntes stellam gavisi sunt* etc.; ratione secundi dicitur: *et intrantes domum*; ratione tertii: *et apertis thesauris* etc. — Horum igitur exemplo et nos debemus facere. De primo, primi Paralipomenon ultimo: *Ego in simplicitate cordis mei laetus obtuli universa haec* etc. De secundo, Matthaei quinto: *Si offers munus tuum ad altare et ibi recordatus fueris* etc. Quia enim Cain obtulit corde nequam, Abel autem corde bono, ideo *respexit Dominus ad Abel et ad munera eius; ad Cain vero et ad munera illius non respexit*, Genesis quarto [3]. De tertio, Lucae vigesimo primo de vidua, et Exodi trigesimo sexto: *Plus offert populus, quam necessarium est.* Et quoniam nondum erat cupiditas in clero, *iussit Moyses praeconis voce cantari, ut nec vir nec mulier quidquam offerat ultra in opere sanctuarii* etc. Nunc autem non sic, quia clerici facti sunt cupidi, et iusto iudicio Dei populus factus est avarus. Iam enim impletur in clericis illud Isaiae primo [4]: *Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.* Sed vae! quia, Iob decimo quinto, *ignis devorabit tabernacula eorum qui munera libenter accipiunt.*

De primo.

De secundo.

De tertio.

Pars II. De triplici excellentia in recipiente.

II. Circa secundum nota *excellentiam dignitatis* in persona recipiente, quae excellenter fuit in Christo. In ipso enim fuit excellentia dignitatis *regalis, iudicialis* et *pontificalis*. Primum respicit maiestatem, secundum sapientiam, tertium bonitatem. *Obtulerunt* ergo *ei munera* tanquam potentissimo *principi*, sapientissimo *iudici* et clementissimo *pontifici;* Psalmus [5]: *Reges Tharsis et insulae munera offerent* etc. Propter primum subdit: *Et adorabunt eum omnes reges terrae;* propter secundum: *Quia liberabit pauperem a potente* etc.; propter tertium: *Parcet pauperi et inopi.* — De primo, exemplum tertii Regum quarto, ubi dicitur, quod rex *Salomon erat in ditione sua habens omnia regna a flumine terrae Philisthiim.* Ab omnibus enim et singulis exhibenda est reverentia Christo *regi*, secundum figuram tertii Regum decimo, ubi dicitur, quod *singuli deferebant* Salomoni *munera* etc. Sed heu! multi hodie, dimisso honore Christi, imitantur Achaz, quarti Regum decimo sexto [6], qui, *cum collegisset argentum et aurum, quod invenire potuit in domo Domini et in thesauris regis, misit regi Assyriorum munera.* Alii imitantur Balac, Numerorum vigesimo secundo, qui *misit ad Balaam et principes, qui eum eo erant, munera. Mane autem facto, duxit eum ad excelsa Baal.* Iste Balaam divinator et hariolus fuit.

De primo.

De secundo.

Secundo sunt offerenda munera Christo *iudici* ad mitigandum iram; Proverbiorum vigesimo primo [7]: *Munus absconditum exstinguit iras.* Tunc autem est munus absconditum, quando *nescit sinistra, quid faciat dextera.* Sed vae! quia multi non imitantur Dominum, qui non recipit munera ad pervertendum iudicium; Deuteronomii decimo: *Dominus magnus et potens et terribilis, qui personam non accipit nec munera.* Hunc autem imitatus est Samuel, primi Regum duodecimo [8]: *Si de manu cuiusquam munus accepi* etc. Sed non tales filii eius, primi Regum octavo: *Non ambulaverunt filii* Samuelis *in viis eius* etc. Ideo dicitur cuilibet iudici Deuteronomii decimo sexto: *Non accipies personam nec munera* etc.

De tertio.

Tertio offerenda sunt munera Christo *pontifici* ad impetrandam misericordiam; Exodi vigesimo octavo [9]: *Portabitque Aaron iniquitates eorum, quae obtulerunt et sanctificaverunt filii Israel in cunctis muneribus et donariis suis.* Iste Aaron potest designare Christum; Isaiae quinquagesimo tertio: Omnes *languores nostros ipse tulit;* et ad Hebraeos septimo: *Talis decebat ut nobis esset pontifex, sanctus* etc. Pavcant igitur sacerdotes nostri temporis illud primi Regum secundo [10]: *Quare calce abiecistis victimam meam et munera mea* etc. Et hi sub specie placandi Deum culpam incurrunt; dicitur Ecclesiastici septimo: *Ne dicas: In oblatione munerum meorum respiciet Deus, et offerente me Deo Altissimo, munera mea suscipiet.*

Pars III. De sufficientia muneris tripliciis.

III. Circa tertium nota, quod ad hoc, quod *sufficientia* sit in munere oblato, oportet, quod offeratur Deo munus *temporalis beneficii, corporalis obsequii* et *spiritualis desiderii.* Primum in *auro*, secundum in *myrrha*, tertium in *thure*, quae *obtulerunt Magi.* — De primo praecessit figura Numerorum septimo [11], ubi dicitur, quod *principes* filiorum *Israel et capita familiarum obtulerunt munera coram Domino, sex plaustra* etc. — De secundo, Numerorum octavo: *Offeret Aaron Levitas* etc.; sic et modo offeruntur clerici; unde Isaiae quinquagesimo secundo: *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Levitis etiam dicitur [12]: *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum;* et ad Romanos duodecimo: *Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam* etc. — De tertio, Ecclesiastici quinquagesimo: *Perfectus est honor Domini, et munus*

De primo.

De secundo.

De tertio.

[1] Eadem divisio habetur infra in sermone I. Dominicae III. post Epiph., pars II. in fine.
[2] Matth. 2, 10. seq.; dein I. Par. 29, 17. et Matth. 5, 23.
[3] Vers. 4. seq.; dein Luc. 21, 2. seqq. et Exod. 36, 5. seq.
[4] Vers. 23; sequitur Iob 15, 34.
[5] Psalm. 71, 10-13; sequuntur III. Reg. 4, 21. et 10, 25.
[6] Vers. 8; sequitur Num. 22, 40. seq.
[7] Vers. 14; sequuntur Matth. 6, 3. et Deut. 10, 17.
[8] Vers. 3; et dein c. 8, 3. et Deut. 16, 19.
[9] Vers. 38; sequuntur Isai. 53, 4. et Hebr. 7, 26.
[10] Vers. 29; sequitur Eccli. 7, 11.
[11] Vers. 2. seq.; et dein c. 8, 11. et Isai. 52, 11.
[12] Lev. 11, 44; sequuntur Rom. 12, 1. et Eccli. 50, 21.

suum perfecerunt etc. *Perfectum est* enim hoc *munus*, quia non est possibilis additio. Qui enim dat totum desiderium suum et voluntatem, dando suum potissimum dat omne, quod habet et quod habere potest, immo et quod potest desiderare, secundum illud Gregorii [1]: « Tanta a sequentibus dimissa sunt, quanta ante a sequentibus concupisci potuerunt », super illo verbo: *Relictis retibus*, Matthaei quarto. Unde data voluntate ad obediendum alteri propter Deum, munus perficitur, et ex consequenti paradisus emitur. Unde Bernardus [2]: « Obedientia est nummus, quo paradisus caelestis emitur ». Ad quam nos etc.

Sermo VI [3].

Item, sermo fratris Bonaventurae in domo Praedicatorum Parisius, coram Universitate, quando Epiphania contigit in Dominica.

Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, Beniamin et Manasse, Psalmus [4].

In verbis propositis praedicit David Propheta
Divisio. Christi nati manifestationem desideratam, in quibus duo insinuat, scilicet Christi, infantis dignissimi, *sublimem magnitudinem* secundum Divinitatem aeternam, ibi: *Qui sedes super Cherubim;* eiusdem *apparitionem gratificam* secundum humanitatem assumtam, ibi: *manifestare coram Ephraim, Beniamin et Manasse,* quasi diceret Propheta: qui praesides cunctis caelestibus spiritibus per excellentiam magnificentiae, supremae manifestare cunctis hominibus per illos tres, et maxime gentibus, per declarationem humanitatis assumtae.

Notandum ergo circa haec, quod Propheta David orat, ut, quemadmodum Filius Dei, Verbum Patris, excedit et superexcellit omnem creaturam, tam angelicam quam humanam, pro eo, quod ipse imperans universaliter sedet super excelsa caelorum ut inacces-
Subdivisio. sibilis *lux*, ut invincibilis *virtus*, ut impretiabilis *salus*, ita se manifestare dignetur hominibus Verbum incarnatum secundum haec tria. Quod et fecit; nam se hodie manifestavit ut splendor lucis aeternae, ut Verbum virtutis immensae, ut salus naturae humanae.

Manifestavit enim se tali die ut *lux* insolita ap-
Primo, triplex manifestatio fit Magis. paritione stellae fulgentis, Matthaei secundo [5]; de qua manifestatione potest illud dici primae ad Timotheum tertio: *Manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, praedicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumtum est in gloria.* — Ut *virtus* in subita transmutatione naturae elementaris; Ioannis secundo [6]: *Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilaeae et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli eius.* — Ut *salus* in gratuita sanctificatione undae regenerantis; Ioannis primo: *Ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans;* hoc dixit Ioannes, quando Christus ivit ab baptismum suum [7]. Apparuit ergo Christus hodie nobis per diffusionem lucis ut *veritas*, per operationem virtutis ut *maiestas*, per sanctificationem aquae baptizantis ut *benignitas*.

Secundo, triplex manifestatio in mente.

luxta quem triplicem modum manifestat se spiritualiter omni se disponenti per sunm adventum in *mentem*, in quo quidem manifestatur nobis ut *lux* per revelationes praeclaras; Ecclesiastici sexto [8]: *Investiga* sapientiam, *et manifestabitur tibi.* — Ut *virtus* per operationes mirificas; Psalmus [9]: *Firmamentum est Dominus timentibus eum, et testamentum ipsius ut manifestetur illis.* — Ut *salus* per condescensiones benignas; ad Colossenses primo: *Mysterium, quod absconditum fuit a saeculis et generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis eius.*

Requiritur dispositio triplex.

Sed, quia Christus Iesus non manifestat se omnibus, sed solum debite se sibi conformantibus, notandum, quod manifestat se per *revelationes* praeclaras solum fideliter *credentibus;* Baruch quarto [10]: *Beati sumus, Israel, quia quae Deo placent manifesta sunt nobis.* — Per *operationes* mirificas solum fideliter *exspectantibus;* secundi Machabaeorum ultimo: *Suspendit autem Nicanoris caput in summa arce, ut evidens esset et manifestum signum auxilii Dei.* Hic est Christus, qui caput diaboli suspendit, auferendo ei potentiam etc. — Per *condescensiones* benignas solum ferventer *diligentibus;* Ioannis decimo quarto: *Qui diligit me diligetur a Patre meo, et ego diligam eum et manifestabo ei me ipsum.*

Explicantur tria omissa.

Primi, scilicet fideliter credentes, significantur per *Ephraim*, qui interpretatur frugifer; *sine fide impossibile est placere Deo* [11]. — Secundi, scilicet fideliter exspectantes, significantur per *Beniamin*, qui interpretatur filius dexterae, quia fixum habent cor, *ubi est Christus, in dextera* Patris. — Tertii, scilicet ferventer diligentes, significantur per *Manassen*, qui interpretatur oblivio, quia, obliti sui et mundi, totaliter exposiri sunt *in obsequium* Iesu *Christi*. Primi offerunt *aurum* intelligentiae refulgentis, in quantum vere credentes; secundi, *thus* confidentiae

---

[1] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 5. n. 2. — Sequitur Matth. 4, 20.

[2] Cfr. serm. 2. in Resurrect. Dom. n. 8. et serm. 2. de S. Andrea n. 1.

[3] Ex A fol. 87 v. et B fol. 17.

[4] Psalm. 79, 2. seq.

[5] Vers. 2: Vidimus stellam eius in oriente. — Sequitur I. Tim. 3, 16.

[6] Vers. 11; sequitur c. 1, 31.

[7] Verba *Hoc dixit* etc. sumta sunt ex B.

[8] Vers. 28. — Dein B addit: Haec est Sapientia aeterna, quam Magi inquisiverunt hodie per manuductionem creaturae. Et infra post *manifestetur illis* adiungit: Haec est fortitudo aeterna, quam per reverentiam invenerunt Magi hodie. Et post *sanctis eius:* Haec est clementia aeterna, quam invenerunt hodie Magi.

[9] Psalm. 24, 14. dein Col. 1, 26.

[10] Vers. 4; sequuntur II. Mach. 15, 35. et Ioan. 14, 21.

[11] Hebr. 11, 6; sequuntur Col. 3, 1. et II. Cor. 10, 5.

sursum agentis, in quantum vere sperantes; tertii, *myrrham* mortificationis carnis, in quantum amore ecstatico excedentes. Secundum quae omnia adoratus fuit hodie a tribus Magis, et oblata fuit sibi triplex differentia muneris.

Tertio. triplex manifestatio in judicio.

Secundum etiam hunc triplicem modum manifestabit se in die judicii, scilicet ut *lux* generaliter universis, et quantum ad personas et quantum ad conscientias; secundae ad Corinthios quinto [1]: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi* etc. — Ut *virtus* terribiliter malis, et quantum ad iram et quantum ad vindictam; Psalmus: *Deus manifeste veniet* etc. — Ut *salus* desiderabiliter viris justis, et quantum ad benevolentiam et quantum ad gloriam; Ecclesiastici decimo septimo: *Et pars Dei Israel facta est manifesta* [2].

Sermo VII [3].

Item, sermo fratris Bonaventurae apud Montem Pessulanum in Capitulo Fratrum, quando Epiphania fuit in Dominica.

Intrantes domum invenerunt Puerum cum Maria, Matre eius, Matthaei secundo [4].

Inventur Christus primo per fidem triformem.

Notandum ad aedificationem, quod invenitur Jesus, veritas, et adoratur et tenetur devotione sempiterna per *fidem*, qualis fuit pastorum, scilicet *caelicam* ex inspiratione; Sapientiae primo [5]: *Invenitur ab his qui non tentant illum* etc. — *Vividam* ex inflammatione; Proverbiorum octavo: *Ego diligentes me diligo, et qui mane vigilant ad me invenient me.* — *Devotam* ex affectione; Matthaei decimo tertio: *Inventa una pretiosa margarita* etc.

Secundo, per investigationem triformem.

Per *investigationem*, qualis fuit Magorum, scilicet *perspicacem* ex lucis radio; primi Paralipomenon vigesimo octavo [6]: *Scito Deum patris tui, et servito ei corde perfecto et animo voluntario. Si quaesieris eum, invenies.* — *Sobriam* ex pietatis studio; Matthaei decimo tertio: *Simile est regnum caelorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo, absconlit* etc. — *Religiosam* ex venerationis obsequio; Ieremiae vigesimo nono: *Cum quaesieritis me in toto corde vestro, et inveniar a vobis.*

Tertio, per contemplationem triformem.

Per *contemplationem*, qualis fuit in Maria, quae *invenit post triduum* [7]: plena *gratia* sursum agente; Iob vigesimo tertio: *Quis mihi tribuat, ut cognoscam et inveniam illum et veniam usque ad solium eius?* — Plena *fiducia* transformante; Canticorum octavo: *Quis mihi det te fratrem meum, ut inveniam te* etc. — Plena *tristitia* stimulante; Lucae secundo: *Invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum* etc. *Et dixit Mater eius ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce, pater tuus et ego dolentes quaerebamus te.*

Sermo VIII [8].

Summaria intentio Evangelii hodierni est haec, secundum Bonaventuram, in Epiphania Domini.

Cum natus esset Iesus in Bethlehem [9] etc.

In primo Evangelio explicatur nobis materia praesentis sacrae solemnitatis, quae est *apparitio* sive manifestatio Domini quinque modis, scilicet ut *signanter praemonstrata* in stella radiante; ut *nequiter aemulata* in Herode furente et congregante et exquirente et cogitante et simulante et insidiante; ut *dignanter exhibita* in domo, ubi erat *Puer cum Matre;* ut *venerabiliter suscepta* in Magorum reverenti adoratione; ut *sacramentaliter* sive mysteraliter *solemnizata* in triformis muneris oblatione. Divisio.

Sermo IX [10].

Item, sermo fratris Bonaventurae Fratribus Parisius, in Capitulo.

Surge, illuminare, Ierusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est, Isaiae sexagesimo [11].

Sacer Isaias, supermentaliter elevatus, in verbis istis hortatur populum Dei ad quatuor in hac praesenti solemnitate: primo, ad naturae lapsae *salutares conatus,* cum dicit: *Surge;* secundo, ad supercaelicae sapientiae *luciformes occursus,* cum dicit: *illuminare, Ierusalem;* tertio, ad desideratae Verbi incarnati praesentiae *felices contuitus,* cum dicit: *quia venit lumen tuum;* quarto, ad gratiae evangelicae oblatae omnibus *suaves amplexus,* cum dicit: *et gloria Domini super te orta est.* Divisio.

Circa omnia notandum, quod in ista celebritate solemni vere debemus *surgere* per devotionem, et *illuminari* supermentaliter ex praesentia Christi nati et manifestati et adorati: ad *visum* summae elegantiae sive pulcritudinis sub ratione splendoris aeterni in eo existentis; Ecclesiastici quinquagesimo primo [12]: *In sapientia eius luxit anima mea, et ignorantias meas illuminavi.* — Ad *auditum* summae harmoniae sub ratione Verbi increati ab eo prodeuntis; Apocalypsis decimo octavo [13]: *Terra illuminata est* Sorgendum ad quaqope actus secundum spiritualium.

---

[1] Vers. 10; sequuntur Ps. 49, 3. et Eccli. 17, 15.

[2] Cod. B hic divisiones addit sequentis sermonis, omissis locis Scripturae.

[3] Ex A fol. 89 v.

[4] Vers. 11.

[5] Vers. 2; sequuntur Prov. 8, 17. et Matth. 13, 46.

[6] Vers. 9; sequuntur Matth. 13, 44. et Ier. 29, 13. seq.

[7] Luc. 2, 46. seqq.; sequuntur Iob 23, 3; Cant. 8, 1. et Luc. 2, 46-48.

[8] Ex A fol. 90 r.

[9] Matth. 2, 1-12. — *Primum* ordine Evangelium est Matthaei.

[10] Ex A fol. 90 r.

[11] Vers. 1.

[12] Vers. 26. seq., ita sec. Septuag. et Iansenium; Vulgata legit: Insipientiam eius luxi. Animam meam direxi ad illam.

[13] Vers. 1; sequuntur Ps. 88, 16. seq.; Ps. 35, 10. et Luc. 1, 79.

a gloria eius. — Ad *gustum* summae dulcedinis sub ratione sapientiae comprehendentis utrumque, Verbum scilicet et splendorem, ab eo procedentis; Psalmus: *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt et in nomine tuo exsultabunt tota die.* — Ad *odoratum* summae fragrantiae sub ratione Verbi inspirati in corde ab eo emanantis; Psalmus: *In lumine tuo videbimus lumen.* — Ad *amplexum* summae laetitiae sive suavitatis sub ratione Verbi incarnati in eo permanentis; Lucae primo: *Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.*

Sermo X [1].

Item, sermo fratris Bonaventurae Fratribus de Lugduno.

Illuminare, Ierusalem, quia venit lumen tuum, Isaiae sexagesimo [2].

Sanctus Propheta Isaias, supercaelesti radio perlustratus, hortatur in ista sacra solemnitate electos Divisio. Dei ad tria, scilicet ad *refulgentias* supercaelestis sapientiae vigilanter participandas, cum dicit: *Illuminare;* ad *influentias* spiritualis gratiae supermentaliter degustandas, cum dicit: *Ierusalem;* ad *efficacias* singularis Verbi incarnati praesentiae praecordialiter recognoscendas, cum subdit: *quia venit lumen tuum.*

Circa haec omnia scire debemus, quod in Chri- n Christo sto, Verbo incarnato, fuerunt septem lumina mun- t septem dum illuminantia et mundo radiantia, *post* quae et *ad* quae et *secundum* quae fuit et est omnibus proficisci tutissimum. — Fuit enim in eo lumen radiantis *munditiae* corporis et animae vel animi; Psalmus [3]: *Confessio et pulchritudo in conspectu eius* etc.; Esther octavo: *Iudaeis nova lux oriri visa est.* — Radiantis *laetitiae* spiritus et faciei; Iob vigesimo nono [4]: *Lux vultus mei non cadebat in terram.* — Radiantis *sapientiae* caeli; Ecclesiastae octavo: *Sapientia hominis lucet in vultu eius, et potentissimus faciem illius commutabit.* — Radiantis *gratiae* Spiritus sancti; Proverbiorum decimo septimo: *In facie prudentis lucet sapientia;* Iob trigesimo septimo: *Lumen illius super terminos terrae.* — Radiantis *vitae* Evangelii; Ioannis octavo [5]: *Ego sum lux mundi; qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae.* — Radiantis *famae* praeconii; Ioannis quinto: *Ille erat lucerna ardens et lucens.* — Radiantis *gloriae* paradisi; Ioannis primo: *Erat lux vera* etc.; Ioannis duodecimo: *Ego lux in mundum veni, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat* etc.

Sermo XI [6].

Item, sermo fratris Bonaventurae apud Assisium.

Ubi est, qui natus est, rex Iudaeorum? Matthaei secundo [7].

In verbis istis Magi hi devotissimi duo faciunt: Divisio. primo profitentur in Verbo incarnato *benignitatem* carnis susceptae; secundo, *sublimitatem* maiestatis mundo inclinatae. Primum, ibi: *Ubi est, qui natus est;* secundum, ibi: *rex Iudaeorum.*

Circa totum notandum, quod Magi confitentur Magi confitentur sex Christum natum mundo universali: in nostrae con- fructus nativitatis versationis *speculum exemplare;* Isaiae nono [8]: *Par-* Christi. *vulus natus est nobis, et filius datus est nobis* etc., *Pater futuri saeculi.* — In nostrae conversationis *solatium praecordiale;* Ruth ultimo: *Natus est filius Noemi,* dicebant illae mulieres. — In nostrae eruditionis *documentum speciale;* Ioannis decimo octavo [9]: *Ego in hoc natus sum et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* — In nostrae devotionis *indumentum supermentale;* Actuum septimo: *Eodem tempore natus est Moyses et fuit gratus Deo.* — In nostrae redemptionis *pretium singulare;* Lucae secundo: *Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David.* — In nostrae glorificationis *praemium sempiternale;* Ecclesiastici quadragesimo nono: *Ioseph natus est homo, princeps fratrum, firmamentum gentis* etc.

Sermo XII [10].

Item, sermo fratris Bonaventurae apud Viennam.

Ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui, Isaiae sexagesimo [11].

Circa sapientes et nobiles Magos, devotissimos Verbo incarnato, et omnes imitatores eorum duo in his verbis notantur, scilicet divinae bonitatis super- Divisio. influentis *liberalitas,* cum dicitur: *Ambulabunt gentes in lumine tuo;* ipsius apparitionis Christi luciformis et formosa *celebritas,* cum dicitur: *et reges in splendore ortus tui.*

Circa haec notandum, quod *ambulare* ad Christum et ire post eum et credere in eum et sequi eum exemplo Magorum sapientissimorum docent haec, scilicet lumina radiantia novem, scilicet: lumen *na-* Lumina novem. *turalis intelligentiae;* Psalmus [12]: *Signatum est super*

---

[1] Ex A fol. 90 v.
[2] Vers. 1.
[3] Psalm. 95, 6. et Esth. 8, 16.
[4] Vers. 24; sequuntur Eccle. 8, 1; Prov. 17, 24. et Iob 37, 3.
[5] Vers. 12; sequuntur c. 5, 35; 1, 9. et 12, 46.
[6] Ex A fol. 91 r.
[7] Vers. 2.
[8] Vers. 6. et dein Ruth 4, 17.
[9] Vers. 37; sequuntur Act. 7, 20; Luc. 2, 11. et Eccli. 49, 17.
[10] Ex A fol. 91 r.
[11] Vers. 3.
[12] Psalm. 4, 6.

nos lumen vultus tui, Domine, dedisti laetitiam in corde meo. — Lumen *supercaelestis sapientiae;* Ecclesiastici quinquagesimo primo [1]: *In sapientia eius luxit anima mea, et omnes ignorantias meas illuminavit.* — Lumen *septiformis gratiae;* Lucae primo [2]: *Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* — Lumen *puleriformis* ipsius *vitae;* Ioannis primo: *Et vita erat lux hominum;* Baruch quarto: *Convertere, Iacob, et apprehende eum, ambula per viam ad splendorem eius contra lumen eius.* — Lumen *deiformis* ipsius *innocentiae;* Iob vigesimo nono [3]: *Lux vultus mei non caligabat in terram.* — Lumen *luciformis* eius *doctrinae;* Ioannis duodecimo: *Ego lux in mundum veni, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat.* — Lumen *redolentis* ipsius *famae;* Ioannis octavo: *Ego sum lux mundi; qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae.* — Lumen *finalis* ipsius *patientiae;* Esther octavo [4]: *Iudaeis,* id est confessoribus catholicae fidei, *nova lux oriri visa est, gaudium, honor et tripudium,* de Christi passionis admirando fructu. — Lumen *sempiternalis* ipsius *gloriae;* Isaiae sexagesimo: *Surge, illuminare, Ierusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est.*

Sermo XIII [5].

Item, sermo fratris Bonaventurae Parisius, coram rege et familia.

Vidimus stellam eius in oriente et venimus adorare eum, Matthaei secundo [6].

Magi hi, primitiae gentium salvandarum, in his verbis duo faciunt: primo enim in ipso Puero nato confitentur *omnipotentiam creatricem,* cum dicunt: *Vidimus stellam eius in oriente,* id est, quam creavit ipse cunctorum Creator; secundo confitentur in ipso *sapientiam gubernatricem,* propter quam dicunt: *et venimus adorare eum,* sicut qui cuncta gubernat. Divisio.

Circa haec notandum, quod stella praecedens Magos sapientes et devotos octo conditiones differentes ab aliis stellis habebat, in quibus octo sacramenta spiritualia contineri advertere poterant, quibus trahentibus ad Christum currebant, et hodie debet currere omnis homo sive omnis devota anima. Nam stella ilia ex sua *novitate,* quia de novo creata erat, demonstrabat per Christum natum universalem mundi *renovationem;* Numerorum vigesimo quarto [7]: *Orietur stella ex Iacob, et consurget virga ex Israel* etc. — Ex insolita *claritate,* quia de die sicut de nocte incebat, demonstrabat aeternae sapientiae universalem per eum mundo *irradiantium;* primae ad Corinthios decimo quinto: *Stella a stella differt in claritate.* — Ex miranda *magnitudine,* quia maxima apparebat, demonstrabat nati maiestatem et humanitatis eius futuram *exaltationem;* Matthaei secundo: *Videntes autem stellam, gavisi sunt gaudio magno valde.* — Ex sua *vicinitate,* quia prope in aëre stabat, demonstrabat ipsius pietatem sive fontalem *condescensionem;* Matthaei secundo [8]: *Et ecce, stella, quam viderant, antecedebat eos, usque dum veniens staret supra, ubi erat Puer.* — Ex sua *regularitate,* qua ordinate incedebat, demonstrabat ipsius nati conversationis *sanctitatem* et *religionem* et *ordinem;* Ecclesiastici quinquagesimo: *Quasi stella matutina in medio nebulae et quasi luna plena in diebus suis lucet, et quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei.* — Ex sua *singularitate,* qua non habebat similem suae naturae, gratiae, doctrinae et famae, demonstrabat ipsius *claritatem* incomparabilem; Apocalypsis ultimo [9]: *Ego sum radix et genus David, stella splendida et matutina.* — Ex sua *gratiositate* et venustate demonstrabat suae innocentiae et gloriae *pulcriformitatem* inaestimabilem; Iob trigesimo octavo: *Nunquid producis luciferum in tempore suo et vesperum super filios terrae consurgere facis?* — Ex *pueri et crucis forma* sive repraesentatione secundum Chrysostomum narrantem super Matthaeum [10], — qui hoc dicit se in quibusdam apocryphis invenisse, non quidem *fidem destruens,* sed potius *delectans,* ut dicit ipse — demonstrabat suae innocentiae *perfectionem* et passionis fructum medicinalem; Apocalypsis secundo [11]: *Dabo illi,* scilicet populo christiano, dicit Deus Pater, *stellam matutinam,* per influentiam efficacem et fructum universaliter utilem.

Clara. Magna. Vicina. Regularis Singularis Gratiosa. Cum forma pueri et crucis.

Sermo XIV [12].

Item, sermo fratris Bonaventurae, Parisius coram Fratribus.

Surge, illuminare, Ierusalem [13].

Illuminatur anima Ierosolymitana per *fixionem aspectus* in splendoribus aeternis; Isaiae quinquagesimo octavo [14]: *Implebit splendoribus animam tuam;* ad Ephesios quinto: *Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus.* — Per *suspensionem auditus* concentibus angelicis; Iob trigesimo octavo [15]: *Ubi eras, cum me laudarent simul*

Illuminatur Ierusalem per quinque actus seguum spiritualium.

Stellae istius 8 conditiones mysteriosae.

Est nova.

[1] Vers. 26. seq.; cfr. supra pag. 166, nota 12.
[2] Vers. 79; sequuntur Ioan. 1, 4. et Bar. 4, 2.
[3] Vers. 24; sequuntur Ioan. 12, 46. et c. 8, 12.
[4] Vers. 16; sequitur Isai. 60, 1.
[5] Ex A fol. 91 v.
[6] Vers. 2.
[7] Vers. 17; sequuntur I. Cor. 15, 41. et Matth. 2, 10.
[8] Vers. 9; sequuntur Eccli. 50, 6. seq.
[9] Cap. 22, 16; sequitur Iob 38, 32.
[10] Opus imperfect., homil. 2, ubi longior de hoc narratio.
[11] Vers. 28. [12] Ex A fol. 92 v.
[13] Isai. 60, 1.
[14] Vers. 11. et Eph. 5, 14.
[15] Vers. 4. 7; sequitur Cant. 1, 3.

astra matutina, et iubilarent omnes filii Dei. — Per *attractionem olfactus* supercaelicis sponsalibus unguentis; Canticorum primo: *In odorem unguentorum tuorum curremus.* — Per *assuefactionem gustus* charismatibus sive suavitatibus divinis; Ecclesiastici quinquagesimo primo [1]: *In sapientia eius luxit anima mea* etc. — Per *astrictionem tactus* Iesu sacris amplexibus; Canticorum tertio: *Inveni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam.*

Sermo XV [2].

Item, sermo fratris Bonaventurae apud Lugdunum.

Videntes stellam Magi gavisi sunt gaudio magno valde, Matthaei secundo [3].

In verbis his specialiter tria notantur: primum est infantis Iesu hodie manifestati luciformis universaliter *elegantia;* secundum est Magorum et similium intellectualis signanter in fide *perspicacia;* tertium est omnium fidelium Christo nato conformium supermentalis excedenter *laetitia.* Primum, ibi: *Stellam,* id est Christum natum; secundum, ibi: *videntes Magi;* tertium, ibi: *gavisi sunt gaudio magno valde.*

Divisio.

Circa haec nota, quod Infans, dignissimus Iesus, in sua apparitione manifestavit se mundo in persona devotorum Magorum sicut *stellam: altissimam* ratione sublimitatis utriusque naturae; Apocalypsis ultimo [4]: *Ego sum radix et genus David, stella splendida et matutina.* — *Splendidissimam* ratione claritatis fontalis sapientiae; Ecclesiastici quinquagesimo: *Quasi stella matutina in medio nebulae.* — *Pulcriformem* ratione puritatis universalis innocentiae; Numerorum vigesimo quarto: *Orietur stella ex Iacob, et consurget virga de Israel.* — *Efficacissimam* ratione multiformitatis universalis gratiae; Apocalypsis secundo: *Dabo illi,* populo christiano, *stellam matutinam.*

Stella com[a] oraerogalitis.

Sermo XVI [5].

Item, sermo fratris Bonaventurae, Parisius.

Dominus rex noster, Dominus legifer noster, Dominus iudex noster, ipse salvabit nos, Isaiae trigesimo tertio [6].

In his verbis in persona devotorum Magorum assumtis tria eleganter notantur, quae ipsi Regi nato, Imperatori aeterno, ascribuntur. Primum est regalis excellentiae *sublimitas,* cum dicunt: *Dominus rex noster;* secundum est immensae sapientiae *claritas,* cum addunt: *Dominus legifer noster;* tertium est potestatis iudiciariae *dignitas,* cum subdunt: *Dominus iudex noster.*

Divisio.

Quantum ergo ad primum dicitur Dominus *rex noster,* et ideo debemus ei exemplo Magorum: quantum ad intentivam *intentionis puritatem;* Proverbiorum vigesimo secundo [7]: *Qui diligit cordis munditiam propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem.* — Quantum ad intellectivam *contemplationis sublimitatem;* Canticorum tertio: *Egredimini, filiae Sion, et videte regem Salomonem* etc. — Quantum ad potestativam *humiliationis profunditatem;* Proverbiorum vigesimo quinto: *Ne gloriosus appareas coram rege, et in loco magnorum ne steteris.* — Quantum ad affectivam *devotionis suavitatem;* Canticorum primo: *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.*

Regi debemos praestare quatuor.

Sermo XVII [8].

Item, sermo fratris Bonaventurae in Provincia Alemanniae superioris.

Ambulabunt gentes in lumine tuo et reges in splendore ortus tui, Isaiae sexagesimo [9].

In verbis his describitur manifestatio Christi dignissimi animi et dignissimae virtutis ut *solemniter celebrata* ab omnibus nobilibus et inferioribus, cum dicitur: *Ambulabunt gentes et reges;* ut *luciformiter demonstrata* a luminaribus et fulgoribus caelestibus, cum dicitur: *in lumine tuo et in splendore ortus tui.*

Divisio.

Circa haec notandum, quod ad Verbi incarnati manifestationem perfectam et universalem concurrerunt: lumina et splendores *divinae maiestatis* supersplendenter radiantis ad revelationem; Lucae secundo [10]: *Lumen ad revelationem gentium et gloriam plebis tuae Israel; quod parasti ante faciem omnium populorum.* — *Assumtae humanitatis* deiformiter relucentis ad confortationem; Esther octavo: *Iudaeis nova lux oriri visa est.* — *Angelicae claritatis* excellenter confulgentis ad annuntiationem; Lucae secundo: *Ecce, Angelus Domini stetit iuxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos* etc. — *Matris Virginis* parientis pulcriformiter resplendentis ad gratificationem; Iob vigesimo nono [11]: *Lux vultus mei non cadebat in terram.* — *Sideris dirigentis* mirabiliter clarescentis ad ostensionem; Psalmus: *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt* etc.

Quoque lumina.

---

[1] Vers. 26. seq.; vide supra pag. 166, notam 12. — Sequitur Cant. 3, 4.
[2] Ex A fol. 92 v.
[3] Vers. 10.
[4] Cap. 22, 16; sequuntur Eccli. 50, 6; Num. 24, 17. et Apoc. 2, 28.
[5] Ex A fol. 93 r.
[6] Vers. 22.
[7] Vers. 11; sequuntur Cant. 3, 11; Prov. 25, 6. et Cant. 1, 11.
[8] Ex A fol. 93 r.
[9] Vers. 3.
[10] Vers. 32. 31; sequuntur Esth. 8, 16. et Luc. 2, 9.
[11] Vers. 24; sequitur Ps. 88, 16.

Sermo XVIII [1].

Item, sermo fratris Bonaventurae in Provincia Provinciae.

Ubi est, qui natus est, rex Iudaeorum [2]?

In verbis his Magi devoti describunt infantem
Divisio. Christum natum dupliciter, id est ut singulariter mundo *admirabilem*, et humiliter omni animo *venerabilem*. Primum, ibi: *Ubi est qui natus est?* secundum, ibi: *rex Iudaeorum*.

Circa haec notandum, quod Christus natus et hodie Magis in persona omnium fidelium manifestatus debet de merito ab omnibus coli et honorari,
Christus cu- iendus propter 4 ratio- nes. quia ut rex noster habet: *nobilitatem excellentiae* in praesidendo; Apocalypsis decimo nono [3]: *Habet in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium. — Profunditatem sapientiae* in gubernando; Sapientiae sexto: *Rex sapiens stabilimentum populi est. — Liberalitatem munificentiae* in largiendo; primi Machabaeorum primo: Cornrit rex Alexander *et vocavit pueros suos nobiles, qui secum erant nutriti a iuventute, et divisit illis regnum, cum adhuc viveret. — Formositatem praesentiae* in beatificando; Isaiae trigesimo tertio: *Regem in decore suo videbunt oculi eius* etc.

Sermo XIX [4].

Item, sermo fratris Bonaventurae Monialibus de sancta Clara.

Surge, illuminare, Ierusalem, quia venit lumen tuum [5].

Sacer Isaias, sancto inspiratus flamine, in verbis istis hortatur populum Dei ad tria pro praesenti solem-
Divisio. nitate almae Dei Epiphaniae, et hortatur primo ad *studium spiritualis diligentiae*, cum dicit: *Surge;* secundo, ad *intellectum supersplendentis gloriae*, cum addit: *illuminare, Ierusalem;* tertio, ad recognoscendum *beneficium incarnationis gratiae*, cum subdit: *quia venit lumen tuum*.

Circa haec omnia nota, quod si in ista sacra solemnitate volumus propheticis verbis adhaerere, de-
Quatuor a nobis prae- standa. bemus surgere: ad evangelica *mysteria meditanda;* Ieremiae trigesimo primo [6]: *Surgite, et ascendamus in Sion*, id est ad speculandam altitudinem sapientiae evangelicae, maxime in his quae spectant ad solemnitatem huius diei. — Ad divina *beneficia memoranda;* Psalmus: *Surgite, postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.* — Ad Christi nati et manifestati *magnalia praedicanda;* Canticorum secundo: *Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni.* — Ad ipsius vitae *exempla imitanda* et recolenda; Canticorum tertio: *Surgam et circuibo civitatem, per vicos et plateas quaerum quem diligit anima mea.*

Sermo XX [7].

Item, sermo fratris Bonaventurae ad Carthusienses Fratres.

Surge, illuminare, Ierusalem [8].

Pro ista sacra solemnitate tria facit Propheta, Divisio. divino radio illustratus: primo *revocat a* mentis miserabili *tepiditate*, cum dicit: *Surge;* secundo *advocat ad* lucis aeternae *aspectum* et claritatem, cum subdit: *illuminare;* tertio *informat ad* pacis et devotionis aeternae *suavitatem*, cum addit: *Ierusalem*, quae est visio pacis.

Circa totum nota, quod qui vult apparitionem Domini hodiernam venerabiliter et fructuose celebrare,
Quatuor nobis prae- standa. debet surgere: ad *rememorandum* Christi manifestati universalem *puritatem*, et ex hoc provocari ad evangelicam castitatem; Ieremiae trigesimo primo [9]: *Surgite, et ascendamus in Sion.* — Ad *ruminandum* Christi manifestati universalem *mendicitatem*, et ex hoc animari ad altissimam paupertatem; Michaeae primo: *Surgam et vadam discalceatus et nudus* etc. — Ad *contemplandum* Christi manifestati universalem *humilitatem*, et ex hoc inclinari ad profundissimam humilitatem; Ionae tertio [10]: *Surrexit rex Ninive de solio suo et indutus est sacco.* — Ad meditandum Christi manifestati universalem *caritatem*, et ex hoc accedere ad profundissimam pietatem; Canticorum secundo: *Surge, propera, amica mea* etc.

Sermo XXI [11].

Item, sermo fratris..... in domo Praedicatorum de Lugduno, coram eis in Capitulo.

Surge, illuminare, Ierusalem [12]. — Hierosolymitanus homo, id est religiosus vir, illuminatur divini-
Quadruplex illuminatio. tus: per *conversionem animae* ad sua interiora; Iob vigesimo nono [13]: *Quando secreto Deus erat in tabernaculo meo, et ad lumen eius ambulabam in tenebris.* — Per *expansionem potestativae* super omnia mundialia; Iob trigesimo septimo: *Lumen illius super terminos terrae.* — Per *elevationem affectivae* sive transformationem in sublimia; Psalmus: *In lumine tuo videbimus lumen.* — Per *admirationem intellectivae* super caelica sapientialia et aeterna; Ecclesiastici ultimo [14]: *In sapientia eius luxit anima mea, et omnes ignorantias meas illuminavit.*

---

[1] Ex A fol. 93 v.
[2] Matth. 2, 2.
[3] Vers. 16; sequuntur Sap. 6, 26; I. Mach. 1, 6. seq. et Isai. 33, 17.
[4] Ex A fol. 94 r.
[5] Isai. 60, 1.
[6] Vers. 6; sequuntur Ps. 126, 2. et Cant. 2, 10. et 3, 2.
[7] Ex A fol. 94 r.
[8] Isai. 60, 1.
[9] Vers. 6; sequitur Mich. 1, 8; Vulgata: Vadam spoliatus et nudus.
[10] Vers. 6. et Cant. 2, 10.
[11] Ex A fol. 94 v. — Nomen *Bonaventurae* in originali legi nequit.
[12] Isai. 60, 1.
[13] Vers. 4. 3; sequuntur c. 37, 3. et Ps. 35, 16.
[14] Cap. 51, 26; vide supra pag. 166, notam 12.

DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIAE.

Sermo I [1].

Fili, quid fecisti nobis sic? Ego et pater tuus dolentes quaerebamus te, Lucae secundo [2].

Prothema. *Sine me nihil potestis facere.*

Verbum secundo loco propositum est verbum divinae Veritatis loquentis in Evangelio Ioannis decimo quinto ad illos quorum sollicitudo versatur sacrae Scripturae indaginem perscrutari; quod quidem videtur in se continere quandam tantum redargutionem, quae fit contra illos qui sunt in tali negotiatione de suo ingenio praesumentes et bonum eis a Deo revelatum suis phantasticis adinventionibus imputantes; ad quorum opprobrium Scriptura loquitur dicens: *Fornicati sunt in adinventionibus suis* [3]. Cum ergo secundum Apostolum, secundae ad Corinthios tertio, *non simus sufficientes cogitare aliquid a nobis tanquam ex nobis;* ideo ad eum fiducialiter recurramus, *qui dat omnibus affluenter et non improperat,* humiliter impetrantes, ut mihi aliquid de suae gratiae influentia largiri dignetur, ut possim dicere ea quae sunt ad laudem etc. trodoctio.

Fili, quid fecisti nobis etc. Quoniam non sine magno dolore amittitur quod cum magno amore possidetur, hinc est, quod beata Virgo de amissione corporalis praesentiae dilecti ac unici Filii sui, quem tenerrime ac super omnia diligebat, multiplicis doloris aculeo in animo colaphizabatur. Vix enim dabat *somnum oculis et requiem* [4] pedibus, donec inveniret eum *in medio doctorum* in Ierusalem. Ut autem vidit eius faciem gratiosissimam, *gaudens gaudio magno* et laetitia ineffabili; licet breviter locuta fuerit, sicut virgo verecunda, tamen verbum protulit magnae prudentiae et magnae sapientiae, dicens: *Fili, quid fecisti nobis sic* etc. In quo quidem verbo tanquam virgo prudentissima primo praemittit *dulcedinem benignae allocutionis* in ore, cum dicit: *Fili, quid fecisti nobis?* secundo exprimit *amaritudinem magnae tribulationis* in corde, cum subdit: *Ego et pater tuus dolentes;* tertio adiungit *sollicitudinem discretae inquisitionis* in opere, cum subinfert: *quaerebamus te;* et sic in isto brevi verbo tanquam prudentissima insinuavit, se Deo dedisse *cogitationem cordis, locutionem oris* et *operationem totius corporis.* Sermo. Divisio.

I. Primo ergo in verbo proposito notatur *dulcedo benignae allocutionis* in ore, cum dicit: *Fili* mi. Et merito Iesus, bonus filius, erat dulciter alloquendus. Nam si quilibet bonus filius est gaudium et laetitia matris suae, multo fortius bonus filius, puer Iesus, erat gaudium et laetitia Virginis Matris, eo quod in ipso erant tria specialiter, quae omnem animam in eius desiderium et amorem alliciunt: primo, *pulcritudo venustatis* et *pudicitiae* in mente et corpore; secundo, *dulcedo pietatis* et *plenitudo sapientiae* in ore; tertio, *mansuetudo tractabilitatis* et *patientiae* in opere. Cum enim haec tria sint perfectissime in puero Iesu, bene est gaudium et laetitia Matris suae. Pars 1. Subdivisio.

Primo in Filio Virginis gloriosae erat *pulcritudo venustatis et pudicitiae* in mente et corpore; unde Psalmus [5]: *Speciosus forma prae filiis hominum;* nec immerito, quia nullus fuit sine peccato actuali vel originali nisi solus puer Iesus, qui *est candor lucis aeternae et speculum sine macula Dei maiestatis.* Hic est ille Salomon verus et gloriosissimus, de quo Proverbiorum quarto: *Ego filius fui patris mei tenellus, et unigenitus coram matre mea.* — Vere puer Iesus erat *tenellus,* per aeternam emanationem, *Filius* Dei Patris, eo quod delicate nutritus in veris deliciis Deitatis; et *unigenitus coram* Virgine *Matre* sua per assumtionem carnis, ut sic oculis depuratis ab omni lippitudine peccati sit iucundum et delectabile intueri ipsum secundum duplicem visum hominis, scilicet *interiorem* quantum ad Deitatem, et *exteriorem* quantum ad humanitatem. Pulcritudo et pudicitia in Christo.

Secundo in Filio Virginis gloriosae erat *dulcedo pietatis* et *plenitudo sapientiae* in ore; unde Proverbiorum decimo [6]: *Filius sapiens laetificat patrem, filius autem stultus moestitia est matris suae.* Licet sapiens puer Iesus sit laetitia Patris et gloria secundum aeternam generationem, eo quod *est splendor gloriae et figura substantiae eius;* tamen est non tantum laetitia Patris, sed etiam Matris in natura assumta per gloriosam in mundo conversationem, eo quod sapienter docuit, sapientius vixit et sapientissime mala poenae toleravit. Et sic veritate doctrinae rationalem illuminavit, sanctitate vitae concupiscibilem informavit, exemplaritate patientiae irascibilem perfecit. Quidquid enim verbo docebat facto concordabat, quia primo *coepit facere,* postea *docere.* Item, pietas et sapientia.

Tertio in Filio Virginis gloriosae erat *mansuetudo tractabilitatis et patientiae* in opere; unde Isaiae nono [7]: *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius.* — *Parvulus,* inquit Propheta, *natus est* Item, mansuetudo doplex.

---

[1] Habetur in Vaticana, et correctus est subsidiis codicum C D E F; paulo brevior habetur etiam in cod. Tudertino n. 104. fol. 82 v. Schema sermonis vide infra pag. 173.

[2] Vers. 48. Prothema ex cod. C habetur Ioan. 15, 5.

[3] Psalm. 105, 39; sequuntur II. Cor. 3, 5. et Iac. 1, 5.

[4] Respicitur Ps. 131, 4. et dein Luc. 2, 46. et Matth. 2, 10.

[5] Psalm. 44, 3; sequuntur Sap. 7, 26. et Prov. 4, 3.

[6] Vers. 1; sequuntur Hebr. 1, 3. et Act. 1, 1.

[7] Vers. 6; sequuntur Phil. 2, 7. et Luc. 14, 11.

nobis; ecce, humilitas Dei in resiliendo. Nam cum esset magnus Dominus, rex excelsus, resilivit in figuram pueri parvuli, *formam servi accipiens.* Et ob hoc, quia in descendendo fuit ceteris humilior, ideo secundum regulam infallibilem divinae institiae, quae est: *Qui se humiliat exaltabitur,* fuit in ascendendo omnibus aliis sublimior. *Et filius datus est*

Tractabilitas. *nobis;* ecce, tractabilitas *obedientiae* in non resistendo. Cum enim *Deus* Pater *sic diligeret mundum, ut Filium suum unigenitum daret*[1]; non fuit in resistendo pertinax, sed tractabilis in acquiescendo

Patientia. voluntati Patris. *Et factus est principatus super humerum eius;* ecce, mansuetudo *patientiae* in sustinendo; non enim fuit sibi datus gratis caelestis principatus, immo multo labore et dolore eum acqui-

Supposuit se oneribus Legis. sivit, supponendo humerum suum oneribus Legis, cum tamen liber a peccatis esset et Legi non subderetur de iure, sed tantum de voluntate; supponendo

Item, laboribus et doloribus crucis. cruci humerum suum[2] laboribus et doloribus mortis; et quanto eius apparuit caro deformis et pallida in moriendo, tanto summa pulcritudine et decentia fuit circumdata in resurgendo. Unde qui videbatur proiici velut semen in terram cum verecundia,

Moditio. resurrexit et crevit in summam gloriam. — Nullus ergo metuat atteri doloribus in corde, ieiuniis affligi in corpore, quia tanto eius caro resurget gloriosior, quanto pro Christo fuit humilior, *qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae*[3].

II. Sequitur secundo: *Ego et pater tuus dolen-*

Pars II. *tes,* ubi notatur *amaritudo profundae tribulationis* in corde. Certe, non miror, Virgo gratiosa, si tribularis in corde, si habes amaritudinem, si habes dolorem; mirarer autem, si non doleres, eo quod amisisti dilecti tui Filii praesentiam corporalem, quae multis consolationibus replebat animam tuam. Et licet Virgo gloriosa multos dolores, multas tribulationes et amaritudines habuit in hoc mundo de Filio,

Dolor triplex in B. Virgine. possumus tamen dicere ad praesens, quod triplicem habuit dolorem: doluit enim primo in *amissione* corporalis sui Filii praesentiae; secundo, in *visione* passionis dominicae; tertio, in *compassione* obcaecationis Iudaicae.

Primo habuit dolorem in *amissione filialis prae-*

De primo. *sentiae;* unde in Psalmo[4]: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuae laetificaverunt animam meam.* Potest esse verbum Matris Virginis alloquentis dilectum Filium suum, postquam eum invenit, quasi dicat: *Secundum multitudinem dolorum meorum,* quos habui de amissione tuae corporalis praesentiae, *consolationes tuae laetificaverunt animam meam,* in visione tuae faciei divinis splendoribus irradiatae. Quid iucundius quam videre hominem hominis Conditorem? Delectabilis ad videndum, suavis ad habendum, dulcis ad perfruendum, ipse per se placet, per se sufficit ad praemium.

Secundo doluit in *visione passionis dominicae;* De secundo unde dicitur Threnorum primo[5]: *Attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus.* Audiamus Virginis Matris Mariae lamentabilem vocem et attendamus eius vehementem dolorem, et videbimus, quia non *est dolor sicut dolor* eius, excepto dolore Filii, ad cuius exemplar dolor suus assimilatur. Mira enim et incredibili compassione tenebatur atque verbis nostris inexplicabili sermone. Dolores namque, pla- Notandum. gas et opprobria Filii in se retorquens, in suam propriam personam recipiebat, *sentiens quod et in Christo Iesu.* In animo enim illi martyri commartyr astabat, vulnerato convulnerata, crucifixo concrucifixa, gladiato congladiata. Nam suam *ipsius animam pertransivit gladius* passionis Christi. Pallebat enim decor munditiae et a naturali pulcritudine tabescebat, et ipsa tabescebat, quia talis in ipsa relucebat effigies, qualis ab obiecto corpore, scilicet Filii, resultabat. Sordebat sputis facies gloriosa, sordebat et ipsa luctu moestitiae. Non enim alium habitum praetendebat amans, nisi qualem virtus amoris expresserat ab amato. — O gens ingrata! nunquam Increpatio. nigrescimus a gloria solari, nunquam pallescimus cum Christo, nunquam deponimus ornatus, memores Christi nudi. Quis mihi dabit nigrescere cum Christo et pallescere cum Maria Matre eius et erubescere et deficere a memetipso, ut partem habeam in passione Domini mei? Ait Bernardus[6]: « Non erubescit sponsa nigredinem, quam novit praecessisse et in Christo sponso, quia profecto nihil gloriosius sibi putat quam Christi portare opprobrium: Unde *vox* illa prorsus *exsultationis et salutis: Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi* ». Puto enim, quod flere amarissime erat ei solatium[7].

Tertio doluit in *compassione obcaecationis Iu-* De tertio. *daicae;* unde in Psalmo[8]: *Super dolorem vulnerum meorum additerunt.* Tanta enim compassione Regina misericordiae dolebat de obcaecationis malitia Iudaeorum, eo quod apponebant iniquitatem super iniquitatem, spernendo illud magnum sacramentum et vilipendendo illud saluberrimum medicamentum passionis Christi et antidotum, quo sanabatur infirmus populus humanus, ut videretur ei *addi dolor super dolorem vulnerum* mentalium, quae vulnera gladius passionis Filii sui in sua anima expresserat. Non enim irae stimulo furens nec odii facibus exardens, sed mansuetum animum per compassionem exasperantibus praebebat, non vicem reprendere cogitans, tantas iniurias indulgebat. Singulari

[1] Ioan. 3, 16.
[2] Verba *oneribus Legis* etc. sumta sunt ex D.
[3] Vers. 21.
[4] Psalm. 93, 19.
[5] Vers. 12; sequuntur Phil 2, 5. et Luc. 2, 35.
[6] Sermo 25. in Cant. n. 8., ubi respicitur Ps. 117, 15. et Gal. 6, 14.
[7] Verba *Puto enim* etc. sumta sunt ex cod. Tudertino.
[8] Psalm. 68, 27.

enim compassione [1] Maria omnem malignitatem eorum superans, iniuriam obliviscens, potius eorum compatiebatur insaniae, totaliter cohaerens supernae dulcedini, quae se totam illo tempore diffundebat super peccatores.

Pars III. III. Tertio introducit *sollicitudinem discretae inquisitionis* in opere, cum dicit: *quaerebamus te.* Valde enim fuit sollicita et diligens beata Virgo in *inquirendo*, licet non fuerit negligens in *amittendo.* Nam consuetudo apud Iudaeos secundum expositores [2] haec erat, quod in processionibus et itineribus, dum ascendebant in templum, et etiam dum morarentur in ipso, viri absque consortio mulierum et mulieres similiter seorsum ibant, et sic etiam redibant. Pueri autem non tenebantur hac lege, sed quandoque cum patribus pergebant, quandoque cum mulieribus. Unde Virgo Maria putavit, ipsum esse cum Ioseph in comitatu virorum, et Ioseph putavit, puerum Iesum esse cum Maria in comitatu feminarum. Et haec consuetudo introducta erat causa honestatis ad custodiam castitatis. Et sic patet, quod non fuit negligens in amittendo, sed valde fuit sollicita et diligens in
ubdivisio. inquirendo, eo quod quaesivit eum primo, cum *rectitudine conscientiae* in credendo; secundo, cum *latitudine benevolentiae* in diligendo; tertio, cum *certitudine confidentiae* in exspectando; ut sic, tanquam forma et speculum Christianorum, daret exemplum recte quaerendi Christum.

quaeren- modn pri- i. Primo quaesivit eum cum *rectitudine conscientiae* in credendo; unde dicitur Sapientiae primo [3]: *In simplicitate cordis quaerite illum, quoniam invenitur ab his qui non tentant illum; apparet autem eis qui fidem habent in illum. — Quaerite illum,* per continuationem devotae orationis; *in simplicitate cordis,* per puritatem intentionis et innocentiam operis, ut nulla sit duplicitas interius, nulla falsitas exterius, sed totaliter cor convertatur in Deum nec reflectatur in suum commodum nec elevetur per favorem humanum; *quoniam invenitur ab his qui non tentant illum,* per praesumtionem temerariae inquisitionis. Unde Augustinus libro decimo sexto contra Faustum [4]: « Praesumtio tumidae arrogantiae oculum cordis vel claudit, ut omnino non videat; vel distorquet, ut perverse videat et aliud pro alio probet vel improbet ». *Apparet autem eis qui fidem habent in illum,* per mentalis intuitus elevationem.

em. de se- condo. Secundo quaesivit eum cum *latitudine benevolentiae* in diligendo; unde dicitur Marci decimo sexto [5]: *Iesum quaeritis Nazarenum.* — Istae sanctae mulieres, quas alloquitur Angelus, cum tanto desiderio amoris quaerebant Christum, ut etiam in nocte non quiescerent. Nonne cum magno fervore amoris quaerebat Christum Maria Magdalena [6], quae sola in sepulcro moras contrahere non timebat, cum sexus muliebris sit timidus ex natura? Non enim erat contenta visione Angelorum nec consortio Apostolorum; immo, taedium erat sibi videre omnem creaturam, quousque tamen [7] quaereret, donec inveniret *Iesum Nazarenum crucifixum,* quia eo habito, habetur omne bonum. Nam Christus, in quantum *crucifixus,* confert beneficium veniae in absolutione culpae; in quantum *Nazarenus,* id est floridus, confert stillicidium gratiae in promotione institiae; sed in quantum *Iesus,* qui interpretatur salus, confert complementum gloriae in glorificatione corporis et animae. Et de hoc dicitur Ieremiae vigesimo nono [8]: *Cum quaesieritis me in toto corde vestro, inveniar a vobis, dicit Dominus.* Unde beata Virgo quaesivit eum *in toto corde,* non dimidiando illud ad terrena.

Item, de tertio. Tertio quaesivit eum cum *certitudine confidentiae* in exspectando; unde ad Colossenses tertio [9]: *Quae sursum sunt quaerite, non quae super terram, ubi Christus est in dextera Dei sedens.* Virgo Maria toto affectu per appetitum caelestium quaerebat *quae sursum sunt,* exspectando cum certitudine spei potiora bona Dei Patris, *ubi Christus,* in quantum homo, perpetuitate fruitur; *non quae super terram,* per depressionem affectus ad terrena, quia istae terrenae *consolationes,* quas homines carnales experiuntur, comparatae delectationibus, *quae sursum sunt in dextera Dei Patris,* potius dicendae sunt *desolationes.* Ubi enim homo credit invenire delectamentum, invenit cruciatum, quia omnis delectatio in praesenti aspersa est quadam amaritudine; sed *delectationes, quae sunt in dextera Dei,* delectant, eo quod « delectatio est coniunctio convenientis cum convenienti [10] »; sed anima nulli melius convenit quam illi, ad cuius imaginem vel similitudinem formata est. Rogemus etc.

Schema praecedentis sermonis [11].

Item, sermo fratris Bonaventurae in domo Vallis Scholarium, Parisius.

Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce, pater tuus et ego dolentes quaerebamus te, Lucae secundo [12].

Divisio. In verbis his beata Virgo tria facit: primo praemittit benignae *allocutionis dulcedinem;* secundo exprimit magnae *tribulationis amaritudinem;* tertio recolit discretae *inquisitionis sollicitudinem.* Primum, ibi: *Fili* etc.; secundum, ibi: *Ecce, pater tuus et ego dolentes;* tertium, ibi: *quaerebamus te.*

---

[1] Cod. F legit *misericordia.*
[2] *Glossa ordinaria* in hunc locum (secundum Bedam).
[3] Vers. 1. seq.
[4] Cap. 14.
[5] Vers. 6.
[6] Respicitur Ioan. 20, 11. seqq.
[7] Pro *tamen* D legit *tantum* et E *tandem.*
[8] Vers. 13. seq.
[9] Vers. 1. seq.
[10] Cfr. tom. I. pag. 38, nota 4. et tom. IV. pag. 391, nota 3.
[11] Ex A fol. 96 r.; idem inventur etiam in biblioth. Carolopolitana (Charlesville), cod. 92. membr. in 8. saec. XIII. et XIV.
[12] Vers. 48.

De I. membro tria. I. Circa primum nota, quod beata Maria dulciter allocuta est Filium, quia dulciter alloquendus erat propter tria, quae erant in eo eum reddentia omnibus gratiosum et diligibilem, scilicet propter *pulcritudinem venustatis et innocentiae;* Proverbiorum quarto [1]: *Filius fui patris mei tenellus, et unigenitus coram matre mea.* — Propter *plenitudinem veritatis et gratiae;* Proverbiorum decimo: *Filius sapiens laetificat patrem.* — Propter *mansuetudinem pietatis et clementiae;* Isaiae nono: *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis.*

De II. tria. II. Circa secundum nota, quod beata Virgo in tribus maxime dolorem habuit: in *amissione* Filii dilecti *praesentiae;* Psalmus [2]: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuae laetificaverunt animam meam;* (hoc) potuit dicere, quando invenit eum. — In *visione passionis* eius acerbae; Threnorum primo: *Attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus.* — In *obcaecatione plebis Iudaicae;* Psalmus: *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt.*

De III. tria. III. Circa tertium nota, quod quaesivit beata Virgo Filium ad exemplum nostrum cum *rectitudine conscientiae* credendo; Sapientiae primo [3]: *In simplicitate cordis quaerite illum* etc. — Cum *latitudine benevolentiae* diligendo; Marci decimo sexto: *Iesum quaeritis Nazarenum, praecedet vos in Galilaeam, ibi eum videbitis, sicut dixit vobis.* — Cum *certitudine confidentiae* exspectando; ad Colossenses tertio: *Quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est, in dextera Dei sedens.*

Sermo II [4].

Dominica prima post Epiphaniam sermo fratris Bonaventurae Lugduni, in Capitulo Fratrum.

Nolite conformari huic saeculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ad Romanos duodecimo [5].

Divisio. Apostolus in his verbis duo facit: primo hortatur ad *mundanae vanitatis secessum* salutifernm; secundo, ad *vitae veritatis processum* sincerum. Primum, ibi: *Nolite conformari huic saeculo;* secundum, ibi: *sed reformamini in novitate sensus vestri.*

Pars I. Conformitas quadruplex. I. Circa primum nota, quod conformatur quis huic saeculo quadrifarmiter, scilicet per supinam *adhaerentiam terrenorum;* quocontra primae Ioannis secundo [6]: *Nolite diligere mundum neque ea quae in mundo sunt* etc. — Per crassam *negligentiam aeternorum;* Sapientiae primo: *Nolite zelare mortem in errore vitae vestrae, neque acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum.* — Per affectantem *fraudulentiam proximorum;* Psalmus [7]: *Noli aemulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem.* — Per dissolutam *lasciviam morum;* primae ad Corinthios decimo quinto: *Nolite seduci; corrumpunt* enim *bonos mores colloquia* prava sive *mala.*

Pars II. Reformatio quadruplex. II. Reformatur autem quis in vita: per *contemptum mundialium;* primae Petri tertio [8]: *Vos nunc similis formae salvos facit baptisma* etc. — Per *desiderium sempiternalium;* Isaiae quadragesimo tertio: *Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit.* — Per *affectum fratrum suorum;* primae Petri quinto: *Forma facti gregis ex animo.* — Per *ornatum sacrorum morum;* ad Philippenses tertio: *Observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.*

Sermo III [9].

Item, sermo fratris... Parisius in domo Praedicatorum, coram Universitate.

Post triduum invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum, Lucae secundo [10].

Divisio. Spiritualiter in verbis his ponuntur tres circumstantiae, per quas homo devenit in notitiam alterius hominis boni vel mali, et tres viae, per quas homo venit in notitiam Salvatoris sive in inventionem ipsius. Prima est *commoditas temporis* ad inveniendum, quia, *Post triduum invenerunt;* secunda est *conditio* seu sanctitas *loci* ad ipsum habendum, quia, *in templo;* tertia est *honestas contubernii* ad conveniendum [11], quia, *in medio doctorum.* Temporis *commoditas* arguit dilidentes, negligentes, lucem odientes; loci *sanctitas* arguit curias et tabernas appetentes; contubernii *honestas* arguit infames personas imitantes et sociantes.

Pars I. et II. Ad inveniendum Christum requiruntur quatuor. De primo. Sciendum ergo, quod qui vult invenire Christum Iesum oportet, quod quaerat eum per tridnum *contritionis simplicis, confessionis humilis* et *satisfactionis viritis,* et inveniet eum in quarto, *dilectionis dulcis.* — Non enim invenitur nisi a *viventibus simpliciter;* simplices enim et innocentes invenerunt eum cum *pastoribus* in praesepio; Lucae secundo [12]:

---

[1] Vers. 3; sequuntur c. 10, 1. et Isai. 9, 6.
[2] Psalm. 93, 19; sequuntur Thren. 1, 12. et Ps. 68, 27.
[3] Vers. 1; sequuntur Marc. 16, 6. seq. et Col. 3, 1.
[4] Ex A fol. 94 v. et Parisiensi R fol. 187 r., qui bene inter se concordant.
[5] Vers. 2.
[6] Vers. 15; deinde Sap. 1, 12.
[7] Psalm. 36, 1; sequitur I. Cor. 15, 33.
[8] Vers. 21; sequuntur Isai. 43, 21; I. Petr. 3, 3. et Phil. 3, 17.
[9] Ex A fol. 95 r. et Parisiensi B fol. 20 v. De eodem themate habetur sermo in codicibus Tudertinis n. 104. fol. 81, n. 415. fol. 75 et n. 140. fol. 184, qui inter se et eidem satis cum A et B conveniunt; quaedam tamen membra ex sequente sermone aliaque huic sermoni addunt. — Nomen *Bonaventurae* in inscriptione codicis amplius non poterat legi.
[10] Vers. 46.
[11] Cod. B habet *concivendum.*
[12] Vers. 16; sequitur Sap. 1, 1. seq.

Et venerunt festinantes et invenerunt Mariam et Ioseph et Infantem positum in praesepio; Sapientiae primo: *In simplicitate cordis quaerite illum, quoniam invenitur ab his qui non tentant illum.* — A *poenitentibus humiliter;* poenitentes et dolentes invenerunt eum cum *parentibus* in templo, Lucae secundo [1]; Ecclesiastici decimo octavo: *Ante languorem adhibe medicinam et ante iudicium interroga te ipsum, et in conspectu Dei invenies propitiationem.* — A *sustinentibus viriliter;* sustinentes et viriles inveniunt eum cum *regibus* in gremio Matris, Matthaei secundo [2]; Iob vigesimo tertio: *Quis mihi tribuat, ut cognoscam et inveniam illum et veniam usque ad solium eius?* — A *diligentibus dulciter;* amantes sive diligentes inveniunt eum cum *sponsa* et sodalibus secreto colloquio, Canticorum tertio [3]; Proverbiorum octavo: *Ego diligentes me diligo, et qui mane vigilant ad me invenient me.*

Secundo.

Tertio.

Quarto.

Invenitur vero Christus ab *innocentibus* sive simpliciter viventibus post triduum *intentionis puritatis, affectionis sanctitatis, devotionis teneritudinis*, quod triduum significatum est in illo triduo reaedificationis templi, id est restitutionis innocentiae; Ioannis secundo [4]: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.*

Explicatio de hoc primo.

Secundo.

Invenitur etiam Christus ab humiliter *poenitentibus* post triduum *generalis contritionis, integralis confessionis, celeris satisfactionis*, quod triduum significatum est per illud Ionae tertio [5], secundum Septuaginta: *Adhuc tres dies, et Ninive subvertetur.*

Tertio.

Invenitur etiam Christus a *sustinentibus* sive viribus post triduum, quod quidem est *aggredi confidenter* in principio, *sustinere patienter* in medio, *perseverare finaliter* in termino, quod triduum significatum est per illud Marci octavo [6]: *Misereor super turbam, quia, ecce, iam triduo sustinent me nec habent quod manducent.*

Quarto.

Invenitur tandem post praefatum triduum triplex in statu spiritualiter seu dulciter *amantium*, qui etiam tunc sciunt, quid sit invenisse Christum post triduum, quando [7] habent *meditationes* sursum activas ad amorem Patriae, *affectiones* transformativas ad compassionem Christi poenae, *speculationes* refrigerativas ad conciliationem status innocentiae; quod quidem triduum est, in quo homo post aliud praemissum tripliciter triduum excipitur. Significatum est per illud triduum, Actuum vigesimo octavo [8], ubi dicitur, quod princeps Publius Paulum et socios in insula sua post multam navigationem recepit et *benigne triduo exhibuit.*

Pars III. Quoad societatem Iesus invenitur quadrupliciter.

Invenitur [9] Iesus quantum ad *societatem* quadrupliciter: in medio *iumentorum* iacens ut reconciliator ad pacificandum; Habacuc tertio [10], secundum Septuaginta: *In medio duorum animalium innotesceris.* — In medio *doctorum* sedens ut lampas ad irradiandum; Lucae secundo, sicut habebatur hic: *Invenerunt illum in templo* etc. — In medio *latronum* pendens ut pugil ad expugnandum; Ioannis decimo nono [11]: *Crucifixerunt eum et cum eo alios duos hinc et hinc, medium autem Iesum.* — In medio *discipulorum* stans ut turris ad corroborandum; Ioannis vigesimo: *Venit Iesus et stetit in medio* etc.

Sermo IV [12].

Item, sermo fratris Bonaventurae coram regina Navarrae et familia, Parisius.

Invenerunt illum in templo, Lucae secundo [13].

In his verbis describit Evangelista sacer, *quomodo* invenitur Iesus spiritualiter, quia *post triduum; ubi* invenitur, quia *in templo.* Divisio.

I. Triduum autem, post quod invenitur Iesus, fons puritatis aeternae, fons supremae claritatis, fons innocentiae et sanctitatis vitae, est: *sanctimonia* mentis et corporis, *sapientia* Divinitatis et *innocentia* conversationis. De I. membro tria.

II. Post quod triduum invenitur Iesus *in templo* mentis sive altaris Ecclesiae sicut paradisus *almae maiestatis* ad veneration[em]; Iob vigesimo tertio [14]: *Quis mihi tribuat, ut cognoscam et inveniam illum et veniam usque ad solium eius?* — *Summae claritatis* sive veritatis ad contemplationem; Sapientiae primo [15]: *Invenitur ab his qui non tentant illum; apparet autem eis qui fidem habent in illum.* — *Aeternae suavitatis* ad degustationem; Canticorum octavo: *Quis mihi det, ut inveniam te foris et deosculer te, et iam me nemo despiciat?* — *Perfectae sanctitatis* ad regulationem; primi Paralipomenon vigesimo octavo: *Si quaesieris eum, invenies;* Ioannis primo: *Invenimus Messiam* etc. De II. quatuor.

Sermo V [16].

Summaria intentio Evangelii huius Dominicae, in Octava Epiphaniae, secundum Bonaventuram est haec.

Cum factus esset Iesus annorum duodecim [17] etc.

---

[1] Vers. 46. 48; sequitur Eccli. 18, 20.
[2] Vers. 11; sequitur Iob 23, 3.
[3] Vers. 4; sequitur Prov. 8, 17.
[4] Vers. 19.
[5] Vers. 4; Vulgata: Adhuc quadraginta dies.
[6] Vers. 2.
[7] Cod. B omittit quae sequuntur, et sic continuat: diligunt Deum ex tota cognitione sine errore, ex tota affectione sine contradictione, ex tota memoria sine oblivione. Et hoc triduum etc.
[8] Vers. 7.
[9] Quae sequuntur ponuntur in B secundo loco.
[10] Vers. 2; Vulgata: In medio annorum facies etc.
[11] Vers. 18; sequitur c. 20, 19.
[12] Ex A fol. 96 r.
[13] Vers. 46. Supple: Post triduum.
[14] Vers. 3.
[15] Vers. 2; sequuntur Cant. 8, 1; I. Par. 28, 9. et Ioan. 1, 41.
[16] Ex A fol. 96 v.
[17] Luc. 2, 42-52.

Expositio homiletica Evangelii.

In praesenti [1] Evangelio totali commendatur ad nostram eruditionem Iesus, puer dignissimus, primo a *cultu suae summae maiestatis* in exhibendo templo Dei reverentiam secundum Legem scriptam, ibi: *Cum factus esset Iesus annorum duodecim* etc. — Secundo, a *studio aeternae veritatis* in assumendo discipuli formam et aperiendo sapientiae praerogativam, ibi: *Factum est, post triduum invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum.* — Tertio, ab *obsequio perfectae pietatis* in subiacendo Matri corripienti et in serviendo praecipienti secundum naturam assumtam, ibi: *Et dixit Mater eius* etc. *Et descendit cum eis* etc. — Quarto, a *praeconio magnificae laudis* in proficiendo *aetate et sapientia* ad aedificationem et ostensionem humanam et laudem divinam, ibi: *Et Iesus proficiebat* etc.

Pars II. lite quatuor.

II. Circa secundum nota, quod qui ad gradus *contemplationis* revertitur venit quasi per *scrutinium* propriae conscientiae, quod parat mentis tranquillitatem; Threnorum tertio [6]: *Scrutemur vias nostras et quaeramus et revertamur ad Dominum.* — Per *obsequium* almae reverentiae, quo honorat Dei maiestatem; Ieremiae trigesimo primo: *Statue tibi speculam, dirige cor tuum in viam rectam, in qua ambulasti; revertere, virgo Israel* etc. — Per *circuitum* summae sapientiae, quo investigat aeternam veritatem; Isaiae trigesimo octavo [7]: *Reversus est sol decem lineis per gradus, quos descenderat* etc. — Per *amplexum* divinae praesentiae, quo degustat caelestem suavitatem; Iob vigesimo secundo: *Si reversus fueris ad Omnipotentem, deliciis affluet et elevabis ad Deum faciem tuam.*

Sermo VI [2].

Item, sermo fratris Bonaventurae apud sanctum Irenaeum de Lugduno.

Ut perfecerunt omnia secundum Legem Domini, reversi sunt in Galilaeam, Lucae secundo [3].

In verbis his ad exemplum nostrum mystice sumtis duo notantur, scilicet *vitae activae* salutaris *adimpletio,* et *vitae contemplativae* deiformis *prosecutio.* Primum, ibi: *Ut perfecerunt omnia secundum Legem Domini;* secundum, ibi: *reversi sunt in Galilaeam.*

Divisio.

Pars I. Dicenditur quatuor.

I. Quantum ad primum notandum est, quod ad perfectionem *activae* lex divina dictat quaedam *fugienda,* ut mala culpae; quaedam *facienda,* ut bona institiae; quaedam *toleranda,* ut mala poenae; quaedam *exspectanda,* ut bona gloriae; ideoque ad eius perfectionem quatuor sunt necessaria, scilicet *sanctimonia in fugiendis,* ut perficiatur lex sanctitatis; Numerorum sexto [4]: Offeret Nazaraeus, *iuxta quod mente devoverat, ad perfectionem sanctificationis suae.* — *Obedientia in faciendis,* ut perficiatur lex caritatis; Isaiae trigesimo octavo: *Obsecro, Domine, memento, quaeso, quomodo ambulaverim coram te in veritate et in corde perfecto.* — *Patientia in tolerandis,* ut perficiatur lex libertatis; Iacobi primo: *Patientia opus perfectum habet, ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes.* — *Fiducia in exspectandis,* ut perficiatur lex aeternitatis; Psalmus [5]: *Sicut luna perfecta in aeternum et testis in caelo fidelis.*

Sermo VII [8].

Invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos et interrogantem eos, Lucae secundo [9].

Ostenditur hic spiritualiter ad inveniendum puerum Iesum primo *loci qualitas,* cum dicitur: *Invenerunt illum in templo;* secundo, *inventi dignitas* sive inveniendi forma, cum dicitur: *sedentem in medio doctorum.*

Divisio.

Pars I. Septem tan pla.

I. Quantum ergo ad primum dicitur: *Invenerunt illum in templo.* Circa quod nota *septem templa,* in quibus devote quaesitus noster Iesus spiritualiter procul dubio invenitur, ut Ioannis septimo [10]: *Clamabat Iesus in templo;* Lucae secundo: *Et venit in spiritu in templum,* et in multis aliis locis: primo, in templo *materialis basilicae* per oratio- Primum. nem devotam; Psalmus: *Adorabo ad templum sanctum tuum et confitebor nomini tuo;* Apocalypsis vigesimo primo: *Et templum non vidi in ea. Dominus enim Deus omnipotens templum illius est et Agnus.* — Secundo, in templo *universalis Ecclesiae* per immaculatam fidem; primae ad Corinthios tertio [11]: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Dei aedificatio estis.* — Tertio, in templo *sanctae animae* per puritatem conscientiae; primae ad Corinthios tertio: *Nescitis, quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis?* et sexto: *Nescitis, quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti?* — Quarto, in templo *Virginis gloriosae* per Quartum. nitiditatem castitatis mundissimae; Psalmus [12]: *Sanctum est templum tuum, mirabile in aequitate.*

Secundum.

Tertium.

---

[1] Codex habet *primo.*

[2] Ex A fol. 97 r.

[3] Vers. 39.

[4] Vers. 21; sequuntur Isai. 38, 3. et Iac. 1, 4.

[5] Psalm. 88, 38.

[6] Vers. 40. et Ier. 31, 21.

[7] Vers. 8; sequitur Iob 22, 23. 26.

[8] Hic sermo sumtus est ex cod. Parisiensi R fol. 187 v. Schema eius infra positum ex A est brevissimum, omittens totam partem secundam et tria ultima membra partis primae. Omissa tamen apud Bonaventuram alibi habentur; cfr. supra pag. 175, serm. 4.

[9] Vers. 46.

[10] Vers. 28; sequuntur Luc. 2, 27; Ps. 137, 2. et Apoc. 21, 22.

[11] Vers. 17. 9. et dein v. 16. et c. 6, 19.

[12] Psalm. 64, 5. seq.; et postea Ps. 10, 5. et Mal. 3, 1.

Item, *Dominus in templo sancto suo;* Malachiae tertio: *Statim veniet ad templum suum.* — Quinto, in templo *immaculatae personae* sive humanitatis Christi per affectionem considerationis duplicis in eo unitae naturae; Ioannis secundo [1]: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Ille autem dicebat de templo corporis sui;* Ezechielis quadragesimo tertio: *Fili hominis, ostende domui Israel templum, et confundantur ab iniquitatibus suis.* — Sexto, in templo *religionis* sive sacrae vitae per morum claritatem; ad Ephesios secundo [2]: *In quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino;* primae ad Corinthios tertio: *Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus;* et tertii Regum octavo: *Et templi, quod aedificavi nomini tuo.* — Septimo, in templo *aeternae gloriae* per adeptionem stolae geminae [3]; Apocalypsis tertio [4]: *Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei;* Psalmus: *In templo eius omnes dicent, gloriam;* Isaiae sexto: *Ea quae sub ipso erant, replebant templum.*

Quintum. Sextum. Septimum.

II. Quantum ad secundum subditur: *sedentem in medio doctorum.* Circa quod nota, quod invenimus Iesum nostrum in medio multis modis in Scriptura: primo, *iacentem* in praesepio in medio animalium in speculum viscerosissimae clementiae; Habacuc tertio [5]: *In medio duorum animalium noteris,* secundum litteram Septuaginta. — Secundo hic, *sedentem* in medio doctorum in speculum fontalis sapientiae; Ioannis primo: *Medius autem vestrum stetit quem vos nescitis.* — Tertio, *ministrantem* in medio discipulorum in subsidium nostrae abolendae superbiae; Lucae vigesimo secundo: *Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat.* — Quarto, *venientem* sive assistentem in medio fratrum in suffragium amoris et corroborantiae; Matthaei decimo octavo [6]: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* — Quinto, *offerentem se* in medio templi in ministerium spiritualis doctrinae: Psalmus: *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui.* — Sexto, *conversantem* in medio terrae in exemplum sanctissimae vitae; Psalmus: *Deus autem, Rex noster ante saecula, operatus est salutem in medio terrae.* — Septimo, *transeuntem* per medium provinciarum in documentum strenuissimae solertiae; Lucae decimo septimo [7]: *Dum iret* Iesus *in Ierusalem, transibat per mediam Samariam et Galilaeam.* — Octavo, *venientem* per medium civitatum in solatium efficacissimae gratiae; Marci septimo: *Venit per Sidonem ad mare Galilaeae inter medios fines Decapoleos.* — Nono, *euntem* per medium turbarum persequentium in signum irrefragabilissimae patientiae; Lucae quarto: *Ipse autem, transiens per medium illorum, ibat,* quando voluerunt eum praecipitare. — Decimo, *pendentem* in medio latronum in patibulo in pretium nostrae redemptionis; Ioannis decimo nono [8]: *Crucifixerunt eum et cum eo alios duos hinc et hinc, medium autem Iesum.* — Undecimo, *stantem* in medio Apostolorum in obsequium reddendae laetitiae; Ioannis vigesimo: *Venit Iesus et stetit in medio et dixit eis: Pax vobis;* Lucae ultimo: *Stetit Iesus in medio eorum et dicit eis: Pax vobis.* — Duodecimo, *ambulantem* in medio trium puerorum in praesagium spiritualis assistentiae et Sanctorum curae; Danielis tertio [9]: *Video quatuor viros solutos et ambulantes in medio ignis; et species quarti similis Filio Dei.* — Decimo tertio, *apparentem* de medio rubi in signum incarnationis de Virgine; Exodi tertio: *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* — Decimo quarto et ultimo, in medio septem candelabrorum aureorum in fastigium snae excellentiae; Apocalypsis primo: *Vidi in medio septem candelabrorum aureorum similem Filio hominis* etc.

Pars II. Christus invenitur 14 modis. Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Quinto. Sexto. Septimo. Octavo. Nono. Decimo. Undecimo. Duodecimo. Decimo tertio. Decimo quarto.

Schema praecedentis sermonis.

Item, sermo fratris Bonaventurae coram populo, Lugduni in Ecclesia sancti Niceti.

Invenerunt illum in templo, Lucae secundo [10].

Debemus scire, carissimi, quod Filius Dei invenitur in templo: *basilicae ecclesiasticae* per orationem devotam; Psalmus [11]: *Adorabo ad templum sanctum tuum et confitebor nomini tuo.* — *Universalis Ecclesiae* per immaculatam fidem; Psalmus: *Sanctum est templum tuum, mirabile in aequitate.* — *Sanctae animae* per sinceritatem conscientiae et munditiae; primae ad Corinthios tertio [12]: *Nescitis, quia templum Dei estis* etc. — *Aeternae gloriae* per adeptionem utriusque stolae; Danielis tertio: *Benedictus es in templo sancto gloriae tuae.*

Templa quatuor.

Sermo VIII [13].

Item, sermo Bonaventurae in Capitulo coram Fratribus, Lugduni.

Rationabile sit *obsequium vestrum,* ad Romanos duodecimo [14].

---

[1] Vers. 19. 21; sequitur Ezech. 43, 10.
[2] Vers. 21; sequuntur I. Cor. 3, 17. et III. Reg. 8, 48.
[3] De gemina stola cfr. tom. IV. pag. 857 ad 4; tom. III. pag. 390, nota 4. et pag. 585 dub. 5.
[4] Vers. 12; sequuntur Ps. 28, 9. et Isai. 6, 1.
[5] Vers. 2; sequuntur Ioan. 1, 26. et Luc. 22, 27.
[6] Vers. 20; sequuntur Ps. 47, 10. et 73, 12.
[7] Vers. 11; sequuntur Marc. 7, 31. et Luc. 4, 30.
[8] Vers. 18; sequuntur Ioan. 20, 19. et Luc. 24, 36.
[9] Vers. 93; sequuntur Exod. 3, 2. et Apoc. 1, 12. seq.
[10] Vers. 46. — Schema hoc est in A fol. 97 r.
[11] Psalm. 137, 2. et 64, 5. seq.
[12] Vers. 16; dein sequitur Dan. 3, 53.
[13] Ex A fol. 97 v.
[14] Vers. 1.

Divina virtus, quae est « operatrix omnis plenitudinis et sapientificae traditionis », secundum Dionysium [1], in divinis et sacris characteribus illuminati Pauli ostendit nobis his verbis, quale vult et quale amat ministerium. *Rationabile*, inquit, sit *obsequium vestrum*, quia de rationabili mente et consideratione debet procedere. Illud autem obsequium est *rationabile* et Deo placitum, quod est *discretum* per considerationem sapientialem; Ecclesiastici quadragesimo sexto [2]: *Ut viderent omnes filii Israel, quia bonum est obsequi sancto Deo* etc. — *Honestum* conversatione religiosa; Ecclesiastici quarto: *Qui serviunt ei obsequentes erunt sancto.* — *Devotum* oratione consuetudinaria; secundae ad Corinthios decimo: *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* — *Pacificum* mansuetudine christiana; ad Romanos decimo quinto: *Obsecro vos, fratres, ut adiuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum, ut obsequii mei oblatio accepta fiat in Ierusalem sanctis.*

Divisio in 4 membra.

IN OCTAVA EPIPHANIAE.

Sermo I [3].

Item, sermo fratris Bonaventurae in Octava Epiphaniae, apud Massiliam.

Ecce, Agnus Dei, ecce, qui tollit peccatum mundi, Ioannis primo [4].

Venerabilis et sacer Baptista in his verbis commendat Verbum incarnatum a summa innocentia et *benignitate* ostensive, et universali et plenaria *utilitate* demonstrative. Primum demonstratur in agnina praefiguratione, secundum in peccatorum mundi ablatione.

Divisio.

Pars I. com subdivisione.

I. Notandum ergo, quod Christus fuit vere Agnus *anniculus* propter humilitatem angelicae conversationis; *immaculatus* propter sinceritatem integerrimae incorruptionis; *mansuetus* propter tolerantiam acerbissimae passionis.

In quantum autem Agnus *anniculus*, dedit se nobis in *solatium peregrinationis;* Apocalypsis decimo quarto [5]: *Vidi supra montem Sion Agnum et cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen eius* etc. — In quantum vero Agnus *immaculatus*, dedit se nobis in *cibum refectionis;* Apocalypsis septimo [6]: *Agnus, qui in medio throni est, reget illos et deducet eos ad vitae fontes aquarum.* — In quantum etiam Agnus *mansuetus*, se pro nobis dedit in *pretium redemptionis;* Ieremiae undecimo: *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam* etc.

Pars II. com subdivisione.

II. *Tulit* vero *peccata mundi abluendo maculas* abominabiles, quia Agnus immaculatus; Apocalypsis primo [7]: *Dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* — *Auferendo reatus* miserabiles, quia Agnus anniculus; Isaiae quinquagesimo tertio: *Ipse peccata multorum tulit et pro transgressoribus rogavit.* — *Remittendo offensas* inexcusabiles, quia Agnus mansuetus; ad Ephesios primo: *Gratificavit nos in dilecto Filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum secundum divitias gratiae eius.*

Sermo II [8].

Item, sermo fratris Bonaventurae apud Ianuam.

Ecce, Agnus Dei [9].

Verbum incarnatum ad exemplum generis humani fuit Agnus ratione universalis *munditiae;* Apocalypsis decimo quarto [10]: *Vidi supra montem Sion Agnum stantem* etc. — Ratione universalis *innocentiae;* Exodi duodecimo [11]: *Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus.* — Ratione universalis *obedientiae;* Isaiae quinquagesimo tertio: *Sicut agnus coram tondente se obmutescet et non aperiet os suum.* — Ratione universalis *patientiae;* Ieremiae undecimo: *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.*

Christus est Agnus quadruplici ratione.

Sermo III [12].

Summaria intentio Evangelii in Octava Epiphaniae secundum Bonaventuram est haec.

Vidit Ioannes Iesum venientem ad se [13] etc.

Expositio humiletica Evangelii.

In hoc Evangelio describuntur tria ex parte Salvatoris et tria ex parte Praecursoris.

---

[1] De Caelest. Hierarch. c. 7. § 1, ubi textus versionis pro *plenitudinis* habet *pulcritudinis*.

[2] Vers. 12; sequuntur c. 4, 15; II. Cor. 10, 5. et Rom. 15, 30. seq.

[3] Ex A fol. 97 v. et B fol. 20 r. Aliquatenus respondet collatio sexta in Evangelium Ioannis, tom. VI. pag. 543, quam etiam invenimus in codd. Tudertinis n. 104. fol. 77 v. et n. 115. fol. 72 r., qui inter se perfecte et etiam cum ista collatione satis conveniunt, additis tamen nonnullis locis S. Scripturae.

[4] Vers. 29.

[5] Vers. 1. Vulgata: Et vidi: Et ecce, Agnus stabat supra montem Sion etc.

[6] Vers. 17; sequitur Ier. 11, 19.

[7] Vers. 5; sequuntur Isai. 53, 12. et Eph. 1, 6. seq.

[8] Ex A fol. 98 r.

[9] Ioan. 1, 29.

[10] Vers. 1; vide supra notam 5.

[11] Vers. 5; sequuntur Isai. 53, 7. et Ier. 11, 19.

[12] Ex A fol. 98 r.

[13] Ioan. 1, 29-34.

Ex parte Salvatoris ponuntur *humilitas* immensa, quia in Iordane voluit baptizari; *puritas* virtuosa, quia erat Agnus tollens peccata universis; *sublimitas* gloriosa, quia fuit prior omnibus creaturis ab initio saeculi.

ria ex parte Salvatoris.

Ex parte vero Ioannis proponuntur nobis tria, scilicet *revelatio* praeclara divinitus ei de Christo facta; *praedicatio* famosa per eum de Christo vulgata; *testificatio* divinae naturae in Christo per eum viva et solida.

Item, ex parte Ioannis.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

Sermo I [1].

Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilaeae et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli eius, Ioannis secundo [2].

Prothema [3]. Quia sine lumine divinae sapientiae nihil ex nobis possumus aedificatorie *dicere,* quia *nemo,* inquit Apostolus primae ad Coriothios duodecimo, *potest dicere: Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto,* nec etiam salubriter *intelligere,* ut ait Iob trigesimo secundo: *Inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam;* Isaiae vigesimo octavo [4]: *Sola vexatio intellectum dabit auditui;* nihil denique *operari* meritorie, quia, ut ait divina Veritas Ioannis decimo quinto: *Sine me nihil potestis facere:* ideo in principio nostri sermonis elevemus orationes nostras ad *Patrem luminum* et Doctorem sapientiae, ut ipse mea sicca verba compluat rore suae gratiae et regimine sancti Spiritus dirigat tam linguam loquentem quam aurem audientem, ut possimus aedificatorie *dicere,* salubriter *intelligere* et meritorie *operari* quae sunt ad laudem etc.

otrodoctio.

Hoc fecit initium signorum etc. Quoniam per cognitionem effectus devenitur in cognitionem causae; ideo Ioannes Evangelista in verbo proposito, quod est quasi conclusio et epilogatio totius Evangelii hodierni, insinuat, quod Dominus Iesus Christus in nuptiis manifestavit praeeminentem potentiam suam per effectum miraculosum et supra facultatem creaturae et naturae in subita transmutatione aquae in vinum, nulla dispositione praecedente, cum dicit: *Hoc fecit initium signorum* etc. Unde in verbo proposito primo notatur *miraculorum* Christi *apparens inceptio,* cum dicit: *Hoc initium signorum fecit Iesus;* secundo, suae *potentiae* per signum *evidens manifestatio,* cum subdit: *et manifestavit gloriam suam;* tertio, *discipulorum* eius *manuducens illuminatio,* cum subiungit: *et crediderunt in eum discipuli eius,* scilicet propter infusionem supernae gratiae interius et manuductionem miraculi exterius.

Sermo.

Divisio.

I. Primo ergo notatur *miraculorum* Christi *apparens inceptio,* cum dicit: *Hoc initium signorum fecit Iesus.* Non enim illud signum subitae transmutationis aquae in vinum fuit initium signorum Christi quantum ad *existentiam,* sed solum quantum ad *apparentiam;* et propterea, si volumus bene et artificiose procedere, possumus dicere secundum veritatem, quod eadem die, licet diversis temporibus, triplex fecit signum, per quod excellentiam potestatis suae tripliciter manifestavit. Fecit, inquam, eadem die Epiphaniae primo signum *spectabile* in insolita apparitione stellae fulgentis; secundo, signum *mirabile* in subita transmutatione naturae obedientis; tertio, signum *amabile* in gratuita sanctificatione aquae regenerantis. Et hoc est quod cantat sancta mater Ecclesia [5]: « Tribus miraculis ornatum diem sanctum colimus: hodie stella Magos duxit ad praesepium; hodie vinum ex aqua factum est ad nuptias; hodie in Iordane a Ioanne Christus baptizari voluit » etc. Et hoc signum apparitionis stellae non incepit isto die, tamen, quia propter effectum, ad quem erat institutum, videlicet ad manifestationem veri luminis, in die Epiphaniae completur, non incongrue dicitur illo die factum, in quo eius memoria celebrata est, cum unumquodque a suo fine digne et laudabiliter commendetur.

Pars I.

Triplex signum.

Fecit primo igitur signum *spectabile* in insolita apparitione stellae fulgentis; unde dicitur Isaiae undecimo [6]: *Levabit Dominus signum in nationes, et congregabit profugos Israel, et dispersos Iuda colliget a quatuor plagis terrae. — Dominus levabit signum,* stellae fulgentis, *in nationes,* id est in gentes, ut per hoc manifestaret eis, quod ipse est *vera lux,* omnium mentium illuminatrix. Unde stellae novae claritas, quae Magis apparuit, declaravit verum lumen natum in mundo. *Et congregabit profugos Israel,* id est aptos dirigi in viam bonam; nam Israel directio Domini interpretatur. *Et dispersos Iuda colliget, ad confitendum nomini Domini* [7]; Iuda enim confessio interpretatur. *A quatuor plagis terrae,* id est a quatuor inordinatis et terrenis affectionibus, secundum quas *gentes ambulabant in vanitate sensus sui,* videlicet a *tumore* vanitatis et superbiae ad timorem humilitatis et reverentiae; a *foetore* carnalitatis et immunditiae ad nitorem sanctitatis et pudicitiae; ab *ardore* terrenitatis et avaritiae

Primo fit signum spectabile.

---

[1] Habetur hic in Vaticana ut sermo primus et in codicibus C D E F, et etiam in cod. Tudertino n. 104. fol. 87 v., qui tamen hinc inde sermonem aliquatenus contrahit.

[2] Vers. 11.

[3] Habetur in solo C. — Sequuntur I. Cor. 12, 3. et Iob 32, 8.

[4] Vers. 19; sequitur Ioan. 15, 5. et dein respicitur Iac. 1, 17.

[5] Antiph. ad Magnif. in II. Vesperis Epiphaniae.

[6] Vers. 12; deinde respicitur Ioan. 1, 9.

[7] Psalm. 141, 8. et dein respicitur Eph. 4, 17.

ad amorem pampertatis et inopiae; a *furore* impietatis et invidiae ad dulcorem caritatis et benevolentiae.

Secundo, admirabile.

Fecit secundo signum *admirabile* in subita transmutatione naturae obedientis. Et de hoc potest dici illud Ecclesiastici trigesimo sexto[1]: *Innova signa, immuta mirabilia, glorifica manum et brachium dextrum. — Innova signa, immuta mirabilia*, scilicet tu, qui lordanem fluentem retrorsum convertisti mirabiliter, tu aquam litteralis intelligentiae mandata Dei obscure percipientis converte in vinum spiritualis intelligentiae, ut Creatori obediatur secundum intentionem praecipientis. *Glorifica manum et brachium dextrum*, per ostensionem praeeminentis potentiae in subita transmutatione naturae obedientis, ut *timeant qui habitant terminos terrae a signis tuis*[2], et cognoscant, *quoniam tu Dominus Altissimus super omnem terram*, cuius voluntati nihil potest resistere.

Tertio, amabile.

Fecit tertio signum *amabile* in gratuita sanctificatione aquae regenerantis; unde in Psalmo[3] dicitur: *Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me et confundantur, quoniam tu, Domine, adiuvisti me et consolatus es me. — Fac mecum signum*, id est baptismi Sacramentum, *in bonum*, salutis, *ut videant qui oderunt me*, scilicet daemones, propter rectitudinem et severitatem iustitiae; *et confundantur*, per electionem de mundo tabernaculo baptizati. *Quoniam tu, Domine, adiuvisti me*, scilicet liberando a damnatione mortis aeternae, a faucibus gehennae, in consignatione sanguineae crucis in baptismo. *Et consolatus es me*, scilicet per infusionem dulcorantis gratiae. Et hoc est quod expresse et secundum litteram dicitur Ezechielis nono: *Signa thau super frontes virorum gementium et dolentium*, de morte Christi per compassionem; et sequitur, quod transierunt percussores per medium civitatis, et percusserunt omnes, qui non habebant signum thau, id est crucis, in frontibus suis, quod amabile signum per baptismum imprimit Dominus spiritualiter in bonum salutis.

Pars II.

II. Sequitur: *manifestavit gloriam suam*, ubi notatur suae *potentiae* per signum *evidens manifestatio*. Per illud enim signum et per alia, quae fecit Iesus, manifestavit suae potestatis triplicem excellentiam. Nam primo per signum aquae originem immutantis manifestavit sublimitatem *potentiae creantis;* secundo, per signum stellae fulgentis manifestavit claritatem *sapientiae gubernantis;* tertio, per signum undae regenerantis manifestavit benignitatem *clementiae redimentis;* ut sic ratione primi sit humiliter *timendus* sive admirandus, ratione secundi reverenter *honorandus*, sed ratione tertii ardenter *diligendus*.

Potestatis triplex excellentia.

Primo, de potentiae creantis sublimitate.

Primo per signum aquae originem immutantis manifestavit sublimitatem *potentiae creantis*. Et de hoc dicitur in praedicto themate: *Hoc initium fecit Iesus signorum et manifestavit gloriam suam*. Deus enim miraculosa opera sua manifestavit simplicibus et idiotis, ut qui non possunt considerare per lumen creaturae claritatem divinae lucis, considerent per aspectum miraculorum immensitatem suae potentiae. Et hoc est quod dicit Dominus[4] de caeco: *Neque hic peccavit, neque parentes eius, sed ut manifestentur opera Dei in illo. — Opera Dei* dicuntur quae servat sibi Deus, et talia sunt opera miraculosa, quae sunt supra naturam. Haec autem opera *manifestantur* in caeco, id est idiotis et simplicibus, ut qui non possunt elevari per contemplationem eleventur per admirationem.

Secundo, de sapientiae gubernantis claritate.

Secundo per signum stellae fulgentis manifestavit claritatem *sapientiae gubernantis*. Et de hoc dicitur Ecclesiastici sexto[5]: *Investiga* sapientiam, *et manifestabitur tibi, et continens factus, ne dereliquas eam. —* Ista *sapientia* Christus est, quam Magi, primitiae fidei gentilis populi, investigaverunt per signum stellae fulgentis, quousque manifestaretur eis. Et sic per infusionem supernae gratiae et manuductionem creaturae manifestatur Christus, qui est lux sapientiae. Et hoc est quod dicitur ad Romanos primo: *Quod notum est Dei manifestum est in illis. Deus enim manifestavit illis. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur.*

Tertio, de clementiae redimentis benignitate.

Tertio per signum undae regenerantis manifestavit benignitatem *clementiae redimentis*. Et de hoc dicitur Ioannis ultimo[6]: *Hoc* autem *iam tertio manifestatus est Iesus discipulis suis*. Et bene illud verbum convenit in proposito. Nam primo Christus manifestavit claritatem sapientiae in *apparitione stellae*, secundo virtuositatem potentiae in *transmutatione aquae*, et tertio manifestavit se manifestatione suae dignitatis triplicis in benigna *sanctificatione aquae regenerantis*, et hoc propter perfectionem testimonii.

Triplex manifestatio.

Triplex testimonium.

Nam primo manifestavit se per testimonium *baptizantis*, secundo per testimonium *Spiritus sancti descendentis* in specie *columbae*, tertio per testimonium *Patris* in voce, et sic *tertio* se manifestavit, id est perfecte, quia in numero perfecto[7], tum propter manifestationem suae triplicis proprietatis, tum propter perfectionem testimonii, tum propter commendationem mysterii Trinitatis. De hoc potest dici illud secundae ad Corinthios quarto[8]: *In mortem tradimur propter Iesum, ut et vita Iesu manifestetur*

---

[1] Vers. 6. 7; respiciur Ios. 3, 16. seqq.
[2] Psalm. 64, 9; et dein Ps. 73, 17. et 96, 9.
[3] Psalm. 85, 17; sequitur Ezech. 9, 4. et 7.
[4] Ioan. 9, 3.
[5] Vers. 28. et deinde Rom. 1, 19. seq.
[6] Cap. 21, 14; infra respicitur c. 1, 32.
[7] Cfr. Bonav., tom. I. pag. 58 scholion.
[8] Vers. 11.

in carne nostra mortali. In baptismo enim consecrato merito passionis Christi ita *traditur in morte* [1] originalis peccati et actualis iniquitatis, ut et novitas vitae Iesu per gratiam baptismalem et aliquando poenitentialem manifestetur in *carne nostra mortali.*

Excellentia fidei.

III. Tertio subinfert: *et crediderunt in eum discipuli eius*, ubi notatur *discipulorum* Christi *manuducens illuminatio.* Apostoli namque et alii Christiani, *pro* quibus *patribus nati sunt filii* [2], per infusionem supernae gratiae et manuductionem illius signi et aliorum signorum Christi, et maxime per manuductionem trium signorum superius dictorum, ita perfecte fuerunt illuminati, ut crederent primo, per eius potentiam durissimum Pharaonis *imperium exterminari;* secundo, per eius sapientiam obcaecatam rationis *oculum illustrari;* tertio, per eius clementiam antiquum Dei et hominis *bellum reconciliari.*

Pars III.

Triplex fidei.

Primo ergo crediderunt discipuli, per eius potentiam durissimum Pharaonis *imperium exterminari.* Et de hoc dicitur in Epistola Iudae [3]: *Iesus populum de terra Aegypti salvans, secundo eos qui non crediderunt, perdidit. — Aegyptus* enim interpretatur coangustatio et tenebrae sive tribulatio. Unde tunc Iesus *salvavit populum* sunm credentem sibi *de terra Aegypti*, quando eos salvavit a coangustatione propriae iniquitatis, ab obcaecatione ignorantiae depravantis, ab oppressione sive tribulatione adversae potestatis, per impetrationem *generalis veniae*, per infusionem *illuminantis gratiae*, et per evasionem *apprimentis potentiae. Et eos qui non crediderunt, perdidit*, per damnationem mortis aeternae.

Primo.

Secundo crediderunt discipuli, per eius sapientiam obcaecatum *oculum rationis illustrari.* Unde Ioannis duodecimo [4]: *Ego lux in mundum veni, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat. Fidelis sermo et omni acceptione dignus*, quoniam *Iesus Christus, candor lucis aeternae* [5], lumen Angelorum *venit in mundum* nube humanitatis contemperatum, non obscuratum, ut fieret lumen terrenorum, *ut omnis, qui credit in eum*, humiliter et cum reverentia, *non maneat in tenebris*, damnosae ignorantiae, *sed habeat lumen vitae.* Et hoc fuit figuratum in illuminatione caeci in Iesum Christum humiliter credentis et cum reverentia adorantis; Ioannis nono [6]: *Tu credis in Filium Dei?* Sequitur: *Credo, Domine; et procidens adoravit eum.*

Secundo.

Tertio crediderunt discipuli, per eius clementiam antiquum Dei et hominis *bellum reconciliari;* unde Ioannis primo [7]: *Dedit eis potestatem, filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* — O donum ineffabile, o virtus amabilis, sine qua ceterae virtutes evanescunt! Nam etsi omnium virtutum gratuitarum incrementum procedat ex dilectione, tamen a fide habent primum fundamentum, quoniam *sine fide impossibile est Deo placere.* Haec est illa virtus, scilicet fides de Crucifixo, quae [8] discordes foederat, antiqua bella Dei et hominis compescendo vel pacificando reconciliat et de inimico non tantum facit amicum, sed verum atque dilectum filium adoptivum. Haec est, quae iram placat rigorem institiae mitigando et etiam evacuando. Haec est, quae vincit invincibilem omnia prospera pro voto impetrando. Unde Ioannis decimo sexto [9]: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Et ego rogabo Patrem meum de vobis; ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis et credidistis, quia a Deo exivi* etc. Rogemus etc.

De tertio.

Schema praecedentis sermonis [10].

Item, sermo fratris Bonaventurae apud Assisium.

Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galileae et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli eius, Ioannis secundo [11].

Divisio.

Circa Dominum Iesum Christum tria nota ad nostram aedificationem: primum est apparentis *virtutis principium;* secundum est latentis *Divinitatis indicium;* tertium est docentis *veritatis praeconium.*

Pars I. Signa tria.

I. Quantum ad primum nota, quod in die Epiphaniae, quamvis revolutis annis, Christus fecit signum *spectabile* in deductione stellae fulgentis; Isaiae undecimo [12]: *Levabit* Dominus *signum in nationes et congregabit profugos Israel* etc. — *Admirabile* in transmutatione naturae elementaris; Ecclesiastici trigesimo sexto: *Innova signa et immuta mirabilia. — Amabile* in sanctificatione undae regenerantis; Psalmus: *Fac mecum signum in bonum* etc.

Pars II. Per tria significat triplex manifestatio.

II. Circa secundum nota, quod per signum *stellae deducentis* manifestavit claritatem sapientiae gubernantis; Ecclesiastici sexto [13]: *Investiga* sapientiam *et manifestabitur tibi. — Elementi originem mutantis* manifestavit sublimitatem potentiae creantis; Ioannis nono: *Ut manifestentur opera Dei in illo. — Undae regenerantis* manifestavit benignitatem clementiae reparantis; Ioannis ultimo: *Hoc iam tertio manifestatus est Iesus discipulis suis* etc.

---

[1] Id est, qui sumus in morte, nisi legendum esset cum E *in mortem*, id est, ut moriatur originale peccatum etc.

[2] Psalm. 44, 17.

[3] Vers. 5.

[4] Vers. 46; sequitur I. Tim. 1, 15.

[5] Sap. 7, 26; sequitur Ioan. 8, 12.

[6] Vers. 35. 38.

[7] Vers. 12; sequitur Hebr. 11, 6.

[8] Cod. F hic et infra cum C bis *Hic est qui* pro *Haec est, quae.*

[9] Vers. 23-26.

[10] Ex A fol. 100 r. Convenit sermo cod. biblioth. Carolopolitanae (Charlesville), n. 92. fol. 73.

[11] Vers. 11.

[12] Vers. 12; sequuntur Eccli. 36, 6. et Ps. 85, 17.

[13] Vers. 28; sequuntur Ioan. 9, 3. et c. 21, 14.

Pars III. Illuminatio ad 3 obiecta fidei.

III. Circa tertium autem nota, quod discipuli fuerunt ex hoc praeilluminati ad tria, scilicet ut crederent, per eius sapientiam *oculum rationis* obcaecatum veraciter *illuminari;* Ioannis sexto [1]: *Verba vitae aeternae habes, et nos credimus et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei.* — Ut crederent, per eius potentiam durissimum *Pharaonis imperium* irrefragabiliter *exterminari;* Ioannis vigesimo: *Ut credatis, quia Iesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine eius.* — Ut crederent, per eius clementiam antiquum *Dei et hominis divortium* firmiter *restaurari;* Ioannis primo: *Dedit eis potestatem, filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.*

Sermo II [2].

Dominica secunda post Epiphaniam, sermo fratris Bonaventurae ad Cluniacenses Monachos.

Spiritu ferventes, Domino servientes, id ipsum invicem sentientes, non alta sapientes, sed humilibus consentientes, ad Romanos duodecimo [3].

Divisio.

Hortatur nos his verbis Apostolus primo ad *caritatis flagrantiam,* ut non simus frigidi; secundo, ad *Maiestatis theosebiam,* ut non simus rigidi; tertio, ad *humilitatis condescendentiam,* ut non simus fastuosi. Primum consistit in interiori spiritus fervore; secundum in divino cultu et honore; tertium in intellectus captivatione. Quantum ad primum dicit: *Spiritu ferventes;* quantum ad secundum subdit: *Domino servientes;* quantum ad tertium subnectit: *id ipsum invicem sentientes, non alta sapientes, sed humilibus consentientes.*

De primo notatur tria.

Quantum ad primum nota, quod secundum triplicem ignis considerationem, scilicet prout est ignis *carbo,* ignis *flamma,* ignis *lux,* debemus triplicem fervorem spiritus habere, scilicet in *dilectione,* quae facit animam langnescere prae amoris magnitudine.

Sermo III [4].

Item, sermo fratris Bonaventurae Fratribus de Lugduno, in Capitulo de mane.

Quodcumque dixerit vobis, facite, Ioannis secundo [5].

Virgo sacratissima, aeternae sapientiae familiare vas, his verbis nos instruit obedire Filio suo, Domino nostro, in sacris documentis et sacris suis dictis tripliciter, scilicet *affectu universali,* ibi: *Quodcumque; affatu salutari,* ibi: *dixerit vobis; effectu laudabili,* ibi: *facite.* Et vere, libenter audienda est quae tam raro locuta fuisse invenitur. Divisio.

Circa totum nota, quod audiendus est Christus, Dei Filius, in suis doctrinis et dictis et consiliis tanquam Verbum, in quo dicta et per quod *facta sunt omnia* [6]; tanquam Verbum, inquam, *bonum,* secundum illud Psalmi; *vivum,* secundum illud Apostoli; *salutiferum,* secundum illud Actuum [7]; *verax,* secundum illud Ecclesiastici; *iucundum,* secundum illud Ieremiae [8]; *aeternum,* secundum illud Isaiae. In hoc enim Verbo, Dei Filio, sicut in *primaria* rerum *conditione* Deus creavit primam materiam tanquam omnium corporalium ultimum principium et fundamentum et in ipso *distinguendo* et *ornando* creata; unde plura [9] verba postmodum dixit; sic per Verbum in *reparatione* unum verbum dixit informativum bonae voluntatis animae et eius universalis salutis tanquam spiritualis fundamenti colligativum et fundativum, et alia verae verba vitae tanquam corporis et animae *distinctiva* salubriter et *ornativa* spiritualiter et *perfectiva* vel salvandiva sempiternaliter. Verbi proprietates. Notandum

In principio enim, id est in Filio suo sive Verbo, *creavit Deus caelum et terram,* id est primam materiam, omnium corporum primarium fundamentum, Genesis primo [10]. In Evangelio per Verbum suum dixit, Matthaei quinto: *Amen dico vobis, donec transeat caelum et terra, iota unum aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant,* tanquam *informativum bonae voluntatis universaliter,* quae est fundamentum et materia omnium sacrorum operum. — In principio dixit, Genesis primo [11]: *Fiat lux,* tanquam totius creaturae decorativa et acceptativa, in figura obedientiae sanctae, quae ad modum lucis se habet in anima. In Evangelio dixit, Matthaei quinto: *Dico enim vobis, quia, nisi abundaverit iustitia vestra plus quam scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum.* Haec est obedientia, qua carebant Pharisaei. — In principio dixit, Genesis primo [12]: *Fiat firmamentum in medio aquarum,* in figura benignitatis, quae conservando pacem ex omni parte omnibus condescendit. In Evangelio vero, Matthaei quinto, dixit: *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio,* propter crudelitatem, qua fratribus suis non parcit. — In principio, Genesis Septem verba creationis et reparationis. Primum. Secundum. Tertium. Quartum.

---

[1] Vers. 69. seq.; sequitur Ioan. 20, 31. et c. 1, 12.

[2] Ex A fol. 98 v. et B fol. 21 v.

[3] Vers. 11. 16.

[4] Ex A fol. 99 r.

[5] Vers. 5.

[6] Ioan. 1, 3; sequuntur Ps. 44, 2: *Eructavit cor meum verbum bonum;* et Hebr. 4, 12: *Vivus est sermo Dei et efficax.*

[7] Scilicet cap. 4, 12: *Nec aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* — Sequitur Eccli. 37, 20: *Ante omnia opera verbum verax praecedat te.*

[8] Cap. 15, 16: *Factum est mihi verbum tuum in gaudium et in laetitiam cordis mei.* — Sequitur Isai. 40, 8: *Verbum autem Domini nostri manet in aeternum.*

[9] In apographo hic corrupto pro *plura* habetur *post;* deinde ante *voluntatis animae* ex sequentibus supplevimus *informativum bonae,* ut sensus verborum capi possit.

[10] Vers. 1; sequitur Matth. 5, 18.

[11] Vers. 3; sequitur Matth. 5, 20.

[12] Vers. 6; sequitur Matth. 5, 22.

primo [1]: *Dixit Deus: Congregentur aquae, quae sub caelo sunt, in locum unum, et appareat arida,* in figura pudicitiae, quae omnes concupiscentias sepelit et concludit. In Evangelio dixit, Matthaei quinto: *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo,* per impudicum affectum.

quintum. — In principio dixit, Genesis primo [2]: *Germinet terra herbam virentem et facientem semen et lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum,* in figura veritatis, quae debet vivere in corde et ore et fructificare in opere. In Evangelio dixit, Matthaei quinto: *Ego autem dico vobis, non iurare omnino* etc.; *sit autem sermo vester: est, est; non, non; quod autem his abundantius est a malo*

Sextum. *est,* per falsitatem. — In principio, Genesis primo [3]: *Dixit Deus: Fiant luminaria in firmamento caeli et dividant diem ac noctem,* in figura caritatis geminae distinguentis bonos a malis. In Evangelio dixit, Matthaei quinto: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt*

ptimum. *vos,* per dilectionem perfectam. — In principio dixit, Genesis primo [4]: *Producant aquae reptile animae viventis et volatile super terram,* in figura patientiae, quae inter fluctus vivere facit et omnibus passionibus superfertur et volat. In Evangelio dixit, Matthaei quinto: *Ego autem dico vobis, non resistere malo; sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, praebe illi et alteram.*

In Verbo igitur suo *bono* fecit Deus lucem a principio et per idem dixit verbum obedientiae illuminantis in Evangelio. In Verbo suo *iucundo* fecit firmamentum in medio aquarum et per idem dixit verbum benignitatis conservantis. In verbo suo *vivo* congregavit aquas in locum unum et per idem dixit verbum pudicitiae congregantis. In Verbo suo *salutifero* fecit luminaria in firmamento caeli et per idem dixit verbum caritatis universaliter distinguentis. In Verbo suo *aeterno* produxit reptile animae viventis et volatile et per idem dixit verbum patientiae superferentis. — *Quodcumque* ergo *dictum est* sic in eo et per eum, secundum consilium Virginis *affectu, affatu* et *effectu est implendum* et *faciendum.*

Proprietates verbi quinque.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

Sermo I [5].

Ecce, leprosus veniens adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare, Matthaei octavo [6].

Prothema. *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.*

Homo miserabilis ex sui transgressione primaoductio. ria triplex iugiter deplorat incommodum, scilicet *debilitatis* et *impotentiae* in effectu, et hoc per recessum a summa maiestate; *necessitatis* et *indigentiae* in profectu, et hoc per recessum a summa bonitate; *crudelitatis* et *duritiae* in affectu, et hoc per recessum a summa pietate; et idcirco in verbis secundo loco positis, quae in Threnorum quarto Jeremiae leguntur, triplex praenotatur incommodum, scilicet *impotentiae* et *debilitatis* in effectu, cum praemittit: *Parvuli,* scilicet debiles et impotentes; *indigentiae* et *necessitatis* in profectu, cum sequitur: *petierunt panem;* omnis enim petitio praesupponit necessitatem et indigentiam in petente; *duritiae* et *crudelitatis* in affectu, cum subiungitur: *et non erat qui frangeret eis.* Nos igitur, volentes quaedam utilia congregationi praesenti proponere, debemus primo mentes nostras ad misericors et fontale principium rogando dirigere, ut ab *effectu* nostro auferat *debilitatem* et *impotentiam,* ipsum fortificando; a *profectu* auferat *necessitatem* et *indigentiam,* ipsum amplificando; ab *affectu* auferat *crudelitatem* et *duritiam,* ipsum rectificando; ut sic in effectu *fortificati,* in profectu *dilatati,* in affectu *rectificati,* possimus aliqua dicere, quae sunt ad laudem et gloriam sui benedicti nominis et animarum nostrarum consolationem. Amen.

Ecce, leprosus veniens etc.

« Quia quaelibet Christi actio nostra est instru- Sermo.
ctio », sicut dicit beatus Augustinus [7]; ideo hodierna curatio exterioris leprae corporalem pulcritudinem deformantis, quae est significatio leprae interioris spiritualem pulcritudinem deturpantis, est nostra instructio [8]. Unde ad nostram instructionem in verbo proposito sub leprosi metaphora a Deo curati describitur conditio peccatoris quantum ad *statum* Divisio. *perpetuae transgressionis* animam deformantis; quantum ad *actum* debitae *subiectionis* animam disponentis, et quantum ad *affectum* discretae *orationis* sive supplicationis animam elevantis. Primo

---

[1] Vers. 9; sequitur Matth. 5, 28.
[2] Vers. 11; sequitur Matth. 5, 34. 37.
[3] Vers. 14; sequitur Matth. 5, 44.
[4] Vers. 20; sequitur Matth. 5, 39.
[5] Habetur in Vaticana et in codd. C D E F et in cod. Tudert. n. 404. fol. 92 v., qui eundem sermonem refert hinc inde abbreviando, sed in prima parte aliqua addendo. Quoad divisionem generalem tantum habetur etiam in cod. Tudert. n. 443. fol. 30 r. Schema eiusdem infra positum habetur in A fol. 100 v. et in codice Carolopolitano supra pag. 181, nota 10. citato fol. 73.
[6] Vers. 2. — Prothema habetur Thren. 4, 4.
[7] Cfr. Libr. de vera Religione, c. 16. n. 32: Tota vita eius in terris... disciplina morum fuit. Et serm. 75. (alias 22. de Diversis) c. 2. n. 2: In omnibus, quae fecit Dominus, admonet nos, quemadmodum hic vivamus.
[8] Vaticana et codices minus congrue post *deformantis* legunt: *est instructio et significatio leprae interioris* etc. Cod. F tamen omittit *et significatio.*

ergo in verbo proposito notatur perpetratae transgressionis *deformatio*, cum subdit: *Ecce, leprosus veniens;* secundo debitae subiectionis *exhibitio*, cum subdit: *adorabat eum, dicens;* tertio discretae supplicationis *petitio*, cum subinfert: *Domine, si vis, potes me mundare.* Valde enim fuit discretus in petendo; non enim dixit *descende*[1] vel *veni*, quasi sua praesentia abesset ab aliquo loco; nec *die verbo*, quasi in prolatione verbi esset alligata sua potentia; sed dixit: *si vis*, sciens illud Psalmi: *Omnia, quaecumque Dominus voluit, fecit.*

Pars I. I. Primo ergo in verbo proposito notatur conditio peccatoris quantum ad *statum* perpetratae *transgressionis* animam deformantis, cum dicit: *Ecce, leprosus;* et nomine *leprosi* bene peccator intelligitur.

Subdivisio. Nam sicut morbus leprae est generanti generati *assimilativus*, corporalis pulcritudinis *deformativus* et communis habitationis *separativus;* sic peccatum, maxime multiplicatum, habet haec tria mala in anima facere. Nam primo peccatum *superbiae* et ambitionis animam *assimilat* paternae malignitati; secundo, peccatum *luxuriae* et fornicationis animam *deformat* in pulcritudine naturali; tertio, peccatum *avaritiae* et cumulationis animam *separat* a communi habitatione, scilicet paradisi. Unde peccatum *superbiae* ratione malignitatis, cui assimilat, est odiendum; peccatum *luxuriae* ratione foeditatis, quam inducit, est abhorrendum; peccatum *avaritiae* ratione separationis a Deo, quam facit, est fugiendum.

Primo, de effectu superbiae. Primo peccatum *superbiae* et *ambitionis* ad modum leprae animam assimilat paternae malignitati; unde dicitur secundi Paralipomenon vigesimo sexto[2]: *Elevatum est cor eius in interitum suum, et neglexit Dominum Deum suum;* et sequitur: *statimque orta est lepra in fronte eius coram sacerdotibus in domo Domini.* — Ozias ille, superbus et elatus in corde, datus est *in interitum* mortis aeternae, quia *neglexit Deum* omnipotentem, et imitatur per omnia diabolicam pravitatem; et ideo, sicut in spirituali fronte diaboli apparuerunt signa superbiae coram Angelis bonis sibi resistentibus in caelo empyreo, sic *in fronte* Oziae, paternam malignitatem imitantis, *orta est lepra*, in signum *superbiae*, quia elevatus et infectus erat in anima *coram sacerdotibus* ei resistentibus *in domo Domini.*

Secundo, de effectu luxuriae. Secundo peccatum *luxuriae* et *fornicationis* ad modum leprae animam *deformat* in pulcritudine naturali; unde dicitur Levitici decimo tertio[3]: *Contaminatum ac sordidum se clamabit. Omni tempore, quo leprosus est* etc. — Et bene infectus vitio luxuriae debet *se proclamare contaminatum ac sordidum*, eo quod ex immundis affectionibus, inordinatis motibus et illicitis operationibus adeo sordidatur et contaminatur, ut multo abominabilior sit angelicis spiritibus quam leprosus aspectibus quorumlibet hominum[4]. *Nec* unquam decor Spiritus sancti *habitabit in corpore subdito peccato*[5], luxuriae. Certe, super omnia debemus niti ad acquirendam istam munditiae et castitatis pulcritudinem, quia per istam provocaremus Spiritum sanctum in amorem et concupiscentiam nostri. Unde debemus toto conatu amovere a nobis inordinata desideria et immundas cogitationes, quia, sicut, quando abundant multi humores corrupti in corpore, generant quandam scabiem et impetiginem et aliquando lepram, tollentes munditiam corporis, sic inordinatae affectiones, immundae cogitationes et corrupti motus carnales generant scabiem incontinentiae, lepram luxuriae et tollunt munditiam castitatis et pudicitiae; ac per hoc corpus fit foetidum habitaculum diaboli, non Spiritus sancti.

Tertio, de effectu avaritiae. Tertio peccatum *avaritiae* et *cumulationis* ad modum leprae animam *separat* a communi habitatione paradisi; unde quarti Regum quinto[6]: *Lepra Naaman adhaerebit tibi et semini tuo usque in sempiternum; et egressus est ab eo leprosus quasi nix.* — Quia istum Giezi et quemlibet avarum ardor avaritiae commovet et incitat accipere illicite bona temporalia, ideo dicitur, quod *lepra Naaman*, qui commovens vel commotio interpretatur, *adhaerebit sibi*, et etiam cuilibet imitanti eum; et quemadmodum leprosus expellitur a communi habitatione sanorum hominum, ita avarus, eligens terrenam habitationem cum talpa et *statuens oculos* concupiscentiae *declinare in terram*, privat se communi habitatione Sanctorum. Unde *leprosus* ab Eliseo *egressus* dicitur, id est a consortio cuiuslibet viri sancti, cuius habitatio et *conversatio in caelis est* per appetitum cum Angelis.

Pars II. II. Sequitur: *Adorabat eum, dicens;* ubi notatur debitae *subiectionis exhibitio*, eo quod sic adorando exhibet divinae latriae cultum. Exhibebat enim Christo divinae latriae cultum, cum *adorabat eum:* primo cum *humiliatione timoris* et reverentiae in corde, ratione creantis potentiae; secundo, cum *expressione honoris* et magnificentiae in ore, ratione gubernantis sapientiae; tertio, cum *ostensione amoris* et benevolentiae in opere, ratione redimentis et glorificantis clementiae. Et sic ratione istarum trium proprietatum soli Deo et non alii debetur cultus latriae.

Subdivisio. Primo ergo *adorabat eum* cum *humiliatione timoris* et reverentiae *in corde*, ratione creantis potentiae; unde in Psalmo[7]: *Adorabo ad templum sanctum tuum et confitebor nomini tuo.* Nullus enim perfecte potest Deum adorare, nisi habeat maximam reverentiam ad Maiestatem divinam. Quis enim potest

Prima, de humiliatione in corde.

---

[1] Ioan. 4, 49; sequuntur Matth. 9, 18; Luc. 7, 7. et Ps. 113, 11.

[2] Vers. 16. 19.

[3] Vers. 45. seq.

[4] Ita D; Vaticana legit: sit angelicis spiritibus eum intueri, quam sanis hominibus leprosum aspicere.

[5] Sap. 1, 4.

[6] Vers. 27; sequuntur Ps. 16, 11. et Phil. 3, 20.

[7] Psalm. 137, 2; sequitur Prov. 1, 7; cfr. Ps. 110, 10.

mentali intuitu intueri summum bonum in maiestate Domini et severitate iudicii, quando resiliat in propriam parvitatem? Discamus ergo Christi admirari et formidare virtuositatem potentiae, si volumus provocare in amorem et concupiscentiam nostri pulcritudinem sapientiae. Nam *principium sapientiae* est *timor Domini*, quod disponit et purificat os cordis et oris ad cultum divinae sapientiae.

Secundo *adorabat eum* cum *expressione horis* et magnificentiae *in ore*, ratione gubernantis sapientiae; unde in Psalmo [1]: *In conspectu Angelorum psallam tibi, adorabo ad templum sanctum tuum.* — Tunc homo *psallit* Deo *in conspectu Angelorum* et non in conspectu hominum terrenorum, quando non psallit ad vanam gloriam nec propter temporalia lucra, sed solum ad laudem et gloriam Creatoris cum puritate et rectitudine intentionis. — *Adorabo ad templum sanctum tuum. Templum sanctum* Dei est corpus mundum et immaculatum, in quo anima Deum adorat et eius nomini confitetur. Portae eius sunt quinque sensus, qui sunt omni diligentia conservandi, ne mors foeditatis peccati intret per eos, quia, sicut non placet regi vinum, quod hauritur de vase immundo mediante foramine superficialiter pulcrificato, sic non placet Christo laudatio sive oratio, quae egreditur de corde immundo mediante ore superficialiter devoto.

Secundo, *nomen expressione horis*

Tertio *adorabat eum* cum *ostensione amoris* et benevolentiae *in opere*, ratione redimentis et glorificantis clementiae; unde dicitur Matthaei secundo [2] de Magis: *Videntes stellam, gavisi sunt gaudio magno valde, et intrantes domum, invenerunt Puerum cum Maria, Matre eius, et procidentes adoraverunt eum; et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera: aurum, thus et myrrham.* Ecce, quod Magi in exhibitione cultus latriae habebant fervorem amoris et benevolentiae, quia non vendiderunt ex cupiditate, sed obtulerunt spontanea voluntate Puero parvulo in signum amoris et benevolentiae, non timoris et poenae. Hoc est enim caritatis sive amoris donum, sine quo nullum donum acceptatur. Ipsa enim caritas reddit voluntatem *hilarem* respectu sui; unde dicitur: *Gavisi sunt gaudio magno; concordem* respectu proximi; unde sequitur: *intrantes domum; liberalem* respectu dati [3]; unde subditur: *apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera: aurum, thus et myrrham*, in signum expressionis fidei interioris.

tio, cum stensione meris.

flectus caitatis triplex.

III. Tertio subditur discretae *supplicationis petitio*, cum dicit: *Domine, si vis, potes me mundare.* In enim fuit discretus ille leprosus in petendo mundationem sui corporis, ut quemlibet alium infectum lepra spirituali informet ad petendum suo exemplo sanctificationem animae suae. Unde quicumque est infectus vitio alicuius leprae praedictae, debet discrete secundum morbum petere discretum medicamentum. Nam primo *superbus* debet petere mundari a tumore superbiae per timorem filialis reverentiae; secundo, *luxuriosus*, a foetore luxuriae per decorem sive odorem castitatis et munditiae; tertio, *avarus*, ab ardore avaritiae per dulcorem spiritualis laetitiae; ut, sicut anima deordinata est aversa a Patre per tumorem superbiae, a Filio per foetorem luxuriae, a Spiritu sancto per ardorem avaritiae, ita ordinetur ad Patrem per timorem filialis reverentiae, ad Filium per candorem sive odorem castitatis et innocentiae, ad Spiritum sanctum per dulcorem spiritualis laetitiae.

Petitio triplex.

Primo ergo mundamur a *tumore superbiae* per timorem filialis reverentiae; unde secundae ad Corinthios septimo [4]: *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.* — Sicut foetor luxuriae est *inquinamentum carnis*, sic tumor superbiae est *inquinamentum spiritus*; unde primum dicitur peccatum carnale, secundum peccatum spirituale. Et quia non placet Deo qui emundet corpus ab inquinamento luxuriae per amorem castitatis et munditiae, nisi etiam emundet spiritum ab inquinamento superbiae per timorem filialis reverentiae; ideo dicit Apostolus: *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus.* Sed quia, nisi timor Domini praecedat, comitetur et subsequatur nostram emendationem, nequaquam possumus sanctificationem perficere, quoniam *qui sine timore est non iustificabitur*; ideo sequitur: *perficientes sanctificationem in timore Domini.*

De prima.

Notandum.

Item.

Secundo, a *foetore luxuriae* mundamur per decorem castitatis et pudicitiae; secundae ad Timotheum secundo [5]: *Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum et utile Domino ad omne opus bonum paratum. Iuvenilia desideria fuge.* — *Si quis ergo emundaverit se ab his* inquinamentis luxuriae per amaritudinem contritionis et poenitentiae, *erit vas in honorem sanctificatum*, per pulcritudinem caelestis gratiae sive castitatis et munditiae; *et utile Domino ad omne opus*, per complacentiam divinae voluntatis. Non enim placet nobilissimo Regi Christo neque acceptatur in opere ministerii sui vas sordidum et immundum. *Iuvenilia desideria fuge;* non dicit: *resiste*, sed *fuge*, quia melius superatur vitium luxuriae per fugam quam per resistentiam.

De secunda.

Tertio, ab *ardore avaritiae* mundamur per dulcorem spiritualis laetitiae; unde Ezechielis trigesimo sexto [6]: *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris,*

De tertia.

Pars III.

---

[1] Psalm. 137, 1. seq.
[2] Vers. 10. seq.
[3] De his tribus effectibus caritatis vide supra pag. 164, serm. 5. p. I.
[4] Vers. 1; sequitur Eccli. 1, 28.
[5] Vers. 21. seq.
[6] Vers. 25.

et ab universis idolis vestris mundabo vos. — Quia enim mens avari aestuat variis desideriis, ardet terrenis affectionibus; non enim quiescit per diem inutilibus distractionibus nec per noctem variis cogitationibus; ideo dicit Dominus: *Effundam super vos*, depressos ad terrena, *aquam mundam*, id est gratiam Spiritus sancti ad refrigerationem ardoris avaritiae, cuius gustatio tanto dulcore refrigerat ardentem animam terrenis affectionibus, ut desipiat omnis appetitus ardoris et terrenitatis. *Et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris et ab universis idolis vestris.* Dicitur peccatum avaritiae *omne inquinamentum*, eo quod *cupiditas est radix omnium malorum*[1]; appellatur nihilominus nomine *idolorum*, quia, secundum Apostolum, *avaritia est idolorum servitus.* Et propter hoc valde bonum consilium dabat Dominus Lucae undecimo: *Verumtamen, quod superest date eleemosynam, et ecce, omnia munda sunt vobis.*

Schema praecedentis sermonis.

Dominica tertia post Epiphaniam. Sermo fratris Bonaventurae Fratribus de Lugduno.

Ecce, leprosus veniens adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare, Matthaei octavo[2].

Spiritualiter in his verbis tria nota. Describitur Divisio. enim in eis conditio peccatoris tripliciter, scilicet quantum ad *statum* perpetratae *transgressionis* animam deformantis, cum dicitur: *Ecce, leprosus;* quantum ad *actum* debitae *recognitionis* animam disponentis, cum subditur: *veniens adorabat;* quantum ad *effectum* discretae *petitionis* animam elevantis, cum additur: *Domine, si vis, potes me mundare.*

Pars I. Peccatum assimilatur leprae tripliciter. I. Circa primum nota, quod morbus leprae est peccatum, quia est generati ad generantem *assimilativum;* assimilatur enim diabolo sicut patri in superbia et ambitione; secundi Paralipomenon vigesimo sexto[3]: *Elevatum est cor eius, et statim orta est lepra in fronte eius.* — Spiritualis pulcritudinis *deformativum;* spoliat enim omni habitu gratuito, sicut patet in luxuria; Levitici decimo tertio: *Contaminatum ac sordidum se clamabit. Omni tempore, quo leprosus est* etc. — Unitatis ecclesiasticae quantum ad meritum *privativum;* privat enim iustorum participione, sicut patet quarti Regum quinto: *Egressus est Giezi ab Eliseo leprosus* etc.

Pars II. Adoratio triplex. II. Quantum ad secundum nota, quod peccator post recognitionem debet adorare Dominum Iesum tripliciter, scilicet *humiliter* et reverenter in corde; Psalmus[4]: *Adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.* — *Honorabiliter* et magnifice in ore; Psalmus: *In conspectu Angelorum psallam tibi, adorabo* etc. — *Benevolenter* et amorose in opere; Matthaei secundo: *Procidentes adoraverunt eum* etc.

Pars III. Petitio triplex. III. Circa tertium nota, quod deberet petere emundari *superbus* a tumore per timorem reverentiae; secundae ad Timotheum secundo[5]: *Si quis emundaverit se ab istis* etc. — *Luxuriosus* a foetore per decorem munditiae; secundae ad Corinthios septimo: *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus* etc. — *Avarus* ab ardore per adeptionem spiritualis opulentiae; Ezechielis trigesimo sexto: *Effundam super vos aquam mundam* etc., *et ab universis idolis vestris mundabo vos.*

Sermo II[6].

Item, sermo fratris Bonaventurae populo Lugdunensi.

Extendens Iesus manum tetigit eum, dicens: Volo: Mundare[7].

Circa Iesum, nostrum medicorum medicum, tria nota his verbis: primum est *celsitudo potestatis* Divisio. ipsum reddens admirabilem; secundum est *mansuetudo pietatis* ipsum reddens venerabilem; tertium est *promptitudo virtutis* ipsum reddens commendabilem[8]. Primum, ibi: *Extendens Iesus manum;* secundum, ibi: *tetigit eum;* tertium, ibi: *dicens: Volo. Mundare.*

Pars I. Potentiae affectus triplex. I. *Extendit* autem *Iesus manum*: ut *captivum liberet* manu potentiae, culpam delendo; Deuteronomii quinto[9]: *Eduxit te Dominus Deus tuus de Aegypto in manu forti et brachio extento.* — Ut *liberatum revocet* manu sapientiae offensam dimittendo; secundi Regum decimo quinto: *Cum accederet ad eum homo, ut salutaret illum, extendebat manum suum et apprehendens osculabatur eum.* — Ut *revocatum sibi ostenderet* manu clementiae veniam promittendo; Marci primo: *Iesus autem misertus eius, extendit manum suam et tangens eum, ait illi: Volo: Mundare;* Esther quinto: Rex Assuerus *extendit virgam auream, quam tenebat manu*, in signum clementiae.

Pars II. Tactus effectus triplex. II. *Tangit* vero Iesus: ut *excitet dormientes;* tertii Regum decimo nono[10]: *Et ecce, Angelus Domini tetigit eum et dixit illi: Surge et comede.* — Ut *stimulet negligentes;* tertii Regum decimo nono: *Reversusque est Angelus Domini secundo et tetigit eum dixitque illi: Surge, comede.* — Ut *dirigat proficientes;* Danielis nono: *Ecce, vir Gabriel, cito volans, tetigit me in tempore sacrificii vespertini, et*

---

[1] Epist. I. Tim. 6, 10; sequuntur Eph. 5, 5. et Luc. 11, 41.
[2] Vers. 2.
[3] Vers. 16. 19; sequuntur Lev. 13, 45. seq. et IV. Reg. 5, 27.
[4] Psalm. 5, 8; sequuntur Ps. 137, 1. seq. et Matth. 2, 11.
[5] Vers. 21. seq.; sequuntur II. Cor. 7, 1. et Ezech. 36, 25.
[6] Ex A fol. 100 r. et B fol. 22.
[7] Matth. 8, 3. [8] Cod. B habet *amabilem.*
[9] Vers. 15; sequuntur II. Reg. 15, 5; Marc. 1, 41. et Esth. 5, 2.
[10] Vers. 5; sequuntur v. 7. et Dan. 9, 21. seq.

docuit me loquutusque est mihi dixitque: Daniel, nunc egressus sum, ut docerem te, et intelligeres.

rs III. Ma- la triplex.

III. Circa tertium nota, quod triplex viget in nobis macula triplici indigens medicina, scilicet macula *turpium cogitatuum*, indigens medicina orationis, ut dicatur: *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis* [1]. — *Vitium affatuum*, indigens medicina circumcisionis, secundum illud Isaiae sexto: *Ecce, tetigit hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur.* — *Indecentium actuum*, indigens medicina emendationis, secundum illud Iob vigesimo secundo: *Salvabitur innocens, salvabitur autem in munditia manuum suarum.*

Sermo III [2].

Item, sermo fratris Bonaventurae Fratribus Parisius.

Domine, si vis, potes me mundare, Matthaei octavo [3].

Sanctus iste leprosus, quasi figuraliter totius generis humani personam assumens et sui peccati lepram et divinae pietatis abundantiam recognoscens,
Divisio. tria in verbis his facit; primo *reveretur* humiliter divinam *maiestatem*, ibi: *Domine;* secundo *confitetur* simpliciter divinam *potestatem*, ibi: *si vis, potes;* tertio *causatur* confidenter suam *necessitatem*, ibi: *me*, leprosum, *mundare*.

Circa totum nota, quod iste leprosus significat humanum genus, quod ita lepra primi peccati originalis perfusum erat, quod nisi per Christum mundari non poterat. Sed Christo *de monte*, hoc est Divinitatis altitudine, ei *condescendente* [4], mundatum est sufficienter, licet non quantum ad omnes efficienter.

e orto ndatio- quadro- plici.

Considerantibus autem nobis diligenter istius emundationis *ortum*, invenimus, quod radicem habet in unoquoque homine ab *incarnationis sacramento* fideliter recogitato; ad Titum secundo [5]: *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri* etc., *qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate et mundaret sibi populum acceptabilem* etc. — A *praedicationis documento* memoriae commendato; ad Ephesios quinto: *Dilexit Ecclesiam et se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans* eam *lavacro aquae in verbo vitae*, hoc est documento evangelico; Ioannis decimo quinto: *Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* — A *passionis medicamento* salubriter ruminato; ad Hebraeos nono [6]: *Sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi.* — Ab *effusionis Spiritus sancti lavacro* desideranter suscepto; Ezechielis trigesimo sexto: *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, et ab universis idolis vestris mundabo vos.*

Item, de eisdem modo.

Modum invenimus, quo mundificamur et mundificati ostendimur: per *humilitatem obedientiae;* Proverbiorum vigesimo [7]: *Ex studiis suis intelligitur puer*, id est humilis et subiectus servus Dei, *si munda et recta sint opera eius*, per humilitatis sincerae sedulitatem. — Per *integritatem pudicitiae;* Proverbiorum vigesimo primo: *Qui autem mundus est*, per universalem interiorum et exteriorum sensuum sanctimoniam, *rectum opus eius*, id est ante divinum beneplacitum [8]. — Per *sinceritatem benevolentiae;* Proverbiorum vigesimo secundo [9]: *Qui diligit cordis munditiam*, nullum amorem nisi divinum admittendo et conservando et possidendo, *propter gratiam labiorum suorum*, id est intellectus et affectus a solo Dei amore praeventorum et possessorum, *habebit amicum regem*, Deum, qui est *Rex regum et Dominus dominantium.* — Per *longanimitatem perseverantiae;* secundi Machabaeorum septimo: *Hic mundus obiit, per omnia in Domino confidens.*

Item, de eisdem fructu.

Fructum etiam invenimus, qui finis et utilitas nostrae munditiae est: *sublimitas felicitatis* aeternae; Psalmus [10]: *Quis ascendet in montem Domini* etc. *Innocens manibus et mundo corde, hic accipiet benedictionem a Domino. — Claritas maiestatis divinae;* Matthaei quinto: *Beati, mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. — Tranquillitas pacis* infinitae; Iob vigesimo secundo: *Salvabitur innocens, salvabitur autem in munditia manuum suarum. — Satietas suavitatis* perpetuae; unde figuraliter dicitur primi Regum vigesimo primo [11]: *Si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus*, manducent, hoc est, aeternaliter reficiantur in gloria sive *regno*, sedentes *ad mensam* Christi in convivio suo [12].

Hortatio ad tria.

Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei [13].

In his verbis hortatur Apostolus ad tria: primo, ad *caelibatus* evangelici *sanctimoniam deiformem*, ibi: *Mundemus nos* etc.; secundo, ad *candidatus* angelici *vitam christiformem*, ibi: *perficientes sanctificationem;* tertio, ad *praesidatus* supercaelici sive divini *reverentiam altiformem*, ibi: *in timore Dei.*

---

[1] Psalm. 50, 12; sequuntur Isai. 6, 7. et Iob 22, 30.
[2] Ex A fol. 100 v. et B fol. 23 r.
[3] Vers. 2. [4] Respicitur ibi v. 1.
[5] Vers. 11. 14; sequuntur Eph. 5, 25. seq. et Ioan. 15, 3.
[6] Vers. 14; sequitur Ezech. 36, 25.
[7] Vers. 11; sequitur c. 21, 8.
[8] Cod. B adiungit: Isaiae quinquagesimo secundo (v. 11.): *Mundamini, qui fertis vasa Domini;* secundae ad Corinthios septimo (v. 1.): *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus* etc.
[9] Vers. 11; sequuntur Apoc. 19, 16. et II. Mach. 7, 30.
[10] Psalm. 23, 3-5; sequuntur Matth. 5, 8. et Iob 22, 30.
[11] Vers. 4; dein respicitur Luc. 22, 30.
[12] Hic finit cod. B, et re vera quae sequuntur videntur esse simplex divisio alterius sermonis.
[13] Epist. II. Cor. 7, 1.

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

Sermo I [1].

Domine, salva nos, perimus, Matthaei octavo [2].

Prothema. Quoniam, ut ait Apostolus ad Romanos primo, *Evangelium est virtus Dei in salutem omni credenti;* cum ergo verbum Dei sit ad salutem animarum nostrarum ordinatum, ideo, secundum illud Iacobi primo [3], *in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras.* Quicumque ergo diligit salutem animae suae, diligit audire verbum Dei, sicut qui diligit corporis sanitatem libenter audit verba medici. Et quia efficacia verbi Dei solet aliquando impediri ex defectu praedicatoris proponentis, vel ex defectu populi audientis; ideo respectu utrinsque necessaria est gratia Dei et praedicatori proponenti et populo audienti; et idcirco in principio nostri sermonis rogemus Dominum, ut det mihi proponere et vobis audire ea quae sunt ad laudem et gloriam eius et animarum nostrarum salutem.

Domine, salva nos etc.

Quia securum est discipulis audire veros magistros, commendabile filiis imitari bonos patres atque gloriosum subditis sequi strenuos dominos; ideo in verbo proposito exemplo Apostolorum, verorum magistrorum, bonorum patrum atque strenuorum dominorum, principum fidei christianae, propter imminens periculum corporale divinum auxilium reverenter postulantium et etiam efficaciter obtinentium, admonemur nos, eius discipuli, filii, subditi, in omni necessitate recurrere ad auxilium divinae misericordiae omnibus subvenientis. Unde ad hoc melius faciendum eorum exemplo informamur nos in verbo proposito ordinate procedere, eo quod in verbo praemisso primo praemittitur affectuosa *invocatio excellentis magnificentiae;* secundo additur discreta *insinuatio imminentis indigentiae;* tertio subiungitur devota *petitio auxiliantis misericordiae.* Primo ergo confitentur *potentiam,* cum dicitur: *Domine;* secundo demonstrant *indigentiam,* cum dicitur: *perimus;* tertio implorant *misericordiam,* cum subiungitur: *salva nos.*

Introductio.

Sermo.

Divisio.

I. Primo ergo in verbo proposito commendant *virtutis excellentiam,* cum dicitur: *Domine.* Ista autem excellens virtus et magnificentia, quae in hoc vocabulo *Domine* intelligitur, potest tripliciter accipi: primo, ratione insuperabilis *potentiae* in praevalendo; secundo, ratione ineffabilis *sapientiae* in cognoscendo; tertio, ratione inenarrabilis *misericordiae* in parcendo. Et sic propter potentiae magnificentiam redditur *terribilis* inimicis, propter sapientiae luculentiam *honorabilis* domesticis, sed propter misericordiae affluentiam *amabilis* et desiderabilis miseris et egenis [4].

Pars I. Commendatur excellentia virtutis tripliciter.

Primo habet Dominus virtuositatem *potentiae in praevalendo;* unde dicitur in Psalmo [5]: *Quoniam Dominus excelsus, terribilis, rex magnus super omnem terram, subiecit populos nobis et gentes sub pedibus nostris.* — Iesus Christus est *excelsus Dominus,* propter maiestatem dominii; *terribilis,* propter severitatem iudicii; et *rex magnus super omnem terram,* propter dignitatem imperialis praesidentiae; *subiecit populos nobis et gentes sub pedibus nostris,* propter virtuositatem inexpugnabilis praevalentiae; propter hoc dicitur Esther decimo tertio: *Domine, rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuae resistere voluntati.*

Primo, potentia in praevalendo.

Secundo habet Dominus infallibilem *sapientiae* notitiam *in cognoscendo;* unde dicitur primi Regum secundo [6]: *Recedant vetera de ore vestro, quia Deus scientiarum Dominus est, et ipsi praeparantur cogitationes.* — *Vetera,* sophisticae rationis et philosophicae argumentationis [7] quasi nullius valoris, *recedant de ore vestro,* non quod non debeatis de philosophia *loqui,* sed quod non debeatis ei *inniti,* quia Dominus Iesus Christus, *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae, est Deus scientiarum, cognoscens omnia, novissima et antiqua. Et ipsi praeparantur cogitationes,* ut dirigantur in via veritatis et iustitiae secundum dictamen suae sapientiae, non secundum dictamen rationis philosophicae.

Secundo, sapientia in cognoscendo.

Tertio habet Dominus pietatem *misericordiae in parcendo;* unde Isaiae quinquagesimo quinto [8]: *Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas et revertatur ad Dominum, et miserebitur eius, et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.* — *Derelinquat impius viam suam,* id est peccatum operis; *et vir iniquus cogitationes suas,* id est peccatum cordis; *et revertatur ad Dominum,* cum timore; *et ad Deum nostrum,* cum amore; *et miserebitur eius,* per condonationem omnium delictorum; *quoniam multus est ad ignoscendum,* quia tanta est offensa, quantus est ille qui offenditur. Certe, exemplo grosso, experimento approbato, possumus videre, quod *multus*

Tertio, misericordia in parcendo.

---

[1] Habetur in Vaticana et C D E F et paulo brevius in cod. Tudert. n. 404. fol. 96 r.

[2] Vers. 25. — Prothema, sumtum ex C, habetur Rom. 1, 16.

[3] Vers. 21.

[4] Cod. F habet *aegris.*

[5] Psalm. 46, 3. seq.; sequitur Esth. 13, 9.

[6] Vers. 3.

[7] Cod. D legit: *Vetera, scilicet antiquae conversationis vel sophisticae argumentationis.* — Sequuntur Col. 2, 3. et Ps. 138, 5.

[8] Vers. 7.

est ad ignoscendum. Nam vulgo dicitur[1], quod mulier adultera et sic repudiata et a consortio viri ejecta nequaquam a viro suscipitur, ut ei reconcilietur, propter horrorem foeditatum praeteritarum; anima tamen, cum per aversionem a Deo fuerit *fornicata* in peccatis multis, si converti voluerit, clementer suscipitur a Christo, non propter horrorem praeteritarum foeditatum devitat eius consortium. Et propter hoc dicit Hieronymus, doctor fidelissimus, super illud Ieremiae tertio: *Dixi: Ad me revertere, et non est reversa:* « O divina clementia, o nostra duritia! dum post tanta scelera nos provocat ad salutem, nec sic quidem volumus ad meliora converti ».

II. Sequitur: *perimus,* ubi ostendunt nostram Pars II. *indigentiam.* Exemplo enim istorum Apostolorum quilibet alius debet ostendere Christo suam indigen- Indigentia triplex. tiam et necessitatem, cum videt, se perire: primo, propter *debilitatem* impotentiae succumbentis; secundo, propter *caecitatem* ignorantiae deviantis; tertio, propter *poenalitatem* miseriae opprimentis.

Primo perit aliquis propter *debilitatem impoten-* De prima. *tiae succumbentis;* unde dicitur Exodi decimo[2]: *Nonne vides, quod perierit Aegyptus? — Aegyptus* contradicens divinae voluntati, cognoscens experimentaliter, se periisse ratione debilitatis impotentiae in resistendo poenis sibi illatis, significat quemlibet imbecillem positum in tribulatione et angustia, qui diffidens de divino auxilio et remollescens intuitu fragilitatis suae, perit periculo interioris indigentiae.

Secundo perit aliquis propter *caecitatem igno-* 2 secunda. *rantiae deviantis;* unde Baruch tertio[3]: *Quoniam sapientiam non habuerunt, interierunt propter suam insipientiam.* — Nullus potest devenire ad statum Notandum. salutis, nisi habeat sapientiam; quoniam ipsa est ad Creatorem omnium deductiva, virtutis potentiae ostensiva et divini cultus exhibitiva. Unde philosophi, immo aliqui superbi, volentes potius inniti stoliditati sive vanitati rationis quam soliditati primae Veritatis, ideo *interierunt propter suam insipientiam.* Et nota, quod dicit *suam,* eo quod defectus fuerit ex parte ipsorum, non ex parte divinae sapientiae. O superbia intellectus! quae, dum inflaris ventositate vanae elationis, evacuaris soliditate sapientiae salutaris et infamaris stoliditate aversionis.

Tertio perit aliquis propter *poenalitatem mise-* De tertia. *riae opprimentis;* unde in Psalmo[4]: *Quomodo facti sunt in desolationem, subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam.* — Peccatores homines, cum implentur multis miseriis, opprimuntur magnis poenalitatibus et affliguntur diversis doloribus, nolunt patienter converti ad lacrymas et ploratus et clamare ad Dominum cum humilitate, donec confringantur spinae tribulationis et poenalitatis; sed tanto furore impatientiae permittunt, se superari, immo absorberi, ut subito deficiant in sustinendo; et hoc est quod dicit: *Quomodo facti sunt in desolationem, subito defecerunt* etc. Et quia, quod erat eis materia exercendae virtutis et occasio salutis et gratiae, scilicet poenalitates, convertunt in augmentum culpae; ideo sequitur: *perierunt propter iniquitatem suam.* Certe, summa sapientia est de necessitate facere virtutem, et summa stultitia est de virtute facere peccatum et vitium.

III. Tertio subditur: *salva nos,* ubi notatur de- Pars III. vota *imploratio auxiliantis misericordiae.* Debemus autem exemplo Apostolorum implorare divinam misericordiam, ut primo Deus insuperabilis potentiae Potentia tria. in praevalendo salvet nos a *debilitate impotentiae* succumbentis per influentiam virtutis fortificantis operativam; secundo, Dominus infallibilis sapientiae in cognoscendo salvet nos a *caecitate ignorantiae* deviantis per supersplendentiam lucis illuminantis intellectivam; tertio, Dominus inenarrabilis clementiae in parcendo vel subveniendo salvet nos a *poenalitate miseriae* opprimentis per concomitantiam salutis dulcorantis affectivam.

Primo, Dominus insuperabilis potentiae in prae- De primo. valendo salvat nos a *debilitate impotentiae succumbentis* per influentiam virtutis fortificantis operativam; unde in Psalmo[5]: *Non enim in arcu meo sperabo, et gladius meus non salvabit me. Salvasti enim nos de affligentibus nos et odientes nos confudisti. In Deo laudabimur tota die, et in nomine tuo confitebimur in saeculum.* — Illi sperant salvari *in gladio et arcu suo,* qui praesumentes de sua fortitudine, elatis cogitationibus se extollunt, quibus divinum auxilium merito denegatur; sed recognoscentes suam impotentiam et recurrentes ad divinum auxilium *salvat* Dominus influendo interius virtutem, ne turbentur, et amovendo exterius omne nocivum impedimentum, ne laedantur. Propter hoc exemplo David de omni beneficio debemus non in nobis, sed *in Deo laudari,* et solum *nomini eius confiteri* omne bonum sibi attribuendo.

Secundo, Dominus infallibilis sapientiae in co- De secundo. gnoscendo salvat nos a *caecitate ignorantiae deviantis* per supersplendentiam lucis illuminantis intellectivam; unde Isaiae quadragesimo nono[6]: *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae.* — Filius Dei, qui est lux vera et purissima, carens omni tenebra ignorantiae omnique macula culpae, datus est gratis a Deo Patre populo gentium, *qui ambulabat in tenebris,* ad demonstrandum devia errorum, ne in via erremus praecipitio falsitatis aut deceptionis. *Ut sis salus mea,* divina

[1] Respicitur Ier. 3, 1. — Sequitur Hieron., epist. 122. (alias 46.) ad Rusticum, n. 1. in fine et n. 2, ubi citatur Ier. 3, 7.
[2] Vers. 7. — Infra pro *remollescens* Vaticana *rebellis effectus.*
[3] Vers. 28.
[4] Psalm. 72, 19.
[5] Psalm. 43, 7-9.
[6] Vers. 6; sequitur c. 9, 2.

scilicet, non humana, omnium fidelium; *ab extremis terrae*, videlicet ab oriente fideliter incipientium, ab occidente finaliter morientium, a meridie ferventer amantium, ab aquilone mala poenae viriliter sustinentium, ut sic nulli existenti in aliqua extremitate terrae illa vera salus ratione suae sufficientiae deficiat.

De tertio. Tertio, Dominus inenarrabilis clementiae in parcendo vel subveniendo salvat nos a *poenalitate miseriae opprimentis* per concomitantiam salutis dulcorantis affectivam; unde ad Philippenses tertio [1]: *Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae.* — Si *configurari* volumus corpus nostrum in adventu iudicis *corpori claritatis* Christi, debemus assimilari [2] ad exemplar corporis eius, quod fuit attritum ieiuniis et abstinentiis et proiectum in terra cum verecundia in tormentis ad modum frumenti. Sic corpus nostrum debet deprimi ieiuniis et humiliari afflictionibus, quia tanto corpus cuiuslibet erit *corpori claritatis* Christi *conformius*, quanto pro eius nomine erat humilius. Rogamus etc.

Sermo II [3].

Dominica quarta post Epiphaniam, sermo fratris Bonaventurae Fratribus in conventu Parisiensi.

Ascendente Iesu *in naviculam, secuti sunt eum discipuli eius. Et ecce, motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus,* Matthaei octavo [4].

Quoniam, sicut in *descensu* de monte in praecedenti Dominica Dominus Iesus praebuit se exemplar universorum — *secutae sunt eum turbae multae* [5] — et in *ascensu* naviculae praebuit se exemplar omnium perfectorum — *secuti sunt* enim *eum discipuli eius* — possumus dicere, quod per naviculam intelligitur status perfectionis in Ecclesia sive Divisio. Religionis. Circa quae duo nota in verbis propositis, scilicet evangelicae *perfectionis* salutaris *aggressus*, et diabolicae *impugnationis* multiformis *conatus*. Primum, ibi: *Ascendente* Iesu *in naviculam, secuti sunt eum discipuli eius;* secundum, ibi: *Et ecce, motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus.*

Pars I. Religio comparatur naviculae in tribus. I. Circa primum nota, quod per naviculam intelligitur perfectionis sive Religionis arduitas, quia instar naviculae *spiraculo* caelestis gratiae agitatur, quia non tendit nisi in Deum et ad Deum nec inesse (?) nisi circa Deum et divina; Ioannis sexto [6]: *Statim navis fuit ad terram, in quam ibant;* Iob trigesimo nono: *Nunquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad austrum? — Gubernaculo* regularis disciplinae dirigitur, quia non respicit nisi rationabilia et honesta; Iacobi tertio [7]: *Ecce, et naves, cum magnae sint et a ventis validis mineantur, circumferuntur a modico gubernaculo* etc. — *Pelago* mundialis fluxibilitatis superfertur, quia fugit, calcat omnia alia discrimina et pericula; Proverbiorum trigesimo: *Tria sunt difficilia mihi, et quartum penitus ignoro: viam aquilae in caelo, viam colubri super petram, viam navis in medio mari* etc.

Pars II. Religiosum Religionis simplex. II. Circa secundum nota, quod status perfectionis in Ecclesia vel Religionis habet periclitari instar navis per *subintrationem* paulativam *guttarum*, id est minutorum defectuum ad submersionem dispositionem; Psalmus [8]: *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam.* — Per *concussionem* nimiam *tempestatum*, id est peccatorum latentium ad confractionem deprimentium; Ionae primo: *Misit Dominus ventum in mare, et facta est tempestas magna in mari, et navis periclitabatur conteri.* — Per *onerationem* superfluam *mercium*, id est negotiorum saecularium navem mentis deturbantium; Actuum vigesimo septimo: *Viri, video, quoniam cum iniuria et multo damno non solum oneris et navis, sed etiam animarum nostrarum incipit esse navigatio.*

Analogiae navis. Intelligitur autem *navis* nomine non solum Ecclesia, sed ecclesiastica perfectio et omnis Religio et quaelibet anima evangelica, sicut per *mare* intelligitur mundus iste procellosus, profundus et periculosus. Navis autem Ecclesiae vel perfectionis sive animae sanctae *rector* est Christus, sive ratio; *arbor*, ordo contemplativus, sive intellectus; *velum*, Spiritus sanctus, sive discretio; *ventus*, gratia, sive liberum arbitrium; *nautae* sive remiges, cooperatores Christi, praelati et praedicatores et confessores, sive quatuor affectiones: spes, timor, dolor et gaudium; *remi* sunt ipsae virtutes moventes ad omne bonum; per *puppim* autem navis intelligimus initium Ecclesiae vel perfectionis vel Religionis, vel etiam ipsum ortum hominis; per *proram* intelligimus fines Ecclesiae vel Religionis, vel exitum hominis; per *medium* navis, processus Ecclesiae vel Religionis vel vitae hominis; per *peregrinos*, malos (?), sive cogitationes; per *ancoram*, doctrinam Evangelii, sive fidem; per *portum*, vitam aeternam, sive poenitentiam; per *stellam*, Virginem Mariam; per *lapidem*, caritatem Christi, sive compunctionem et animae devotionem.

---

[1] Vers. 20. seq.; deinde respicitur Ioan. 12, 24.
[2] Supplevimus vocem *assimilari*.
[3] Ex A fol. 101 v.
[4] Vers. 23. seq.
[5] Matth. 8, 1.
[6] Vers. 21; sequitur Iob 39, 26.
[7] Vers. 4. et dein Prov. 30, 18. seq.
[8] Psalm. 68, 2; sequuntur Ion. 1, 4. et Act. 27, 10.

Sermo III [1].

Item, sermo fratris Bonaventurae Parisius, apud Vallem scholarium.

Surgens Iesus imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna, Matthaei octavo [2].

In verbis his Salvatorem nostrum reddunt commendabilem tria, scilicet *condescendens benignitas*, qua assurgit ipsum invocantibus; *praecellens auctoritas*, qua imperat fluctibus saevientibus; *evidens* virtuositas [3], qua statim subvenit periculum insinuantibus. Primum, ibi: *Surgens Iesus;* secundum, ibi: *imperavit ventis et mari;* tertium, ibi: *et facta est tranquillitas magna* [4].

Divisio.

I. *Surgit* autem Iesus ad *reducendum erantes*, ut incipiant; Ieremiae vigesimo quinto [5]: *Misit Dominus ad vos omnes servos suos, Prophetas, consurgens diluculo* etc. — Ad *eruliendum credentes*, ut proficiant; Ioannis decimo tertio: *Surgit a coena et ponit vestimenta sua, et cum accepisset linteum, praecinxit se* etc. — Ad *confortandum perfectos*, ut persistant; Marci ultimo: *Surgens autem* Iesus *mane prima sabbati, apparuit primo Mariae Magdalenae.*

rs I. Iesus surgit ad tria.

II. *Imperat* autem Iesus tria, scilicet *poenitere* de commissis [6]; Ecclesiastae quinto [7]: *Universae terrae rex imperat servienti.* — *Abstinere* ab illicitis; Marci primo: *Spiritibus immundis imperat, et obediunt ei.* — *Moderari* in licitis; Ecclesiastici quadragesimo septimo: *Salomon imperavit in diebus pacis, cui subiecit Deus omnes hostes.*

rs II. Imperat tria.

III. *Facit* vero Iesus *tranquillitatem* triformem, scilicet *conscientiae* [8] contra tempestatem propriae corruptionis; Tobiae tertio [9]: *Post tempestatem tranquillum facis et post lacrymationem et fletum exsultationem infundis.* — *Vitae* contra tempestatem impiorum persecutionis; primae ad Timotheum secundo: *Tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate.* — *Gloriae* contra tempestatem daemonum infestationis; Sapientiae duodecimo: *Tu autem, Dominator virtutis, cum tranquillitate iudicas et cum magna reverentia disponis nos.*

s III. Facit triplicem tranquillitatem.

Sermo IV [10].

Item, sermo fratris Bonaventurae apud Portiunculam.

Domine, salva nos, perimus, Matthaei octavo [11].

Tria in his verbis notantur, scilicet affectuosa *invocatio* divinae *maiestatis*, devota *requisitio* divinae *bonitatis*, discreta *insinuatio* extremae *necessitatis*. Primum, ibi: *Domine;* secundum, ibi: *salva nos;* tertium, ibi: *perimus.*

Divisio.

I. Dicunt ergo: *Domine.* Circa primum nota, quod discipuli vocabant et nos vocare debemus Dominum Iesum antonomastice *Deum;* ipse enim vere est Deus: propter *virtuositatem*, qua est terribilis inimicis; Psalmus [12]: *Quoniam Deus excelsus, terribilis* etc. — Propter *veritatem*, qua est honorabilis domesticis; primi Regum secundo: *Deus scientiarum Dominus est* etc. — Propter *benignitatem*, qua est amabilis egenis; Isaiae quinquagesimo quinto: *Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas et revertatur ad Dominum, et miserebitur eius, et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.*

Pars I. Rationes tres.

II. Circa secundum nota, quod salutem merito debemus invocare a Salvatore exemplo discipulorum salvatorum; *ipse* enim *salvat nos* [13] etc. *Salvari* autem petunt et egent a tribus, scilicet a *debilitate impotentiae* succumbentis triformibus hostibus; Psalmus: *Non enim in arcu meo sperabo* etc. *Salvasti enim nos de affligentibus nos* etc. — A *caecitate ignorantiae* deviantis a caelestibus luminibus; Isaiae quadragesimo nono [14]: *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae* etc. — A *poenalitate miseriae* opprimentis multiplicibus calamitatibus; ad Philippenses tertio: *Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae.*

Pars II. Christus salvat a tribus.

III. Circa tertium nota, quod sine gratiae influentia et caelesti assistentia ad similitudinem discipulorum merito dicimur *perire*: propter defectum *luminis interni*, ad quod non disponimur; Baruch tertio [15]: *Quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam.* — Propter defectum *habitus gratuiti*, ad quem non afficimur; Psalmus: *Quomodo facti sunt in desolationem, subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam.* — Propter defectum *exempli sacri*, quod non intuemur; Exodi decimo: *Nonne vides, quod perierit Aegyptus?* — Propter defectum *consortii boni*, quod non sequimur; Michaeae septimo [16]: *Periit sanctus de terra, et rectus in hominibus non est.* — Propter defectum *exercitii evangelici*, in quo non

Pars III. Periculum pereundi.

---

[1] Ex A fol. 102 v. et B fol. 23 v.

[2] Vers. 26.

[3] Cod. B habet *efficacitas.*

[4] Hic B addit: In eo, quod *surgit*, invocantibus dat exemplum gratiosum, quod et nos sequamur; in eo vero, quod *imperat*, dat praeceptum virtuosum, cui subiiciamur; in eo, quod factum est quod *dixit*, dat effectum gloriosum, quo alliciamur.

[5] Vers. 4; sequuntur Ioan. 13, 4. et Marc. 16, 9.

[6] Cod. B addit: *contra ventum suggestionis diabolicae.* Et deinde post *illicitis* addit: *contra ventum elationis propriae;* et denique post *licitis: secundum ventum consolationis divinae.*

[7] Vers. 8; sequuntur Marc. 4, 27. et Eccli. 47, 15.

[8] Cod. B addit: quae est peccatoris; et post *vitae:* quae est temporis; et post *gloriae:* quae est aeternitatis.

[9] Vers. 22; sequuntur I. Tim. 2, 2. et Sap. 12, 18.

[10] Ex A fol. 102 v. In multis, praesertim in parte prima et secunda, convenit cum serm. I. huius Dominicae.

[11] Vers. 25.

[12] Psalm. 46, 3; sequuntur I. Reg. 2, 3. et Isai. 55, 7.

[13] Isai. 33, 22; sequitur Ps. 43, 7. seq.

[14] Vers. 6; sequitur Phil. 3, 20.

[15] Vers. 28; sequuntur Ps. 72, 19. et Exod. 10, 7.

[16] Vers. 2; sequitur Ps. 72, 27.

occupamur; Psalmus: *Qui elongant se a te peribunt, perdidisti omnes, qui fornicantur abs te.* — Propter defectum *divini præconii*, cui non vacamus; Psalmus [1]: *Servite Domino in timore et exsultate ei cum tremore, apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et peratis de via iusta.* — Propter defectum *peccati quotidiani*, a quo non cessamus; Osee decimo quarto: *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deum suum* etc.

Sermo V [2].

Item, sermo fratris Bonaventuræ in Conventu Parisius.

Motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, Matthæi octavo [3].

Spiritualiter duo hic nota, scilicet hostilis impugnationis *multiformis conatus*, et animæ rationalis *miserabilis* prorsus *eventus*.

Divisio.

Mundus comparatur mari 3 rationibus.

Dicitur autem mundus *mare*, quia, sicut mare est omnium aquarum, id est *concupiscentiarum*, locus; sciendum enim, quod « mare est omnibus fluminibus, fontibus et pluviis origo et quies », ut dicit Philosophus in libro primo Meteororum [4]; sic etc. — Omnium *amaritudinum* poenarum gustus; sicut enim « quantumcumque aquæ de mari exeuntes et a sole coctæ fluvii dulces fiunt », secundum Philosophum [5], ipsum tamen semper retinet amarum; sic etc. — Omnium materiarum corporalium, id est *tribulationum*, gravis casus; sicut enim « ovum mergitur in aqua dulci, quod tamen non mergitur in aqua maris », secundum Philosophum [6]; sic etc. — Omnium salsedinum, id est *infelicitatum*, originalis ortus; sicut enim « salsedo non potest trahi ab aqua maris nisi per vas cereum novum in orificio clausum », secundum Philosophum [7]; sic etc. — Omnium mutationum, id est *instabilitatum*, multiformis eventus; sicut enim, secundum Philosophum [8] et Macrobium, « mare quatuor mutationes recipit in omni mense secundum quatuor septenaria lunæ » et centum quadraginta quatuor genera piscium habet, secundum Plinium [9], varia; sic etc.

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

Sermo I [10].

Simile est regnum cælorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo, Matthæi decimo tertio [11].

Prothema. *Surrexit Elias Propheta sicut ignis*

Introductio.

ardens, *et verbum ipsius quasi facula ardebat.* Verbum istud legitur Ecclesiastici quadragesimo octavo de Propheta illo Elia peccatorum scelera atrociter arguente et etiam verbum virtutis proponente. In quo datur intelligi, quod præducator debet esse a *carnalitate elongatus*, ut lætificet superius agmina Angelorum, et hoc notatur, cum dicit: *Surrexit Elias* etc.; *caritate inflammatus*, ut ardeat interius pro salute universorum, quod notatur, cum subdit: *sicut ignis* ardens; *sanctitate vitæ illustratus*, ut illuminet exterius mentes proximorum, quod notatur, cum subinfert: *verbum ipsius quasi facula ardebat.* — Cum ergo, carissimi, non sim totaliter *elongatus* a carnis voluptate, *inflammatus* ardore caritatis nec etiam *illustratus* vitæ sanctitate; idcirco ante omnia divinæ pietatis clementiam imploremus, ut sua solita pietate *sequestret* nos a carnis voluptate, *inflammet* caritatis ardore et *illustret* vitæ sanctitate, ut, sic *elongati* ab amore carnis, *inflammati* ardore caritatis et *illustrati* splendore sanctitatis, possimus aliqua conferre in medium, quæ sint ad eius laudem et nostrarum animarum salutem.

Simile est regnum cælorum etc.

Sermo.

Quoniam, secundum beatum Dionysium [12], « impossibile est, nobis aliter lucere divinum radium nisi varietate sacrorum velaminum circumvelatum »; hinc est, quod Dominus noster Iesus Christus, sciens, quod magis esset expediens caecutienti generi humano, mirificum opus creationis hominis explicat in verbo proposito sub convenientissima metaphora *hominis seminantis bonum semen in agro suo*, dicens: *Simile est regnum cælorum* etc. Tunc enim Dominus *bonum semen seminavit in agro suo*, quando in agro machinae mundialis *fecit hominem ad imaginem et similitudinem suam.* Sub hac metaphora nobilissima exprimitur creatio hominis quantum ad *principium effectivum* in metaphorica *hominis* significatione; quantum ad *subiectum receptivum* in *agri* nominis designatione et quantum ad *actum intermedium* in *boni seminis* iactatione.

Divisio.

[1] Psalm. 2, 11. seq.; sequitur Osee 14, 1.

[2] Ex A fol. 103 v.

[3] Vers. 24.

[4] Cap. 2; cfr. B. Albert., II. Meteor. c. 11. seq. Vide etiam Eccle. 1, 7.

[5] Loc. cit. c. 3; cfr. B. Albert., loc. cit. c. 7.

[6] Loc. cit. c. 3. et II. de Plantis, c. 1. (c. 3.); cfr. B. Albert., loc. cit. c. 16.

[7] Loc. cit. c. 3; cfr. B. Albert., loc. cit. c. 16.

[8] Cfr. IV. de Generat. animal. c. 10. et II. de Mundo, c. 5. (c. 4.), ubi tangit generalem lunae influxum in mare. Planius insinuatur a Plinio, II. Natural. Histor. c. 99. (alias 97.), quem Beda, de Temporum ratione, c. 29. ita explicat, sicut hic habetur. — Macrob., I. in Somnio Scipionis, c. 6. ratio 4. et 7.

[9] Vide tom. VI. pag. 523, notam 1.

[10] Habetur in Vaticana et C D E F et cod. Tudert. n. 104. fol. 98 r., qui satis convenit, sed in indicatione partium brevior est.

[11] Vers. 24. — Prothema est Eccli. 48, 1.

[12] De Caelesti Hierarch., c. 1. § 3. — Sequitur Gen. 1, 26.

Primo ergo exprimitur creatio hominis quantum ad *principium effectivum*, cum dicit: *Simile est regnum caelorum;* homo ille, metaphorice loquendo, Deus est; secundo exprimitur creatio hominis quantum ad *subiectum receptivum*, cum subdit: *in agro suo;* ager enim est machina mundialis; tertio exprimitur creatio hominis quantum ad *actum intermedium*, cum subinfert: *seminavit bonum semen;* tunc enim *seminavit bonum semen*, quando *hominem creavit ad imaginem et similitudinem suam.*

I. Dicit ergo: *Simile est regnum caelorum*, ubi
Pars I. exprimitur creatio hominis quantum ad *principium effectivum* in metaphora hominis et similitudine. Sed quia tunc bene et perfecte cognoscitur unumquodque, cum cognoscitur quantum ad eius *principium*, *medium* et *ultimum;* ideo, si volumus perfectam cognitionem habere de creatione hominis iuxta possibilitatem intelligentiae nostrae, necesse est, ut eam cognoscamus « quantum ad eius *principium*, *medium*
Subdivisio. et *ultimum*, in quibus perfecta cognitio rei consistit [1] ». *Principium* namque creationis non solum hominis, sed etiam totius universi est *productio potentiae* supernaturaliter operantis; *medium* autem est *gubernatio sapientiae* suaviter disponentis; sed *ultimum* est *consummatio misericordiae et iustitiae* iuxta merita omnibus retribuentis. Primo ergo in creatione hominis productio potentiae tenentis rationem *principii effectivi* assimilatur *homini bonum semen in agro suo seminanti;* secundo gubernatio sapientiae inducentis rationem *medii directivi* assimilatur *patrifamiliae operarios in vineam suam conducenti* [2]; tertio consummatio misericordiae et iustitiae habentis rationem *ultimi complementi* assimilatur *homini regi cum servis suis rationem ponenti.*

Primo *creatio producentis potentiae* tenentis ra-
Primo, de ratione potentiae. tionem *principii effectivi assimilatur homini seminanti bonum semen in agro suo;* unde dicitur Matthaei decimo tertio [3]: *Simile factum est regnum caelorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo. Cum autem dormirent homines, venit inimicus eius et superseminavit zizania.* — Dominus *seminavit bonum semen in agro*, machinae mundialis, quando *hominem fecit ad imaginem et similitudinem suam;* sed *inimicus homo*, id est diabolus, *cum dormirent homines*, scilicet Adam et Eva negligenter agerent in custodia mandatorum Dei, *superseminavit zizania*, id est vitia et peccata, ex quibus nascuntur *filii irae* [4]. Et ista expositio est ex verbis Domini. Unde ibidem sequitur: *Ad eum accesserunt discipuli eius, dicentes: Edissere nobis parabolam zizaniorum agri. Qui respondens ait illis: Qui seminat bonum semen est Filius hominis. Ager autem est mundus; bonum vero semen, hi sunt filii regni. Zizania autem filii sunt nequam; inimicus autem, qui seminavit ea, est diabolus.*

Secundo *gubernatio regentis sapientiae* indu-
Secundo, de gubernatione sapientiae. centis rationem *medii directivi assimilatur patrifamilias operarios in vineam suam conducenti;* unde dicitur Matthaei vigesimo [5]: *Simile est regnum caelorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.* Haec parabola comprehendit regnum Dei a principio usque ad finem. Unde dicitur quinque vicibus operarios in vi-
Notandum. neam suam conduxisse, scilicet *mane*, hora *tertia*, *sexta*, *nona* et *undecima*. *Primo* ergo *mane* misit operarios, quando dedit legem naturae; hora *tertia*, quando dedit legem scriptam; hora *sexta*, quando misit Prophetas ad docendum populum; hora *nona*, quando dedit legem novam, mittens Apostolos *praedicare Evangelium omni creaturae;* hora *undecima*, quando post Apostolos misit praedicatores et doctores et non cessat mittere usque in finem [6].

Tertio *consummatio misericordiae* et *iustitiae*
Tertio, de consummatione misericordiae. habentis rationem *ultimi complementi assimilatur homini regi cum servis suis rationem ponenti;* unde dicitur Matthaei decimo octavo [7]: *Assimilatum est regnum caelorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis.* In illa enim parabola commendatur opus divinae misericordiae in dimissione *debiti* et opus divinae iustitiae in damnatione *servi nequam.* Unde licet *universae viae Domini misericordia et veritas*, potissime tamen in consummatione relucebit misericordia in retributione bonorum et iustitia in punitione malorum. Et propter hoc Propheta David dicit: *Duo haec audivi*, scilicet misericordiam et iustitiam, *quia tu reddes unicuique iuxta opera sua.* Nam bonis habentibus meritum gratiae divina misericordia reddit praemium gloriae, et malis habentibus demeritum culpae divina iustitia reddet supplicium gehennae.

II. Sequitur: *in agro suo.* Hic exprimitur crea-
Pars II. tio hominis quantum ad *subiectum receptivum* in *agri* nominis designatione; unde secundum verbum Domini per *agrum* in hoc loco intelligitur *mundus*, in quo fuit homo formatus quantum ad corpus *de limo* [8], et creatus quantum ad animam de nihilo. Invenimus autem in sacra Scriptura tria agri no-
Tria nomine agri censentur. mine censita, videlicet *machinam mundialem*, *conscientiam mentalem* et *patriam caelestem.* Unde est primo ager *mundialis machinae;* secundo, *mentalis conscientiae*, et tertio, *caelestis patriae.* Ager mundialis machinae est *contemnendus* propter occasionem erroris et devii; ager mentalis conscientiae est *excolendus* propter susceptionem seminis Dei; sed ager caelestis patriae est *desiderandus* propter odorem sive pulcritudinem Floris divini.

---

[1] Aristot., II. Physic. text. 1.
[2] Matth. 20, 1. et dein c. 18, 23.
[3] Vers. 24. 25.
[4] Eph. 2, 3; sequitur Matth. 13, 36. seqq.
[5] Vers. 1; sequitur Marc. 16, 15.
[6] Cfr. Collation. in Hexaëm., collat. 15. n. 19.
[7] Vers. 23; sequuntur Ps. 24, 10. et 61, 12. seq.
[8] Gen. 2, 7.

Primo, de agro mundialis machinae.

Primo ager *mundialis machinae* est *contemnendus* propter occasionem erroris et devii; unde dicitur Iob quadragesimo[1]: *Huic*, scilicet Behemoth, *montes herbas ferunt; omnes bestiae agri ludent ibi.* — Quia peccatores propter nimiam *appositionem cordis* ad illum agrum mundialem contemnunt Deum; ideo ex cordibus eorum gignuntur spinosae *herbae* vitiorum, quibus pascitur et delectatur Behemoth, scilicet diabolus. *Omnes bestiae agri*, id est daemones latitantes in hoc mundo, *ludunt ibi* et applaudunt, mentes humanas ad Dei imaginem factas devio erroris ad terrenas affectiones pertrahendo, vanis cogitationibus errore praecipiti ab amore poenitentiae retrahendo et ad dulcedinem mundani gaudii alliciendo. Unde de Ioseph dicitur Genesis trigesimo septimo: *Invenit eum vir errantem in agro. — Ioseph errans in agro*, qui interpretatur *appositio*, potest significare in hoc loco hominem apponentem cor suum ad defluentes delicias mundialis agri, quarum amore alienatur, ut erret a via inquirendi regnum Dei, cum sit gratuitum, liberum et communissimum. Cor avari adeo errat, ut quod est gratuitum, velit facere servile, et quod est liberum, venale, et quod est communissimum, sibi appropriare. Et ratione istius erroris et devii iste ager mundialis machinae est *contemnendus*, licet propter sustentationis nostrae necessitatem sit parce utendus.

Secundo, de agro mentalis conscientiae.

Secundo ager *mentalis conscientiae* est *excolendus* propter susceptionem seminis divini; unde dicitur Proverbiorum vigesimo quarto[2]: *Diligenter exerce agrum tuum*, ne scilicet sterilescat spinis vitiorum; unde Sapiens dicit ibidem: *Per agrum hominis pigri transivi et per vineam viri stulti. Et ecce, totum repleverant urticae, et operuerant superficiem eius spinae, et maceria lapidum destructa erat. Quod cum vidissem, posui in corde meo et exemplo didici disciplinam.* — Per *agrum* corpus et per *vineam* anima designantur, quae, nisi excolantur per sanctam disciplinam et bonum exercitium, *implentur spinis* vitiorum et *urticis* prurientium desideriorum. Sed *maceria lapidum destruitur*, quando munimenta virtutum deseruntur, *quod cum viderit* sapiens, *exemplo didicit*, ut expurget ab agro mentalis conscientiae et totius corporis vitiorum *spinas* per exercitium bonum sive virtuosae operationis, et *urticas* prurientium desideriorum per disciplinam continuae macerationis[3]; et impleatur illud Zachariae decimo: *Dabit Dominus singulis* annis *herbam in agro.*

Tertio, de agro caelestis patriae.

Tertio ager *caelestis patriae* est *desiderandus* propter odorem sive pulcritudinem Floris divini; unde dicitur in Psalmo[4]: *Cognovi omnia volatilia caeli, et pulcritudo agri mecum est.* — Ista enim *pulcritudo* caelestis patriae, quae est in Deo Patre, nihil aliud est quam sensibilium et insensibilium, rationalium et irrationalium, humanitatis Christi, Dei unius trinique pulcritudo, quam exponit glorificatis spiritibus contemplandam, qui nomine *volatilium caeli* designantur, eo quod pennis contemplationis elevantur usque ad contuitum caeli Trinitatis. Ex ista autem agri pulcritudine tantus odor fragrat penetrans usque ad interiora medullarum, ut totam caelestem curiam inebriet. Hunc odorem sentiens sanctus Isaac in Iacob, spiritu prophetico dixit: *Ecce, odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Vere Christus fuit *ager plenus* floribus virtutum, scilicet rosis donorum et liliis charismatum Spiritus sancti, fructibus suavium consolationum; cuius odorem sentiens aliqualiter anima contemplativa dicit: *Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum.* Notand.

Pars III.

III. Tertio exprimitur creatio hominis quantum ad *actum intermedium* in boni seminis iactatione, cum dicit: *seminavit bonum semen.* Appropriate loquendo, primo *potentia* creans in agro mundialis machinae seminavit spirituales ac corporales *substantias* dando substratum esse naturae; secundo *sapientia* gubernans in agro mentalis conscientiae seminavit caelestes *influentias* dando perfectum esse gratiae; tertio *bonitas* consummans in agro caelestis patriae seminavit sempiternas *refulgentias* dando completum esse gloriae. Subdivis

Primo, potentia creatrix substantias.

Primo ergo *potentia* creans in agro mundialis machinae seminavit spirituales ac corporales *substantias*, dando substratum esse naturae; unde dicitur Ieremiae secundo[5]: *Ego plantavi te vineam electam, omne semen verum* etc. — *Vinea* ista *plantata* a Deo omnipotente est mundus, et *semen* eius *verum* est homo, qui ratione imaginis et similitudinis Dei dispositus est ad modum seminis mediante stillicidio caelestis influentiae pullulare in vigorem gratiae et crescere in messem gloriae. Sed *inimicus homo*, id est diabolus, aliquando superplantat *falsum* semen, id est vitia et peccata, ad suffocandum verum semen, ne prorumpat in germen gratiae. Et hoc est quod dicitur Matthaei decimo tertio: *Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit.*

Secundo, sapientia mirabile fluoüns.

Secundo *sapientia* gubernans in agro mentalis conscientiae seminavit caelestes *influentias* dando perfectum esse gratiae; unde dicitur Osee secundo[6]: *Seminabo eam in terra et miserebor eius quae fuit absque misericordia.* — Tunc Deus *misereatur* animae peccaoti, quando exstirpat ex ea omnes spinas vitiorum, ut seminet in ea velut in terra electa semen verbi Dei pullulantis in germen gratiae atque

[1] Vers. 15; sequitur Gen. 37, 15.
[2] Vers. 27. et deiu v. 30-32.
[3] Ita F; Vat. habet *commotionis*, C *imitationis*, E *convocationis*. — Sequitur Zach. 10, 1.
[4] Psalm. 49, 11; sequuntur Gen. 27, 27. et Cant. 7, 11.
[5] Vers. 21; sequitur Matth. 13, 27. seq.
[6] Vers. 23; sequitur Matth. 13, 23.

crescentis in messem gloriae. Et propter hoc dicit Dominus: *Qui vero in terram bonam seminatus est, hic est, qui audit verbum et intelligit et fructum affert. — Verbum Dei seminatur in terram bonam,* quando *auditur* cum reverentia *et intelligitur* cum exsecutione effectus, quia tunc devota anima ad modum *terrae bonae seminatae affert fructum* gratiae, quando quod intelligitur opere impletur.

Tertio, de triae seminavit sempiternas *refulgentias* dando compiletum esse gloriae; unde dicitur Isaiae sexagesimo primo [1]: *Isti sunt semen, cui benedixit Dominus. Gaudens gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis. — Isti sunt semen,* id est sempiternalis refulgentiae, micantis a facie claritatis Dei; *cui benedixit Dominus,* benedictione gloriae. Ex illa enim immediata visione faciei Dei tanto desiderio amoris rapitur anima glorificata, ut, dum *gaudens gaudeat,* gaudio magno exterius quantum ad aspectum humanitatis Christi; *exsultet in Deo,* interius quantum ad aspectum Divinitatis; ex qua quidem visione *induitur vestimento salutis.* Quod nobis etc.

Sermo II [2].

Dominica quinta post Epiphaniam, sermo fratris Bonaventurae Parisius, in domo Fratrum.

Simile factum est regnum caelorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo, Matthaei decimo tertio [3].

Dominus Iesus in his verbis tangit metapho- Divisio. rice tria, scilicet *principium productivum,* quod est Deus aeternus, homo in tempore perfectus; *subiectum receptivum,* quod est humanum genus coaptatum influentiis caelestibus, et *actum intermedium,* qui est praeventio a divinis charismatibus sive immissio divinitus inspirationum sanctarum et attractio desideriorum caelitus. Primum nota in similitudine *regni caelorum* ad hominem-Deum; secundum, in *agro suo;* tertium, in verbo *seminandi.*

Circa totum nota, quod est ager quadruplex, Ager quadruplex. scilicet *mundialis machinae* nobis traditus: in *sepul-* Primo, mandialis machinae. *crum* humanae mortalitatis; Genesis vigesimo tertio [4]: *Dabo pecuniam pro agro; suscipe eam, et sic sepeliam mortuum meum in eo.* — In *speculum* divinae liberalitatis; Matthaei sexto: *Considerate lilia agri, quomodo crescunt.* — In *sustentamentum* verae fragilitatis; Ruth quarto: *Si vis possidere* agrum *iure propinquitatis, eme et posside.*

Mentalis conscientiae, quam quidem debemus Secundo, mentalis conscientiae. *colere* exstirpando vitia; Proverbiorum vigesimo quarto [5]: *Diligenter exerce agrum tuum;* quocontra Proverbiorum vigesimo quarto: *Per agrum hominis pigri transivi et per vineam viri stulti, et ecce, totum repleverant urticae. — Irrigare,* implorando charismata; Iudicum primo [6]: *Quam pergentem in itinere monuit vir suus, ut peteret a patre suo agrum* etc. — *Seminare* per virtuosa exercitia; Psalmus: *Seminaverunt agros et plantaverunt vineas et fecerunt fructum nativitatis.*

Venerabilis Scripturae, et iste est habitandus Tertio, venerabilis Scriptorae. per studiosam *lectionem;* Ruth secundo [7]: *Vadam in agrum et colligam spicas, quae fugerint manus metentium.* — Per intentam *meditationem;* Genesis vigesimo quarto: *Deambulabat Isaac per viam, quae ducit ad puteum, cuius nomen est viventis et videntis; habitabat enim in terra australi. Et egressus fuerat ad meditandum in agro, inclinata iam die.* — Per radiosam *contemplationem;* Genesis vigesimo nono: *Profectus Iacob venit in terram orientalem et vidit puteum in agro, et os eius grandi lapide* tegebatur et *claudebatur.*

Caelestis gloriae, et iste est *formosus;* Psal- Quarto, caelestis gloriae. mus [8]: *Pulcritudo agri mecum est; cognovi omnia volatilia caeli. — Pretiosus;* Matthaei decimo tertio: *Simile est regnum caelorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo, abscondit et prae gaudio illius vadit et vendit universa, quae habet, et emit agrum illum. — Deliciosus;* Genesis vigesimo septimo: *Ecce, odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus* [9].

DOMINICA IN SEPTUAGESIMA.

Sermo [10].

Voca operarios et redde illis mercedem suam, Matthaei vigesimo [11].

Prothema. *Qui sedes super Cherubim, mani-* Introductio. *festare coram Ephraim, Beniamin et Manasse.* Verba secundo loco proposita leguntur in Psalmo, in quibus inculenter exprimitur, quod excelsa nimis

---

[1] Vers. 9. seq.

[2] Ex A fol. 103 v., B fol. 24 et ex codice Carolopolitano pluries citato, fol. 81 v. — De eodem themate habetur diffusus sermo in cod. Florentino U fol. 95 r., in quo inveniuntur praeter primam divisionem etiam aliae, quae conveniunt tam cum praesenti quam cum praecedenti sermone; sed harum expositio est satis aliena ab indole S. Bonaventurae.

[3] Vers. 24.

[4] Vers. 13; sequuntur Matth. 6, 28. et Ruth 4, 4.

[5] Vers. 27; et dein v. 30. seq.

[6] Vers. 14; sequitur Ps. 106, 37.

[7] Vers. 2; sequuntur Gen. 24, 62. seq. et c. 29, 1. seq.

[8] Psalm. 49, 11; sequuntur Matth. 13, 44. et Gen. 27, 27.

[9] Cod. B addit: « In primo agro seminavit Dominus intellectuales substantias, in secundo spirituales influentias, in tertio mysteriales sive sacramentales intelligentias, in quarto sempiternales refulgentias. — *Superseminavit* autem diabolus nequitiales inimicitias, carnales concupiscentias, mentales arrogantias ». — Tria membra (scil. 1. 2. 4.) illius divisionis habentur in serm. 1. parte III.

[10] Invenitur in Vaticana et in C D E F et contracte habetur in cod. Tudertino n. 101. fol. 104 v.

[11] Vers. 8. — Prothema habetur Ps. 79, 2. seq.

sedentis sublimitas apparere solet, et non quibuslibet, sed existentibus in *abundantia caritatis*, quae designatur per *Ephraim*, qui frugifer interpretatur; in *intelligentia veritatis*, quae designatur per *Beniamin*, de quo legitur in Psalmo [1]: *Beniamin adolescentulus in mentis excessu;* in *iustitia sanctitatis*, quae designatur per *Manassen*, qui interpretatur necessitas, quia de necessitate salutis obligatur quilibet ad iustitiam sanctitatis. Ut ergo nobis ille qui *in altissimis habitat*, cum scientiae plenitudine, veniens de supernis, appareat; rogemus omnes, ut det nobis omnibus cum *Ephraim abundantiam caritatis*, cum *Beniamin intelligentiam veritatis*, cum *Manasse iustitiam sanctitatis*, ut tandem in *affectione* copiosissimi medio caritatis, in *cognitione* altissimi medio veritatis, in *conversatione* iustissimi medio sanctitatis, possimus aliqua proferre in medium, quae sint ad laudem et gloriam etc.

Voca operarios etc.

Quia de beneplacito divinae voluntatis Dominus
Sermo. Iesus immunis ab omni peccato voluit tanquam reus a peccatoribus indicari, ideo *constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum* [2]. Ad cuius officium exsequendum dicitur sibi a Deo Patre bene propositum verbum, scilicet: *Voca operarios* etc. Et quoniam nullus *coronabitur, nisi qui legitime certaverit*, et nullus potest meritorie certare, nisi a divina misericordia vocetur ad bellum spirituale; ideo in verbo proposito valde eleganter et ordinate proce-
Divisio. ditur. Nam in verbo proposito primo notatur *divina dignatio* sollicitae vocationis; secundo, *humana fatigatio* meritoriae operationis; tertio, *perfecta remuneratio* divinae visionis. Primo notatur divina *dignatio* sollicitae vocationis, cum dicit: *Voca;* secundo, humana *fatigatio* meritoriae operationis, cum subdit: *operarios;* tertio, perfecta *remuneratio* divinae visionis, cum subinfert: *redde illis mercedem suam.* Ista merces nihil aliud est quam visio divina [3], quae operariis redditur, non donatur, quia, secundum Apostolum ad Romanos quarto, *ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum*, licet ista remuneratio sit citra condignum; sed in sero et non in mane redditur ista merces, quia in fine operis, non in principio operarios consequitur remuneratio.

I. Primo ergo in verbo proposito notatur *divina*
Pars I. Primo, de divina vocatione. *dignatio in sollicita vocatione*, cum dicit: *Voca.* *Voca* enim Dominus tria genera hominum, ad quae
Tria genera hominum. omnia alia habent reduci. Nam primo vocat *aversos* ad amaritudinem poenitentiae in necessaria detestatione vitiorum; secundo vocat *conversos* ad rectitudinem iustitiae in obligatoria impletione mandatorum; tertio vocat *perfectos* ad perfectionem vitae in voluntaria supererogatione consiliorum.

Primo enim vocat *aversos ad amaritudinem* De aversis vocatis ad poenitentiam. *poenitentiae* in necessaria detestatione vitiorum; unde Isaiae vigesimo secundo [4]: *Vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum et ad planctum et ad calvitium et ad cingulum sacci.* — *Vocat* enim *Dominus* peccatores *ad fletum et ad planctum*, lacrymosae contritionis, *et ad calvitium*, mundantis confessionis, *et ad cingulum*, luxuriae arctationis; ut ruinam peccatorum deploremus per contritionem, capillos vitiorum decalvemus per confessionem, et carnis luxuriam per cingulum continentiae coarctemus. Sed quia de interioribus ad exteriora egressi sumus, de superioribus ad inferiora descendimus et pro Creatore creaturam dileximus; ideo noluit nos Deus tantum vocare per sanctos Prophetas, immo ipse personaliter ad nos vocandum venit de interioribus ad exteriora, ut nos ad interiora revocaret; descendit de superioribus ad inferiora, ut nos ad superiora traheret sive elevaret; ulterius ipse Creator assumsit creaturam, ut nos ab amore creaturae retraheret et ad amorem Dei revocaret. Unde ipse Dominus dicit Lucae quinto: *Non veni vocare iustos, sed peccatores ad poenitentiam.* Unde non simus incuriales et ingrati et si non volumus eius iustitiam formidare, saltem eius curialitati vicem impendamus et eum usque ad palatium caelestis patriae, a quo pro nobis descendit, associemus.

Secundo vocat *conversos ad rectitudinem iusti-* De conversis vocatis ad iustitiam. *tiae* in obligatoria impletione praeceptorum; unde dicitur Isaiae quadragesimo secundo [5]: *Ego Dominus vocavi te in iustitia et apprehendi manum tuam et servavi te.* — Deus enim *vocat* homines *in iustitia*, quando imponit praecepta ad observandum; sed quia tanta est humana miseria, quod, nisi omnia opera humanae iustitiae divina misericordia aspirando praeveniat et adiuvando prosequatur [6], sunt velut *pannus* mulieris *menstruatae;* ideo sequitur: *apprehendi manum tuam et servavi te*, quasi dicat: *Ego Dominus vocavi te*, imponendo praecepta ad servandum; *et apprehendi manum tuam*, id est, tua incepta opera iustitiae, quae nomine *manus* intelliguntur, praeveni aspirando; *et servavi te*, ad implendum mea praecepta. Et propter hoc bene dicebat beatus Iob: *Vocabis me, et ego respondebo tibi; operi manuum tuarum porriges dexteram;* quasi dicat: *Vocabis me*, praecepta ad observandum mihi imponendo; *et ego respondebo tibi*, ea opere adimplendo; *operi manuum tuarum porriges dexteram*, me adiuvando in perseverando. Unde Augustinus [7]: « Da quod praecipis, iube quod vis ».

---

[1] Psalm. 67, 28; sequitur Eccli. 24, 7.
[2] Act. 10, 42; sequitur II. Tim. 2, 5.
[3] Vide supra pag. 83, notam 23. — Sequitur Rom. 4, 4.
[4] Vers. 12; sequitur Luc. 5, 32.
[5] Vers. 6.
[6] Cfr. Oratio post Litanias Sanctor.: Actiones nostras etc. — Sequuntur Isai. 64, 6. et Iob 14, 15.
[7] Libr. X. Confess., c. 29. n. 40.

Tertio vocat *perfectos ad perfectionem vitae* in voluntaria supererogatione consiliorum; unde dicitur Matthaei quarto [1]: *Vidit duos fratres, Iacobum Zebedaei et Ioannem, fratrem eius, in navi cum Zebedaeo, patre eorum, reficientes retia sua, et vocavit eos. Illi autem statim, relictis retibus et patre, secuti sunt eum.* — Dominus noster Iesus Christus *vocavit* eos, ut terrena contemnerent et etiam affectum carnalem postponerent; quia volenti sequi Christum in apice perfectionis evangelicae necesse est deponere exitialem concupiscentiam terrenorum et deponere carnalem demulcentiam consanguineorum. Et hoc est quod dicitur in praedicto verbo: *relictis retibus et patre, secuti sunt eum.* Quomodo autem totaliter debemus ire post Christum, dicit Chrysostomus super illud Matthaei [2]: « Tria sunt, quae generaliter relinquere debet qui vult ire ad Christum, scilicet actus carnales, qui per *retia;* substantiam mundialem, quae per *navem;* parentes et consanguineos, qui per *patrem* intelliguntur ».

II. Sequitur: *operarios*, ubi notatur *humana fatigatio in meritoria operatione.* Illa operatio humana est meritoria, quae est primo operatio in *acquisitione caelestis gratiae,* decorantis proprium subiectum; secundo, in *multiplicatione ditantis iustitiae,* acquirentis summum bonum; tertio, in *promulgatione legis divinae,* docentis ignarum proximum.

Primo igitur illa est meritoria operatio, quae est in *acquisitione caelestis gratiae,* decorantis proprium subiectum; unde Proverbiorum duodecimo [3]: *Qui operatur terram suam satiabitur panibus, qui autem sectatur otium stultissimus est.* — *Qui operatur terram suam,* id est propriae conscientiae, evellendo ex ea spinas peccatorum per exercitium confessionis; *satiabitur panibus,* septiformis gratiae Dei, *habentis omne delectamentum et omnis saporis suavitatem; qui autem sectatur otium,* dimittendo terram conscientiae sterilescere malis radicibus vitiorum, *stultissimus est.* Multum enim debet quilibet excolere et operari terram propriae conscientiae, ut saltem gustet, quam dulces fructus sunt isti panes septiformis gratiae Dei.

Secundo illa est meritoria operatio, quae est in *multiplicatione ditantis iustitiae,* acquirentis summum bonum; unde dicitur secundae ad Corinthios nono [4]: *Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut, in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum;* quia incrementi iustitiae inchoatio spectat ad divinam misericordiam, sed eius cooperatio ad humanam industriam; nam bonum humanae iustitiae ex parte divinae gratiae habet inchoari et augeri, sed ex parte liberi arbitrii industriae habet coadiuvari, eo quod *adiutores Dei sumus.* Ideo Apostolus, hortans omnem Christianum ad proficiendum in via iustitiae, dicit: *Potens est autem Deus gratiam abundare facere in vobis,* ubi notificat, quod incrementum gratiae et iustitiae est ex parte Dei; *in omnibus* enim *sufficientiam,* quae ad salutem pertinet, *habentes, abundetis in omne opus bonum,* cooperante divina gratia. Et propter hoc dicitur Ecclesiastici decimo quarto: *Omne opus electum iustificabitur, et qui operatur illud honorabitur in illo.* — *Elegitur opus,* quantum ad liberi arbitrii industriam, sed *iustificabitur,* per acceptionem divinae vocis; *et qui operatur,* tale opus, *honorabitur,* propter acquisitionem [5] divinae familiaritatis.

Tertio est illa operatio meritoria, quae est in *promulgatione legis divinae,* docentis ignarum proximum; unde dicitur secundae ad Timotheum quarto [6]: *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistae;* quia melius persuadetur vita quam lingua, exemplo quam dicto. Ideo cuilibet volenti alium informare oportet refellere diaboli astutiam, suppeditare carnis concupiscentiam et contemnere mundi avaritiam, secundum quod dicit Apostolus: *Tu vero vigila,* contra fraudulentiam diaboli; *in omnibus labora,* contra carnis lasciviam; *opus fac Evangelistae,* contra mundi avaritiam, ut quod ore praedicas opere compleas; Evangelium enim praedicat, omnia relinquenda esse. Insistamus ergo isti labori promulgandae legis exemplo beati Pauli, Actuum vigesimo sexto: *Annuntiabam, ut poenitentiam agerent et converterentur ad Deum, digna poenitentiae opera facientes.* Nec solum debemus insistere labori promulgandae legis, sed etiam cognoscendae veritatis, eo quod pluris meriti est quam exercitatio corporalis, maxime si ad hoc studet, ut alios illuminet. Unde Ambrosius [7]: « Otiosus non est qui verbo Dei studet, nec pluris meriti est qui laborat extra, quam qui laborem Divinitatis cognoscendae exercet intra ».

III. Tertio notatur in verbo proposito *perfecta remuneratio in divina visione,* cum dicit: *redde illis;* et hoc nihil aliud est quam visio divina, quae *reddetur unicuique secundum* bona *opera* [8] sua. Nam primo, *vocatis ad amaritudinem poenitentiae,* cuius fuit operatio in acquisitione caelestis gratiae, redditur merces *deliciosa* ad fruendum propter affluentiam dulcedinis; secundo, *vocatis ad rectitudinem iustitiae,* cuius operatio fuit in multiplicatione ditantis iustitiae, reddetur merces *copiosa* ad ditandum et honorandum propter excellentiam magnitudinis; tertio, *vocatis ad perfectionem vitae,* cuius operatio fuit in promulgatione legis divinae, reddetur merces *speciosa* ad intuendum propter refulgentiam pulcritudinis. Et sic ista merces est perfecta, et nulla alia,

1 perfectis vocatis ad perfectionem.

Pars II. secundo, de humana fatigatione in tribus.

Primo, in acquisitione caelestis.

Secundo, in multiplicatione iustitiae.

Tertio, in publicatione legis divinae.

Docens aliam debet facere tria.

Pars III.

Merces triplex.

[1] Vers. 21. seq.
[2] Opus imperfect. homil. 7.
[3] Vers. 11; sequitur Sap. 16, 20.
[4] Vers. 8; sequuntur I. Cor. 3, 9. et Eccli. 14, 21.
[5] Verba *divinae vocis* etc. addita sunt ex D F.
[6] Vers. 5; sequitur Act. 26, 20.
[7] Serm. 11. in Ps. 118. n. 11. Cfr. etiam tom. VIII. pag. 321, nota 4.
[8] Rom. 2, 6.

eo quod perfecte *dulcorat* gustum, perfecte *ditat* et *honorat* proprium subiectum et perfecte *delectat* visum.

Primo illa merces erit *deliciosa ad perfruendum* propter affluentiam dulcedinis; unde dicitur in Psalmo [1]: *Cum dederit dilectis suis somnum; ecce, hereditas Domini, filii; merces, fructus ventris.* — Christus *est fructus ventris,* Virginis gloriosae, datus in perpetuam *hereditatem* et *mercedem* deliciosam dilectis *filiis* Dei post istam vitam. Ista merces satiat appetitum animae, quia intime et per essentiam ei illabitur, delectat etiam ratione convenientiae, quia « delectatio est convenientis cum convenienti coniunctio [2] »; et anima nulli melius convenit coniungi quam illi, ad cuius *imaginem et similitudinem* facta est. De mercede prima.

Secundo ista merces erit *copiosa ad ditandum* propter excellentiam magnitudinis; unde dicitur Matthaei quinto [3]: *Gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis.* — *Gaudete,* inquam, interius in anima; *et exsultate,* exterius in verbo et facto; nullus sit locus incertitudinis vel timoris, *quia merces vestra copiosa est in caelis.* Dicitur ista merces *copiosa,* quia replet totam animam ratione suae sufficientiae, et quia excedit suam capacitatem ratione infinitatis et abundantiae, et adeptio etiam ipsius mercedis evacuat omnem timorem. Ideo dicitur Abrae, Genesis decimo quinto: *Noli timere, Abram, ego protector tuus sum et merces tua magna nimis.* Item, de secunda.

Tertio ista merces *speciosa est ad intuendum* propter refulgentiam pulcritudinis; unde dicitur Sapientiae quinto [4]: *Iusti autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum, et cogitatio illorum apud Altissimum. Ideo accipient regnum decoris et diadema speciei de manu Domini.* — Sapientia enim aeterna iustis in perpetuum regnantibus proponet illas rationes aeternas omnium ad contemplandum in regno suo tanquam in speculo pulcriformiter. In hac contemplatione sive « visione est tota merces [5] », quae tanto desiderio sui rapit animas beatas, ut *cogitatio eorum semper* sit *apud Altissimum,* quia in continua laude sunt et glorificatione, resolvendo in primum principium quidquid boni habent. Unde omne id, quod continue accipiunt, in eum resolvunt, qui solus potest glorificare, quia tanto anima isti mercedi est propinquior, quanto illa quae accipit, suo principio tribuit. Rogemus ergo etc. Item, de tertia.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

Sermo [6].

Quod autem in bonam terram, hi sunt, qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent et fructum afferunt in patientia, Lucae octavo [7].

Prothema. *Da sapienti occasionem, et addetur ei sapientia.* In verbo secundo loco proposito, sumto de Proverbiorum nono, describuntur tria; quae sunt necessaria cuilibet volenti proponere verbum Dei. Et primum est *animi liberalitas;* secundum est *modi brevitas;* tertium est *voti utilitas. Liberalitas* igitur *in animo* notatur, cum dicit: *Da,* non vende pretio vel commuta, secundum illud Domini [8]: *Gratis accepistis, gratis date. Brevitas in modo* notatur, cum subdit: *occasionem,* quia quaedam occasio datur audienti, cum annuntiantur « vitia et virtutes cum brevitate sermonis, *quia verbum abbreviatum fecit Dominus super terram* [9] ». *Utilitas in voto* notatur, cum subinfert: *et addetur ei sapientia.* Rogemus ergo Dominum, carissimi, in principio nostri sermonis, ut ita det nobis *liberalitatem* in animo, *brevitatem* in modo, ut tandem possimus consequi *utilitatem* in voto. Amen. Introductio.

Quod autem in terram bonam etc.

Quoniam, secundum beatum Gregorium [10], « humen intelligentiae humilitas aperit, superbia vero abscondit »; hinc est, quod Dominus noster Iesus Christus, sciens, *sic esse placitum ante* Deum Patrem, superbis et elatis hominibus ad reprimendum superbiam intellectus in audiendo et non [11] intelligendo regnum Dei annuntiat in parabolis, sed humilibus eius discipulis, quibus *datum est nosse mysterium regni Dei,* sensum Dei in parabola hodierni Evangelii aperit, cum dicit in verbo proposito, quod est finis expositionis praedictae parabolae: *Quod autem in terram bonam, hi sunt, qui corde* etc. In quo quidem verbo valde ordinate proceditur; nam, sicut videmus, quod terra materialis ad hoc, ut fructificet, primo debet praeparari, deinde seminari, postea fructus ex ea tolli: sic in verbo proposito primo notatur nostri *cordis debita praeparatio;* secundo, divini *seminis firma susceptio;* tertio, recepti *seminis temporanea fructificatio.* Primo ergo notatur nostri cordis debita *praeparatio,* cum dicit: *Quod autem in terram bonam;* ista bonitas terrae nihil aliud est quam bona Sermo. Divisio.

[1] Psalm. 126, 2. seq.

[2] Vide supra pag. 173, notam 10. — Deinde respicitur Gen. 1, 26.

[3] Vers. 12; sequitur Gen. 15, 1.

[4] Vers. 16. seq.

[5] August., Exposit. in Ps. 90, 13.

[6] Habetur in Vaticana et C D E F et contracte in cod. Tudert. n. 104. fol. 109 r.

[7] Vers. 15. — Prothema ex C habetur Prov. 9, 9.

[8] Matth. 10, 8.

[9] Cfr. Regula FF. Minorum, c. 9, ubi respicitur Rom. 9, 28; Vulgata: *Verbum breviatum faciet Dominus* etc.

[10] Libr. XXV. Moral. c. 12. n. 30. Dein respicitur Matth. 11, 26.

[11] Verbum *non* addidimus ex F; cod. D legit: *in eo quod audiebant et non intelligebant.* — Sequitur Marc. 4, 11.

praeparatio nostri cordis; secundo notatur divini seminis firma *susceptio*, cum dicit: *hi sunt, qui corde bono et optimo audientes verbum retinent;* sed tertio notatur recepti seminis temporanea *fructificatio*, cum subinfert: *et fructum afferunt in patientia*, eo quod persecutiones patienter sustinent propter verbum Dei et omnia mala poenae sive illata sive innata.

I. Primo ergo in verbo proposito notatur nostri Pars I. *cordis debita praeparatio*, cum dicit: *Quod autem in terram bonam.* Debemus autem nostrum cor, quod sub metaphora *bonae terrae* Christus describit, ad modum terrae multiformiter praeparare. Tunc enim illa terra materialis est bene praeparata et ad fructum disposita, quando est primo a *malis radicibus exstirpata;* secundo, *aquis pluvialibus irrigata;* tertio, *caloribus solis opposita* [1], ut sic calore solis vivifico incalescat, ut possint iactata semina vegetare.

plex cor- Per hunc modum, si volumus, quod cor nostrum sit
praepa- bene praeparatum et ad fructum bonae operationis
tio. dispositum, primo debet *exstirpari* a spinis peccatorum omnium; secundo, *irrigari* aquis lacrymabilium compunctionum; sed tertio debet *inflammari* incendiis divinorum desideriorum, quorum calore vivifico possit vegetare receptum atque retentum verbum Dei, ut pullulet in germen bonae operationis.

Primo debet terra nostri cordis *exstirpari a* De prima. *malis radicibus peccatorum;* unde dicitur Proverbiorum duodecimo [2]: *Qui operatur terram suam satiabitur panibus, qui autem sectatur otium stultissimus est. — Qui operatur terram*, propriae conscientiae, evellendo ex ea vepres vitiorum gladio acutae compunctionis, exstirpando spinas peccatorum exercitio perfectae confessionis et amovendo urticas malorum desideriorum exercitatione disciplinae et mortificationis; *satiabitur panibus*, bonorum operum. *Qui autem sectatur otium* et dimittit, eam sterilescere spinis vitiorum, vepribus peccatorum et urticis malorum desideriorum, *stultissimus est.* Bonum est igitur, carissime, operari terram tuam, *ut educas panem de terra, et vinum laetificet cor hominis*, secundum quod dicitur in Psalmo. — *Ut educas panem*, bonae operationis ad reficiendum; *de terra*, propriae conscientiae; *et vinum*, internae [3] devotionis ad laetificandum.

Secundo debet terra nostri cordis *irrigari aquis* secunda. *lacrymabilium compunctionum;* unde ludicum primo [4]: *Da mihi benedictionem, quia terram arentem dedisti mihi, da et irriguam aquis.* Fidelis anima, cognoscens experimentaliter, lacrymarum abundantem effusionem et cordis affluentem compunctionem non esse a se ipsa, sed a Deo; ideo ab ipso petit benedictionem irrigationis: *Da mihi benedictionem*, et ego aquis lacrymabilium compunctionum irrigabo aridam *terram* conscientiae; huic convenit quod dicitur in Psalmo: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi. Velociter exaudi me, Domine, defecit spiritus meus.* — Cognoscens David fidelis, animam suam ad modum terrae aridae non posse producere germen bonae operationis sine aqua lacrymabilis compunctionis et irriguo mentalis devotionis; petit hoc a Domino cum instantia devotae orationis dicens: *Velociter exaudi me*, dando irriguum interioris devotionis et exterioris lacrymationis; *quia defecit spiritus meus*, prae ariditate internae devotionis et ardore terrenae affectionis.

Tertio debet terra nostri cordis *inflammari in-* De tertia. *cendiis divinorum desideriorum;* unde dicitur Ecclesiastici quadragesimo tertio [5]: *Sol in aspectu annuntians in exitu, vas admirabile, opus Excelsi; in meridiano exurit terram. — Sol*, iustitiae, Christus Deus noster, habens speciositatem *in aspectu interiori* quantum ad Divinitatem, et *in aspectu exteriori* quantum ad humanitatem, est *vas admirabile*, quia contentivum incomprehensibilis Divinitatis; *in ipso* enim *inhabitat corporaliter plenitudo Divinitatis.* Dicitur *opus Excelsi;* nam, etsi Excelsus formet omnes adiuvando naturam, tamen specialiter Christum formavit operando supra naturam. Hic vero *in meridiano exurit terram*, scilicet terrenum cor, quando est in ardentissimo desiderio sui.

II. Sequitur: *hi sunt, qui corde bono et optimo* Pars II. *audientes verbum retinent;* ubi notatur secundo divini *seminis firma susceptio.* Ad hoc, ut verbum Dei in audiente afferat fructum, debet secundum in- Pro seminis receptione requiruntur tria. structionem hodierni Evangelii primo *recipi* sive audiri reverenter cum mentis quietatione; secundo debet *retineri* sive firmiter credi cum unionis adhaesione; sed tertio debet *intelligi* diligenter cum operis exsecutione.

Primo verbum Dei debet reverenter *recipi* sive De primo. audiri *cum mentis quietatione*, eo quod in hodierno Evangelio dicit Dominus [6]: *Quod autem in spinas cecidit, hi sunt, qui audierunt et a sollicitudinibus et divitiis et voluptatibus vitae euntes suffocantur et non referunt fructum.* Unde Gregorius: « Perturbatae mentes saecularium eo ipso clamant, quod inquietae sunt, quia a vera sapientia divisae » sunt, scilicet fide et moribus. Dei secreta non cognoscimus, nisi intimis desideriis vigeamus, quia vivacius verba Dei mens penetrat, cum admittere curarum saecularium tumultum recusat; siquidem *verba sapientium audiuntur in silentio* [7]. Hoc attendens Maria Magdalena, secundum quod dicitur Lucae decimo: *Sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius; sedens*, per mentis tranquillitatem, non discurrens per cordis distractionem; quia, sicut dicit Gregorius,

[1] Cfr. supra pag. 94, serm. 5.
[2] Vers. 11; sequitur Ps. 103, 14. seq.
[3] Cod. F habet *aeternae*, Vaticana *in terra*.
[4] Vers. 15; sequitur Ps. 142, 6. seq.
[5] Vers. 2. seq.; sequitur Col. 2, 9.
[6] Luc. 8, 14. — Sequitur Gregor., XVIII. Moral. c. 43. n. 70.
[7] Eccle. 9, 17; sequitur Luc. 10, 39. et dein allegatur Gregor., XVIII. Moral. c. 43. n. 68. secundum sensum.

oportet, desiderantem sapientiam dissolvi a curis et distractionibus, siquidem *qui minoratur actu sapientiam percipiet* [1]*; secus pedes Domini,* per cordis humiliationem, quia obstaculum veritatis est tumor mentis, qui, dum inflat, obnubilat; *audiebat verbum illius*, per auditus inclinationem, et *obliviscens populum* suum, Iudaicum, *et domum patris* sui, diaboli per imitationem.

Secundo debet *retineri* sive credi firmiter *cum*
De secundo. *unionis adhaesione;* unde de illis qui non bene retinent, dicit Dominus [2]: *Nam qui supra petram,* hi sunt, *qui, cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum; et hi radices non habent, quia ad tempus credunt et in tempore tentationis recedunt.* Sed de his qui firmiter crediderunt sive retinuerunt, adiungit, dicens: *Quod autem in bonam terram, hi sunt, qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent et fructum afferunt in patientia,* eo quod persecutiones et quaelibet mala poenae patienter sustinent propter verbum Dei.

Tertio debet *intelligi diligenter cum operis exse-*
De tertio. *cutione,* quia de illis qui audierunt et opere mancipare neglexerunt, dicitur Matthaei decimo tertio [3]: *Omnis, qui audit verbum regni et non intelligit, venit malus et rapit quod seminatum est in corde eius; hic est, qui secus viam seminatus est.* Sed de his qui intellexerunt cum operis exsecutione, addidit dicens: *Qui vero in terram bonam seminatus est, hic est, qui audit verbum et intelligit et fructum affert, et facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud vero trigesimum. — In terram bonam* verbum seminatur, quando quod intelligitur opere completur; et tunc verbum *facit fructum trigesimum* in coniugatis, *sexagesimum* in continentibus, sed *centesimum* in virginibus. Meritum ergo coniugatorum per *trigesimum* numerum, qui consurgit ex ternario et denario, intelligitur, quia coniugati debent habere fidem Trinitatis et adhaerere decem praeceptis Legis. Per numerum autem *sexagesimum*, qui consurgit ex senario et denario, intelligitur meritum continentium, quia continentes debent adhaerere decem praeceptis Legis et insuper habere sex opera misericordiae, quae in hoc versu continentur: Opera seu misericordiae.

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Debet enim continens *visitare* infirmos, *cibare* et *potare* ieiunos, *redimere* captivos, *tegere* nudos, *colligere* peregrinos et *condere* sive sepelire mortuos. — Meritum denique virginum ratione suae perfectionis per *centesimum* numerum designatur [4], quia virgines vitam angelicam et caelestem, in quantum possunt, ducunt [5].

III. Tertio in verbo proposito notatur recepti *se-* Pars III.
minis temporanea fructificatio, cum dicit: *fructum* Seminis fructus triplex.
afferunt in patientia. Nam illi qui primo purgaverunt cor a spinis omnium peccatorum et receperunt verbum reverenter cum mentis quietatione, afferunt spectabilem *fructum puritatis* munditiae pulcrificantis; secundo, qui cor compleverunt aquis lacrymabilium compunctionum et retinuerunt sive crediderunt verbum firmiter, afferunt *fructum* utilem *claritatis* intelligentiae illuminantis; tertio, illi qui inflammaverunt cor incendiis divinorum desideriorum et intellexerunt verbum diligenter cum operis exsecutione, afferunt *fructum* oblectabilem *familiaritatis* divinae dulcorantis. Et sic talis fructus est optimus, eo quod habet *speciositatem* in aspectu, *utilitatem* in effectu et *deliciositatem* in gustu.

Primo ergo, qui expurgaverunt cor a spinis De fructu primo.
omnium peccatorum et vitiorum et receperunt verbum reverenter cum mentis quietatione, afferunt spectabilem fructum *puritatis* munditiae pulcrificantis; unde dicitur Proverbiorum tertio [6]: *Melior est*

---

[1] Eccli. 38, 25; sequitur Ps. 44, 11.

[2] Luc. 8, 13.

[3] Vers. 19. et deín v. 23.

[4] Vaticana et C E F adiungunt plura, quae inter spuria reiicienda esse videntur, tum quia in se inepta videntur pro suggestu, tum quia nullatenus exhibent rationem, quare meritum virginum sub numero centesimo designatur. Habent enim: « Unde a centesimo et deinceps ratione suae perfectionis et nobilitatis in dexteram computatur. Tamen ad dilucidandum melius verbum propositum, quare in isto numero et non in alio voluit Deus exprimere merita illorum trium statuum, non est praetermittendum quod dicunt in arte computationis periti, eo quod per hoc velut artificialis et propria videbitur appropriatio meritorum ad merita. Numerus enim digitorum habet fieri per quinque digitos manus, quos periti in arte sic appellant, videlicet pollicem, indicem, medium, medicum, auricularem. Rationem vero, quare sic per ordinem nominantur, ratione brevitatis omito. *Auricularis* sive digitus parvus, in palma positus sive reflexus, significat unitatem. Sed *medicus,* qui est iuxta digitum parvum, in palma positus, significat dualitatem cum auriculari. *Medius* vero, qui est in medio digitorum, eodem modo positus cum praedictis duobus, significat trinitatem. Deinde secundum istum modum non est ultra procedere, sed auricularis erectus, medio et medico iacente, significat quaternitatem. Iacente vero medio in palma, auricularis et medicus erectus significat quinque. Medico autem iacente cum auriculari et medius erectus significat sex. Item, auricularis extensus super palmam significat septem; medicus eodem modo extensus, octo; sed medius similiter extensus significat novem; index vero positus in medio pollice decem; sed per coniunctionem rectam indicis ad pollicem, numerus centesimus significatur. Per amplexum vero mollem et coniunctionem pollicis et indicis *trigesimus* numerus significatur, per quem numerum satis congrue Dominus meritum coniugatorum expressit, propter illorum mollem amplexum et unionem carnalem. Index siquidem firmiter constrictus super pollicem in modum crucis, numerum *sexagesimum* significat; per quem numerum convenienter intelligitur meritum continentium, quorum vita est restricta a voluptuosa delectatione carnis per superpositionem rationis ad sensualitatem, propter voluntariam assumtionem crucis. Sed per numerum *centesimum*, cuius computatio ratione suae perfectionis fit per rectam indicis coniunctionem ad pollicem, valde eleganter exprimitur meritum virginum ratione suae perfectionis ».

[5] Cod. D addit: Rationem omnium istorum quaere in sermone communi in opere completo.

[6] Vers. 14; sequitur Eccli. 39, 14.

acquisitio eius negotiatione argenti et auri, primi et purissimi fructus eius. — In avida enim acquisitione auri et argenti cupidi et avari homines fiunt deteriores, Deo et Angelis abominabiles et etiam daemonibus in foeditate culpae similes; sed in acquisitione pulcritudinis munditiae, quae consistit in unitate gratiae et trinitate virtutum theologicarum, scilicet fidei, spei et caritatis, anima redditur Deo amabilis, Angelis desiderabilis et etiam daemonibus terribilis. Propter hoc *melior est acquisitio* puritatis et munditiae acquisitione *auri et argenti.* Sed quoniam per cordis munditiam anima incipit producere mundos fructus et Deo acceptabiles, ideo dicitur: *primi et purissimi fructus eius.* In tantum enim divina Sapientia diligit animas habentes istam puritatem munditiae, ut omnia opera eius sibi appropriet et *divinos* fructus eos vocet, secundum quod dicitur Ecclesiastici trigesimo nono: *Obaudite me, divini fructus, et quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate.* Unde qui habent istam puritatem munditiae in cogitatione, affectione et locutione ad omnimodam formam pulcritudinis gratiae transformantur totaliter, ut deificentur sperando, cogitando, sapiendo et eloquendo, et ita *divini fructus* appellantur. Et quemadmodum rosarum decorem natura producit inter spinas, ita anima decorem pulcritudinis munditiae non producit neque servat odoriferum fructum castitatis interioris in corde et exterioris in corpore nisi inter spinas acutarum disciplinarum poenitentiae; ideo dicuntur *rosae plantatae super rivos aquarum,* id est divinarum influentiarum; *fructificate, fructus lucis* et honestatis *in omni iustitia et veritate* [1].

Similitudo.

Secundo, qui cor compleverunt aquis lacrymabilium compunctionum et retinuerunt sive crediderunt firmiter, afferunt fructum *claritatis* et intelligentiae illuminantis; unde dicitur in Psalmo [2]: *In lege Domini fuit voluntas eius, et in lege eius meditabitur die ac nocte. Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* — Primo enim praedicator debet applicare *voluntatem ad legem divinam,* ut quod intelligit opere compleat, et deinde *meditari in lege eius die ac nocte,* qualiter debeat alios instruere, quia tunc *erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum,* id est divinarum influentiarum, *quod fructum suum dabit in tempore suo.* — Sed multi dant fructum alienum, non suum, eo quod volunt *humeris aliorum onera gravia et importabilia imponere, ipsi autem nolunt digito ea movere.* Alii autem proferunt fructum non *in tempore suo,* sed ante tempus suum, eo quod sua auctoritate volunt prius docere quam discere, et ideo verbum eorum saepe ratione scandali et ignorantiae et malae vitae defluit in vanum per contemptum audientium; « quia cuius vita despicitur, restat, ut eius praedicatio contemnatur [3] ».

Improbantur alii.

De fructu secundo.

Tertio, qui inflammaverunt cor incendiis divinorum desideriorum et intelligunt verbum diligenter cum operis exsecutione, afferunt oblectabilem fructum *familiaritatis* dulcorantis. Unde dicitur Canticorum secundo [4]: *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, et fructus eius dulcis gutturi meo. — Sub umbra,* refrigerantis gratiae ab aestu carnalis concupiscentiae et ab ardore exitialis avaritiae; *illius,* scilicet Christi; cum vehementi affectione *sedi,* per mentis quietationem, non discurri per mentis distractionem; quia *qui minoratur actu percipiet sapientiam,* et tunc *fructus eius dulcis gutturi meo,* propter sapientialem oblectationem. Rogemus ergo etc.

De fructu tertio.

DOMINICA IN QUINQUAGESIMA.

Sermo [5].

Tradetur enim gentibus et illudetur et flagellabitur et conspuetur; et postquam flagellaverint, occident eum, Lucae decimo octavo [6].

Prothema. *Audite me, quoniam de rebus magnis locutura sum.*

Introductio.

In isto verbo secundo, sumto de libri Proverbiorum octavo, exprimit divina Sapientia tria, quae sunt necessaria in praedicatione divinae passionis. Et primum est ex parte audientis *humilitas reverentiae* in auscultando, quod notatur, cum dicit: *Audite me;* secundum est ex parte patientis *profunditas materiae* in intelligendo, et hoc notatur, cum dicit: *de rebus magnis;* tertium est ex parte annuntiantis *virtuositas facundiae* in exprimendo, quod notatur, cum subinfert: *locutura sum.* Igitur, carissimi, in principio nostri sermonis, qui est de divina passione, rogemus Dominum, quatenus sua gratia et pietate dignetur largiri cuilibet audienti *reverentiam* in auscultando et mihi annuntianti *facundiam* in exprimendo, ut possimus ad consolationem animarum nostrarum insimul aliquid intelligere diligenter de beneficio infinito nostrae redemptionis et caelesti mysterio divinae passionis. Et ut hoc facilius impetremus, quilibet, si placet, dicat illum versiculum:

« O crux, ave, spes unica [7] ».

---

[1] Eph. 5, 9.
[2] Psalm. 1, 2. seq.; sequitur Matth. 23, 4.
[3] Gregor., 1. Homil. in Evang. homil. 12. n. 1.
[4] Vers. 3; sequitur Eccli. 38, 25.
[5] Ex Vaticana et C D E F et cod. Tudert. n. 104. fol. 110 v.
[6] Vers. 32. seq. — Prothema ex C habetur Prov. 8, 6.
[7] Cfr. Brev. Roman., Hymn. ad Vesperas Dominicae Passionis.

Traditur enim gentibus etc.

Quoniam solent *oves gregis, percusso pastore,*
Sermo. *dispergi*[1]; hinc est, quod Dominus noster Iesus Christus, praesciens, suos discipulos in corporalis suae mortis percussione in modum ovium dispergi per devia erroris, ad fortificandum[2] eos in via fidei et in eis ceteros alios, ne possent credere, hoc sibi accidere ab eventu sive ignorantia, dignatus est praedicere in verbo proposito illud infinitum beneficium suae passionis et caeleste mysterium nostrae redemptionis, eo quod ipse Deus aeternus, se inclinans, humiliter mortem crucis pro salute generis humani cum desiderio suscepit. Exprimitur autem in his verbis Christi passio « quantum ad eius *principium*, *medium* et *ultimum*, in quibus perfecta rei cognitio
Divisio. consistit[3] ». *Principium* namque passionis fuit *malignitas* proprii discipuli proveniens ex diaboli suggestione; *medium* vero fuit *contemptibilitas* ultimi opprobrii in flagellatione et faciei conspuitione; sed *ultimum* fuit *acerbitas* dolorosi supplicii in corporis et animae separatione. Primo ergo *malignitas proprii discipuli* notatur, cum dicitur: *Tradetur enim gentibus*, id est Filius Dei a Iuda, diabolo suggerente; unde dicitur Ioannis decimo tertio[4]: *Cum diabolus iam misisset in cor, ut traderet eum Iudas Simonis Iscariotae* etc. Secundo *contemptibilitas ultimi opprobrii*, cum subditur: *et illudetur et flagellabitur et conspuetur;* illusiones et sputa atque flagellationes sunt signa extremae vilificationis. Tertio notatur *acerbitas dolorosi supplicii*, cum subinfertur: *postquam flagellaverint, occident eum;* valde enim fuit acerbum illud tormentum Christi, quod tam celeriter eum occidit; ante enim obiit quam alii, qui cum eo erant crucifixi.

I. Dicit ergo: *Tradetur*, ubi notatur *maligni-*
Pars I. *tas Iudae proditoris*, proprii discipuli. Ista enim malignitas plenius apparebit, si diligenter consideremus triplicem conditionem istam malignitatem pro-
Subdivisio. ditoris aggravantem, videlicet primo *confidentiam* securitatis et amicitiae; secundo, *excellentiam* dignitatis apostolicae; tertio, *concupiscentiam* cupiditatis et avaritiae. Ex his tribus conditionibus potest apparere, quia nulla sub caelo maior fuit malignitas quam illa Iudae, qui tanquam falsus amicus in datione osculi tradidit *verum amicum* et tanquam ingratus discipulus, immo Apostolus, tradidit *benignum Magistrum;* tanquam cupidus et avarus vili pretio vendidit iustum et pium, immo *summum Bonum.*

Primo magna fuit malignitas Iudae in tradendo
Malignitatis ratio 1. Dominum propter *confidentiam securitatis et amicitiae.* Iudas enim non fuit tractatus tanquam extraneus atque suspectus amicus, immo tanquam amicus securus, dum non solum factus est a Christo de familia sua comedendo et bibendo panem in mensa Christi cum ceteris Apostolis, sed etiam factus est dispensator temporalium totius familiae. Et ob hoc conqueritur in Psalmis Dominus de ipso, dicens[5]: *Homo pacis meae, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.* — Ecce, falsificatio simulatae pacis! Unde Lucae vigesimo secundo: *Dixit illi Iesus: Iuda, osculo Filium hominis tradis?* Chrysostomus[6]: « Pax caeli traditur doli osculo, tenetur tenens omnia, alligatur omnium nexus, ducitur attrahens universa, falso veritas accusatur ». *In quo sperabam*, ecce, confidentia amicitiae et securitatis; *magnificavit super me supplantationem*, ecce, immensitas malignitatis Iudae; unde Dominus dicit de Iuda Matthaei vigesimo sexto[7]: *Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est, qui manducat mecum.*

Secundo magna malignitas fuit Iudae in tra- Ratio 2.
dendo Dominum propter *excellentiam dignitatis apostolicae.* Iudas enim non solum ad gratiam et ad doctrinam fidei est vocatus, sed etiam ad dignitatem apostolatus est assumtus, dum inter duodecim dignatus est Dominus eum connumerare. Unde de ipso dicit Dominus Ioannis decimo tertio[8]: *Unus ex vobis*, scilicet duodecim, *tradet me;* similiter Matthaei vigesimo sexto: *Abiit unus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iscariotes, ad principes sacerdotum* etc.

Tertio magna fuit malignitas Iudae propter *con-* Ratio 3.
cupiscentiam cupiditatis et avaritiae; unde Matthaei vigesimo sexto[9] dicit Iudas principibus sacerdotum: *Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos. Magna* siquidem fuit istius iniquitas proditoris, si consideremus, *pro quanto* vendidit Dominum, quia non magno, sed vili pretio, scilicet *triginta argenteis; maior* vero, si consideremus, *quibus* tradidit et vendidit, quia non amicis, sed inimicis et extraneis *quaerentibus animam eius; maxima*, si consideremus, *ad quid* eum tradidit et vendidit, quia non ad serviendum, sed *illudendum, flagellandum, conspuendum et crucifigendum.* Sed certe, si consideremus, *quis* venditur et traditur, *infinita* est eius iniquitas, quia *Rex regum et Dominus dominantium*[10]. Et propter hoc Dominus dixit Pilato: *Maius peccatum habet qui me tradidit tibi.* Et quia illa malignitas proditoris ratione suae iniquitatis est meis verbis inexplicabilis[11], ideo nolo amplius in hoc morari, sed finem dare sermoni[12].

---

[1] Respicitur Matth. 26, 31.
[2] Cod. E *rectificandum*, F *certificandum*.
[3] Aristot., II. Physic. text. 1.
[4] Vers. 2.
[5] Psalm. 40, 10; sequitur Luc. 22, 48.
[6] Serm. 6. de V. Feria passionis post initium (ed. Venet. 1583).
[7] Vers. 21. et Marc. 14, 18.
[8] Vers. 21; sequitur Matth. 26, 14.
[9] Vers. 15; dein respicitur Ps. 34, 4.
[10] Apoc. 19, 16; sequitur Ioan. 19, 11.
[11] Ita E F; Vaticana legit: *est in Domini verbis explicata.*
[12] Si haec lectio est genuina, supponendum est, Bonaventuram alias duas partes sermonis ad vesperas dixisse per modum collationis; cfr. supra pag. 3, col. II. in principio.

Pars II. II. Secundo notatur *contemptibilitas ultimi opprobrii* in flagellatione et faciei conspuitione, cum dicitur: *et illudetur et flagellabitur et conspuetur*. Non enim sine causa, immo divina dispensatione factum est, ut Filius Dei illuderetur, flagellaretur et conspueretur, quoniam per ista tria miro modo ipse Dei Filius, Reparator humani generis, *destruxit corpus peccati* [1]. Nam in peccato est *frontis inverecundia* excludens pudorem; *delectationis complacentia* excludens dolorem; et *elationis superbia* excludens timorem. Et quoniam « contraria contrariis curantur », primo destruxit frontis *inverecundiam* in sustinendo pudorem in illusione; secundo, delectationis *complacentiam* sustinendo dolorem in flagellatione; tertio, elationis *superbiam* sustinendo vilificationem in conspuitione.

Subdivisio.

Primo destruxit *frontis inverecundiam sustinendo pudorem* in illusione; et de ista illusione dicitur Matthaei vigesimo septimo [2]: *Chlamydem coccineam circumdederunt ei, et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius et arundinem in dextera eius, et genu flexo ante eum, illudebant ei.* — Fletum, inquam, deducite, oculi mei, liquesce, anima, in dolore compassionis *super contritionem* viri huius; quia Filius Dei *chlamyde coccinea* induitur, non ut honoretur, sed ut vituperetur; *corona de spinis super caput eius ponitur*, ut pudore confusionis repleatur; *arundo in dextera* eius ponitur, *et ante eum genuflectitur*, ut regius honor parum ante ei exhibitus plenius derideretur. Unde frontis meretricis inverecundiam [3] in peccato non deponere, cum Christus ad eam destruendam sustinuerit pudorem in sui illusione, est magnae iniquitatis.

Primo, de frontis inverecundia.

Secundo destruxit *delectationis complacentiam sustinendo dolorem* in flagellatione; unde dicitur Marci decimo quinto [4]: *Tradidit*, scilicet Pilatus, eis *Iesum flagellis caesum*. Christus ad hoc voluit amaritudinem doloris sustinere in flagellatione, ut destrueret dulcedinem carnalis delectationis. Non ergo, carissimi, evacuemus in nobis effectum divinae flagellationis, quam sustinuit pro nobismetipsis, iterum Filium Dei flagellando per delectationem peccati, quia mitigandus est eius dolor, non amplius innovandus. Unde Bernardus [5]: « Heu me miserum! Deus meus adaptatur ad verbera; ecce, iam caeditur, rumpit sanctam carnem violentia flagellorum, et crudelia vulnera scapularum totam carnem conscindunt ».

Secundo, de delectationis complacentia.

Tertio destruxit *elationis superbiam sustinendo deiectionem* sive vilificationem in conspuitione; Matthaei vigesimo septimo [6]: *Exspuentes in eum, acceperunt arundinem et percutiebant caput eius.* Miro enim modo excelsus Filius Dei confudit nostram superbiam in sustinendo sputorum abominationes, quae sunt signa extremae deiectionis, ut nullus, quantumcumque nobilis et excelsus, verecundetur propter honorem Dei humiliari [7] et deiici in conspectu hominum. « Non ergo erubescat membrum deiectionem humilitatis, quam novit praecessisse in capite. Nihil enim membrum gloriosius putat quam opprobrium deiectionis sui capitis portare [8] ».

Tertio, de elationis superbia.

Pars III. III. Ultimo subinfertur *dolorosi supplicii acerbitas*, cum dicit: *et postquam flagellaverint, occident eum.* Huius dolorosi supplicii acerbitatem ostendit primo *nobilitas* teneri sive delicati subiecti, veraciter patientis; secundo, *malignitas* Iudaici populi, crudeliter saevientis; tertio, *atrocitas* amari supplicii, celeriter perimentis.

Subdivisio.

Primo vehementem amaritudinem huius dolorosi supplicii ostendit *nobilitas teneri subiecti*, veraciter patientis. Ex parte enim *carnis* erat teneritudo naturae optime complexionatae; et quanto natura tenerior, tanto eius poena dolorosior. Ratione autem huius teneritudinis tantam poenam inflixit sola imaginatio mortis, quod *factus est sudor eius sicut guttae sanguinis decurrentis in terram* [9]; ergo, si tantum fecit sola imaginatio, quantum superaddidit degustatio acerbissimae passionis! Ex parte enim *mentis* erat in eo omnimoda peccati immunitas;

Primo, de nobilitate subiecti.

Rationes tres.

« quae autem venit indignae poena, dolenda venit »,

secundum quod dicit Ovidius [10]. Ex parte enim *amicabilis unionis* animae et carnis fuit in eo vehementia dolorosae afflictionis, quia caro eius nulli erat corruptioni obnoxia; ideo anima fortiori amicitia ei coniungebatur. Ubi autem maior amor in coniunctione, ibi maior dolor in separatione, et ratione huius non fuit sub caelo *dolor similis sicut dolor* [11] suus. Ad cuius expressionem *clamans* et lacrymans *mortuus est;* eius horribilis clamor etiam ipsis insensibilibus videbatur incutere horrorem, quoniam non tantum *velum templi*, sed etiam *petrae scissae sunt, et sol obscuratus est.* — Sed hanc lacrymabilem vocem non audiunt homines, qui duriores sunt ipsis lapidibus. De ista vero occisione ad litteram Isaias [12] dicit: *Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi*

Increpatio peccatorum.

---

[1] Rom. 6, 6. — Sequitur Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 32. n. 1; cfr. tom. IV. p. 37. nota 4.

[2] Vers. 28. seq.; deinde respicitur Thren. 2, 11.

[3] Hunc locum in Vaticana omnino corruptum correximus ex F. [4] Vers. 15.

[5] Potius Chrysost., serm. 3. de V. Feria passionis circa medium (edit. Venet. 1583.).

[6] Vers. 30.

[7] Pro eis quae sequuntur, cod. Tudert. substituit: *Magnum monstrum est, quod « caput sit humile et membrum superbum »*. [August., serm. 304. (alias 37. de Diversis vel serm. 3. in solemnitate Laurentii Martyris) c. 4. n. 3.].

[8] Bernard., serm. 25. in Cant. n. 8; cfr. supra pag. 172, nota 6.

[9] Luc. 22, 44.

[10] Epist. 5. v. 8. Editor Petrus Burmann in nota addit: *Quae venit indignae.* Immeritae: opponitur *ex merito. — Dotenda, cum dolore.*

[11] Respicitur Thren. 1, 12. et dein Matth. 27, 50. 51.

[12] Cap. 53, 7; sequitur v. 12.

agnus coram tondente se obmutescet. — *Ovis* est Christus ratione tractabilitatis et patientiae; sed *agnus*, ratione puritatis et innocentiae, cuius ratione *peccata mundi tulit.* Unde sequitur: *Pro eo, quod tradidit in mortem animam suam et cum sceleratis reputatus est, et ipse peccata multorum tulit et pro transgressoribus rogavit.*

Secundo vehementem acerbitatem huius dolorosi supplicii ostendit *malignitas populi Iudaici*, crudeliter saevientis. Multum enim saevierunt crudeles Iudaei; nam eius aures clamoribus opprobriorum impleverunt, eius faciem abominationibus sputorum sordidaverunt, eius caput compunctionibus spinarum fregerunt, propriis humeris suam ignominiam crucis portare fecerunt, eius maxillas sacrilegis manibus percusserunt, in siti sua felle et aceto eum potaverunt, et quod plus est, solo zelo invidiae eum occiderunt, secundum quod figuratum erat in occisione Abel, de quo dicitur primae Ioannis tertio [1]: *Cain, qui ex maligno erat, et occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera eius maligna erant, fratris autem eius iusta.* — Perversus *Cain*, qui *occidit* iustum *fratrem suum* solo zelo invidiae, ratione suae malignitatis significat populum Iudaicum, qui occidit Christum natum de populo et gente Iudaica, invidens bonis operibus eius. Et hoc est quod dicebat eis Dominus Ioannis decimo: *Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo; propter quod eorum opus me lapidatis?* — Hic enim est Christus, qui quaecumque mystica veteris testamenti adimplevit. Nam a latere Adae sequestratus est, ut inde fieret Ecclesia; in Abel occisus est, in Noe nudatus, in Abraham multiplicatus, in Isaac immolatus. Huic enim singulari sacrificio figurando omnia veteris testamenti sacrificia hactenus insudaverant. In Iacob peregrinatus, in Ioseph venditus, in Moyse occultatus, in David persecutus, in Prophetis exhonoratus. Si ergo quilibet istorum, excepto (?) Adam, habuit satis portare de sua tribulatione, quantum vero habuit Christus portare, super quem et in quo omnes istorum figurales *fluctus fuerunt inducti* [2] et adimpleti! Unde ratione illius crudelitatis et saevitiae, quam exercuerunt in eum Iudaei, potest dici de eis illud Iob vigesimo: *Caput aspidum suget, et occidet eum lingua viperae.*

Secundo, de malignitate Iudaeorum.

Notandum.

Tertio vehementem acerbitatem huius dolorosi supplicii ostendit *atrocitas amari supplicii*, celeriter perimentis. Valde enim crudele et amarum fuit eius supplicium, eo quod in eo habuit membrorum denudationes et extensiones, dolens in omni parte sui sine ulla miseratione; clavorum perforationes in pedibus et manibus, patiens in omni hora sine requietione; tanquam enim carnifex sui ipsius, si parcebat pedibus, cruciabat manus, et si parcebat manibus, cruciabat pedes. Unde quia maxima erat ibi collectio nervorum, ideo maxima erat afflictio poenarum, et quia maxima in collectione nervorum vivacitas, maxima sentiebatur poenalitas; cum immensitate acerbitatis et poenalitatis celeriter anima fuit divisa a carne; ante enim obiit quam alii, qui cum eo erant crucifixi, et cum percussus esset in latere ratione accelerationis, *exivit sanguis et aqua* [3]. Ex quo apparet, quod adhuc sanguine existente in corde, ubi est fons vitae, facta est separatio animae a corpore. Si ergo naturaliter anima appetat habitare in corpore, quamdiu sanguis abundat in domicilio vitae: ergo absque maximo dolore de tam aperto domicilio vitae avelli non potuit. Ad cuius poenalitatis expressionem *cum clamoribus validis emisit spiritum.* Et de hoc dicitur Actuum decimo: *Nos testes sumus omnium, quae fecit* Iesus *in regione Iudaeorum et Ierusalem, quem occiderunt,* Iudaei in Ierusalem, *suspendentes in ligno crucis.* In quo *non habuit* ratione arctitudinis *ubi caput suum reclinaret* [4], nec ubi membra corporis appodiaret; immo, aliquando appodiabat se ad clavos pedum, aliquando ad clavos manuum; et ideo omni hora sine interpolatione vehementissime patiebatur. Rogemus ergo etc.

Tertio, de atrocitate supplicii.

DOMINICA PRIMA IN QUADRAGESIMA.

Sermo [5].

Ductus est Iesus a Spiritu in desertum, ut tentaretur a diabolo, Matthaei quarto [6].

Prothema. *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter et non improperat.* Quilibet praedicator debet haec tria, quae in secundo verbo sumto de Canonica beati Iacobi intelliguntur, considerare. Et primum est *indigentia humanae defectibilitatis;* secundum est *instantia devotae precis;* tertium est *affluentia divinae liberalitatis.* Humanae ergo defectibilitatis *indigentia* notatur, cum dicit: *Si quis indiget sapientia;* devotae vero precis *instantia* notatur, cum subdit: *postulet a Deo;* sed divinae liberalitatis *affluentia* notatur, cum subinfert: *qui dat omnibus affluenter.* Idcirco, carissimi, cognoscentes nostrae defectibilitatis *indigentiam* et divinae liberalitatis *affluentiam*, recurramus cum devota precum *instantia* ad Deum, *Patrem luminum* [7] et datorem sapientiae, ut sua

Introductio.

[1] Vers. 12; sequitur Ioan. 10, 32.
[2] Respicitur Ps. 87, 8; sequitur Iob 20, 16.
[3] Ioan. 19, 34; sequuntur Hebr. 3, 7; Luc. 23, 46. et Act. 10. 39.
[4] Respicitur Matth. 8, 20.
[5] Habetur in Vaticana et C D E F.
[6] Vers. 1. — Prothema ex C habetur Iac. 1, 5.
[7] Iac. 1, 17.

solita pietate det suam nobis sapientiam, ut possimus proferre in medium ea quae sunt ad laudem eius, et nostrarum animarum consolationem. Amen.

Ductus est Iesus etc.

Sermo. Quoniam efficacius persuadet vita quam lingua, et exemplum quam verbum; hinc est, quod Dominus noster Iesus Christus, cuius « quaelibet actio est nostra instructio », ut dicit Gregorius [1], ut exemplo vitae suae ad resistendum diabolo ceteros efficaciter informaret, voluit a Spiritu dirigi, deinde in deserto [2] morari et postea a diabolo tentari. Unde ad nostram perfectam instructionem, qualiter debeamus diabolo resistere, tria de Christo proponuntur

Divisio. in verbo proposito: primo, Spiritus sancti interior *inspiratio* ad dirigendum; secundo, loci securior *inhabitatio* ad resistendum; tertio, diaboli exterior *impugnatio* ad subvertendum. Primo notatur Spiritus sancti *interior inspiratio* ad dirigendum, cum dicit: *Ductus est Iesus a Spiritu;* secundo, loci *securior inhabitatio* ad resistendum, cum subdit: *in desertum;* tertio, *exterior* diaboli *impugnatio* ad subvertendum, cum subinfert: *ut tentaretur a diabolo.* Et habent se ista tria valde ordinate. Nam qui vult de diabolo perfecte triumphare, exemplo Christi oportet, ut primo a Spiritu sancto dirigatur, deinde in loco munito moretur, et postea, ut inpugnationem diaboli constanter sustineat.

Pars I. I. Primo ergo in verbo proposito notatur Spiritus sancti *inductio* sive inspiratio *ad dirigendum*, cum dicitur: *Ductus est Iesus a Spiritu.* Invenimus autem in sacra Scriptura Iesum ductum sive inspiratum multiplici spiritu; quia, quamvis Spiritus sanctus sit unus in substantia, est tamen multiplex

ubdivisio. in effectu. Primo ergo ductus est Iesus a spiritu *veritatis* ad *docendum ignarum;* secundo, a spiritu *aequitatis* ad *arguendum iniquum;* sed tertio, a spiritu *fortitudinis* ad *superandum diabolum;* ut primum sit contra spiritum erroris subvertentis; secundum, contra spiritum dissimulationis adulantis; sed tertium, contra spiritum pusillanimitatis succumbentis.

rimo, ad ocendum gnarom. Primo ergo ductus est Iesus a spiritu veritatis *ad docendum ignarum;* unde dicitur Isaiae sexagesimo primo [3]: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me; ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde et praedicarem captivis indulgentiam et clausis apertionem.* Exemplo enim Christi quilibet ad officium praedicationis, secundum quod continetur in hoc verbo, debet primo

praedicae- e tria re- iruntur. *eligi* propter sanctitatem animi; propter quod dicitur: *Spiritus Domini super me.* Deinde debet *institui* propter aequitatem iudicii; ob hoc sequitur: *eo quod unxerit me, prae participibus* meis, *quia dilexi iustitiam et odivi iniquitatem.* Postea tanquam verus legatus missus a Deo debet *exsequi* auctoritatem officii; quod notatur, cum dicitur: *ad annuntiandum mansuetis misit me;* cuius officii exsecutio debet esse ad *medendum* sive ad *consolandum* tristem a moerore et tribulatione poenali, ad *sanandum* aegrotum a vulnere peccati et ad *liberandum* captivum a carcere diaboli.

Officii triplex finis

Secundo ductus est Iesus a spiritu aequitatis *ad arguendum iniquum;* unde dicitur Isaiae undecimo [4]: *Arguet in aequitate pro mansuetis terrae et percutiet terram virga oris sui et spiritu labiorum suorum interficiet impium.* Non enim Dominus Iesus propter metum potestatis terrenae timore amittendae, nec propter quaestum mundanae cupiditatis amore acquirendae, sive propter ambiguam similitudinem falsitatis voluntati complacendi veritatem silebat, immo « veritatis iaculis » tam magnos quam parvos « aeque feriebat [5] ». Hoc spiritu ductus est in templum, quando non parat aures, ut audiat, sed flagellum, quo feriat *ementes et vendentes* [6], spiritualia pro temporalibus, nec tacet, quod *domum* orationis fecissent *domum negotiationis*, immo negotiatores de templo eiecit.

Secundo, ad arguendum iniquum.

Tertio ductus est a spiritu fortitudinis *ad superandum diabolum;* unde dicitur in Psalmo [7]: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* — *Desertum*, ad quod deduxit Spiritus sanctus Christum, dicitur *terra recta*, eo quod est locus idoneus ad faciendam abstinentiam, propter quam sensualitas recto ordine per omnia subiacet rationi, ne perturbetur ratio ad peccandum; licet inter carnem et spiritum Christi nulla esset rebellio, eo quod semper illa beatissima caro sequebatur illum beatissimum spiritum; *propter nomen tuum vivificabis me in aequitate tua;* quasi dicat: Domine Pater, indigeo auxilio tuae sustentationis, quia tanto ieiunio in hoc deserto afflixi meum corpus, quod prae nimia attenuatione totaliter sentit se mortificatum. Et *educes de tribulatione animam meam*, scilicet de tribulatione famis et attenuationis; *et in misericordia tua disperdes inimicos meos*, scilicet specialiter diabolum, qui inique et supervacue innititur me impugnare ad subvertendum. Bene, inquam, fuit ductus Iesus a spiritu *fortitudinis* in hoc desertum, eo quod non abhorruit squalorem solitudinis, asperitatem famis et malignitatem hostis, immo aggressus est locum incultum, ubi hostem terribilem et malignum contrivit constanter et eum deiecit feliciter.

Tertio, ad superandum diabolum.

Pars II. II. Secundo notatur in verbo proposito *securior habitatio ad resistendum*, cum dicitur: *in desertum. Desertum* enim propter triplicem proprietatem erat valde aptus locus et secura habitatio ad resistendum diabolicae tentationi, quam de propinquo exspectabat.

Triplex proprietas deserti.

---

[1] Libr. 1. Homil. in Evang. homil. 17. n. 1. secundum sensum; cfr. tom. IV. pag. 83, nota 1. et supra pag. 183, nota 7.

[2] Vaticana et codices legunt *desertum*.

[3] Vers. 1; sequitur Ps. 44, 8. Vulgata: *prae consortibus*.

[4] Vers. 4.

[5] Ex Breviar. Rom.-Seraph., fest. S. Antonii Pad., responsor. 6. ad Matutin.

[6] Matth. 21, 12. seqq. et dein Ioan. 2, 16.

[7] Psalm. 142, 10. et postea v. 11. seq.

Nam desertum locus est *asperitatis, sterilitatis* et *despectabilitatis*. Cum ergo exspectaret ipse de propinquo tentari a diabolo de gula et avaritia et vana gloria ad informandum nos exemplo suae vitae, voluit *duci in desertum a Spiritu*: primo, quia est locus *asperitatis* ad exercendam abstinentiam corporalis sanctificationis; secundo, quia est locus *despectabilitatis* ad confundendam iactantiam saecularis ambitionis; tertio, quia est locus *sterilitatis* ad suppeditandam avaritiam exitialis aggregationis.

Primo deserti est locus asperitatis.

Primo voluit *duci in desertum*, quia est locus *asperitatis* ad exercendam abstinentiam corporalis sanctificationis; unde potest exponi de eo illud Deuteronomii octavo [1]: *Adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum, ut affligeret te atque tentaret, et nota fierent quae in tuo animo versabantur. Affixit te penuria et dedit tibi cibum manna, quod ignorabus tu et patres tui. — Adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis*, id est quadraginta diebus, ut annus pro die numeretur, secundum quod frequenter consuetum est fieri in sacra Scriptura; *per desertum*, asperitatis, *ut affligeret te*, fame atque penuria, *atque tentaret*, id est, permitteret, te tentari; ut *nota fierent quae in animo tuo versabantur*, id est, continebantur, omni populo, ut instruantur exemplo tuae patientiae. *Affixit te penuria et dedit tibi cibum manna*. Mira dispensatio divina, quia non datur consolatio cibi caelestis, nisi praecedat afflictio cibi terrestris. Unde filiis Israel pluit manna de caelo in deserto asperitatis et penuriae, non in Aegypto fertilitatis et abundantiae.

Secundo, locus despectabilitatis.

Secundo voluit *duci in desertum*, quia est locus *despectabilitatis* ad confundendam iactantiam saecularis ambitionis; unde secundi Machabaeorum quinto [2]: *Iudas Machabaeus, qui decimus fuerat, secesserat in desertum locum ibique inter feras vitam in montibus cum suis gerebat. — Iudas*, qui interpretatur glorificans, ratione suae virtuositatis significat Iesum Christum, qui ratione suae profundae humilitatis et virtuosae conversationis fuit gloria Dei Patris in assumta humanitate. Dicitur autem *decimus* ratione suae eminentis perfectionis. Hic vero ad confundendam iactantiam saecularis ambitionis in tantum se humiliavit, ut, *formam servi accipiens* [3], inter homines conversaretur, et etiam in tantum se vilificavit, ut vellet fieri *opprobrium hominum et abiectio plebis*, vitam suam in deserto cum bestiis gerendo. — Erubescat ergo membrum elevari in altum per ambitionem, cum eius caput voluit deprimi in imum per humiliationem [4]. Alioquin monstruosa res esset, si pes, qui debet subesse, vel aliquod aliud membrum superponatur capiti, quod debet praeesse.

Increpatio.

Tertio, loco sterilitatis.

Tertio voluit *duci in desertum*, quia locus *sterilitatis* ad suppeditandam avaritiam exitialis aggregationis; unde dicitur primi Machabaeorum secundo [5]: *Exclamavit voce magna Mathathias in civitate, dicens: Omnis, qui zelum habet legis, statuens testamentum, exeat post me. Et fugit ipse et filii eius in montes, et reliquerunt quaecumque habebant in civitate; tunc descenderunt multi* cum eo, *quaerentes iudicium et iustitiam in desertum, et sederunt ibi. — Mathathias*, qui interpretatur donatus, ratione suae eminentis sanctitatis significat Christum, qui est humano generi donatus a Deo Patre. Hic *clamat*, praedicando, ut *omnis, qui habet zelum legis*, evangelicae, per quam *statuitur testamentum*, pacis et amicitiae cum Deo, *exeat post* eum, de mundana conversatione, omnia, saltem affectu, relinquendo. Nam *ipse et filii eius*, id est Apostoli, omnia, quae in mundo erant, contempserunt, ut citius post eum currerent cum cordis dilatatione ad montana, id est eminentiam perfectionis evangelicae. Et *tunc descenderunt multi*, scilicet perfecti Religiosi, relictis omnibus tam in communi quam in proprio, post eum *in desertum*, verae mendicitatis et inopiae, *quaerentes iudicium*, per punitionem delictorum, *et iustitiam*, per adimpletionem praeceptorum, ut *sedeant ibi*, per mentis quietudinem et corporis requiem, nullam curam mundanae sollicitudinis admittendo, sed tantummodo devotae orationis et sacrae lectionis studio insistendo. — Sed hodie sunt nonnulli, qui *descendunt in desertum* Religionis, non ut *sedeant*, sed ut discurrant per mentis distractionem et corporis inquietudinem, semper temporalia aggregando et vix aut nunquam studio devotae orationis vacantes, non attendentes, licet experimentaliter cognoscant, quod dicit Gregorius decimo octavo Moralium [6]: « Perturbatae mentes saecularium eo ipso clamant, quoniam a vera sapientia longe divisae sunt, quo quietae non sunt ». Unde non est reputandus otiosus qui insistit labori cognoscendae veritatis, eo quod pluris meriti est quam *exercitatio corporalis* [7]. Unde Ambrosius: « Otiosus non est qui Verbo Dei studet, nec pluris meriti est qui laborat extra, quam qui laborem Divinitatis cognoscendae exercet intra ».

Nonnulli vi toperantor

Pars III.

III. Ultimo notatur diaboli *exterior impugnatio ad subvertendum*, cum dicit: *ut tentaretur a diabolo*. Tentavit autem diabolus Christum de tribus, de quibus tentavit primum parentem atque decepit. Primo enim tentavit Christum de *gula* in deserto; secundo, de *vana gloria* in templo; sed tertio, de *avaritia* in monte. Sed certe, diabolus non habebat facere cum Adam stulto et insipiente, sed cum Christo astuto et sapiente. Nam tentationem gulae vicit abstinentia et tentationem vanae gloriae vicit

Tentatur Christos de tribus.

---

[1] Vers. 2. seq.
[2] Vers. 27.
[3] Phil. 2, 7; sequitur Ps. 21, 7.
[4] Vide supra pag. 203, notam 8.
[5] Vers. 27-30. Supra *suppeditandam* idem est ac *supplantandam*.
[6] Cap. 43. (alias 25.) n. 70.
[7] Respicitur I. Tim. 4, 18. — Deinde sequitur Ambros., serm. 11. in Ps. 118. n. 11; cfr. supra pag. 197, nota 7.

humilitate et tentationem avaritiae vicit paupertate. Unde licet diaboli aggressus fuerit praesumtuosus, processus malitiosus, tamen eius recessus fuit opprobriosus, cum nihil *certitudinis* de sua dubitatione potuerit investigare nihilque *gloriationis* de sua dolosa tentatione potuerit reportare et nihil *excusationis* de sua confusione potuerit allegare, quoniam superatur a famelico et debili, a despecto et contemptibili, a mendico et inopi. O stupenda duelli dimicatio! o imitanda patientiae perfectio! o admiranda sapientiae dignatio! cum dux vitae a principe mortis tentatur et ab eius membris crucifigitur, et nihilominus ipse princeps mortis ab ipso duce vitae per mortis inductionem superatur.

Explicatur membra tria.

Primo ergo tentavit Christum de *gula*, ut inficiat puritatem animae et corporis; secundo, de *vana gloria*, ut inducat vanitatem mundanae ostentationis; tertio, de *avaritia*, ut decipiat per mundanae pulcritudinis delectabilitatem. — Primam tentationem *gulae* vicit per spiritualis cibi iugem degustationem; secundam tentationem *vanae gloriae* per voluntariae abiectionis humiliationem; tertiam tentationem *avaritiae* vicit per omnis terrenitatis despectionem.

Primo, de gula.

Tentavit primo de *gula*, ut inficeret animae et corporis puritatem, cum dixit [1]: *Si Filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant*, quasi eum volens capere per gulam, tanquam facilius vitium ad omnia facinora paratum. Unde « nisi prius gula refrenetur, frustra contra alia vitia laboratur », secundum quod dicit Glossa [2]. Hanc tentationem gulae docuit Dominus vincere per spiritualis cibi ingem degustationem, cum respondit [3] diabolo: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei;* quasi dicat: cum homo sit compositus ex duplici substantia, scilicet corporali et spirituali; sicut corpus indiget recreari et sustentari cibo materiali, sic spiritus cibo spirituali, qui quidem cibus est verbum, quod reficit spiritum, si *audiatur* reverenter, si *intelligatur* diligenter et si *ad memoriam reducatur* delectabiliter. Et propter hoc dicebat Dominus Apostolis Lucae vigesimo secundo: *Vigilate et orate, ne intretis in tentationem. — Vigilate*, per fomitis repressionem; nam *vigilia honestatis tabefaciet carnes*, sicut dicitur Ecclesiastici trigesimo primo; et tunc, amota carnis petulantia, ad degustandam dulcedinem divini verbi *orate*, per mentis elevationem. Nam *hoc genus* daemoniorum, id est hoc vitium gulae, *non eiicitur nisi in ieiunio et oratione* [4].

Triplex conditio.

Secundo, de vana gloria.

Secundo tentavit de *vana gloria*, ut induceret ad mundanae ostentationis vanitatem, cum dixit [5]: *Si Filius Dei es, mitte te deorsum*, quasi volens eum allicere ad ostentationem saecularis iactantiae. Unde Chrysostomus: « Volare per aërem non est proprium opus Dei, quia nec hoc est utile alicui, nec ad animam nec ad corpus ». Hanc tentationem vanae gloriae docuit Christus vincere per profundae abiectionis cordialem humiliationem, cum dixit [6]: *Scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum;* quasi dicat: experientiam non sumas de me per ostentationis signum, quia qui hoc facit Deum tentat praesumtione elationis. — Ecce, carissimi, exemplo Christi habemus, quod qui ex contemptu vanae gloriae se humiliat vitia superat, sed qui se exaltat vincitur et superatur. Et propter hoc bene dicitur Ecclesiastici decimo octavo: *Ante orationem praepara animam tuam, et noli esse quasi homo, qui tentat Deum.* — Si volumus, quod oratio nostra sit coram Deo accepta et gratuita, debemus *praeparare animam* nostram per profundam humiliationem cordis, ut nihil reputemus nos *et nolimus esse quasi homo, qui tentat Deum*, per praesumtionem superbiae reputando *se aliquid* magnum, *cum nihil sit* [7], sicut ille Pharisaeus, *qui aspernabatur ceteros*, et suae temeritate praesumtionis arbitrabatur, se esse iustum, et propter hoc publicanus ratione suae humilitatis *descendit iustificatus in domum suam ab illo* superbo.

Adhortatio.

Tertio, de avaritia.

Tertio tentavit de *avaritia*, ut deciperet per mundanae pulcritudinis delectabilitatem, cum dixit [8]: *Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Ostendebat ei omnium rerum pulcritudinem [9], quasi volens eum capere per illicitam delectationem, ut per avaritiam ducat eum ad peccatum idololatriae. Hanc tentationem avaritiae docuit Christus vincere per mundanae prosperitatis totalem despectionem, cum respondit [10]: *Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies;* quasi dicat: qui propter aurum vel aliquod aliud alium quam Deum adorat idololatra est, sed qui omnia contemnit propter Deum *servit soli* Deo, eo quod nulla admittit contraria, nulla aequiparat ei disparia et ad nihil aliud per affectum alligatur praeter eum cui in dilectione totum cor debetur. Et propter hoc Apostolus dicit primae ad Timotheum ultimo [11]: *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri incidunt in tentationem et in laqueum diaboli et desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas.* — Apostoli namque contenti erant alimentis, sed

[1] Matth. 4, 3.
[2] Scilicet *ordinaria* in Matth. 4, 1.
[3] Matth. 4, 4; sequuntur Luc. 22, 40; Marc. 14, 38. et Eccli. 31, 1.
[4] Matth. 17, 20.
[5] Matth. 4, 6. — Sequitur Chrysost., in Matth. 4, 6. (Opus imperfect.) homil. 5.
[6] Matth. 4, 7; sequitur Eccli. 18, 23.
[7] Respicitur Gal. 6, 3; dein sequitur Luc. 18, 9. 14.
[8] Matth. 4, 9.
[9] Cod. C addit: Unde Glossa dicit in hoc loco, quod diabolus quadam sua sagacitate ostendit Christo omnium rerum pulcritudinem et in momento, quasi volens etc.
[10] Matth. 4, 10. (Deut. 6, 13.).
[11] Cap. 6, 8-10.

diabolus apponit cupidis et avaris mundanae pulcritudinis delectamenta, qui tanto amore caeco cupiditatis ad ea feruntur, ut permittant, se illaqueari a diabolo *in interitum* perditionis aeternae. Unde Bernardus [1]: « Avaritia est radix omnium malorum, pestis occulta, secretum virus, mater hypocrisis, liworis parens, criminum fomes, virtutum aerugo, tinea sanctitatis ».

Sermo II [2].

Reliquit eum diabolus, et ecce, Angeli accesserunt et ministrabant ei [3].

(Prothema). *Relinquite infantiam et vivite et* Introductio. *ambulate per vias prudentiae.* Sicut est duplex homo in nobis, scilicet homo interior et exterior, hinc est duplex aspectus in anima rationali: primo aspectu fertur homo in sensibilia sensibiliter, secundo aspectu fertur in intellectualia rationabiliter; ita habet homo duplicem sensum: unum infantilem, quo sequitur affectus, qui generantur ex sensibilibus; habet etiam sensum senilem, quo inclinatur ad audiendam doctrinam et sapientiam. Qui accedit ad audiendam fidem deprimat duritiam infidelitatis, quia ad sectandam viam Christi oportet *relinquere infantiam* et infantilia desideria. Tolerabile est, quod qui secundum aetatem est infans, sequatur infantilia, sed qui antiqui sunt, quod illi sint infantiles in cogitationibus, locutionibus et desideriis, hoc non est decens. Propter hoc dicit Apostolus [4]: *Iuvenilia desideria fuge.* Deponamus igitur sarcinas sensuum tanquam veri discipuli Christi et aptemus nos ad audiendum quae Christus fecit, quia discipuli Christi sumus. De Christo et de pugna Christi erit praesens sermo. Sed loqui de pugna hominibus effeminatis nihil est. Simus igitur viriles et rogemus Dominum in principio, quod det mihi aliquid dicere, quod sit ad eius honorem et salutem animarum vestrarum.

Reliquit eum diabolus etc.

Sicut voluntaria praevaricatio initium et origo Sermo. fuit humanae mortis, ita plenitudo gratiae initium et origo fuit nostrae salutis. Et sicut aviditas in gustando lignum vetitum fuit initium praevaricationis et culpae, ita austeritas vitae initium fuit reparationis humanae. Et sicut tentatio, qua tentator vicit tentatum, initium fuit culpae, mortis et servitutis; sic tentatio, qua tentator diabolus victus est ab homine tentato, initium fuit reparationis humanae et salutis et vitae. Propter hoc Ecclesia per Spiritum sanctum edocta hoc tempore quadragesimali in primordio Quadragesimae recitat nobis Christi ieiunium et tentationem et tentationis consummationem. Tentationis consummatio et victoria de hoste tanguntur in Matthaeo: primo, quan- Divisio. tum ad *terminum laboriosi certaminis,* cum dicit: *Reliquit eum diabolus;* secundo, quantum ad *initium iucundae tranquillitatis,* cum dicit: *et ecce, Angeli accesserunt et ministrabant ei.* Et est hic rectus ordo, scilicet ut primo diabolica tentatio vincatur [5], et postea iucunda tranquillitas sequatur; quia, sicut aliquid extra proprium locum per violentiam detentum impossibile est quod revertatur ad locum quietum nisi per motum praecedentem; sic impossibile est, quod homo expulsus de paradiso redeat ad pacem nisi per conflictum, quia *non coronatur, nisi qui legitime certaverit;* et in libro Sapientiae: *Certamen forte dedit illi, ut vinceret et sciret, quoniam omnium potentior est sapientia.*

Reliquit autem *diabolus* Christum tanquam in- Pars I. superabilem et omnia superantem, et diabolus tanquam temerarius tentator et superbus recessit convictus. Experientia percepta, post tentationem deprehendit diabolus, in Christo esse inviolabilem *sanctimoniam,* indeceptibilem *sapientiam* et impenetrabilem *armaturam.* Et per quid? Per hoc, quod nihil *delectabile* potuit ei proponere, quod Christum alliceret; ideo cognoscebat, in Christo esse inviolabilem *sanctimoniam.* Similiter nullum *laqueum* potuit tendere, qui Christum lateret, nec ita occulte loqui, quin Christus intelligeret et perciperet; et ideo deprehendit, in Christo esse indeceptibilem *sapientiam.* Similiter nullum *iaculum* potuit proiicere, quod Christum offenderet; et ideo percepit, in Christo esse impenetrabilem *armaturam.* Unde de Christo dicit Psalmus [6]: *Scuto circumdabit te veritas eius, non timebis a timore nocturno, a sagitta volante in die.* Nullum genus tentationis timebat Christus, quia armis veritatis fuit munitus. Reliquit igitur eum diabolus, quia convictus fuit, ut verificetur illud Habacuc: *Ibi abscondita est fortitudo eius; ante faciem eius ibit mors, et egredietur diabolus ante pedes eius. Stetit et mensus est terram. — Ibi abscondita est fortitudo eius,* scilicet in carne mortali. Volens diabolus sumere experimentum, utrum in Christo lateret fortitudo, tentavit eum et expertus est, quod sic, et recessit confusus; unde dicit: *egredietur diabolus ante pedes eius,* id est, confusus abscessit. Consuetudo est hostis antiqui omnes invadere, sed aliter et aliter, quia quos molles invenit, illos capit et sternit et sibi subiicit; sed si quos stabiles invenit, illos relinquit et fugit. Et tales Subdivisio.

---

[1] Serm. 6. in Ps. *Qui habitat,* n. 4.

[2] Habetur in duobus antiquis codicibus, quibus usi sumus in nostra editione Collationum de septem donis Spiritus sancti; cfr. Prolegomena in tom. V. pag. XL col. II. § 3. n. 4. et 3. et etiam Ratio novae collectionis etc. pag. 189 de cod. Trecensi et pag. 190 seqq. de cod. Oxoniensi. Hi codices satis bene inter se conveniunt. — In cod. Oxoniensi hic sermo inscribitur: *Sermo in prima Dominica Quadragesime fratris Bonaventure.* Iste non est scriptus ab auctore, sed satis manifeste ab aliis exceptus.

[3] Matth. 4, 11. — Prothema habetur Prov. 9, 6.

[4] Epist. II. Tim. 2, 22.

[5] Cod. Trecensis legit *describatur.* — Sequuntur II. Tim. 2, 5. et Sap. 10, 12.

[6] Psalm. 90, 5. seq.; sequitur Hab. 3, 4-6.

in pace et iucunditate cum Angelis Dei gaudere permittit; unde in Canonica Iacobi [1]: *Resistite diabolo, et fugiet a vobis.* Et Gregorius dicit: « Debilis est hostis, qui non vincit nisi volentem ». Viles sunt qui statim succumbunt. Aliqui canes sunt, qui fugiunt, quando resistitur eis, sed quando homo fugit, tunc insequuntur eum; sic iste vilissimus spiritus modum habet vilis canis, quia statim fugit, quando resistitur ei.

Sed quomodo debemus resistere diabolo? *Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est in monte* [2]. *Confidite*, inquit Christus, *ego vici mundum.* Si oportet dicere, quomodo resistitur diabolo, oportet primo discere pugnas diaboli. Nullus est, quin habeat pugnare cum diabolo; sed si non habet industriam pugnandi, in magno periculo est.

Subdivisio. Triplex autem est modus pugnandi cum diabolo secundum triformem eius tentationem: debemus resistere diabolo primo in *viriliter ablicando* delicias corporalium sensuum; secundo, in *sagaciter advertendo* versutias *spiritualium nequitiarum;* tertio, in *magnanimiter aspernando* affluentias mundialium facultatum.

Primum modum resistendi diabolo exprimit dux exercitus christiani post Christum, beatus Petrus, dicens [3]: *Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret; cui resistite fortes in fide.* — *Sobrii estote,* per restrictionem corporalium sensuum; *et vigilate,* per exercitationem spiritualium virtutum. Vel: *Sobrii estote,* per carnis mortificationem [4]; *et vigilate,* per orationis devotionem, quia *hoc genus daemoniorum non eiicitur nisi per orationem et ieiunium.* Inimicus humani generis aut nititur hominem levare in superbiam, aut incurvare ad con-

Notandum. cupiscentiam terrenorum. Primum genus daemoniorum vincitur per orationem, secundum vero per ieiunium. *Circuit, quaerens quem devoret; circuit* enim, ut intret per portas sensuum; unde dicit Augustinus [5]: « Qui (diabolus) immisset se saporibus, accommodat se sonis ». Hoc modo primos parentes decepit. Immisit susurrium per aures, dicendo [6]: *Nequaquam moriemini;* et tunc intravit portam unam; postea ostendit ei fructum, et tetigit, et credo, quod odoravit; nam homines solent fructus novos odorare; et tunc incepit amplius intrare; et postea gustavit, et tunc perfecte intravit. Per istas portas nititur diabolus genus humanum captivare. — Dicit: *Cui resi-*

Arma duo. *stite fortes in fide.* Duo sunt arma fortissima ad resistendum diabolo et concupiscentiis eius, scilicet consideratio amissionis gloriae caelestis et consideratio damnationis et ignis gehennalis. Audi: cibus, qui tantum constat, quod pro eo homo paradisum amittat et poenas inferni incurrat, non est bonus ad comedendum. Quare gustasti eum, tu Adam, per quem tu et tota posteritas tua paradisum amisisti et afflictioni et damnationi perpetuae subiectus esses, nisi esset misericordia Dei? Dicit igitur: *resistite fortes in fide.*

Exemplum Christi. Huius exemplum nobile habemus in prima tentatione Christi, in ieiunio. Dicitur in Matthaeo [7]: *Cum ieiunasset* Iesus *quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit. Et accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant.* Et dixit Iesus: *Scriptum est: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Intende, quis fuit modus primae *tentationis,* et intende in verbo Christi, quis fuit modus *resistendi.* Inimicus humani generis ex illa parte offert se, ex qua videt hominem magis superabilem. Quando anima primo coniuncta est cor- Modus tentandi. pori, ita intenta est sensibus corporis, quod quasi tota intentio sua versatur circa hoc; et ideo paucas exercet operationes intellectuales; et ideo infantes cito capiuntur circa species delectabiles. Unde scribitur: *Videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulcrae, acceperunt sibi uxores,* quilibet *quas elegerat.* Et dicit Augustinus [8], « quod in principio in puero iuvene anima ita intenta est circa sensibilia, quod, si poneretur lucerna a latere pueri ex obliquo iuxta puerum, puer efficeretur strabo, quia anima transversaliter tenderet in lucem, et ex hoc oculi acciperent inordinatum situm in capite ». Ideo cavere debent sibi invenes, ne inordinate capiantur. Prima tentatio diaboli fuit per repraesentationem obiecti corporalis delectabilis secundum carnem, quando diabolus dixit: *Si Filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant.* Quare non obtulit mulierem? Certe, quando vidit, quod Christus habebat famem, et vehementia appetitus auget delectationem et inclinat animam ad illud quod appetitur; ideo, quia videbat diabolus, quod indigentia naturae ferebatur ad cibum, et quod natura requirit, ut homo comedat, et quod inordinata esset delectatio in cibo cum fame; dixit diabolus ad Christum: *Dic, ut lapides isti panes fiant.* — Cautus erat diabolus, sed cautiorem invenit, scilicet Christum, qui dixit ei: *Non in solo pane vivit homo* etc. Et sicut modus iste tentandi fuit per Modus resistendi. repraesentationem obiecti corporalis delectabilis secundum carnem; ita modus *resistendi* huic tenta- Notandum. tioni est per rememorationem obiecti intellectualis

Modus resistendi primae tentationi.

[1] Cap. 4, 7. — Sequens locus Gregorii est V. Moral. c. 22. n. 43: Antiquus hostis, sicut contra consentientes fortis est, ita contra resistentes debilis. Cfr. etiam Bonav., tom. III. pag. 656, nota 4.

[2] Exod. 25, 40; sequitur Ioan. 16, 33. et dein respicitur Eph. 6, 12.

[3] Epist. I. Petr. 5, 8. seqq.

[4] Verba *et vigilate, per exercitationem* etc., desunt in cod. Oxoniensi. — Sequitur Matth. 17, 20.

[5] Lib. de Divers. Quaestionibus, qu. 12: Dat se figuris, accommodat coloribus, adhaeret sonis... infundit saporibus.

[6] Gen. 3, 4. seqq.

[7] Cap. 4, 2-4; sequitur Gen. 6, 2. seqq.

[8] Libr. XIV. de Trin. c. 5. n. 7. secundum sensum.

delectabilis secundum mentem; ideo dicit: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei;* quia anima delectatur in verbo vitae, quod est panis spiritualis, *habens in se omne delectamentum et omnis saporis suavitatem*[1]. Quando diabolus suggerit tibi delectabilia secundum carnem, debes rememorari, quod non sunt dimittenda spiritualia pro temporalibus, nec Creator pro creatura, panis vitae pro pane mortis, quod homo, qui *paulo minus minoratus est ab Angelis, comparetur iumentis insipientibus;* hoc nihil est. Iste modus vin-
Notandum. cendi est vacantium sapientiae. Si non esset nisi hoc, quod in delectationibus carnis obfuscatur hominis ingenium, tamen propter hoc solum deberet eas fugere iuvenis. Non potest scholaris simul frequentare tabernas et scientiae scholas; non potest simul esse panis vitae cum pane mortis et pleno veneno mortifero. Plena veneno est omnis delectatio, quae est contra legem Dei; unde scribitur[2]: *Suavis est homini panis mendacii, et postea implebitur os eius calculo.* Panis vitae est perpetuus, sed panis delectationis est momentaneus; ille est incorruptibilis, iste vero corruptibilis; ille est nobilis, sed iste est vilis, quia *omnis caro foenum, et omnis gloria eius quasi flos agri. Exsiccatum est foenum, et cecidit flos, verbum autem Domini nostri manet in*
Hortatio. *aeternum;* quod verbum est panis vitae. — Accipiamus igitur arma et resistamus diabolo et tentationi eius. Dicit Gregorius[3], quod « nihil est, quod tantum valeat ad concupiscentiam refrenandam sicut memoria eius, quod caro, quae concupiscit, cito non erit ».

Secundus modus resistendi tentationi diaboli
Modus resistendi secundae tentationi. est in *advertendo versutias spiritualium nequitiarum;* unde ad Ephesios[4]: *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli. Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores, tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in caelestibus. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo et in omnibus perfecti stare.* — Quae sunt *nequitiae spiritualium versutiarum?* Quando videt diabolus, quod non potest hominem flectere ad carnalia desideria, tunc *est nobis colluctatio contra spiritualia.* Propter hoc dicit Leo Papa[5]: « Non desinit hostis antiquus, *in angelum lucis se transfigurans,* deceptionum laqueos ubique tendere et ut fidem credentium quoquo modo possit corrumpere, instare. Novit, cui adhibeat aestus cupiditatis, cui gulae illecebras ingerat, cui incitamenta luxuriae apponat, cui infundat virus invidiae, quem moerore conturbet, quem fallat gaudio, quem metu opprimat, quem admiratione seducat. Omnium discutit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus, et ibi quaerit causam nocendi, ubi videt quemlibet studiosius occupari ». Quando videt aliquem in studio virtutum occupatum, nititur eum levare in altum, et fit, quod *cum immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, quaerens requiem; et non inveniens, dicit: Revertar in domum meam, unde exivi. Et cum venerit, invenit eam scopis mundatam et ornatam. Tunc vadit et assumit septem alios spiritus secum nequiores se*[6]. — Tunc *immundus spiritus exit de homine,* quando homo repellit foeditates carnis, et tunc circuit diabolus, *quaerens requiem, et non inveniet,* usquequo poterit hominem trahere ad aliud genus peccati; *et tunc assumit secum septem spiritus nequiores se.* Isti sunt spiritus simulationis et Notandum.
hypocrisis, quia « simulata aequitas est duplex iniquitas[7] ». — Sed oportet eis resistere per detestatio- Primus modus resistendi 2. tentationi.
nem omnis vanitatis et simulationis. Unde Apostolus ad Ephesios[8]: *Nolite locum dare diabolo.* Diabolus superbus fuit in caelo, quando dixit: *In caelum conscendam, super astra caeli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis. Similis ero Altissimo;* et mendax in terra, quando dixit primis parentibus: *Nequaquam morte moriemini.* Ille locum diabolo dat, qui spiritum superbiae in corde ponit. Nam spiritus ambitionis non invadit te, si non dederis ei locum, nec spiritus simulationis. Propter hoc dicitur in Ecclesiaste[9]: *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris.*

Exemplum secundae victoriae habemus in Chri- Exemplum Christi.
sto. Dicitur in Evangelio[10]: *Tunc assumsit eum diabolus in sanctam civitatem et statuit eum super pinnaculum templi et dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: Quia Angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi Iesus: Rursum scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum.* — Videte versutias diaboli: vidit, quod Christum in prima tentatione non potuit trahere ad peccatum, quia Christus allegaverat contra eum sacram Scripturam, quando dixit Christus[11]: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei;* et ideo diabolus in ostensionem sanctitatis Christo allegat sacram Scripturam. Cogitabat: quia Christus innitebatur sacrae Scripturae, et ego allegabo ei sacram Scripturam, et ubi

[1] Sap. 16, 20; sequuntur Ps. 8, 6. et 48, 13.
[2] Prov. 20, 17; sequitur Isai. 40, 6-8.
[3] Libr. XVI. Moral. c. 40. n. 83; cfr. tom. VII. pag. 145, nota 3.
[4] Cap. 6, 11. seqq.
[5] Serm. XXVI, 7. in Nativ. Dom. c. 3, ubi allegatur II. Cor. 11, 14.
[6] Luc. 11, 24. seqq.
[7] August., Enarrat. in Ps. 63. n. 11.
[8] Cap. 4, 27; sequuntur Isai. 14, 13. seq. et Gen. 3, 4.
[9] Cap. 10, 4.
[10] Matth. 4, 5. seqq.; cfr. Ps. 90, 11. et Deut. 6, 16.
[11] Matth. 4, 4; cfr. Deut. 8, 3.

ipse credit inniti, ibi ego immittam ei scandalum. Et sicut tentator et sophista processit. De omnibus *membris* Christi dicta est ista auctoritas, id est: *Angelis suis mandavit de te* etc.; et ipse appropriavit eam *Christo* et ex communibus circa propria procedere est tentare. — Item, diabolus distributionem coarctatam ampliavit, quando dixit: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis;* verum est in viis veritatis, non in viis vanitatis, non in praecipitiis. — Item, processit sicut fraudulentus, quia quod contrarium fuit ei de auctoritate, truncavit, scilicet: *Super aspidem et basiliscum ambulabis et conculcabis leonem et draconem.* Si hoc dixisset, tunc Christus respondisset: Tu es ille leo et draco. Certe, nec honor Dei nec utilitas proximi nec virtus aliqua fuisset, quod Christus se *misisset deorsum*, sed solum vanitas.

lius modus esistendi 2. ntationi.

Alius modus resistendi isti tentationi est certe, quod homo sagaciter advertat *versutias spiritualium nequitiarum*, scilicet, ut homo de Deo non nimis confidat nec etiam diffidat de Deo, quia diabolus nititur hominem elevare in superbiam, vel in desperationem praecipitare. Et propter hoc oportet, te medium tenere, scilicet, ut non permittas, te deiici per desperationem nec efferri per superbiam, quia nec arrogantia nec diffidentia bona est. Confide igitur de Deo nec superbias; quandoque, ubi homo credit cavere ostentationes, et ubi homo non credit peccare, ibi quandoque graviter peccat et Deum offendit per elationem. Legitur de Herode, qui Iacobum interfecit: cum fecisset pacem cum Tyriis, venit indutus vestibus auratis, et resplenduit super ipsum sol et super vestes suas ita clarus, quod credebant, ipsum esse deum, et iratus Dominus *percussit eum*[1], et mortuus est. Dixit Dominus discipulis suis: *In quamcumque civitatem intraveritis, et non receperint vos, excutite pulverem de pedibus vestris in testimonium illis.* Dicit Gregorius[2]: « Quando sermo aedificationis non recipitur ab auditoribus, debet excuti pulvis vanae gloriae ».

dos resi- endi ter- an tenta- oni.

Tertius modus resistendi tentationi diaboli est in *magnanimiter aspernando* affluentias mundialium facultatum; unde Apostolus primae ad Timotheum sexto[3]: *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri incidunt in tentationem et in laqueum diaboli et desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas.* Quando diabolus hominem in principio inventutis tentavit de delectatione carnis et in virilitate de ostentatione virtutis et non potuit praevalere; tunc postea in senectute tentat hominem et illaqueat per cupiditatem temporalium. Apostolus tamen dicit: *Sitis contenti* paucis. O Apostole Paule! cum beato Petro totam Ecclesiam habes, tamen dicis: *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus.* Magnus fuit Apostolus Paulus, qui cum beato Petro princeps mundi fuit, et tamen vili veste contentus est. *Nam qui volunt divites fieri* etc. Volenti natare non est bonum alligare pondus magnum ad pedes eius, nec tutum est. Si vis transvadere mare mundi, non *suspendas* tibi *molam asinariam ad collum*[4]. Per istam tentationem avaritiae diabolus multos capit; unde Ieremias: *Omnes avaritiae student.* Christus venit in mundum ad destruendum opera diaboli, praecipue opera hominem detinentia in peccatis usque ad mortem, sicut sunt cupiditates et avaritiae. Quando periculum est, tunc nautae proiiciunt res suas in mare, ne mergantur. Si hoc faciunt propter salutem corporis, et nos multo amplius debemus hoc facere propter spiritualem salutem.

Exemplum Christi.

Exemplum resistendi huic tentationi habemus in Matthaeo[5], ubi dicitur: Tunc *assumsit eum diabolus in montem excelsum valde et ostendit ei omnia regna mundi et gloriam eorum et dixit ei: Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. Tunc dicit ei Iesus: Vade, satana, scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.* Tunc bene respondit ei Christus, et tunc ostendit diabolus, quod superbissimus fuit, quia illum honorem habere voluit, qui solum debetur Maiestati divinae. Scribitur[6]: *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper.* Prius in caelo voluit diabolus esse aequalis Deo, sed modo voluit adorari. Apparet mendacium eius, quando dixit: *Haec omnia dabo tibi, si cadens adoraveris me.* Non potuit ea dare, sed solum Deus est, qui transfert regna. — Videte, non sine causa, quando diabolus promisit divitias, petiit adorari, quia *avaritia est idolorum servitus;* unde ad Ephesios: Neque *immundus aut avarus, quod est idolorum servitus, habet hereditatem in regno Christi et Dei.* Omnes amplexatores mundialium cupiditatum idololatrae sunt et habent idola in domo sua. Quot enim habes denarios, quos plus quam Deum diligis, tot idola habes. — Quomodo superabimus istam tentationem? Scriptum est: *Dominum Deum tuum adorabis.* Quando diabolus offert aliquid, quod mundus vel fortuna summe habendum iunuit, tunc debet homo in memoria habere, quod illud quod Deus repromittit, maius est, quam quidquid homo cogitare potest[7], quia Deus promittit se ipsum. Istud est, quod debes amare et quod debes adorare; ipse enim est *merces tua;* unde in Genesi dicit Abrahae[8]: *Ego*

Notandum.

Quomodo vincatur.

---

[1] Respicitur Act. 12, 20-23; sequitur Marc. 6, 11; cfr. Matth. 10, 11. 13. 14.

[2] Cfr. XXII. Moral. c. 7. n. 14.

[3] Vers. 8-10.

[4] Matth. 18, 6; sequitur Ier. 6, 13.

[5] Cap. 4, 8. seqq.; cfr. Deut. 6, 13.

[6] Psalm. 73, 23; sequitur Eph. 5, 5.

[7] Cod. Trecensis, omissis antea verbis *maius est quam*, hic sic continuat: *transcendit in bonitate, quia* etc.

[8] Gen. 15, 1; sequuntur Ps. 15, 5. seq. et Matth. 5, 3.

protector tuus sum et merces tua magna nimis. Tu es igitur, quem adorare volo, nullum alium thesaurum volo. Valde avarus est, cui Deus non sufficit. Quando aliquis primo fit clericus, et datur ei corona; tunc dicit: *Dominus pars hereditatis meae et calicis mei; tu es, qui restitues hereditatem meam mihi. Etenim hereditas mea praeclara est mihi.* Quando Christus voluit discipulos suos trahere ad paupertatem, dixit: *Beati, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum.* Quid igitur de mundo? Nihil. Regnum caelorum debemus petere et acquirere; spernere et calcare satanam. Venit caritas, et veniente caritate, veniunt Angeli, qui ministrant tibi. — Quomodo Angeli ministrabant Christo, longum esset dicere. Rogabimus Dominum, quod per suam sanctam misericordiam det nobis hic triumphare in isto mundo [1] etc.

FERIA TERTIA

POST PRIMAM DOMINICAM QUADRAGESIMAE.

Sermo [2].

Sermo fratris Bonaventurae ad Moniales de sancto Antonio, Parisius.

Quaerite Dominum, dum inveniri potest, Isaiae quinquagesimo quinto [3].

In verbis his invitat nos omnes Propheta tem- Divisio. pore huius sacri ieiunii ad duo: primo, ad veram *poenitentiam;* secundo reddit ad hoc legitimam *causam.* Prius dicit: *Quaerite Dominum,* supple: *faciendo fructus dignos poenitentiae* [4]; pro secundo addit: *dum inveniri potest,* id est, donec misericordia Dei praesto est, et dum tempus est poenitendi et emendandi et vitam aeternam lucrandi et promerendi.

Circa totum nota, quod in tempore istius sacrae Deus quaerendus quatuor modis. observantiae quadragesimalis debemus *Deum quaerere* quatuor modis, scilicet per *recognitionem* divinorum *beneficiorum;* Isaiae vigesimo primo [5]: *Si quaeritis, quaerite; convertimini, venite.* — Per *compunctionem* propriorum *peccatorum;* primi Paralipomenon vigesimo octavo: *Scito Deum patris tui et servito ei corde perfecto et animo voluntario. Si quaesieris eum, invenies; si autem dereliqueris eum, proiiciet te in aeternum.* — Per *compassionem* vel subventionem *afflictorum* et miserorum; Sophoniae secundo [6]: *Quaerite Dominum, omnes mansueti terrae* etc. — Per *consuetudinem* devotarum *orationum;* Matthaei sexto: *Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius.*

FERIA QUARTA QUATUOR TEMPORUM

POST PRIMAM DOMINICAM QUADRAGESIMAE.

Sermo [7].

Sermo fratris Bonaventurae ad Fratres Praedicatores de Conventu Lugduni.

Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse meus frater et soror et mater est, Matthaei duodecimo [8].

In his verbis ostendit Dominus spirituales amicos in quantum tales carnalibus praeferendos, etiam consanguineis; in quibus duo facit: primum blande Divisio. vocat ad divinam *conformitatem;* secundo provide assignat huius *utilitatem.* — Quantum ad primum dicit: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in caelis est.*

Inquiramus igitur rationem huius dicti, quod qui *faciunt voluntatem* Dei sunt Christi *fratres et sorores et matres.* Ad quod notandum, quod triplex Triplex voluntas Dei. est voluntas Dei, scilicet *obedientiae,* qua vult, quod Prima est obedientiae. nos ei obtemperemus. Adimpletio autem huius facit *conformem* Christo conformitate praecipua. Quia enim Christus non descendit nec mortuus est nisi propter obedientiam; *quicumque facit voluntatem* Dei obediendo, hic attinet sibi de propinquo, et talis est *frater* eius. Propterea dicit in Psalmo [9]: *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* — Praeterea, si quis *adhaeret Deo, unus spiritus est;* et adhaerentia haec non est nisi per caritatem; et nisi mandata observentur, non est caritas: itaque, *qui Deo adhaeret* non nisi per caritatem, iterum est *frater* sibi; et vere non solum autem hoc, sed et *membrum de membro. Conformis* etiam, quod ex hoc cognoscimus, quia bonus homo prius vellet habere amputatum brachium quam separari a Christo per peccatum. Et similiter in die iudicii non compatiemur damnatis, quia non obedierunt Deo, per quod fuissent *membra de membro.*

Sanctimoniae, qua vult, quod mentis et cor- Secunda, sanctimoniae. poris munditiam teneamus. Adimpletio autem huius voluntatis facit, animam esse *sororem Christi.* Inter fratrem enim et sororem est castus amor et munditia; sic, quando anima caste et munde se custodit, dicitur esse *soror* Christi; Canticorum ultimo [10]: *Soror mea parva* etc. — Praeterea, luna dicitur soror solis, quia est corpus magis aptum ad susceptionem luminis eius. Non est mirum igitur, si anima munda dicitur soror Christi, quae magis apta est ad susceptionem [11] radii illius, qui est verus sol.

---

[1] Pars II. omnino deest, fortasse tractata post Vesperas in quadam collatione.
[2] Ex A fol. 104 v.
[3] Vers. 6.
[4] Luc. 3, 8.
[5] Vers. 12; sequitur I. Par. 28, 9.
[6] Vers. 3; sequitur Matth. 6, 33.
[7] Ex A fol. 104 v. et B fol. 72.
[8] Vers. 50.
[9] Psalm. 21, 23; sequuntur I. Cor. 6, 17. et c. 12, 27.
[10] Cap. 8, 8.
[11] Verba *luminis eius. Non* etc. sumsimus ex B.

Misericordiae, qua vult, quod indigentibus affectu vel manu subveniamus. Adimpletio vero huius facit, esse *matrem Christi*. Quando enim homo fovet et nutrit pauperem, nutrit et fovet Christum in eo ad modum matris foventis filium; Ecclesiastici quarto [1]: *Miserebitur tui magis quam mater.* — Rite autem debemus facere hanc triplicem voluntatem Dei. Nam ipse *fecit* nos condendo naturam bene institutam; Psalmus: *Ipse fecit nos, et non ipsi nos;* quos *refecit* assumendo naturam lapsam; Lucae decimo [2]: *Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum;* quos *perfecit* conferendo gratiam et gloriam; Psalmus: *Convertere, anima mea, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.*

ertia misericordiae.

Hortatio.

FERIA QUINTA

POST PRIMAM DOMINICAM QUADRAGESIMAE.

Sermo [3].

Sermo fratris Bonaventurae coram rege Franciae et consilio et familia.

Ecce, mulier Chananaea, a finibus illis egressa, clamavit, dicens ei: Miserere mei, Domine, fili David; filia mea male a daemonio vexatur, Matthaei decimo quinto [4].

Proponit verba ista mulier Chananaea dupliciter, scilicet quantum ad clamorem universalem sive infatigabilem quantum ad *orationem humilem*, ibi: *Miserere mei, Domine* etc.; quantum ad *confessionem veracem*, ibi: *filia mea* etc... In *mysterium* Ecclesiae *investigandum*, cum dicitur: *Ecce, mulier Chananaea a finibus illis egressa;* in *exemplum poenitentiae* imitandae, cum additur: *clamavit: Miserere mei, Domine* etc.; quantum ad hoc commendandus est fervor [5].

Divisiones.

Quantum ad totum nota, quod mulier haec gerit figuram *Ecclesiae de gentibus congregatae* allegorice, quia gentilis erat; moraliter vero significat *animam sua peccata deplorantem;* secundum vero anagogicum intellectum significat *animam ad caelestia suspirantem;* et secundum haec tria est triplex clamor, scilicet *praedicationis,* quo clamat Ecclesia per affectum ad prolem suam, ut eam perducat ad aeternam hereditatem. Haec est mulier illa, Apocalypsis duodecimo [6], quae *amicta sole,* Christo sponso, et *coronata duodecim stellis,* id est Apostolis tanquam duodecim stellis, *in utero habens, clamabat parturiens.* — *Confessionis,* quo clamat peccatrix anima per gemitum, ut consequatur divinae misericordiae plenam pietatem. Haec est mulier illa, quarti Regum octavo, quae clamabat ad *regem pro domo sua et pro agris suis.* — *Orationis,* quo clamat devota anima per suspirium ad caelestem suavitatem. Haec est illa mulier, quae quarti Regum quarto *clamabat ad Eliseum et replevit vasa de oleo.*

Triplex intellectus muris.

Triplex clamor.

Prima mulier, scilicet *Ecclesia,* clamat clamoribus triformibus, scilicet *declarantibus* omne verum; Isaiae quadragesimo [7]: *Vox dicentis: Clama. Et dixi: Quid clamabo? Omnis caro foenum, et omnis gloria eius quasi flos agri. Exsiccatum est foenum, et cecidit flos, quia spiritus Domini sufflavit in eo. Vere foenum est populus: exsiccatum est foenum, et cecidit flos; verbum autem Domini nostri manet in aeternum.* Omnis enim veritas vel est creata, vel est creans; prima transit, secunda manet. — *Suadentibus* omne bonum; Lucae tertio [8]: *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius. — Increpantibus* omne malum; Isaiae quinquagesimo octavo: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam et annuntia populo meo scelera eorum et domui Iacob peccata eorum;* Apocalypsis decimo: *Vidi alium Angelum clamantem voce magna, quemadmodum cum leo rugit, et cum clamasset, locuta sunt septem tonitrua voces suas.* Ista *tonitrua septem* sunt septem terribiles increpationes Christi, quibus increpabit nos propter universalem abusum: naturarum, Scripturarum, gratiarum, hierarchiarum, iustitiarum, misericordiarum, aeternarum rationum. — Item, propter contemptum summae maiestatis, summae veritatis, summae bonitatis, summae creationis [9], summae gubernationis, summae redemptionis, summae remunerationis. Haec sunt septem tonitrua luciformia, quae loquentur contra nos voces suas et loquuntur tota die in Scripturis sacris et praedicatoribus evangelicis.

Ecclesiae clamor triformis.

Septem increpationum tonitrua.

Animae peccatricis clamor triformis.

Secunda mulier, scilicet *peccatrix anima,* clamat cum clamore triformi, scilicet *amaro;* Esther quarto [10]: *Cum audisset Mardochaeus, scidit vestimenta sua et indutus est sacco, spargens cinerem capiti, et in platea mediae civitatis voce magna clamabat. — Veridico;* Levitici decimo tertio: *Quicumque maculatus fuerit lepra, omni tempore clamabit se* immundum. — *Satisfactorio;* Ionae tertio: *Surrexit rex Ninive de solio suo* etc., *et clamavit: Operiantur saccis homines et iumenta et clament ad Dominum in fortitudine.*

---

[1] Vers. 11; sequitur Ps. 99, 3.

[2] Vers. 36. seq.; sequitur Ps. 114, 7.

[3] Ex A fol. 105 r. et B fol. 77 v.

[4] Vers. 22.

[5] In B est aliqua sententiarum transpositio, sed in utroque codice nexus sententiarum et divisionum est obscurus, ut videtur, ob lacunam, vel corruptionem textus.

[6] Vers. 1. seq.; sequuntur IV. Reg. 8, 3. et c. 4, 1. seqq.

[7] Vers. 6-8. Infra verba *Omnis enim veritas* usque *manet* sumta sunt ex B.

[8] Vers. 4. (Isai. 40, 3.); sequuntur Isai. 58, 1. et Apoc. 10, 1. 3.

[9] Cod. B post *bonitatis* legit *Creatoris, Gubernatoris, Redemptoris, Remuneratoris.*

[10] Vers. 1; sequuntur Lev. 13, 44. seqq. et Ionae 3, 6. seqq.

Tertia mulier, scilicet *anima ad caelum suspirans*, clamat similiter triformi clamore: clamat enim pro *splendoribus* aeternae irradiationis; Psalmus [1]: *Clamavi in toto corde meo, exaudi me, Domine; iustificationes tuas requiram.* — Pro *ardoribus* aeternae vulnerationis; Psalmus: *Praeveni in maturitate et clamavi; quia in verba tua supersperavi* etc. — Pro *excessibus* aeternae quietationis; Psalmus: *Clamabo ad Dominum altissimum, Deum, qui benefecit mihi.*

Animae ad caelum suspirantis clamor triformis.

Omnes autem clamare debemus clamoribus laudis *magnificantibus* celsitudinem altissimi Creatoris; Isaiae sexto [2]: Duo *Seraphim clamabant, alter ad alterum: Sanctus, sanctus, sanctus* etc. — *Extollentibus* mansuetudinem benignissimi Redemptoris; Matthaei vigesimo primo: *Turbae autem, quae praecedebant et quae sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna Filio David* etc. — *Glorificantibus* rectitudinem iustissimi Remuneratoris; Apocalypsis septimo: *Vidi turbam magnam* etc., *stantes ante thronum* etc., *et clamabant voce magna, dicentes: Salus Deo nostro.*

Omnium clamor necessarios et triformis.

Ad hoc autem, quod hi clamores exaudiantur, requiruntur tria, scilicet *exhibitio* reverentiae; Psalmus [3]: *Ad te, Domine, clamabo* etc. *Nunquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam?* — *Observatio* iustitiae; Psalmus: *Clamaverunt iusti, et Dominus exaudivit eos.* — *Erogatio* misericordiae; Proverbiorum vigesimo primo: *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit et non exaudietur* [4].

Triplex conditio requiritur, ut fiat exauditio.

Possumus etiam dicere, quod *mulier* ista Chananaea, id est zelotypa, est superior pars rationis; sic dicta *mulier* propter agendorum diligentiam, pietatem et sedulitatem; eius *filia* est inferior portio, quae habet instar filiae regi et enutriri et erudiri a ratione, id est a superiori portione. *Daemonium vexans* est sensitiva sive appetitiva, in omnibus cum brutis communicare volens. Superior ergo pars rationis ut domina, inferiorem sentiens tota die a daemoniaca sensitiva sive appetitiva vexari, dum non vult nisi brutalia et pedestria agere, non divina, cogit exclamare in oratione ad Dominum indesinenter. Qua quidem sic pro hac oratione continuante, advocati Ecclesiae et omnes animae christianae, Apostoli et alii Sancti, compatientes toto dolore animae, pro spiritualibus huiusmodi apud Deum interpellant, et illa semper renovante easdem preces, meretur eius oratio exaudiri, ut audiatur a Christo: *O mulier, magna est fides tua* [5] etc. Et in hunc modum sic redditur inferior portio cum sensitiva sive appetitiva obedientiae superioris rationis, et fit animae regnum pacatum et universaliter Deo subiectum, expulsa omni daemoniaca vexatione. De ista *muliere*, id est superiori ratione, dicitur Proverbiorum ultimo: *Mulierem fortem quis inveniet?* De ista *filia* habetur ludicum undecimo, ubi dicitur in figura, quod filia Iephte plangebat *virginitatem suam in montibus.* De isto *daemonio* habetur Tobiae tertio [6], ubi dicitur, quod *daemonium, nomine Asmodaeus, occidit* septem viros Sarae, filiae Raguelis, quia exstinguit septem virtutes principales in anima, in qua dominatur.

Alia mulieris et filiae expositio.

FERIA SEXTA

POST PRIMAM DOMINICAM QUADRAGESIMAE.

SERMO [7].

Est Ierosolymis probatica piscina, quinque porticus habens, quae cognominatur hebraice Bethsaida. In his iacebat etc., Ioannis quinto [8].

Moraliter notandum est hic, *quae* est ista piscina *quinque porticus habens*, qui sunt *infirmi* et *quomodo curantur.*

Divisio.

I. Ista piscina, quae ex aquis pluvialibus congregatur, poenitentia est, in qua est effusio lacrymarum pro amissione aeternorum. De hac pluvia dicitur Ieremiae quinto [9]: *Non dixerunt in corde suo: Metuamus Dominum Deum nostrum, qui dat nobis pluviam temporaneam*, id est compunctionem pro malis commissis, *et serotinam*, pro bonis omissis. Haec pluvia descendit ad valles nec est in montibus, id est in superbis; secundi Regum primo: *Montes Gelboe, nec ros nec pluvia veniant super vos, neque sint agri primitiarum.*

Pars I. Quae sit ista piscina.

Haec piscina *habet quinque porticus*, in quibus requiescitur, quia quinque sunt considerationes, quae debent facere, hominem in poenitentia permanere. Prima est consideratio *reatus peccati*, quo se obligavit ad poenitentiam; Psalmus [10]: *Quoniam ego in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper.* — Secunda est *severitas iudicii;* Ecclesiastici secundo: *Si poenitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini et non in manus hominum;* ad Hebraeos decimo: *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* — Tertia est *opportunitas loci*, quia post non est locus poenitentiae; Ecclesiastae nono [11]: *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare.* — Quarta est *consideratio incertitudinis diei extremi;* Ecclesiastae nono: *Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur; sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo supervenerit.* — Quinta est *consideratio*

Quinque porticus piscinae.

---

[1] Psalm. 118, 145; dein sequitur v. 147. et Ps. 56, 3.
[2] Vers. 3; sequuntur Matth. 21, 9. et Apoc. 7, 9. seq.
[3] Psalm. 29, 9. seq.; sequuntur Ps. 33, 18. et Prov. 21, 13.
[4] Quae sequuntur desunt in B.
[5] Matth. 15, 28; sequuntur Prov. 31, 10. et Iud. 11, 38.
[6] Vers. 8.
[7] Ex cod. Tudert. n. 182. fol. 26 v., pro quo ut genuino testimonium reddit schema eiusdem sermonis in A fol. 106 v., qui tamen non habet nisi primam partem sermonis.
[8] Vers. 2. seq. [9] Vers. 24; sequitur II. Reg. 1, 21.
[10] Psalm. 37, 18; sequuntur Eccli. 2, 22. et Hebr. 10, 31.
[11] Vers. 10; sequuntur v. 12. et Ps. 76, 11.

incertitudinis status sui, quia nescit, utrum aliquid fecerit Deo placitum; ideo in Psalmo: *Dixi*: *Nunc coepi, haec mutatio dexterae Excelsi.*

Pars II. Qui sint infirmi.

II. *Infirmi* sunt *caeci*, per ignorantiam; Matthaei decimo quinto [1]: *Caeci sunt et duces caecorum. Caecus autem si caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt.* — *Claudi*, qui peccant per impotentiam; ad Hebraeos duodecimo: *Gressus rectos facite pedibus vestris, ut non claudicans quis erret.* — *Aridi*, qui peccant per duritiam vel malitiam; Ecclesiastici tertio: *Cor durum habebit male in novissimo;* Ecclesiastici trigesimo septimo: *O praesumtio nequissima, unde creata es cooperire aridam malitia et dolositate illius!*

Pars III. Quomodo sanentur.

III. Ili *sanantur* in *adventu Angeli*, id est visitationis divinae; Iob trigesimo tertio [2]: *Increpat per dolorem in lectulo.* — Per *commotionem aquae*, id est lacrymam contritionis internae; Threnorum secundo: *Effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini.* — Per *descensum in piscinam*, id est humilitatem poenitentiae; Isaiae quadragesimo septimo: *Descende, sede in pulvere, virgo filia Babylon.*

Schema primae partis praecedentis sermonis [3].

Est autem Ierosolymis probatica piscina, quinque porticus habens, Ioannis quinto [4].

De piscina.

Ista piscina Ierosolymitana, quae ex aquis pluvialibus congregatur, sanctam poenitentiam significat observantiae huius sanctae Quadragesimae in Ecclesia Romana, matre omnium fidelium; quae quidem poenitentia et observantia tunc est vera et digna, quando ex abundantia lacrymarum et maxime operum pietatis consurgit [5]. — Quinque autem sunt partes huius piscinae, quia quinque sunt considerationes salutiferae, quae omnem animam debent facere in poenitentia et in hac sancta observantia permanere. Prima est consideratio *reatus*, quo omnes obligati sumus ad poenam, si non facimus hic de peccatis poenitentiam sive emendam; Psalmus [6]: *Quoniam ego in flagella paratus sum* etc. — Secunda est consideratio *severitatis iudicii* in alio mundo; Ecclesiastici secundo: *Si poenitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini* etc. — Tertia est consideratio *opportunitatis loci*, quia non est locus poenitentiae in alio saeculo; Ecclesiastae nono: *Quodcumque facere potest manus tua* etc. — Quarta consideratio est *incertitudinis proprii status* uniuscuiusque nostrum; Ecclesiastae nono [7]: *Nescit homo, utrum odio, an amore dignus sit* etc. — Quinta est consideratio *incertitudinis diei extremi* sive temporis vel horae mortis; Ecclesiastae nono: *Nescit homo finem suum* etc.

De quinque partibus eiusdem.

DOMINICA SECUNDA IN QUADRAGESIMA.

Sermo I [8].

Assumsit Iesus Petrum et Iacobum et Ioannem, fratrem eius, et duxit illos in montem excelsum, et transfiguratus est ante eos, Matthaei decimo septimo [9].

Introductio.

Prothema. *Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me.* In verbo secundo proposito, sumto de Psalmo, datur intelligi, qualis debeat esse praedicator, quia primo debet esse *inflammatus caritate* respectu proximi; secundo, *decoratus sanctitate* respectu sui; tertio, *illustratus veritate* respectu Dei. Primo praedicator debet esse *inflammatus* caritate respectu proximi vel quantum ad proximum; et hoc notatur, cum dicit: *Doce me bonitatem;* bonitatis enim est se ipsum per caritatem ad alterum diffundere, quod proprie pertinet ad officium praedicatoris, « quia, secundum Registrum Gregorii [10], qui caritatem erga alterum non habet, officium praedicationis nullatenus assumere debet ». — Secundo debet esse *decoratus* sanctitate quantum ad se ipsum; et hoc notatur, cum subdit: *doce me disciplinam*, per quam homo decoratur spiritualiter sicut corpus vestimento. — Tertio debet esse *illustratus* veritate quantum ad Deum, et propter hoc subinfert: *doce me scientiam.* Cum ergo, carissimi, non sim caritate totaliter *inflammatus*, sanctitate vitae *decoratus*, verum etiam nec Scripturae veritate *illustratus;* idcirco in nostri sermonis primordio *Deum totius consolationis et Patrem misericordiarum* [11] deprecemur humiliter, ut nos *inflammet* ardoris caritate, *decoret* vitae sanctitate, *illustret* Spiritus sancti veritate, ut sic amore caritatis *inflammati*, sanctitate vitae *decorati* et Spiritus sancti veritate *illustrati* possimus aliqua conferre in medium, quae sint ad laudem et gloriam etc.

Assumsit Iesus etc.

Sermo.

Quia mysterium dominicae resurrectionis, quae est exemplar nostrae glorificationis, inter omnia opera restaurationis plus habet admirationis et difficultatis

---

[1] Vers. 14; sequuntur Hebr. 12, 13; Eccli. 3, 27. et 37, 3.

[2] Vers. 19; sequuntur Thren. 2, 19. et Isai. 47, 1.

[3] Rubrica in A deest; pro qua spatium relictum est vacuum, sed ad calcem folii praecisi ex supremis litterarum apicibus aliqua verba adhuc legi possunt, scilicet: *Feria VI... Dominica IV Sermo fratris bo... coram* (?)... *Navarriae* (?) *et familia* (?) *Parisius.*

[4] Vers. 2. seq.

[5] Apographum habet *consignat.*

[6] Psalm. 37, 18; sequuntur Eccli. 2, 22. et Eccle. 9, 10.

[7] Vers. 4; sequitur v. 12.

[8] Habetur in Vaticana et C D E F.

[9] Vers. 1; Vulgata legit: *Assumit... ducit;* sed Missale *assumsit... duxit.* — Prothema ex C sumtum est ex Ps. 118, 66.

[10] Potius II. Homil. in Evang. homil. 17. n. 1.

[11] Epist. II. Cor. 1, 3.

ad credendum; ideo Dominus noster Iesus Christus ad manuducendum Apostolos et in eis ceteros Christianos, ut levius [1] crederent miraculosum opus resurrectionis in Christo complendum, volnit coram tribus idoneis et praeordinatis a Deo testibus, quibus totus mundus crederet, divina dispensatione transfigurari, ut gloriam, quam habiturus erat in resurrectione, praeostenderet. Et quoniam impossibile est, aliquem figere aciem sui intellectus in gloriam divinae Maiestatis, nisi prius a divina gratia praelectus et praeventus, deinde sua diligentia sit paratus atque summo desiderio amoris elevatus; ideo in verbo proposito valde ordinate et recto ordine proceditur. Nam

Divisio. primo notatur divina *dignatio mysticae assumtionis;* secundo notatur devota *praeparatio affectuosae elevationis;* tertio notatur dispensativa *ostensio futurae glorificationis.* Primo ergo notatur divina *dignatio* mysticae assumtionis, cum dicit: *Assumsit Iesus Petrum et Iacobum et Ioannem;* secundo notatur devota *praeparatio* affectuosae elevationis, cum subdit: *et duxit illos in montem excelsum;* Glossa [2]: « Transfigurandus in montem ascendit, ut innuat, eos qui resurrectionem exspectant, in excelsum debere elevari et continuis precibus insistere »; tertio notatur dispensativa *ostensio futurae glorificationis,* cum subinfert: *transfiguratus est ante eos.*

I. Dicit ergo: *Assumsit Iesus Petrum et Ia-*

Pars I. *cobum et Ioannem;* ubi notatur divina *dignatio mysticae assumtionis.* Dicitur autem *mystica* illa assumtio, eo quod in assumtione illorum trium mysticatur et figuratur assumtio triplicis status mili-

Tres status Ecclesiae. tantis Ecclesiae, scilicet *praelationis, actionis* et *contemplationis.* Nam status *praelationis* per Petrum significatur, qui primus futurus erat in regimine Ecclesiae per assumtionem praelationis. Status *actionis* per Iacobum significatur, qui primus futurus erat in amaritudine poenitentiae per tormentum passionis; primus enim inter Apostolos passus fuit. Status *contemplationis* per Ioannem significatur, qui primus futurus erat in plenitudine gratiae per augmentum dilectionis. Primo ergo *assumsit Petrum* et in Petro ceteros de statu praelationis ad praesidentiam virtualis protectionis in regimine Ecclesiae; secundo assumsit *Iacobum* et in Iacobo ceteros de statu actionis ad abstinentiam carnalis delectationis in amaritudine poenitentiae; tertio assumsit *Ioannem* et in Ioanne omnes de statu contemplationis ad affluentiam spiritualis consolationis in plenitudine gratiae.

Primo *assumsit Petrum* et in Petro ceteros de

Primo, de statu praelationis. statu praelationis ad praesidentiam virtualis protectionis in regimine Ecclesiae; unde dicitur Aggaei secundo [3]: Ego *assumam te, Zorobabel, fili Salathiel, serve meus, dicit Dominus, et ponam te quasi signaculum, quia te elegi.* — *Zorobabel,* princeps Iuda, qui interpretatur princeps translationis, significat quemlibet praelatum, qui est dux et princeps militantis Ecclesiae, quam eripuit Dominus de iugo potestatis diabolicae ratione originalis peccati, sive actualis, *et transtulit in regnum Filii dilectionis suae.* Huic autem dicit Dominus: *Assumam te,* per gratiam benignae adoptionis, *serve meus,* per reverentiam dominicae subiectionis, *et ponam te quasi signaculum,* certificativum doctrinae ad faciendum fidem, promotivum in pugna ad proeliandum contra hostem et directivum in via ad dirigendum in gloriam caelestem; *quia,* propter hoc, *te elegi,* ad cathedram apostolicae praelationis.

Secundo assumsit *Iacobum* et in Iacobo ceteros Secundo, de statu actionis. de statu actionis ad abstinentiam carnalis delectationis in amaritudine poenitentiae; unde dicitur in Psalmo [4]: *Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumsit me. Legem pone mihi, Domine, in via tua et dirige me in semitam rectam, propter inimicos meos. — Quoniam pater meus,* diabolus, *mater mea,* concupiscentia, *dereliquerunt me,* propter amaritudinem dolorosae poenitentiae; ideo *Dominus assumsit me,* propter collationem gratuitae iustificationis. Et ratione huius vere poenitens petit cum desiderio, dicens: *Legem pone mihi, Domine, in via,* praeceptorum, *et dirige me in semitam rectam,* consiliorum, ne aliquando incidam in manus inimicorum. Et de hoc dicitur Ezechielis tertio: *Spiritus Domini levavit me et assumsit me, et abii amarus in indignatione spiritus mei. — Spiritus Domini levavit me,* in cruce per affectum lacrymosae compassionis; *et assumsit me,* per excessum inflammatae dilectionis; *et* tunc *abiit amarus in indignatione spiritus,* per considerationem dominicae passionis, cum cogitat, quod iterum in se ipso *crucifigat Filium Dei,* reiterando peccatum.

Tertio assumsit *Ioannem* et in Ioanne ceteros Tertio, de statu contemplationi de statu contemplationis ad affluentiam spiritualis consolationis in plenitudine gratiae; unde dicitur in Psalmo [5]: *Beatus, quem elegisti et assumsisti, habitabit in atriis tuis. — Beatus, quem elegisti,* ad statum actionis per exercitium bonae operationis; *et assumsisti,* ad statum contemplationis per augmentum dilectionis; *habitabit in atriis tuis,* per continuationem devotae orationis. Et procedit valde ordinate Propheta, eo quod otium vitae contemplativae, quae est finis vitae activae, praesuppouit exercitium activae. Unde Gregorius in Moralibus [6]: « Qui contemplationis arcem tenere desiderant prius per exercitium in campo operationis se probent ».

II. Sequitur secundo, scilicet devota *praepa-* Pars II.

ratio affectuosae elevationis, cum dicit: *et duxit eos in montem excelsum,* ut per hoc innuat, quod

[1] Cod. F legit *melius.*

[2] Ex Beda in Lucam, libr. III. c. 9. (alias 38.).

[3] Vers. 24; sequitur Col. I, 13.

[4] Psalm. 26, 10. seq.; sequitur Ezech. 3, 14. et dein respicitur Hebr. 6, 6.

[5] Psalm. 64, 5.

[6] Libr. VI. c. 37. n. 59.

qui gloriam maiestatis vult videre mentem in excelsum devotionis debet elevare [1]. Per montem enim ratione suarum trium proprietatum convenienter datur intelligi debita praeparatio praelatorum, activorum et contemplativorum. Nam mons est situalis *eminentiae*, immobilis *persistentiae* et liberalis *communicantiae*, sive communicabilis influentiae. Videmus enim in monte altitudinem situationis, fortitudinem incommotionis et diffusionem communicationis. Duxit ergo primo praelatos in montem situalis *eminentiae* per primariam divinae irradiationis receptionem; secundo duxit activos in montem immobilis *persistentiae* per virtuosam tolerantiam omnimodae tribulationis; tertio duxit contemplativos in montem liberalis *communicantiae* per caritativam diffusionem gratuitae praedicationis.

Subdivisio.

Primo duxit *praelatos* in montem *situalis eminentiae* per primariam receptionem divinae irradiationis. Sol enim primo irradiat montes, deinde illuminat valles; sic praelati tanquam sublimes montes divinae lucis irradiationes debent primo in se recipere et deinde per bonae vitae exempla in subditos tanquam in valles transmittere; unde de bono praelato dicitur Exodi vigesimo quinto [2]: *Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est in monte* hoc. Et hoc est, quia vita praelati imprimitur cordi subditorum, ut sit sicut forma sigilli cerae, eo quod plus movent corda subditorum operum exempla quam verba. Unde Gregorius in Pastorali: « Sit rector operatione praecipuus, ut vitae viam subditis vivendo denuntiet, et grex, qui pastoris vocem moresque sequitur, per exempla melius quam per verba gradiatur ». De quo dicitur Isaiae secundo [3]: *Erit praeparatus mons domus Domini in vertice montium et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes.* — *Mons* iste *praeparatus in vertice montium* et sublimis *super* omnes *colles* est praelatus perfectus, qui talis describitur propter excellentem eminentiam evangelicae perfectionis, ratione cuius excellit etiam omnes subditos in vita quantumcumque perfectos; alioquin, sicut dicit Bernardus, « monstruosa res est gradus summus et animus infimus, sedes prima et vita ima ». *Et* tunc *fluent ad eum omnes* populi, propter liberalem affluentiam sive benevolentiam piae subventionis. Sed vae hodie quorundam praelatorum avaritiae, qui sic appropriant sibi thesauros Crucifixi, quasi a carnalibus parentibus accepissent, et impinguant inde nepotes, ditant consanguineos, et ipsi vacant cibis et potibus delicatis! Sed certe tales sunt *fures* et latrones *et* etiam *loculos habent*, eo quod *ea quae mittuntur* pauperibus, *portant* [4] consanguinei et nepotibus et carnalitati gulae. Et propter hoc multi praelati, licet ratione status inducant Iesum usque *in supercilium montis*, tamen inde praecipitant [5] eum in cordibus subditorum propter mala exempla, quae dant; quibus longe melius fuisset, si toto tempore vitae suae stetissent in plano, quia « quanto status altior, tanto casus gravior [6] ».

Primo, de praelatis.

Notandum.

Secundo duxit *activos* in montem *immobilis persistentiae* per virtuosam tolerantiam omnimodae tribulationis. Montes enim ventis et impulsionibus aëris et grandinum sunt immobiliter expositi. Sic activi debent esse expositi ad tolerandum constanter omnes tribulationes exemplo Christi, qui exposuit corpus suum impulsionibus lanceae et clavorum et tamdiu clypeum patientiae portavit, donec vitam mortalem terminaret. Unde de bonis activis dicitur in Psalmo [7]: *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion; non commovebitur in aeternum qui habitat in Ierusalem.* — Quia pusillanimitas est causa ruinae et confidentia causa constantiae, ideo dicuntur *confidentes in Domino* firmi *sicut mons Sion*, propter soliditatem fortitudinis et patientiae; *qui habitat in Ierusalem*, per tranquillitatem pacis et concordiae, non turbando se ipsum interius in animo et non scandalizando proximum exterius in verbo, *non commovebitur*, per impetuositatem furoris et iracundiae.

Secundo, de activis.

Tertio duxit *contemplativos* in montem *liberalis communicantiae* sive communicabilis influentiae per caritativam diffusionem gratuitae praedicationis. Tantae enim communicationis et diffusionis sunt montes, ut omnia, quaecumque recipiunt, statim diffundant, et quasi se exonerantes, ad plana transmittant; nam pluvia, mox ut infunditur, statim refunditur, et flumina protinus, ut scaturiunt, convallibus communicant, et etiam lapides et metalla et alia, quae producunt, ad plana transmittunt. Per istum modum contemplativi debent esse irradiatores et [8] cogitationum pluvias sive irrigationes pluviarum et etiam rores charismatum et donorum ad modum montis Sion per verbum praedicationis, per exemplar conversationis ad alios transmittere; quia tunc implebitur in illis illud loelis secundo: *In die illa stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lacte, et per omnes rivos Iuda ibunt aquae.* — Contemplativi debent *stillare dulcedinem*, piae compassionis, ad consolandum afflictos, *et colles fluere lacte*, piae praedicationis, ad nutriendum debiles, *et* tunc

Tertio, de contemplativis.

Notandum.

[1] Cod. C post *elevare* addit: Ideo duxit eos in montem excelsum, gloriam divinae maiestatis ostensurus, ut cognoscant, gloriam non in profundo huius saeculi, sed in regno aeternae beatitudinis esse quaerendam.

[2] Vers. 40. — Sequitur Gregor., Regula pastor. p. II. c. 3. (alias 14.).

[3] Vers. 2. — Sequitur Bernard., II. de Considerat. c. 7. n. 14.

[4] Respicitur Ioan. 12, 6. et infra Luc. 4, 29.

[5] Cod. C, transposito verbo *praecipitant* post *subditorum*, addit: Et talibus dicit Gregorius (Regula pastor. p. III. c. 4. [alias 25.]), quod « tot morbibus digni (sint), quot mala exempla ad subditos transmittunt ». — Sequitur: longe melius etc.

[6] De Dignitate sacerdotali (inter opera Ambrosii), c. 3.

[7] Psalm. 124, 1. seq.

[8] Supplevimus *et*.

per omnes rivos, scilicet lacrymarum, *Iuda*, id est poenitentium — *Iuda* enim confitens interpretatur — *ibunt aquae*, scilicet gratiarum, ad multiplicandum opera institiae et pietatis. Et illud contemplativis, maxime qui tenentur professione alicuius Regulae, competit. Concordat quod dicitur Ezechielis trigesimo sexto [1]: *Montes Israel, ramos expandite et frondete et florete et fructus facite. — Israel* enim videns Deum interpretatur et significat contemplativum, qui debet videre Deum in propria conscientia; unde dicitur: *montes Israel*, id est contemplativi, *ramos vestros expandite*, scilicet ad vagantis populi congregationem; *frondete*, per divini verbi praedicationem; *florete*, per odoriferi exempli ostensionem; *et fructus facite*, per vestrae salutis acquisitionem et proximorum promotionem, quia tunc eritis *mons Dei*, *mons pinguis*, *mons*, *in quo beneplacitum est Deo habitare in eo* [2].

III. Tertio et ultimo ostenditur dispensativa *ostensio futurae glorificationis*, cum dicit: *et transfiguratus est ante eos.* « Intellige, quia non substantiam carnis amisit, sed gloriam futurae resurrectionis ostendit [3] ». Voluit Dominus noster Iesus Christus transfigurari coram istis tribus, per quos praelati, activi et contemplativi intelliguntur, et ostendere eis suam futuram gloriam, ut per hoc, appropriate loquendo, primo *illuminaret* in Petro *praelatos* splendore virtutis et intelligentiae; secundo *confirmaret* in Iacobo *activos* in spe exspectationis futurae gloriae; tertio *inflammaret* in Ioanne *contemplativos* amore caritatis et benevolentiae.

Pars III.

Subdivisio

Primo transfiguratus est ante *Petrum*, ut in ipso *illuminaret praelatos* splendore virtutis et intelligentiae, ut per ipsos ceteri in fide illuminarentur. Unde dicit Glossa [4]: « Et Christus voluit transfigurari coram tribus testibus, quibus totus mundus crederet ». Nec Christus in sua transfiguratione habuit tantum testimonium hominum de mundo, immo etiam habuit super hoc testimonium Dei Patris de summo caelo, testimonium Moysi de profundo limbo et testimonium Eliae quasi de medio, scilicet paradisi terrestris. Unde in sua transfiguratione voluit testimonium habere divinum, propheticum et humanum sive apostolicum, ut primo per testimonium Dei Patris dicentis [5]: *Hic est Filius meus dilectus, per quem facta sunt omnia*, cognoscatur, quod ipse est omnium stabilitor magnificus in *creando;* ut secundo per testimonium Moysi, qui fuit « dator Legis », et Eliae, qui fuit « eximius Prophetarum [6] », cognoscatur, quod ipse est cunctorum reconciliator piissimus in *redimendo*, secundum quod fuerat promissum et prophetatum in Lege; ut tertio per testimonium humanum sive apostolicum, scilicet Apostolorum, qui erunt indices in die iudicii, cognoscatur, quod ipse est omnium retributor iustissimus in *remunerando*. De illa transfiguratione potest exponi illud Sapientiae decimo sexto [7]: *Omnia transfigurata omnium nutrici gratiae tuae deserviebant ad voluntatem eorum quae a te sunt desiderata.* — Dicuntur autem *omnia transfigurari* in transfiguratione Christi, en quod aliquid de omni creatura fuit in Christo transfiguratum. Nam Christus in quantum homo communicat cum omnibus creaturis. « Habet enim esse cum lapidibus, vivere cum plantis, sentire cum iumentis et intelligere cum Angelis [8] ». Cum ergo Christus, in quo in quantum homo de omni creatura est aliquid, sit transfiguratus; ideo dicuntur omnia in ipso esse transfigurata. *Nutrici gratiae deserviebant*, quia illa transfiguratio non fuit, ut acciperet dotem claritatis gloriae, sed, divina gratia dispensante, ut acciperet actum dotis claritatis gloriae ad nutriendum debites Apostolos in fide, et maxime in hora mortis Christi. Nam *omnia deserviebant nutrici gratiae ad voluntatem eorum*, id est Apostolorum, propter complacentiam dilectionis, quam habuerunt in videndo gloriam Christi; unde Petrus dixit: *Domine, bonum est, nos hic esse* [9]; *quae a te desiderata sunt*, propter mutuam cohabitationem mutuae dilectionis. Nam *deliciae* Filii Dei *sunt esse cum* Apostolis et praelatis.

Primo, in Petro illuminatio praelatorum.

Notandum.

De triplici Christi gloria.

Notandum.

Secundo, in Iacobo confirmatio activorum.

Secundo voluit transfigurari ante *Iacobum*, ut in Iacobo *confirmaret activos* in spe exspectationis futurae gloriae. Unde Beda dicit in Glossa [10] super praedictum verbum sic: « In montem transfigurandus ascendit, ut innuat, eos qui resurrectionem exspectant, mente in excelsum debere elevari et continuis precibus insistere ». De hoc potest exponi quod dicit Apostolus primae ad Corinthios quarto [11]: *Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium, et tunc laus erit unicuique a Deo. Haec autem, fratres, transfiguravi in me et Apollo propter vos, ut in nobis discatis, ne supra quam scriptum est, unus adversus alterum infletur pro alio* etc. — Per *Paulum et Apollo*, quorum unus interpretatur electus mirabilis et alter admirandus, potest figurari Dominus noster Iesus Christus, cuius *nomen vocatur Admirabilis* [12]. Hic autem voluit transfigurari coram Iacobo, ut per hoc discant activi exspectare futuram gloriam resurrectionis cum *modestia* sermonis in ore; unde dicitur: *Nolite ante tempus iudicare,*

[1] Vers. 8; Vulgata: *Montes Israel, ramos vestros germinetis et fructum vestrum afferatis populo meo Israel.*
[2] Psalm. 67, 16. 17.
[3] Glossa *interlinearis* in hunc locum.
[4] Scilicet *interlinearis* in Luc. 9, 30.
[5] Matth. 17, 5. et dein Ioan. 1, 3.
[6] Glossa *interlinearis* in Matth. 17, 3, apud Lyranum.
[7] Vers. 25; Vulgata habet: *In omnia transfigurata... deserviebat, qui a te desiderabant.*
[8] Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 29. n. 2.
[9] Matth. 17, 4; infra respiciur Prov. 8, 31.
[10] Vide supra pag. 216, notam 2.
[11] Vers. 5. seq.
[12] Isai. 9, 6.

quoadusque veniat Dominus; cum *innocentia* cordis et operis, eo quod Dominus in die iudicii *illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium;* et cum *patientia* supportationis in opere, *ne supra, quam scriptum est, unus adversus alium infletur. Et tunc laus erit unicuique a Deo,* cum propriam mercedem gloriae accipiet.

Tertio in Ioanne inflammatio contemplativorum.

Tertio transfiguratus est ante *Ioannem*, ut in Ioanne *inflammaret contemplativos* amore caritatis et benevolentiae. Et de hoc dicitur in praedicto themate [1]: *Duxit illos in montem excelsum seorsum et transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.* — Dominus noster Iesus Christus ad instruendum, quod nullus potest clare videre Deum in propria conscientia, nisi primo sit elevatus in Deum per mentalem devotionem, deinde sequestratus a tumultu temporalium sollicitudinum per cordis quietationem; voluit *ducere* Apostolos, id est contemplativos, *in montem excelsum*, quasi elevando eos per excessum mentalis devotionis; *seorsum*, sequestrando eos a tumultu saecularis inquietationis; *et tunc transfiguratus est ante eos*, ad ostendendam eis excellentiam suae futurae gloriae. Sed quia ex ista visione anima contemplativa inflammatur ardore caritatis et concupiscentiae et dulceratur candore castitatis et pudicitiae per nimium amorem *solis iustitiae* [2] et *candoris lucis aeternae;* ideo dicitur, quod *resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.* Rogemus etc.

Sermo II [3].

Assumsit Iesus Petrum et Iacobum et Ioannem, fratrem eius, et duxit illos in montem excelsum seorsum et transfiguratus est ante eos, Matthaei decimo septimo [4].

Introductio.

In his verbis spiritualiter intellectis patenter et pulcre describitur, quomodo Iesus, Dei Filius, tres status sive gradus, qui sunt in Ecclesia, *designat* per istos tres secretarios Christi, praelatos scilicet, activos et contemplativos; *assumit* sibi per gratiam coniungendo; *deducit* sanctis inspirationibus erigendo; se ipsum eis in sua forma *ostendit* promissam gloriam exhibendo.

Ostilis illius proprietates.

Iste autem *mons excelsus, seorsum* vere constitutus, in quo Christus ducit assumptos et electos, in quo se ipsum ostendit, *Ierusalem* beatam, *quae sursum est* [5], significat, in qua videtur claritas Dei et facies Iesu Christi. Est enim instar: *montis pinguis* ad pastum propter refectionem summae saturitatis; Psalmus [6]: *Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus, mons pinguis.* — *Sublimis* ad aspectum propter altitudinem summae maiestatis; Psalmus: *Fundamenta eius in montibus sanctis* etc. — *Insuspicabilis* ad metum propter possessionem summae securitatis; Genesis decimo nono: *In monte salvum te fac, ne et tu simul pereas.* — *Immobilis* ad situm propter fixionem summae aeternitatis; Exodi decimo quinto [7]: *Plantabis eos in monte hereditatis tuae, firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es, Domine.* — *Solemnis* ad gaudium propter recreationem sempiternae virentis amoenitatis; Ezechielis trigesimo quarto: *Ibi requiescent in herbis virentibus et in pascuis pinguibus pascentur super montes Israel.* — *Capax* ad consortium propter latitudinem sive mansuetudinem caritatis; Isaiae vigesimo quinto: *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiae, pinguium medullatorum* etc.

De gloria illa dicuntur quatuor.

Quia vero *gloria illa* erit *universalis participationis*, ideo assumuntur in illius gloriae repraesentatione *Moyses*, legislator, *Elias*, dux Prophetarum, et *Apostoli tres*, nomine omnium electorum. — *Finalis quietationis*, ideo *Petrus dixit ad Iesum: Domine, bonum est, nos hic esse* [8] etc. — *Inexterminabilis proportionis* vel delectationis (?), ideo *discipuli audientes ceciderunt in faciem suam.* — *Incomprehensibilis claritatis* et luminis, ideo *resplenduit facies* Christi *sicut sol, et vestimenta eius facta sunt alba sicut nix; et nubes lucida obumbravit* discipulos eius.

Sermo III [9].

Dominica secunda in Quadragesima. Sermo fratris Bonaventurae in Capitulo Fratrum Parisius, mane coram Universitate [10].

Resplenduit facies eius sicut sol, et vestimenta eius facta sunt alba sicut nix, Matthaei decimo septimo [11].

Divisio.

Quatuor Deus in hoc facto monstravit, quae in hac auctoritate continentur, scilicet *subiectum* beatitudinis *susceptivum*, cum dicitur: *facies*, quae quidem est rationalis anima, in quam *inspiravit Deus spiraculum vitae* [12]; *actum* informantem beatitudinis *infusivum*, cum dicitur: *resplenduit*; *actum* beatificantis *explicativum*, cum dicitur: *sicut sol;* coniuncti tandem resurgentis *statum consummativum* seu quietativum, cum subditur: *vestimenta eius facta sunt alba sicut nix.*

---

[1] Matth. 17, 1. seq.

[2] Mal. 4, 2. et Sap. 7, 26.

[3] Ex A fol. 107 r. Non in textu, sed in calce posita est rubrica, cuius tantum hae syllabae legi possunt: *Sermo bo... Par...* [lege: *Bonaventurae... Parisius*].

[4] Vers. 1. seq.; cfr. supra pag. 215, nota 9.

[5] Gal. 4, 26.

[6] Psalm. 67, 16; sequuntur Ps. 86, 1. et Gen. 19, 17.

[7] Vers. 17; sequuntur Ezech. 34, 14. et Isai. 25, 6.

[8] Matth. 17, 4; sequuntur v. 6. 2. et 5.

[9] Ex A fol. 107 v. et B 33 v.

[10] Quod in Capitulo et simul coram Universitate hic sermo habitus sit, non caret difficultate.

[11] Vers. 2.

[12] Gen. 2, 7.

I. Circa primum nota, quod facies rationalis animae, ut possit apparere et resplendere in conspectu summi Regis et Angelorum et hominum, est *purificanda* in compunctione amara per fontem lacrymarum; Matthaei sexto [1]: *Unge caput tuum et faciem tuam lava.* — *Adornanda* in conversatione sancta per decorem virtutum; Canticorum secundo: *Sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis et facies tua decora.* — *Demonstranda* in compassione fraterna per obsequia pietatis; Tobiae quarto [2]: *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere; ita enim fiet, ut nec a te avertatur facies Domini.* — *Exhilaranda* in oratione devota per spectacula devotionum; Psalmus: *Ut exhilaret faciem in oleo;* et Iob vigesimo secundo: *Tunc super Omnipotentem deliciis affluet et elevabis ad Deum faciem tuam* [3].

Pars I. De facie purificanda. Adornanda. Demonstranda. Exhilaranda.

II. Haec itaque facies, sic disposita, necesse habet *resplendere sicut sol* [4]. Circa hoc secundum nota, quod splendor animae rationalis spiritualis similis est splendori solari, quia, sicut resplendens sol *in* suo *ortu* est *continuus*, sic anima semper est rutilans sine interpolatione; Iudicum quinto [5]: *Qui diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent.* — *In* suo *aspectu* est *pulcherrimus*, sic anima semper est vernans sine contrarii admixtione; Iudith decimo: *Cui Dominus contulit splendorem; quoniam omnis ista compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat.* — *In* suo *statu* est *impassibilis*, sic anima semper est intemerata sine corruptione; Baruch quarto [6]: *Superveniet vobis salus cum honore magno et splendore aeterno.* — *In* suo *motu* est *augmentabilis*, sic anima semper proficiet, donec quietetur in resurrectione; Proverbiorum quarto: *Iustorum semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectam diem.*

Pars II. Pars II. Solis et animae 5 proprietates.

III. Sequitur: *vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix* [7]. Circa quod nota, quod ad hoc, quod in resurrectione clarescamus ad modum nivis ex receptione dotum gloriosarum, interim vestimenta vitae nostrae debent esse *lucida* [8] per sapientiae fulgorem; Matthaei vigesimo octavo [9]: *Erat autem aspectus eius sicut fulgur et vestimentum eius sicut nix.* — *Subtilia* per conscientiae examen; Ezechielis decimo sexto: *Unxi te oleo et vestivi te discoloribus et indui te subtilibus.* — *Integra* per pudicitiae nitorem; Apocalypsis decimo sexto: *Beatus, qui vigilat et custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, et videant turpitudinem eius.* — *Gemina* per Dei et proximi dilectionem; Proverbiorum ultimo [10]: *Omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus.* — *Varia* per meritorum multiplicationem; Psalmus: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* — *Talaria* per perseverantiae longanimitatem; secundi Regum decimo tertio: *Induta erat* filia regis *talari tunica; huiuscemodi enim filiae regis virgines vestibus utebantur.*

Pars III. Vestimenta vitae habeant 6 proprietates.

Sermo IV [11].

Item, sermo fratris Bonaventurae in ecclesia maiori Remensi.

Levantes oculos suos neminem viderunt nisi solum Iesum, Matthaei decimo septimo [12].

In his verbis describitur status perfectorum ad contemplanda caelestia assumptorum. Quoniam autem via deveniendi in hunc statum est mundi vanitates considerare et consideratas despicere et sic ad speculanda aeterna se convertere; ideo sacer Evangelista in his verbis primo innuit virorum sanctorum circa temporalia *considerationem* sapientialem, cum dicitur: *Levantes oculos suos;* secundo subiungit rerum consideratarum dignam *abiectionem*, cum subditur: *neminem viderunt;* tertio concludit optimam ex omnibus electionem, cum subinfertur: *nisi solum Iesum.*

Divisio.

I. Circa primum nota, quod illi qui mundum despicere ordinate volunt, *levare* debent *oculos* ad considerationem mundanae *vanitatis*, qua omnis creatura est mutabilis, quia ex nihilo; Zachariae primo [13]: *Levavi oculos meos et vidi, et ecce, quatuor cornua* etc. — Ad considerationem mundanae *impuritatis*, qua omnis homo est culpabilis, quia ex semine foetido; Ieremiae tertio: *Leva oculos tuos in directum et vide, ubi non prostrata sis.* — Ad consideriationem mundanae *calamitatis*, qua omnis homo est miserabilis, quia conclusus ergastulo; primi Paralipomenon vigesimo primo: *Levans David oculos suos, vidit Angelum Domini stantem inter caelum et terram et evaginatum gladium in manu eius* etc.

Pars I. Considerati triplex.

II. Verum, quia considerantes mundi vanitatem, impuritatem et calamitatem, non vident, quid sequantur, vel cui innitantur, vel quid intueantur, sequitur: *neminem viderunt*, quem acceptarent. Ratio huius est triplex: prima, quia omnis *fiducia* humana *decipit* propter sui infidelitatem; Ieremiae decimo septimo [14]: *Maledictus homo, qui confidit in homine et ponit carnem brachium suum;* Iob septimo: *Memento, quia ventus est vita mea, et non revertetur oculus meus, ut videat bona.* — Secunda, quia omnis *pulcritudo* humana *inficit* propter sui foeditatem;

Pars II. Ratio triplex.

---

[1] Vers. 17; sequitur Cant. 2, 14.
[2] Vers. 7; sequuntur Ps. 103, 15. et Iob 22, 26.
[3] Hunc locum ex B supplevimus, et supra verba *in compunctione amara; in conversatione sancta; in compassione fraterna; in oratione devota.*
[4] Quae praecedunt addidimus ex B.
[5] Vers. 31; sequitur Iudith 10, 4.
[6] Vers. 24; sequitur Prov. 4, 18.
[7] Haec sententia sumta est ex B, qui infra pro *gloriosarum* legit *utrarumque.*
[8] Hoc primum membrum divisionis est ex B.
[9] Vers. 3; sequuntur Ezech. 16, 9. seq. et Apoc. 16, 15.
[10] Cap. 31, 21; sequuntur Ps. 44, 10. et II. Reg. 13, 18.
[11] Ex A fol. 108 r. et B fol. 34. [12] Vers. 8.
[13] Vers. 18; sequuntur Ier. 3, 2. et I. Par. 21, 16.
[14] Vers. 5; sequuntur Iob 7, 7; Prov. 31, 30. et Iob 20, 9.

Proverbiorum ultimo: *Fallax gratia et vana est pulcritudo;* Iob vigesimo: *Oculus, qui eum viderat, non videbit* etc. — Tertia, quia omnis *fortitudo* humana *deficit* propter sui fragilitatem; Isaiae quadragesimo [1]: *Omnis caro foenum, et omnis gloria eius quasi flos agri;* Ecclesiastae quarto: *Vidi calumnias, quae sub sole geruntur, et lacrymas innocentium et neminem consolatorem, nec posse resistere eorum violentiae* etc.

Pars III. III. Ceterum, quia non sufficit mundum considerantem despicere, nisi quis studeat caelestibus adhaerere; ideo subditur et concluditur, quod *Iesum viderunt,* id est secuti fuerunt et toto corde approbaverunt; et bene quidem, despecta mundi vanitate, sequendus et amandus est Christus et contemplandus; ipse enim Iesus est *lapis angularis,* cor humanum stabiliens propter sui firmitatem; ad Ephesios secundo [2]: *Ipso summo angulari lapide Christo Iesu* etc. — *Lux solaris* cor humanum dirigens propter sui veritatem; Ioannis nono: *Ille homo, qui dicitur Iesus, lutum fecit et unxit oculos meos* etc., *et vide.* — *Portus salutaris* cor humanum perficiens propter sui bonitatem; Matthaei undecimo: *Respondens Iesus, dixit: Confiteor tibi, Pater* etc. *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.*

De Christo praedicantur tria.

Levantes ergo *oculos,* in consideratione mundanae *vanitatis neminem viderunt,* cui vellent inniti, *nisi Iesum,* qui est *lapis angularis.* — Mundanae *impuritatis, neminem viderunt,* quem vellent intueri, *nisi Iesum,* qui est lux solaris. — Mundanae *calamitatis, neminem viderunt,* quem possent sequi, *nisi Iesum,* qui est portus salutaris [3].

Replicatio.

Sermo V [4].

Item, sermo fratris Bonaventurae apud Mediolanum, in domo Fratrum.

Resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix, Matthaei decimo septimo [5].

In his verbis duo nota spiritualiter ad nostram informationem: primum est *contemplationis perfectio;* secundum est *conversationis sanctitudo.* Primum designatur in *facie resplendenti ut sol,* secundum in *vestimentis albentibus sicut nix.*

Divisio.

Circa totum nota, quod sicut sol materialis est *ornativus caelestium,* sic facies Christi est ornativa caelestis curiae; Ecclesiastici vigesimo sexto [6]: *Sicut sol oriens mundo* etc. — *Illuminativus terrestrium,* sic facies Christi est illuminatio militantis Ecclesiae; Psalmus: *Faciem tuam illumina super servum tuum.* — *Delectativus intuentium,* sic facies Christi est delectativa devotae et spiritualis animae; Genesis trigesimo secundo: *Vidi Deum facie ad faciem, et salva facta est anima mea.*

De facie animae nostrae decora duplici medio.

Ad hoc autem, ut facies animae nostrae possit instar faciei Christi in contemplatione resplendere, debet ad similitudinem faciei ipsius esse *decora* per munditiam interioris conscientiae; Genesis vigesimo nono [7]: *Lia lippis erat oculis, Rachel* vero *decora facie et venusto aspectu.* — Decoratur vero facies per *compunctionem* amaram; Matthaei sexto: *Tu autem, cum ieiunas, unge caput tuum et faciem tuam lava.* — Per *confessionem* veram; Canticorum quinto: *Aperi mihi, soror mea. Sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis et facies tua decora.*

De eadem fulgida duplici medio.

Fulgida per intelligentiam sanctae Scripturae; Exodi trigesimo quarto [8]: *Ignorabat Moyses, quod cornuta esset facies sua,* id est radiosa. — Haec autem fulgidatur per *lectionem* affectuosam, in qua removetur velamen litterae; secundae ad Corinthios tertio: *Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem tanquam a Domini Spiritu.* — Per *meditationem* intentam, in qua purgatur affectus animae; Isaiae trigesimo octavo: *Convertit Ezechias faciem suam ad parietem et oravit ad Dominum.*

De eadem iucunda duplici medio.

Iucunda per affluentiam caelestis gloriae; Iudith ultimo [9]: *Erat autem populus iucundus secundum faciem sanctorum.* — Haec autem iucundatur per *devotionem* ecstaticam; Psalmus: *Ut exhilaret faciem in oleo* etc. — Per *dilectionem* excessivam; Ecclesiastici trigesimo sexto: *Species mulieris exhilarat faciem viri sui et super omnem concupiscentiam hominis superducit desiderium.*

FERIA SECUNDA

POST SECUNDAM DOMINICAM QUADRAGESIMAE.

Sermo [10].

Sermo fratris Bonaventurae coram regina Franciae et familia, Parisius.

Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum, Ioannis octavo [11].

De facie christi tria.

In isto verbo ad Iudaeos duo notanda, scilicet *Christi* hominis per passionem crucis *sublimatio* summa et *Iudaeorum* crucifigentium *punitio* digna. Primum,

Divisio.

[1] Vers. 6; sequitur Eccle. 4, 1.
[2] Vers. 20; sequuntur Ioan. 9, 11. et Matth. 11, 25. 28.
[3] Praecedentia habentur in A paulo brevius.
[4] Ex A fol. 109 r.
[5] Vers. 2.
[6] Vers. 21; sequuntur Ps. 118, 133. et Gen. 32, 30.
[7] Vers. 17; sequuntur Matth. 6, 17. et Cant. 5, 2. et c. 2, 14.
[8] Vers. 29; sequuntur II. Cor. 3, 18. et Isai. 38, 2.
[9] Cap. 16, 24; sequuntur Ps. 103, 15. et Eccli. 36, 24.
[10] Ex A fol. 109 v.
[11] Vers. 28.

ibi: *Cum exaltaveritis Filium hominis*, in cruce ponendo sive elevando, per quod factum ad dexteram Patris sedebo; secundum, ibi: *tunc cognoscetis, quia ego sum* etc.; damnis et poenis vestris experiemini, *quia ego sum* Filius Dei et filius Virginis, non sic tractandus a vobis.

Circa totum nota, quod exaltatio sive elevatio Christi hominis in cruce sive ipsa crux, in qua et per quam fuit exaltatus, comparatur et assimilatur in sacra Scriptura *arbori vitae in medio paradisi*, Genesis secundo [1], propter humanae salutis reparationem sive conservationem. — *Arcae Noe*, Genesis sexto, propter mundi universalis salvationem. — *Virgae Moysi*, Exodi quarto, propter miraculorum patrationem. — *Ligno dulcorauti aquas*, Exodi decimo quinto [2], propter tribulatorum relevationem. — *Palo aeneum serpentem gestanti*, Numerorum vigesimo primo, propter tentatorum liberationem. — *Clavi domus Davïd*, Isaiae vigesimo secundo, propter iannae caelestis reserationem. — *Sceptro aureo Assueri*, Esther decimo quinto [3], propter divinae clementiae propitiationem. — *Vehiculo Salomonis*, Canticorum tertio, propter credentium omnium ad caelum deductionem et introductionem.

Crux Christi assimilatur 7 figuris.

DOMINICA TERTIA IN QUADRAGESIMA.

Sermo I [4].

Porro, si in digito Dei eiicio daemonia, profecto pervenit in vos regnum Dei, Lucae undecimo [5].

Prothema. *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.* In verbis secundo loco propositis, sumtis de Malachiae secundo, exprimuntur tria, quae sunt necessaria cuilibet volenti proponere verbum Dei. Et primum est *scientia regulans*, secundum est *facundia exprimens*, et tertium est *vita* utrumque *confirmans*. Proponere enim verbum Dei sine *scientia* regulante est *periculosum;* sine *facundia* exprimente est *infructuosum*, et sine *vita* utrumque decorante est *ignobile. Scientia* enim regulans notatur, cum dicitur: *Labia sacerdotis custodient scientiam.* Ista *labia* sunt intelligentia et affectus, qui debent custodire et conservare thesaurum scientiae. *Facundia* exprimens notatur, cum subditur: *legem ex ore eius requirent. Vita* vero utrumque decorans notatur, cum subinfertur: *quia Angelus Domini exercituum est.* Praedicator enim *Angelus Domini* dicitur ratione sanctitatis et munditiae. Cum ergo, carissimi, haec tria deficiant in me, ideo necesse habeo recurrere ad Deum *Patrem luminum* [6] et *Deum totius consolationis*, quatenus per suam gratiam dignetur me sua *scientia* regulare, *sanctitate vitae* decorare, ut *digne* tandem possim exprimere ea quae sunt ad laudem et gloriam sui nominis gloriosissimi et consolationem animarum nostrarum. Amen.

Introductio.

Porro, si in digito Dei etc.

Quia veritatis est naturaliter in bonum dirigere, ideo Dominus noster Iesus Christus, videns oculo suae sapientiae temerarias cogitationes Iudaeorum dicentium, ipsum in *Beelzebub eiicere daemonia*, respectis eorum pravis cogitationibus et etiam ipsis argumentationibus [7] refutatis efficaciter indissolubilibus rationibus, ad dirigendum eos concludit pro veritate propositum verbum, dicens: *Porro, si in digito Dei* etc. In quo quidem verbo tria notantur, videlicet *malignitas* diabolicae nequitiae, *immensitas* divinae potentiae, *utilitas* consecutae misericordiae. Primo notatur *malignitas diabolicae nequitiae*, cum dicit: *Porro, si;* secundo, *immensitas divinae potentiae*, cum subdit: *in digito Dei eiicio daemonia;* tertio, *utilitas consecutae misericordiae*, cum subinfert: *profecto pervenit in vos regnum Dei.*

Sermo.

Divisio.

I. Dicit ergo: *Porro, si*, ubi notatur *malignitas diabolicae nequitiae.* Magna enim malignitas est ex parte diaboli, eo quod tam pulcherrimam et nobilem creaturam, scilicet animam factam ad imaginem et similitudinem Dei, infecit et interfecit et secundum omnes suas potentias a Deo avertit et pervertit. Nam primo rationalem *excaecat* errore falsitatis et malitiae; secundo concupiscibilem *deformat* foetore carnalitatis et luxuriae; tertio irascibilem *deordinat* tumore vanitatis et superbiae.

Pars I.

Subdivisio.

Primo malignitas diaboli *rationalem excaecat* errore falsitatis et malitiae; unde dicitur Matthaei duodecimo [8]: *Oblatus est ei daemonium habens, caecus et mutus; et curavit eum, ita ut loqueretur et videret.* — Ecce, *daemonium* eum, in quo habitat per dominium, facit *caecum* per errorem credulitatis [9] et *mutum* per pudorem confessionis Crucifixi; sed cum offertur Christo, credendo in eum per captivationem intellectus, *curatur* a daemonio dirae malignitatis per illapsum summae Divinitatis. Non enim compatiuntur se invicem diabolus et Deus in uno habitaculo. Nam diabolus est

Primo, de diabolo excaecante.

---

[1] Vers. 9; sequuntur c. 6, 14. seqq. et Exod. 4, 2. seqq.

[2] Vers. 25; sequuntur Num. 21, 9. et Isai. 22, 22.

[3] Vers. 14. seq.; sequitur Cant. 3, 9: *Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani.* Cfr. Forcellini, Lexicon: « *Ferculum*, plaustra appellat Tertullianus, vehicula alii » etc.

[4] Ex Vaticano et C D E F et contracte habetur in cod. Tudert. n. 104. fol. 128 v.

[5] Vers. 20. — Prothema ex C habetur Mal. 2, 7.

[6] Iac. 1, 17; et dein respicitur II. Cor. 1, 3.

[7] Verba *etiam ipsis cogitationibus*, quae ex F addidimus, Vaticana omittit.

[8] Vers. 22

[9] Ita F; Vaticana *caecitatis* et D *cognitionis*, et deinde pro *dirae* (ita F) alii *divae*.

grossus et inflatus per elationem superbiae, et Deus est magnus et excelsus per immensitatem essentiae. Restituitur *visus* per agnitionem primae veritatis in *corde*, et redditur *verbum* per expressionem creditae veritatis in *ore*. Nam *corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem* [1].

Secundo malignitas diaboli *concupiscibilem deformat* foetore carnalitatis et luxuriae; unde dicitur Tobiae sexto [2]: *Qui coniugium ita suscipiunt, ut Deum a se et a sua mente excludant et suae libidini ita vacent sicut equus et mulus, quibus non est intellectus; habet potestatem daemonium super eos. — Qui coniugium ita suscipiunt,* amore scilicet libidinis, *Deum excludant a se,* propter foetorem fornicationis, *et a sua mente,* propter amorem delectationis. Homo enim luxuriosus ita absorbetur delectatione carnis, ut totaliter sit deditus libidini, *sicut equus et mulus, quibus non est intellectus,* propter subversionem rationis; et *super* talem *habet daemonium potestatem,* praecipitandi de peccato in peccatum, quousque faciat eum ruere in profundum inferni, sicut vas, quod tantum de loco volvitur in locum, donec labatur in puteum.

Tertio malignitas diaboli *deordinat irascibilem* tumore vanitatis et superbiae; unde dicitur Matthaei octavo [3]: *Occurrerunt ei duo habentes daemonia, de monumentis exeuntes, saevi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam.* — Homines *daemonia habentes,* elationis et superbiae, licet sint elevati quantum ad apparentiam per elationem superbiae in corde et ostentationem iactantiae in opere super omnes alios, qui sunt super terram; tamen secundum veritatem in tantum sunt depressi et humiliati secundum regulam infallibilem divinae iustitiae, quae est: *Qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur;* ut iam viventes sint sepulti et habitent cum daemonibus in *monumentis* inferni. Et propter hoc dicitur: *Occurrerunt ei duo habentes daemonia, de monumentis exeuntes, saevi nimis,* propter furorem iracundiae, *ita ut nullus posset transire per viam illam,* propter livorem invidiae.

II. Sequitur: *in digito Dei eicio daemonia,* nbi notatur *immensitas divinae potentiae.* Ista immensitas divinae potentiae in hoc apparet, primo, quia daemonium erroris et malitiae eicit *illuminando rationalem* in *aspectu* primae veritatis; secundo, quia daemonium foetoris et luxuriae eicit *decorando concupiscibilem* in *amplexu* munditiae et castitatis; tertio, quia daemonium tumoris et superbiae eicit *ordinando irascibilem* in *despectu* subiacentiae et humilitatis.

Primo ergo immensitas divinae potentiae in hoc apparet, quia daemonium erroris et malitiae eicit *illuminando rationalem* in *aspectu* primae veritatis; unde dicitur Matthaei nono [4]: *Obtulerunt ei hominem mutum, daemonium habentem, et ejecto daemonio, locutus est mutus. — Homo habens daemonium,* caecitatis et malitiae [5], efficitur *mutus* propter ruborem confessionis Crucifixi; sed cum offertur Christo, in eum credendo per captivationem intellectus, *eiicitur daemonium,* caecitatis et malitiae, per illapsum illuminantis sapientiae, et restituitur *verbum* per expressionem veritatis creditae. De hoc similiter dicitur Lucae undecimo: *Cum ejecisset daemonium, locutus est mutus.*

Secundo immensitas divinae potentiae in hoc apparet, quia daemonium foetoris et luxuriae eicit *decorando concupiscibilem* in *amplexu* munditiae et castitatis; unde dicitur Matthaei decimo septimo [6]: *Exiit ab eo daemonium, et curatus est puer ex illa hora;* et sequitur: *Hoc genus non eiicitur nisi per orationem et ieiunium. — Exiit ab eo daemonium,* carnalitatis et luxuriae; *et curatus est,* per amplexum castitatis et munditiae. Sed *modum* curandi et eiiciendi illud daemonium docet Dominus, cum subdit: *Hoc autem genus non eiicitur nisi per ieiunium,* macerationis in refrenando voluptatem lascivae carnis exterius, *et orationem,* devotionis in refrigerando ardorem immoderatae delectationis interius. Unde Hieronymus [7]: « Ieiunio sanantur pestes carnis, et oratione pestes mentis »; et quanto oratio purior et ferventior, tanto ad expellendum vitium luxuriae efficacior. Unde Chrysostomus [8]: « Quis hostem non oratione devicit? Quanto oratio fuerit purior et ferventior celebrata, tanto celerior erit de inimico victoria ».

Tertio immensitas divinae potentiae in hoc apparet, quia daemonium tumoris et superbiae eicit *ordinando irascibilem* in *despectu* subiacentiae et humilitatis; unde dicitur Ioannis duodecimo [9]: *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum. — Nunc* enim *est iudicium mundi, ut unus moriatur homo pro populo,* propter mitigandum rigorem divinae iustitiae; *et non tota gens pereat,* propter immutabile decretum promissae misericordiae. Ergo Christus ad destruendam superbiam primi hominis, qua [10] voluit aequari Deo, dignatus est tantum vel plus humiliari, quantum Adam superbivit, cum factus est homo; quia non emendatur damnum, nisi tantum, vel plus restituatur. Sed ut *omnia,* id est de omni gente et natione aliquos, ut intelligatur pars pro toto, *ad*

Secundo, de eadem deformante.

Tertio, de eadem deordinante.

Pars II. Subdivisio.

Primo, de potentia divina illuminante.

Secundo, de eadem deformante.

Modus corandi.

Tertio, de eadem ordinante.

[1] Rom. 10, 10.
[2] Vers. 17.
[3] Vers. 28; sequitur Luc. 14, 11.
[4] Vers. 32. seq.
[5] Codd. C E F habent *praecipitii.* — Sequitur Luc. 11, 14.
[6] Vers. 17; et dein v. 20.
[7] Comment. in Marc. (inter opera) c. 9; pro verbis *pestes carnis* editio Vallarsii (Veronae 1742) legit *passiones corporis.*
[8] Serm. de Moyse, ed. Venet. 1583, tom. I. pag. 190 col. I.
[9] Vers. 31. seq.; sequitur c. 11, 50.
[10] Ita F, Vaticana habet *qui.*

se ipsum traheret, per unicum vinculum amoris, volnit *exaltari a terra*, per opprobriosam mortem crucis; et quia diabolus iniecerat manus in alienum servum, scilicet Christum, in quo non habebat quidquam iuris, suggerendo suis membris, ut crucifigeretur; ideo instum fuit, ut amitteret proprium servum, scilicet captivum hominem. Unde in lege [1] dicitur: Qui alienam possessionem iniuste possidet, vel occupat, debet propriam amittere. Et sic princeps superbiae, amissa potestate, quam habebat super servum suum, hominem, eo quod iniuste manum in Christum miserat, cum vituperio *eiectus est foras*.

Ill. Tertio notatur *utilitas consecutae miseri-*
Pars III. *cordiae* ex parte humani generis, cum dicit: *profecto pervenit in vos regnum Dei*, ubi notatur, quod dicitur *regnum in nos pervenire* tripliciter,
Subdivisio. scilicet primo, per gratiam *baptismalem* respectu mali amovendi; secundo, per gratiam *poenitentialem* respectu ardui inchoandi; tertio, per gratiam *finalem* respectu boni consummandi.

Primo ergo appropinquat regnum Dei per *gra-*
Primo, de gratia baptismali. *tiam baptismalem* respectu *mali amovendi;* unde dicitur Ioannis tertio [2]: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne caro est, et quod natum est ex spiritu spiritus est.* Quia omnes nascimur *filii irae* et carnales ratione foeditatis originalis culpae, ideo iuste sumus privati illa hereditate regni caelestis, nec possumus ad illud pervenire, nisi per gratiam baptismalem, ratione cuius efficimur mundissimi et spirituales, et sic tanquam veri *heredes Dei et coheredes Christi, transferimur in regnum Filii dilectionis suae* [3], *quia caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptelam possidebit.*

Secundo appropinquat regnum Dei per *gratiam*
Secundo, de gratia poenitentiali. *poenitentialem* respectu *ardui inchoandi;* et de hoc dicitur Matthaei tertio [4]: *Poenitentiam agite; appropinquavit enim regnum caelorum.* — Illi *agunt poenitentiam*, qui *faciunt dignos fructus poeniten-*
Tres fructus poenitentiae. *tiae*: in exercitiis virtuosae operationis castigando corpus proprium, in bonis exemplis aedificando proximum, in continuis laudibus honorando Deum. Unde qui vult, ut appropinquet sibi regnum Dei, debet *facere dignos fructus poenitentiae*, eradicando a se ipso omnia vitiorum genera, quia non est dignus intrare *superbus* et altus, quia ad humile et bassum *ostium, quod est Christus* [5], caput conquassaret; non *invidus*, quia *eius participatio in ipsum;* non *iracundus* et rancorosus, quia ibi est summa *pax, quae exsuperat omnem sensum;* non *avarus*, quia foramen angustum camelum [6] cum sarcinis non admittit; non *gulosus*, quia *regnum Dei non est esca et potus;* non *luxuriosus*, quia ibi *neque nubent, neque nubentur*. Similiter *caro et sanguis regnum Dei non possidebunt*, sicut dicitur primae ad Corinthios decimo quinto [7].

Tertio modo appropinqnat regnum Dei per *gra-* Tertio, de gratia finali
tiam finalem respectu *boni consummandi;* unde dicitur Actuum decimo quarto [8]: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum caelorum.* Et ratio huius est, quia Deus nullum recipit in regnum suum nisi amicum; nullus est amicus, nisi sit finaliter per patientiam probatus; unde ad intrandum illud regnum, quod est *magnum* longitudine aeternitatis, *interminabile* latitudine capacitatis, *incoarctabile* in celsitudine sublimitatis incomprehensibilis, debet semper habere in proposito aeternitatem bonae voluntatis, impermutabilitatem gratitudinis virtutis, et sustinere confidenter poenalitatem humanae miseriae et infirmitatis. Rogemus ergo Dominum etc.

Sermo II [9].

Ut filii lucis ambulate, ad Ephesios quinto [10].
Introductio (Prothema). *Beati, qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud*, Lucae undecimo [11]. Verbum ultimum est verbum Salvatoris et recitatur hodie in fine evangelicae lectionis. Ibi Salvator noster nos instruit eleganter *propter quid* praedicandum, *quibus* praedi- Divisio.
candum, *quid* praedicandum et *qualiter* praedicandum. *Propter quid* enim praedicandum? nisi ut nos, tam praedicantes quam audientes, simus *beati. Quibus* praedicandum? nisi illis *qui audiunt. Quid* praedicandum? nisi *verbum Dei. Qualiter* praedicandum? nisi prout expedit *ad custodiendum*.

Eleganter dixit: *Beati*, ut nos instrueret, *pro-* Explicant membra divisionis.
pter quid praedicandum, quia non propter hominum complacentiam, non propter avaritiam, non propter apparentiam, sed propter beatitudinis gloriam. Primo modo praedicant adulatores, secundo mercenarii vel quaestores, tertio ostentatores, quarto animarum zelatores. Propter hoc praedicabat Apostolus; unde primae ad Thessalonicenses secundo [12]: *Ita loquimur, non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra*, scilicet quod sumus veri zelatores.

---

[1] Cfr. VI. Digest. tit. 1. l. 68.
[2] Vers. 5. 6; sequuntur Eph. 2, 3. et Rom. 8, 17.
[3] Col. 1, 13; sequitur I. Cor. 15, 50.
[4] Vers. 2; sequitur Luc. 3, 8.
[5] Respicitur Ioan. 10, 7. 9; sequuntur Ps. 121, 3. et Phil. 4, 7.
[6] Respicitur Matth. 19, 24; dein sequuntur Rom. 14, 17. et Matth. 22, 30.
[7] Vers. 50.
[8] Vers. 21.
[9] Ex cod. Parisiensi S fol. 308 v., ubi est sine nomine auctoris. Sed a P. Fideli a Fanna omnino tribuitur S. Bonaventurae, cuius sententiam confirmat indoles sermonis egregia et Bonaventuriana, ac quod idem codex alios habet sermones S. Bonaventurae partim cum nomine auctoris, partim sine eo.
[10] Vers. 8, qui locus occurrit in Epistola huius Dominicae.
[11] Vers. 28.
[12] Vers. 4.

Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, hoc dicit contra adulatores; *neque in occasione avaritiae, Deus testis est,* hoc dicit contra mercenarios vel quaestores; *nec quaerentes ab hominibus gloriam* [1], hoc dicit contra ostentatores. — Eleganter quoque subiunxit: *qui audiunt;* hoc est sine simulatione, sine murmuratione, sine remissione. Primo modo audiunt exploratores, secundo sibilatores, tertio transgressores; primi sunt malevoli, secundi maledici, tertii malefici. His tribus auditorum generibus maledicit Dominus Ecclesiastici secundo: *Vae, duplici corde,* quantum ad exploratores; *et labiis scelestis,* quantum ad sibilatores; *et manibus male facientibus,* quantum ad transgressores.

Eleganter insuper addidit: *verbum Dei,* ut nos instrueret, *quid* praedicandum, scilicet *verbum Dei,* quia quod ore docuit et opere adimplevit, quale est verbum temperantiae, verbum prudentiae, verbum iustitiae, verbum fortitudinis sive constantiae. Haec enim Dei sapientia docuit Sapientiae octavo [2]: *Sobrietatem et prudentiam docet et iustitiam et virtutem;* unde *sobrietas* pro temperantia et *virtus* pro fortitudine ponitur sive constantia; haec etiam opere adimplevit; quod insinuatur ab Apostolo primae ad Corinthios primo: *Qui factus est nobis sapientia a Deo et iustitia et sanctificatio et redemptio.* Per *sapientiam* insinuatur complementum sanctimoniae seu temperantiae; per *redemptionem* complementum fortitudinis sive constantiae. — Nec minus eleganter superaddidit: *et custodiunt illud,* ut nos instrueret, *qualiter* praedicandum, quia prout expedit ad *custodiendum,* scilicet *prudenter, breviter* et *suaviter: prudenter,* ut custodiri debeat; *breviter,* ut custodiri valeat; *suaviter,* ut custodiri placeat [3]. Haec triplex conditio insinuatur Genesis quadragesimo nono [4]: *Nephthali, cervus emissus, dans eloquia pulcritudinis.* — Per *Nephthali,* qui interpretatur discretus, denotatur prudentiae discretio; per *cervum emissum,* brevitatis expeditio; per *eloquia pulcritudinis,* suavitatis delectatio. — Eleganter igitur designatur in praedicta auctoritate *propter quid, quibus, quid* et *qualiter* oporteat praedicare. Sed quoniam haec magis dependent a divina gratia quam ab humana industria, salutabitis, si placet, et salutando rogabitis Matrem gratiae, ut dignetur mihi hanc gratiam impetrare.

Ut filii lucis ambulate. Verbum est Apostoli ad Ephesios, nec solum ad Ephesios, sed ad omnes *lucis filios,* per quod omnes lucis filii breviter illuminantur et salubriter inflammantur. Sunt autem triplices lucis filii: quidam *parvuli,* quidam *adolescentuli,* quidam *adulti.* Primi sunt *poenitentes,* secundi *proficientes,* tertii sunt *perfecti.* Omnes istos docet Apostolus spiritualiter ambulare, cum ait: *Ut filii lucis ambulate.* Primo ergo considerandum, qualiter istud verbum sit ad primos lucis filios referendum; secundo, qualiter ad secundos; tertio, qualiter ad tertios.

Divisio.

I. Dicit igitur Apostolus primis filiis lucis, scilicet *poenitentibus: Ut filii lucis ambulate,* non in via pedum, sed in via morum; et vocat eos *lucis filios* non quantum ad generationem, sed quantum ad imitationem, non ratione originis, sed ratione similitudinis; tanquam aperte diceret: ut imitatores lucis ambulate vel secundum lucis similitudinem ambulate. Sicut autem experimento novimus et oculata fide videmus, lux corporalis *ambulat* perspicua *penetrando,* tenebras *purgando,* occulta *manifestando,* sensus *immutando,* aegros *offendendo* et sanos *obligando.* Istis sex modis debent spiritualiter ambulare primi filii lucis. Debent enim ambulare perspicua penetrando per *conscientiae propriae discussionem;* tenebras peccatorum purgando per *cordis contritionem;* occulta manifestando per *oris confessionem;* sensus immutando per *boni exempli ostensionem;* aegros offendendo per *malorum evitationem;* sanos oblectando per *bonorum visitationem.*

Pars I. De poenitentibus.

Sex proprietates lucis.

Sex praestanda a poenitentibus.

In primis itaque poenitentes debent ut *filii lucis ambulare perspicua penetrando* per conscientiae propriae discussionem. Sic autem ambulavit illa mulier fortis, de qua loquitur (Sapiens) Proverbiorum ultimo [5]: *Consideravit semitas domus suae. — Domus* nostra est conscientia nostra, quae nobis est perspicua; unde, cum *semitas* eius *consideramus,* ad similitudinem lucis perspicua penetramus. Sic ambulavit Psalmista, cum dixit: *Cogitavi vias meas et converti pedes meos in testimonia tua.* Sed aliud est considerare *vias,* aliud considerare *semitas; semitae* ratione brevitatis pertinent ad actus animae interiores; *viae,* ratione prolixitatis ad actus exteriores. Actus autem *interiores* sunt *semitae* breves, ad mortem breviter perducentes, quoniam quatuor solum passus continent, quibus pedes animae ad mortem currunt, vel currere solent. Unus pes animae est motus apprehensivus, alter motus appetitivus; apprehensivus dexter, appetitivus sinister; quoniam pes dexter movetur prius, sinister posterius, et secundum Philosophum [6] « apprehensio praecedit appetitum ». Primus itaque passus pedis dextri est peccati cognitio; secundus, scilicet pedis sinistri, delectatio; tertius, pedis dextri, deliberatio; quartus, pedis sinistri, electio; in peccati autem electione pervenitur ad mortem animae. — Actus autem *exteriores* ratione prolixitatis dicuntur *viae,* in quibus propter peccati procurationem et perpetrationem diutius fatigantur pedes animae; unde Sapientiae quinto [7] dicunt

De primo.

Notandum.

Actus semitarum.

Passus quatuor.

Actus viarum.

[1] Epist. I. Thess. 2, 5. seqq.; infra sequitur Eccli. 2, 11.
[2] Vers. 7; sequitur I. Cor. 1, 30.
[3] Cfr. supra pag. 8, col. I. (nota 4.).
[4] Vers. 21.
[5] Cap. 31, 27; sequitur Ps. 118, 59.
[6] Cfr. Aristot., II. de Anima text. 20. et 27. seqq. (c. 2. seq.) et III. text. 56. seq. (c. 10. seq.).
[7] Vers. 7.

animae peccatrices: *Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles.* Non solum ergo considerare debemus *vias*, sed etiam *semitas*, si volumus perfecte discutere conscientias
De adversariis lucis. nostras. — Sunt autem nonnulli non lucis *filii*, sed lucis *adversarii*, non *considerantes semitas domus suae*, sed solum *alienae;* natura quidem lucis est penetrare corpus perspicuum, sicut crystallum aut vitrum, non corpus opacum, sicut lapidem aut lignum. Hi autem e contrario conscientias suas sibi perspicuas discutiendo non penetrant, sed conscientias alienas illis opacas et obscuras suspicando perlustrant. Et videtur, quod tales sint diaboli officiales, qui sententias diabolicas praecipitant sine causae *commissione*, sine causae *cognitione:* sine causae *commissione*, quia aliena conscientia non est eorum discussioni commissa, sed potius interdicta, dicente Domino Matthaei septimo [1]: *Nolite iudicare, ut non iudicemini;* sine causae *cognitione*, quia, testificante Apostolo primae ad Corinthios secundo, nemo *scit quae sunt hominis nisi spiritus hominis.* Videntur etiam tales latrunculis similes, qui solent arcas apertas negligere et signatas confringere; sic et isti, negligentes conscientias proprias, quae sibi sunt apertae, exquirunt alienas, quae sibi sunt sigillatae, de quibus ait Seneca [2]: « Furem signata sollicitant, aperta praeterit effractarius ».

Secundo debent poenitentes ut *filii lucis ambulare tenebras* peccatorum *purgando* per cordis
De secundo. contritionem. In persona talium dicebat Ragnelis filia Tobiae tertio [3]: *Post tempestatem tranquillum facis et post lacrymationem et fletum exsultationem infundis*, quia per fletum compunctionis et contritionis dissolvitur tenebrosa nubes iniquitatis; quod ut magis sit manifestum, adducamus naturale exemplum.
Exemplum. Sicut in mundo maiori de terra et aqua vapores elevantur usque ad medium aëris; sic in minori mundo, scilicet in homine, de sensu et imaginatione cogitationes ascendunt usque ad iudicium rationis. Anima namque, secundum Augustinum in libro de Spiritu et anima [4], « assimilatur terrae per sensum, aquae per imaginationem et aëri per rationem ». Et sicut in maiori mundo vapores elevati infrigidantur propter malitiam aëris et praepediunt aspectum solis; sic in minori mundo cogitationes de sensualitate ascendentes infrigidantur et calore gratiae privantur propter malitiam rationis peccato consentientis et impediunt aspectum *Solis iustitiae* [5]. Haec est tenebrosa nubes, quae obnubilat animas peccatrices, de qua legitur Threnorum tertio: *Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio.* De oppositione ista videbatur loqui Psalmus: *Iniquitatem*, inquit, *si aspexi in corde meo*, ecce, nubes opposita; *non exaudiet Dominus*, ecce, oratio impedita. — Sicut etiam nubes corpo- Continua.
rales aspectum solis praepedientes aliquando coruscationibus rutilant, tonitruis resonant, fulminibus comprimuntur et in pluviam resolvuntur; ita nubes spirituales, divinum aspectum nobis abscondentes, aliquando rutilant, aliquando resonant, rationis scintilla [6] accusationibus coruscante et comminationibus intonante. Cum autem *illuxerint coruscationes* huiusmodi *orbi terrae* [7], cum *a voce* tanti *tonitrui* turbatae sint terrestres animae, compellitur peccator *aperire os suum et attrahere spiritum*, dicens cum Psalmista [8]: *Miserere mei, Deus* etc.; aut cum publicano: *Deus, propitius esto mihi peccatori*, Lucae decimo octavo. Tune, *afflante Spiritu, fluunt aquae*, et resoluta nube iniquitatis in pluviam compunctionis, restituitur animae aspectus *solis iustitiae.* Hanc purgationem petebat sibi fieri Propheta, cum dicebat: *Redde mihi laetitiam salutaris tui* [9]. — Sunt autem multi *rebelles lumini*, qui non curant purgare peccatorum tenebras per cordis contritionem, quoniam, sicut legitur Ioannis tertio, *magis dilexerunt tenebras quam lucem.* Tales videntur de corde suo facere dormitorium diaboli, qui *sub umbra dormit*, ut dicitur lob quadragesimo [10].

Tertio debent poenitentes *ut filii lucis ambu-* De tertio.
lare occulta manifestando per oris confessionem. Sic ambulaverat qui dicebat [11]: *Delictum meum cognitum tibi feci et iniustitiam meam non abscondi;* sic ambulavit Iob, qui dixit lob trigesimo primo: *Si abscondi quasi homo peccatum meum et celavi in sinu meo iniquitatem meam*, supple: male mihi accidat. Ita debent poenitentes occulta peccata per confessionem manifestare. Quis enim tam insanus, Simile.
qui scienter in camera sua incendium celaret et bona sua conaremari dimitteret, si posset occurrere manifestando et aquae beneficium postulando? Et procul dubio peccatum in conscientia est incendium in camera et consumit bona spiritualia. Debet ergo per confessionem manifestari, et aquae vivae, scilicet gratiae, beneficium postulari. De tali quidem incendio legitur in Psalmo: *Ignis exarsit in synagoga eorum, flamma combussit peccatores.* Talis synagoga sunt poenitentes animae daemonum cultibus profanatae, de quibus dicitur Apocalypsis secundo [12]: *Non sunt Iudaei*, id est confitentes, *sed sunt synagoga satanae.* — Et quis forem celaret in domo propria et Aliud simile.
praedari dimitteret bona sua, si manifestando posset eum deprehendere et bona perdita recuperare? Et quid aliud est peccatum in anima quam latrunculus

---

[1] Vers. 1; sequitur I. Cor. 2, 11.
[2] Epist. 68.
[3] Vers. 22.
[4] Cap. 6. (inter opera August.).
[5] Malach. 4, 2; sequuntur Thren. 3, 44. et Ps. 65, 18.
[6] Cfr. Itinerarium mentis in Deum, c. 1. n. 6: Et apex mentis seu synderesis scintilla.
[7] Psalm. 76, 19; sequuntur Ps. 103, 7. et 118, 131.
[8] Psalm. 50, 2; sequuntur Luc. 18, 13. et Ps. 147, 7.
[9] Psalm. 50, 14; sequuntur Iob 24, 13. et Ioan. 3, 19.
[10] Vers. 16.
[11] Psalm. 31, 5; sequuntur Iob 31, 33. et Ps. 105, 18.
[12] Vers. 9; sequitur Thren. 3, 51.

in domo propria diripiens gratiarum et virtutum bona? Debet ergo peccator ipsum deprehendere manifestando culpam et perdita recuperare recipiendo iustificationem vel iustificationis gratiam. De Iatrone isto legitur in Threnis: *Oculus meus depraedatus est animam meam.*

Quarto debent poenitentes *ut filii lucis ambulare sensus immutando* per boni exemplo ostensionem, mutando scilicet veterem conversationem, sicut ambulavit Psalmista [1], cum dixit: *Nunc coepi; haec mutatio dexterae Excelsi*, ubi post novae vitae inceptionem statim subiungit veteris mutationem. Sic debent poenitentes facere, veterem conversationem mutando, bonum exemplum ostendendo, quoniam non possunt simul induere spiritum Dei et spiritum huius mundi, non possunt servire Deo et mundo. De primo, primae ad Corinthios secundo: *Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est;* de secundo, Iacobi quarto: *Amicus huius saeculi inimicus Dei constituitur.* quarto.

Quinto debent poenitentes *ut filii lucis ambulare aegros oculos offendendo* per malorum evitationem. Sic ambulavit qui dixit [2]: *Non sedi cum concilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non introibo.* Sic debent poenitentes malorum contubernia declinare nec debent timere eorum vituperia, quoniam « malis displicere laudabile est », ut dicit Seneca; nec debent appetere eorum praeconia, quia, secundum Senecam [3], « sit tibi tam triste laudari a turpibus, quam si laudaris ob turpia »; nec debent sequi eorum blandiloquia, iuxta illud Proverbiorum primo [4]: *Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis.* — Quis enim tam delirus, qui, si fuisset ab aliquibus spoliatus et vulneratus, ad eorum consortium rediret, nisi forte sic armatus et munitus, ut eos spoliare posset, vel superare confideret? Quis autem ignorat, quam multi propter mala consortia sunt bonis gratuitis spoliati et in bonis naturalibus vulnerati? Debent ergo tales cavere a talium societate, nisi forte, armati zelo caritatis fraternae, sperarent eos ab erroribus revocare, sicut ille qui dicebat: *In matutino interficiebam omnes peccatores terrae.* Sic poenitentes *in matutino* gratiae debent, concepto spiritu, malos socios quantum ad malitiam, prout possunt, *interficere* et ad gratiam suscitare. e quinto. Simile.

Sexto debent poenitentes *ut filii lucis ambulare sanos oculos oblectando* per bonorum visitationem. Sic ambulabat sponsa, Canticorum quarto [5]: *Vadam*, inquit, *ad montem myrrhae et ad collem thuris*, hoc est ad viros austerae vitae, qui significantur per *montem myrrhae*, et ad viros magnae devotionis, qui significantur per *collem thuris*. Sic debent poenitentes facere, scilicet bonorum consortia frequentare, ut eorum foveantur consolatione, nutriantur eruditione et inventur intercessione, iuxta illud Ecclesiastici sexto: *In multitudine presbyterorum prudentium sta, et sapientiae illorum ex corde coniungere*, quoniam non est tutum contra satanam singulare certamen aggredi. De hoc scriptum est Iob quadragesimo primo: *Non est super terram potestas, quae comparetur ei.* De sexto.

II. Non solum poenitentes, sed etiam *proficientes* docet Apostolus ambulare, cum dicit: *Ut filii lucis ambulate.* Quantum ad proficientes spectat, lux corporalis materialiter *ambulat*, scilicet *tempora numerando, munditiam servando, circulariter se multiplicando, calorem generando, radios reflectendo* et *angulos adaequando.* Istis sex modis debent ambulare secundi filii lucis. Debent siquidem ambulare tempus numerando per *perfectam circumspectionem*, munditiam servando per *defectuum declinationem*, circulariter se multiplicando per *proximorum illuminationem*, calorem generando per *tepidorum inflammationem*, radios reflectendo per *afflictorum compassionem*, angulos adaequando per *passionis et compassionis proportionem.* Pars II. De proficientibus. Sex effectus lucis. Sex praestanda a proficientibus.

Primo igitur debent proficientes *ut filii lucis ambulare tempora numerando* per perfectam circumspectionem. Ita spiritualiter ambulavit Abraham, Genesis decimo tertio [6], cum dictum est ei a Domino: *Leva oculos tuos et vide a loco, in quo nunc es, ad aquilonem et meridiem, ad orientem et occidentem.* — Per aspectum quadruplicem intelligimus quadrimembrem profectuum circumspectionem; *oriens* pertinet ad praeterita, *occidens* ad futura, *meridies* ad prospera, *aquilo* ad adversa. Quid est ergo ista respicere nisi providere circumspecte, quantum proficiendum sit in futuris periculis cavendis, in praeteritis redimendis, in adversis tolerandis et in prosperis moderandis? Ita debent proficientes tempus suum disponere, quidquid faciendum sit, eligere, quid quando faciendum sit, ordinare. Ipsi enim aedificati sunt aedificium virtuale, et ideo debent necessaria sollicite providere, dicente Domino Lucae decimo quarto [7]: *Quis ex vobis, volens turrim aedificare, non prius sedens computat sumtus, qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum?* De primo. Quatuor circumspiciendi.

Secundo debent proficientes *ut filii lucis ambulare munditiam servando* per defectuum declinationem. Sic ambulare proposuit Salomon, cum dixit Ecclesiastae secundo [8]: *Cogitavi in corde meo abstrahere a vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam devitaremque stultitiam.* Similiter ambulare voluit Propheta, cum ait: *Et ero immaculatus cum eo, et observabo me ab iniquitate mea.* Ita debent proficientes defectus evitare, De secundo.

---

[1] Psalm. 76, 11; sequuntur 1. Cor. 2, 12. et lac. 4, 4.
[2] Psalm. 25, 4. — Sequitur Seneca, Excerpta de remediis fortuitorum.
[3] Excerpta de continentia.
[4] Vers. 10; sequitur Ps. 100, 8.
[5] Vers. 6; sequuntur Eccli. 6, 35. et Iob 41, 24.
[6] Vers. 14. [7] Vers. 28.
[8] Vers. 3; sequuntur Ps. 17, 24. et Prov. 4, 23.

munditiam conservare, *omni custodia servando cor* suum, iuxta illud Proverbiorum quarto, quemadmodum fidelis castellanus castellum suae fidelitati commissum.

Tertio debent proficientes *ut filii lucis ambu-*
De tertio. *lare circulariter se multiplicando* per proximorum illuminationem, exemplo illius, de quo dicitur in Psalmo [1]: *Paravi lucernam Christo meo;* et Ioannis quinto: *Ille autem erat lucerna ardens et lucens.* Sic debent proficientes interius ardere, foris lucere, quia, secundum Bernardum [2], « ardere parum, lucere vanum ». Tales erant, quibus dictum est ab Apostolo ad Philippenses secundo: *Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitae continentes.*

Quarto debent proficientes *ut filii lucis ambu-*
De quarto. *lare calorem generando* per tepidorum inflammationem, exemplo Salvatoris, de quo Lucae duodecimo [3]: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur?* Similiter debent proficientes caritatis ignem accendere et socios inflammare; non debent propter verecundiam dimittere, quia non est verecundum, sed honorificum; Ecclesiastici vigesimo tertio: *Gloria magna est sequi Dominum.*

Quinto debent proficientes *ut filii lucis ambu-*
De quinto. *lare radios reflectendo* per afflictorum compassionem. Sic ambulavit Iob, qui de se ipso asserit Iob trigesimo [4]: *Flebam quondam super eo qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi.* Ita debent condolere afflictis quasi commiseris, quoniam, sicut habetur ab Apostolo primae ad Corinthios duodecimo, *si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.*

Sexto debent proficientes *ut filii lucis ambulare*
De sexto. *angulos adaequando* per passionis et compassionis proportionem, quia secundum quantitatem passionis debet moderari quantitas compassionis, ut gravis passionis sit gravis compassio, ut levis passionis levis
Simile. compassio. Debent (animadvertere [5]), quod in radiorum reflexione radius incidens et radius resiliens constituunt aequales angulos. Sicut autem in inflexione naturali, ita in spirituali debent anguli aequales constitui. Per angulos, qui arcti sunt et angusti, significatur angustia cordis; per radium incidentem, aspectus fraternae passionis; per radium resilientem, affectus compassionis. Tunc ergo a radio incidente et resiliente aequales anguli constituuntur, quando angustia compassionis passionis angustiae adaequatur. Sic ambulabat Propheta, quando dicebat [6]: *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.* Videbat peccatores miserabiliter morientes; et ideo deficiebat ipse misericorditer commoriendo. Non sic compatiuntur qui pro amicorum incommodo temporali sive corporali inconsolabiliter, pro spirituali vero insensibiliter afficiuntur. Debent ergo proficientes fraternae miseriae commensurare affectum misericordiae, ut possint dicere cum Apostolo secundae ad Corinthios undecimo: *Quis infirmatur, et ego non infirmor?* ubi infirmitas respondet infirmitati et compassio passioni.

III. Non solum ad primos et secundos lucis filios pertinet verbum Apostoli, sed etiam ad tertios, scilicet ad *perfectos.* Unde et istis dicendum potissime: *Ut filii lucis ambulate.* Quantum ad eos pertinere dignoscitur, lux materialiter *ambulare* videtur; ambulat enim *subito alterando, nubes fugando, rorem stillando, sensus suspendendo, stuporem incutiendo, ecstasim inducendo.* Istis sex modis debent ambulare tertii filii lucis, scilicet subito alterando per *lucidam conversationem*, nubes fugando per *mentis serenationem*, rorem stillando per *cordis devotionem*, sensus suspendendo per *caelestium contemplationem* vel speculationem, stuporem incutiendo per *divinorum operum admirationem* et ecstasim praeferendo per *mentis alienationem.*

Primo itaque debent perfecti *ambulare ut filii* De prima
lucis subito alterando per lucidam conversationem. Sic ambulare docuit Apostolus, cum dixit primae ad Timothcum quarto [7]: *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione* etc. Tales sunt viri Religiosi quantum ad habitum exteriorem, quia, sicut habetur in Psalmo, *amicti* sunt *lumine sicut vestimento.* Ipsorum enim regularia vestimenta quaedam sunt poenitentiae documenta; unde subito alterant, quoniam inspectores suos ipsius habitus exterioris inspectione informant. Sed cavent, ne quod habitus exterior Notandum
protestatur, habitus interior diffiteatur, sicut illi, de quibus secundae ad Timotheum tertio: *Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.*

Secundo debent perfecti *ut filii lucis ambulare* De second
nubes fugando per mentis serenationem. Taliter profecto ambulaverat qui confidenter dicebat secundae ad Corinthios primo [8]: *Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae.* Taliter serenatae debent esse perfectorum conscientiae, qui intra conscientias occupantur, non extra vagantur; loca enim, quae frequentantur, frequenter purgantur; unde non est mirum, si imperfectorum conscientiae sint impurae, quia nolunt eas frequentare. — Sed quid dicemus de claustralibus gyrovagis, qui libentius vagantur in diversoriis, quam quiescant in claustris? Procul dubio non videntur habere serenas conscientias, quia libentius inhabitarent eas, sicut faciebat Psalmista, cum diceret: *Benedictus Dominus, quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate*

Pars III. perfecti

De sex a bnlationi lucis.

Sex ambo tiones p fectorum.

Contra adversarios lucis.

---

[1] Psalm. 131, 17; sequitur Ioan. 5, 35.
[2] Serm. in Nativ. B. Ioan. Bapt. n. 3. — Sequitur Phil. 2, 15. seq.
[3] Vers. 49; sequitur Eccli. 23, 38.
[4] Vers. 25; sequitur I. Cor. 12, 26.
[5] Lacuna est in codice a nobis sic suppleta.
[6] Psalm. 118, 53; infra sequitur II. Cor. 11, 29.
[7] Vers. 12; sequuntur Ps. 103, 2. et II. Tim. 3, 5.
[8] Vers. 12; deinde sequitur Ps. 30, 22.

munita. — *Civitas* ista erat eius conscientia, in qua tot erant domicilia, immo praeclara palatia, quot recta consilia, quot sancta desideria, quot pia exercitia. Haec etiam civitas erat bene *munita*, quoniam ibi habitabat multitudo caelestium charismatum et virtutum. Iucundum erat Prophetae in hac civitate habitare, non curabat exterius oberrare. Unde et animam suam ab exterioribus ad interiora revocabat, dicens [1]: *Convertere, anima mea, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.* Non videntur percepisse haec divina beneficia qui non libenter quiescunt in civitate ista, quia, secundum doctrinam Senecae, « primum argumentum compositae mentis est posse secum consistere ».

Tertio debent perfecti *ut filii lucis ambulare* De tertia. *rorem stillando* per cordis devotionem. Sic ambulare desiderabat Propheta, cum ait [2]: *Adipe et pinguedine repleatur anima mea.* Sic ambulare debent viri perfecti et devotionis dulcedine impinguari, ut impleatur in eis illud propheticum: *Impinguasti in oleo caput meum.* Nec enim decet, eos habere *terram arentem*, sed *irriguam, superiori et inferiori irriguo* irrigatam, hoc est compunctionis et devotionis irrigatione. Talem terram impetravit Axam a patre, Iudicum primo, id est, talem quoque debent ipsi a *Patre luminum* [3] impetrare, alioquin videntur esse similes montibus Gelboe, de quibus legitur secundi Regum primo: *Montes Gelboe, nec ros nec pluvia veniant super vos*, quia iam non essent *montes* per eminentiam perfectionis, sed potius per tumorem praesumtionis, *nec veniret super* eos *ros* devotionis *nec pluvia* compunctionis.

Quarto debent perfecti *ut filii lucis ambulare* De quarta. *sensus suspendendo* per caelestium speculationem. De *ambulatione* ista sive suspensione habemus exemplum Iob septimo [4]: *Suspendium elegit anima mea.* Simile suspendium eligi debet a viris perfectis, ut possint dicere cum Apostolo ad Philippenses tertio: *Nostra conversatio in caelis est.* Sed quid dicetur de illis qui nec in caelis sunt per contemplationem nec in terris per actionem? Ubi ergo sunt? Sine dubio nusquam sunt; et hoc per mentis evagationem, quia, ut dicit Seneca [5], « nusquam est qui ubique est ». Ita ipsi nusquam sunt mansionarii, sed ubique vagi et profugi per fluctuantiam cordis sui.

Quinto debent perfecti *ut filii lucis ambulare* De quinta. *stuporem sustinendo* [6] per divinorum operum admirationem. Sic ambulabat et stupebat qui dicebat [7]: *Quam magnificata sunt opera tua, Domine! Nimis profundae factae sunt cogitationes tuae.* Et vere magna sunt opera illius *qui facit mirabilia magna solus.* Magna namque sunt opera creationis, sed maiora opera recreationis, sed maxima opera glorificationis. Haec debent viri perfecti assidue admirari, si volunt admiratione sublevari, sublevatione illuminari, illuminatione delectari et mirabiliter delectando ac delectabiliter admirando contemplari; alias non poterunt contemplativi realiter, sed tantum nominaliter nuncupari. — Et quid prodest nomen habere sine re? Quid valet vacare ab exercitiis exterioribus et non *gustare, quam suavis est Dominus* [8]? Quid prodest perfectionem vitae vovere et non reddere, secundum dictum Poëtae: « Pollicitis dives quilibet esse potest »; et secundum proverbium vulgare: « Promittere et non dare est stultum confortare ». Unde tales videntur Deum pro stulto habere. Contra nomine tantum contemplativos.

Sexto debent viri perfecti *ut filii lucis ambu-* De sexto. *lare ecstasim praeferendo* per mentis alienationem. Sic ambulaverunt tres discipuli, qui interfuerunt dominicae transfigurationi, de quibus Matthaei decimo septimo [9] legimus, quod *nubes lucida obumbravit eos*, quoniam raptus gratia sive alienatio ecstatica videtur esse quasi *nubes lucida*, simul obumbrans et illuminans: obumbrans quantum ad humana, illuminans quantum ad divina. Talis etiam defectio insinuatur in Psalmo: *Memor*, inquit, *fui Dei*, in quo notatur meditantis admiratio; *et delectatus sum*, in quo notatur admirantis delectatio; *et defecit spiritus meus*, in quo notatur mentis alienatio. — Ad ta- Hortatio. lem alienationem debent disponi viri perfecti per magnitudinem devotionis, admirationis et spiritualis exsultationis. Et tunc poterunt confidenter petere osculum Sponsi, dicentes cum sponsa Canticorum primo [10]: *Osculetur me osculo oris sui.* Tunc etiam poterunt *revelata facie gloriam Domini speculari* cum Apostolo, secundae ad Corinthios tertio.

Ecce, potestis manifeste videre, qualiter docet Apostolus omnes *filios lucis* spirituraliter ambulare. Sic *ambulemus, ut filii lucis sinus* et ad contemplandum *lucem inaccessibilem* [11] pervenire possimus, quod nobis concedat *lux vera, quae illuminat omnem hominem* etc.

Sermo III [12].

Sermo fratris Bonaventurae Parisius in Capitulo, mane.

Erat Iesus eiiciens daemonium, et illud erat mutum, Lucae undecimo [13].

---

[1] Psalm. 114, 7. — Sequens locus Senecae est Epist. 2.
[2] Psalm. 62, 6; sequuntur Ps. 22, 5. et Iudic. 4, 15.
[3] Iac. 1, 17; sequitur II. Reg. 1, 21.
[4] Vers. 15. Cfr. De Triplici Via, c. 2. n. 9. Sequitur Phil. 3, 20.
[5] Epist. 2. [6] Supple: quem lux incutit.
[7] Psalm. 91, 6; sequitur Ps. 135, 4.
[8] Psalm. 33, 9. — Sequitur Ovid., I. de Arte, v. 444.
[9] Vers. 5; sequitur Ps. 76, 4.
[10] Vers. 1; sequitur II. Cor. 3, 18. — De isto gradu contemplationis conferatur Bonav., II. Sent. d. 23. a. 2. q. 3. in corp. et ad 6; III. Sent. d. 23. dub. 4; Quaest. de Scientia Christi, q. 7. circa finem corp.; Collation. in Hexaëm., collat. 2. n. 28. seq.; Itinerar. mentis in Deum, c. 7; de Triplici Via, c. 3. n. 13.
[11] Epist. I. Tim. 6, 16; et deln Ioan. 1, 9.
[12] Ex A fol. 109 v. Idem sermo ex parte occurrit in Dominica quarta Quadrag. fol. 114 v., ubi in fine dicitur: *Quaere residuum in sermone tertie Dominice in Quadragesima.*
[13] Vers. 14.

Divisio.

In isto verbo duo tanguntur: primum est *operatio divinae potestatis;* secundum est *vexatio diabolicae improbitatis.* Primum, ibi: *Erat Iesus eiiciens daemonium;* secundum, ibi: *et illud erat mutum,* hoc est mutos faciens; non solum enim vexabat inferendo malum poenae, sed etiam subtrahendo sensum loquelae.

Pars I. De membro II.

I. Quoniam secundum rectum ordinem prius oportet cognoscere nocumentum quam medicamentum; ideo praenoscendum, quod daemonium habet vexare peccatorem sibi subiectum: in *exstinguendo* in eo *spiritum vitae* in peccatorum commissione; Tobiae sexto [1]: *Audivi, quia tradita est septem viris et daemonium, nomine Asmodaeus, occidit illos.* — *Pervertendo motum* sive modum *iustitiae* in peccatorum multiplicatione; Lucae octavo: *Ruptis vinculis, agebatur a daemonio in deserta.* — *Subtrahendo usum loquelae* in peccatorum celatione; Matthaei nono: *Obtulerunt ei hominem mutum, daemonium habentem.* De his simul Apocalypsis decimo sexto [2]: *Vidi de ore draconis et de ore bestiae et de ore pseudoprophetae exire tres spiritus immundos in modum ranarum. Sunt enim spiritus daemoniorum facientes signa et procedunt ad reges totius terrae.* Hoc enim triplici modo, si exerceat diabolus tam per se ipsum quam per antichristum quam per exercitum daemonum, non erit nisi super *reges terrae,* huic mundo adhaerentes tripliciter, secundum quod regnum mundi est tripartitum in *concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum et superbiam vitae.*

Daemon vexat triplic iter.

Hoc fit in 3 vitiosis.

Non igitur exeunt daemonia, nisi ut *exstinguant spiritum vitae* in lascivis; Tobiae sexto [3]: *Daemonium praevalere potest his qui coniugium ita suscipiunt, ut Deum a se et a sua mente excludant* etc. — Ut *pervertant motum iustitiae* in avaris; Apocalypsis decimo octavo [4]: *Cecidit, cecidit Babylon magna et facta est habitatio daemoniorum.* — Ut *subtrahant sensum loquelae* in superbis; primae ad Timotheum quarto: *Attendentes spiritibus erroris et doctrinis daemoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium.* Nota, quod in huiusmodi persona daemonium primo *pervertit* intellectum sive iudicium, secundo *deordinat* studium, tertio *damnificat* eloquium.

Pars II. De membro I.

II. Cum igitur daemonia his tribus generibus hominum tria inferant nocumenta, necesse est, quod Salvator et medicus, Deus Iesus, sanet per contraria medicamenta, ita quod, sicut diabolus per spiritum malignum tripliciter vexat, per Spiritum sanctum tripliciter sanat, secundum quod hodie in Evangelio legitur [5]: *Si in digito Dei eiicio daemonia, profecto pervenit in vos regnum Dei.* Iste enim est *digitus* ille triplex tripliciter *sustentans Ecclesiam;* Isaiae quadragesimo: *Quis appendit tribus digitis molem terrae?* — Qui etiam *descripsit Legem,* Exodi trigesimo primo. Primus est spiritus *detestandi malum,* secundus *diligendi bonum,* tertius *discernendi verum;* per quae tria habent eiici et repelli daemonum nocumenta, et ad quae tria ordinatur Lex tota, et per quae tria stabilitur Ecclesia tota, et per quae omnis institia consummatur.

Iesus sanat tripliciter.

Spiritus t plex oper tur tres e fectus.

Spiritus autem *detestandi malum* operatur severitatem compunctionis, per quam eiicitur daemonium lasciviae; Tobiae sexto [6]: *Cordis eius particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus daemoniorum.* — Spiritus *diligendi bonum* operatur suavitatem devotionis, per quam eiicitur daemonium avaritiae; Matthaei decimo septimo: *Hoc genus non eiicitur nisi per orationem et ieiunium.* — Spiritus *discernendi verum* operatur simplicitatem confessionis, per quam eiicitur daemonium superbiae; Matthaei nono: *Eiecto daemonio, locutus est mutus* etc.; Marci ultimo: *In nomine meo daemonia eiicient, linguis loquentur novis.*

Sermo IV [7].

Sermo fratris Bonaventurae, Romae.

Tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis, ad Ephesios quinto [8].

Divisio.

Apostolus in his verbis circa Christum pro nobis damnatum et in ara crucis immolatum ad aedificationem fidelium duo ponit, scilicet *ardorem* intimae *caritatis,* quem habuit, et *honorem* gratificae *acceptationis,* quem a Patre percepit. Primum, ibi: *Tradidit semetipsum;* secundum, ibi: *in odorem suavitatis.*

Octo odores

Circa totum nota, quod Christus-homo odorem suavitatis emanavit Deo Patri et mundo toti in omni decursu actionum et temporum suorum. Nam ut perfecte mundum totum odore ex se emanante respergeret et per hanc viam omnes animas attraheret et suspenderet, emanavit de se octo odores summe fragrantes, scilicet *odorem agri pleni* in incarnatione tam in utero Matris quam [9] ..... Genesis vigesimo septimo [10]: *Ecce, odor filii mei sicut odor agri pleni* etc. — *Odorem incensi* in conversatione; Osee ultimo: *Quasi oliva gloria eius, et odor eius ut Libani,* id est indeficiens. — *Odorem balsami* in praedicatione; Ecclesiastici vigesimo quarto: *Quasi balsamum non mixtum odor meus.* — *Odorem cinnamomi* in oratione; Ecclesiastici vigesimo quarto [11]: *In plateis quasi cinnamomum aromatizans odorem*

---

[1] Vers. 14. et c. 3, 8; sequuntur Luc. 8, 29. et Matth. 9, 32.
[2] Vers. 13. seq.; sequitur I. Ioan. 2, 16.
[3] Vers. 16. seq. [4] Vers. 2; sequitur I. Tim. 4, 1. seq.
[5] Luc. 11, 20; sequuntur Isai. 40, 12. et Exod. 31, 18: *Duas tabulas testimonii lapideas, scriptas digito Dei.*
[6] Vers. 8; sequuntur Matth. 17, 20. ac c. 9, 33. et Marc. 16, 17.
[7] Ex A fol. 110 v.
[8] Vers. 2. (ex Epist. huius III. Dominicae).
[9] Hic est lacuna in codice.
[10] Vers. 27; sequuntur Osee 14, 7. et Eccli. 24, 21.
[11] Vers. 20; Vulgata ponit verba *in plateis* ad versum praecedentem.

dedi. — *Odorem unguenti* in passione; Ioannis duodecimo [1]: *Domus impleta est ex odore unguenti.* — *Odorem lilii* in resurrectione; Canticorum secundo: *Ego flos campi et lilium convallium;* Ecclesiastici trigesimo nono: *Quasi lilium date odorem.* — *Odorem rosae* in ascensione; Ecclesiastici quinquagesimo [2]: *Quasi flos rosarum* etc., *et quasi thus redolens* etc. — *Odorem vineae* sive vitis in Spiritus sancti missione; Canticorum secundo: *Vinea nostra floruit;* et: *Vineae florentes dederunt odorem suum;* Canticorum septimo [3].

Septem proprietates in lilii lucis.

Sermo V [4].

Sermo fratris Bonaventurae in domo Fratrum, Lugduni.

Ut filii lucis ambulate [5]. Duo facit hic Apo-
Divisio. stolus: primo hortatur ad *sapientialium actuum* et gestuum *claritatem;* secundo, ad omnis *boni sedulitatem.* Primum, ibi: *Ut filii lucis;* secundum, ibi: *ambulate.*

Circa totum nota, quod ad hoc, quod ambulemus digne et fructifice, debemus ad similitudinem materialis lucis esse *filii lucis,* id est in sancta luce esse: *gloriosi* per eminentiam conversationis pretiosae; nam sicut lux excellit omnia corpora, sic nos debemus alia hominum genera excellere; Isaiae sexagesimo [6]: *Surge, illuminare, Ierusalem* etc. — *Splendidi* per refulgentiam claritatis sapientiae; Matthaei quinto: *Vos estis lux mundi* etc. — *Deliciosi* per affluentiam suavitatis aeternae; Ecclesiastae undecimo: *Dulce lumen, et delectabile est oculis videre solem.* — *Alti* per impermixtionem omnis contrarietatis culpae; Genesis primo [7]: *Fiant luminaria in firmamento caeli et dividant diem ac noctem, ut luceant in firmamento caeli et illuminent terram.* — *Largiflui* per condescensionem pietatis Christi; Isaiae trigesimo: *Erit lux lunae sicut lux solis, et lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum.* — *Incorrupti* per aeternitatem sancti propositi; Ecclesiastici vigesimo quarto: *Ego feci in caelis, ut oriretur lumen indeficiens.* — *Inclyti* [8] per victoriositatem triformis unionis; Esther undecimo [9]: *Lux et sol ortus est, et humiles exaltati sunt et devoraverunt inclytos.*

DOMINICA QUARTA IN QUADRAGESIMA.

Sermo I [10].

Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quae faciebat super his qui infirmabantur, Ioannis sexto [11].

Prothema. *Spiritus Domini super me, eo quod*
Introductio. *unxerit Dominus me, ad annuntiandum mansuetis misit me* etc. In verbo secundo loco proposito, quod est sumtum ex Isaiae sexagesimo primo, sufficienter describitur, qualis debeat esse praedicator, quia primo debet esse *unctus gratia;* secundo debet esse *institutus ex mera obedientia;* tertio debet esse *inflammatus fraterna benevolentia.* Per primum ordinatur praedicator ad se ipsum, per secundum ad Deum, per tertium ad proximum. Primo ergo debet esse praedicator *unctus* superna gratia; et hoc describitur, cum praemittitur: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me.* Unctio enim supernae gratiae est necessaria ad reserationem divinae Scripturae; in cuius testimonium Prophetae ungebantur. Secundo debet esse *institutus* ex mera obedientia, quod notatur, cum subditur: *misit me.* Tertio debet esse *inflammatus* fraterna benevolentia; et hoc notatur, cum subinfertur: *ad evangelizandum mansuetis.* Propter hoc, carissimi, ante omnia rogemus Dominum, ut ipse dignetur me *iungere* superna gratia, *inflammare* fraterna benevolentia, ut sic, mediante vera obedientia, possim aliqua proferre in medium, quae sint ad laudem Dei et aedificationem proximi et augmentationem meriti mei. Amen.

Sequebatur eum multitudo magna etc.

Quoniam maioris laesionis est infirmitas mentis Sermo.
quam corporis; ideo in hodierno Evangelio exemplo multitudinis Christum sequentis per desertum propter signa sanitatis, quae videbant super infirmos fieri corporaliter, informantur omnes spiritualiter infirmi sequi Christum per desertum asperitatis et poenitentiae, ut ab eorum infirmitatibus liberentur. Sed quia prius est ad medicum recurrere, deinde morbum ostendere et postea curationem recipere; ideo ad hoc, ut ordinate procedamus, possumus dicere, quod in verbis istis primo notatur *iustitiae et san-* Divisio
ctitatis inchoatio; secundo, *humanae calamitatis designatio;* tertio, *divinae bonitatis ostensio.* Primo ergo notatur iustitiae et sanctitatis *inchoatio,* cum dicit: *Sequebatur eum multitudo magna;* secundo,

---

[1] Vers. 3; sequuntur Cant. 2, 1. et Eccli. 39, 19: *Florete, flores, quasi lilium et date odorem.*

[2] Vers. 8; sequitur Cant. 2, 15. 13.

[3] Ubi in versu octavo habetur: *Odor oris tui sicut malorum;* et v. 13: *Mandragorae dederunt odorem.*

[4] Ex A fol. 111 r. [5] Eph. 5, 8.

[6] Vers. 1; sequuntur Matth. 5, 14. et Eccle. 11, 7.

[7] Vers. 14. seq.; sequuntur Isai. 30, 26. et Eccli. 24, 6.

[8] Codex habet *inclusi per victoriositatem triformis unionis,* qui locus corruptus esse videtur.

[9] Vers. 11.

[10] Habetur in Vaticana et C D E F et in cod. Tudertino n. 104. fol. 130 v., qui tamen in pluribus differt.

[11] Vers. 2. — Prothema ex C habetur Isai. 61, 1. Cfr. Luc. 4, 18. et Comment. S. Bonaventurae in Lucam, Prooemium n. 3. seqq., ubi eadem est membrorum divisio.

humanae calamitatis *designatio*, cum subdit: *super his qui infirmabantur;* tertio, divinae bonitatis *ostensio*, cum subinfert: *quia videbant signa, quae faciebat.*

I. Dicit ergo: *Sequebatur eum multitudo magna,*

Pars I. ubi notatur *iustitiae et sanctitatis inchoatio.* Ille enim est verus inchoator iustitiae et sanctitatis, qui

Subdivisio. Christum sequitur primo, in voluntaria *despectione* terrenae cupiditatis; secundo, in vera *deiectione* profundae humilitatis; tertio, in continua *maceratione* propriae carnis.

Primo, de despectione cupiditatis. Primo, ille est verus inchoator iustitiae et sanctitatis, qui Christum sequitur in voluntaria *despectione terrenae cupiditatis;* unde dicitur Lucae nono [1]: *Dixit quidam ad illum: Sequar te, quocumque ieris. Dixit illi Iesus: Vulpes foveas habent, et volucres caeli nidos; Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* — Quia iste volebat sequi Christum ad hoc, ut ditaretur et honoraretur; ideo vocavit eum Dominus *vulpem habentem* terrenam *foveam* cupiditatis, *et volucrem habentem* aëreum *nidum* vanae gloriae et ambitionis, et propter hoc non poterat sequi Christum, qui erat pauperrimus et humillimus. Unde de beato Matthaeo dicitur Matthaei nono [2]: *Vidit hominem sedentem in telonio, Matthaeum nomine. Et ait illi: Sequere me; et surgens, secutus est eum.* — Beatus Matthaeus pro statu suo significare potest hominem avarum, qui *sedet in telonio*, terrenae cupiditatis, cui dicitur a Christo: *Sequere me,* per despectionem terrenae cupiditatis; et *surgens*, a pulvere cupiditatis, *secutus est eum,* per amplexum sanctissimae paupertatis in affectu sive in effectu, secundum illud Psalmi: *Divitiae si affluant, nolite cor apponere.*

Secundo, ille est verus inchoator iustitiae et sanctitatis, qui sequitur Christum in vera *deiectione profundae humilitatis;* et de hoc potest intelligi illud verbum Iacob, Genesis trigesimo tertio [3]: *Praecedat dominus meus ante servum suum, et ego sequar vestigia eius.* — Verbum illud *Iacob,* qui interpretatur supplantator, potest esse verbum cuiuslibet hominis [4] supplantantis diabolum per humilitatem, dicentis ad Christum: *Praecedat Dominus meus,* per voluntariam abiectionem profundae humilitatis, *et ego,* servus tuus, *sequar,* cum timore filialis reverentiae, *vestigia* tua; *vestigia*, inquam, non sublimitatis potentiae, quia praesumtuosum est, eo quod sunt adoranda, non imitanda; non profunditatis sapientiae, quia curiosum, quoniam non sunt scrutanda et imitanda, sed admiranda; sed vestigia profundae humilitatis, quia gloriosum est, eo quod in talibus *gloria magna est sequi Dominum.*

Secundo, de deiectione humilitatis.

Tertio, de maceratione carnis. Tertio, ille est verus inchoator iustitiae et sanctitatis, qui Christum sequitur in continua *macera-*

tione propriae carnis; unde dicitur Matthaei decimo [5]: *Qui non accipit crucem suam et sequitur me non est me dignus. Qui invenit animam suam perdet illam, et qui perdiderit animam suam propter me inveniet eam.* — Ecce, quod Christus, *Rex regum,* statuit decretum, quod nullus possit eum videre, nisi sit secum crucifixus. Et hoc decretum est tantae generalitatis, ut nullus excipiatur; tantae autem necessitatis, ut cum nullo dispensetur; sed quilibet tenetur accipere crucem *mortificationis in* suo *corpore, ut et vita* Domini *Iesu in corpore,* suo per imitationem, *manifestetur,* alioquin non est dignus sequi cum ad coronam sine vexillo victoriae. Unde post exhortationem subiungit retributionem, cum subdit: *Qui invenit animam suam perdet eam,* id est, qui patibulum mortificationis crucis negligit assumere exspectet suae exterminationis iudicium; sed *qui perdit animam suam propter me inveniet eam,* id est, qui *carnem suam crucifigit cum vitiis et concupiscentiis* [6], assumendo vexillum victoriae, exspectet suae coronationis praemium.

II. Sequitur: *super his qui infirmabantur,* ubi Pars II. secundo notatur *humanae calamitatis designatio.* Et quia tunc temporis infirmitas exterior erat signum infirmitatis interioris; nam nullum curavit Dominus corporaliter exterius, quem prius non curaret spiritualiter; ideo nomine *infirmitatis corporalis* potest designari calamitas sive infirmitas spiritualis propter aliquam convenientiam, quam habent ad invicem. Nam sicut inaequalitas humorum est causa infirmitatis corporalis, sic infirmitas spiritualis causatur ex inaequalitate sive inordinatione quatuor affectionum, quae sunt hae, scilicet spes, timor, gaudium et amor. Primo propter pusillanimitatem timoris et diffidentiae Subdivisio. causatur infirmitas *inconstantiae* et desperationis; secundo propter gaudium et exsultationem afflictionis alienae causatur infirmitas *invidiae* et rancoris; tertio propter inordinatum amorem prosperitatis mundanae causatur infirmitas *avaritiae* et cumulationis.

Primo propter pusillanimitatem timoris et diffi- Primo, de incoestantia et desperatione. dentiae causatur infirmitas *inconstantiae et desperationis;* unde dicitur Deuteronomii trigesimo secundo [7]: *Videbit, quod infirmata sit manus, et clausi quoque defecerunt, residuique consumti sunt.* — *Infirmata* est *manus,* virtuosae operationis; *defecerunt clausi,* in carcere diffidentiae et desperationis; *residuique consumti sunt,* per ardentissimam diffusionem super quaeque genera peccatorum. Sed de illis qui liberantur ab illa infirmitate, potest exponi illud primi Regum secundo: *Arcus fortium superatus est, et infirmi accincti sunt robore. — Arcus fortium,* id est daemonum; multum enim nituntur daemones cum isto arcu diffidentiae et desperationis

[1] Vers. 57.
[2] Vers. 9; sequitur Ps. 61, 11.
[3] Vers. 14.
[4] Ita C; in aliis *humilis.* — Deinde sequitur Eccli. 23, 38.
[5] Vers. 38. seq.; sequuntur Apoc. 19, 16. et II. Cor. 4, 10.
[6] Gal. 5, 24.
[7] Vers. 36; sequuntur I. Reg. 2, 4. et Ps. 26, 2. seq.

sagittare timidos et imbecilles homines; sed quando *superatus est arcus* ille per consideriationem divinae benignitatis, quae parcit faciliter, *infirmi* resumunt vires et *accinguntur robore,* constantiae et confidentiae. Et de hoc dicitur in Psalmo: *Ipsi infirmati sunt,* per timorem diffidentiae et desperationis; *et ceciderunt,* in profundum aeternae damnationis. Sed *si consistant adversus me,* confidentem in Domino, *castra,* diabolicae nequitiae incutiendo timorem desperationis; *non timebit cor meum,* per pusillanimitatem timoris.

Secundo propter gaudium et exsultationem afSecundo, de invidia et ancore. flictionis alienae causatur infirmitas *invidiae et rancoris;* unde dicitur secundi Paralipomenon decimo sexto [1]: *Aegrotavit Asa dolore pedum vehementissimo, et nec in infirmitate sua quaesivit Dominum.* — *Asa* ratione suae infirmitatis, scilicet podagrae, potest significare hominem invidum. Nam, sicut podagricus perdit gressum corporalem, sic invidus profectum spiritualem; *nec in infirmitate sua* invidus requirit *Dominum* propter difformitatem snae voluntatis ad divinam. De hoc similiter dicitur secundi Paralipomenon vigesimo primo: *Tu autem aegrotabis pessimo languore uteri tui, donec egrediantur vitalia tua paulatim per singulos dies;* et sequitur: *Mortuus est in infirmitate pessima.* — Invidus tanto languore livoris tabescit et torquetur unde bonus proficit, ut videantur sibi viscera de suo ventre exire; et sic *moritur in infirmitate pessima,* propter foetidam putrefactionem totius hominis; nam *putredo ossium* est *invidia.*

Tertio, de inordinatum amorem prosperitaTertio propter inordinatum amorem prosperitatis mundanae causatur infirmitas *avaritiae et cumulationis;* unde dicitur Deuteronomii vigesimo nono [2]: *Peregrini, qui de longe venerint, videntes plagas terrae illius et infirmitates, quibus eam afflixerit Dominus, sulphure et solis* [3] *ardore comburens, ita ut ultra non seratur, nec virens quidpiam germinet.* — Et quia avaritia reddit hominem aridum et adustum in corde, foetidum et odiosum in conversatione et aridum et infructuosum in opere, quia sine compassione; ideo dicitur avarus *affligi sulphure,* foetoris, *et ardore solis,* ad modum terrae aridae et combustae; *ita ut non seratur,* quia nec prius saturabitur cor avari auro, quam saturetur vento [4]; et ideo nunquam sistit appetitus, quia nunquam invenit soliditatem, sed potius vanitatem in prosperitate mundana. *Videntes* autem *peregrini,* qui *non habent hic manentem civitatem, sed futuram inquirunt* [5], *plagas, quibus afflictus est* avarus, exemplo didicerunt omnia despicere propter amorem Dei.

Pars III. III. Ultimo notatur *divinae bonitatis ostensio,* cum dicit: *quia videbant signa, quae faciebat.* Licet ostendatur divina bonitas per multa signa, tamen quantum ad praesens potest dici, quod ostenditur divina bonitas per tria signa, quae fecit super triplicem praedictam infirmitatem [6]. Nam primo fecit si- Subdivisio.
gnum *pietatis* et clementiae in gratuita condonatione omnimodae iniquitatis contra infirmitatem *diffidentiae;* secundo fecit signum *caritatis* et benevolentiae in caritativa exhibitione propriae carnis contra infirmitatem rancoris et *invidiae;* tertio fecit signum *paupertatis* et inopiae in voluntaria despectione mundanae prosperitatis contra infirmitatem *avaritiae.*

Primo fecit signum *pietatis* et clementiae in Primo, de signo pietatis.
gratuita condonatione omnimodae iniquitatis; unde dicitur in Psalmo [7]: *Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, et confundantur; quoniam tu, Domine, adiuvisti me et consolatus es me.* — *Fac mecum signum,* pietatis et misericordiae, *in bonum,* salutis aeternae; *ut videant,* daemones, *qui oderunt me,* propter rigorem severitatis iustitiae; *et confundantur,* propter constantiam severitatis humanae; *quoniam tu, Domine, adiuvisti me,* per collationem corroborantis gratiae; *et consolatus es me,* per condonationem iniquitatis meae. De hoc similiter potest exponi illud Ieremiae quinquagesimo: *Annuntiate in gentibus et auditum facite. Levate signum, praedicate et nolite celare.* — Praedicatores, et maxime praelati et sacerdotes, debent *praedicare,* verbo, et *levare,* facto, illud *signum,* divinae misericordiae in condonatione delictorum; *nec* debent illud *celare,* vendendo liberalem Dei misericordiam pretio temporali, ut sic peccatores, experti dulcedinem divinae misericordiae, *annuntient et auditum faciant,* timentibus rigorem severitatis iustitiae, quoniam pronior est Deus ad miserendum quam ad condemnandum; nam eius *misericordia superexaltat iudicium,* ut dicitur Iacobi secundo. Unde Augustinus in libro de Anima [8]: « Tardius siquidem Deo videtur peccatori veniam dare, quam ipsi peccatori accipere; sic enim festinat absolvere reum a tormento conscientiae snae, quasi plus ipsum cruciet compassio miseri quam ipsum miserum compassio sui ». Hortatio.

Secundo fecit signum *caritatis* et benevolentiae Secundo, de signo caritatis.
in caritativa exhibitione propriae carnis contra infirmitatem invidiae; unde dicitur Canticorum octavo [9]: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum; quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio.* — Licet *magnum* signum caritatis et benevolentiae fecerit Filius Dei in incarnatione, dando se in fratrem humani generis naturam assumendo; *maius* in passione, dando se in pretium nostrae redemptionis poenam sustinendo; *maximum* tamen signum dilectionis

[1] Vers. 12; deinde sequuntur c. 21, 15. 19. et Prov. 14, 30.
[2] Vers. 22. seq.
[3] Ita secundum aliam lectionem; Vulgata legit *salis.*
[4] Cod. D adiungit: *bufo terra, quam saturetur vaneloriosus vento.*
[5] Hebr. 13, 14.
[6] Vaticana *proprietatem.* — In C D membra divisionis transponuntur.
[7] Psalm. 85, 17; sequuntur Ier. 50, 2. et Iac. 2, 13; textus Iacobi additus est ex D F.
[8] Scilicet de Spiritu et anima (inter opera August.), c. 6.
[9] Vers 6.

fuit, cum proprium corpus tradidit homini in cibum refectionis. Nam in aliis duobus modis est quaedam separatio et divisio inter dantem et datum, sed isto modo est mirabilis unio inter cibatum et cibum et conversio unius in alterum, ut dicit Augustinus [1]. Et ratione istius unionis dicit Christus animae gustanti dulcedinem Sacramenti eucharistiae et amoris: *Pone me ut signaculum*, caritatis et benevolentiae, *super cor tuum*, quod est in medio hominis, propter unionem intimam cibi et cibantis et conversionem cibati ad cibum; *ut signaculum super brachium tuum*, propter ostensionem virtuosae operationis; « nam probatio dilectionis exhibitio est operis [2] »; *quia fortis est ut mors dilectio*, quae me duxit per angustias tribulationis temporalis toto tempore vitae meae et ad ultimum traxit me ad crudele supplicium crucis; *dura sicut infernus aemulatio*, mei Patris aeterni, qui, postquam Filium habuit incarnatum, ad mortem duci permisit et resuscitavit pro nobis *gloria et honore coronatum*, *et*, sublimatum super caelos, *eum constituit* [3] nobis adiutorem viatorum et beatificatorem comprehensorum.

Tertio fecit signum *paupertatis* et inopiae in voluntaria despectione mundanae prosperitatis contra infirmitatem avaritiae; unde dicitur Lucae secundo [4]: *Et hoc vobis signum: Invenietis infantem pannis involutum et positum in praesepio. — Hoc* erit *vobis signum*, paupertatis et penuriae, quia *invenietis*, Filium Dei in quantum hominem, *pannis involutum*, necessitatis et indigentiae, non purpura superfluitatis et iactantiae; *et positum* in humili et aspero *praesepio*, voluntariae abiectionis, non in lecto serico pomposae ostentationis. Unde Bernardus [5]: « Tempus elegit quod molestius est, praesertim parvulo et pauperis matris filio, quae vix pannos habebat ad involvendum, praesepe ad reclinandum. Et certe, cum esset tanta necessitas, nullam audio pellium fieri mentionem. Non est tale iudicium mundi; aut iste fallitur, aut mundus errat. Sed divinam falli impossibile est sapientiam ». Ergo mundus errat. Rogemus etc.

Tertio, de signo paupertatis.

Sermo II [6].

Dominica de *Lactare, Ierusalem*. Sermo fratris Bonaventurae apud Castrum Plebis coram populo, praesente provinciali totius Thusciae.

Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos et duos pisces [7].

Circa animam cum Deo suo convivare volentem moraliter notantur quatuor, scilicet *innocentia* conversationis in nomine *pueri; simplicitas* intentionis in nomine *unius; suavitas* devotionis in nomine *panis; satietas* refectionis in nomine *piscium*. Vel nota tria, scilicet *puritas* unica in nomine *pueri unius; multiformitas* gratiosa in nomine *quinque panum; suavitas* consummativa in nomine *duorum piscium* [8]. Divisio.

Circa hoc nota primo, quod quinque panes, quos habet puritas unica in nomine sive innocentia conversationis et intentionis, et panes, quos omnem puerum Iesu Christi habere decet, sunt hi, scilicet panis *eruditionis* salutiferae; haec est doctrina sacra, non philosophica; Ecclesiastici decimo quinto [9]: *Cibabit illum pane vitae et intellectus et aqua sapientiae salutaris potabit illum. — Compunctionis* amarae; haec est contritio vera, non simulata; Psalmus: *Cinerem tanquam panem manducabam. — Orationis* devotae; haec est ascensio interna [10], non terrena; tertii Regum decimo nono: *Ecce, ad caput* Eliae *subcinericius panis et vas aquae. — Perfectionis* evangelicae; haec est consummatio sancta, non mundana; Tobiae quarto [11]: *Panem tuum et vinum tuum super sepulturam iusti constitue*, ut usque ad mortem Christum imiteris in omnibus. — *Refectionis* divinae; haec est cibatio sanctae eucharistiae, non animalis escae; Ioannis sexto: *Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi* etc. *Si quis manducaverit ex hoc pane* etc. — Primus panis frangitur solum sapientiam christianam amplectentibus; secundus, solum poenitentiam integram anhelantibus; tertius, solum gratiam [12] divinam desiderantibus; quartus, solum vitam apostolicam imitari volentibus; quintus, solum eucharistiam sacram digne sumentibus. — *Duo pisces* horum quinque panum sunt: *fides Divinitatis* et *fides humanitatis*, qui quidem quasi duo pisces condiunt omnem cibum nostrum spiritualem. Prima explicatio quinque panum.

Vel possumus dicere, quod *quinque panes*, hi sunt quinque refectiones affectus, quae ortum habent ex quinque considerationibus intellectus. Nam ex consideratione: proprii *peccati* oritur panis compunctionis; Psalmus [13]: *Cibabis nos pane lacrymarum. — Passionis Christi* oritur panis afflictionis; Deuteronomii decimo sexto: *Septem diebus comedes absque fermento afflictionis panem. — Defectus fratrum* oritur panis compassionis; Ecclesiastae undecimo: *Mitte panem tuum super transeuntes aquas. — Divini iudicii* oritur panis timoris; Tobiae secundo [14]: Secunda explicatio quinque panum.

---

[1] Lib. VII. Confess. c. 10. n. 16: « Nec tu me in te mutabis sicut cibum carnis tuae, sed tu mutaberis in me ».

[2] Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 30. n. 1.

[3] Psalm. 8, 5. 6.

[4] Vers. 12.

[5] Serm. 3. in Nativ. Dom. n. 1.

[6] Ex A fol. 104 v. et B fol. 36, qui quaedam transponit et addit.

[7] Ioan. 6, 9.

[8] Cod. B hic addit: Ideo cum Andrea accedamus ad quinque panes nostros morales, quibus Christus nos pascit per misericordiam suam, ut ex eorum consideratione magis animemur ad pastum et ex eorum fractione reficiamur odore et gustu.

[9] Vers. 3; sequitur Ps. 101, 10.

[10] Cod. B habet *in terra*. — Sequitur III. Reg. 19, 6.

[11] Vers. 18; sequitur Ioan. 6, 41. 52.

[12] Cod. A legit *gloriam*.

[13] Psalm. 79, 6; sequuntur Deut. 16, 3. et Eccle. 11, 1.

[14] Vers. 5; sequitur Ps. 41, 4.

Manducavit panem cum luctu et tremore. — *Dilationis praemii* oritur panis devotionis; Psalmus: *Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus* [1]? — *Duo pisces* horum panum sunt *contemptus* praesentium et *spes* futurorum.

tis explicatio quinque panum.

Vel *quinque panes* apud servum Dei, secundum beatum Bernardum, sunt hi, scilicet *vilitas* vestium, *maturitas* sensuum, *frugalitas* ciborum, *irreprehensibilitas* verborum et sermonum, *pietas* exercitiorum. — *Duo pisces* horum, scilicet *lectio* et *oratio* [2].

n, quarta.

Vel possumus dicere, quinque panes sunt: *speculatio* radiosa, *affectio* ignita, *collatio* sacra, *aemulatio* sancta, *transformatio* pia. — *Duo pisces* horum panum sunt divini nominis *reverentia*, spiritualis *laetitia*.

a, quinta.

Item possumus dicere, quod *quinque panes* evangelici sunt hi, scilicet *gratia* emundans, *veritas* illuminans, *laetitia* refocillans, *virtus* fecundans, *religio* pulcrificans. — *Duo pisces* horum sunt *pulcritudo charismatum, deiformitas virtutum*.

m, sexta.

Vel dicitur, quod *quinque panes* evangelici sunt: *conscientia* pura, *vita* recta, *fama* bona, *intelligentia* vera, *doctrina* sana; qui quinque panes designantur in rosa aurea, quam portat hodie domnus Papa, quae quidem est *recta* in stipite, *pulcra* in frondium venustate, *rutilans* in auri claritate, *odorifera* in musci suavitate, *confortativa* in balsami virtuositate. — *Duo pisces* sunt *speculatio* aeternorum et *degustatio* divinorum.

em, septima.

Vel possumus dicere, quod *quinque panes* evangelici sunt: *paupertatis* spiritus, *humilitatis* sensus, *pietatis* affectus, *puritatis* progressus, *honestatis* habitus. — *Duo pisces* horum sunt *affectus* Christum imitandi, *desiderium* ad eum perveniendi.

uinque coniungentes ad beatum 5 panes.

Sed sciendum, quod qui vult habere hos panes simul, oportet, eum esse *unum*, id est unicum *veritate* intellectuum sacrorum; Isaiae quinquagesimo primo [3]: *Unum vocavi eum*, id est ad unum radium veritatis. — *Integritate* sensuum singulorum; Canticorum quarto: *Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum et in uno crine colli tui.* — *Pietate* affectuum sanctorum; Actuum quarto: *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una.* — *Religiositate* actuum arduorum; Ecclesiastae septimo [4]: *Virum de mille unum reperi.* — *Suavitate* gustuum divinorum; Ioannis decimo septimo: *Ut sint consummati in unum; et cognoscat mundus* etc.

Aliae quinque.

Oportet, eum etiam esse *puerum* per *humilitatem* obedientiae; primi Regum tertio [5]: *Puer Samuel ministrabat Domino coram Heli.* — Per *simplicitatem* innocentiae; Lucae decimo octavo: *Sinite pueros venire ad me* etc. — Per *sinceritatem* benevolentiae; Isaiae quadragesimo secundo: *Ecce, puer meus* etc. — Per *integritatem* munditiae; Proverbiorum vigesimo [6]: *Ex studiis suis intelligitur puer, si munda et recta sint opera eius.* — Per *serenitatem* totius animae; Ieremiae trigesimo primo: *Ephraim, si puer delicatus* etc.

Sermo III [7].

Item, sermo fratris Bonaventurae apud Perusium, praesente ibi Curia.

Illa autem quae sursum est Ierusalem libera est, quae est mater nostra, ad Galatas quarto [8].

In verbis his ad aedificationem nostram commendat Apostolus Ierusalem supernam: primo, a *sublimitate* superexcellentis gloriae, cum dicit: *Illa quae sursum est Ierusalem;* secundo, a *felicitate* supersplendentis sapientiae, cum subdit: *libera est*, ab omni velamine; tertio, a *viscerositate* gratiae affluentis clementiae, cum addit: *quae est mater nostra* etc.

Divisio.

Pars I.

I. Circa primum nota, quod civitas, Ierusalem superna, est: *gloriosa* tentione principalis originis; ad Hebraeos duodecimo [9]: *Civitatem Dei viventis, Ierusalem caelestem.* — *Speciosa* visione fontalis luminis; Apocalypsis vigesimo primo: Vidi *Ierusalem habentem claritatem Dei.* — *Deliciosa* fruitione abyssalis dulcedinis; Tobiae decimo tertio [10]: *Portae Ierusalem* etc., *et per vicos eius alleluia cantabitur.* — *Opulenta* plenitudine universalis consolationis et laudis; Isaiae trigesimo tertio: *Oculi tui videbunt Ierusalem, habitationem opulentam* etc.

Huius civitatis 4 proprietates.

Dicitur surgere ob 4 rationes.

Illa, inquam, dicitur *esse sursum*: ad *venerandum* omnipotentialia numina (?); ad Colossenses tertio [11]: *Quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens.* — Ad *contemplandum* sapientialia specula; Proverbiorum vigesimo quinto: *Caelum sursum et terra deorsum.* — Ad *possidendum* sempiternalia gaudia; ad Colossenses tertio: *Quae sursum sunt sapite.* — Ad *extollendum* divina magnalia; Psalmus [12]: *Deus noster in caelo, sursum in caelo et in terra.*

Pars II. Cur dicatur libera.

II. Secundum aliam litteram circa secundum nota, quod Ierusalem superna dicitur *esse libera*

[1] Cfr. tom. VI. pag. 319, n. 11, ubi quoad quinque panes eadem membra divisionis et iidem loci habentur.

[2] Hoc et praecedens membrum desunt in B. — Locum Bernardi non invenimus.

[3] Vers. 2; sequuntur Cant. 4, 9. et Act. 4, 32.

[4] Vers. 29; sequitur Ioan. 17, 23. — Pro *suavitate gustuum* A habet *sedulitate gestuum*.

[5] Vers. 1; sequuntur Luc. 18, 16. et Isai. 42, 1, ubi Vulgata legit: *Ecce, servus meus.*

[6] Vers. 11; sequitur Ier. 31, 20.

[7] Ex A fol. 112 v.

[8] Vers. 26, sumtus ex Epistola huius Dominicae.

[9] Vers. 22; sequitur Apoc. 21, 10. seq.

[10] Vers. 21. seq. et deinde Isai. 33, 20.

[11] Vers. 1; sequuntur Prov. 25, 3. et col. 3, 2.

[12] Psalm. 113, 11; ita secundum aliam lectionem; Vulgata: *Deus autem noster in caelo, omnia quaecunque voluit fecit.*

propter nobilem illum volatum et praecordialem impetum, quo Angeli et animae sanctae vera libertate feruntur in Deum; nam feruntur in eum Seraphim et Apostoli ut in fornacem amoris, Cherubim et Doctores summi ut in fontem splendoris, Throni et et Confessores supremi ut in pelagum voluptatis, Dominationes et Martyres ut in dominatorem et creatorem universitatis, Principatus et episcopi summi et alii praelati ut in gubernatorem machinae mundialis, Potestates et Patriarchae et reges mundi ut in Remuneratorem creaturae rationalis, Virtutes et Virgines ut in conservatorem creaturae caelestis et subcaelestis, Archangeli et Prophetae et praedicatores ut in dispensatorem consiliorum suorum, Angeli et ceteri spirituales servi ut in distributorem officiorum et donorum.

Vel dicitur *libera* civitas superna, quia *fervida* in Seraphim et Apostolis, *limpida* in Cherubim et Doctoribus, *solida* in Thronis et Confessoribus, *vivida* in Dominationibus et Martyribus, *valida* in Virtutibus et Virginibus, *prompta* in Potestatibus et mundi rectoribus, *provida* in Principatibus et pontificibus et pastoribus, *secreta* in Archangelis et Prophetis et praedicatoribus, *officiosa* in Angelis et electis Dei spiritualibus.

Eadem ratio aliter exposita.

III. Circa tertium nota, quod civitas superna dicitur *mater nostra* intercessive, exemplariter, consortive [1] et radicative, condescensive et quietative, quia nos genuit: in Patriarchis fide vera, in Prophetis spe ardua, in regibus in liberalitate superna, in Apostolis in caritate flammea, in Martyribus in magnanimitate virtuosa, in Pontificibus in pietate emerita, in Doctoribus in veritate aeterna, in Confessoribus in humilitate interna, in Virginibus in castitate intemerata.

Pars III. Dicitur mater nostra ob 9 rationes.

SERMO IV [2].

Item, sermo fratris Bonaventurae Romae, in provinciali Capitulo.

Illa quae sursum est Ierusalem libera est, quae est mater nostra, ad Galatas quarto [3].

Notandum secundum Glossam [4] et secundum allegoricum intellectum, quem videtur habere Apostolus in his verbis, quod Ecclesia militans sive praesens dicitur *esse sursum* tanquam altera Ierusalem comparatione synagogae: *contemplatione* serena; ad Colossenses tertio [5]: *Quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens. — Conversatione* praeclara; ad Philippenses tertio: *Nostra autem conversatio in caelis est. — Devotione* continua; ad Colossenses tertio: *Quae sursum sunt sapite* etc. — *Ordinatione* sive repraesentatione similitudinaria; primi Paralipomenon vigesimo octavo [6]: *Omnia venerunt scripta manu Domini ad me, ut intelligerem universa opera exemplaris;* Proverbiorum vigesimo quinto: *Caelum sursum, et terra deorsum;* Iob trigesimo octavo: *Nunquid nosti ordinem caeli et pones rationem eius in terra?*

Dicitur esse sursum quadruplicater.

SERMO V [7].

Item, sermo fratris Bonaventurae in Conventu de Arimino, coram Fratribus.

Eiice ancillam et filium eius; non enim heres erit filius ancillae cum filio liberae, ad Galatas quarto [8].

In verbis istis notatur definitiva sententia sive discretio filiorum genuinae a filiis concubinae sub metaphora *filii ancillae* et *filii liberae*, quorum primus de domo excluditur et hereditate privatur, secundus hereditatem sortitur. Et tanguntur hic tria circa concubinae filios, scilicet divinae *protectionis subtractio*, et hoc nota in nomine sive verbo *electionis;* enormis *mentis captivatio*, et hoc nota in nomine *ancillationis* et servitutis; *hereditatis* caelestis *amissio*, et hoc nota in nomine *hereditate privati* et *hereditate dotati.*

Divisio.

I. Circa primum nota, quod ad considerandum, quam malum sit eiici et amarum a facie Creatoris, possumus manuduci per considerationem oppositi. Nam, cum Deus sit: *maiestas* nobilissima, ideo anima, heres Dei sui, habet nobilitari et extolli per sursumactionem desideriorum; *potestas* virtuosissima, ideo anima habet sua omnipotentia roborari et solidari per cohaesionem omnium virium; *bonitas* suavissima, ideo anima habet eius suavitate refici et delectari per degustationem aeternorum charismatum; *veritas* speciosissima, ideo anima habet eo illuminari et speciosa effici per contemplationem fontalium claritatum.

Pars I. Considerationi oppositi quadruplicis.

Et per oppositum ille qui eiicitur, incurrit necessario: *vilitatem* conditionis in statu; Ieremiae octavo [9]: *Erunt in sterquilinium super faciem terrae* etc., *in universis locis, ad quae eieci eos. — Imbecillitatem* operationis in effectu; Ieremiae quinquagesimo: *Grex dispersus Israel, leones eiecerunt eum* etc. — *Egestatem* consolationis in affectu; Iudicum undecimo: *Eiecerunt Iephte, dicentes: Heres in domo patris nostri esse non poteris, quia de altera matre natus es* etc. — *Caecitatem* erroris in intellectu; Matthaei vigesimo quinto [10] dicitur de servo inutili: *Eiicite* eum *in tenebras exteriores* etc.

Inde eruitur consideratio malı quadruplicis.

---

[1] Legi posset etiam *confortative.*
[2] Ex A fol. 113 v.
[3] Vers. 26.
[4] Scilicet *interlineatem* ad locum cit., ubi opponitur *synagoga, quae sub peccato generat, Ecclesiae ex gentibus congregatae,* quae sursum est.
[5] Vers. 1; sequuntur Phil. 3, 20. et Col. 3, 2.
[6] Vers. 19; sequuntur Prov. 25, 3. et Iob 38, 33.
[7] Ex A fol. 113 v.
[8] Vers. 30.
[9] Vers. 2. seq.; sequuntur c. 50, 17. et Iudic. 11, 2.
[10] Vers. 30.

II. Quantum ad secundum nota, quod ancillaris Pars II. sive servilis conditio detestabilis reputatur et ignominiosa, quia est: *laboriosa* propter defectum affectionis sive delectationis, quocontra Genesis vigesimo nono [1]: *Servivit Iacob pro Rachel septem annis, et videbantur illi pauci dies prae amoris magnitudine* etc. — *Trepida* propter metum punitionis, quocontra ad Romanos octavo: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore.* — *Inculta* et sordida propter studium sive exercitium vilificationis; Iob trigesimo: *Squalentes calamitate et miseria* etc. — *Tristis* et moesta propter opprobrium acceptationis (?); Exodi primo [2]: *Ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti et lateris omnique famulatu* etc.

Natura servitutis.

III. Quantum ad tertium nota, quod hereditas Pars III. aeterna, qua privatur malus et dotatur bonus, est e contrario: *quieta* propter sempiternitatem pacis et gloriae; Psalmus [3]: *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce, hereditas Domini, filii; merces, fructus ventris.* — *Secura* propter dignitatem libertatis et amicitiae; Ecclesiastici vigesimo quarto: *In hereditate Domini morabor, et in plenitudine sanctorum detentio mea.* — *Speciosa* propter claritatem sanctitatum et munditiae; Ieremiae tertio: *Ponam te in filios et tribuam tibi terram desiderabilem, hereditatem praeclaram.* — *Amoena* propter deliciositatem suavitatis et laetitiae; Isaiae quinquagesimo quarto [4]: *Fundabo te in sapphiris* etc. *Haec est hereditas servorum Domini* etc.

Quatuor bona hereditatis aeternae.

DOMINICA DE PASSIONE.

Sermo 1 [5].

Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in aeternum, Ioannis octavo [6].

Quoniam mos boni hortulani est arborem non Sermo. producentem fructum radicitus evellere et extra hortum proiicere, ne in vanum occupet terram; hinc est, quod Dominus noster Iesus Christus tanquam bonus hortulanus desiderans, quamlibet arborem sui horti, scilicet militantis Ecclesiae, fructificare, ne securi aeternae damnationis succidatur, propositum verbum proponit, dicens: *Si quis sermonem meum servaverit* etc. Sed quia prius arbor recipit solaris radii influentiam, deinde producit fructuum abundantiam, et postea habetur super ea, ne pereat, diligens custodia; ideo convenienti modo proceditur in Divisio. verbo proposito. Nam primo notatur *emanatio divinae irradiationis,* cum dicit: *Sermonem meum;* secundo, *fructificatio bonae operationis,* cum subdit: *Si quis servaverit;* tertio, *evasio aeternae damnationis,* cum subinfert: *non gustabit mortem in aeternum.*

I. Primo igitur notatur *divini radii emanatio,* Pars I. cum dicit: *Sermonem meum.* Sicut arbor materialis per influentiam radii solaris disponitur ad producendum bonos fructus, sic arbor spiritualis, id est anima, per emanationem boni sermonis divini disponitur secundum omnes suas potentias ad multiplicandum opera Subdivisio. sanctitatis et institiae. Nam sermo divinus primo *illustrat* rationalem per intelligentiam veritatis fidei; secundo *inflammat* concupiscibilem per benevolentiam caritatis Christi; tertio *roborat* irascibilem per perseverantiam longanimitatis spei. Cum enim anima habet haec tria, scilicet fidem, caritatem et spem, quae sunt necessaria ad salutem; tunc est valde bene disposita secundum omnes sui potentias ad bene operandum.

Primo sermo divinus *illustrat* rationalem per in- Primo, de illustratione rationalis. telligentiam veritatis fidei; unde dicitur in Psalmo [7]: *Declaratio sermonum tuorum illuminat et intellectum dat parvulis. Os meum aperui et attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam.* — Qui enim vult radio divini sermonis illustrari debet se ipsum praeparare et disponere exemplo David dicentis: *Os meum aperui,* per divini nominis invocationem in oratione cum desiderio observandi divina praecepta. Nam nulla est melior praeparatio ad cognitionem veritatis quam invocatio divini nominis in oratione cum observatione praeceptorum. *Et attraxi spiritum,* per recollectionem tam sensuum quam actuum exteriorum ad interiora, quia *qui minoratur actu percipiet sapientiam* [8]. Et tunc *declaratio sermonum tuorum,* per propria verba ad expositionem divini eloquii facientia, *illuminat,* quemlibet audientem exterius; sed *intellectum,* exsequendi diligenter quod auditur reverenter, *dat parvulis,* non superbis, quia obstaculum veritatis est tumor mentis, Notandum. qui « dum inflat, obnubilat », sicut dicit Gregorius in Moralibus [9]. De hoc dicitur Ioannis octavo [10]: *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis; et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos,* scilicet a tenebris ignorantiae et caecitatis; unde Ioannis decimo septimo: *Sanctifica eos in veritate,* quia *sermo tuus veritas est.*

---

[1] Vers. 20; sequuntur Rom. 8, 15. et Iob 30, 3.
[2] Vers. 14.
[3] Psalm. 126, 2. 3; sequuntur Eccli. 24, 11. 16. et Ier. 3, 19.
[4] Vers. 11. 17.
[5] Ex Vaticana et C D E F; habetur etiam in cod. Tudertino n. 104. fol. 137 v., qui tamen in aliquibus ab aliis differt. — Hic deest prothema in C.
[6] Vers. 52.
[7] Psalm. 118, 130. seq.
[8] Eccli. 38, 25.
[9] Libr. XXIII. c. 17. (alias 10.) n. 31.
[10] Vers. 31. seq.; sequitur c. 17, 17.

Secundo sermo divinus *inflammat* concupiscibilem per benevolentiam caritatis Christi; unde Proverbiorum trigesimo [1]: *Sermo Dei ignitus clypeus est* omnibus *sperantibus in se*, supple: in divina misericordia. — Est *clypeus ignitus*, quia inflammat affectum ad modum ignis, ne tepescat interius per pusillanimitatem timoris, et protegit totum corpus ad modum clypei et loricae, ne laedatur exterius, sive impugnetur diabolica tentatione. De hoc similiter dicitur ad Hebraeos quarto: *Vivus est sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus.*

Secundo, de inflammatione concupiscibilis.

Tertio divinus sermo *corroborat* irascibilem per perseverantiam longanimitatis spei; unde Lucae sexto [2]: *Omnis, qui venit ad me et audit sermones meos et facit eos, ostendam vobis, cui similis sit. Similis est homini aedificanti domum, qui fodit in altum et posuit fundamentum super petram. Inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi et non potuit eam movere; fundata enim erat super petram. — Omnis, qui venit ad me*, per fidem, *et audit sermones meos*, cum devotione, *et facit eos*, per operis exsecutionem; *similis est homini*, id est Christo mediatori, *aedificanti domum*, Ecclesiae in expositione intellectuali; *qui fodit in altum et posuit fundamentum super petram*, id est non in mutabilitate terrenorum, sed in perpetuitate aeternorum. Unde Glossa: « *Fodit in altum*, qui praeceptis humilitatis terrena omnia de suorum cordibus funditus eruit, ne propter aliquod fluxibile Deo serviat, ut inconcussam in eis habeat mansionem ». *Inundatione autem facta*, id est persecutione insurgente, *illisum est flumen*, id est carnis lascivia, mundi oblectamenta et daemonum impulsio, *domui*, id est illi aedificationi virtutum, *et non potuit eam movere*, id est diruere; et ratio huius est: *quia fundata erat super petram*, id est Christum; quae autem cadit non in Christo aedificatur. De his similiter secundi Machabaeorum ultimo [3]: *Singulos autem illorum armavit non clypei et hastae munitione, sed sermonibus optimis.*

Tertio, de corroboratione irascibilis.

II. Sequitur: *Si quis servaverit*, ubi secundo notatur *fructificatio bonae operationis.* Quia enim anima ex influentia divini sermonis est illustrata veritate fidei, inflammata caritate Christi, corroborata longanimitate spei; ideo est valde bene disposita ad observandum divinum sermonem, ex cuius observatione producit fructum bonorum operum in magna abundantia. Unde secundum praedictam triplicem dispositionem ex influentia divini sermonis debet tripliciter fructificare, sive observare divinum sermonem, quod idem est quod fructificare per bonas operationes.

Pars II.

Subdivisio.

Nam primo, quia illustrata veritate fidei, debet servare divinum sermonem cum *puritate conscientiae* in contemnendo mundum; secundo, quia inflammata per benevolentiam caritatis Christi, debet servare divinum sermonem cum *latitudine benevolentiae* in diligendo Deum; tertio, quia corroborata per perseverantiam longanimitatis spei, debet servare divinum sermonem cum *firmitate patientiae* in tolerando malum.

Primo, quia illustrata veritate fidei, debet servare divinum sermonem cum *puritate conscientiae* in contemnendo mundum; unde dicitur Ioannis decimo septimo [4]: *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo; tui erant, et mihi eos dedisti; et sermonem tuum servaverunt.* — Verbum est Christi dicentis ad Patrem: *Manifestavi nomen tuum hominibus*, id est humilibus et simplicibus, quod *abscondisti a prudentibus et sapientibus; quos dedisti mihi de mundo*, per conservationem puritatis et munditiae, quae in hoc mundo conservari non potest. Nam *omne, quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis*, faciens lubricos et voluptuosos, *aut concupiscentia oculorum*, faciens cupidos et avaros, *aut superbia vitae*, faciens tumidos et ambitiosos. *Tui erant*, per gratiam benignae adoptionis, *et mihi eos dedisti*, in discipulos, ut notam facerem eis viam salutis aeternae. Unde primo Deus Pater adoptat quemlibet in filium et postea tradit enum Christo in discipulum, vel eius vicario [5], ut instruatur contemnere terrena et appetere caelestia. Unde Apostoli, quia mundi et immaculati fuerunt per contemptum terrenorum et appetitum divinorum, ideo *sermonem* divinum *servaverunt* cum puritate conscientiae, sine qua divinus sermo servari non potest.

Primo, poritat conscient.

Secundo, quia inflammata caritate Christi, debet servare divinum sermonem cum *latitudine benevolentiae* in diligendo Deum; unde dicitur Ioannis decimo quarto [6]: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.* Quia « probatio divini amoris exhibitio est operis », ideo dicit: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit*, quasi dicat: mea dilectio opere probatur, eo quod « amor Dei operatur magna, si est; si autem operari renuit, amor Dei non est »; *et Pater meus diliget eum*, propter observationem mei sermonis. Nam dignatio divinae amicitiae sive dilectionis fructus est humanae benevolentiae sive bonae operationis. *Et ad eum veniemus*, per septiformis gratiae Dei collationem, *et mansionem apud eum faciemus*, per boni operis multiplicationem et consummationem. Et propter hoc dicitur Sapientiae sexto [7]: *Concupiscite ergo sermones meos, diligite illos, et*

Secundo, latitudin benevolen tiae.

[1] Vers. 5; sequitur Hebr. 4, 12.

[2] Vers. 47. seq — Sequitur Glossa *ordinaria* in hunc locum; etiam verba alia textum explicantia fere omnia sumta sunt ex Glossa *interlineari* in locum citatum.

[3] Cap. 15, 11.

[4] Vers. 6; sequuntur Matth. 11, 25. et I. Ioan. 2, 16.

[5] Cod. F legit *vel vicarium*.

[6] Vers. 23. — Duo sequentes loci sunt Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 30. n. 1. et 2.

[7] Vers. 12.

habebitis disciplinam, paternae correptionis, non sententiam aeternae damnationis.

Tertio, de virtute patientiae. Tertio, quia corroborata longanimitate spei, debet servare divinum sermonem cum *firmitate patientiae* in tolerando malum; unde dicitur Apocalypsis tertio [1]: *Quoniam servasti verbum patientiae meae, et ego servabo te ab hora tentationis.* — Ille *observat verbum patientiae* Christi, qui exemplo patientiae ipsius nullis suppliciis, nullis damnis, nullis contumeliis illatis ab observatione divini sermonis cessat; et tali dicit Christus: *servabo te ab hora tentationis*, et maxime in morte, in qua hora maxime nititur diabolus hominem tentare, ut eum finaliter possit subvertere. Gregorius in Moralibus [2]: « Nisi Dominus misericors cum viribus tentamenta modificet, nullus est, qui malignorum spirituum insidias non corruens portet ».

Pars III. III. Tertio sequitur: *mortem non gustabit in aeternum*, ubi notatur liberatio sive evasio mortis aeternae. Sed quia nullus potest liberari a morte aeternae calamitatis, nisi primo praeservetur sive liberetur a morte propriae iniquitatis; et aliquem liberari a morte propriae iniquitatis est impossibile, nisi prius liberetur a morte culpae originalis: ideo quilibet adultus observans divinum sermonem primo liberatur a morte *originalis culpae* per gratiam baptismalem; secundo liberatur sive servatur a morte *iniquitatis propriae* per gratiam poenitentialem; tertio liberatur a morte *poenalitatis aeternae* per gloriam deiformem.

Subdivisio.

Primo liberatur homo a morte *originalis culpae* per gratiam baptismalem; unde dicitur. ad Romanos quinto [3]: *Si enim unius delicto mors regnavit, multo magis abundantiam gratiae et donationis et iustitiae accipientes in vita regnabunt per unum Iesum Christum. — Si enim unius*, scilicet primi parentis, *delicto mors regnavit*, in omnes alios, qui descendunt ab eius stipite per viam libidinis et concupiscentiae; *multo magis accipientes abundantiam gratiae*, in benigna adoptione, *et donationis*, in charismatum Spiritus sancti repletione, *et iustitiae*, in bonorum operum promotione; *in vita*, gratiae per Sacramentum baptismi, *regnabunt*, tanquam heredes et reges regni caelorum, *per unum Iesum Christum*. Et argnit hic Apostolus a minori, eo quod efficacior est gratia Christi in bonum quam culpa primi hominis in malum. Ideo dicitur primae ad Corinthios decimo quinto: *Sicut in Adam omnes moriuntur*, merito suae primae praevaricationis, *ita et in Christo omnes vivificabuntur*, merito suae passionis per Sacramentum baptismi.

Primo, de liberatione ab originali culpa.

Secundo liberatur homo a morte *propriae iniquitatis* per gratiam poenitentialem; unde dicitur ad Ephesios quinto [4]: *Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus. — Surge*, per mali detestationem, *exsurge*, per desertionem peccati, *a mortuis*, id est ab operibus mortuis in peccato mortali factis et extra caritatem, sine qua nihil dignum est aeterna remuneratione; *et illuminabit te Christus*, per illuminantis gratiae infusionem, per quam cognoscitur distantia boni et mali, cuius adhaesione et delectatione, bono incommutabili spreto, cognoscit homo, se errasse. Et de hoc dicitur in Psalmis: *Quis est homo, qui vivet et non videbit mortem, eruet animam suam de manu inferi?* — Ille *vivet*, vita gratiae, *et non videbit mortem*, culpae, qui *eruet animam suam de manu inferi*, exercendo se operibus poenitentiae.

Secundo, de liberatione a propria iniquitate.

Tertio liberatur homo a morte *poenalitatis aeternae* per gloriam deiformem; unde dicitur primae ad Corinthios decimo quinto [5]: *Oportet enim, corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. — Oportet* autem, *hoc corruptibile et mortale induere incorruptionem* et immortalitatem per *configurationem ad claritatem corporis Christi*, qui est caput nostrum; alioquin inconveniens esset, si caput esset pulcrum et immortale, membra vero corruptibilia et deformia. Cum autem hoc erit, tunc *mors absorbetur in victoria*, resurrectionis Christi; quod nobis praestare dignetur etc.

Tertio, de liberatione a poenalitate aeterna.

Sermo II [6].

Sermo fratris Bonaventurae Parisius, in Capitulo Fratrum.

Per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa, ad Hebraeos nono [7].

In verbis his evidenter exprimitur mysterium dominicae passionis et beneficium humanae redemptionis, ut excitentur corda nostra his diebus ad celebrandum devotissime memoriam passionis. Quis enim audiens et considerans pro se effusum sanguinem Filii Dei, non excitetur et inflammetur ad divinum amorem, mundi contemptum et carnis macerationem? Tanguntur autem hic duo ad redemptionem humani generis pertinentia, scilicet *nostrae iniquitatis abundantia*, quae non nisi per sanguinem Filii Dei potuit aboleri, cum dicitur: *Per proprium sanguinem introivit semel in sancta; divinae pietatis efficacia*, qua sibi complacuit nostri perfecte misereri, cum additur: *aeterna redemptione inventa*. Considero enim oblatum sanguinem, et invenio *peeeati immensitatem*; attendo effusionem, et video *doloris acerbitatem*; video, quod pro nobis effudit

Divisio.

[1] Vers. 10. [2] Libr. IX. c. 46. (alias 25.) n. 71.
[3] Vers. 17; sequitur I. Cor. 15, 22.
[4] Vers. 14; sequitur Ps. 88, 49.
[5] Vers. 53. seq.; deinde respicitur Phil. 3, 21.
[6] Ex A fol. 114 v. et B fol. 37.
[7] Vers. 12, ex Epistola huius Dominicae.

proprium sanguinem, et considero liberalissimam *caritatem;* probo tandem ex his oblationis excellentem *dignitatem.*

I. Fuit igitur oblatio Filii Dei *per proprium sanguinem in sancta introeuntis: pretiosa* ratione personae exsoluentis; primae Petri primo [1]: *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati, Christi, et incontaminati.* — *Sumtuosa* ratione poenae afflugentis; lob decimo sexto: *Terra, ne operias sanguinem meum* etc. — *Opportuna* ratione indigentiae exposcentis; ad Hebraeos duodecimo: *Accessistis ad testamenti novi mediatorem Iesum, et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel.* — *Amorosa* ratione efficaciae subsequentis: Apocalypsis primo [2]: *Dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.*

Pars I. Oblatio pretiosa. Sumtuosa. Opportuna. Amorosa.

II. *Invenit* autem *nobis aeternam redemptionem per proprium sanguinem semel in sancta introeundo,* quia nobis *vitam* perditam *reddidit;* Levitici decimo septimo [3]: *Anima* omnis *carnis in sanguine est.* — *Maculam* contractam *delevit;* Matthaei vigesimo sexto: *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* — *Iram* divinam *placavit;* ad Colossenses secundo: *Delevit chirographum decreti, pacificans per sanguinem crucis eius sive quae in terris, sive quae in caelis sunt.* — *Ianuam* caelestem *aperuit;* Apocalypsis decimo nono [4]: *Vestitus erat veste aspersa sanguine, et exercitus, qui sunt in caelo, sequebantur,* quod fuit in die ascensionis.

Pars II. Effectus oblationis quatuor.

Sermo III [5].

Item, sermo fratris Bonaventurae in Conventu, Parisius.

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Ioannis octavo [6].

Quoniam Iudaei erant homines inflexibiles ad intelligendum divina mysteria, excaecati et seducti per idolorum vana sacrificia, timidi et muti ad praedicandum divina magnalia; ideo Magister veritatis, Salvator noster, ad nostram aedificationem tria hic facit. Primo *eliminat* errorum *fallaciam* per veritatis suppositionem contra falsitatem, cum dicit: *Si veritatem;* secundo *animat ad audaciam* per veritatis annuntiationem contra timiditatem, cum subdit: *dico;* tertio *increpat duritiam* per incredulitatis exprobrationem contra infidelitatem, cum addit: *quare* vos *non creditis mihi?* — Dicit igitur: *Si veritatem dico* etc. Re vera, si Prisciano creditur in ordinatione litterarum, Aristoteli in assignatione fallaciarum, Ptolomaeo in decursu et motu planetarum, Galeno de propinatione medicinarum, Iustiniano in determinatione causarum; quia Christus erat peritissimus in scientia et cura animarum, et non sibi credebatur nec creditur a multis; ideo merito conqueriebatur et conqueri potest, dicens: *Si veritatem dico* etc.

Divisio.

I. Circa primum nota, quod, quia magister falsitatis, diabolus, obnubilat intellectum respectu credendorum, corrumpit affectum respectu cavendorum, depravat effectum respectu operandorum, inducit defectum respectu appetendorum [7]; ideo Magister veritatis, Christus, contra hanc quadruplicem falsitatem annuntiabat et annuntiat quadruplicem veritatem, scilicet *fidei,* quae docet, quid credendum; *morum,* quae docet, quid fugiendum; *operum,* quae docet, quid agendum; *praemiorum,* quae docet, quid attendendum. Veritas autem *fidei* est ut lux rationis illuminativa; veritas *morum* est ut herba fullonum affectionis sanctificativa seu mundativa; veritas *operum* est ut regula actionis directiva; veritas *praemiorum* est ut scutum in tentatione protectivum.

Pars I. Falsitas duplex. Veritas duplex.

Veritas ergo *fidei* per Christum annuntiata est ut lux, et qui hoc non credit insensatus est; ad Galatas tertio [8]: *O insensati Galatae! quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Iesus Christus praescriptus est, in vobis crucifixus?* Ioannis octavo: *Cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.* — Veritas *morum* est ut herba fullonum lavans sive mundificans, quia docet veterem hominem deponere et novum induere; ad Ephesios quarto: *Renovamini spiritu mentis vestrae et induite novum hominem* etc., totum. *Non ambuletis, sicut et gentes ambulant in vanitate sensus sui. In ipso edocti estis, sicut est veritas in Iesu.* — Veritas *operum* est ut regula directiva; ad Ephesios quarto [9]: *Veritatem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput, Christus.* — Veritas *praemiorum* est ut scutum in tentatione protectivum; Psalmus: *Scuto circumdabit te veritas eius* etc.

Primo, veritas fidei. Secundo morum. Tertio, operum. Quarto, praemiorum.

II. Circa secundum nota, quod secundum quod est quadruplex verbum, scilicet *expressum* sive prolatum respectu documentorum, *impressum* sive innatum [10] respectu dictaminum, *rationale* sive collativum respectu argumentorum, *infusum* sive inspiratum respectu appetendorum; sic veritates praefatas Iesus astruit, sicut dicit, quadruplici ratione. Etenim veritatem *fidei* astruit legali testificatione; unde Ioannis octavo [11] dicebat Iesus: *In Lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est.* — Veritatem *morum* mentali impressione;

Pars II. Verbum quadruplex. Item, ratio quadruplex.

---

[1] Vers. 18. seq.; sequuntur Iob 16, 19. et Hebr. 12, 22. 24.
[2] Vers. 5.
[3] Vers. 14; sequuntur Matth. 26, 28. et Col. 2, 14. et c. 1, 20.
[4] Vers. 13. seq.
[5] Ex A fol. 115 r. et B fol. 37; sed in A omittuntur 2. et 3. pars.
[6] Vers. 46.
[7] Cod. B habet *praemiorum.*
[8] Vers. 1; sequuntur Ioan. 8, 32. et Eph. 4, 23. 24. 17. 21.
[9] Vers. 15; sequitur Ps. 90, 5.
[10] Cfr. Bonav., tom. II. dist. 39. a. 2. q. 2. et scholion.
[11] Vers. 15; sequuntur Ps. 88, 3. et Ioan. 8, 39.

Psalmus: *Dixisti: In aeternum misericordia aedificabitur in caelis, praeparabitur veritas tua in eis.* — Veritatem *operum* rationali manuductione; Ioannis octavo: *Dicebat Iesus* Iudaeis: *Si filii Abraham estis, opera Abrahae facite.* — Veritatem *appetendorum* salutari unctione; Ioannis decimo sexto[1]: *Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis, ut ego vadam.*

Pars III. incredulis at 4 mala.

III. Circa tertium nota, quod increduli Iudaei et imitatores eorum veritati praedicatae *aures obturant*, ne audiant efficaciam verborum, sicut dictum est Zachariae Lucae primo[2]: *Ecce, eris tacens et non poteris loqui usque in diem, quo haec fiant, pro eo, quod non credidisti verbis meis, quae implebuntur in tempore suo.* — *Corda obdurant*, ne assentiant vel advertant exuberantiam beneficiorum; Deuteronomii primo: *Portavit te Dominus Deus tuus, et nec sic quidem credidistis Domino Deo vestro* etc. — *Oculos obserrant*, ne videant vehementias divinorum signorum; Ioannis duodecimo: *Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, ut sermo Isaiae Prophetae impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit auditui nostro?* — Prorsus *desperant* et ore *blasphemant*, ut depereant immissione suppliciorum; Psalmus[3]: *Ignis accensus est in Iacob, et ira ascendit in Israel, quia non crediderunt in Deo nec speraverunt in salutari eius.*

Sermo IV[4].

Item, sermo fratris Bonaventurae apud Assisium, ad populum.

Iesus abscondit se et exivit de templo, Ioannis octavo[5].

In verbis his circa Christuon-hominem ad aedificationem fidelium duo describuntur: primum est mira *humilitas* in ostensione exempli; secundum est vera *tranquillitas* in patientia animi. Primum, ibi: *Iesus abscondit se;* secundum, ibi: *et exivit de templo.* Divisio.

Circa totum nota, quod abscondit se Christus tripliciter, et prima abscensio est *misericordiae* et pietatis; secunda, *iustitiae* et aequitatis; tertia, *amicitiae* et familiaritatis. Abscondit ergo se[6] *pie* in incarnatione sive in descensione in utero virginali, abscondendo scilicet suam *maiestatem* sub pallio nostrae humilitatis vel humanitatis; Lucae secundo[7]: *Et pannis eum involvit et reclinavit eum in praesepio.* — Suam *veritatem* sub umbraculo nostrae opacitatis; Lucae secundo: *Invenietis infantem pannis involutum et positum in praesepio.* — Suam *ubertatem* sub tugurio nostrae paupertatis; Matthaei octavo: *Vulpes foveas habent et volucres caeli nidos; Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Tripliciter Christus se abscondit. Pie, tribus modis.

Secundo, *iuste* in gratiae subtractione a peccatorum coetu miserabili, occultando se ab *arrogantibus* et praesumtuosis; Psalmus[8]: *Longe a peccatoribus salus.* — Ab *oppressoribus* et malitiosis; Proverbiorum tertio: *Abominatio Domini est omnis illusor*[9]. Iuste, a duobus perversis.

Tertio, *dispensative* in iustorum probatione utili, latendo et occultando ab eis suam *maiestatem*, ut magis timeatur; Exodi trigesimo tertio[10]: *Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.* — Suam *veritatem*, ut diligentius requiratur; Iob trigesimo quarto: *Ex quo absconderit vultum, quis est qui contempletur eum?* — Suam *suavitatem*, ut avidius desideretur; Isaiae vigesimo sexto: *Anima mea desideravit te in nocte*[11]. Dispensative, tribus modis.

DOMINICA IN PALMIS.

Sermo I[12].

Egredimini et videte, filiae Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua, Canticorum tertio[13].

Sermo.

Quoniam, secundum beatum Augustinum[14], «quae de Salomone dicuntur adeo conveniunt soli Christo, ut in illo sit obumbrata, in Christo veritas repraesentata»; ideo vere et proprie propter completionem umbrae figuralis et exhibitionem veritatis verbum propositum potest assumi ad commendationem hodiernae festivitatis. Hodierna namque die Iudaica synagoga, mater Christi secundum carnem, egrediens obviam Christo, verbis et factis gloria imperiali[15] et regio honore coronavit. Hunc honorem Christo exhibitum ideo mater Ecclesia, exiens extra

---

[1] Vers. 7.

[2] Vers. 20; sequuntur Deut. 1, 31. seq. et Ioan. 12, 37. seq., ubi respicitur Isai. 53, 1.

[3] Psalm. 77, 21. seq.

[4] Ex A fol. 115 v. et B fol. 39.

[5] Vers. 59.

[6] Verba *et prima absconsio* etc. addidimus ex B.

[7] Vers. 7; sequuntur v. 12. et Matth. 8, 20.

[8] Psalm. 118, 155; sequitur Prov. 3, 32.

[9] Cod. B sine locis Scripturae duo membra addit, scilicet *a blasphemantibus et contumeliosis, a deceptoribus et malitiosis*, et in 2. membro pro *malitiosis* legit *iniuriosis*.

[10] Vers. 23; sequuntur Iob 34, 29. et Isai. 26, 9.

[11] Cod. B addit: *ut honorabilius recipiant suam virtutem*, et etiam in praecedentibus utitur forma verbi *activi*, non *passivi*.

[12] Ex Vaticana et C D E F; habetur etiam in cod. Tudertino n. 104. fol. 141 *r.*, sed magis contracte.

[13] Vers. 11. — Deest prothema in C.

[14] De Civit. Dei, XVII. c. 8. n. 2.

[15] Codd. C F legunt *glorificatione personali*.

civitatem, processionaliter repraesentat, ut discant eius filii primo a peccati deformitate exire; deinde, in propria conscientia Dei claritatem cognoscere et videre; et postea, debitum honorem eius maiestati exhibere. Unde ad nostram instructionem haec tria
Divisio. per ordinem in verbo proposito notantur: primo, *desertio deformitatis propriae;* secundo, *contemplatio speciositatis divinae;* tertio, *exhibitio honoris et magnificentiae;* et hoc, quia unum est dispositio alterius. Nam puritas conscientiae disponit ad cognitionem sive visionem speciositatis divinae sapientiae; et contemplatio lucis aeternae disponit ad honorificentiam maiestatis divinae. Primo namque Spiritus sanctus in verbo proposito quamlibet christianam animam excitat ad desertionem deformitatis propriae, ut disponatur, cum dicit: *Egredimini, filiae Sion. Sion* enim specula interpretatur et significat animam puram et dispositam ad modum speculi ad receptionem resultantis Divinitatis. Secundo invitat ad contemplationem speciositatis regiae, ut delectetur, cum subdit: *et videte regem Salomonem,* id est Christum multiplici figura per Salomonem significatum. Tertio explicat exhibitionem honoris et magnificentiae, ut instruatur, cum subinfert: *in diademate, quo coronavit eum mater sua.*

I. Primo ergo *hortatur ad desertionem peccati*
Pars I. quamlibet animam fidelem, ut disponatur ad Dei visionem, cum dicit: *Egredimini, filiae Sion.* Illa anima deserit deformitatem peccati et disponit se secundum omnes sui potentias ad visionem Dei, quae
Subdivisio. egreditur: primo, a *tenebris erroris* et ignorantiae rationalem obcaecantis; secundo, ab *illecebris* carnalis *lasciviae* concupiscibilem deformantis; tertio, a *praesidentiis crudelitatis* diabolicae irascibilem opprimentis. Primum habet fieri per veritatis inspectionem in summo intelligibili; secundum, per voluntatis adhaesionem in summo diligibili; tertium, per libertatis adeptionem in summo honorabili.

Primo debemus egredi a *tenebris erroris* et
Egrediendum primo a tenebris erroris. ignorantiae rationabilem obcaecantis, et hoc per veritatis inspectionem in summo intelligibili. Et de hoc dicitur Matthaei decimo quinto[1]: *Ecce, mulier Chananaea, a finibus illis egressa, clamavit, dicens ei: Miserere mei, fili David.* Qui enim vult percipere bonum fidei et egredi a tenebris ignorantiae debet
Quatuor faciends. imitari exemplum huius mulieris, quae primo praeparavit se per captivationem intellectus ad credendum primae Veritati propter se et super omnia; et hoc est quod dicitur: *Ecce, mulier Chananaea;* interpretatur enim *Chananaea* praeparata. Secundo elongavit se a mala societate, eo quod *corrumpunt mores bonos colloquia mala;* unde sequitur: *a finibus illis,* scilicet infidelium, *egressa.* Tertio post eum cum sinceritate animi in affectiva clamavit: *Miserere mei.* Quarto, cum sedulitate in operativa: *fili David,* quia tunc Iesus Christus, qui est lux vera, animae in dispositione infundit veritatem fidei in cognitiva. Unde tanto lumine fidei fuit illa mulier illustrata, ut diceretur ei ab ipsa Veritate: *O mulier, magna est fides tua.*

Secundo debemus egredi ab *illecebris carnalis* Secundo, illecebris carnalibus
lasciviae concupiscibilem deformantis, et hoc per adhaesionem voluntatis in summo diligibili. De isto egressu dicit Lot generis suis Genesis decimo nono[2]: *Surgite et egredimini de isto loco, quia delebit Dominus civitatem hanc. Et visus est eis quasi ludens loqui. — Civitas* ista Sodoma, quae interpretatur sterilis, significat statum carnalium, qui immunditiis suis perdunt lumen rationis, totaliter absorpti delectationibus, et fiunt steriles nullum fructum utilitatis habentes propter consumtionem naturalium et spoliationem gratuitorum sive spiritualium. Igitur existentibus in isto statu dicitur a Spiritu sancto per praedicatores, qui sunt divini nuntii: *Surgite,* per peccati detestationem, *et egredimini de loco isto,* carnalis lasciviae, per peccati desertionem; *quia delebit Dominus civitatem hanc,* per aeternae damnationis exterminationem. Sed bodie lubrici et carna- Notandum
les ita sunt absorpti a delectationibus carnis, ut prae nimia mentis alienatione videatur eis praedicator verbi divini *ludens loqui;* sed postea, quando in peccatis suis moriuntur, experiuntur factis sensibiliter quod noluerunt animadvertere verbis praedicatorum. Unde et isti, qui noluerunt credere verbis Lot viam salutis annuntiantis, perierunt insimul cum *scelere civitatis.*

Tertio debemus egredi a *praesidentiis diaboli-* Tertio, a praesidentiis diabolicis
cae crudelitatis irascibilem opprimentis, et hoc per libertatis adeptionem in summo honorabili. Et de hoc egressu dicitur in figura Exodi decimo tertio[3]: *Mementote diei huius, in qua egressi estis de Aegypto et de domo servitutis, quoniam in manu forti eduxit vos Dominus de loco isto. — Eduxit vos;* per liberationem *de domo servitutis* Pharaonis significatur liberatio de domo servitutis diabolicae. Nam, sicut Pharao affligebat crudeliter filios Israel sibi servientes in paleis colligendis, in luto congregando, in lateribus conficiendis et in civitatibus construendis; sic diabolus sibi servientes opprimit et affligit in colligendis paleis vanarum cogitationum, in congregando luto immundarum delectationum sive affectionum, in conficiendis lateribus pravarum operationum et in construendis civitatibus irrevocabilium aversionum[4]. Beneficium ergo istius liberationis de tam crudeli servitute ideo Dominus reducit ad memoriam, ut simus ei grati, cum dicit: *Mementote diei huius, in qua egressi estis de domo* diabolicae *servitutis.* Sed quia tantum beneficium non est

[1] Vers. 22; sequuntur I. Cor. 15, 33. et Matth. 15, 28.
[2] Vers. 14. seq. [3] Vers. 3.
[4] Hic locus servit ad explicationem antiphonae de S. Francisco ad Laudes in Suffragiis communibus Breviarii Rom.-Seraph. Sed addendum est ex Glossa *interlineari* ad Exod. 2, 12: « Aegyptio, id est diabolo ».

ascribendum humanae infirmitati, sed divinae virtuositati; ideo addit: *quoniam eduxit vos in manu forti,* Divinitatis, non in manu debili humanitatis.

Para II. II. Secundo *invitat ad contemplationem regiae speciositatis*, cum subdit: *et videte regem Salomonem*, id est Christum. Ille contemplatur et videt salubriter in propria conscientia verum *regem Salomonem*, id est Christum, primo, qui eius veritati infallibilis sapientiae *credit firmiter* cum captivatione intellectus; secundo, qui eius benignitatem indicibilis clementiae *diligit sinceriter* cum devotione affectus; tertio, qui eius humilitatem abiectionis voluntariae *imitatur conformiter* cum exsecutione effectus. Hodierna namque die Rex regum, Christus, ostendit profunditatem *humilitatis* ad imitandum, quando Ierusalem intravit *sedens super asinam*[1], non super equum phaleratum; magnam *benignitatem* exhibuit, quando ipse, qui erat Imperator et Dominus omnium spirituum caelestium sive civium supernorum, dignatus est fieri rex et caput hominum peregrinantium inferiorum; et completam *veritatem* legalis umbrae monstravit, quando quod de eo fuerat prophetatum et figuratum factis ostendit esse impletum.

ubdivisio.

Primo *videte regem Salomonem*, cuius *veritas* infallibilis sapientiae *credenda est firmiter* cum captivatione intellectus; et de hoc dicitur in figura tertii Regum decimo[2]: *Magnificatus est rex Salomon super omnes reges terrae divitiis et sapientia. Et universa terra desiderabat vultum Salomonis, ut audiret sapientiam eius, quam dederat Deus in corde eius.* — Multiplici figura Salomon verum illum Salomonem Christum exprimit. Nam Christus est ille verus Salomon *sapientissimus*, immo Sapientia Patris, a quo omnis sapientia et intellectus refulget in angelicis spiritibus et humanis; et verus ille *pacificus*, immo *pax nostra, qui facit utraque unum* et antiquam discordiam foedere proprii sanguinis concordavit; atque verus ille rex *magnificus*, qui in quantum homo *magnificatus est super omnes reges*, caeli et *terrae*, propter assumtionem humanitatis in unitate divinae personae, in donis charismatum divinorum et sapientia limpidae cognitionis. *Et universa terra*, id est homines terreni — ponitur hic continens pro contento — *desiderabant vultum* videre *Salomonis*, propter nitorem originalis innocentiae, *ut audirent*, cum inclinatione auditus, *sapientiam, quam dederat Deus in corde eius*, per infusionem, quia non didicerat per humanam investigationem; et crederent auditam sapientiam sine haesitatione cum captivatione intellectus.

uo, Christi veritas ienda firiter.

Secundo *videte regem Salomonem*, cuius *benignitas* indicibilis clementiae *est diligenda sinceriter* cum devotione affectus; et hoc dicitur Proverbiorum vigesimo[3]: *Misericordia et veritas custodiunt regem, et roboratur clementia thronus eius;* quia pietas misericordiae sine veritate iustitiae est potius vitium quam virtus. Nam *manus mulierum misericordium coxerunt filios suos*, et severitas iustitiae sine pietate misericordiae Deo non est placita nec ab eo approbata, quia *iudicium sine misericordia* fiet *illi qui non fecit misericordiam;* ideo dicitur: *Misericordia et veritas custodiunt Regem* regum[4], Christum, *per* quem *reges regnant, et* principes *iusta decernunt.* Ipse enim est verum exemplar omnis misericordiae et iustitiae, eo quod *universae viae Domini*, Christi, Regis regum, *misericordia et veritas*[5]. Sed quia eius pietas *misericordiae* in parcendo *superexaltat iudicium* severitatis in condemnando; ideo addit: *roboratur clementia thronus eius*, ut per hoc quilibet peccator, quantumcumque magnus, non desperet per timorem, consideraus severitatem iustitiae proferentis sententiam, immo resumat vires et confidat propter benignitatem misericordiae, quae parcit faciliter et obliviscitur totaliter et suscipit clementer.

odo, benitas dienda siniter.

Tertio *videte regem Salomonem*, cuius *humilitas* abiectionis *est imitanda conformiter* cum exsecutione effectus; et de hoc dicitur Zachariae nono[6]: *Exsulta satis, filia Sion, iubila, filia Ierusalem. Ecce, Rex tuus veniet tibi iustus et salvator, ipse pauper et ascendens super asinam et super pullum, filium asinae. Et disperdam quadrigam ex Ephraim et equum de Ierusalem, et dissipabitur arcus belli. Et loquetur pacem gentibus, et potestas eius a mari usque ad mare.* — Quaelibet fidelis anima, filia Sion et Ierusalem, id est matris Ecclesiae, debet hodierna die exemplo Iudaeorum egredi obviam Christo, non solum passibus corporis, sed etiam affectionibus mentis, cum exsultatione cordis, cum iubilo oris, cum prostratione propriae vestis per mortificationem carnis lascivae, cum ramis olivarum in signum unctionis internae devotionis, cum ramis palmarum in signum victoriae et honoris, eo quod rex noster, Christus, per suam humilitatem, devicto superbo diabolo, et eius exercitu in pelago maris inferni submerso, populum suum liberavit sanguine proprio. Unde superius, parum post praedictam auctoritatem, sequitur: *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos de lacu*, scilicet homines terrenos, de potestate diaboli liberatos, suppeditata mundi cupiditate per suam paupertatem, « heredes et reges regni caelorum constituit[7] ». Et propter hoc ipse rex noster, Christus, non venit hodie fastuosus in curribus et equis phaleratis, sed *mansuetus* et *ascendens super asinam*, contemptibilem, non pomposus in divitiis et gemmis pretiosis; *et salvator, ipse pauper*, ut sic per humilitatem suam

Tertio, humilitas imitanda conformiter.

[1] Zach. 9, 9. [2] Vers. 23. seq.; sequitur Eph. 2, 14.
[3] Vers. 28; sequuntur Thren. 4, 10. et Iac. 2, 13.
[4] Apoc. 19, 16; sequitur Prov. 8, 15. seq.
[5] Psalm. 24, 10. et dein Iac. 2, 13.
[6] Vers. 9. seq.; et dein v. 11.
[7] Regula FF. Minorum, c. 6.

disperderet *quadrigam*, fastuositatis, *et equum*, superbae pompositatis, *et* dissiparet *arcum*, diabolicae fraudis, ut per suam pauperlatem loqueretur *pacem gentibus*, eos ab amore mundi revocando et ad amorem et laudem Dei attrahendo.

III. Ultimo notatur *exhibitio honoris* et magnificentiae, cum dicit: *in diademate, quo coronavit eum mater sua*. Honoravit Christum sive coronavit, primo, *Mater Virgo Maria* carneo diademate originalis innocentiae in conceptione; secundo, *mater synagoga* spineo diademate doloris et ignominiae in passione; tertio, *mater divina iustitia* splendido diademate honoris et gloriae in resurrectione.

Pars III. Subdivisio.

Primo *coronavit eum Mater Virgo Maria carneo diademate* originalis innocentiae in conceptione, secundum quod dicitur Canticorum tertio: *Egredimini et videte, filiae Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis et laetitiae cordis eius. — Filiae Sion, egredimini*, a deformitate peccati, *et videte regem* regum, verum *Salomonem*, salvatorem, Christum incarnatum, *in diademate*, originalis innocentiae, *quo coronavit* eum *Mater sua*, Virgo Maria, virtute Spiritus sancti eum concipiendo, *in die desponsationis*, humanae naturae, quae in unitate personae copulata est et coniuncta Dei Verbo ut sponsa sponso vinculo indissolubili, in utero virginali et amore pudico et benevolo cum laetitia inenarrabili et gaudio magno.

Coronator primo a Matre Maria.

Secundo *coronavit eum mater Iudaica synagoga spineo diademate* doloris et ignominiae in passione; et de hoc potest exponi illud Apocalypsis decimo nono [1]: *In capite eius diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo novit nisi ipse; et vestitus erat veste aspersa sanguine.* — Non enim impia synagoga coronavit Christum solo diademate spineo ignominiosae dolorositatis, immo super illud addidit multa alia deformia diademata opprobriosae contemptibilitatis. Sicut enim hodie magnificavit eum gloria imperiali et honore regio, ut gloriose intraret sanctam Ierusalem; sic in Paraseeve fecit eum exire de sancta Ierusalem cum vituperio et opprobrio; et quidquid honoris hodie impia synagoga contulit, in die Veneris in dedecus convertit. Nam pro floribus imponit eius capiti coronam de spinis, pro ramis olivarum adaptavit crucem propriis humeris, pro vestimentis in terra prostratis propria vestimenta sibi exuta in quatnor partes divisit, pro laudibus blasphemiis exprobravit. Et quia post gloriam hodiernae venerationis quasi in eodem tempore, in eadem civitate et ab eadem plebe subsecuta est ignominia opprobriosae passionis; ideo mater Ecclesia post processionem legi instituit passionem. Ipse autem rex Christus, *in* cuius *capite* erant omnia ista praedicta *diademata, habebat nomen scriptum*, super caput suum: *Iesus Nazarenus, Rex Iudaeorum* [2], *quod nemo*, persequentium eum, *novit*, esse verum, nisi Christus et cui sibi placuit revelare. *Et vestitus erat veste*, corporali, *aspersa*, proprio *sanguine.*

Secundo, a matre synagoga.

Tertio *coronavit eum mater sua*, scilicet *divina iustitia, splendido diademate honoris* et gloriae in resurrectione; et de hoc potest exponi illud Iob vigesimo nono [3]: *Iustitia indutus sum, et vestivi me sicut vestimento et diademate iudicio meo.* Quia Dominus Iesus Christus tantum se humiliavit, ut vellet tradi, et traditus a peccatoribus iudicari, et iudicatus tanquam reus condemnari, et condemnatus morte turpissima occidi; ideo secundum infallibilem regulam divinae iustitiae, quae est: *Qui se humiliat exaltabitur*, exaltatus est propter suam profundam humilitatem in solium regale et coronatus est *diademate* honoris et gloriae; unde, quanto caro eius fuit vilius in terram proiecta, tanto maiori gloria et honore est circumamicta. Rogemus etc.

Tertio, a divina iustitia.

Sermo II [4].

Sermo fratris Bonaventurae in domo Fratrum Praedicatorum Parisius, coram Universitate.

Egredimini et videte, filiae Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis illius et in die laetitiae cordis eius, Canticorum tertio [5].

Hodie mater, Iudaeorum synagoga, Christum Iesum honoravit ut regem, ut prophetam, ut pontificem. Ideo sancta mater Ecclesia, processionaliter haec omnia repraesentans cum ramis palmarum filiis suis proponit verbum praefatum, ut, si velint obsequi Christo *regi*, egrediantur a deformitate peccati; si velint assistere Christo *doctori*, adaptent mentes aeternae Sapientiae luci; si velint offerre Christo *pontifici*, collaudent ipsum in templo Dei et adorent ipsum in loco sacrificii. Non enim honorare potest Christum qui non est extra peccatum, nec audire verbum eius qui habet oculos ad mundum, nec offerre Christo qui adhuc offert diabolo. Monemur ergo his verbis ad tria, scilicet ad *desertionem deformitatis* omnimodae, ut possimus habere sinceritatem conscientiae [6], ibi: *Egredimini, filiae Sion*; ad *contemplationem speciositatis* regiae, ut possimus habere claritatem sapientiae, ibi: *et videte regem Salomonem*; ad *exhibitionem laudis* et magnificentiae, ut possimus habere suavitatem gloriae, ibi: *in diademate* etc.

Divisio.

I. Circa primum, quomodo vel a quibus debemus egredi et quomodo possimus esse *filiae Sion*,

Pars I.

[1] Vers. 12. seq.
[2] Ioan. 19, 19.
[3] Vers. 14; sequuntur Matth. 23, 12. et Luc. 14, 11.
[4] Ex A fol. 116 r. et B fol. 39 v. In aliquibus convenit cum sermone praecedente; in multis aliis tamen differt. Cfr. etiam sermo de eodem themate, supra in Vigilia Nativitatis pag. 96, serm. 8.
[5] Vers. 11.
[6] Cod. A habet *munditiae*.

quaere in Vigilia Nativitatis Domini in sermone de eodem themate [1].

Pars II. Tria considerauda.

II. Circa secundum nota, quod hodie in nostro vero rege Salomone habemus videre et considerare tria, scilicet *humilitatem apparatus* [2], quia venit ut *pauper sedens super asinam* [3]; Lucae decimo: *Beati oculi, qui vident quae vos videtis. — Benignitatem aspectus*, quia venit ut *rex mansuetus* [4], praetendens gratiam; tertii Regum decimo: *Universa terra desiderabat vultum Salomonis. — Caritatem affectus*, quia venit ut pro omnibus *immolandus ad victimam* [5]; Ieremiae secundo: *Videte verbum Domini: Nunquid solitudo factus sum Israeli, aut terra serotina? Quare ergo dixit populus meus: Recessimus* etc.

In Christo rege tres proprietates.

Debemus considerare in Deo praestantissimo, quod, licet venerit humilis, benignus et caritativus, tamen ipse est *rex: naturalissimus* per essentialitatem excellentiae in praesidendo; Apocalypsis decimo nono [6]: *Habet in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium. — Gratiosissimus* per largitatem beneficentiae in communicando; primi Machabaeorum primo [7]: *Vocavit* rex Alexander *pueros suos nobiles, qui secum erant nutriti a iuventute, et divisit illis regnum suum. — Rationabilissimus* per aequitatem iustitiae in retribuendo; Ecclesiastici primo [8]: *Unus est altissimus Creator omnipotens et Rex potens, sedens super thronum illius et dominans Deus.* — Quia ergo, cum esset rex *naturalissimus*, venit humillimus, debemus sibi hodie timorem reverentiae per *captivationem intellectus;* Proverbiorum vigesimo quinto [9]: *Ne gloriosus appareas coram rege, et in loco magnorum ne steteris. — Gratiosissimus*, venit benignissimus, debemus sibi amorem benevolentiae per *inflammationem affectus;* Proverbiorum vigesimo secundo: *Qui diligit cordis munditiam propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem. — Rationabilissimus*, venit obsequiosus, debemus sibi totaliter impendere usque ad mortem per *exsecutionem effectus;* Psalmus: *Laetetur Israel in eo qui fecit eum* [10].

Ria a nobis praestanda.

Pars III. Corona quadruplex.

III. Circa tertium nota, quod *videre* et considerare habemus Christum *in* quadruplici *diademate*, sive corona *coronatum*, scilicet *carnea*, qua coronatus fuit a Matre in utero, et haec corona contexta fuit ex virtutibus et donis omnibus; Apocalypsis duodecimo [11]: *In capite eius corona* etc. — *Spinea*, qua coronatus fuit a noverca synagoga in crucis patibulo, et haec corona contexta fuit ex peccatorum nostrorum aculeis multiformibus; Ioannis decimo nono: *Portans coronam spineam. — Gemmea*, qua coronatus fuit a Patre in resurrectionis trophaeo, et haec fuit contexta ex praemiis et margaritis caelestibus; Psalmus [12]: *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. — Aurea*, qua coronatus fuit propter conversionem multorum in mundo, et haec fuit contexta ex liliis Virginum et rosis Martyrum et violis Confessorum et ceteris gradibus Sanctorum diversis; Ecclesiastici quadragesimo quinto: *Corona aurea super mitram eius, expressa signo sanctitatis et gloria honoris.*

Sermo III [13].

Item, sermo fratris Bonaventurae coram rege Franciae et familia.

Benedictus, qui venit in nomine Domini, Matthaei vigesimo primo [14].

Adventus Domini Iesu hodiernus in Ierusalem describitur in istis verbis in Evangelio processionis lectis dupliciter, scilicet ut universaliter *gratiosus* et ut universaliter *fructuosus*. Primum, ibi: *Benedictus;* secundum, ibi: *qui venit in nomine Domini.*

Divisio.

Pars I. Christus benedictus quadruplicitер.

I. Fuit autem Christus *benedictus* in *ingressu* quantum ad incarnationis mysterium; Lucae primo [15]: *Benedictus fructus ventris tui. —* In *progressu* quantum ad conversationis speculum; Deuteronomii trigesimo tertio: *Benedictus in filiis Aser, sit placens fratribus suis. —* In *egressu* quantum ad passionis medicamentum; Deuteronomii vigesimo octavo [16]: *Benedictus eris tu ingrediens et egrediens. —* In *regressu* quantum ad ascensionis tropaeum; Danielis

---

[1] Scilicet parte II. et I. In B habetur paulo aliter: « Circa primum nota, quod nos dicimur hic *filiae Sion;* filiae, inquam, Sion, quia sicut filiae Sion debemus esse: *decorae* per integritatem sensuum; Canticorum secundo (v. 2.): *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. — Obsequiosae* per promptitudinem ministeriorum; Psalmus (44, 11.): *Audi, filia, et vide et inclina aurem tuam. — Adornatae* per multiformitatem virtutum; Psalmus (44, 14.): *Omnis gloria filiae regis* etc.

Debemus autem *egredi* de *captivitate* peccatorum ad libertatem supernaturalium (?) per desertionem temporalium; Genesis duodecimo (v. 1.): *Egredere de terra tua* etc. — De *caligine* inferiorum (?) ad claritatem intellectualium per meditationem caelestium; Genesis vigesimo quarto (v. 63.): *Egressus fuerat Isaac ad meditandum in agro.* — De *perplexitate* negotiorum ad iucunditatem divinorum per tranquillitatem animarum; Canticorum septimo (v. 11. seq.): *Egrediamur in agrum, mane surgamus ad vineas.*

[2] Cod. A habet *apparendi.*

[3] Matth. 21, 5. (cfr. Zach. 9, 9.); sequitur Luc. 10, 23.

[4] Matth. 21, 5; sequitur III. Reg. 10, 24.

[5] Respicitur Ier. 11, 19; dein sequitur c. 2, 31.

[6] Vers. 16.

[7] Vers. 7.

[8] Vers. 8.

[9] Vers. 6; sequuntur Prov. 22, 11. et Ps. 149, 2.

[10] Quae praecedunt a verbis: *Debemus considerare in Deo* etc., habentur in solo B, qui prosequitur: *Quantum ad exercitium nota* etc.

[11] Vers. 1; sequitur Ioan. 19, 5.

[12] Psalm. 20, 4; sequitur Eccli. 45, 14.

[13] Ex A fol. 116 v. et B fol. 40 v.

[14] Vers. 9.

[15] Vers. 42; sequitur Deut. 33, 24.

[16] Vers. 6; sequitur Dan. 3, 56.

tertio: *Benedictus es in firmamento caeli et laudabilis et gloriosus in saecula* [1].

Pars II. Veniendi finis quadruplex.

II. *Venit* vero hodie in Ierusalem ut *rex* ad dirigendum deviantes; Zachariae nono [2]: *Exsulta satis, filia Sion; iubila, filia Ierusalem. Ecce, rex tuus venit tibi iustus et salvator.* — Ut *sponsus* ad cohabitandum inter diligentes; Matthaei vigesimo quinto: *Ecce, sponsus venit* etc. — Ut *amicus* ad convescendum inter omnes; Lucae undecimo [3]: *Amicus meus venit de via ad me* etc., totum. — Ut *salvator* ad redimendum peccatores; Ioannis tertio [4]: *Non venit, ut iudicet mundum* etc.

FERIA SECUNDA

POST DOMINICAM IN PALMIS.

SERMO [5].

Ante sex dies Paschae venit Iesus Bethaniam, Ioannis duodecimo [6].

Hic moraliter nobis designatur via salutis nostrae quantum ad tria, scilicet quantum ad *rectitudinem itineris*, ibi: *Ante sex dies;* quantum ad *utilitatem finis*, ibi: *Paschae;* quantum ad *prudentiam dirigentis*, ibi: *Iesus.*

Divisio.

Iter rectum per sex illuminationes.

1. Quantum ad primum notandum, quod per *senarium dierum* intelligitur exercitium spirituale quoad sex illuminationes, quas facit in anima sol spiritualis, per praesentiam gratiae irradians. — Primus est *pudor* in recordatione flagitii; Psalmus [7]: *Tota die verecundia mea contra me est, et confusio faciei meae cooperuit me;* et hoc propter puritatem contritionis, confessionis et operationis, vel propter peccatorum *magnitudinem*, quia tam magna sunt, quantus est ille qui offenditur; propter *multitudinem*, quia peccator omnibus rebus abutitur; propter *turpitudinem*, quia anima, quanto pulcrior creatura, tanto foetidior per peccatum efficitur. — Haec dies respondet primae diei creationis, in qua *facta est lux.* Nam sicut homo non erubescit de nocte, sed de die; sic peccator ad aperta.

De pudore.

De timore.

Secundus est *timor* in circumspectione sui indicii; Psalmus [8]: *Ab altitudine diei timebo* etc., id est a profunditate abyssalis iudicii, quia erit infallibile, inflexibile, infugibile: *infallibile*, quia nihil iudicem poterit latere; *inflexibile*, quia nullus poterit sententiam revocare; *infugibile*, quia nec quisquam poterit fugere. — Ista dies respondet secundae diei, in qua *factum est firmamentum* dividens aquas caelestes ab inferioribus; sic per timorem iudicii homo stabilitur in bono et a fluxibilitate mundana sequestratur.

De dolore

Tertius est *dolor* ex consideratione damni; Psalmus [9]: *Tota die contristatus ingrediebar;* et hoc propter amissionem divinae gratiae sive amicitiae, propter vulnerationem naturae, propter amissionem vitae praeteritae. — Et haec respondet tertiae diei, in qua *apparuit terra arida germinans herbas et fructus faciens.* Nam cor humanum, quamdiu cooperta est aquis carnalium affectionum, nihil puritatis potest habere nec fructum boni operis producere.

De clamore

Quartus est *clamor* in imploratione subsidii; Psalmus [10]: *Quoniam ad te clamavi tota die* etc. Clamandum est et invocandum modo auxilium Trinitatis, modo patrocinium beatae Virginis, modo subsidium totius Ecclesiae triumphantis. — Et ista respondet quartae diei, in qua *facta sunt luminaria caeli,* quia tunc impetrantur charismata gratiarum; et hoc est *sapientiae* quantum ad devotionem, *discretionis* quantum ad vitae gubernationem, *vigoris* quantum ad virtuosam operationem; quae tria intelliguntur per *solem, lunam* et *stellas.*

De rigore

Quintus est *rigor* in exstinctione incentivi; Psalmus [11]: *Propter te mortificamur tota die* etc.; et hoc excludendo et mortificando vanitates spirituales, voluptates carnales et cupiditates temporales. — Et hoc respondet quintae diei, in qua *producti sunt pisces in aquis,* qui inde extracti moriuntur; sic Religiosus extra rigorem disciplinae positus statim interficitur.

De ardore

Sextus est *ardor* ex appetitione Sponsi; Canticorum secundo [12]: *Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, et inclinentur umbrae.* — Haec est sexta dies et sexta hora, in qua Sponsus non solum diligitur, sed etiam diligit et dilectionem suam miro modo ostendit. Nam *sexta hora* passus est; Canticorum primo [13]: *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam* etc. Et hoc respondet sextae diei, in qua *factus est homo ad imaginem Dei et bestiis terrae et aliis creaturis praelatus.* Nam per ardorem et desiderium Dei anima

---

[1] Cod. B, omissis locis Scripturae, haec tantum membra habet: in *incarnatione* propter plenitudinem gratiae; in *conversatione* propter pulcritudinem vitae; in *praedicatione* propter perfectionem doctrinae; in *operatione* propter sanctitudinem innocentiae.

[2] Vers. 9; sequitur Matth. 25, 6.

[3] Scilicet v. 5-8. Verbum *totum* significare videtur totam illam parabolam.

[4] Vers. 17; Vulgata legit: *Non misit Deus Filium suum in mundum, ut iudicet* etc.

[5] Hic sermo non est nisi longior expositio eorum quae habentur in opusculo *De Triplici Via*, c. 3. § 2, scilicet de septem gradibus, quibus pervenitur ad soporem pacis; habetur in cod. Florentino U fol. 59 v. et collatus est cum cod. Monacensi W fol. 185 v.

[6] Vers. 1.

[7] Psalm. 43, 16; sequitur Gen. 1, 3.

[8] Psalm. 55, 4; sequitur Gen. 1, 6. seq.

[9] Psalm. 37, 7; sequitur Gen. 1, 9. 11.

[10] Psalm. 85, 3; sequitur Gen. 1, 14.

[11] Psalm. 43, 22; sequitur Gen. 1, 20. seq.

[12] Vers. 16. seq.; dein respicitur Matth. 27, 45.

[13] Vers. 6; sequitur Gen. 1, 26. seqq.

deiformis efficitur, et omnibus motibus bestialibus sensualitatis mens et ratio, secundum quod possibile est, dominantur.

Postea sequitur septima dies, scilicet paschalis, quae *sopor* potest nominari, quae est quietatio in Deo ex contemplatione et gustu divinae dulcedinis; Psalmus [1]: *Melior est dies una in atriis tuis super millia. Elegi abiectus esse* etc.

Sciendum est autem, quod hoc fuit in *Bethania*, quae interpretatur domus obedientiae, domus afflictionis, domus doni Dei, domus gratificata Domino; per quae intelligitur recte Religio beati Francisci [2], quae est domus *obedientiae*, et in qua obediendum est sine contradictione in voluntate, sine murmure in sermone, sine mora in exspectatione. — Item, est domus *abstinentiae;* ibi castitas Deo offertur, in qua intelliguntur quaedam *substantialia*, ut vitatio omnis carnalis corruptionis tam opere quam voluntate; quaedam *adminicula*, ut multitudo asperitatis; quaedam *medicantia*, ut fuga suspecti consortii. — Sed dicitur gratificata Deo per *paupertatem;* nam ubi est avaritia vel proprietas in Religioso, non Deus, sed idolum colitur ab ipso. Ad paupertatem veram et perfectam requiruntur: nihil sibi appropriare, nihil habere vel retinere, nihil dare vel recipere sine licentia praelati. Rogemus etc.

e sopore.

Bethania figuratur Ordo S. Francisci.

FERIA QUINTA IN COENA DOMINI.

Sermo I [3].

Vidi, et ecce, in medio throni et quatuor animalium et in medio seniorum Agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem et oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei [4].

(Prothema). *Misit servum suum hora coenae dicere invitatis, ut venirent.* Verbum secundum est in Luca. Certum est, quod Christus *fecit coenam magnam et invitavit multos* [5], quia universitatem christianorum; et quia pigri sumus, *mittit servos suos*, id est praedicatores, ut ad coenam suam alios hortentur. Credo, quod omnes ad istam coenam venietis in Pascha et sumetis corpus Christi, quod fuit datum Apostolis in ista coena. Verum est, quod periculum est venire ad istam coenam, nisi homo sit bene dispositus ad eam; sicut periculosum fuit illi qui, *non habens vestem nuptialem, intravit* ad nuptias. Quomodo debetis sentire et venire ad istam coenam, ego, qui sum servus malus et indignus, habeo vobis proponere. Verum est, quod aliquis dives dominus per malum servum mittit eleemosynam pauperi, unde reficitur. Rogemus etc.

Prothematio.

Vidi, et ecce, in medio throni etc., Apocalypsis quinto. Et est verbum Ioannis, Apostoli et Evangelistae et Prophetae, qui explicat nobis hic mysterium redemptionis: ut *purum*, ut *pium* et ut *potestativum;* ut *purum* in Christi coena, ut *pium* in Christi morte, ut *potestativum* in Iesu Christi triumpho. Primum notatur per hoc, quod vidit *Agnum stantem in medio throni et quatuor animalium et in medio seniorum;* secundum, ibi: *tanquam occisum*, scilicet in passione; tertium, ibi: *habentem cornua septem* etc. (scilicet in glorificatione). In mysterio coenae pure nos cibavit, in patibulo crucis pie nos redemit, in triumpho resurrectionis potestative nos glorificavit. De istis tribus diversis temporibus loquendum est.

Sermo.

Divisio.

Notandum.

I. Primo, dico, describitur mysterium redemptionis nostrae ut *purum in convivio cornae*, ubi Christus, verus Agnus, nos cibavit et refecit *in medio throni*, id est Ecclesiae, *et in medio quatuor animalium et seniorum*, id est in medio doctrinae evangelicae et legalis. Et non sine causa dicit *Agnum stantem*, quia Christus nunquam iacuit per pacem (? mortem ?); sic ergo Christus convivium purum fecit; in isto convivio Christus, qui est Agnus, fuit *conviva, cibus, hierarcha* et *famulus.*

Pars I. principalis.

Subdivisio.

Primo *conviva;* in Apocalypsi [6]: *Beati, qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt.* Decens est, quod principalis conviva sit sponsus; Christus autem sponsus est sine macula et non potuit habere sponsam immaculatam, donec formaretur de latere suo. Sicut enim « Eva fuit sumta de latere Adae, sic Ecclesia de latere Christi dormientis in cruce [7] », et antequam istae nuptiae fierent in passione eius, ipse fecit convivium discipulis suis. *Beati*, illi qui fuerunt in illo convivio praesentialiter, et *beati*, qui sunt in eodem per fidem et reddunt se dignos participatione eius.

Pars I. secundaria. Prima, Christus ut conviva.

Secundo est *cibus;* sed mirabile, quod idem sit conviva et cibus; ita tamen est; de hoc dicitur in Exodo [8]: *Tollat unusquisque agnum per familias et domos suas;* et si non sint qui sufficiant ad esum agni, *assumet quilibet vicinum suum;* et sequitur: *et erit agnus absque macula, masculus, anniculus.* Per istum *agnum* significatur Christus, qui debet sumi in communicatione, id est in caritate et unitate Ecclesiae. Ipse secundum Divinitatem fuit

Christus ut cibus.

---

[1] Psalm. 83, 11.

[2] Cfr. tom. VIII. pag. 438 *Sermo* etc.

[3] Habetur in codice bibliothecae Parisiensis Mazzarineae n. 970, ex quo descriptus est, et in codice anglico biblioth. Asmoleanae n. 757, de quibus codicibus cfr. Prolegomena ad V. tom. pag. XL. seq. Insuper, teste Hauréau, tom. V. pag. 42, in codice bibliothecae Parisiensis Nationalis n. 15952. fol. 124. Hi codices sunt saec. XIII. et sermonem attribuunt Bonaventurae. — Sermonis pro *Coena Domini* pars I. est de *convivii apparatu;* vide partem II.

[4] Apoc. 5, 6. — Prothema habetur Luc. 14, 17.

[5] Luc. 14, 16; sequitur Matth. 22, 11. seq.

[6] Cap. 19, 9; deinde respicitur Gen. 2, 21. seq.

[7] Cfr. August., tr. 120. in Ioan. n. 2.

[8] Cap. 12, 3-5.

cibus Angelorum, et ideo necesse fuit, quod fieret nobis agnus per assumtionem nostrae humanitatis, ut sic in Sacramento fieret cibus noster.

Tertio Christus fuit in isto convivio *hierarcha;* Christus ut hierarcha. unde in Isaia [1]: *Emitte Agnum, Domine, dominatorem terrae, de petra deserti ad montem filiae Sion.* Sicut supernaturale esset, generari agnum de petra; sic Christus supernaturaliter natus est de Virgine. Unde bene dicitur hierarcha iste Agnus, qui etiam facit in Ierusalem, id est in Ecclesia, supernaturaliter elementa transmutare in corpus suum. De ipsa potestate ipse dicit: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra.* Et sicut potuit corpus suum formare de sanguinibus purissimis Virginis, sic potest de pane et vino formare corpus et sanguinem suum. Unde dicit Ambrosius [2], quod « invisibilis sacerdos visibilia elementa in suam substantiam invisibili virtute transmutat ». Iste est *dominator* et princeps; et ideo bene dicit: *Agnum stantem;* omnia enim stant per ipsum.

Quarto, ut nihil deesset, voluit etiam esse *fa-* Christus ut famulus. *mulus;* unde in Luca [3]: *Ego in medio vestrum sum sicut qui ministrat;* et in Evangelio hodierno dicitur: *Surgit a coena et ponit vestimenta sua et mittit aquam in pelvim, et coepit lavare pedes discipulorum.* Iste Dominus et dominator *memoriam fecit mirabilium suorum.* Quam mirabilis est humilitas! Magis est hic mirabilis quam in creatione mundi; ibi non fuit nisi unum miraculum, hic sunt, scilicet circa coenam istam, viginti octo [4]. Sic ergo humilis fuit; quod non obliviscantur qui aliis praesunt. Angeli istam humilitatem mirabantur, quod piscatorum pauperculorum et pannosorum lavit pedes. Sic ergo istud mysterium fuit purum quantum ad ipsum convivium.

II. Secundo fuit *purum quantum ad convi-* Pars II. *vandi modum;* de quo modo in Apocalypsi [5]: *Gaudeamus et exsultemus et demus gloriam ei, quia* Duplex laetitia. *venerunt nuptiae Agni* etc. Est duplex laetitia, scilicet *carnalis,* et haec non placet Deo; de qua Isaias: *Vocavit Dominus ad planctum* etc., *et ecce, gaudium et laetitia* in conviviis vestris etc. Est alia laetitia *spiritualis,* et haec placet Deo; et si in convivio habent homines organa sua, multo magis debet esse in spirituali. Modus etiam huius convivii tangitur in Exodo, ubi dicitur de agno paschali: *Edent carnes* agni *nocte illa assas igni et azymos panes cum lactucis agrestibus. Non comedetis ex eo crudum quid nec coctum aqua, sed tantum assum igni, caput cum pedibus et intestinis vorabitis, nec remanebit quidquam ex eo usque mane.* Sicut Christus secundum dictamen Spiritus sancti incarnatus est, sic secundum dictamen eiusdem datus est nobis in Sacramento. Ista verba colligit Iudaeus ad litteram intelligendo; sordidum quoque esset sic comedere; sed altus est hic sensus, secundum dictamen Spiritus sancti, dico, cor nostrum *informantis* per caritatem, Subdivisio. *innovantis* per sanctitatem, *illustrantis* per veritatem fidei et *instaurantis* per pietatem Christi. Haec quatuor notantur in verbis propositis, quae sunt necessaria ad esum istius Agni. — Primum notatur De primo. per hoc quod dicitur: *Edent carnes* agni *nocte illa assas igni.* Per *ignem* caritas intelligitur; caritas in tantum *fortis est ut mors,* Canticorum octavo [6]. Iste est ignis, de quo Dominus in Luca: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur?* Quid fecit hoc, quod Christus se ipsum dedit nobis in pretium et in pabulum? Certe caritas. Et ideo maxime per caritatem debemus affici ad ipsum. Dicit Damascenus [7], quod « caro Christi est quidam carbo ignitus ». Ergo sic debent esse *assae igni carnes huius Agni.*

Secundum notatur ibi: *comedent panes azy-* De secund. *mos cum lactucis agrestibus.* Per hoc notatur sinceritas seu puritas animae, quae est necessaria ad esum huius Agni; unde Apostolus primae ad Corinthios [8]: *Pascha nostrum immolatus est Christus; itaque epulemur, non in fermento veteri neque in fermento malitiae et nequitiae, sed in azymis sinceritatis et veritatis,* quia nec Christus in fermento [9]; ipsi Graeci conficiunt in fermentato et habent uxores, unde fermentati sunt; sed nobis competunt *azyma,* id est sine fermento. Sic ergo caritati debet esse adiuncta sanctitas, quae notatur per *lactucas agrestes,* quae « amarae sunt [10] ».

Tertium notatur ibi: *Non comedetis ex eo cru-* De tertio. *dum quid nec coctum aqua, sed tantum assum igni;* unde hic notatur divina *illustratio* per veritatem fidei. Est veritas sensus et experientiae, et est ve- Duplex veritas. ritas investigationis et rationis humanae, et neutra per se sufficit ad esum huius Agni, sed requiritur illustratio, quae fit per veritatem fidei. Unde in isto Sacramento decipiuntur omnes sensus, excepto uno, et hoc est nobis significatum in Genesi [11], ubi decipiebatur sensus visus Isaac circa Iacob, et sensus olfactus credidit odorare Esau: *Ecce, odor filii mei* etc.; item, tactus, quando sensit manus eius pilosas propter pelles circumdatas; item, gustus credebat, quod cibus ille fuisset de venatione Esau; sed auditus non decipiebatur. Unde dixit: *Vox quidem, vox Iacob* etc. Sic omnes sensus decipiuntur in hoc Sacramento, excepto solo auditu, qui audit haec verba: *Hoc est*

[1] Cap. 16, 1; sequitur Matth. 28, 18.
[2] In tomo IV. tribuitur Eusebio Emiss., sed cfr. ibi pag. 231, nota 2.
[3] Cap. 22, 27; sequuntur Ioan. 13, 4. seq. et Ps. 110, 4.
[4] Vide infra sermonem ultimum in Coena Domini.
[5] Cap. 19, 7; sequuntur Isai. 22, 12. seq. et Exod. 12, 8-10.
[6] Vers. 6; sequitur Luc. 12, 49.
[7] Libr. IV. de Fide orthod. c. 13; cfr. III. Sent. pag. 198, nota 4.
[8] Cap. 5, 7.
[9] Apographum habet *quia Christo et fermento.*
[10] Glossa *ordinaria* in hunc locum.
[11] Cap. 27, 1. seqq.; dein Matth. 26, 26. et Rom. 10, 17.

corpus meum; et statim homo assentit per fidem, secundum quod dicit Apostolus: *Fides ex auditu* est. Unde Iudaei ad litteram voluerunt intelligere; unde quando Christus dixit eis: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis*[1] etc., dicitur in Ioanne: *Litigabant ergo Iudaei* etc.; crediderunt, quod daret eis carnes suas sensibiles ad manducandum, sicut dantur carnes de macello. *Coctum aqua comedunt* qui volunt per rationem investigare istud Sacramentum[2], sicut illi discipuli in Ioanne[3], qui dixerunt: *Durus est hic sermo, et quis potest eum audire?* Et ideo dixit Christus: *Verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt;* et *Petrus* interrogatus, si vellet abire, *respondit: Domine, ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes.* Iste cibus spiritualis est. Sicut enim ipsa anima est in qualibet parte corporis tota, sic in qualibet parte hostiae virtute supernaturali est Christus totus. Unde spiritualiter habent intelligi verba Christi per illustrationem fidei, et ideo dicitur: *sed tantum assum igni.*

Quartum notatur ibi, scilicet quod sumitur istud
e quarto. Sacramentum secundum dictamen Spiritus sancti *instaurantis cor* per ipsam pietatem Christi, cum dicitur: *caput cum pedibus et intestinis vorabitis.* Per *caput* Divinitas Christi, per *pedes* vestigia humanitatis, per *intestina* verborum et mandatorum mysteria designantur[4]. De istis pie sentire debemus, et sicut spongia attrahit aquam, sic ista debent cor nostrum ad Deum trahere et in ipsum transformare. Augustinus[5] in persona Domini: « Non tu me mutabis in te sicut cibum carnis tuae, sed tu mutaplex Verbum. beris in me ». — Est triplex Verbum: increatum, incarnatum et inspiratum: increatum, secundum quod est apud Patrem; incarnatum, secundum quod est in carne; inspiratum, secundum quod est in mente. Primo modo est origo illustrationum veritatis, secundo modo est origo inflammationum caritatis, et ideo dicitur in Canticis[6]: *Comedite, amici,* masticando per veritatem fidei; *et bibite,* incorporando vobis, ut habeatis sanctitatem vitae; *et inebriamini,* per caritatem Spiritus sancti. « Quid paras dentem et ventrem? Crede, et manducasti », dicit Augustinus[7]. Para igitur affectum et suscipe Christum. Sequitur postea in Exodo[8]: *si quid residuum fuerit, igne comburetis,* id est devotione.

Pars III. III. Tertio loannes explicat istud convivium sive mysterium quantum ad *elegantiam convivarum;* unde in Apocalypsi[9]: *Et vidi, et ecce, Agnus stabat supra montem Sion, et cum eo centum quadraginta quatuor millia* etc.; et sequitur: *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt. Hi empti sunt ex hominibus primitiae Deo et Agno; sine macula sunt ante thronum Dei. Et sequuntur Agnum, quocumque ierit.* Et istud concordat ei quod scribitur in veteri Testamento de esu agni. Unde dicit Moyses: *Sic comedetis illum: renes vestros accingetis et calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, et comedetis festinanter; est enim Phase (id est transitus) Domini.* — Hic ponuntur quatuor conditiones convivarum, quas loannes explicat. Ponit enim pudicitiae *sanctimoniam,* cum dicit: *renes vestros accingetis;* providentiae *circumspectionem,* ibi: *calceamenta habebitis in pedibus;* tolerantiae *fortitudinem,* ibi: *tenentes baculos in manibus;* et obedientiae *celeritatem,* ibi: *et comedetis festinanter* etc. Ista quatuor debet habere qui vult manducare de ista coena. — Istud explicat quasi *primum* istorum loannes, cum dicit: *Hi sunt, qui cum mulieribus* etc.; et debemus habere *zonam auream* cum Christo *ad mamillas*[10], quae sunt circa cor, id est, debemus habere mundas cogitationes. Miror, quomodo ille qui non habet cingulum castitatis, audet accedere ad istam coenam.

Conditiones convivarum. De prima.

Secundo requiritur *providentiae circumspectio,* De secunda. quod notatur per *calceamenta in pedibus.* Est duplex prudentia: una *carnalis,* haec est dimittenda; unde dixit Dominus Moysi[11]: *Solve calceamentum de pedibus tuis. Locus enim, in quo stas, terra sancta est.* Alia est prudentia *spiritualis,* quae est bonum calceamentum, de quo Apostolus: *State calceati pedes in praeparatione Evangelii pacis.* Ista discretio est loqui, quando docet quod expedit. Aliqui sunt, qui econtra, quando debent praedicare *Evangelium pacis,* magis faciunt turbationem. Istam prudentiam explicat loannes, quando dicit: *Hi sequuntur Agnum, quocumque ierit.* Sequi Christum Agnum summa prudentia est.

Tertia conditio est *tolerantiae fortitudo,* quae De tertia. notatur per *tentionem baculorum.* Per *baculum* crux Christi significatur. *Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt*[12]. Cum isto baculo ivit David contra Goliath; in Proverbiis[13]: *Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo expugnatore urbium.* Non est aliquis senex, quin tolerantia reddat eum fortem. Istud explicat loannes, cum dicit: *Hi empti sunt ex hominibus, primitiae Deo et Agno. Et in ore eorum non est inventum mendacium.* Isti sunt sancti Martyres, qui fuerunt ita fortes, quod flecti non potuerunt.

Quarta conditio est *obedientiae celeritas* et no- De quarta. tatur ibi: *comedetis festinanter.* Et explicat loannes: *Et sunt sine macula ante thronum Dei.* Debet

---

[1] Ioan. 6, 54. et dein v. 53.

[2] Cfr. Glossa *ordinaria* in hunc locum.

[3] Ioan. 6, 61. 64. 69.

[4] Ita secundum Glossam *interlinearem* in hunc locum aliqua in textu correximus. Cfr. ibidem Glossa *ordinaria* ex Gregorio II. Homil. in Evang. homil. 22. n. 8.

[5] Libr. VII. Confess. c. 10. n. 16. [6] Cap. 5, 1.

[7] In Ioan. Evang. tr. 25. n. 12.

[8] Cap. 12, 10.

[9] Cap. 14, 1. 4. 5; sequitur Exod. 12, 11.

[10] Apoc. 1, 13.

[11] Exod. 3, 5; sequitur Eph. 6, 14. seq.

[12] Psalm. 22, 4; deinde respicitur I. Reg. 17, 40.

[13] Cap. 16, 32; sequitur Apoc. 14, 5. seq.

homo studere, ut sit *sine macula*, et cito incipere servire Deo, contra illos qui dicunt: serviam Deo, quando ero senex. *Festinemus*, inquit Apostolus [1], *ingredi in illam requiem*; et Ecclesiastes: *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare* [2]. Rogemus Dominum etc.

Sermo II [3].

Tertio anno imperii sui rex Assuerus fecit grande convivium cunctis principibus et pueris suis, fortissimis Persarum et Medorum inclytis et praefectis provinciarum etc., Esther primo [4].

(Prothema). *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa* [5]. Praedicator enim veritatis triplici indiget virtute, scilicet *prolativa* ad pulsandum aurem sensus, *interpretativa* ad pulsandum aurem intellectus, *impressiva* ad pulsandum aurem affectus; et quoniam haec triplex virtus non est in praedicante, sed in Deo dante, rogemus Dominum etc. Prothema.

Tertio anno imperii sui etc.

Continent verba proposita praesentis solemnitatis metaphoram et figuram, in qua memoria illius convivii celebratur, in quo rex Angelorum discubuit cum principibus orbis terrae, sicut et sacra Evangelii lectio manifestat; Matthaei vigesimo sexto [6]: *Coenantibus autem eis, accepit Iesus panem et benedixit ac fregit* etc. Circa cuius convivii celebrationem [7] quatuor concurrunt, quae in verbis propositis apertissime figurantur. Primum est *observantia congruitatis* in tempore, ibi: *Tertio anno imperii sui*; secundum est *magnificentia* [8] *nobilitatis* in principe, ibi: *rex Assuerus*, qui interpretatur beatus; tertium est *affluentia largitatis* in munere, ibi: *fecit grande convivium*; quartum est *congruentia dignitatis* in societate, ibi: *cunctis principibus* etc. — Dignitas autem convivantium ostenditur hic ex quatuor: primo, ex *puritate* innocentiae, ibi: *pueris*; secundo, ex *magnanimitate* constantiae, ibi: *fortissimis*; tertio, ex *generositate iustitiae*, ibi: *inclytis*; quarto, ex *dignitate* praeeminentiae, ibi: *et praefectis provinciarum*. Sermo. Divisio. Divisio quarti membri.

I. Dicit ergo: *Tertio anno* etc. Iste annus tertius est tempus *gratiae*, quem duo alii praecesserunt, scilicet tempus *legis scriptae* et *naturae instituitae*. Distinguuntur enim tria tempora, in quibus manifestum est imperium istius regis magnifici: in tempus naturae conditae, in quo manifestavit potentiam, producendo naturam; tempus legis Moysaicae, in quo manifestavit sapientiam, communicando doctrinam; et tempus gratiae revelatae, in quo manifestavit benevolentiam, infundendo gratiam. In primo autem anno regnavit praefiguratus et postulatus; Exodi quarto [9]: *Obsecro, Domine, non sum eloquens ab heri et nudiustertius; et ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris et tardioris linguae sum*; in secundo autem pronuntiatus et exspectatus, ideo Zachariae nono: *Exsulta satis, filia Sion; ecce, rex tuus veniet tibi mansuetus et salvator*; et Habacuc secundo: *Si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet et non tardabit*; in tertio vero ut manifestatus et cum hominibus conversatus; Ioannis primo [10]: *Verbum caro factum est et habitavit in nobis*; et Baruch tertio: *Post haec in terris visus est et cum hominibus conversatus est.* — In primis duobus annis occurrit synagoga Iudaica, ex qua sicut ex ficulnea plantata in pomario Assueri quaesivit rex iste fructus iustitiae et non invenit; ideo figuraliter dicitur Lucae decimo tertio [11]: *Ecce, anni tres sunt, ex quo venio quaerens fructum in ficulnea hac, et non invenio.* Quae, quoniam per Christum venientem et convivium mirabile delectabiliter celebrantem vocata venire contempsit, ideo repudiata est a Christo, et Ecclesia de gentibus congregata, sicut Vasthi vituperabiliter dimissa est, et Esther honorabiliter introducta. Quoniam ergo Ecclesia quasi nova sponsa in principio temporis gratiae est caelesti Sponso coniuncta, ideo illud gratuitum et nuptiale convivium non debuit ante tempus gratiae celebrari. Ideo convenienter dicitur: *Tertio anno imperii sui*; ubi exprimitur *observantia congruitatis* in tempore [12]. Tria tempora distinguuntur. De primo. De secundo. De tertio. Explicatio.

II. Et sequitur: *rex Assuerus*, ubi exprimitur *magnificentia nobilitatis* in principe. Circa quod notandum est, quod Christus Dominus et Dei Filius incarnatus congrue significatur per regem Assuerum, qui interpretatur *beatus*, quia ipse est rex gloriae, qui rationabiliter dicitur rex gloriosus et nobilis, et hoc quadruplici ratione: primo, quia *liberalissimus* ad largiendum munera; ideo dicit Lucae vigesimo secundo [13]: *Vos estis, qui permansistis mecum in* Pars II. Magnificentia nobilitatis in principe. Ratio quadruplex. Prima.

Pars I. Congruitas in tempore.

[1] Hebr. 4, 11; sequitur Eccle. 9, 10.

[2] Pars secunda habita est in Parasceve et sequitur ut sermo primus in Parasceve, infra pag. 259.

[3] Hic sermo habetur in bibliotheca Regia Monachii cod. Lat. n. 23595 fol. 182 r. col. II, qui olim fuit in bibliotheca Assisiensi sacri Conventus; et in cod. Tudertino n. 143. fol. 71. Hi codices bene conveniunt; in Tudertino tamen loci Scripturae magis complete ordinario exhibentur. Est etiam in cod. Berolinensi N, qui addit breve Prothema, multa omittit, alia transponit, nonnulla habet omnino propria, quae inserere apto loco difficile fuit, unde omittenda videbantur. — Sermo hic, teste etiam P. Fidele a Fanna, manifeste indolem et stilum S. Bonaventurae exhibet. Pars quarta eiusdem sermonis breviter tantum in fine divisionis indicata est.

[4] Vers. 3.

[5] Psalm. 67, 12. Hoc Prothema habetur in solo N.

[6] Vers. 26; hic locus Matthaei habetur in solo N. Cod. Monacensis legit *series* pro *lectio*.

[7] Cod. N *celebritatem*.

[8] Cod. N habet *excellentia*.

[9] Vers. 10; sequuntur Zach. 9, 9. et Habac. 2, 3.

[10] Vers. 14; sequitur Baruch. 3, 38.

[11] Vers. 7. seq.; deinde respicitur Esth. 1, 19. seqq. et 2, 1-9.

[12] Haec pars I. deest in N.

[13] Vers. 28-30; sequuntur III. Reg. 10, 13. et Ioan. 16, 23. seq.

tentationibus meis; et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo. Cuius liberalitas figurata est in Salomone, de quo dicitur tertii Regum decimo: *Rex Salomon dedit reginae Saba omnia, quae voluit et petivit ab eo.* Sic et Christus, Ioannis decimo sexto, *si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis; usque modo non petistis quidquam in nomine meo; petite, et* Secunda. *accipietis.* — Secundo, quia *potentissimus* ad faciendum ardua; Esther decimo tertio [1]: *Domine, rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita;* et Ecclesiastae quinto: *Excelso excelsior est alius, et super hos quoque eminentiores sunt alii, et insuper universae terrae rex imperat servienti;* et Psalmus: *Quis est iste rex gloriae? Dominus fortis et potens.* Tertia. — Tertio, quia est *sapientissimus* ad instruendum utilia, quia hic est ille, de quo dicitur proprie Sapientiae sexto [2]: *Rex sapiens stabilimentum populi.* Ideo significatus est per Salomonem, de quo dicitur tertii Regum quarto [3]: *Dedit Deus sapientiam Salomoni et prudentiam multam nimis, et praecedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium orientalium,* quia animae Christi communicata est omnis Quarta. scientia. — Quarto, quia rex *mansuetissimus* ad exercenda humilia; ideo dicitur Matthaei vigesimo primo [4]: *Ecce, Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam et pullum, filium subiugalis;* ac magis dicantur. et undecimo: *Discite a me, quia mitis sum.* — Quia ergo est rex *liberalissimus*, ideo in signum suae liberalitatis largissimae fecit grande *convivium* et delectabile; quia rex *potentissimus*, in signum suae potestatis altissimae fecit grande *miraculum* et admirabile vel memorabile; quia rex *sapientissimus*, ideo in signum suae perspicacitatis limpidissimae fecit grande *colloquium* et acceptabile; quia rex *mansuetissimus*, in signum suae humilitatis profundissimae fecit grande *obsequium* et imitabile.

Haec quatuor hodie legimus celebrata, scilicet Applicatio diem festum. paschale *convivium*, sacramentale *mysterium*, magistrale *documentum* et familiare *obsequium*. Ex paschali autem convivio spiritus *delectatur* [5], ex sacramentali mysterio spiritus *roboratur*, ex magistrali colloquio spiritus *illustratur*, ex familiari obsequio spiritus *excitatur*. Ex his igitur excitatur potentia operativa aspiciendo ad exemplum, illustratur potentia intellectiva suscipiendo documentum, delectatur potentia affectiva accipiendo Sacramentum; et sic tota anima vigoratur. Haec ergo sunt materia festivitatis hodiernae, scilicet celebratio convivii, institutio Sacramenti, exhibitio obsequii et eruditio documenti.

III. Fecit ergo Christus hodie in signum *suae liberalitatis* largissimae *grande convivium* et delectabile, quod dicitur *grande*, quia a grandi *persona* — ex grandi *amicitia;* Ioannis decimo tertio [6]: *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos;* Lucae vigesimo secundo: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum* — cum grandi *comitiva;* Psalmus: *Principes populorum congregati* — et propter grandia *fercula;* Sapientiae decimo sexto [7]: *Panem de caelo praestitisti eis omne delectamentum in se habentem et omnis saporis suavitatem;* et Ioannis sexto: *Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi.* Hoc significatum est Genesis vigesimo primo, ubi dicitur: *Fecit Abraham grande convivium in die ablactationis Isaac.* De hoc etiam potest intelligi illud Lucae decimo quarto [8]: *Homo quidam fecit coenam magnam et vocavit multos.* De hac coena dixit quidam: Pars III. Primo, signum suae liberalitatis. Est grande convivium quadruplicitter.

> « Rex sedet in coena, turba cinctus duodena,
> Se tenet in manibus, se cibat ipse cibus ».

Ipse enim se exhibuit hodie in cibum et potum, sicut praedixerat Ioannis sexto [9]: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus;* de quo cibo Bernardus [10]: « Hic cibus non a quoquam praeparatur nec de transmarinis partibus veluti poma peregrina portatur, sed cibus est, qui reficit nec deficit; cibus est qui se ipsum commendans ait: *Ego sum panis vitae* ». Qui cibus esurientes satiat et integer manet. — Hic cibus propositus fuit in convivio hodierno, quod Salvator fecit; primae ad Corinthios undecimo [11]: *Dominus Iesus, in qua nocte;* qui etiam durat usque in finem; Matthaei ultimo: *Ecce, ego vobiscum sum* etc. Ideo primae ad Corinthios undecimo: *Quotiescumque* igitur *manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* In hoc convivio iucundatur et reficitur Maria, id est anima devota, quae fideliter et reverenter recipit hoc Sacramentum; quia huius manducatio digna *fructuosa* est; Ioannis sexto [12]: *Qui manducat carnem meam* etc.; indigna vero *damnosa;* primae ad Corinthios undecimo: *Qui manducat et bibit indigne* etc. Ideo dicitur primae ad Corinthios undecimo: *Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat.*

In signum suae *potestatis* altissimae est *grande miraculum* et ineffabile, quia hoc est supra *apprehensionem* sensibilem, supra *investigationem* imaginariam et supra *considerationem* intellectualem et supra *operationem* naturalem, quod hodie operatus Secundo, signum suae potestatis. Grande miraculum quadrupliciter.

---

[1] Vers. 9; sequuntur Eccle. 5, 7. 8. et Ps. 23, 8.
[2] Vers. 26.
[3] Vers. 29. seq.
[4] Vers. 5. et dein c. 11, 29.
[5] Ita N; alter codex legit *decoratur*.
[6] Vers. 1; sequuntur Luc. 22, 15. et Ps. 46, 10.
[7] Vers. 20; sequuntur Ioan. 6, 51. et Gen. 21, 8.
[8] Vers. 16.
[9] Vers. 56.
[10] Hunc locum non invenimus.
[11] Vers. 23; sequuntur Matth. 28, 20. et 1. Cor. 11, 26.
[12] Vers. 55; sequitur 1. Cor. 11, 29. et 28.

est in hoc Sacramento mirabili. Quod enim accidentia sine subiecto subsistant et apprehendantur, hoc est supra apprehensionem *sensitivam*. Quod illud corpus sit in diversis locis, eo quod virtute divina multa convertuntur in ipsum, hoc est supra apprehensionem *imaginariam*. Quod tantum corpus sub tam modica specie contineatur non circumscriptum vel arctatum, et tam lucidum occultetur, hoc est supra apprehensionem *intellectivam*. Quod totus panis convertatur in totum corpus Christi, et non sit generatio vel alteratio nec secundum locum mutatio, sed transsubstantiatio sola, in qua totum convertatur in totum, et unum ens actu in aliud ens actu, hoc est supra naturalem *operationem*. Ideo de eo dicit Psalmus [1]: *Memoriam fecit mirabilium suorum* etc.

Est memoria mirabilium divinorum.

Hoc Sacramentum deificum et mirificum est *memoria mirabilium divinorum* inter omnia mirabilia mains, in quo terrena caelestibus, ima summis, visibilia invisibilibus coniunguntur. Gregorius [2]: « Quis fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem caelos aperiri, in illo Iesu Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena caelestibus iungi, et unum quoddam ex visibilibus et invisibilibus fieri »? De hoc etiam potest intelligi illud Isaiae vigesimo nono [3]: *Ecce, ego addam, ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi et stupendo.*

Institutur ad finem quadruplicem.

— Haec *admiratio* est hoc mirabile Sacramentum, quod Deus ideo instituit, ut habeant membra Christi *signum rememorativum* dominicae passionis propter memoriae labilitatem; primae ad Corinthios undecimo: *Hoc facite in meam commemorationem.* — *Viaticum refectivum* humanae defectionis propter naturae debilitatem; ideo Ioannis sexto: *Nisi manducaveritis carnem* etc. — *Vinculum unitivum* humanae affectionis propter voluntatis diversitatem; ideo primae ad Corinthios decimo [4]: *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus* in Christo; *omnes, qui de uno pane* et de uno calice *participamus* etc. — *Sacrificium remediativum* humanae transgressionis propter culpae pronitatem; ideo ad Hebraeos nono: *Si enim sanguis hircorum* etc., *quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi?*

Item, ad meritum triplex.

Institutum est etiam ad hoc, ut *fidei meritum* augmentetur, dum homo hoc credit, quod nulla ratione cogitur; ut *spei fiducia* sublevetur, dum ipsum eundem sacerdos offert Deo Patri in altari, qui se voluntarie obtulit pro nobis in cruce; ut *caritatis devotio* inflammetur, dum sentit sibi Deum praesentem in carne sacramentaliter velata, qui sic nos dilexit, ut ipsum carnem exponeret pro nobis impiissimis cruciandam.

Triplex ex praedictis manifestatio.

Ex quatuor primis [5] manifestatur divina *potentia* insuperabilis in hoc Sacramento propter operis arduitatem, quia sic ostendit, se posse supra humanam potentiam sensitivam, imaginariam, intellectivam et operativam. — Ex quatuor secundis manifestatur divina *sapientia* imperscrutabilis in hoc Sacramento propter operis congruitatem, quia congruum est, ut membra Christi habeant *signum* memorativum humanae redemptionis, *viaticum* refectivum humanae defectionis, *vinculum* unitivum humanae affectionis et *sacrificium* remediativum humanae transgressionis. In hoc ergo ostenditur sapientia Dei. — Ex tribus ultimis manifestatur divina *benevolentia* ineffabilis in hoc Sacramento propter operis utilitatem. Utilitati autem nostrae providit divina clementia, cum hoc Sacramentum instituit, in quo augmentatur *fides* illustrans rationalem, sublevatur *spes* confortans irascibilem, et excitatur *amor* inflammans concupiscibilem. — Et ideo ad ostensionem suae potentiae, sapientiae et clementiae hoc Sacramentum admirabile et venerabile hodie fuit a Domino institutum; ideo Psalmus [6]: *A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris.*

Epilogus.

Tertio, si gnum sen veritatis fr pliciter.

In signum suae *veritatis* vel limpiditatis clarissimae fecit *colloquium grande* et acceptabile: grande quidem, quia in hoc documento certificavit dubios, roboravit infirmos et excitavit pigros. Ut enim tanquam certi tenerent *fidei* firmitatem, dixit Ioannis decimo quarto [7]: *Creditis in Deum, et in me credite;* ut tanquam firmi tenerent *spei* firmitatem, ideo dixit: *Non turbetur cor vestrum;* ut tanquam amici et uniti tenerent *amoris* sinceritatem; ideo dixit: *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Et ideo hoc documentum fuit sufficientissimum, quia ex fidei firmitate clarificatur rationalis, ex spei securitate fortificatur irascibilis, ex amoris sinceritate dulcoratur concupiscibilis. Ideo dicitur Deuteronomii quarto [8]: *Te fecit audire vocem suam, ut doceret te, et in terra ostendit tibi ignem suum maximum.* Hoc audire desiderabat Psalmista: *Auditum fac mihi mane misericordiam tuam* etc., quia, sicut dicitur tertii Regum decimo, *beati viri tui, et beati servi tui, qui stant coram te semper et audiunt sapientiam tuam.*

Quarto, si gnum hum litatis.

In signum *humilitatis* perfectissimae *grande obsequium* et imitabile, quia rex Angelorum humiliatus est ad pedes discipulorum. Quod admirans Petrus dixit Ioannis decimo tertio [9]: *Domine, tu mihi lavas pedes?* In quo admiratur Apostolorum princeps in suo Rege maiestatis dominium et humilitatis obsequium. Domine Iesu Christe, tu qui es: essentiae

---

[1] Psalm. 110, 4. [2] Libr. IV. Dialog. c. 58. seq.
[3] Vers. 14; sequuntur I. Cor. 11, 24. et Ioan. 6, 54.
[4] Vers. 17; sequitur Hebr. 9, 13. seq.
[5] Scilicet supra pag. 251 col. II. in fine relatis.
[6] Psalm. 117, 23.
[7] Vers. 1; sequitur c. 15, 12.
[8] Vers. 36; sequuntur Ps. 142, 8. et III. Reg. 10, 8.
[9] Vers. 6; sequuntur Ps. 43, 5. et 96, 9; dein Isai. 45, 15.

Christus est potestatis dignissimus. nobilitate *dignissimus;* Psalmus: *Tu es ipse rex meus et Deus meus;* item: *Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram;* et Isaias: *Vere tu es Deus absconditus.* — Potentiae sublimitate Potentiae altissimus. *altissimus;* Sapientiae decimo sexto [1]: *Tu es, Domine, qui vitae et mortis habes potestatem et deducis ad portas mortis et reducis;* et Psalmus: *Tu dominaris potestati maris* etc.; idem: *Tui sunt caeli, et tua est terra* etc. — Sapientiae profunditate Sapientiae altissimus. *claris-simus;* Psalmus [2]: *Ecce, tu, Domine, cognovisti omnia;* et tertii Regum octavo: *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum.* — Providentiae assiduitate *benignissimus;* Sapientiae duodecimo [3]: *Non est alius Deus quam tu, cui cura est de omnibus;* et Psalmus: *Tu, Domine, servabis nos;* et Sapientiae decimo quinto: *Tu, Deus, disponens omnia.* — Permanentiae stabilitate *aeternissimus;* Threnorum ultimo [4]: *Tu, Domine, in aeternum permanebis; solium tuum in generationem et generationem;* et Psalmus: *Priusquam montes fierent, aut formaretur* etc. — Clementiae benignitate *dulcissimus;* Psalmus [5]: *Quoniam tu, Domine, suavis et mitis;* et Sapientiae decimo quinto: *Tu, Deus noster, suavis et verus es, patiens et in misericordia disponens omnia.* — Iustitiae aequitate *rectissimus;* Ieremiae duodecimo [6]: *Justus quidem tu es, Domine, si disputem tecum;* et Sapientiae duodecimo: *Tu, dominator virtutis, cum tranquillitate iudicas et cum magna reverentia disponis nos* etc. — Tu qui es: meus *plasmator* solus, qui me formasti; Psalmus [7]: *Tu formasti me et posuisti super me manum tuam;* item Iob: *Manus tuae,* Domine, *fecerunt me et plasmaverunt me.* — Meus *doctor* verus, qui me illustrasti; Psalmus [8]: *Tu illuminas lucernam meam, Domine* etc., quia ipse est lux; Ioannis octavo: *Ego sum lux mundi; qui sequitur me* etc. — Meus *gubernator* assiduus, qui me conservasti; Psalmus [9]: *Tu es refugium meum a tribulatione, quae circumdedit me* etc.; item: *Fortitudo mea et refugium meum* etc. — Meus *honorator* praecipuus, qui me exaltasti; Sapientiae nono [10]: *Tu elegisti me regem populo tuo et iudicem filiorum tuorum et filiarum et dixisti, me aedificare templum in monte sancto tuo.* — Meus *glorificator* futurus, qui me ad gloriam praeparasti; Psalmus [11]: *Tu es, qui restitues hereditatem meam mihi;* idem: *Tu autem, Domine, susceptor meus es* et *gloria mea.* Quasi dicat: Domine, tu meus formator mirificus, dominator magnificus, gubernator assiduus, honorator praecipuus et glorificator futurus, tu mihi lavas pedes? In quo mirificatur in Christo potestatis dominium et humilitatis obsequium, et ideo refugiebat lavacrum. Ideo dicit [12]: *Non lavabis mihi pedes in aeternum.* — Sed quia hoc fecit Christus ad exhibendum humilitatis exemplum, ideo dicit: *Quod ego facio tu neseis modo, scies autem postea* etc.; infra: *Scitis, quid fecerim vobis,* ego *Dominus et Magister* etc. *Exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis.* Hortatio.

Sermo III [13].

Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita, Ioannis sexto [14]

Exprimitur in his verbis sacramentale mysterium, quod sanctissima mater Ecclesia hodie recolit institutum. Describitur autem quantum ad tria, scilicet quantum ad *signum extrinsecum* et sensibile, ibi: *Panis, quem ego dabo;* quantum ad *contentum intrinsecum* et insensibile, ibi: *caro mea est;* quantum ad *effectum proficuum* et perceptibilem, ibi: *pro mundi vita.* Apparentia autem visibilis excitat sensum, existentia invisibilis superat intellectum, sed efficacia mirabilis delectat affectum. Divisio generalis.

Dicitur ergo: *Panis, quem ego dabo* etc. Haec promissio (exsecutioni) data est in coena; Matthaei vigesimo sexto [15]: *Coenantibus autem eis, accepit Iesus panem et benedixit ac fregit deditque discipulis suis;* et primae ad Corinthios undecimo: *Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem et gratias agens, fregit et dixit: Accipite et manducate, hoc est corpus meum.* De multiplici pane quaere quarta Dominica Quadragesimae [16]. Notandum.

I. Hic autem panis *sumendus* est primo cum *sinceritate conscientiae;* primae ad Corinthios undecimo [17]: *Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit;* primo, quia secus citius corporaliter *moritur,* ut dicitur primae ad Corinthios undecimo: *Ideo inter vos multi infirmi et imbeciles, et dormiunt multi.* Secundo, quia omnibus bonis spiritualibus *spoliabitur;* Habacuc secundo: *Spoliabunt te omnes propter sanguinem hominis,* id est Christi. Tertio, quia talis anima magis ac magis *exaecatur, defoedatur* et *polluitur;* Threnorum quarto [18]: *Erraverunt caeci in plateis, polluti sunt in sanguine,* scilicet Pars I. De modo sumendi primo. Ratio quadruplex.

---

[1] Vers. 13. et deinde Ps. 88, 10. 12.
[2] Psalm. 138, 5; sequitur III. Reg. 8, 39.
[3] Vers. 13; sequuntur Ps. 14, 8. et Sap. 15, 1.
[4] Cap. 5, 19; sequitur Ps. 89, 2.
[5] Psalm. 85, 5; sequitur Sap. 15, 1.
[6] Vers. 1; sequitur Sap. 12, 18.
[7] Psalm. 138, 5; sequitur Iob 10, 8.
[8] Psalm. 17, 29; sequitur Ioan. 8, 12.
[9] Psalm. 31, 7. et 30, 4.
[10] Vers. 7. 8.
[11] Psalm. 15, 5. et 3, 4.
[12] Ioan. 13, 8. et dein v. 7. 12. 14. 15.
[13] Ex codice Berolinensi N, et brevius habetur in cod. Tudertino n. 143. fol. 70 r.
[14] Vers. 52.
[15] Vers. 26; sequitur 1. Cor. 11, 23. seq.
[16] Vide supra pag. 234, serm. 2. — Quae praecedunt: *Apparentia autem visibilis* etc. et supra verba *et perceptibilem* addidimus ex codice Tudertino.
[17] Vers. 28. seq.; sequitur v. 30. et Habac. 2, 8.
[18] Vers. 14; sequitur Iob 16, 19.

Iesu Christi. Quarto, quia in iudicio extremo gravius *accusabuntur* et *damnabuntur*; ibi ipse sanguis Christi contra indignos allegabit et accusabit; lob: *Terra, ne operias sanguinem meum*; sic clamabit contra falsos praedicatores et venditores corporis et sanguinis Christi. Ili sunt indigne confidentes et sumentes. Gregorius [1]: « Exemplo Indae Filium hominis tradit qui illud inviolabile dominici corporis Sacramentum violare praesumit ». O quid faciunt continui traditores Christi, qui toties indigne celebrant et communicant! O si multi pro una incontinentia sola, pro unica superbia, avaritia vel invidia tam dure in iudicio damnabuntur, qua fronte tunc comparebunt qui toties Christum tradunt? — Necesse ergo est, ut cor hominis prius purgetur, ubi recipi debet tam pretiosum, tam nobile balsamum, totus thesaurus caelorum, omnis gloria Angelorum, Dominus saeculorum, iudex vivorum et mortuorum; primae ad Corinthios undecimo [2]: *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Mandamini* ergo, *qui fertis vasa Domini*, Isaiae quinquagesimo secundo.

Hortatio.

II. Secundo debet esse *spiritualis affectio a percipiente*. Rusticus esset qui, pransurus laute cum principe, impleret ventrem faba vel lente. Sic qui delectantur circa terrena; unde primae ad Corinthios decimo [3]: *Non potestis mensae Domini participes esse et mensae daemoniorum*. Desiderabile esset illud Sacramentum, etiam si sola caro tam nobilis daretur in cibum; sed nunc potius, cum tria nobilissima fercula quasi in una scutella sunt posita, scilicet *caro*, quae dulcis; Ioannes: *Caro mea vere est cibus; anima*, quae dulcior et carne nobilior; Ioannes: *Spiritus est, qui vivificat; divinitas*, quae dulcissima; Psalmus [4]: *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine;* Sapientiae decimo sexto: *Panem de caelo praestitisti populo tuo omne delectamentum in se habentem et omnis saporis suavitatem*. Quid mirum? ipse est *in quem desiderant Angeli prospicere*. Si tantum delectat visus, quantum gustus! Ecce, fercula mensae Christi. O ineffabilis dilectio! Si multum diligit qui dat sua, quantum qui dat se ipsum?

Pars II. De modo sumendi secundo.

Nam ipse dedit se in *sacrificium reconciliationis* ad placandam Patris iram; Psalmus [5]: *Sacrificium et oblationem noluisti*, nec placuerunt tibi, Domine, ut in Lege Moysi; *tunc dixi: Ecce, venio;* et iterum: *Tunc acceptabis*, Deus Pater, *sacrificium iustitiae*, videlicet oblatum a Christo, Filio tuo carissimo. — Item, in *pretium redemptionis;* primae Petri primo [6]: *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi;* et Apocalypsis quinto: *Redemisti nos Deo in sanguine tuo*, ablatos diabolo, cuius erant; non quasi diabolo pretium fuerit datum, ut homo liberaretur; sed pretium fuit ipsi Maiestati offensae oblatum, ut, restituto honore, diabolus, qui ioinste hominem invaserat, spoliaretur. — Item, in *cibum refectionis*. Adam comederat cibum vetitum sibi et filiis suis in mortem, sed Christus dedit se in cibum vitae ad vitam. — Sed heu! quibusdam non sapit iste cibus, quantum natura eius exigit, propter tria, scilicet propter sensus *adustionem*, qualiter est in infirmis, qui prae infectione gustus non delectantur in cibo, quantumcumque sit dulcis; Psalmus [7]: *Omnem escam abominata est anima eorum, et appropinquaverunt usque ad portas mortis;* lob trigesimo tertio: *Abominabilis ei fit in vita sua panis, et animae illius cibus ante desiderabilis.* — Item, propter sensus *repletionem*, qualiter est in saturatis; Proverbiorum vigesimo septimo [8]: *Anima saturata calcabit favum, et anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet;* primae ad Corinthios undecimo: *Convenientibus vobis in unum, iam non est dominicam coenam manducare.* Bernardus [9]: « Pretiosa est divina consolatio nec datur admittentibus alienam ». — Item, propter sensus *defectionem*, qualiter est in attenuatis fame, qui pressi defectione gustare non possunt; Psalmus [10]: *Oblitus sum comedere panem meum.* Similiter fit de diu detentis in tenebris, qui lumen aspicere non possunt; Psalmus: *Oculi mei languerunt prae inopia.* Exemplum de Heli, qui *non poterat videre. Lucerna Dei antequam extingueretur*, primi Regum tertio. — Non hic manducat corpus Christi salubriter, quia perfectorum est solidus cibus et qui *pro* longa *consuetudine exercitatos habent sensus ad delectationem bonam*, ad Hebraeos quinto [11].

Item, tertius.

Non sapit cibus triplici ratione.

Prima.

Secunda.

Tertia.

III. Tertio debet esse *gratiarum actio* a recedente; Psalmus [12]: *Edent pauperes et saturabuntur et laudabunt Dominum*, propter multiplicem huius panis effectum. Habet enim virtutem *vivificandi*, quia sine isto pane non potest quis habere vitam; Ioannis sexto: *Ego sum panis vitae; qui manducat hunc panem vivet in aeternum.* Habet etiam virtutem *peccata delendi;* Innocentius [13]: « Eucharistia, si digne sumatur, a malo liberat et confirmat in bono, venialia delet et cavet mortalia ». Tertio habet virtutem *glorificandi*; Psalmus [14]: *Panem Angelorum manducavit*

Pars III. De modo sumendi tertio.

Effectus Sacramenti primus.

Secundus.

Tertius.

Institutionis Sacramenti finis primus.

Item, secundus.

[1] Potius Beda in Luc. 22, 21. Cfr. tom. VII. pag. 548, nota 14.

[2] Vers. 27; sequitur Isai. 52, 11.

[3] Vers. 21; sequuntur Ioan. 6, 56. 64.

[4] Psalm. 30, 20; sequuntur Sap. 16, 20. et 1. Petr. 1, 12.

[5] Psalm. 39, 7. et dein 50, 21.

[6] Vers. 18. seq.; sequuntur Apoc. 5, 9.

[7] Psalm. 106, 18; sequitur Iob 33, 20.

[8] Vers. 7; sequitur 1. Cor. 11, 20.

[9] Declamat. (inter opera Bernardi) c. 55. n. 66.

[10] Psalm. 101, 5. et dein 87, 10. et 1. Reg. 3, 2. seq.

[11] Vers. 14; Vulgata legit: *sensus ad discretionem boni ac mali*. Haec secunda pars deest in cod. Tudertino.

[12] Psalm. 21, 27; sequitur Ioan. 6, 48. 59.

[13] Libr. IV. de Sacro Altaris Mysterio, c. 44.

[14] Psalm. 77, 25; et postea Ps. 16, 15, pro quo cod. Tudertinus: *Beatus, qui manducabit panem in regno Dei* (Luc. 14, 15.).

homo; idem: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua,* quae modo quodam modo latet in eucharistia; Lucae vigesimo secundo [1]: *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et* Increpatio. *bibatis super mensam meam in regno meo.* — Vae illis qui negligunt hanc mensam! quia non solum non cantabunt, sed miserrime lugebunt; servi Domini laetabuntur, sed isti confundentur, sicut dicitur Isaiae: *Ecce, servi mei comedent, et vos esurietis; ecce, servi mei bibent, et vos sitietis; ecce, servi mei laetabuntur, vos autem confundemini; ecce, servi mei laudabunt prae exsultatione cordis, et vos clamabitis prae dolore cordis.*

Sermo IV [2].

Ex sermone beati Bonaventurae habito Parisius de viginti octo mirabilibus in Sacramento altaris contentis.

Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se [3]. — Vere memoriam mirabilium suorum in esca huius Sacramenti Dominus fecit, in quo viginti octo Divisio. mirabilia notari possunt, septem quidem in *transsubstantiatione* sive *panis conversione,* septem in *accidentium remansione,* septem in *corporis integritate* et septem in *cibi veritate.*

Primo igitur in *transsubstantiatione* sunt septem 1 membro primo. mirabilia. Licet enim panis transsubstantietur in Christi corpus, tamen ibi nihil *generatur,* nihil *corrumpitur,* nihil *alteratur,* nihil *augetur,* nihil *minuitur,* nihil *localiter mutatur,* nihil *annihilatur.*

In *accidentium* autem *remansione* similiter se- Secundo. ptem videntur mirabilia. Licet enim accidentium *esse* sit in subiecto esse, tamen hic post transsubstantiationem accidentia sine subiecto *subsistunt,* sine subiecto *agunt,* sine subiecto *sensum mutant,* sine subiecto *alimentum praestant,* sine subiecto *franguntur,* sine subiecto *alterantur,* sine subiecto *localiter moventur.*

In *corporis* vero *integritate* similiter sunt se- Tertio. ptem mirabilia. Licet enim in hoc Sacramento sit totum corpus Christi integrum, tantum, quantum caelos ascendit et ad dexteram Dei Patris sedet et in fine saeculi ad iudicium est venturum; tamen sub tam parva Sacramenti specie et qualibet eius parte totaliter *continetur* nec *circumscribitur* nec ipsi speciei *configuratur* nec *contiguatur* nec *commensuratur* nec *consituatur* nec *condividitur.*

In *cibi* autem *veritate* similiter septem notan- Quarto. tur mirabilia. Licet enim in ipso Sacramento, Christo teste, corpus suum vere cibus sit; tamen non percipitur corporali *tactu* nec *visu* nec *auditu* nec *olfactu* nec *gustu* nec cibi more a corpore cibato *patitur* nec in corporis cibati *naturam convertitur.*

Ecce, viginti octo mirabilia in hoc Sacramento concurrentia. Vere ergo *memoriam fecit mirabilium suorum Dominus,* cum *escam* hanc *dedit timentibus se.*

Haec viginti octo mirabilia Bonaventura primo Generalis Minister ordinis Minorum, postmodum cardinalis episcopus Albanensis, vir magnae auctoritatis, scientiae et devotionis, in publico sermone Parisius praedicavit in hunc modum: *Memoriam fecit* etc.

Sermo V [4].

Venite ad me, omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris etc., Matthaei undecimo [5].

(Prothema). *Qui audit dicat: Veni.* Verbum ulti- Prothema. mum, quod est in Apocalypsi, iniunctum est omnibus, qui audiunt veritatem, (scilicet) quod invitent alios, ut veniant et audiant, quia nullus dignus est venire ad consortium dignitatis aeternae, nisi consortes velit habere, quia illud est commune bonum, et ille dignior est venire, qui plures consortes cupit habere. Signanter igitur dicit: *Qui audit dicat: Veni.* Compellimur [6]

---

[1] Vers. 29. seq.; sequitur Isai. 65, 13. seq. — Loco secundi effectus cod. Tudert. addit: *Virtutem delectandi;* Sapientiae decimo sexto (v. 20.): *Angelorum esca nutricisti populum tuum et paratum panem de caelo praestitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem et omnis saporis suavitatem. Confortandi;* Psalmus (103, 15.): *Panis cor hominis confirmat.*

[2] Hoc sermonis schema sumtum est ex codice Lovaniensi 15. A (cfr. tom. VIII, Prolegom. pag. XXI n. 100.). Cum P. Fidele a Fanna (*Ratio novae collectionis* etc. pag. 219-221) dolendum est, quod integer hic sermo nondum inventus est. Testimonium illud, quod in fine huius schematis legitur, confirmatur verbis, quae in alio Bonaventurae sermone (supra pag. 248, col. 1. ante partem II.) leguntur: « Hic sunt, scilicet circa coenam, viginti octo (miracula) ». [3] Psalm. 110, 4. seq.

[4] Hic sermo et duo infra positi sumti sunt ex libello a Petr. Ant. Uccelli Mutinae an. 1869 edito et inscripto: *S. Thomae... et S. Bonaventurae... Sermones anecdoti,* pag. 106 seqq. Ipsum editor sumsit ex codice Parisiensi S. Victor. n 945. pag. 109 seqq., ubi inscribitur: *Incipit sermo fratris Bone fortune in cena Domini, Parasceve et Sabbato sancto.* In hac editione multa sunt vitia gravia, partim mendis huius codicis, partim editori tribuenda. Nova et accuratiore revisione codicis, quam fecit P. Fidelis a Fanna, et hinc inde subsidiis aliorum codicum multa in editione illa emendare potuimus. Collata est enim illa editio cum cod. Parisiensi S (de quo cfr. Haurésu, *Notices et Extraits* etc., tom. V. pag. 150), ubi sermo hic inscribitur: *sermo bonaventure, Anno Millesimo, ducentesimo sexagesimo septimo,* et habentur etiam duo sequentes partes pro die Parasceve et pro Sabbato sancto. In hoc tamen codice illi sermones sunt multo brevius et pelus « reportati » quam in codice, quo usus est editor Uccelli. Secunda pars, id est sermo in Parasceve, habetur etiam in cod. Trecensi n: 1893. fol. 70 v., sed etiam ibi pessime reportatus, unde utriusque codicis collatio parum nobis servire potuit pro meliore horum sermonum editione procuranda.

[5] Vers. 28. seqq. — Prothema invenitur in solo codice Victoriensi et habetur Apoc. 22, 17.

[6] Editio habet perperam *compellimus,* et infra *incitori. Attendite* pro *invitati attendere:* et denique *qui invitat* pro *qui invitatur.*

igitur et nos audientes invitare alios ad veniendum, et nos invitati attendere diligenter. Reprehensibilis ergo est uterque, et qui audit et qui invitatur, si non diligenter attendat invitationem istam; quia nullus est, qui se possit de ista invitatione excusare. Ideo in principio rogemus Dominum, quod non simus rustícani nec reputemur indigni ad istam invitationem, quae est ad salutem animarum nostrarum, et dicat quilibet etc.

Venite ad me etc.

Verbum istud est in Matthaeo et est Domini Salvatoris, in quo Salvator illos qui fatigati sunt ex labore poenitentiae, invitat ad consortium [1] iucunditatis aeternae. Invitat autem tripliciter: primo invitat ad *coenam;* secundo, ad *crucem;* tertio, ad *requiem.* Ad coenam invitat, ibi: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos;* ad crucem invitat, ibi: *Tollite iugum meum super vos et discite a me, quia mitis sum et humilis corde;* ad requiem invitat, ibi: *et invenietis requiem animabus vestris.* Prima invitatio spectat ad diem hodiernam, secunda ad diem crastinam, tertia ad sabbatum.

Divisio generalis tiernalis protribus sermonibus.

Nota.

Primo, dico, restat videre, qualiter Deus invitat ad *coenam;* ibi: *Venite* etc. Invitat enim *laborantes* ad requiem. Sicut autem ille qui potest, scit et debet operari et non vult, non debet refici; sic qui refugit spiritualem laborem, non debet refici spiritualiter, quia ad hoc, quod fiat refectio spiritualis, oportet, quod praecedat labor, scilicet spiritualis. Labor autem spiritualis consistit in quatuor: primo, in *deploratione culparum;* et de hoc labore habemus exemplum in David, qui dicit [2]: *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* — Debemus laborare in Dei dilectione et mali exterminatione; et ideo David flebat frequenter et abundanter; dixit: *per singulas noctes,* quantum ad frequentiam laboris et fletus; *lacrymis meis* etc., quantum ad exuberantiam lacrymarum. David, rex nobilis et vir cordatus, voluit plorare peccatum suum; et tamen non fecerat nisi unum peccatum. Quid igitur nos senes facere debemus [3]? Quidam sunt senes in deploratione peccati sui, de quibus Ieremiae nono [4]: *Docuerunt linguam suam loqui mendacium; ut inique agerent, laboraverunt.*

Quadruplex labor spiritualis. Primus.

Secundus.

Secundus labor spiritualis consistit in *prostratione hostium;* Apostolus secundae ad Timotheum secundo [5]: *Labora sicut bonus miles Christi Iesu. Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus;* sequitur: Attendas, quod *nemo coronabitur, nisi* qui perseveraverit. — *Labora sicut bonus miles,* fortiter te tuendo, quia *militia est vita hominis super terram* [6]. Habemus hostes fortissimos; oportet igitur, quod simus boni milites. Modus autem militandi est, ut homo abstrahat se ab his quae ipsum distrahunt a bonis operibus; et hoc tangit ibi: *Nemo militans Deo implicut se negotiis saecularibus.* Oportet etiam in labore perseverare. Quidam enim curant laborare, nec in labore perseverant; contra quos Psalmus: *In labore hominum non sunt et cum hominibus non flagellabuntur;* immo cum daemonibus in inferno.

Tertius.

Tertius labor spiritualis consistit in *profectu virtutum;* Apostolus primae ad Corinthios decimo quinto [7]: *Gratia Dei sum id quod sum.* Sequitur: *Abundantius illis omnibus laboravi.* Nec dicit, quod profecit *de virtute in virtutem,* sed quia *laboravit abundantius;* certe, quia unusquisque mercedem suam accipiet. Qui magnum fecit laborem magnam recipiet mercedem. Deus in statera iuxta labores ponderat refectiones, et qui refugit laborem non habebit consolationem; unde in Proverbiis [8]: *Propter frigus piger arare noluit; mendicabit ergo aestate, et non dabitur illi.*

Quartus.

Quartus labor spiritualis est in *perferentia tribulationum;* Psalmus [9]: *Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me. Laboravi clamans, raucae factae sunt fauces meae.* — Clamabat Christus pro calice amovendo; et qui sunt in tribulatione etiam clament ad Dominum, Dominus libenter exaudit eos. Unde Ionae clamanti ad Dominum *praeparavit Dominus Deus hederam, ut esset umbra super caput eius;* Psalmus: *Domine, Domine, virtus salutis meae, obumbrasti super caput meum in die belli.*

Laborantes invitantur.

Istis quatuor modis laborantibus dicit Dominus: *Venite ad me* etc. Talibus dicit in Evangelio [10]: *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.* Sed quomodo reficit Dominus laborantes? Christus autem habet refectionem aeternam in Ecclesia militante, ad quam invitat, et haec est sacratissimi corporis sui. Et qui praedictis quatuor modis laboraverit, reficietur, primo refectione *magnifice praeparata;* secundo, *caritative exhibita;* tertio, *suaviter cibativa;* quarto, *spiritualiter suscipienda.*

Ad quadruplicem refectionem.

Primo, refectio magnifice praeparata duplicater.

Primo, dico, reficit Dominus spiritualiter laborantes refectione *magnifice praeparata* secundum magnificentiam *regalis celsitudinis* et *pontificalis auctoritatis.*

---

[1] Cod. S legit: *ad suum consortium et convivium.*

[2] Psalm. 6, 7.

[3] Cod. S legit: *Quid faciamus, infinitis peccatis impediti?*

[4] Vers. 5.

[5] Vers. 3. seq.; dein respicitur v. 5: *Non coronatur, nisi legitime certaverit.*

[6] Iob 7, 1; sequitur Ps. 72, 5.

[7] Vers. 10; deinde respicitur Ps. 83, 8: *Ibunt de virtute in virtutem.*

[8] Cap. 20, 4.

[9] Psalm. 68, 3. seq.; sequuntur Ionae 4, 6. et Ps. 139, 8.

[10] Luc. 22, 28-30.

Primo. Primo, dico, reficit refectione magnifice praeparata *secundum magnificentiam regalis celsitudinis;* unde in Ecclesiaste [1]: *Beata terra, cuius rex nobilis est, et cuius principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum.* — *Terra,* sanctae matris Ecclesiae, est *terra, cuius rex est nobilis,* quia est *Rex regum et Dominus dominantium,* qui praeparavit principibus populi, id est Apostolis, refectionem, non ad luxuriandum, sed spiritualiter reficiendum. Istius coenae fuit magnifica praeparatio; quod significatur in Esther [2], ubi dicitur, quod rex Assuerus *iussit, convivium praeparari permagnificum cunctis principibus* populi. — Rex Assuerus, id est Christus, *iussit praeparari* coenam *permagnificam,* quia corpus suum exposuit ad convivium *principibus* populi, id est Apostolis. Hoc fuit *convivium,* non corporale, sed spirituale; et fuit *permagnificum,* quia nihil est nobilius corpore Christi et anima Christi.

Secundo. Secundo fuit ista refectio magnifice praeparata *secundum dignitatem pontificalis auctoritatis;* quod significatur in Iudith [3], ubi dicitur: *Ozias suscepit* Achior *in domum suam et fecit ei coenam magnam. Et vocatis omnibus presbyteris simul,* id est Apostolis, *expleto ieiunio, refecerunt.* — *Ozias,* pontifex summus, qui interpretatur fortitudo Domini, significat Christum; unde Apostolus: *Habemus pontificem magnum, qui penetravit caelos. Suscepit* Achior *in domum suam,* qui interpretatur fratris mei lumen; *et vocatis omnibus presbyteris simul,* id est Apostolis, *refecerunt, expleto ieiunio,* scilicet in coena Domini. Istam coenam Christus praeparavit, quando corpus suum confecit; *presbyteros convocavit,* quando ipsos ordinavit, dicens: *Haec facite, quotiescumque feceritis, in meam commemorationem* [4]. Ista refectio est regalis et pontificalis et significatur per refectionem Melchisedech, de qua dicitur, quod *rex Salem, proferens panem et vinum, benedixit Abrahae* [5]. — *Rex Salem* interpretatur rex pacis, sive rex iustitiae, et significat Christum, qui pacem fecit et mundum iudicabit; *neque initium dierum neque finem vitae habens; qui accipiens panem, benedixit,* quando corpus suum confecit. Ad istam coenam nos invitat *Rex regum.* Incuriales sumus, si recusemus venire, quia Angeli libentissime assistunt. Sed quidam, habentes vilissimas animas, nauseant super coena ista, sicut filii Israel *nauseabant super cibo levissimo* [6], scilicet caelesti, et desiderabant *cepas et allia, quae comedebant in Aegypto,* sicut faciunt carnales.

Secundo fuit ista refectio *caritative exhibita* propter duo, scilicet propter *condescensionem* et *communicationem liberalem.* Dominus ipsemet venit et suscepit suos in refectione ista et largiter distribuit.

De primo. Primo, dico, est refectio ista caritative exhibita propter *condescensionem amicabilem;* unde Isaias [7]: *Haec requies mea, reficite lassum.* Et non solum suscepit Christus suos ad convivium, immo etiam ad solatium et obsequium, quod significatur in Abraham, qui Angelos invitavit et *cucurrit in occursum ipsorum,* dicens: *Afferam pauxillum aquae,* et *lavate pedes vestros et requiescite sub arbore, ponamque buccellam panis.* Promisit tantum *buccellam panis* et occidit *vitulum* saginatum. Istud melius completum est in Domino: quando voluit facere convivium amicis suis, attulit *pelvim aquae et lavit pedes discipulorum suorum* [8]. Ecce, quomodo Maiestas divina est inclinata, quod ad pedes discipulorum se prostravit, et in coena unus discipulorum *super pectus Domini recubuit.* Et tunc Christus potuit dicere: *Afferam buccellam panis, et confortetur cor vestrum.* Hic est *panis,* non corporalis, qui est cibus corporis, sed spiritualis, qui est cibus mentis; de quo Augustinus [9]: « Crede, et manducasti ». Ista fuit mira condescensio.

De secundo. Secundo fuit ista refectio caritative exhibita propter *communicationem liberalem;* Psalmus [10]: *Dominus regit me, et nihil mihi deerit; in loco pascuae ibi me collocavit. Super aquam refectionis educavit me.* — Ecclesia Dei est *locus pascuae,* ubi facta est *aqua refectionis,* id est affluentia omnium iucunditatum et refectionum. Iste locus pascuae est mons Sion; unde Isaias: *Faciet Dominus exercituum in monte hoc convivium,* id est in eminentia hierarchiae ecclesiasticae; *convivium pinguium medullatorum et vindemiae defaecatae.* Ignis, quo praeparatur convivium, est Spiritus sanctus, sive virtus divini Verbi; minister est sacerdos. Hoc est *convivium pinguium et vindemiae defaecatae;* Psalmus: *Et calix meus inebrians quam praeclarus est!* Ista fuit liberalissima communicatio. Nunquam tanta potuit cogitari. — Est igitur ista refectio caritative exhibita et propter condescensionem humilem et communicationem liberalem; et significatur in Evangelio [11] de filio prodigo, qui cum reverteretur ad patrem, dedit ei pater *stolam primam et anulum in manibus.* Filius prodigus est peccator, revertitur ad patrem, quando poenitet, et pater parat ei *vitulum saginatum,* id est corpus Christi, *et chorum et symphoniam,* id est dulcedinem et consolationem spiritualem. *Filius senior,* invidia motus est populus Iudaicus, qui non vult manducare, id est, non vult credere in Sacramento altaris, sed populus gentilis admissus est, quando per fidem est illuminatus.

Figura huius.

[1] Cap. 10, 18; sequitur Apoc. 19, 16. [2] Cap. 2, 17.
[3] Cap. 6, 19. seq. (Vulgata legit: *simul expleto ieiunio*); sequitur Hebr. 4, 14.
[4] Ita in canone Missae; cfr. Luc. 22, 19. et I. Cor. 11, 24. seqq.
[5] Gen. 14, 18. seq.; sequitur Hebr. 7, 3. et Matth. 26, 26.
[6] Num. 21, 5. et dein c. 11, 5.
[7] Cap. 28, 13; sequitur Gen. 18, 2-5. et dein v. 7. et 8.
[8] Ioan. 18, 5; sequitur c. 21, 20.
[9] In Ioan. Evang. tr. 25. n. 12.
[10] Psalm. 22, 1. seq.; sequuntur Isai. 25, 6. et Ps. 22, 5.
[11] Luc. 15, 22. seqq.

Sed posset aliquis dicere: Nescio saporem huius coenae. Propter hoc dicit Christus: *reficiam vos*, scilicet refectione *suaviter cibativa*, propter *nexum* [1] *socialis concordiae* et propter *influxum spiritualis laetitiae*. — Propter primum dicit Apostolus: *Ita, frater. Ego te fruar in Domino, refice viscera mea in Domino.* Hoc dicit, ut ostenderet caritatem, quam habebat Christus; viscera enim caritatis trahuntur de corde alieno. Caritas autem Christi apparet in hoc, quod eandem escam, eundem morsellum manducamus cum Christo; et in hoc est vinculum unitatis. Apostolus in prima ad Corinthios [2]: *Nolo, vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes eandem escam spiritualem manducaverunt, et omnes eundem potum spiritualem biberunt*, ipsi solum per fidem, sed nos per fidem et Sacramenta. Unde dicitur: *Angelorum esca nutrivisti populum tuum*, Domine, id est vita aeterna. De qua in Ioanne: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Iesum Christum;* et in libro Sapientiae [3]: *Paratum panem de caelo praestitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem et omnis saporis suavitatem.* — Sed iste panis infectis animabus videtur amarus, licet tamen, ad quemcumque saporem volebant, se convertebat, ut dicitur in libro Sapientiae. Unit autem uni capiti; sed quanto maior est dilectio et unio, tanto maior est delectatio; sed Christus animam diligit super omnia: ergo omnes mundi delectationes nihil sunt respectu delectationis, quam invenit anima in Christo.

Tertio, refectio suaviter cibativa propter hoc. De primo.

Item, est ista refectio suaviter cibativa propter *influxum spiritualis laetitiae* [4]; unde in Deuteronomio: *Laetaberis et reficieris coram Domino Deo tuo*, scilicet in aspectu divinae pulcritudinis et gustu divinae dulcedinis. Hic est calix suaviter inebrians. *Laetaberis*, modo per fidem et in futuro per speciem, quando *inebriabimur ab ubertate domus suae* [5] etc. Istam refectionem debemus multum desiderare cum Psalmista, qui dicit: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum.* — Sed quidam plus desiderant carnes foedas quam carnes *Agni immaculati*, sicut carnales, qui tanquam canes sunt ab ista refectione excludendi. De secundo.

Quarto est ista refectio *spiritualiter suscipienda.* Hoc intelligendum, quod ad hoc, quod homo spiritualiter suscipiat, oportet, quod primo se praeparet per devotionem *antecedentem;* secundo oportet, quod ipsam suscipiat per devotionem *concomitantem.* Quarto, refectio spiritualiter suscipienda duplici praeparatione.

Primo dico, oportet, quod homo se praeparet per *devotionem antecedentem;* quod significatur in Marco [6], quando dixerunt discipuli: *Ubi vis, paremus tibi comedere pascha?* Sequitur: *Misit eos in civitatem, dicens: Occurret vobis homo lagenam aquae baiulans, habens coenaculum grande; dicite ei: Magister dicit: Ubi est refectio mea?* — Dicit: *Misit eos in civitatem*, quia qui vult suscipere istam refectionem, oportet, quod ingrediatur istam civitatem, id est Ecclesiam, per affectum caritatis ad afflictos et congratulationem ad Deum. Dicit: *coenaculum grande*, quo intelligitur *dilatatio* [7] caritatis. Anima Christi transcendit omnes caelos, et qui habet caritatem omnes diligit et transcendit mundum. Oportet igitur, quod homo ad istam refectionem se praeparet, et quod Deus intret. Primo, cum devotione antecedente.

Secundo oportet, quod spiritualiter suscipiatur per *devotionem concomitantem;* quod significatur in Exodo [8], ubi Spiritus sanctus docet filios Israel, quomodo debent comedere agnum paschalem, dicens: *Carnes agni comedetis cum panibus azymis et lactucis agrestibus. Non comedetis ex eo crudum quid nec coctum aqua; caput cum pedibus et intestinis vorabitis; renes accingetis et calceamenta habebitis in pedibus. Et comedetis festinanter; est enim phase* (*id est transitus*) *Domini.* — Ostendit hic Spiritus sanctus, quod ad hoc, quod homo digne suscipiat corpus Christi, oportet, quod habeat devotionem inflammativam et transformativam, ut fiat assimilatio et transformatio cibantis in cibatum; unde requiritur, quod homo habeat incendium *unitivi* [9] *amoris* et robur *perfectae virtutis.* Secundo cum devotione concomitante. Hoc fit dupliciter.

Primo dico, ad hoc, quod homo digne accipiat corpus Christi, requiritur, quod habeat incendium *unitivi amoris*, quod est *caritatis de corde puro* [10]; sed quia incendium unitivi amoris habet adiunctam compunctionem, quae conscientiam reddit puram et mundam; ideo cantatur: *Epulemur itaque in azymis sinceritatis et veritatis.* — Item, oportet, quod adsit *caritas de conscientia bona*, et non adsit carnalitas aliqua, nec crudelitas aliqua; et ideo dicit: *Non comedetis ex eo crudum quid nec coctum aqua*, id est cum crudelitate et carnalitate, id est, non habeat cor crudele nec carnale. — Item, oportet, quod adsit *caritas de fide non ficta*, quasi dicat: haec est caritas, quae universaliter et integerrime asserit quod homo credere debet; *caput*, id est Divinitatem, *et pedes*, id est humanitatem, et *intestina*, id est Sacramenta; *vorabitis*, quod fit, quando fides assentit liberrime sine aliqua dubitatione; *residuum igne comburetis*, id est, si sit ibi aliquid, quod non poteris investigare, debes igne cremare, id est consilio Spiritus sancti reservare. Qui bene vult intelligere istud Sacramentum, quomodo Primo, d amore un tive.

[1] Pro *nexum* editio male legit *nauseam.* — Sequitur Philem. 1, 20.

[2] Cap. 10, 1. 3. 4; sequuntur Sap. 16, 20. et Ioan. 17, 3.

[3] Cap. 16, 20.

[4] Ita S; editio habet *Spiritus sancti.* — Sequitur Deut. 12, 18.

[5] Psalm. 35, 9; sequitur Ps. 41, 2. et dein respicitur I. Petr. 1, 19

[6] Cap. 14, 12. seqq.; cfr. etiam Math. 26, 17. seqq.

[7] Editio perperam habet *delectatio.*

[8] Cap. 12, 8-11.

[9] Editio legit *vivacis.*

[10] Epist. 1. Tim. 1, 5; sequitur I. Cor. 5, 8: *Itaque epulemur in azymis sinceritatis et veritatis.*

Christus in utero Virginis fuit conceptus sine virginitatis corruptione et natus sine violenta corporis apertione, oportet, quod Spiritus sanctus ipsum doceat.

Secundo, de corpore Christi, oportet, quod habeat robur *perfectae virtutis* ad *conformationem* Sacramenti. — Audivi de quodam laico, qui magnam fidem habuit in Sacramento altaris; infirmabatur, nec poterat retinere; et cum presbyter non audebat ei dare corpus Christi, rogavit, saltem ut permitteret eum videre; et cum vidit, dixit: Domine, quam libenter te reciperem; et cum sacerdos iam recessit, fecit ipsum vocari et dixit: Ex quo non possum recipere Salvatorem meum, permittatis, domine, quod lavetur pectus meum, et ponatur manutergium super pectus meum, et ponatis super pectus meum Salvatorem meum. Quod cum fecisset, omnibus videntibus, corpus Christi penetravit eius pectus et pervenit ad cor, et tunc cum magna consolatione decessit [1]. — De magistro Hugone de sancto Victore, qui magnae fidei fuit, legitur [2], quod cum infirmaretur usque ad mortem, venit ad eum sacerdos, qui illo die celebraverat; et rogavit eum magister Hugo, quod sufflaret in os suum; et post hoc cum magna consolatione decessit.

Huic Sacramento debemus conformari: primo per *sanctitudinem pudicitiae;* et ideo dicit: *renes vestros accingetis.* Secundo, per *promptitudinem obedientiae;* et ideo dicit; *calceamenta in pedibus,* scilicet ut sine offendiculo ambulare possimus. Unde Apostolus [3]: *Calceati pedes.* Tertio debemus ei conformari per *fortitudinem patientiae;* et ideo dicit: *baculos in manibus.* Quarto debemus ei conformari per *sollicitudinem vigilantis prudentiae,* in quo notatur virtus temperantiae; ideo dicit: *Festinanter comedetis,* non haesitando. — Ex praedictis colligitur, quod ad esum istius Sacramenti septem virtutes requiruntur: tres theologicae: fides, spes, caritas, quae sit *caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta.* Requiruntur etiam quatuor cardinales, quae tactae sunt; et cum haberimus istas virtutes, dicet Dominus: *Comedite, amici, et bibite et inebriamini* [4]. Et si fueris sine istis virtutibus, dicet tibi: *Amice, ad quid venisti? Osculo Filium hominis tradis?* iuxta illud Apostoli [5]: *Qui indigne manducat iudicium sibi manducat.* Rogabimus Dominum etc.

Secundo, de corpore per-fectae virtutis. Exemplum.

Ind exemplum.

Conformandum quadruplici modo.

Epilogus.

FERIA SEXTA IN PARASCEVE.

Sermo I [6].

Sermo de mysterio redemptionis nostrae.

Vidi, et ecce, in medio throni et quatuor animalium et in medio seniorum Agnum stantem [7] etc.

(Prothema). *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno,* Apostolus ad Hebraeos [8]. Thronus gratiae, Virgo Maria; thronus misericordiae, crux Christi. Quia sumus miseri, indigemus misericordia; quia sumus peccatores, indigemus gratia; *adeamus* igitur etc. Hodie coniuncti sunt Mater sive thronus gratiae et thronus misericordiae, scilicet Virgo Maria et crux Christi. *Stabant* enim *iuxta crucem* etc. Rogemus ergo etc.

Vidi, et ecce etc. Dictum est de *coena* quantum ad convivii apparatum, convivandi modum et convivarum elegantiam; nunc dicendum est de *mysterio redemptionis* nostrae, quod describitur nobis ut pium et redemptivum in passione, quod tangitur ibi, cum dicitur: *tanquam occisum.* Agnus enim, de quo locuti sumus, non tantum edebatur, sed etiam immolabatur. Est enim Sacramentum et sacrificium; signum est rememorativum eius, ut est sacrificium; unde Apostolus [9] dicit, quod *mortem Domini annuntiamus, quotiescumque* illud celebramus et accipimus. Si istam occisionem Agni consideremus exterius quantum ad impietatem ipsorum crucifigentium, ipsa fuit impiissima et crudelissima; si quantum ad voluntatem Patris et Filii, ipsa fuit piissima: a parte Iudaeorum impiissima, quia voluerunt eum exterminare, ex parte Dei piissima. Et est triplex causa, quare Dominus voluit, ipsum occidi, scilicet *ad solvendum* redemptionis nostrae *pretium, ad prosternendum* humani generis *inimicum* et *ad probandum* perfectae virtutis *exemplum.* Eramus enim *servi,* et ideo indigebamus pretio redimente; eramus *victi,* et ideo indigebamus pugile triumphante; eramus *caeci,* et ideo indigebamus exemplo dirigente. Et ideo Deus Pater voluit, hunc Agnum occidi, ut eo liberaremur a servitute et evaderemus diabolicam tyrannidem et perveniremus ad veritatem.

Prothema.

Sermo.

Divisio.

---

[1] Eadem fere narrantur de S. Virgine Iuliana de Falconeriis. Videsis Brev. Rom. XXI. Iunii lect. 6.

[2] Epist. Osberti de morbo et morte S. Hugonis, in prooemio eiusdem opp.

[3] Eph. 6, 15.

[4] Cant. 5, 1; sequuntur Matth. 26, 50. et Luc. 22, 48.

[5] Epist. I. Cor. 11, 29.

[6] Est continuatio sermonis I. in coena Domini et invenitur in eisdem codicibus biblioth. Mazzarineae et Asmoleanae. Cfr. *Ratio* pag. 192, serm. 14. — Patet, hunc sermonem valde imperfecte fuisse « reportatum ». — De passione Christi habentur plura sermonum schemata tom. VI. pag. 615-619; cfr. etiam Comment. in Ioannem tom. VI. pag. 477-504, et in Luc. tom. VII. pag. 548-587, et breviter Breviloq. pars IV. c. 8-10.

[7] Apoc. 5, 6.

[8] Cap. 4, 16; sequitur Ioan. 19, 25.

[9] Epist. I. Cor. 11, 26.

1. Prima ergo causa est *ad solvendum redemptionis nostrae pretium;* unde Petrus [1]: *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati, Christi, et incontaminati.* Loquitur Petrus universitati salvandorum, qui praecesserunt, sunt et erunt. Omnes erant per peccatum *servi;* unde dicitur: *Gratis venundati estis et sine argento redimemini.* Et ad redimendum omnes oportuit, quod pretium esset *conveniens* et *sufficiens.* Tale pretium fuit Christus; quia enim ipse fuit homo, et homo debuit; ideo ipse secundum quod homo pretium *conveniens* fuit; et in quantum Deus fuit pretium *sufficiens.* Et nulla creatura esse potuit, quia nulla creatura est, quae valeat universitatem salvandorum. Per solum ergo istum Agnum redempti sumus; Ioannes Baptista [2]: *Ecce, Agnus Dei, ecce, qui tollit peccatum mundi.* Et sicut praevaricatio facta fuit in ligno, sic pretium fuit suspensum in ligno. Unde nullus salvatur nisi per istum Agnum; quod bene figuratur in Apocalypsi, ubi dicitur, quod nullus salvabitur de numero eorum *qui adoraverunt bestiam*, et nemo eorum *quorum non sunt scripta nomina in libro vitae Agni;* omnes ab origine mundi salvantur in sanguine huius Agni; ideo dicitur *occisus ab origine mundi.* — Unde ista redemptio et pretium figurata fuit in morte Abel [3] et in omnibus sacrificiis. Nullum pretium fuit sufficiens nisi istud quod potuit Deum *placare* et peccata hominum *purgare.* Solus Christi sanguis fuit talis. De illo in Levitico: *Si obtulerit agnum coram Domino, ponet manum suam super caput victimae suae, fundentque filii Aaron sanguinem eius per circuitum altaris.* — Altare locus est sacrificii et divinae placationis; Adam transgressus fuit, sed Filius Dei se voluntarie *humiliavit usque ad mortem*, et in tantum, quod Deus Pater non potuit istam placationem non acceptare; ad Hebraeos [4]: *Christus, assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum, non manufactum, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa.* Illa sacrificia tantum erant *signa* istius veri sacrificii; unde differebant sicut umbra et veritas; et tamen aliquid efficaciae habebant, quia signa huius erant.

Item, est istud pretium *purgativum* animi a peccatis; unde quaerit *unus de senioribus* in Apocalypsi [5]: *Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt et unde venerunt?* Et respondetur ei: *Hi sunt, qui venerunt de magna tribulatione et laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni.* Et alibi in Apocalypsi: *Dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* — Quomodo lavit me, quoniam non contingit me? Verum est *corporaliter;* unde oportet, quod nos contingat *spiritualiter;* et contingit, si adhaereamus ei per fidem, spem et amorem et compassionem; aliter non lavat te. Apostolus ad Hebraeos [6]: *Si sanguis hircorum et taurorum et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram!* Si quis bene istam passionem consideraret et Christum vere diligeret, in eius similitudinem transformaretur; unde Hugo: « Sentio, anima, quod amor est vita tua; sed ea vis est amoris, quod in eius quem diligis similitudinem transformaris ». Sic ergo consideremus et amemus; nunquam enim homo compaginatur virtuti, nisi compaginetur per fidem et amorem sanguini Christi. Sic ergo sanguis iste effusus est propter offensas placandas et peccatorum maculas delendas. — Qui peccat et peccatum iterat, quantum in se est, istud pretium conculcat; ad Hebraeos [7]: *Irritam quis faciens Legem Moysi* etc. Quando peccatum iteras, quantum in te est, iterum Christum crucifigis, quia causam mortis eius iteras; Apostolus: *Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei.* Nihil ergo tantum displicet Deo, sicut quod homo redit ad peccatum. — Unde exemplum refert beatus Dionysius [8], quod erat quidam sacerdos, nomine Carpus, ita simplex et ita devotus, quod vix unquam celebravit Missam, quin reciperet aliquam revelationem a Deo. Iste converterat quendam hominem ad fidem; postea venit quidam infidelis et iterum pervertebat eum; et videns hoc Carpus, intolerabilem indignationem concepit contra illos duos et in tantum, quod ad templum suum illo die non accessit. In nocte sequenti visum fuit ei, quod tectum domus suae aperiebatur, et vidit maximum lumen ibi intrare. Et respexit deorsum et vidit unam foveam profundissimam valde et super illam vidit illos duos infideles stantes, et veniebant quidam nigri daemones cum malleis et incipiebant eos percutere, et quidam serpentes veniebant de fovea et incipiebant illos deorsum trahere. Et Carpus incipiebat de hoc lactari, quod illi sic praecipitarentur; et cum sic exspectaret praecipitationem illorum, videbat Christum cum suis Apostolis descendentem de caelo; et venit ad illos et apprehendebat illos per manum et liberavit eos. Et veniebat Christus ad Carpum, dicens ei: Putasne, iste irascaris his duobus? Adhuc, inquit, paratus essem pro his crucifigi, si necesse esset. Et postea Deus dedit illi consolationem. — Ecce ergo, quod Christus dicit, Dionysius narrat. Carpus vidit, quod Christus paratus esset iterum crucifigi

Para I. De solvendo redemptionis pretio.

Pretium conveniens et sufficiens.

Figura.

Pretium purgativum a peccatis.

Objectio solvitur.

Contra reiterantes.

Exemplum

[1] Epist. I. Petr. 1, 18. seq.; sequitur Isai. 52, 3.
[2] Ioan. 1, 29; deinde sequitur Apoc. 14, 11. et 13, 8.
[3] Respicitur Gen. 4, 8; sequitur Levit. 3, 7. seq. et respicitur Phil. 2, 8.
[4] Cap. 9, 11. seq.
[5] Cap. 7, 13. seq. et dein c. 1, 5.
[6] Cap. 9, 13. seq. — Sequitur Hugo, de Arrha animae.
[7] Cap. 10, 28; dein sequitur c. 6, 6.
[8] Epist. 8. § 6, ubi diffusius haec narrantur.

pro peccatoribus, si necesse esset; per quod patet, quod summe ei peccatum displicet. — Considera igitur, quod quando peccas, causa es plagarum Christi. Magis voluit Dei Filius pati quam peccatum dimittere impunitum. Et ego miser maculabo vestem innocentiae meae? Maximum quid est de fide christiana. Philosophus [1] dicit, quod « rectum est quoddam medium inter duo extrema ». Nihil valet hoc ad salutem; sed ego, Christianus, considero, quod ipsum peccatum est offensa Dei et perditio animae [2]... et virtus placativa et salutaris. Mallem esse centies mortuus quam ipsum Christum crucifigere, quod fit per peccatum. Si possit homo habere paradisum cum peccato, tamen eo carere deberet nec deberet facere peccatum pro eo habendo; tam vile est.

Hortatio.

II. Secunda causa passionis Christi est, quod passus fuit *ad prosternendum humani generis inimicum;* unde in Apocalypsi [3]: *Hi cum Agno pugnabunt, et Agnus vincet illos.* — Loquitur de decem regibus, per quos intelligitur immensa potestas malorum, sive sint daemones, sive homines. Non fuit qui pugnaret contra eos nisi iste Agnus. Iste antiquus hostis vicit primum patrem nostrum contrahendo eum ad lasciviam et ad malitiam, quando se excusavit et voluit peccatum retorquere in Deum; et diabolus ipsum decepit per mulierem, secundum quod dicitur in Ecclesiastico: *De vestimentis procedit tinea et a muliere iniquitas viri.* — Per *mulierem* significatur caro, quae propinat lasciviam et perducit ad mentis malitiam. Et ideo oportet, quod pugil sit *mundissimus* et *mitissimus*. Et haec duo nullus alius habet ita bene sicut agnus; et Christus est agnus *mundissimus*, natus de Virgine, *mitissimus*, pendens in cruce, in qua ipse vicit omnes malos principes. Psalmista [4]: *Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum* etc. Scriptum est in Lege, quod Dominus voluit liberare populum de Pharaone; dixit Dominus ad Moysen: *Immolabit agnum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam, et sument de sanguine eius ac ponent super utrumque postem et in superliminaribus domorum. Nec erit in vobis plaga disperdens.* — Quid per hoc significatur [5], nisi quod victor Pharaonis, id est diaboli, est Agnus noster occisus? Quid per hoc, quod *sanguis ponitur super utrumque postem* etc., nisi credere, quod Christus est dator gratiae et gloriae et salvator animarum et corporum? Apostolus [6]: *Salvatorem exspectamus, qui reformabit corpus humilitatis nostrae* etc. Ubi est iste Agnus, non potest esse *plaga disperdens*, quia *Deus non* permittet, *vos tentari supra id quod potestis.* Et notandum, quod non sine causa Agnus dicitur *nos liberare de manu Pharaonis*, quia habet virtutem contra duplicem manum diaboli, scilicet *attractionem* et *detentionem* in peccato. Manum illam, qua diabolus homines *detinebat* in inferno, Agnus amputavit; unde in Zacharia: *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua.* Quia enim misit manum in Christum innocentem, ideo amisit illos quos detinebat; sic ergo victus est. Et ideo dicitur in Apocalypsi [7]: *Vidi eos qui vicerunt bestiam, stantes super mare vitreum et cantantes canticum Moysi, servi Dei, et canticum Agni.* Alludit illi verbo Exodi decimo quinto: *Cantemus Domino gloriose* etc. Illud canticum veraciter impletum est per Agnum. — Secunda est manus *impulsiva*, et haec per Agni sanguinem debilitatur; unde in Apocalypsi [8]: *Proiectus est accusator fratrum nostrorum;* et sequitur: *Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni.* — Unde considerando passionem Christi vincitur ab omnibus diabolus (tentans) de *superbia*. Video Christum in cruce humiliatum, *factum opprobrium hominum;* non appetam honores. Vade viam tuam, lucifer, tentator de *malignitate;* considera Christum orantem pro inimicis suis; quando tentat te de *accidia*, vide Christum clavis confixum et dicas: ego etiam pendebo in cruce poenitentiae. — Exemplum: Quidam Frater Minor fuit valde accidiosus; contigit, eum semel obdormire in choro; credo, postquam Matutina erant cantata. Et vidit Christum solum portantem unam crucem magnam super humeros suos ultra aquam quandam. Et dixit Christus ad illum: *Sequere me*, et non mireris, quia non potes venire ad requiem nisi per laborem. Et ille postmodum factus est valde fervens. — Si tentat te de *avaritia*, considera Christum in cruce nudum; sola Mater sua dicitur eum texisse [9] ibi. Si de *gula*, cogita amaritudinem potus; si de luxuria, considera durum lectum crucis. Si vellemus ista aspicere, fugeret diabolus; Isaias [10]: *Pavebit Assur virga percussus.* — *Assur*, id est diabolus; *virga*, id est cruce. Et Petrus: *Christo passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini.* — Haec sunt arma nostra: passio et crux Christi. Dicitur, quod David, quando ivit contra Philisthaeum, accepit *baculum et tulit quinque limpidissimos lapides de torrente. Baculus*, crux; *lapides quinque*, quinque plagae Christi. Ista debemus recogitare; ad Hebraeos [11]: *Recogitate eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem* etc.; et in libro Machabaeorum: *Elephantis ostenderunt sanguinem uvae et mori ad acuendos eos in proelium.*

Duplex manus diaboli.

Manus detinens.

Manus impulsiva.

Remedium contra vitia capitalia.

Exemplum.

Arma nostra.

ars II. De rosternen- inimici.

ogil mun- issimus et litissimus.

[1] Scilicet Plato in Parmen. Cfr. tom. II. pag. 4, nota 11. et tom. V. pag. 325, nota 2.

[2] Manifeste hic aliquid excidit; supple saltem: sed in Christo est...

[3] Cap. 17, 14; sequitur Eccli. 42, 13.

[4] Psalm. 2, 2; sequitur Exod. 12, 6. 7. 13.

[5] Hoc verbum supplevimus.

[6] Phil. 3, 20. seq.; sequuntur I. Cor. 10, 13. et Zach. 9, 11.

[7] Cap. 15, 2. 3. et dein Exod. 15, 1.

[8] Cap. 12, 10. seq.; sequuntur Ps. 21, 7. et Matth. 9, 9.

[9] Substituimus hoc verbum loco *cepisse*.

[10] Cap. 30, 31; sequuntur I. Petr. 4, 1. et I. Reg. 17, 40.

[11] Cap. 12, 3; sequitur I. Mach. 6, 34.

III. Tertia causa est *ad dandum perfectae virtutis exemplum.* Principaliter duae virtutes sculptae sunt in cruce Domini; de quibus Dominus dicit [1]: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Virtus *mansuetudinis* facit hominem amabilem hominibus, *humilitas* vero Deo. « Homo est animal socialis naturae [2] » et « animal mansuetum ». De ista *mansuetudine* Ieremias [3]: *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, et non cognovi, quia cogitaverunt* impii *super me consilia.* Et dicit: *non cognovi*, id est, quasi non cognovissem, pro nihilo habui. Et sequitur ibi: *Dicentes: Mittamus lignum in panem eius et eradamus eum de terra viventium, et nomen eius non memoretur amplius.* Istud factum est, quando Christo Barabbam, homicidam praetulerunt; quod improperat eis Petrus in Actibus: *Petistis, virum homicidam donari vobis, auctorem vero vitae interfecistis.* Mirabile est de sua mansuetudine, qui, cum *malediceretur, non maledicebat* [4] etc.; et mirabile est de Christianis! Iudaei habuerunt legem talionis: *oculum pro oculo* etc.; sed Christiani non sunt in hoc contenti; immo pro uno verbo volunt occidere hominem. — De virtute eius *humilitatis* dicitur in Isaia [5]: *Sicut ovis ad occisionem ducetur et quasi agnus coram tondente se obmutescet et non aperiet os suum.* Si homo obedit domino suo, humilitas est; si servo, maior; si inferiori, maxima. Talis Christus. O rex caeli et terrae, quale exemplum humilitatis dedisti nobis! Christus est passus; cogita copulam sive medium. In subiecto est quidquid est nobilitatis; in praedicato, quidquid est vilitatis; quid coniungit ista? Anima Christi, quae quanto magis est unita illi nobilitati divinae naturae, tanto humilior. Nulla tanta humilitas, nec in omnibus Angelis; nec habeant hoc Angeli pro malo; ad Philippenses: *Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Iesu* etc. *Humiliavit semetipsum, factus obediens* etc. Ponit miras tres conditiones; dicit, quod *exinanivit semetipsum, formam servi accipiens.* Omnis creatura respectu Dei quasi *nihil* est; unde quia naturam nostram assumsit, quasi se *annihilavit.*

Secunda. — Alia conditio est, quod, cum ipse esset *innocentissimus,* ipse tunc vixit sicut homo *miser, pauperculus* et unus homo *peccator.* Unde et in via natus est in diversorio. Et notatur ibi: *In similitudinem hominum factus est et habitu inventus ut homo.* Ipse

Tertia. fuit sicut agnus inter hoedos et lupos. — Tertia conditio fuit summa eius *humilitas,* quae notatur ibi: *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Deus est, « quo nihil maius recogitari potest »; et tamen sic se humiliavit; et hoc, ut nobis exemplum daret. Unde dicit [6]: *Si ego lavi pedes vestros, Dominus et Magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes;* et alibi: *Qui non abnegat semetipsum non potest meus esse discipulus.* — Haec est igitur doctrina Christi; unde dixit [7]: *Ecce, ego mitto vos sicut oves in medio luporum,* scilicet humiles in medio superborum; *pascuntur agni iuxta ordinem suum,* id est, remunerantur humiles secundum extensionem humilitatis; Psalmista: *Elegi abiectus esse in domo Dei mei magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Rogabimus Dominum etc.

Pars III. De dandu exemplo. Duae virtutes.

De mansuetudine.

Increpatio Christianorum.

De humilitate.

Tres conditiones. Prima.

Sermo II [8].

Venite ad me etc. — Dicebam heri, quod Dominus Iesus Christus invitat invitatione perfecta ad praesentem solemnitatem, et invitat ad *coenam,* ad *crucem* et ad *requiem.* Invitat autem invitatione ad *coenam* pro die hesterna, invitatione ad *crucem* pro die hodierna, quae est Veneris; et invitat invitatione ad *requiem* pro die sabbati. De prima invitatione aliquid diximus pro modulo paupertatis nostrae; modo dicemus de invitatione ad *crucem.* Dura res est invitatio ad crucem, et difficile est persuadere istam invitationem nisi devotis animabus; et nisi cum devotione suscipiatur, *verbum* Dei *stultitia est iis qui pereunt* [9] etc. Sed si de cruce aliquid volumus dicere, indigemus divina visitatione. Ideo in principio etc. Repetitio.

Venite etc. Sicut dixi, Dominus invitat primo ad *refectionem;* secundo, ad *crucem;* tertio, ad *requiem;* et nobilissime facit, quia, si invitaret ad nudam crucem, hoc esset terribile; ideo praemittit refectionem et tertio subiungit requiem, secundo interponit crucem, cum dicit [10]: *Tollite iugum meum* etc. Rectissime Spiritus sanctus in veteri Testamento et in novo utitur verbis figurativis, quia mysteria, quanto profundius investigantur, tanto profundiora inveniuntur. Et quia in verbis sacrae Scripturae multiplex invenitur sententia, ideo ad crucem invitat nos Spiritus sanctus sub metaphora *iugi.* Et secundum hoc invitamur ad *crucem,* primo tanquam ad *obedientiae iugum;* secundo, tanquam ad *sapientiae librum;* tertio, tanquam ad *armaturam protectionis;* et quarto, tanquam ad *virgam potentiae.* Crux Christi debet tolli in obedientiae *iugo,* ut humiliemur in conversatione; in sapientiae *libro,* ut erudiamur in contemplatione; in *armatura* protectionis, qua tueamur Introductio. Divisio.

---

[1] Matth. 11, 29.

[2] Aristot., 1. Ethic. c. 9: « Est enim animal civile homo naturaque ita factus, ut in societate vivat ». Vide etiam 1. Ethic. c. 7. et 1. Polit. c. 1. — Locus immediate sequens est Platonis, de Legibus, dialog. 6; cfr. Aristot., 1. de Animal. histor. c. 2.

[3] Cap. 11, 19; sequitur Act. 3, 14. seq.

[4] Epist. 1. Petr. 2, 23; sequitur Exod. 21, 24. et Levit. 24, 20. (Matth. 5, 38.).

[5] Cap. 53, 7; sequuntur Phil. 2, 5. 8. et Anselm., Proslog. c. 2.

[6] Ioan. 13, 14; deinde sequuntur Luc. 9, 23. et 14, 26. seq.

[7] Matth. 10, 16; sequuntur Isai. 5, 17. et Ps. 83, 11.

[8] Haec pars II. totius sermonis sumta est ex eadem Uccelli editione, quae collata est cum S et cum Trecensi cod. 1893; de quibus codd. cfr. supra pag. 256, nota 4.

[9] Epist. 1. Cor. 1, 18.

[10] Quae praecedunt omittuntur in S.

in tentatione; in *virga* potentiae, qua sublevemur in tribulatione.

I. Primo dico, si volumus honeste conversari, oportet, nos tollere crucem ut *obedientiae iugum*, ut humiliemus nos. Istud iugum non portavit Adam circa *lignum scientiae boni et mali* [1], unde convenit sibi illud: *A saeculo confregisti iugum meum, dixisti: Non serviam.* — *Confregit* enim istud *iugum* per praevaricationem; et sicut inobedientia et praevaricatio illius fuit nobis causa perditionis, sic obedientia crucis Christi fuit causa salutis; *factus* enim *est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis;* et statuit Dominus, salutem per obedientiam in cruce reparari. Dicit igitur Christus: *Tollite* etc., quasi dicat: nolite sequi Adae inobedientiam, sed me, qui tuli iugum obedientiae. Et non videatur nobis asperum portare hoc iugum, quia dicit Ieremias [2]: *Bonum est viro, cum portaverit iugum* Domini *ab adolescentia sua. Sedebit solitarius et tacebit, quia levavit super se. Ponet in pulvere os suum. Saturabitur opprobriis.* — De Christo et Christiano intelligitur, quod qui crucem accipit humilietur *in conspectu Dei et proximi.* Sed contemptor Dei et proximi non portat crucem Christi, et talis humiliabitur in futuro coram Deo; econtra, qui hic humiliatur coram Deo exaltabitur; unde beatus Petrus: *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis.* — Debet enim homo humiliari *in se;* unde Propheta: *Ponet in pulvere os suum* et *saturabitur opprobriis,* scilicet considerando vilitatem. — Item, debet humiliari *in conspectu mundi;* unde sequitur: *Dabit percutienti se maxillam,* id est, omnibus ludibriis se exponet; Psalmus [3]: *Bonum mihi, quia humiliasti me* etc. Et discipulis dixit Dominus: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me. Se ipsum abnegare* est se ipsum nihil reputare. Sed quomodo fit hoc? Certe, ut homo *tollat crucem suam.* Ad istam crucem invitat beatus Petrus in prima Canonica sua [4]: *Christus,* inquit, *passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius.* Sed quae sunt vestigia Christi? Certe, exinanitio sui *sub se ipso,* humiliatio *sub Deo* et despectio *coram toto mundo.* Quantum ad primum dicitur de Christo: *Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens* etc. Christus, qui purissimum et nobilissimum *esse* habuit, *se exinanivit,* et primus homo se exaltavit. Quantum ad secundum dicitur de Christo: *Humiliavit se, factus obediens* etc. Quantum ad tertium dicitur: *mortem autem crucis.* Haec fuit coram toto mundo detestabilis mors. Ideo, si salvari volumus, oportet, quod cum Christo crucem tollamus, non in angaria, sed spontanea voluntate, et tunc *iugum* Domini *suave* est, *salutiferum* et *gloriosum,* si sponte feratur.

Primo dico, si *spontanea voluntate* tollamus crucem Christi, est nobis iugum Domini *suave;* unde in Evangelio [5]: *Iugum meum suave est, et onus meum leve.* — Secundo est *salutiferum;* unde in Luca: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam,* id est per voluntariam obedientiam; et alibi: *Qui voluerit animam suam salvam facere perdet illam.* — Tertio est iugum Domini *gloriosum;* unde Apostolus: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi* etc. Gregorius [6]: « Sicut superbi honoribus, sic humiles in sua despectione gratulantur ».

Si autem crux Christi in *angaria* tollitur, est iugum *asperum, mortale* et *ignominiosum;* quod significatur in Marco [7], ubi dicitur: *Angariaverunt praetereuntem quempiam, Simonem Cyrenaeum, venientem de villa, patrem Alexandri et Rufi.* Tria sunt genera hominum, qui portant crucem in angaria, scilicet qui *aeterna despiciunt, temporalia concupiscunt* et qui *carnaliter vivunt.* Nota istas conditiones in *Simone Cyrenaeo.* Qui *aeterna despiciunt* tangit ibi: *Angariaverunt praetereuntem quempiam Simonem.* — *Simon praeteriens* est ille qui *aeterna despicit;* et talis non reficitur in cruce Christi; unde Gregorius [8]: « Cor, quod in aeternitate fixum non est, omni mutabilitate mutabilius est ». — Illos qui *terrena concupiscunt* tangit ibi: *venientem de villa.* Istorum imitatores sunt hodie multi, de quibus Apostolus [9]: *Multi ambulant, quos saepe dicebam vobis, nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi, quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* — Arctrum iunctum iugo habet dispositionem, ut portet fructum; sic homo continue portans crucem Christi reportat fructum; unde in Evangelio: *Nemo mittens manum ad aratrum et respiciens retro, aptus est regno Dei.* — Ideo, si volumus sancte operari, oportet tollere crucem Christi tanquam obedientiae iugum.

II. Secundo, si volumus *spiritualia contemplari,* oportet tollere crucem ut *librum,* quo erudiamur; de quo libro in Deuteronomio [10]: *Tollite librum istum et ponite eum in latere arcae foederis Domini.* — *Arca foederis Domini* est beata Virgo, in qua omnia arcana sunt recondita. *Liber* sapientiae est Christus, qui *scriptus* est *intus* apud Patrem, cum sit ars omnipotentis Dei; *et foris,* quando carnem assumsit. Iste liber non est apertus nisi in cruce; istum librum debemus tollere, ut intelligamus arcana sapientiae Dei.

Crux portatur dupliciter.

Primo, spontanea voluntate, ut sit suave.

Item, salutiferum.

Item, gloriosum.

Secundo, in angaria.

Tria genera hominum.

Primum.

Secundum et tertium.

II. Pars. De libro eruditionis.

Notandum.

ars I. De ago obedientiae. se iocobedientia.

risti obedoia triplex.

umiliari ram Deo proximo.

e, in se.

e, coram ndo.

Expositio.

[1] Gen. 2, 17; sequuntur ler. 2, 20. et Phil. 2, 8.
[2] Thren. 3, 27-30; sequuntur I. Petr. 5, 6. et Thren. 3, 29. seq.
[3] Psalm. 118, 71; sequuntur Matth. 16, 24. et Luc. 9, 23.
[4] Cap. 2, 21; sequitur Phil. 2, 7. et 8.
[5] Matth. 11, 30; sequuntur Luc. 9, 23. seq. et Gal. 6, 14.
[6] Libr. I. Dialog. c. 5. in fine.
[7] Cap. 15, 21.
[8] Potius August., Manuale (inter opera August.), c. 25. Cfr. tamen S. Gregor., X. Moral. c. 11.
[9] Phil. 3, 18. seq.; sequitur Luc. 9, 62.
[10] Cap. 31, 26; sequuntur Hebr. 9, 19. et Apoc. 5, 1-9.

Iste liber designatur per librum Moysi, de quo dicitur, quod *accipiens Moyses sanguinem vitulorum et hircorum cum aqua et lana coccinea et hyssopo, ipsum quoque librum et omnem populum aspersit.* — Christus enim aspersus est sanguine emanante per sudorem et flagellationem, et sanguine manante e duabus manibus et duobus pedibus et latere ipsius. Et isto sanguine *omnis populus* chri-

Est signatus 7 sigillis. stianus *est aspersus.* — Iste liber signatus est sigillis septem et apertus per internecionem Agni; unde in Apocalypsi: *Vidi in dextra sedentis super thronum librum scriptum intus et foris, signatum sigillis septem. Et vidi Agnum fortem* etc.; sequitur: *Dignus es, Domine, accipere librum et aperire signacula eius.*

Septem sigilla sunt septem considerationes pas-

Quæ sunt 7 considerationes. Prima. sionis Christi, quas circa dominicam passionem debet quilibet considerare. Prima consideratio est, quod Christus fuit *morte damnatus* post multas ventilationes; unde convenit ei illud [1]: *Causa tua quasi impii iudicata;* et in libro Sapientiae: *Morte turpissima condemnemus eum.* —

Secunda. Secunda consideratio passionis Christi est, quod fuit *opprobriis affectus.* Quis posset explicare, quae et qualia opprobria ei facta fuerunt in domo Caiphae, quando velata est eius facies et sputis illita, quando flectebant coram eo genua, dicentes [2] deridendo: *Ave, rex Iudaeorum.* Tunc potuit dicere: *Ego sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abiectio plebis. Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis et moverunt caput;* Isaias: *Vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum, despectum et novis-*

Tertia. *simum virorum.* — Tertia consideratio est, quod fuit *conviciis lacessitus,* quoniam vocaverunt eum seductorem et blasphematorem, dicentes [3]: *Vah, qui destruis templum Dei et in triduo illud reaedificas!* Omnes infuriati sunt in ipsum et blasphemaverunt eum, dicentes: *Alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere.* Tunc potuit dicere Christus: *Adversum me loquebantur qui bibebant vinum* etc. *Et fa-*

Quarta. *ctum est in opprobrium mihi.* — Quarta consideratio est, quod fuit *vinculis ligatus* et *flagellatus,* ita ut sanguis degutaret; Psalmus [4]: *Fui flagellatus tota die, et castigatio mea in matutinis.* Qui hoc diligenter consideraret paratus esset omnia ludibria pro Chri-

Quinta. sto sustinere. — Quinta consideratio est, quod *vestimentis fuit spoliatus;* Psalmus: *Diviserunt sibi vestimenta mea* etc.; unde nudus fuit iste qui *ve-*

Sexta. *stivit lilia agri* [5]. — Sexta consideratio est, quod fuit *clavis transfossus* et in medio latronum suspensus. Eius passio fuit durior quam alicuius hominis, quia eius complexio tenerrima fuit, similiter et nervi; Psalmus [6]: *Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea;* Isaias: *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* — Ultima consideratio pas-

Septima. sionis Christi est, quod fuit *felle et aceto potatus;* Psalmus [7]: *Dederunt in escam meam fel* etc. Ioannes dicit, quod ibi *consummata est passio;* unde, ubi incepit transgressio, ibi consummata est redemptio. — Ista debemus frequenter reducere ad memoriam; Ieremias [8]: *Recordare paupertatis et transgressionis meae, absinthii et fellis.* Patet modo, quomodo iste liber *signatus est sigillis septem.*

Iste est *liber noster,* et qui respicit eum abhor- De toto illo libro. ret eum; qui autem perscrutatur eum interius delectatur in eo. In isto libro scripta est tota sapientia Christi; unde impletum est in eo illud Ieremiae [9]: *Tolle volumen libri, et scribes in eo omnia verba, quae locutus sum tibi.* Sed quid scriptum sit in illo, narrat Ezechiel: *Manus missa ad me, in qua erat involutus liber, et scriptae erant in eo lamentationes et carmen et vae.* In isto autem libro tria scripta sunt: primum est, qualiter *peccatum* debemus *odire;* secundum est, qualiter debemus *Deum diligere;* tertium est, qualiter *iudicium* debemus *formidare.* Videte, quomodo ista addiscimus. Si attendamus *causam passionis* Christi, addiscimus peccatum odire; si attendamus *personam patientis,* addiscimus Deum diligere; si attendamus *passionis utilitatem,* addiscimus iudicium formidare.

Tria in ipsa scripta.

Primo dico, si attendamus *causam* passionis De causa passionis ex septem plici fel amore. Christi, addiscimus *peccatum odire.* Quae fuit causa passionis Christi? Certe peccatum. Peccatum autem non venit in animam nisi propter amorem inordinatum temporalium potestatum, aut temporalium celsitudinum, aut temporalium honorum, sive temporalium gloriarum sive laudum, aut quietum, aut divitiarum, aut libidinum, aut epulationum. — In septem istis tota praevaricatio humana consistit. Propter inordinatum amorem temporalium potestatum efficimur elati; propter amorem inordinatum temporalium celsitudinum *efficimur inanis gloriae cupidi* [10] sive ambitiosi; propter amorem inordinatum temporalium honorum efficimur invidi; propter amorem inordinatum temporalium laudum sive gloriarum efficimur irati; propter amorem quietum, accidiosi; propter amorem divitiarum, avari; propter amorem libidinum, luxuriosi; propter amorem inordinatum epulationum efficimur gulosi. Haec sunt *septem capita draconis* introducta in orbem terrarum. — Modo Dominus noster Iesus Christus, qui medicus magnus est et venit solvere opera diaboli, voluit primo damnari et morte adiudicari ad expiandam humanam nequitiam; secundo, ad expiandam humanam arrogantiam voluit opprobriis affici; tertio, ad expiandam humanam

Septem capita draconis. Quare Christus illa inierit pati

[1] Iob 36, 17; sequitur Sap. 2, 20.
[2] Matth. 27, 29; sequuntur Ps. 21, 7. seq. et Isai. 53, 2. 3.
[3] Matth. 27, 40. 42; sequitur Ps. 68, 13. 11.
[4] Psalm. 72, 14; sequitur Ps. 21, 19.
[5] Matth. 6, 28. 30.
[6] Psalm. 21, 17. seq.; sequitur Isai. 53, 5.
[7] Psalm. 68, 22; deinde respicitur Ioan. 19, 30: *Dixit: Consummatum est.*
[8] Thren. 3, 19.
[9] Cap. 36, 2; sequitur Ezech. 2, 9.
[10] Respicitur Gal. 5, 26, deinde Apoc. 12, 3.

invidiam voluit conviciis lacessiri; quarto, ad expiandam humanam negligentiam voluit ligari et flagellari; quinto, ad expiandam humanam avaritiam voluit in cruce denudari; sexto, ad expiandam luxuriam voluit crucifigi et clavis transfigi; septimo, ad expiandam humanam gulositatem voluit felle et aceto potari. — Videte, quantum debemus peccatum odire.

uare pec-catum liendum.

Deus Pater tradidit Filium suum crucifigendum propter peccatum destruendum. Qui igitur modo peccant Christum iterum crucifigunt. Unde Apostolus [1]: *Irritam quis faciens legem Moysi sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur. Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui Filium Dei conculcaverit et sanguinem testamenti pollutum duxerit?* Docemur igitur hic summo horrore vitare peccatum. Si poneretur in optione cuiuslibet, utrum potius vellet crucifigi, vel quod Christus crucifigeretur; credo, quod quilibet in persona sua eligeret potius crucifigi; sed Christus pro peccato crucifixus est: igitur qui modo peccat Christum iterato crucifigit. Unde Apostolus ad Hebraeos: *Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei et ostentui habentes.* Si igitur consideremus causam passionis Christi, addiscimus vitare peccatum.

Secundo, si consideremus *personam patientis*, addiscimus, qualiter debemus Deum *diligere*. In Isaia [2] dicitur de Christo: *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra,* aspersus sanguine? Certe, hic est dulcissimus, unigenitus Dei Filius, quem Deus dare voluit pro nobis ad crucifigendum. Item, in Apocalypsi: *Dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* Hic est Rex excelsus, gloriosus, benedictus, omnipotens, opulentus, sempiternus et plenus iucunditate. Rex *excelsus* voluit morte condemnari; Rex *gloriosus,* opprobriis affici; Rex *benedictus,* blasphemari; Rex *omnipotens,* flagellari, ligari et caedi; et Rex *opulentus,* nudari; Rex *sempiternus* crucifigi, et Rex *plenus iucunditate* voluit amaricari pro te salvando. — Morte, dico, voluit condemnari, et tu versa vice debes velle morte condemnari pro ipso; quia opprobriis voluit affici, ideo et tu pro ipso debes velle affici opprobriis; et quia Rex benedictus voluit blasphemari, ideo et tu convicia crucis non debes abhorrere; et quia Rex omnipotens voluit flagellari, ideo et tu flagella non debes abhorrere paupertatis; et quia pro nobis est crucifixus, igitur et tu non debes timere vulnera et inedias pro ipso sustinere. Ecce, qualis commutatio! Tradidit se pro vermiculo; quomodo ergo nos non debemus nos tradere pro Christo? Propter hoc dicit Dominus in Canticis [3]: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quia fortis ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio.* — Qui frequenter legeret librum istum Sapientiae multum inflammaretur ad amorem Dei. Beatus Franciscus pauper fuit et frequenter istum librum legit, ita quod cor inflammatum habuit supra modum; quod bene patuit. Habuit enim stigmata Crucifixi impressa in manibus et pedibus et latere. Et Apostolus Paulus bene habuit cor inflammatum; unde dixit [4]: *Non enim iudicavi, me scire aliquid inter vos nisi Iesum Christum, et hunc crucifixum. Christo,* inquit, *confixus sum cruci. Vivo autem, iam non ego, vivit vero in me Christus.* — Debemus igitur frequenter legere (hunc) librum Sapientiae et considerare *personam* patientis, ut addiscamus Christum diligere.

Exempla duo.

Tertia pars libri Sapientiae est, in qua docemur *formidare iudicium,* si attendamus *utilitatem passionis.* Sed quae est ista utilitas? Ad quid scriptus est liber iste? Certe, ut nos liberaret a sempiterna reprobatione, a sempiterna confusione, maledictione, servitute, egestate sive paupertate, a sempiterna calamitate, a sempiterna amaritudine. — Primo, dico, Christus morte est damnatus, ut nos liberaret a sempiterna *damnatione* sive reprobatione; secundo, opprobriis est affectus, ut nos liberaret a sempiterna *confusione;* tertio, ut nos liberaret a sempiterna *maledictione,* conviciis est lacessitus; quarto, est flagellatus et vinculis ligatus, ut nos liberaret a sempiterna *servitute;* quinto, est nudatus, ut nos liberaret a sempiterna *pauperie;* sexto, est crucifixus, ut nos liberaret a sempiterna *calamitate;* septimo, felle et aceto est potatus, ut nos liberaret a sempiterna *amaritudine.*

Tertio, de ratione formidandi iudicium, attendendo utilitatem passionis septemplicem.

Liberatio a 7 malis.

Impossibile est ista evadere, nisi sentias aliquid de cruce. Sola crux potest te liberare. Feras istud signum in extremo examine, quando libri aperientur, quoniam liber vitae indicabit, liber conscientiae accusabit; necesse est tunc, quod liber crucis excuset te, si vis salvari [5]; aliter oportet, quod aeternaliter reproberis, quod avertat Deus. — Necessarium igitur est, quod addiscimus *tenere,* si volumus aeternam damnationem evadere, quia, ut dicit Sapientia [6], *initium sapientiae, timor Domini;* odium peccati et formidatio iudicii est progressus; amor Sapientiae aeternae est consummatio. — Multi istum librum tenent clausum et sunt insipientes, quia non ponunt ipsum ante oculos nisi in morte. Optimum est semper in cruce meditari. Nullus est, qui possit pervenire ad intelligentiam Scripturarum nisi per crucem, quia in cruce est manna et unctio. Crux est *clavis David,* per quam arca testamenti aperitur et religatur; Christus dicitur *Unctus,* et a Christo dicimur Christiani, et ab Uncto uncti. Sic igitur debemus secundo tollere crucem Christi ut librum Sapientiae, in quo contemplemur.

Liberatio per crucem.

Notandum.

ondo, de sona pa-ilis et ra-ne Deum gendi.

ptem Re-attributa.

e est imi-tandus.

[1] Hebr. 10, 28. seq. et dein c. 6, 6.
[2] Cap. 63, 1; sequitur Apoc. 1, 5.
[3] Cap. 8, 6.
[4] Epist. I. Cor. 2, 2. et Gal. 2, 19. seq.
[5] Verba *Impossibile est* etc. sumsimus ex S, quorum loco editio habet: *Et nisi quis ascendat, signum crucis excusat; oportet igitur, quod crux te excuset.*
[6] Eccli. 1, 16. De clavi David Apoc. 3, 7.

Pars III. De armatura crucis ad defendendum.

III. Tertio, si volumus *in certamine protegi*, debemus tollere crucem ut *armaturam*, qua nos defendamus; unde beatus Petrus [1]: *Christo in carne passo, et vos eadem cogitatione armamini.* Crux Christi est armatura ad expugnandum diabolum, mundum et corpus proprium. Istos tres hostes habemus et contra istos tres hostes habemus tria bella, scilicet bellum *campestre, civile* et *intestinum;* et vincuntur per virtutem crucis; unde crux Christi significatur per *baculum* David, *hastam* Saulis et *gladium* Goliae. — Primo dico, crux Christi est armatura ad impugnandum *diabolum* in bello *campestri;* unde significatur per baculum David, de quo in libro Regum: *Tulit David baculum suum, quem semper habebat in manibus, et elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente et interfecit Philisthaeum. — Philisthaeus,* id est diabolus, qui pro sua superbia genus humanum impugnavit et de ipso triumphavit; venit David, id est manu fortis, id est Christus, accepit *baculum* crucis *cum quinque lapidibus limpidissimis de torrente,* id est cum quinque vulneribus dominicae passionis, et diabolum superavit et prostravit, et maxime in plaga lateris, quae significatur per plagam, quam fecit David Philisthaeo in fronte. Et sicut Christus baculo crucis et quinque lapidibus, id est vulneribus, triumphavit; sic, quando diabolus nos infestat et tentat, debemus recurrere ad crucem. Iste est nobilis baculus, qui de diabolo facit triumphare. Si invocamus Trinitatem, non timet diabolus, sed si invocatur Christus crucifixus, statim expavescit, et aufertur ei posse per crucem [2]. — Exemplum habemus de hoc. Accidit, non est dia, quidam iuvenes lascivi iuxta Narbonem lndebant in navi. Venit mulier quaedam in navi et fecit signum crucis in fronte; tunc illi deriserunt ipsam, dicentes: Ecce, quod ista mulier timet et confidit in signo crucis. Post modicum omnes invenes sunt submersi, et sola mulier evasit, quia signata fuit signo crucis. Unde in Apocalypsi [3] dictum est Angelis, *quibus datum est nocere terrae et mari, dicens: Nolite nocere terrae et mari neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum;* et tunc amplius non potuerunt nocere eis.

Tria bella et tria arma.

De primo bello.

Exemplum.

Secundo est crux Christi armatura ad impugnandum *mundum* in bello *civili;* et secundum hoc significatur per *hastam* Saulis; unde in libro Regum [4] dicitur Abisai: *Tolle hastam, quae est ad caput* Saulis, *et scyphum aquae* etc. Saul, qui fuit primo rex a Deo electus et postea reprobatus, significat populum ludaicum, qui primo fuit Domino acceptus, postea paravit crucem Salvatori suo. Saul quaesivit David in domo sua, et David ludebat, *et factus est spiritus Domini malus in Saul,* et voluit interficere David, et *casso vulnere perlata est lancea in parietem.* — David manu fortis significat Christum; Saul, rex reprobatus, significat populum ludaicum, qui reprobatus est a Domino et voluit interficere Dominum; sed illaeso Domino, *perlata est lancea in parietem,* quia Divinitas nullatenus nihil mali passa est [5]. Sed cum dormiret Saul, ablata est ei lancea. Hasta ista est crux Christi, quae primo fuit apud ludaeos, sed imperator Constantinus transtulit ipsam ad Christianos. Saul, qui dormit, significat populum ludaicum, qui adhuc dormit. In ista pugna contra mundum crux Christi divisionem facit inter nos et mundum. Sine hasta ista omnes currimus ad infernum.

De secundo bello.

De tertio bello.

Tertio est crux Christi armatura ad impugnandum *corpus proprium;* et sic significatur per *gladium* Philisthaei; de quo in libro Regum [6]: *Achimelech dixit* ad David: *Ecce, hic gladius Goliath Philisthaei, quem percussisti in valle Terebinthi, est involutus pallio post Ephod. Si vis tollere, tolle. — Gladius Goliath* est crux Christi, per quam diabolus est superatus; et tu, si vis pugnare contra corpus proprium, accipias *gladium Goliath,* quo David, id est Christus, superavit Goliath, id est diabolum, et accingere gladio isto crucifigendo carnem tuam, quia *qui Christi sunt carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis;* Psalmus: *Accingere gladio tuo super femur tuum* etc.

Pars IV. virga potestine ad resistendum tentandos.

IV. Quarto debemus tollere crucem Christi ut *virgam potentiae,* qua sustentamur in tribulatione; Psalmus [7]: *Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* — Haec est virga Moysi et est tollenda primo, quia est *flagellatrix rebellium,* unde Moysi dictum est: *Tolle virgam tuam et proiice eam coram Pharaone* in terram, *ac vertetur in colubrum. — Virga* ista est crux Christi, quae omnes rebelles flagellat. Quis est ergo, qui libenter nolit flagellari cum Christo, si velit consolari? Haec virga serpentes magorum devoravit et Aegyptios flagellavit.

Haec flagellat rebelles.

Item, libera fideles.

Secundo est crux Christi *liberatrix fidelium;* unde in Exodo [8] dixit Dominus Moysi: *Tu autem eleva virgam tuam et extende manum tuam super mare et divide illud, ut gradiantur filii Israel in medio maris per siccum* [9]. Quando aliqui sunt in amaritudine *tribulationis,* debent reducere ad memoriam crucem Christi, et omnis amaritudo convertetur in dulcorem. Unde cum Moyses percussisset mare virga, transierunt *filii Israel per siccum in medio.* Similiter ad memoriam crucis omnis amaritudo tribulationis sedatur. Quod significatur in libro Exodi [10], cum filii Israel invenerunt aquas amaras, ex

[1] Epist. I. Petr. 4, 1; sequitur I. Reg. 17, 40. 50.
[2] Cfr. Cornel. a Lapide, in Epist. ad Phil. 2, 9.
[3] Cap. 7, 2. seq.
[4] Libr. I. Reg. 26, 11; et infra c. 19, 9. 10.
[5] Cfr. supra pag. 38, nota 9.
[6] Libr. I. Reg. 21, 8. seq.; sequuntur Gal. 5, 24. et Ps. 44, 4.
[7] Psalm. 22, 4; sequitur Exod. 7, 9.
[8] Cap. 14, 16. [9] Cetera desunt in codice Trecensi.
[10] Respicitur c. 15, 25: *Qui ostendit ei* [Moysi] *lignum, quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versae sunt.*

impositione ligni sunt dulcoratae. — Similiter ex consideratione crucis Christi omnis amaritudo *tentationis* [1] sedatur. Unde Bernardus: Si attendamus verbum bonum, nullo modo gravabimus. Bonus, inquit, miles quae sua sunt non sentit, dum benigni ducis signa intuetur. — Quidam Religiosus valde fuit tentatus; exemplum. apparuit ei Dominus et ostendit ei latus suum [2], et ex tunc dulcorem et fortitudinem accepit, ita quod nunquam postea fuit lassatus. Apostolus [3]: *Recogitate eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes.*

Tertio est crux Christi *consolatrix afflictorum;* Consolator afflictos. unde in Exodo [4] dicitur, quod Moyses virga, qua percussit mare, percussit petram, et egressa est aqua. Nos non possumus educere aquam lacrymarum nisi per virtutem crucis. Secundum philosophum [5] lapis adamantinus sanguine hirci frangitur. — Sed quidam habent cor ita durum, quod etiam ad memoriam crucis non mollitur, cum tamen, Christo passo, *petrae scissae sunt, et monumenta sunt aperta* [6]. In libro Numerorum dicitur, quod Moyses, cum percuteret petram, prima vice non exivit aqua; similiter non secunda vice, quia dubitavit de virtute Dei; tertia vice eduxit aquam. Similiter multi sunt iodevoti, qui non exanduntur prima vice nec secunda vice propter defectum fidei; sed qui clamant cum confidentia et devotione cordis exanduntur in tribulatione et afflictione et recipiunt consolationem. Debemus igitur clamare ad Dominum cum cordis compunctione et mentis devotione, et recipiemus consolationem. Unde de Christo dixit Apostolus [7]: *Cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Rogabimus ergo Dominum etc. Improbatur cor durum.

SABBATO SANCTO.

Sermo I [8].

Venite ad me etc. Dicebam, quod in verbis istis repetitio. invitamur ad coenam pro sacro die Jovis, ad crucem pro sacro die Veneris; modo invitamur ad requiem pro die isto sabbati. Istud autem sabbatum est sab- e requie sabbati. batum sabbatorum. Quidquid enim a principio mundi dictum est de celebratione sabbati, dictum est propter requiem. Post consummationem omnium *requievit Dominus die septimo. Propter hoc laetatum est cor meum, et exsultavit lingua mea* [9] etc. *In pace in idipsum dormiam et requiescam, quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me* etc. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno* etc. Propter similitudinem istius requiei dicitur in conditione rerum, quod *requievit Dominus die septimo* [10]; ideo *benedixit diei septimo et sanctificavit illum.* standum. Quamquam verum sit, quod sex diebus operatus est Dominus et *die septimo requievit*, veriori tamen modo habet veritatem in operibus recreationis, quia per sex lustra temporum operatus est Dominus et septimo requievit; quia a principio incarnationis Christus *pauper* fuit *et in laboribus a iuventute sua*, sed potissime fuit in laboribus per dies ante passionem, quando se exposuit passioni et venit in Bethaniam. Septimo die positus est in sepulcro et requievit. Hodie beatissima anima Christi fecit, quod omnes animae sanctae secum sint in pastu aeternae iucunditatis et requie beatae visionis. Ad istam requiem invitamur, et oportet, quod inveniamus eam in vita. Omnis labor est propter requiem, et omnis motus propter quietem.

Quatuor autem sunt, per quae homo venit ad Divisio. istam requiem: primo, per *exercitium operationis* virtuosae; secundo, per *gemitum compunctionis* amarae; tertio, per *otium contemplationis* devotae; quarto, per *bravium retributionis* aeternae. In primo requies inchoatur, in secundo proficitur, in tertio perficitur et in quarto perpetuatur.

I. Primo, dico, pervenitur ad requiem per *exer-* Pars I. Exercitium operationis. *citium operationis virtuosae;* unde in Exodo [11]: *Sex diebus operaberis; septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est. — Sex diebus operaberis*, id est sex operibus virtutum; de quibus Psalmus: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo* etc. *Qui ingreditur sine macula et operatur iustitiam. Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum* etc. *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus.* — Ponit hic sex opera virtutum, in Sex opera virtutum. quibus anima sancta se debet exercere ad iustitiam, scilicet sub forma *sanctitatis*, sub forma *iustitiae*, sub forma *veritatis;* et hoc tangit, cum dicit: *Qui ingreditur* etc. Ista sunt ad purificandum hominem in se; sed ulterius oportet, quod homo extendat se ad proximum per *iustitiam*, quia virtus disponit ad lucem *veritatis*, et veritas non habet esse, nisi se extendat ad proximum, ut non velit homo nocere proximo nec

[1] Substituimus verbum *tentationis* pro *tribulationis*, contextu hoc suadente. — Sequitur Bernard., serm. 61. in Cant. n. 7..et 8. (sec. sensum).

[2] Cod. S legit: *Domino apparente ei in somno in specie corporali cum cicatricibus; posuit os suum ad vulnus cordis, et omnia dulcorata sunt.*

[3] Hebr. 12, 3. [4] Cap. 17, 5-6.

[5] Scilicet Plin., XX. Histor. natur. c. 1. Vide tom. VIII. pag. 180, notam 11.

[6] Matth. 27, 51. seq. Dein respicitur Num. 20, 8. seqq.; sed nota, quod sec. Scripturam ibi *bis* tantum petram percussit; cfr. tamen Exod. 17, 6.

[7] Hebr. 5, 7.

[8] Ex editione Uccelli pag. 135, collata cum S. Cfr. supra pag. 255, nota 4.

[9] Psalm. 15, 9; sequuntur Ps. 4, 9. 10. et 14, 10.

[10] Gen. 2, 2. seq.; sequitur Ps. 87, 16.

[11] Cap. 20, 9. seq.; sequitur Ps. 14, 1-4.

habeat complacentiam in malo proximi sui; et ideo sequitur *innocentia*, id est, quod homo se exerceat in innocentia ad proximum; et ideo dicit: *nec fecit proximo suo malum* etc. Post hoc non restat nisi habere *caritatem*; et ideo sequitur: *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus, timentes autem Dominum glorificat.* Ille *Dominum timet*, qui *non gaudet super iniquitate* alterius, *sed congaudet veritati* [1]. Sexto debet homo se exercere in plena *misericordia*, ut in nullo decipere velit; et ideo dixit: *qui iurat proximo suo et non decipit, qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit. Qui facit haec non movebitur in aeternum.* Hic est Psalmus requietionis. De talibus dicitur in Proverbiis: *Qui me audierit absque terrore requiescet et abundantia perfruetur, timore malorum sublato.* Sed qui non vult obedire Deo non habebit pacem intra; propter hoc dicit Psalmus: *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare cordu vestra.* — Patet modo, quae sunt viae sanctitatis, iustitiae et veritatis, innocentiae et caritatis et misericordiae, per quas devenitur ad requiem. Apostolus [2]: *Festinemus ingredi in illam requiem*, scilicet per opera virtutum. Et propter hoc dicit Ecclesiastes: *Quodcumque potest manus tua, instanter operare.* De istis viis dicit Psalmus: *Notas fac mihi vias vitae.* Filii Israel non pervenerunt ad terram promissionis, quia non exercuerunt se in viis virtutum. Patet modo, quod homo devenit ad requiem per exercitium operationis virtuosae.

II. Sed quia aliunde cespitat homo sive deficit; ideo necessaria est secunda via deveniendi ad requiem, quae est per *gemitum compunctionis amarae. Universae enim iustitiae nostrae sunt quasi pannus menstruatae* [3]. Vix est aliquis, qui non habeat satis plorare pro peccatis suis; Psalmus: *Quis dabit mihi pennas sicut columbae, et volabo et requiescam?* Columba gemitum habet pro cantu et significat illum qui se exercet in gemitu compunctionis; de quo Propheta: *Sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor ut columba.* Columba, invento *ramo olivae*, reversa est ad arcam [4]; sic anima columbina revertitur ad Dominum, quia in ipso invenit requiem. Unde in Evangelio: *In mundo pressuram, in me pacem habebitis.* Anima columbina non habet requiem extra arcam; propter hoc quilibet debet fugere occupationem terrenam. Dicit: *Quis dabit mihi pennas ut columbae, et volabo?* — Si vis venire ad requiem, oportet, quod habeas sex pennas, quae sunt: *pudor, timor, dolor, clamor, rigor* et *ardor* [5]. Pudor debet esse in recogitatione peccati; timor in praemeditatione divini iudicii; dolor in aestimatione damni; clamor in imploratione remedii; rigor in afflictione sui; ardor in appetitione desiderii; ad quae consequitur sopor et requies.

Pars II. Gemitus compunctionis.

Sex pennae.

Prima, dico, penna, quam debet habere qui vult venire ad requiem, est *pudor* in recogitatione peccati, ut homo peccatum suum erubescat. Sed contra quosdam dicit Ieremias [6]: *Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Debet homo erubescere peccatum suum et dicere: *Confusus sum et erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiae meae.* Penna prima.

Secunda penna est *timor* in praemeditatione iudicii, scilicet quando homo cogitat, quod de omnibus oportebit reddere rationem, et cogitat quod scribitur [7]: *Omnes enim stabimus ante tribunal Christi. Vix iustus salvabitur*; Iob: *Verebar omnia opera mea, sciens, quod non parceres delinquenti.* Secunda.

Tertia penna est *dolor* in aestimatione damni, quando homo cogitat, quod tempus suum perdidit et gratiam Spiritus sancti et quod Deum offendit; tunc debet multum dolere; propter hoc dicitur [8]: *Dole et satuge, filia Sion.* Tertia.

Quarta penna est *clamor* in imploratione remedii; Psalmus [9]: *Rugiebam a gemitu cordis mei* etc. Item, Psalmus: *Domine, in die clamavi et nocte coram te.* Et tunc debet homo percutere pectus suum. Quarta.

Quinta penna est *rigor* in afflictione sui; Psalmus: *Quoniam ego in flagella paratus sum.* Quinta.

Sexta penna est *ardor* desiderii ad obtinendum bonum. Spiritus sanctus in specie columbae apparuit [10], et Spiritus sanctus ignis est, et quando aliquis habet istas sex pennas, tunc Spiritus sanctus obumbrabit ei contra aestum peccatorum, ut possit dicere: *Sub umbra illius quem desideraveram, sedi* etc. Quando homo fugit aestum peccatorum et venit ad Deum, tunc requiescit, quando audit: *Remittuntur tibi peccata* etc. — Hic est secundus modus perveniendi ad requiem. Homo *custodit* quandoque *viam duram* [11] propter lectum bonum. Lectus est conscientia. Quidam iacent in lecto bono et pretioso, et tamen videtur eis, quod iaceant super spinas, propter sollicitudines curarum mundanarum et inquietudines. Sexta.

Pars III. Otium contemplationis.

III. Tertius modus deveniendi ad requiem est per *otium contemplationis devotae*; unde in Deuteronomio [12]: *Beniamin ait: Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo, quasi in thalamo tota die commorabitur et inter humeros illius requiescet.* — *Beniamin*, filius dexterae, significat illum qui est in excessu mentis [13] per contemplationem. Iste

[1] Epist. I. Cor. 13, 6; sequuntur Prov. 1, 33. et Ps. 94, 8.
[2] Hebr. 4, 11; sequuntur Eccle. 9, 10. et Ps. 15, 11.
[3] Isai. 64, 6; sequuntur Ps. 54, 7. et Isai. 38, 14.
[4] Gen. 8, 11; sequitur Ioan. 16, 33.
[5] Cfr. supra pag. 246, serm. 5.
[6] Cap. 3, 3. et immediate infra c. 31, 19.
[7] Rom. 14, 10; sequuntur I. Petr. 4, 18. et Iob 9, 28.
[8] Mich. 4, 10.
[9] Psalm. 37, 9. seq. et dein Ps. 87, 2. et 37, 18.
[10] Respicitur Marc. 1, 10; sequuntur Cant. 2, 3. et Matth. 9, 2.
[11] Psalm. 16, 4. [12] Cap. 33, 12.
[13] Cod. S addit: Quia tunc omnis ratio humana inferior absorbetur, quando illud lumen videtur, quod est supra rationem, sicut solis lumine omnia lumina stellarum obfuscantur. Iste *habitat confidenter in thalamo* et non extra; omnis sensus quiescit, omnia alia sunt deforis; iste solus contemplator est in-

habitabit confidenter et requiescet propter contemplationem sapientiae. Istum debemus imitari contemplando Sapientiam aeternam, ut inveniamus requiem. Unde in Ecclesiastico [1]: *Comparate vobis sine argento* sapientiam; *in proximo est enim invenire eam. Videte oculis vestris, quia modicum laboravi et inveni mihi multam requiem.* — De Iacob dicitur, quod *septem annis servivit pro Rachel, et videbantur illi pauci dies prae amoris magnitudine.* Unde in Canticis: *Si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.*

ptem gra- i contem- lationis.

Oportet, quod homo *septem annis* laboret ad hoc, quod habeat requiem. Unde *anni* sunt septem gradus contemplationis, quos beatus Bernardus [2] ponit uno modo, Richardus de sancto Victore [3] alio, et alii Sancti uno modo, alii alio. Sed quidam frater laicus [4], qui per triginta annos habuit gratiam excessus mentalis et qui mundissimus fuit et virgo et tertius frater post beatum Franciscum, sic dixit, quod septem gradus contemplationis devotae sunt isti, scilicet *ignis, unctio, ecstasis, contemplatio, gustus, amplexus, requies,* et octava sequitur *gloria.* — Intelligo, quod anima contemplativa, quae exercet se, ut possit pervenire ad requiem, oportet, quod vias istas transeat,

radus pri- mus.

scilicet, ut primo *ardeat* per gladium flammeum atque versatilem, hoc est per ardentissimum desiderium amoris Dei et oblivionem sui, et gladio dividat

Secundus.

se a terrenis. Hoc est principium diffusivum. — Secundus gradus est, quando occurrit ei influxus Spiritus sancti; et haec est *unctio*, et ista unctio est sensus consolationis Spiritus sancti illabentis in ani-

Tertius.

mam fervidam. — Tertius gradus est, quando anima sentit se impletam unctione Spiritus sancti usque ad intima; tunc alienatur, et hoc vocatur *ecstasis*, quae est alienatio a sensibus et ab omni eo quod est extra, et convertitur ad Deum, qui est intra; unde de Paulo, maximo contemplatore, dicitur: *Sive mente,*

Quartus.

inquit, *excedimus;* tunc alienatur a mente [5]. — Quartus gradus est, quando anima sic est ignita, uncta et alienata et est ad se reversa, tunc fit apta ad contuitum lucis aeternae; et haec est *contemplatio,*

Quintus.

quando a phantasmatibus est alienata. — Quintus gradus est, quando contuita est lucem aeternam, tunc eius *consolationem degustat;* unde in Exodo [6]: *Viderunt Dominum Deum Israel et comederunt* et

Sextus.

refecti sunt. — Sextus gradus est *amplexus;* postquam vidit, quod *bona est negotiatio eius* [7], nititur tenere et amplecti et dicit: *Fructus eius dulcis gutturi meo. Tenui eum, nec dimittam.* Et potest tunc dicere: *Laeva eius sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me* [8]. *Introduxit me rex in cellam vinariam, fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* — Et tunc datur ei *requies* et dor-

Septimus.

mit. Sequitur: *Adiuro vos, filiae Ierusalem, per capreas cervosque camporum, ne evigilare faciatis dilectam.* — *Capreae* dicuntur potentiae inferiores animae, quae reguntur secundum regimen lucis aeternae, mediantibus superioribus potentiis. *Capra* habet visum acutum, *cervus* autem altum saltum et est animal errabundum. In quo significatur, quod Sponsum caelestem debet anima contemplari et desiderare ardenter et intueri viso acuto. — Modo non debetis de-

Hortatio.

sperare, vos simplices, quando auditis ista, quia simplex non potest ista habere, sed poteritis postea habere. Nos non facimus nisi dicere. Sed quando anima sancta habet ista sex, tunc disponitur ad videndum gloriam. Haec est requies, quam quaerere debemus. Et dicit Sapientia aeterna [9]: *In his omnibus requiem quaesivi et in hereditate Domini morabor* etc. Si vis esse tabernaculum sapientiae, studeas istas dispositiones habere; et si homo non velit ad istam perfectionem pervenire, magnum tamen est, quod lex

Notandum.

christiana habet tales. Omnes alii a Christianis sunt sicci ab ista gratia. Sic igitur tertio pervenitur ad requiem per otium contemplationis devotae.

Pars IV. Bravium re- tributionis.

IV. Quarto pervenitur ad requiem per *bravium retributionis aeternae,* et ista requies hic inchoatur, quando anima a corpore separatur; unde in Apocalypsi [10]: *Audivi vocem de caelo dicentem mihi: Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Haec requies consummatur in resurrectione. « Appetitus enim

Notandum.

est animae ad corpus, et retardatur anima, ne tota intentione feratur in summum caelum, quousque separetur a corpore ». Philosophi Arabes [11] dubitaverunt, utrum anima esset vera perfectio corporis; sed verum est, quod anima et corpus est una species, et anima propria est actus corporis et forma et per essentiam inclinatur ad corpus sicut proprius actus ad propriam materiam, quia anima est proprius actus corporis [12]. Oportet igitur, quod in quolibet corpore sit anima tanquam eius propria forma, quae inclinatur ad corpus et individuatur secundum individuationem corporis; et ideo anima non est beata perfecta beatitudine nisi cum corpore. Hoc autem erit in resurrectione generali. De ista beatitudine dicit Isaias [13]: *Sedebit populus meus in pulcritudine pacis;* quia

---

tra; unde non *quiescit* in aliquo exteriori. — De excessu mentis vide supra pag. 229, notam 10.

[1] Cap. 51, 33-35; sequuntur Gen. 29, 20. et Cant. 8, 7.

[2] Cfr. V. de Consid. c. 14. n. 32.

[3] Richard. a S. Victore, I. de Arca sive de contemplatione, c. 6. Cfr. Bonav., tom. VII. pag. 231, nota 5.

[4] Scilicet B. Aegidius. Cfr. Bonav., tom. VII. pag. 231, nota 11. et tom. VIII. Legenda S. Francisci, c. 3. n. 4.

[5] Ita S; editio legit *ab omni eo quod extra se intra, cum alienatur.* — Allegatur II. Cor. 5, 13.

[6] Cap. 24, 11.

[7] Prov. 31, 18; sequuntur Cant. 2, 3. et 3, 4.

[8] Cant. 2, 6. et 4. 5. 7. [9] Eccli. 24, 11.

[10] Cap. 14, 13. — Sequitur Augustinus, XII. de Gen. ad lit. c. 35. n. 68.

[11] Cfr. Averroes, III. de Anima, text. 5., et Bonav., II. Sent. d. 18. a. 2. q. 1.

[12] Cfr. Bonav., tom. IV. d. 43. a. 1. q. 5. ad 6. et II. d. 1. p. II. a. 3. q. 1. et 2. et d. 18. a. 2. q. 1.

[13] Cap. 32, 18.

tanta erit ibi pax et pulcritudo, quod nihil erit ibi nisi dulcor, quia tota erit plena deliciis. Quia igitur in resurrectione consummatur ista beatitudo, ideo Spiritus sanctus ordinavit, quod pro die sabbati celebretur dies dominica. Iudaei aspicientes ad opera creationis et non recreationis, et quia dies Saturni sive dies sabbati septima dies fuit a prima die creationis rerum, ideo ipsi sabbatum sanctificant. Rogabimus Dominum etc.

Sermo II [1].

Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo, ad Colossenses tertio [2].

Verbum istud dirigi potest ad eos qui moriuntur per *poenitentiam* in hac vita, et ad eos qui per *mortem naturae* exeunt ab hac vita.

Divisio.

I. Secundum quod ad primos dirigitur, sic in ipso duo notantur: primum est *mors poenitentiae,* secundum est *vita iustitiae.* Qui enim se ipsum mortificat per *poenitentiam,* hoc ipso vivificatur ad iustitiam. Poenitentia namque nihil aliud est quam quaedam mortificatio culpae, non tantum in se, verum etiam quantum ad suam originem. Oritur autem culpa principaliter ex humana *carnalitate* et ex humana *cupiditate.* — Debet igitur vere poenitens mori carnalitati humanae quantum ad *actum* et quantum ad *consensum* et quantum ad *affectum,* ut sic perdat Babylonis nomen et reliquias et germen. Peccatum inchoatur in affectu, proficit in consensu et consummatur in actu, iuxta quod dicitur Iacobi primo [3]: *Concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum, peccatum vero, cum consummatum fuerit, generat mortem.*

Pars I. Mors poenitentiae. Subdivisio.

Duplex origo peccati.

Triplex modus moriendi.

Est igitur vere poenitentis mori *carnalitati:* primo, mori carnalitati quantum ad *actum,* secundum illud ad Romanos octavo [4]: *Si secundum carnem vixeritis, morieminí; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* — Secundo debet mori quantum ad consensum, secundum illud ad Romanos sexto: *Existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Iesu Domino nostro. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Ibi ostendit, quod non est consentiendum peccato, ne per consensum regnet in nobis. — Tertio mori debet quantum ad affectum, secundum illud ad Colossenses tertio [5]: *Mortificate membra vestra, quae sunt super terram: fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam.* Unde non tantum ostendit, esse moriendum operibus carnis, verum etiam carnalibus desideriis. Et haec quidem mors poenitentiae inchoatur a *timore,* qui facit, hominem cessare ab actu peccati horrore divini iudicii, secundum illud Psalmi: *Confige timore tuo carnes meas, a iudiciis enim tuis timui;* sed consummatur in *amore,* qui carnalia desideria in mente exstinguit, secundum illud beati Gregorii [6]: « Caritas, quem perfecte absorbuerit, ad terrena foris desideria velut insensibilem reddit »; et propterea scribitur Canticorum octavo [7]: *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio.* — Ad hanc dilectionem vera poenitentia perducit, dum plene occidit in nobis omnem carnalitatem; et ideo, licet poenitentia videatur mortificativa exterius, est tamen vivificativa interius, secundum illud secundae ad Corinthios sexto: *Quasi morientes, et ecce, vivimus;* propter quod et nunc dicitur: *Mortui estis, et vita vestra* etc.

Primo, moriendum carnalitati quoad actum.

Secundo, quoad consensum.

Tertio, quoad affectum.

Poenitentiae effectus.

Mori etiam debet poenitens *cupiditati* mundanae per contemptum mundanae *excellentiae, sapientiae* et *opulentiae,* quae sunt tria appetibilia mundi, de quibus Ieremiae nono [8]: *Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis* etc. — Moriendum est igitur mundanae cupiditati: primo, per contemptum mundanae *excellentiae,* secundum illud ad Galatas ultimo: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi;* secundae ad Corinthios quinto: *Pro omnibus mortuus est Christus, ut et qui vivunt iam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est,* hoc est, non quaeramus gloriam propriam, sed divinam. — Secundo per contemptum mundanae *opulentiae,* secundum illud Ecclesiastici decimo quarto [9]: *Testamentum huius mundi morte morietur,* per quod intelligitur abundantia terrenarum possessionum, cui debet homo mori voluntate, antequam moriatur necessitate. Propter quod et subditur: *Ante mortem benefac amico tuo et secundum vires tuas exporrigens, da pauperi.* — Tertio per contemptum mundanae *sapientiae,* secundum illud ad Colossenses secundo: *Si mortui estis cum Christo ab elementis huius mundi, quid adhuc tanquam viventes in mundo decernitis?* Ubi arguit eos qui intendebant superfluae philosophiae et mundanae fallaciae [10] et doctrinis hominum, quae habent rationem sapientiae et superstitionem, quod quidem non competit viris christianis, cum sint *cum Christo mortui ab elementis huius mundi.*

Secundo, moriendam cupiditati per triplicem contemptum.

Contemptus primus.

Secundus.

Tertius.

Et haec quidem mortificatio cupiditatis mundanae perducit nos ad *vitam* perfectae iustitiae; de qua ad Titum secundo [11]: *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et saecularia desideria,* ecce,

Huius mortificationis effectus.

---

[1] Sumtus est ex W et ob plures rationes tribuendus esse videtur S. Bonaventurae.

[2] Vers. 3, ex Epistola Missae Sabbati sancti.

[3] Vers. 15.

[4] Vers. 13. et c. 6, 11. seq.

[5] Vers. 5; sequitur Ps. 118, 120.

[6] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 11. n. 2.

[7] Vers. 6; sequuntur II. Cor. 6, 9. et Col. 3, 3.

[8] Vers. 23; sequuntur Gal. 6, 14. et II. Cor. 5, 15.

[9] Vers. 12; sequuntur v. 13. et Col. 2, 20.

[10] Respicitur Col. 2, 8.

[11] Vers. 11. seq.

mortificatio mundanae cupiditatis; *sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo*, ecce, vivificatio gratiae et virtutis ordinantis nos, ut respectu nostri vivamus *sobrie*, respectu proximi vivamus *iuste* et respectu Dei vivamus *pie*, ut sic possit nobis dici: *Mortui estis, et vita vestra est abscondita cum Christo.*

II. Potest etiam dirigi ad eos qui per *mortem naturae* exeunt ex hac vita, et secundum hoc duo notantur in ipso: primum est *mors naturae*, secundum *vita gloriae*. Primum est materia desolationis, sed secundum est materia consolationis, quia in primo intelligitur punitio peccati, in secundo notatur remuneratio meriti, secundum illud ad Romanos sexto [1]: *Stipendia peccati, mors; gratia autem Dei, vita aeterna.* — Unde ipsa mors, quantum est de se, est peccati poena, et ideo *toleranda;* sed quantum est de ratione iustitiae adiunctae et divinae gratiae, est transitus ad vitam, et ideo bonis est *appetenda.*

Est igitur haec mors naturae *toleranda...* [2] et hoc ratione triplici: primo, quia inobedientiam punit; Genesis secundo [3]: *In quocumque die comederis ex ligno, morte morieris;* et ideo ad Romanos: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors.* Mors enim non est de natura hominis instituti, sed poena inobedientiae hominis lapsi. — Secundo, quia personam non accipit, secundum illud Ecclesiastae secundo [4]: *Moritur doctus similiter ut indoctus;* et Ecclesiastici quadragesimo: *Occupatio magna creata est omnibus hominibus, et iugum grave super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturae in matrem omnium, a residente super sedem gloriosam usque ad humiliatum in terra et cinere* etc. — Tertio, quia neminem impunitum relinquit, secundum illud Psalmi [5]: *Quis est homo, qui vivit et non videbit mortem?* quasi dicat: nullus. Unde sapiens mulier, secundi Regum decimo quarto: *Omnes morimur et quasi aquae dilabimur in terram;* et Ecclesiastici quadragesimo: *Omnia, quae de terra sunt, in terram convertentur, et omnes aquae in mare revertentur.*

Est igitur mors tolerabilis ceteris, consideratis tribus causis praedictis; sed quod plus est, *appetibilis* est viris iustis, et hoc similiter tribus de causis: primo, quia dat finem *actionibus laboriosis*, secundum illud Apocalypsis decimo quarto [6]: *Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo iam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis.* Propter quod et in Psalmo, in persona viri iusti: *In pace in idipsum dormiam et requiescam.* — Secundo, quia finem dat *tentationibus periculosis*, propter quod Elias desiderabat mortem; tertii Regum decimo nono [7]: *Cum venisset Elias et sederet subter unam iuniperum, petivit animae suae, ut moreretur;* desiderabat enim per mortem evadere tentationes et periculum, sine quo praesens vita non ducitur, et propter quod nemo ante mortem est plene landandus, secundum illud Ecclesiastici undecimo: *Ante mortem ne laudes hominem quemquam.* — Tertio, quia finem dat *afflictionibus taediosis*, secundum illud Ecclesiastici quadragesimo primo [8]: *O mors! bonum est iudicium tuum homini indigenti et qui minoratur viribus, defecto aetate.* Propter quod et Iob eam desiderabat dicens: *Quare misero data est lux, et vita his qui in amaritudine animae sunt? qui exspectant mortem, et non venit, quasi effodientes thesaurum, gaudentque vehementer, cum invenerint sepulcrum.* Sciunt enim, mortem esse appetibilem, quia, ponendo finem laboribus actionum, conflictibus tentationum et terroribus afflictionum, perducit ad vitam et gandium sempiternum eos qui regenerati sunt in Christo, secundum illud Apocalypsis septimo: *Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna et laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni;* et post: *Non esurient neque sitient amplius, neque cadet super illos sol neque ullus aestus, quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos et deducet eos ad vitae fontes aquarum.* — Origo namque *vitae* recte comparatur fonti propter indeficientiam et continuationem. « Est enim vita actus continuus ab ente quieto et sempiterno fluens [9] ». Si ergo ens simpliciter sempiternum et quietum non est nisi solus Deus, restat, quod fons vitae ipse solus sit. Propter quod et Propheta clamat in Psalmo [10]: *Quoniam apud te est fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen.* Et quia fons iste ad nos non derivatur nisi per Christum Dominum cognitum et amatum; ideo dicitur in Ioannis decimo septimo: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti, Iesum Christum.* Quia vero haec cognitio *inchoatur* in praesenti per gratiam, ideo dicitur Ioannis quarto: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum; sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* Et quoniam non *consummatur* nisi in gloria et vita beata, ideo dicitur Apocalypsis vigesimo secundo [11]: *Ostendit mihi Angelus fluvium aquae vitae procedentem de sede Dei et Agni, et ex utraque parte fluminis lignum vitae.* Hic *fluvius aquae vitae* nihil aliud est quam plenitudo infusionis gratiae Spiritus sancti,

ars II. Mors naturae, subdivisio.

Primo, de morte duo ingontor.

ot tolerandа triplici ationc. De prima.

o secunda.

De tertia.

em, appeoda instis riplici ratione. De prima.

e secunda.

De tertia.

Secundo, de vita.

Notandum.

[1] Vers. 23.
[2] Excidit verbum, quod propter foramen membranae legi non potuit.
[3] Vers. 17. et Rom. 5, 12.
[4] Vers. 16; sequitur Eccli. 40, 1. seqq.
[5] Psalm. 88, 49; sequuntur II. Reg. 14, 14. et Eccli. 40, 11.
[6] Vers. 13; sequitur Ps. 4, 9.
[7] Vers. 4; sequitur Eccli. 11, 30.
[8] Vers. 3. seq.; sequuntur Iob 3, 20. seqq. et Apoc. 7, 14. 16. 17.
[9] Libr. de Causis, prop. 18; cfr. tom. I. pag. 624, nota 7.
[10] Psalm. 35, 10; sequuntur Ioan. 17, 3. et 4, 13. seq.
[11] Vers. 1. seq.; sequuntur Ps. 45, 5. et 41, 2. seq.

cuius *impetus* vivificat et *laetificat civitatem Dei*, ad quem omnis vir iustus debet anhelare, secundum illud propheticum: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum.* Ad hunc fontem perducit iustos mortuos ille qui de se dicit Apocalypsis primo [1]: *Ego sum primus et novissimus; et vivus, et fui mortuus; et ecce, sum vivens in saecula saeculorum.* Amen.

IN RESURRECTIONE DOMINI.

Sermo I [2].

Exsurge, Domine, salvum me fac, quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa [3].

Prothema. *Domine Deus, propitius esto, ob-* Prothema. *secro; quis suscitabit Iacob, quia parvulus est?* Verba nobis secundo loco proposita leguntur Amos septimo, in quibus Christi resurgentis immensa nobilitas quantum ad sui excellentiam proprie demonstratur, dum ex sui *celsitudine* quodam modo moritur in nostra opinione; ex sui *certitudine* fallitur in nostra cognitione; ex sui *magnitudine* despicitur in nostra proportione. Et quia in nostra *opinione* moritur ex sui celsitudine, ideo sollicite quaerit Amos: *quis suscitabit?* mortuum scilicet in nostra opinione. In nostra *cognitione* fallitur ex sui certitudine, ideo dicit: *Iacob*, qui interpretatur supplantator; de eius certitudine nostra cognitio supplantatur, dum satagit comprehendere Excellentem, secundum illud Psalmi [4]: *Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus.* In nostra *proportione* despicitur ex sui magnitudine; ideo subiungit: *quia parvulus est.* Sol enim, cum sit decies maior terra, tamen, si eius fit proportio ad terram, apparet brevior, cum sit maior. Solvens ergo inconvenientiam Amos a fidelium mentibus, invocat primo *Patris auctoritatem* ad mortuum suscitandum, dicens: *Domine*, scilicet qui potes mortuum in nostra opinione suscitare; secundo, *aeternam Veritatem* ad incognitum demonstrandum; tertio, *paternam pietatem*, ut in nostra proportione Christum exaltet, ut tandem *in nobis suscitatus* qui cuncta vivificat, et *ex nobis demonstratus* qui cuncta clarificat, et *in nobis exaltatus* qui omnia superat, ipso mediante possint de eius resurrectione a me dici et a vobis audiri aliqua, quae ad ipsius resurgentis sint gloriam et honorem et animarum nostrarum consolationem. Amen.

Exsurge, Domine etc.

Hodie illuxit nobis festivus dies exsultationis Sermo. et laetitiae, advenit paschale gaudium incomditatis immensae, eo quod invitamur ad nuptias Agni resurgentis et eius sponsae, matris Ecclesiae. Ideo, carissimi, gaudeamus in animo, exsultemus in signo, Deo gloriam demus in verbo, ut Christo Redemptori nostro et eius sponsae *sit iucunda decoraque laudatio* [5]. Gaudeamus, inquam, propter incrementum nostrae *laetitiae*, exsultemus propter fructum nostrae *fiduciae*, Deo gloriam demus propter triumphum *victoriae;* et dicamus Christo triumphanti cum laetitia nostri cordis: Tu, spes nostri certaminis, tu, gloria nostri generis, quia omnes adversarios superasti. In *nascendo* namque contulit consortium naturae, in *patiendo* beneficium gratiae, sed in *resurgendo* complementum gloriae. Hoc autem paschale gaudium et infinitum gloriae beneficium desiderans propheta David fieri in diebus suis, exclamabat flagrantissimis desideriis, dicens: *Exsurge, Domine, salvum me fac* etc. In quo quidem verbo rectissimo ordine tria notantur, videlicet dominicae *resurrectionis* affectuosa *exclamatio*, captivi *hominis* perfecta *liberatio* et *diabolicae potestatis* iusta *exterminatio.* Hodierna namque die Dominus noster Iesus virtute propria resurrexit, captivum hominem de diabolica potestate liberavit et diabolum cum eius exercitu in profundum maris inferni submersit [6]. Primo ergo no- Divisio. tatur dominicae resurrectionis *affectuosa exclamatio*, cum dicit: *Exsurge, Domine*, scilicet a mortuis; secundo, captivi hominis *perfecta liberatio*, cum subdit: *salvum me fac;* tertio, potestatis diabolicae *iusta exterminatio*, cum subinfert: *quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa. Sine* autem *causa* dicitur, eo quod, licet homo iuste detineretur, tamen diabolus iniuste detinebat; ideo iusta fuit eius potestatis exterminatio.

I. Dicit ergo: *Exsurge, Domine,* ubi notatur *af-* Pars I. *fectuosa exclamatio dominicae resurrectionis.* Vere ista resurrectio affectuose ex totis medullis cordis erat desideranda et mellifluis vocibus, laxis fibris [7] guttu- Tria in resris exclamanda propter tria specialia privilegia, quae surrectione Christus habuit in sua resurrectione nobis super omnia Christi privilegia. expedientia. Primum ergo privilegium fuit *primitas insolitae novitatis;* secundum privilegium fuit *virtuositas propriae potestatis;* tertium privilegium fuit *exemplaritas nostrae necessitatis* sive resurrectionis.

Primo, Christus in sua resurrectione habuit *pri-* De privilegio primo. *mitatem insolitae novitatis.* Christus enim, deposita mortis lamentabili vetustate, novae vitae inaestimabilem laetitiam inchoando resurrexit a mortuis,

---

[1] Vers. 17. seq. [2] Ex Vaticana et C D E F.
[3] Psalm. 3, 7. seq. — Prothema ex C habetur Amos 7, 2.
[4] Psalm. 63, 8. — Quod dicitur de magnitudine solis est secundum falsam opinionem illius aetatis.
[5] Psalm. 146, 1.
[6] Respicitur Exod. 14, 28.
[7] In hymno ad I. Vesp. festi S. Ioan. Bapt. (24 Iun.) legitur: Ut queant laxis resonare fibris etc.

quia homo, Dominus Iesus Christus fuit *primogenitus mortuorum* [1], qui, devicto mortis imperio, coronatus est diademate novae incorruptionis. Quis enim debuit prior vincere moestitiam inveteratae mortis et inchoare laetitiam nostrae perpetuitatis, nisi qui habebat clavem reserandi aditum aeternitatis? Ipse enim, tanquam auctoritatem habens, potuit Angelis praecipere: *Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portae aeternales.* Nam per meum sanguinem facta est reparatio concordiae universalis et relaxatio vindictae iudicialis. Nunc ergo, amoto gladio flammeo [2] de porta paradisi, volo, ut fiat reseratio ianuae caelestis, quia ego, *Dominus virtutum*, per proprium sanguinem, devicto diabolo, acquisivi regnum caeleste. Et ideo non tantum in quantum Deus, sed etiam in quantum homo *Christus est rex gloriae.* De ista autem novitate dicitur primae ad Corinthios decimo quinto [3]: *Christus resurrexit a mortuis, primitiae dormientium, quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* — Ita Apostolus, tanquam prudens et discretus, in exprimendo primitias novitatum, quas Christus habuit in resurgendo, primo, ne *consolatio* dissolvatur in laetitiam, proponit miseriam mortis, quae est materia desolationis, cum dicit: *per hominem mors;* secundo, ne *desolatio* absorbeatur in tristitiam, adiungit medicinam resurrectionis, quae est materia consolationis, cum subiungit: *et per hominem,* Christum, *resurrectio mortuorum.* Ut ergo unum ex altero mitigetur, et quia, licet mors trahat occasionem a fraudulentia hostis, tamen causam sive originem habet ab arrogantia mentis et consummationem a concupiscentia carnis; ideo dicitur: *Sicut in Adam omnes moriuntur,* merito suae praevaricationis. Sed quia medicina mortis est per divinam misericordiam merito dominicae passionis; ideo subdit: *ita et in Christo omnes vivificabuntur,* merito suae passionis. — Unde prima et immediata causa mortis non est Deus, cum sit summe ens et indeficiens, et mors sit maximus inter omnes defectus poenalitatis, sed voluntas cadens a rectitudine et perpetuitate iustitiae, sicut dicitur Sapientiae primo [4]: *Deus mortem non fecit nec laetatur in perditione morientium* [5]. *Creavit enim* Deus, *ut essent omnia, et sanabiles fecit nationes orbis terrarum, et non est in illis medicamentum exterminii nec inferorum regnum in terra. Iustitia enim perpetua est et immortalis;* iniustitia autem acquisitio est mortis.

plex finis correctionis.

tandum.

privilegiandum.

Secundo Christus in sua resurrectione habuit *virtuositatem propriae potestatis.* Non enim indiguit suffragio orationis devotae nec adminiculo administrationis angelicae, quamvis usus sit obsequio caelestis militiae; et de hoc dicitur in Psalmo [6]: *Propter miseriam inopum et genitum pauperum nunc exsurgam, dicit Dominus. — Pauperes et inopes* erant sancti Patres in limbo positi quasi in carcere teterrimo, non habentes, unde se redimerent; et ideo valde miseri et gementes affectuosis desideriis anhelabant, accelerari illud beneficium resurrectionis; quorum vota exaudiens, *dicit Dominus: Nunc exsurgam,* loquens in prima persona, quasi *potestatem habens ponendi animam* suam in passione *et iterum sumendi eam* in resurrectione.

Sed dicet forsitan philosophus naturalis: quomodo poterit hoc fieri, ut corpus animale et corruptibile et ex contrariis compositum sit indissolubile et perpetuo durabile? — Cui theologus: Si vis, ut argumentum tuum in omni materia teneat, ad multa inconvenientia te adducam. Nam primo vis, quod Deus non possit plus quam natura, et opifex plus quam opus; quod inconveniens esse, nullus dubitat. Arguit enim sic: Est impossibile secundum naturam: ergo est impossibile simpliciter. Consequens non sequitur. — Secundo, inconveniens est, quod tu vis, quod *natura* habeat virtutes occultas — sicut et nos etiam volumus, quia sunt occultae nobis, ut in calamita, quae attrahit ferrum, et in salamandra, quae conservatur in igne, et in multis aliis — *Deus* autem vis quod non habeat virtutem, nisi quam tuis oculis possis conspicere; quod maximum inconveniens esse constat, cum *pauca* sint, quae *videmus operum Dei,* et *multa abscondita sunt maiora his,* sicut dicitur Ecclesiastici quadragesimo tertio [7]. — Tertio, inconveniens est, quod vis, quod Deus promiserit obedientiam naturae; quod si verum esset, non illuminasset caecum, non mundasset leprosum, non suscitasset mortuum. — Quarto, supponis falsum: procedis per inconcessa dicendo, corpus animale esse et ex contrariis compositum; quia non animale (est), immo spirituale et ab omni contrarietate elevatum per habitum gloriae et dispositum, ab anima in perpetuum in vita conservari. Sententia horum verborum potest elici ex verbis Augustini, in Epistola ad Consentium [8], ubi dicit sic: « Ex consuetudine rerum expertarum inexperta opera divina infirmitas metitur humana et acutule se garrire arbitratur, cum dicit: Si caro est, et sanguis est; si sanguis, et ceteri humores; si ceteri humores: ergo et corruptio. Eodem modo diceret: Si flamma est, et ardet; si ardet, et urit; si urit, ergo tres pueros in camino ignis incendit. Si ergo credis, illud miraculum esse, quare de rebus mirabilibus

Obiectio solvitur.

Inconveniens primum.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

[1] Apoc. 1, 5; deinde sequitur Ps. 23, 9. 10.
[2] Respicitur Gen. 3, 24.
[3] Vers. 20-22.
[4] Vers. 13.
[5] Ita EF; Vulgata legit *vivorum.* Sequitur Sap. 1, 14. seq., qui locus additus est ex C.
[6] Psalm. 11, 6; sequitur Ioan. 10, 18.
[7] Vers. 36.
[8] Epist. 205. (alias 146.) c. 1. n. 4, multis omissis et quibusdam mutatis.

ambigis? Quod si non credis, Iudaeorum eris caecior caecitate. Valet ergo divina potentia de corporali natura, quibusdam manentibus, auferre quas voluerit qualitates, ac per hoc valet membra mortalia, mortalitate semota, stabili vigore firmare, ut vera sit effigies, nulla sit labes; vera sit motio, nulla sit fatigatio; vera comedendi potestas, nulla esuriendi necessitas ».

De privilegio tertio.

Tertio erat desideranda ista resurrectio propter *exemplaritatem nostrae resurrectionis* sive necessitatis. Christus caput et exemplar nostrae resurrectionis ad hoc resurrexit, ut nos, eius membra, de nostra resurrectione certificaret; alioquin monstruosa res esset, si caput resurgeret sine membris. Et propter hoc arguebat Apostolus valde bene et efficaciter contra illos qui negabant resurrectionem, dicens primae ad Corinthios decimo quinto [1]: *Si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit.* Si ergo necesse est, Christum resurrexisse, quia quod fuit modo impossibile est non fuisse; necesse est ergo, mortuos resurgere. Unde statim sequitur: *Oportet enim, corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem.* Unde ad inserendam cordibus fidelium fidem resurrectionis et ad amovendam ambiguitatem diffidentiae et desperationis dicit primae ad Thessalonicenses quarto [2]: *Si enim credimus, quod Iesus mortuus est et resurrexit; ita et Deus eos qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo.* Hanc ergo firmam fiduciam cum beato Iob habentes, non debemus de alicuius boni Christiani morte contristari *sicut et ceteri, qui spem non habent* [3].

Pars II.

II. Secundo sequitur *captivi hominis perfecta liberatio,* cum subdit: *salvum me fac.* Perfecte namque Christus miserum hominem liberavit sive salvavit, eo quod primo salvavit eum ab *offensione totalis culpae* per infusionem instificantis gratiae; secundo salvavit eum ab *obligatione reatus poenae* per tolerationem mortis satisfactoriae; tertio liberabit eum complete in generali resurrectione a *calamitate corporalis miseriae* per collationem reformantis gloriae.

Homo liberator triplíciter.

Primo salvavit eum ab *offensione totalis culpae* per infusionem iustificantis gratiae, et de hoc dicitur ad Ephesios secundo [4]: *Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimium caritatem suam, qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cuius gratia estis salvati.* — Vere *dives* et superabundans fuit Deus Pater *in misericordia,* quando ad ostendendam *nimiam caritatem* et dilectionem, quam erga nos habuit, voluit *nos mortuos in peccatis vivificare* et salvare a morte quorumlibet peccatorum, infundendo nobis vitam gratiae merito passionis unigeniti Filii sui. Certe, si torrens tantae dulcedinis attingit christianam animam, non est locus ingratitudinis, immo prae nimia devotione resolventur in lacrymas et prae valida dilectione continue referent gratiarum actiones multifarias. Similiter de hoc dicit Angelus Virgini Mariae Matthaei primo [5]: *Ipse est, qui salvum faciet populum suum a peccatis eorum.*

Primo, ab offensione totalis culpae.

Secundo, ab obligatione reatus poenae.

Secundo salvavit eum ab *obligatione reatus poenae* per tolerationem mortis satisfactoriae, sicut dicitur Isaiae sexagesimo tertio [6]: *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suae. Ego, qui loquor iustitiam et propugnator sum ad salvandum. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum.* — Angelici namque spiritus, videntes *Christum formosum in sua stola, gradientem in multitudine virtutis suae,* prae nimia admiratione prorumpunt in haec verba: *Quis est iste, qui venit,* sanguinolentus, *de Edom? Edom* enim interpretatur sanguinolentus; *tinctis vestibus,* ex abundanti aspersione proprii sanguinis, qui fluxit de manibus et pedibus in crucifixione, de capite in coronatione, de toto corpore in flagellatione et de corde in lateris apertione. *Quis est iste,* iterum, *qui venit de Bosra,* de loco tribulationis et angustiae? *Bosra* angustia interpretatur. Respondit eis Iesus: *Ego, qui loquor iustitiam,* verbo proferendo et facto adimplendo; nam mortem suscepi propter inflexibilem rigorem punientis iustitiae ratione primae praevaricationis; *et propugnator sum ad salvandum,* patres vestros de limbo inferni, propter inviolabile decretum sive *iusiurandum,* divinae misericordiae pollicentis, *quod iuravit,* Deus Pater, *ad Abraham, daturum* me ei in pretium liberationis; *ut sine timore,* populus meus, *de manu,* daemonum, *liberatus* [7], libere serviat Deo. Et ideo *rubrum* et sanguinolentum est indumentum mei corporis; *et vestimenta,* id est membra mea, compressa sunt *sicut calcantium,* racemos, *in torculari,* eo quod torcular est vas aptum ad premendum racemos. *Torcular,* mortis et angustiae, *calcavi solus,* ut de meo sanguine compresso ex toto corpore solveretur debiti reatus poena pauperrimi hominis. Unde Psalmus [8]: *Liberavit pauperem a potente, et pauperem, cui non erat adiutor. Parcet pauperi et inopi et animas pauperum salvas faciet. Rex noster,* Christus, *ante saecula operatus est salutem in medio terrae.*

---

[1] Vers. 16; sequitur ibid. v. 53.

[2] Vers. 13; post respicitur Iob 19, 25: *Scio enim, quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum.*

[3] Epist. I. ad Thess. 4, 12.

[4] Vers. 4. seq.

[5] Vers. 21.

[6] Vers. 1-3.

[7] Luc. 1, 73. seq.

[8] Psalm. 71, 12. seq. et 73, 12.

Tertio, a corporalis miseriae. Tertio salvabit hominem perfecte in generali resurrectione a *calamitate corporalis miseriae* per collationem reformantis gloriae; et de hoc dicitur ad Philippenses tertio [1]: *Salvatorem exspectamus Dominum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae.* Qui enim vult, ut *configuretur corpus suum corpori claritatis Christi* in patria, debet primo in via ad exemplum Christi suum corpus conterere ieiuniis et humiliare afflictionibus et etiam submittere iugo servitutis; quia tanto in gloria consurget *claritati corporis* Christi conformior, quanto pro eius amore fuit in vita ista humilior.

Pars III. III. Tertio in verbo proposito notatur *diabolicae potestatis iusta exterminatio*, cum subinfert: *quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa.* Dicitur autem ista diaboli exterminatio *iusta* triplici de causa: primo, propter *dolositatem* deceptionis et fraudulentiae in usurpando dominationem primi hominis; secundo, propter *malignitatem* praesumtionis et iniustitiae in suggerendo occisionem innocentis Christi; tertio, propter *rectitudinem* aequitatis et iustitiae in non patiendo perturbationem totius universi. Unde iustum fuit, ut exterminaretur diaboli potestas, tum quia dolose et fraudulenter usurpavit dominum primi hominis, tum quia iniuste et nequiter persuasit mortem innocentis Christi, tum quia aequitas divinae iustitiae non debebat pati deordinationem totius universi.

Primo iusta fuit diabolicae potestatis exterminatio propter *dolositatem deceptionis* et fraudulentiae in usurpando dominium primi hominis, et de hoc potest exponi illud Numerorum vigesimo quarto [2]: *Orietur stella ex Iacob, et consurget virga de Israel et percutiet duces Moab vastabitque omnes filios Seth. Et erit Idumaea possessio eius. — Stella* ista est Virgo Maria propter refulgentiam virtutum et gratiarum; sed *virga*, habens virilitatem ad expugnandum, ut fiat miseris in adiutorium, est Dominus noster, qui virtute proprii sanguinis *percussit* infernales *duces* superbi *Moab*, et arte suae multiformis sapientiae fallens, fraudem proditoris diaboli per mortis inductionem, abstulit sibi captivum hominem, quem possidebat, et medelam salutis inde tulit, scilicet de ligno, hostis unde laeserat decipiendo [3]. De hoc similiter dicitur in praedicto themate: *Exsurge, Domine, salvum me fac, quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa.*

Secunda. Secundo fuit iusta diabolicae potestatis exterminatio propter *malignitatem praesumtionis* et iniustitiae in persuadendo mortem innocentis Christi. Unde dicitur Habacuc tertio [4]: *Percussisti caput de domo impii, denudasti fundamentum eius usque ad collum. Maledixisti sceptris eius, capiti bellatorum eius, venientibus ut turbo ad dispergendum me.* — Quia diabolus praesumtuose et iniuste iniecit manus in Christum, super quem nihil iuris habebat, persuadendo eius infernalibus membris *venientibus ut turbo ad dispergendum*, innocentem, ut crucifigerent eum; ideo iustum fuit, ut ipse impius diabolus, *caput domus* infernalis, *percuteretur*, et potestate et dominio proprii servi *denudaretur* vel privaretur.

Tertia. Tertio iusta fuit diabolicae potestatis exterminatio propter *rectitudinem aequitatis et iustitiae* in non patiendo perturbationem universi; unde Exodi decimo quinto [5]: *Dextera tua, Domine, percussit inimicum, et in multitudine gloriae tuae deposuisti adversarios tuos; misisti iram tuam, quae devoravit eos sicut stipulam.* — Aequitas enim divinae iustitiae « ordinem universi conservari iubet, perturbari vetat [6] ». Unde ne diabolus de sua malitia et peccato, per quod turbaverat totum universum, reportaret commodum, dignum fuit percuti, privari et puniri. Et propter hoc dicitur: *Pavebit Assur virga percussus. — Assur* diabolum significat, qui *pavescit*, cum *percutitur virga*, divinae aequitatis. Rogemus etc.

Sermo II [7].

Dominica Resurrectionis. Sermo fratris Bonaventurae in Conventu Fratrum, Parisius.

Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est, in dextera Dei sedens, quae sursum sunt sapite, non quae super terram, ad Colossenses tertio [8].

Divisio. In his verbis ostendit Apostolus nobis tria, scilicet qualiter debet conformari resurrectioni dominicae nostra *conversatio*, cum dicit: *Si consurrexistis cum Christo;* ubi debet ferri nostra *cogitatio*, cum subdit: *ubi Christus est, in dextera Dei sedens;* ubi debet poni nostra *affectio*. cum addit: *quae sursum sunt sapite, non quae super terram.*

Pars I. I. Circa primum nota, quod *conformitas* nostrae resurrectionis spiritualis ad resurrectionem Domini attendenda est circa tria: ut sicut illa sit *vera*, non phantastica per duplicitatem; Lucae ultimo [9]: *Surrexit Dominus vere* etc. — *Accelerata*,

Triplex resurrectionis qualitas.

[1] Vers. 20. seq.
[2] Vers. 17. seq.
[3] Respiciuntur versus ex Hymno ad I. Vesp. in Dominica Passionis:

« Hoc opus nostrae salutis
Ordo depoposcerat,
Multiformis proditoris
Ars ut artem falleret,
Et medelam ferret inde,
Hostis unde laeserat ».

[4] Vers. 13. seq.
[5] Vers. 6. seq.; sequitur Isai. 30, 31.
[6] Boeth., IV. de Consolat. prosa 2.
[7] Ex A fol. 117 r. et B fol. 41 r. Videtur, quod idem sermo sit etiam in cod. Parisiensi n. 3573. fol. 131.
[8] Vers. 1. seq.
[9] Cap. 24, 34.

non retardata propter fragilitatem; Matthaei vigesimo octavo [1]: *Cito euntes, dicite discipulis eius, quia surrexit* etc. — Non iterata, sed *unica* per stabilitatem; ad Romanos sexto [2]: *Christus, resurgens ex mortuis, iam non moritur.* — Resurrectio autem probatur *vera*, si habet experimentum quinque sensuum integritatis sicut Christus, qui probavit, se surrexisse, per visum, auditum, olfactum, gustum et tactum; per *visum*, cum dixit [3]: *Videte manus meas et pedes, quia ego ipse sum;* per *auditum*, cum dixit: *Haec sunt verba, quae locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum;* per *odoratum*, cum *insufflavit;* per *gustum*, cum *manducavit* [4]; per *tactum*, cum dixit: *Palpate et videte.* — *Accelerata* probatur, si non infirmitate vel periculo, sed sanitate et opportunitate se offerente fiat sicut in Christo, qui resurrexit ante incinerationem et putrefactionem. — *Non iterata* probatur, si post poenitentiam homo non recidivet in mortale.... sive in id ipsum, sicut et Christus semel mortuus tantum semel resurrexit.

Probatur hoc tripliciter.

II. Quantum ad secundum nota, quod *quaerere* debemus *quae sursum sunt*, scilicet Deum et divina, cum *sinceritate benevolentiae;* Sophoniae secundo [5]: *Quaerite Dominum, omnes mansueti terrae, qui iudicium eius estis operati.* — Cum *serenitate conscientiae;* Sapientiae primo [6]: *In simplicitate cordis quaerite illum, quoniam invenitur ab his qui non tentant illum.* — Cum *longanimitate perseverantiae;* Psalmus [7]: *Quaerite Dominum et confirmamini, quaerite faciem eius semper.*

Pars II.

Quaerendi triplex conditio.

III. Quantum ad tertium nota, quod *sapere* debemus *quae sursum sunt, non quae super terram*, per *sublimitatem contemplationis* contra concupiscentiam oculorum, pro qua dicit Apostolus primae ad Timotheum ultimo [8]: *Divitibus huius saeculi praecipe non sublime sapere neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo.* — Per *suavitatem devotionis* contra concupiscentiam carnis, pro qua dicitur ad Romanos octavo [9]: *Qui secundum carnem sunt quae carnis sunt sapiunt, qui vero secundum spiritum sunt quae sunt spiritus sentiunt.* — Per *aviditatem repressionis* [10] contra superbiam vitae, pro qua reprimenda dicit Apostolus ad Romanos undecimo [11]: *Noli altum sapere, sed time.*

Pars III.

Hoc fit per tria.

Sermo III [12].

Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est, in dextera Dei sedens, quae sursum sunt sapite, non quae super terram, ad Colossenses tertio [13].

Eleganter nos docet in his verbis egregius praedicator, Apostolus, resurrectionis dominicae digne solemnia celebrare; propter quod hoc verbum, tanquam resurrectionis tempore convenientissimum, secundum consuetudinem Romanae Ecclesiae a Pascha usque ad Ascensionem Domini post Primam quotidie recitatur. Digne quidem in resurrectione Deum colimus, si resurgenti Domino conformamur, « cuius scilicet omnis actio nostra est instructio [14] », qui est exemplar, forma et regula nostrae vitae. Hanc autem conformationem docet Apostolus quoad tria, in quibus consistit totius christianae vitae processus. Primum est *perfectio integrae conversionis: Si consurrexistis* etc.; secundum est *sollicituto strenuae operationis: quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est, in dextera Dei sedens;* tertium est *praegustatio devotae contemplationis: quae sursum sunt sapite, non quae super terram.* Primum est *poenitentium*, quorum est bonum incipere; secundum est *activorum*, quorum est in bono proficere; tertium est *contemplativorum*, quorum est bonum perficere vel consummare.

Divisio.

I. Notatur ergo primo *perfectio integrae conversionis*, quam debemus habere; et ideo dicitur: *Si consurrexistis cum Christo*, in quo notatur perfectio integrae conversionis. Quod patet, si facias vim in his verbis: *consurrexistis cum Christo*, gratia quorum notandi sunt hominum quinque status: *quidam* enim sunt, qui nec resurgunt nec resurgere se ostendunt; *alii* sunt, qui videntur surgere, sed non surgunt; *tertii* surgunt quoad quid, sed non simpliciter; *quarti* surgunt, sed non cum Christo; *quinti* autem perfecte surgunt cum Christo, de quibus hic habetur. Primi sunt manifesti peccatores, secundi hypocritae et simulatores etc., et sic deinceps.

Pars I. Perfectio conversionis.

Quinque status hominum.

Primi ergo sunt, qui nec resurgunt nec resurgere se ostendunt, scilicet *manifesti peccatores*, non qui publice peccant coram hominibus, sed omnes illi, qui nec habent interius conscientiae puritatem nec praetendunt exterius conversationis aliquam honestatem. Hi autem sunt in triplici fovea [15], quae directe opponitur statui surrectionis. Quidam enim sunt iacentes in lecto, quidam sedentes in terra vel in humo, tertii sunt cadentes vel prostrati in luto. His enim tantum tribus generibus hominum solet dici, ut *surgant*. Primi sunt *voluptuosi*, qui iacent in lecto pigritiae et corporis carnalitatis, quasi impotentes ad omne opus spiritus, licet multum ad carnis opera

De primo statu.

Triplex fovea.

---

[1] Vers. 7. [2] Vers. 9.
[3] Luc. 24, 39; sequuntur v. 44. et Ioan. 20, 22.
[4] Luc. 24, 43. et dein v. 39. — Verba *Per visum, cum dixit* usque *Palpate et videte* addidimus ex B.
[5] Vers. 3. [6] Vers. 1. seq.
[7] Psalm. 104, 4.
[8] Vers. 17.
[9] Vers. 5.
[10] Cod. A habet *reprimationis* et B *repatriationis*.
[11] Vers. 20.
[12] Habetur in cod. Trecensi n. 2052. fol. 113 v. et in alio Trecensi n. 1893. fol. 61, sed in pluribus locis textus est valde corruptus, ut bene corrigi nequiverit.
[13] Vers. 1. seq.
[14] Vide supra pag. 205, notam 1.
[15] Primus codex habet *differentia*.

sint utiles. Unde recte significantur per paralyticum Matthaei nono [1]: *Offerebant ei paralyticum iacentem in lecto.* Timeant tales de hoc quod accidit Isboseth, qui occisus est iacens in lecto, et *domus ostiaria dormiente*, secundi Regum quarto. Sic tales saepe morte praeoccupantur, ratione in illis dormiente per negligentiam, cum potius deberent vigilare et ostium cordis et sensuum fenestras claudere, carnalitatis occasiones praecavendo, ne *mors per fenestras* aliquatenus intret in domum cordis, Ieremiae nono. Hi sunt sicut affines diaboli, fortes in posterioribus, debiles in anterioribus, ubi est crux; sicut iacenti tanquam paralytico praecepit Dominus, ut surgat; unde sequitur Matthaei nono [2]: *Surge, tolle lectum tuum et vade in domum tuam;* Proverbiorum sexto: *Vade ad formicam, o piger, et considera vias eius et disce sapientiam* etc. *Usquequo, piger, dormies?* a secundis. *Quando consurges e somno tuo?* — Secundi sunt *cupidi* et avari, qui sedent in humo natibus terrae, cordis affectionibus terrenis adhaerendo; Threnorum secundo [3]: *Sederunt in terra, conticuerunt senes filiae Sion.* Dicit *senes*, licet et iuvenes multi sic sedeant, quia magis regnat hoc malum cupiditatis in senibus, secundum illud Senecae: Cum « alia vitia, nobis senescentibus, senescant, sola avaritia non senescit, iuvenescit ». Sicut in eis per naturam refrigescit caliditas corporalis, sic tepescit in multis spiritualis calor, qui est caritas. Hos monet Psalmus [4]: *Surgite, postquam sederitis, qui manducatis panem doloris,* quod fit per veram largitatem, quae est in reddendo male habita et etiam in non retinendo superflua et De tertiis. bene dispensando propria. — Tertii sunt *superbi,* qui sunt cadentes in luto et in fovea et in vilitate et profunditate peccati. Quanto enim magis elevant se vel exaltantur in sua propria aestimatione, tanto inferius cadunt divina repressione et severitate, exemplo sui patris diaboli, qui, postquam dixit: *In caelum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum* etc., Isaiae decimo quarto [5], statim audivit quod sequitur: *Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci.* Sic de superbis dicit Psalmus: *Deiecisti eos, dum allevarentur.* Et quia tales non surgunt per veram humilitatem, conqueritur Dominus per Ieremiam [6]: *Nunquid qui cadit non resurget, et qui aversus est non revertetur? Quare ergo aversus est populus iste in Ierusalem aversione contentiosa? Apprehenderunt mendacium et noluerunt reverti.* Econtra dicunt vere humiliantes se cum Psalmo: *Ipsi obligati sunt et ceciderunt, nos autem surreximus et erecti sumus.* Hic est ergo primus status eorum qui scilicet nec resurgunt nec resurgere se ostendunt, quorum est triplex differentia, ad quam omnes peccatores huinsmodi reducuntur, secundum illud primae Ioannis secundo: *Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est* etc.; et intelligamus, praedicta dici per appropriationem, scilicet quod voluptuosi iacent etc. Communiter enim loquendo, in illa materia possent simul convenire.

Secundus est status eorum qui videntur surgere, De secundo sed non surgunt, ut *hypocritae* et simulatores, quorum cuilibet dicit Dominus Apocalypsis tertio [7]: *Scio opera tua, quia nomen habes, quod vivas, et mortuus es.* Unde phantastice tantum surgunt, non Deo operante, sed diabolo instigante, quasi « magica quadam arte », sicut Samuel primi Regum vigesimo octavo secundum opinionem, secundum Glossam Augustini. Et ideo nec vere comedunt nec bibunt, id est, non reficiuntur spiritualiter his quae faciunt; propter quod optime figurantur per Bel; Danielis decimo quarto [8]: *Dixit rex ad Daniel: Non videtur tibi esse Bel vivens Deus? An non vides, quanta comedat et bibat quotidie? Et ait Daniel arridens: Ne erres, rex; iste enim intrinsecus luteus est et forinsecus aereus neque comedit aliquando.* Expone. — Ex quo patet, quod nec vere suscitantur nec surgunt, quia vera comestio verae suscitationis est ostensio, sicut dicit Glossa super illud Lucae octavo: *Iussit dari manducare puellae,* scilicet suscitatae. Unde nec Domino conformantur, quia *surrexit Dominus vere,* Lucae ultimo. — Est autem istorum vita sicut Vita detestanda propter tria. apparens tantum surrectio detestanda propter tria: primo, propter nimiam operum laboriositatem; deest Ratio prima. enim caritas, quae omnia facit levia, ut dicit Augustinus [9]: « Omnia saeva et immania prorsus facilia et prope nulla efficit amor »; propter quod dicitur Ecclesiastae decimo [10]: *Labor stultorum affliget eos* etc.; et Matthaei sexto: *Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritae tristes; exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus ieiunantes.* Unde Bernardus [11]: « Circuit sedulus explorator »; sequitur: « Si quo modo tandem aliquando se ingerere queat in patrimonium Crucifixi et bona Domini ». Et ita, « age nunc, age, sequere ducem tuum »; paulatim ascendes, sed non paulatim descendes; *videbam enim satanam sicut fulgur de caelo cadentem.* — Secundo Secunda. detestanda est propter laboriosorum operum sterilitatem; Iob decimo quinto [12]: *Congregatio hypocritae sterilis, et ignis devorabit tabernacula eorum qui munera libenter accipiunt.* Istorum enim operatio non valuit ad beatitudinem aeternam, quae in Dei

[1] Vers. 2; dein respicitur II. Reg. 4, 5-7. et Ier. 9, 21.
[2] Vers. 6; sequitur Prov. 6, 6. 9.
[3] Vers. 10; de Seneca cfr. tom. VII. pag. 342, nota 11.
[4] Psalm. 126, 3.
[5] Vers. 13. 15; sequitur Ps. 72, 18.
[6] Cap. 8, 4. seq.; sequitur Ps. 19, 8.
[7] Vers. 1; dein respicitur I. Reg. 28, 7-15. et Glossa *ordinaria* ex Augustino, II. ad Simplicianum q. 3. n. 1.
[8] Vers. 5. seqq.; sequuntur Luc. 8, 55. cum Glossa *interlineari* apud Lyranum (cfr. tom. VII. pag. 216, nota 3.), et Luc. 24, 34.
[9] Serm. 70. (alias 9. de Verbis Domini) c. 3. n. 3.
[10] Vers. 15; sequitur Matth. 6, 16.
[11] Potius Gaufridus, Declamat. (inter opera Bernardi) c. 13. n. 14. et c. 21. n. 25. — Sequitur Luc. 10, 18.
[12] Vers. 34; sequuntur c. 13, 16. et Matth. 23, 5.

visione consistit, quia nec etiam hoc intendunt; unde Iob decimo tertio: *Non veniet in conspectu eius omnis hypocrita;* nec immerito, quia ad conspectum hominum tantum illa facit, sicut dicit Salvator Matthaei vigesimo tertio: *Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus.* Et non solum aeterna mercede, sed etiam temporali, quam intendunt, frustrantur; Sapientiae tertio [1]: *Vacua est spes illorum, et labores sine fructu et inutilia opera eorum.* Araneae telis optime comparantur, et ipsi hypocritae araneis, quae eviscerant se, ut faciant telas ad capiendum muscas, et tamen saepe deficiunt; sicut et hypocritis accidit, quia *spes hypocritae peribit,* Iob octavo. *Non ei placebit vecordia sua, et sicut tela araneorum fiducia eius. Innitetur super domum suam, et non stabit, fulciet eam, et non consurget.* —

Tertia. Tertio detestanda est propter culpae et poenae detestabilitatem. « Simulata enim aequitas non est aequitas, sed duplex iniquitas [2] », in hoc scilicet, quod non solum malitiam diligunt, sed aliud, quod *turpe est dicere,* faciunt, ad Ephesios quinto [3], et sic etiam iustitiam falso praetendunt; similiter non solum culpam, verum etiam poenam sibi provocant [4]; Iob trigesimo sexto: *Simulatores et calliditi provocant iram Dei;* et ideo maxime invehebatur Salvator contra eos Matthaei vigesimo tertio: *Vae vobis, scribae et Pharisaei, hypocritae! quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes;* et sequitur: *Propter hoc amplius accipietis iudicium.* Isti autem sunt similae diaboli, quae quantum ad exteriora magis quam cetera animalia assimilantur hominibus, minus autem quantum ad interiora; porcus enim magis assimilatur homini quantum ad interiora. Talibus dicit Dominus, quod surgant; per Michaeam [5] Prophetam enim ait: *Surgite et ite, quia non habetis hic requiem.* Hic est secundus status eorum qui nec surgunt nec etc.

Tertius status est eorum qui non surgunt nisi quoad quid; sic sunt *pro parte poenitentes,* et illi decipiuntur propter tria impossibilia, ad quae conari videntur. Primum est, ut putent (salvari), venenum in se servando vel bibendo; in parte enim sanari non possunt. Unde versus:

Tertius status. Tria impossibilia. Primum.

« Larga Dei pietas veniam non dimidiabit,
Aut nihil, aut totum gloria larga dabit ».

Et ratio huius est: *Quae enim participatio iustitiae cum iniquitate? Aut quae societas luci ad tenebras* [6]? Huius autem exemplum ostendit Salvator, Ioannis septimo, quando *totum hominem sanum fecit in sabbato.* — Secundum impossibile, ad quod conari videntur, est, ut aedificeat, simul vel amplius destruendo; propter quod dicitur Ecclesiastici trigesimo quarto [7]: *Unus aedificans et unus destruens, quid prodest illis nisi labor?* — Tertium impossibile est, ut Deum placent vel Deo placeant, diabolo serviendo. *Duobus* enim *dominis,* contrariis in voluntatibus et praeceptis, simul *servîri non potest,* Matthaei sexto [8]. Propter quod consurgendum est, id est totaliter surgendum, sicut admonet Apostolus ad Ephesios quinto: *Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus. Exsurge,* id est, totaliter surge; *surge a mortuis,* hoc est a peccatis, quibus homo moritur Deo; a peccatis pluraliter dicitur, non a peccato uno tantum. — Et figuratum fuit Iosue sexto, ubi dicitur, quod filii Israel, *diluculo consurgentes, circuierunt urbem, sicut dispositum erat, septies.* Per septenarium dierum et vicissitudinum notatur septenarium virtutum sive donorum et vitiorum, per quod designatur, quod omnia vitia totaliter deberent purgari ad hoc, quod virtutes et dona ibi valeant radicari. Sic est igitur status eorum qui non consurgunt, id est, totaliter non surgunt, sed in parte.

Tertium. Figura.

Quartus est status eorum qui surgunt, sed non cum Christo, qui sunt ab *integra poenitentia recedentes;* tales non consurgunt Domino cum Christo, quia *Christus, resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur,* ad Romanos sexto [9]. *Sed hi ad tempus credunt et in tempore tentationis recedunt,* Iudaei scilicet; quorum peccatum a tribus gravatur. Primum est, quia sunt Domini *irrisores,* dum ipsum, quantum in se est, falsa promissione deludunt. Unde Isidorus de Summo Bono [10]: « Irrisor est, non poenitens, qui adhuc agit quod poenitet, nec videtur Deum poscere subditus, sed subsannare superbus ». Unde Dominus de illis conqueritur per Ieremiam [11] Prophetam: *Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die.* Bene dixi, quod Dominum irrident, quantum in ipsis est, quia re vera *Dominus non irridetur; quae enim seminaverit homo, haec et metet,* ad Galatas sexto; immo e contrario Dominus ipsos irridebit; Psalmus: *Qui habitat in caelis irridebit eos.* Quam timenda est haec irrisio, sicut Spiritus sanctus comminatur Proverbiorum primo [12]: *Ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo, cum vobis id quod timebatis, advenerit.* — Quia sunt *traditores* et *proditores* sicut Iudas; post osculum enim reconciliationis poenitentiae statim, nondum furiente bello, sed tantum ingruente, quidam convertuntur in hostes, qui inimico se iungunt. Unde bene significantur per Absalom, qui post (osculum) reconciliationis ad patrem suum David, secundi Regum decimo quarto, statim machinatus est insidias et bellum gravissimum, sicut

Quartus status. Peccatum aggravatur triplicitèr. Ratio prima. Secunda.

Secundum.

[1] Vers. 11; sequitur Iob 8, 13. seqq.
[2] Vide supra pag. 210, notam 7.
[3] Vers. 12.
[4] Apographum *displicant;* sequuntur Iob 36, 13. et Matth. 23, 14.
[5] Cap. 2, 10.
[6] Epist. II. Cor. 6, 14. et dein Ioan. 7, 23.
[7] Vers. 28.
[8] Vers. 24; sequuntur Eph. 5, 14. et Ios. 6, 15.
[9] Vers. 9; sequitur Luc. 8, 13.
[10] Sive libr. II. Sent. c. 16. n. 1.
[11] Thren. 3, 14; sequuntur Gal. 6, 7. 8. et Ps. 2, 4.
[12] Vers. 26; dein respicitur II. Reg. 14. et 15.

sequitur ibidem decimo quinto. Post osculum enim conciliationis secutae, quae fuit in sanctissimi corporis sui receptione, ipsum postea turpiter de sua domo, scilicet cordis, eiiciunt, cum ibi diabolum per consensum mortalis peccati recipiunt. Unde de ipsis potest dici sicut de Iuda, quod *post buccellam introivit in eum satanas*, Ioannis decimo tertio [1]. Notatur, quod Iudas tunc non accepit corpus Domini, sed iam acceperat cum aliis discipulis. — Heu! quanta proditio est et quam gravis: magna quidem in laicis, maior in clericis, maxima in Religiosis. Unde specialiter sacerdotibus et clericis dicit Bernardus [2]: Quid tibi cum mulieribus, qui ad altare cum Domino familiaris es? Dic, sacerdos, dic, clerice: qualiter eisdem labiis oscularis Filium Virginis, quibus osculatus es carnes meretricias. *O Iuda! osculo Filium hominis tradis* [3]? — Quanti sunt sibi ipsis culpam et poenam accumulantes! unde pro talibus dicitur Matthaei duodecimo [4]: *Revertar in domum meam, unde exivi* etc. Et sequitur: *Et fiunt novissima hominis illius peiora prioribus;* et secundae Petri secundo: *Si enim, refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri et Salvatoris Iesu Christi, his rursus implicati superantur; facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiae, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo quod illis traditum est sancto mandato.* — Sed tunc obiiciet aliquis: Tunc malum est illis prius poenituisse, cum necesse videatur [5]. — Sed non sequitur, sicut non est malum, sacerdotem esse, licet in malum aggraveturr; sic bonum fuit ei qui ita poenituit, quia pro illo tempore non punietur, et si tamen poeniteat, praemiabitur in futuro, quia talis poenitentia reviviscet. De poena *damni* dicitur Lucae nono [6]: *Nemo mittens manum suam ad aratrum et respiciens retro aptus est regno Dei;* de poena sensus, quod angeatur, aperte dicit beatus Gregorius: « Qui commissa plangit, nec tamen deserit, poenae gravioris culpae se subiicit ». — Sic igitur est quartus status eorum qui surgunt, sed non cum Christo.

Quintus est status eorum qui consurgunt cum Christo, scilicet in *integra poenitentia persistentes*, qui cum *Christo confixi sunt cruci*, ad Galatas secundo [7], nolentes de cruce poenitentiae descendere ad suasiouem Iudaeorum, id est malorum hominum vel daemonum. Ad hoc autem movere debet triplex commodi magnitudo. Primum est *restauratae gratiae multiplicatio;* Iob octavo [8]: *Tu tamen, si diluculo consurrexeris ad Deum et Omnipotentem feceris deprecatus, si mundus et rectus incesseris, statim evigilabit ad te et pacatum reddet habitaculum iustitiae tuae; in tantum, ut, si priora tua fuerint parva, et novissima tua multiplicentur nimis.* — Secundum est omnis *praesentis adversitatis sedatio;* unde Osee sexto [9]: *In tribulatione sua mane consurgent ad me. Venite, et revertamur ad Dominum, quia ipse cepit et sanabit nos, percutiet et curabit nos.* — *Sanabit nos*, a tentationibus, *percutiet et curabit*, a tribulatione poenitentiae. Et sic tales poterunt dicere cum Apostolo: *Certus sum, quia neque mors neque vita* etc. *Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos.* Et sic possunt dicere: *Ut, quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus*, ad Romanos sexto [10]. — Tertium est *aeternae gloriae adeptio* cum omnimoda securitate; unde Isaiae quinquagesimo secundo [11]: *Consurge, consurge, induere fortitudine tua, Sion, induere vestimentis gloriae tuae, Ierusalem, civitas Sancti, quia non adiiciet ultra, ut pertranseat per te incircumcisus et immundus.*

II. Talibus ergo dicitur: *Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite;* Glossa [12]: « Spiritualia; haec autem sunt vel gloria aeterna, vel quae ad eam ducunt »; Matthaei sexto: *Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius* etc. Et nota, quod haec sunt principaliter quaerenda propter tria, scilicet propter eorum *dignitatem* vel pretiositatem; unde dicitur in Glossa [13]: *Quae sursum sunt quaerite*, « non loco, sed merito excellentiae, scilicet spiritualia »; Sapientiae septimo [14]: *Praeposui illam regnis et sedibus et divitias nihil esse duxi in comparatione illius.* Et bene, quia dicitur Ecclesiastae primo: *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas* etc. Et propter hoc dicit Psalmus: *Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem et quaeritis mendacium?* — Secundo, propter habendi *utilitatem*, immo necessitatem; Sapientiae octavo [15], positis quatuor virtutibus cardinalibus, dicitur: *Quibus utilius nihil est in vita hominibus.* De gloria dicitur Lucae decimo: *Porro, unum est necessarium;* Lucae nono: *Quid enim proficit homo, si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat?* Propter quod dicit Dominus per Isaiam, vigesimo primo [16]: *Si quaeritis, quaerite.* — Tertio, propter inveniendi *certitudinem* et facilitatem. Certe, si ita esset certum et facile invenire bona, multo magis tunc quaererent

Tertia.

Obiectio subvitur.

De quinto statu.

Triplex commodum. Primum.

Secundum.

Tertium.

Pars II. Sollicitudo operationis.

Haec quaerenda propter tria. Ratio prima.

Secunda.

Tertia.

[1] Vers. 27. — Verba *Notatur, quod Iudas* etc. usque *Dic, sacerdos* inveniuntur tantum in codice secundo.

[2] Potius Gaufridus, Declamat. (inter opera Bernard.) c. 12. n. 13, non verbotenus. [3] Luc. 22, 48.

[4] Vers. 44. seq.; sequitur II. Petr. 2, 20. seq.

[5] Hic aliquid excidisse videtur, vel lege: *nocuisse videatur.*

[6] Vers. 62. — Ex codice secundo addidimus verba *sic bonum fuit* etc. usque ad *Quintus est status.* — Sequitur Gregor., p. III. Regul. pastoral. c. 30. (alias 54.).

[7] Vers. 19; dein respicitur Matth. 27, 40.

[8] Vers. 5-7.

[9] Vers. 1. seq.; sequitur Rom. 8, 38. 37.

[10] Vers. 4. [11] Vers. 1.

[12] Scilicet *ordinaria* in hunc locum; sequitur Matth. 6, 33.

[13] *Ordinaria* ad haec verba.

[14] Vers. 8; sequuntur Eccle. 1, 2. et Ps. 4, 3.

[15] Vers. 7; sequuntur Luc. 10, 42. et c. 9, 25.

[16] Vers. 12. — Infra post *invenire bona* supple: terrena.

qui in magno dubio quaerunt fugientia, quia *quasi qui apprehendit umbram et persequitur ventum, sic et qui attendit ad visa mendacia,* Ecclesiastici trigesimo quarto [1], et undecimo: *Si secutus fueris, non apprehendes.* Econtra dicitur de sapientia, quae nunc habetur per gratiam et in futuro per gloriam, Sapientiae sexto [2]: *Clara est et quae nunquam marcescit sapientia, et facile videtur ab his qui diligunt eam. Quoniam dignos se ipsa circuit quaerens et in viis ostendit se illis hilariter;* Lucae undecimo: *Omnis, qui petit, accipit* etc.

Pars III. Praegustatio coniugalis. Triplex effectus. Primus.

III. Postea sequitur: *quae sursum sunt sapite,* in quo notatur *praegustatio divinae contemplationis* supernorum bonorum et aeternorum. Et notandum, quod hoc facit in praegustante tria, scilicet omne terrenum *bonum despicere,* quia « gustato spiritu, desipit omnis caro [3] »; unde Psalmus: *Quid enim mihi est in caelo, et a te quid volui super terram?* Primum quidem ponitur admirative, secundum descriptive, et est exemplum de Petro, Matthaei decimo septimo [4], qui, gustata praefiguratione summae gloriae Christi, statim dixit: *Bonum est, nos hic esse.* Gregorius: « Si consideremus, quae et quanta sunt, quae nobis promittuntur in caelis, vilescunt animo omnia, quae habentur in terris ». Et Augustinus dicit: « Tanta erit felicitas, tanta erit iucunditas lucis aeternae, ut, etiamsi non liceret amplius in ea manere quam unius diei mora, propter hoc solum innumerabiles anni huius vitae, pleni deliciis et circumfluentia temporalium bonorum recte meritoque contemnerentur. Non enim falso ait parvo affectu dictum est in Psalmo [5]: *Melior est dies una in atriis tuis super millia* ». — Omne *malum non timere,* etiam mortem; unde Dominus [6] Petro dicenti Domino volenti ire ad passionem: *Absit a te, Domine* etc., respondit: *Vade retro me, satana! quoniam non sapis quae Dei sunt,* quasi dicat: si ea quae Dei sunt, saperes, mortem non timeres nec tibi nec mihi, sicut postea patuit: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* — Nec solum facit non timere malum, sed etiam *dulce reputare;* Iob sexto [7]: *Quae prius nolebat tangere anima mea, nunc prae angustia cibi mei sunt.* Exemplum de Apostolis, Actuum quinto: *Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Et hoc est quod dicitur Deuteronomii trigesimo tertio: *Inundationes maris quasi lac sugent,* sicut patet, quod leccator ad odorem assatae rei dulciter comedit panem siccum, cum ad superna ardentius aspiraret, sicut leccator, cum gustat de manu .... paululum boni vini, non cessat, quousque veniat ante dolium [8]. Ita tanquam spirituales leccatores nunc debemus saporare caelestes delicias et continuo ardere, donec his satiemur et donec scimus, ut...., ubi *torrente voluptatis* eius *potabit nos* [9], ubi *fluminis impetus laetificat civitatem Dei;* Psalmus: *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus.* Ecentra dicitur de non saporantibus Deuteronomii trigesimo secundo [10]: *Gens absque consilio est et sine prudentia. Utinam saperent et intelligerent ac novissima providerent!* unde Psalmus: *Intelligite, insipientes in populo; et stulti, aliquando sapite.* Dicant ergo saporantes sicut sponsa in Canticis: *Trahe me, post te curremus in odorem unguentorum tuorum.* Et Bernardus dicit: « Si sic currunt ad odorem, quid facient ad saporem »? Rogemus Dominum etc.

Secundus.

Tertius.

Exemplum.

Sermo IV [11].

Item, sermo fratris Bonaventurae in capella regis Franciae.

Surrexit Dominus vere et apparuit Simoni, Lucae vigesimo quarto [12].

Declaratur nobis his verbis veritas dominicae resurrectionis dupliciter, scilicet quantum ad *certitudinem rei factae,* ibi: *Surrexit Dominus vere;* quantum ad *manifestationem propriae personae,* ibi: *et apparuit Simoni.* Divisio.

I. Circa primum nota, quod resurrectionis dominicae tanta solemnitas debet esse nobis materia *gaudii* et *exempli: gaudii,* quia hodie Salvator noster de inimicis suis plenarie *triumphavit;* Numerorum decimo [13]: *Surge, Domine, et dissipentur inimici tui.* — Quia perfectam vitam gratiae nobis benignissime *condonavit;* primae ad Corinthios decimo quinto: *Christus resurrexit a mortuis, primitiae dormientium.* — Quia ab omni culpa nos penitus *iustificavit;* ad Romanos quarto: *Traditus est propter delicta nostra* etc. — Quia spem futurae resurrectionis nobis veraciter *confirmavit;* primae ad Corinthios decimo quinto [14]: *Si Christus praedicatur, quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?* Pars I. Materia gaudii quadruplex.

Debet esse etiam in nobis materia *exempli,* ut scilicet exemplo eius resurgamus ad *Deum requirendum,* qui de adversariis triumphavit; Canticorum tertio [15]: *Surgam et circuibo civitatem, per vicos et* Materia exempli quadruplex

[1] Vers. 2. et dein c. 11, 10.
[2] Vers. 13. 17; sequitur Luc. 11, 10.
[3] Bernard., Epist. 111. n. 3. — Sequitur Ps. 72, 25.
[4] Vers. 4. — Sequentes loci sunt Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 37. n. 1, et August., III. de Libero Arbitrio, c. 25. n. 77.
[5] Psalm. 83, 10.
[6] Matth. 16, 22; sequuntur Marc. 8, 33. et Act. 5, 29.
[7] Vers. 7; sequuntur Act. 5, 41. et Deut. 33, 19.
[8] Hic et supra ante *paululum boni vini* et infra exciderunt quaedam verba. Sensus est obscurus.
[9] Psalm. 35, 8; sequuntur Ps. 45, 4. et 33, 8.
[10] Vers. 28. seq.; sequuntur Ps. 93, 8. et Cant. 4, 3.
[11] Ex A fol. 146 v. et B fol. 42.
[12] Vers. 34.
[13] Vers. 35; sequuntur I. Cor. 15, 20. et Rom. 4, 25.
[14] Vers. 12.
[15] Vers. 2; sequuntur Iud. 5, 12. et Eph. 5, 14.

plateas quaeram quem diligit anima mea. — Ad *gratias agendum* illi qui nos iustificavit; ludicum quinto: *Surge, surge, Debbora, et loquere canticum.* — Ad divinae gratiae *lumen recipiendum*, per quam nos iustificavit; ad Ephesios quinto: *Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus.* — Ad *ipsum contemplandum*, qui nobis certitudinem resurrectionis donavit; Ecclesiastici quadragesimo septimo [1]: *Surrexit Nathan Propheta in diebus David. Et quasi adeps separatus a carne, sic David a filiis Israel.*

II. Circa secundum nota, quod Christus resurgens *apparet: poenitentibus* ut benignissimus condonator; ad Titum tertio [2]: *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei; non ex operibus iustitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit* etc. — *Proficientibus* ut clementissimus exauditor; Lucae ultimo, apparuit duobus discipulis etc. — *Perseverantibus* ut suavissimus consolator; Habacuc secundo [3]: *Apparebit in finem et non mentietur.* — *Pervenientibus* ut liberalissimus praemiator; ad Colossenses tertio: *Cum Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria.*

Ars II. Appetitio Christi quadriplex.

FERIA SECUNDA POST PASCHA.

Sermo [4].

Refloruit caro mea, Psalmus [5].

(Prothema). *Cognoverunt Dominum in fractione panis.* Iste panis est verbum Dei, quia ipse confert vitam gratiae; unde in Matthaeo [6]: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei;* quia *sermo Dei vivus est*, ut credas; *efficax*, ut speres; *et penetrabilior omni gladio ancipiti*, ut timeas. Hunc panem hodie Dominus fregit, in quo significatur, quod praedicator debet infringere linguam suam, ut apta et convenientia dicat loco et tempori, sicut nutrix facit, quae infringit vocem et linguam, ut concordet voci pueri. Sed dicitur in Threnis: *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis;* quidam enim dividunt panem istum artificialiter, sed pauci frangunt eum (modo) necessario; et ideo iste est panis, quo vivit anima, quando Dominus ministrat gratiam; et ideo panis verbi Dei dispensandus est pro loco et tempore et pro capacitate auditorum, quia, sicut dicit Augustinus [7], « panis, qui hominem nutrit, accipitrem interficit ». Et ideo ego valde invitus praedico, quia *non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus* [8] ad manducandum, quia ea quae recte dicuntur, quidam prave et perverse interpretantur. — Et quando iste frangitur, tunc cognoscitur Dominus; unde dicitur, quod *cognoverunt Dominum in fractione panis;* et hoc fit, quando illuminatur intellectus et inflammatur affectus. Unde Apostolus: *Ut Deus, Domini nostri Iesu Christi Pater gloriae, det vobis spiritum sapientiae et revelationis;* et ut hoc fieri possit, in principio rogemus etc.

Prothema.

Refloruit caro mea.

Verba ista scripta sunt in Psalmo, et secundum quod *allegorice* intelliguntur, dicuntur in persona Christi; secundum vero quod *moraliter* intelliguntur, possunt dici in persona cuiuslibet iusti. Secundum autem quod *allegorice* dicitur verbum istud in persona Christi, sic Dominus duo facit in verbo isto: aperit enim *poenalitatem assumtae conditionis* et *iucunditatem dominicae resurrectionis.* Primum notatur in *carne*, secundum in *flore;* caro enim habet fragilitatem et flos venustatem.

Sermo. Divisio. Subdivisio.

Pars I. subdivisionis. De carnis poenalitate.

I. Dicit ergo Christus: *Refloruit caro mea.* Flores sunt primitiae et indicia temporis revirescentis in novam aetatem et significant exordia nostrae resurrectionis in Christo vernantis per gloriae novitatem; unde Canticorum secundo [9]: *Hiems transiit, imber abiit et recessit, flores apparuerunt in terra nostra.* — *Hiems*, id est torpor et pusillanimitas discipulorum quodam timoris gelicidio constrictorum. Unde *Petrus*, frigidus tam mente quam corpore, *calefaciebat se*, loannis decimo octavo [10]. Sed *imber* hiemalis fuit impetuosa persecutio Iudaeorum, dicentium: *Tolle, tolle! crucifige eum! Si rex Israel est, descendat nunc de cruce*, et consimilia. Et *flores apparuerunt in terra nostra*, cum caro Christi glorificata apparuit in natura nostra. Caro enim Christi superbenedicta, sicut in conceptione *floruit*, quia conceptus fuit sine libidine, et in passione *defloruit*, sic et in resurrectione *refloruit*, quia resurrexit sine putredine. Conceptus enim fuit et nutritus in Nazareth, quod interpretatur flos; *et imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam* [11]: *Iesus Nazarenus, Rex Iudaeorum. Nazarenus* enim interpretatur floridus, quia in conceptione, secundum Isaiam, sicut *flos de radice Iesse ascendit*, et in

---

[1] Vers. 1. seq.

[2] Vers. 4. seq; deinde respicitur Luc. 24, 13-32.

[3] Vers. 3; sequitur Coloss. 3, 4.

[4] Diffusus hic sermo inventur integer cum prothemate et collatione in cod. 36. saec. XIII. bibliothecae Monasterii Hilariensis fol. 99 v., sed ita male reportatus, ut nexus sententiarum passim vix possit indagari. Satis bene refertur in codice Tudertino n. 140. fol. 349 v., et cum ipso fere convenit cod. Trecensis n. 2052, nisi quod nonnulla, praesertim loca Scripturarum, omittit. Habetur etiam in bibliotheca civitatis Basileensis, cod. B. X. 4. saec. XIII. fol. 29 v., qui breviorem textum exhibet quam Tudertinus, addens tamen nonnulla. Hic sermo est pars collectionis sermonum, quae a manu saec. XV. inscripta est: Sermones fratris Bonaventure ordinis Minorum. Verisimile esse videtur, aliqua, praesertim locos citatos, ab aliis fuisse addita. — Schema eiusdem sermonis infra impressum habetur in A et B.

[5] Psalm. 27, 7. — Prothema habetur Luc. 24, 35.

[6] Cap. 4, 4; sequuntur Hebr. 4, 12. et Thren. 4, 4.

[7] Libr. II. de Moribus Manich. c. 8. n. 12.

[8] Matth. 15, 26; sequitur Eph. 4, 17.

[9] Vers. 11. seq. — Infra pro *torpor* codd. Tudert. et Wilhering *tepor*.

[10] Vers. 18; sequuntur c. 19, 15. et Matth. 27, 42.

[11] Matth. 27, 37; sequuntur Ioan. 19, 19. et Isai. 11, 1.

resurrectione de tumulo processit, sicut *virga Aaron*[1], quae fuit arida, educta de tabernaculo, florida apparuit. Si inviolatam credis radicem, quia flante zephyro prodneit florem; vel florem inviolatum, quia profert odorem; inviolatum crede pudorem Virginis, quae, aspirante Spiritu sancto, protulit Salvatorem. Si virgam aridam Aaron credis in tabernaculo floruisse, crede, veram carnem Domini resurrexisse et (ipsum) dixisse: *Refloruit caro mea* [2].

Caro Christi est caro nostra.

Nota ergo, ad manifestandam poenalitatem assumtae conditionis Christum dixisse: *caro mea.* Ipse *enim caro nostra et frater noster est* [3], ut propter istam carnem vere possimus dicere: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea,* Genesis secundo; et ipse de nobis dixit quod David populo suo secundi Regum decimo nono: *Fratres mei, vos os meum, et caro mea vos.* Ad quam fraternitatem aspiraverat sponsa, dicens: *Quis mihi det te fratrem meum, sugentem ubera matris meae, ut inveniam te foris et deosculer te, et iam me nemo despiciat,* Canticorum octavo [4]. — *Quis mihi det,* quod nulla foret praesumtione sperandum, nisi tanta dignatione fuisset promissum (et) divinitus factum [5]. O ineffabilis dignatio, manifestata per earnis assumtionem, per quam Dominus meus factus est frater meus! *Sugentem ubera.* O felicia ista ubera, sola solis lactata labiis Dei-hominis, Verbi infantis! et felicia labia sola solis uberibus impressa virgineis Matris, ut sit felix Mater talis, felix Proles tali Matre! *Matris meae,* subdistingue: Matris, quae sit mea, et per hoc tu sis meus, quia liberi sunt parentum possessio; etsi non sit mater mea, hoc est, de me prodeat, quae te proferat. *Et inveniam te foris,* non inclusum ut olim in Lege figuraliter, sed effusum, apparentem in carne corporaliter. *Scissum enim est velum* [6], ut reveletur Sanctus sanctorum. *Et deosculer te, osculor* devotionis affectu, *deosculor* intentionis effectu. *Et iam me nemo despiciat,* propter carnem meam, quam assumsisti, in qua pro me dispensationis opera perfecisti et eam multipliciter honorasti. Nam in carne mea *natus* es; Ioannis primo [7]: *Verbum caro factum est et habitavit in nobis.* In carne etiam *passus* es; primae Petri quarto: *Christo passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini, quia passus est in carne* Deus. In carne etiam in sepulcro *quievisti;* Psalmus: *Caro mea requiescet in spe;* et in carne gloriosus *surrexisti;* primae ad Timotheum tertio [8]: *Magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, praedicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumtum est in gloria.* Bernardus [9]: Sacramentum carnis crucis Christi velamentum, quod decepit diabolum. Sicut hydrus et crocodilus. Hydrus enim limo se cum involvit, deglutitur a crocodilo, sed illaesus custoditur in ventre eius, et resoluto (luto), dissipat voratorem, et eo mortuo, vivus exit. Sic limo nostrae carnis vestitus, Dominus ventrem diaboli, scilicet infernum, intravit, infernum momordit, quia foramen fecit, dum liberavit electos, et diabolo ligato quasi mortuo, vivus exivit et gloriose triumphavit. Et hoc est *sacramentum manifestatum in carne,* quod hodie *assumtum est in gloria,* et Christus *in sanguine suo initiavit nobis viam novam et viventem per velamen, id est carnem suam,* ad Hebraeos decimo [10].

Similitudo

Ut igitur ea quae dicentur de sacratissima festivitate, apertius elucescant, notandum, quod *caro* nostra ex primae corruptionis origine habet et contraxit quatuor defectus lamentabiles et non parvos, videlicet *opacitatem, foeditatem, gravitatem,* fragilitatem seu *infirmitatem* [11]. — Habet primo *opacitatem* obnubilantem intellectum; unde Matthaei decimo sexto [12]: *Beatus es, Simon, Bar-Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est.* Opacitas enim carnis spiritum deorsum impellit, ut nec ea quae Dei sunt, intelligat; primae ad Corinthios tertio: *Ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus.* — Habet secundo *foeditatem* propter concupiscentiam, quae est in carne, ratione cuius *caro concupiscit adversus spiritum,* ad Galatas quinto [13]. Adeo enim *persequitur* nunc *is qui secundum carnem est, eum qui secundum spiritum,* ut *non sit pax universae carni,* Ieremiae duodecimo. — Habet tertio *gravitatem* et ponderositatem, quia *corpus, quod corrumpitur, aggravat animam,* Sapientiae nono [14]. *Corpus, quod corrumpitur,* id est caro corrupta; Genesis sexto: *Omnis quippe caro corruperat viam suam.* — Habet quarto *infirmitatem;* ad Romanos sexto [15]: *Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestrae;* et Matthaei vigesimo sexto: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.*

Quatuor carnis defectus

Primus.

Secundus.

Tertius.

Quartus.

II. Inde est, quod has indignitates carnis nostrae Christus evacuavit in resurrectione, modo in spe, sed in futuro in re. Et ideo introducitur secundo

Para II. flore in r surrectio

---

[1] Respicitur Num. 17, 8.

[2] Hic codex Basileensis sequentia addit: Ideo dominicae resurrectionis sacramentum nobis describitur in verbis propositis quantum ad tria, scilicet quantum ad resurgendi novitatem: *Refloruit;* quantum ad resurrectionis veritatem, cum addit: *caro;* quantum ad resurgentis *identitatem,* cum subinfert: *mea.*

[3] Gen. 37, 27; sequuntur c. 2, 23. et II. Reg. 19, 12.

[4] Vers. 1. et c. 1, 1.

[5] Cfr. sermo 1. in Vigilia Nativitatis, supra pag. 88 seqq.

[6] Matth. 27, 51.

[7] Vers. 14; sequuntur 1. Petr. 4, 1. et Ps. 15, 9.

[8] Vers. 16.

[9] Cfr. Sermo fer. IV. hebd. sanctae, n. 10.

[10] Vers. 19. seq.

[11] Praecedentia sumta sunt ex codice Basileensi.

[12] Vers. 17; sequitur 1. Cor. 3, 1.

[13] Vers. 17; sequuntur c. 4, 29. et fer. 12, 12.

[14] Vers. 15; sequitur Gen. 6, 12.

[15] Vers. 19; sequitur Matth. 26, 41.

Quatuor proprietates floris. eius *resurrectio* sub ratione *floris*, cuius sunt quatuor proprietates, oppositae conditionibus *carnis*. Flos habet enim ex parte formae *speciositatem*, ex parte materiae *puritatem*, ex parte ponderis *levitatem* et ex parte originis *sanitatem*.

Primo. Primo, dico, quod flos habet ex parte formae *speciositatem* oppositam carnis opacitati; unde naturaliter delectat visum; unde iam communiter inolevit, ut speciosum *floridum* appelletur; Proverbiorum decimo septimo [1]: *Animus gaudens aetatem floridam facit*. — Secundo flos habet ex parte materiae *puritatem* oppositam carnis foeditati; dicit enim Philosophus [2], quod in principio digestionis plantae subtilis humor et purus prius in flores digeritur, antequam grossus in fructus. Unde secundum Augustinum [3], flos purior est quam fructus. — Tertio flos habet ex parte ponderis *levitatem* oppositam carnis gravitati; unde leviter circumvolat ad modicum venti impulsum. — Quarto habet ex parte originis viriditatem vel *sanitatem* oppositam carnis infirmitati. Unde flos oritur et nutritur, flante zephyro. Unde verisimile est, quod sanitas sui originalis principii in flore quodam modo incorporatur, et sic in eius suavitate olfactus reficitur. — Speciositas floris indicat in carne Christi dotem *claritatis;* puritas, dotem *subtilitatis;* levitas, dotem *agilitatis;* suavitas, quae ex virtute floris oritur, dotem *impassibilitatis*. Et ideo quatuor floribus floruit caro Christi: sicut *rosa*, sicut *lilium*, sicut *amygdalus* et sicut *palma*. Rosa excellit decore, lilium candore, amygdalus temporis antecessione, palma duratione.

Secunda. Tertia. Quarta.

Rosa significatio.

Floruit ergo caro Christi sicut *rosa* per pulcritudinem *claritatis*. Sicut enim rosa pulcher est inter flores, sic claritas lucis inter colores; Ecclesiastici quinquagesimo [4]: *Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriae et quasi flos rosarum in diebus vernis, sic iste effulsit in templo Dei. — Nebulae gloriae* sive patriae sunt qui habent primam stolam et exspectant secundam. Nebula enim habet respectum ad serenitatem subsequentem et ad pluviam praecedentem; sic Sancti ad carnem propter appetitum corporum suorum. *Arcus refulgens*, Dei Filius, habens chordam, scilicet rectitudinem Divinitatis inflexibilis, et lignum incarvatum humilitate humanitatis. *Flos rosarum in diebus vernis*, caro illa sanguine rubricata tempore veris, quae modo *refulget in templo Dei*, Ecclesia scilicet triumphanti. *Civitas* enim illa *non eget sole neque luna, ut luceant in ea; nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna eius est Agnus*, Apocalypsis vigesimo primo [5]; et alibi: *Et ambulabunt gentes in lumine tuo*, quando *reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae*, ut fulgeamus sicut sol, cum augmentabitur eius lumen septuplum [6].

Ma comparatur rosae.

Floruit etiam caro Christi sicut *lilium* per puritatem *subtilitatis*. Si enim de Sanctis dicitur in apocryphis Esdrae [7]: *Sancti tui, Domine, florebunt sicut lilium et sicut odor balsami erunt ante te*, propter subtilitatem, quam habebunt corpora glorificata, quando tolletur omnis corpulentia, remanente tamen corporeitatis veritate et natura; multo fortius hoc valet de Sancto Sanctorum, qui propter puritatem subtilitatis suae in humanitate sua modo floret ut lilium. Unde ei competit per excellentiam illud quod cantatur in Ecclesia: *Justus germinabit sicut lilium et florebit in aeternum ante Dominum* [8]. Iam enim ad alta conscendit, ut *pascatur inter lilia, donec aspiret dies, et inclinentur umbrae*, Canticorum secundo. Tunc enim verus *dies aspirabit*, tunc *inclinabuntur umbrae*, et omnis hebetudo cessabit. — Foeditas enim concupiscentiae modo facit umbram in carne, difficultas Scripturae umbram in intellectu, perversitas voluntatis umbram in affectu. Sed *florente* carne nostra *sicut lilium*, nulla erit umbra, quia in carne nostra nulla erit libidinis concupiscentia, in intellectu nulla fallacia, in affectu nulla malitia. O quis non desiderat illum diem vel locum, ubi *pascitur* dilectus *inter lilia, ubi cubat in meridie!* Bene *meridie*, ubi pura lucis cognitio, plena fervens dilectio.

Secunda, lilio.

Notandum.

Floruit etiam ut *amygdalus* per dotem *agilitatis*. Amygdalus enim, ut tradunt philosophi [9], propter multum eius subtile humidum et calorem temperatum ante omnes arbores vestitur floribus; et quia primo floret inter arbores fructiferas, ideo agilitatis Christi in resurrectione est indicium; licet cum ea florente floreant quaedam herbae minores, quia *Christus resurrexit primitiae dormientium* [10], et cum eo *quaedam corpora Sanctorum surrexerunt*, sicut minutarum herbarum flores. *Ficus* enim *protulit grossos suos*, et *vineae florentes dederunt odorem suum. Grossi* primi ficus sunt et rariores et decidentes, quos uberior sequitur fructus, quia pauca corpora Sanctorum surrexerunt, et sequitur uberior resurgentium numerus. *Vineae florentes odorem dederunt*, quando multis *in sancta civitate apparuerunt*. De hac amygdalo sic florente dicitur Ecclesiastae ultimo [11]: *Florebit amygdalus, impinguabitur locusta, et dissipabitur capparis, quoniam*

Tertia, amygdalo.

---

[1] Vers. 22.

[2] Libr. II. de Plantis, c. 2. (edit. Firmin-Didot, c. 14.): Flos e subtili materia tantum est, cum concoctio incipit, et ideo fructum in plantis praecedit.

[3] De qualitatibus florum cfr. Plinius, XVI. Nat. Histor.

[4] Vers. 8. 7.

[5] Vers. 23; sequuntur Isai. 60, 3. et Phil. 3, 21.

[6] Respicitur Isai. 30, 26: Lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum.

[7] Cfr. Breviar. Rom., Comm. Apost. temp. Pasch., antiph. 1. ad Laud.

[8] Respicitur Osee 14, 6. et Ps. 91, 13. seq.; sequuntur Cant. 2, 16. seq. et c. 4, 6.

[9] Plinius, XVI. Nat. Histor. c. 42, et Isidor., XVII. Etymol. c. 7. n. 23.

[10] Epist. I. Cor. 15, 20; sequuntur Matth. 27, 52. et Cant. 2, 13.

[11] Cap. 12, 5. — Alia explicatio huius loci habetur in Comment. in Ecclesiasten (tomus VI.).

ibit homo in domum aeternitatis suae. Haec *amygdalus* Christus est, habens corticem carnis, testam mentis, nucleum Divinitatis, una persona in tribus substantiis, cuius cortex habuit amaritudinem, testa fortitudinem, nucleus dulcedinem. Hic floruit in resurrectione, data sibi agilitate. *Impinguata est locusta,* quia caro tenuis et vagabunda (?) et pauperlatis affecta macie inpleta est gloria. *Et dissipata est capparis,* quae est herba corruptiva, eo quod per agilitatem subiata est a carne eius omnis indigentia cibi, ut non iam habeat corpus animale, sed spirituale et agile. Quando *ibit homo in domum aeternitatis suae,* ubi nihil transitorium, nihil temporale.

Floruit etiam ut *palma* per dotem *impassibilitatis,* quae attribuitur palmae. Unde Aristoteles in septimo libro Problematum [1] dicit: « Si super palmae arboris lignum magna pondera imponas ac tam graviter urgeas oneresque, ut magnitudo oneris sustineri non queat, non deorsum palma cedit nec intra flectitur, sed adversus pondus resurgit et sursum nititur recurvaturque ». Et Plutarchus philosophus, magister Traiani imperatoris, in octavo libro Memorabilium: « Propterea, inquit, placuit, palmam signum esse victoriae in certaminibus, quoniam ligni huius ingenium est, ut urgentibus opprimentibusque non cedat ». Et ideo merito flore impassibilitatis illa caro floruit, quae tam nobiliter triumphavit; Psalmus [2]: *Justus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur.* Sicut enim in cedro soliditas partium resistit sectioni aut divisioni, sic habitus gloriae impassibilitatis resistit in corporibus glorificatis, ne qualitates elementares agant aut discussionem complexionis, aut divisionem partium corporis.

Quarta, palmae.

Inde est, quod per has quatuor dotes quatuor Evangelistae declarant resurrectionem Christi. *Claritatem* ostendit Marcus [3], dicens: *Valde mane veniunt ad monumentum, orto iam sole;* et sequitur: *Viderunt iuvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida. — Vident iuvenem,* quia nescit resurrectio senectutem; *sedentem in dextris,* quia resurrectio nihil sinistrum recipit; *coopertum stola candida,* signante dotem claritatis in carne glorificata. Sed quid est, quod praemittitur: *Et valde mane,* et tamen: *orto sole? Si valde mane,* quomodo *orto iam sole?* Respondet Petrus Ravennas [4]: « Rei gestae caelitus aperit veritatem. Dixerat: *Ab hora sexta usque in horam nonam tenebrae factae sunt.* Ergo sol, qui praeter horam, ut Domino compateretur, abcesserat, claritate, cum consurgeret, Domino ante tempus occurrit; et qui, ut suo commoreretur auctori, ipsam meridianam suam mortificaverat claritatem, ut consurgeret auctori suo, evictis tenebris, antelucanus erupit. *Valde mane,* quia tunc sol, ut *mane* faceret, manicavit, et qui ante noctem fingerat, nunc ipse noctem praevenit fugatus, ut reddat luci nox horas, quas terror dominicae passionis invaserat ». Et Gaufridus [5] in expositione huius lectionis super Marcum. An ipsum visibilem solem credimus, sicut obscuratur ad exsequias morientis, sic celerius ortum ad gloriam resurgentis? — *Subtilitatem* ostendit Ioannes, eo quod, *ianuis clausis,* intravit ad *discipulos* post resurrectionem, Ioannis vigesimo [6]. — *Agilitatem,* Lucas, eo quod *evanuit ex oculis Apostolorum,* Lucae ultimo. — *Impassibilitatem,* Matthaeus, dicens: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra,* ultimo eiusdem. — Quid enim sole lucidius, quid omnia penetrante subtilius, quid apparente et disparente agilius, quid omnipotente impassibilius? Has autem dotes habebunt electi in patria, quando *florebunt de civitate,* id est illi qui erunt cives in civitate superna, *sicut foenum terrae* [7], id est sicut herba, quae in hieme moritur et in aestate renascitur. Sic igitur patet, quomodo verbum istud exponatur allegorice.

Has quatuor dotes resurgentis Christi referentur, prima a Marco.

Secunda Ioanne.

Tertia a Luca.

Quarta a Matthaeo

De his quatuor generatim.

Moraliter debemus florere in via similes pueris Hebraeorum [8], qui occurrerunt Christo cum floribus. Libenter autem Sponsus ingreditur thalamum nostri cordis, si videat eum respersum floribus, scilicet bonorum operum exercitiis. Ipse enim dicitur Nazarenus, id est floridus; unde Canticorum secundo [9]: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Obtineamus ergo speciositatem *claritatis* florendo per *sapientiam;* puritatem *subtilitatis* florendo per *temperantiam;* levitatem *agilitatis* florendo per *iustitiam;* sanitatem aut suavitatem *impassibilitatis* florendo per *patientiam.*

Pars II. visionis beatis.

Florendum quadruplici modo.

Primo, per sapientiam.

Primo debemus florere per *sapientiam,* ut habeamus dotem *claritatis;* Canticorum primo [10]: *Ecce, tu pulcher es, dilecte mi, et decorus, lectulus noster floridus et tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina. — Pulcher,* interius per sanctitatem conscientiae; *decorus,* exterius, per honestatem vitae; *dilecte mi,* per amorem et vacationem sapientiae. *In lectulo* autem quies est, otium et voluptas. Si vis ergo florere per sapientiam, habeas puritatem conscientiae, honestatem vitae, vaces sapientiae, corpus quiescat a vitiis, anima otietur a cogitationibus noxiis, spiritus voluptuetur sanctis desideriis. Et additur: *floridus,* ut, sicut apes succos florum colligunt, quos in favos dividunt, et commixta quadam sui spiritus proprietate, mel inde

---

[1] Scilicet Aristotelis Fragmenta, Problemata, edit. Didot, vol. 4. pag. 206 c. 1. sec. A. Gellium, Noct. Attic. l. III. c. 6, ubi etiam verba Plutarchi inveniuntur.

[2] Psalm. 91, 13.

[3] Cap. 16, 2. 5.

[4] Sive Chrysologus serm. 82. n. 4. seq., ubi respicitur Marc. 15, 33.

[5] Locus frustra quaesitus.

[6] Vers. 26; sequuntur Luc. 24, 31. et Matth. 28, 18.

[7] Psalm. 71, 16.

[8] Respicitur Matth. 21, 8. seqq. et Ioan. 12, 13. seqq.

[9] Vers. 5.

[10] Vers. 15. seq.

conficiunt; sic de multis noxia relinquentes, utilia eligentes, quidquid legimus, in veritatis usum convertamus, hoc etiam attendentes, ne cicutam pro myrto legamus, lolium pro tritico; unde poeta [1]:

« Qui legitis flores et humi nascentia fraga,
Frigidus, o pueri, fugite hinc, latet anguis in herba ».

Anguis dicitur, quia, secundum sapientem [2], non dantur venena nisi melle circumlita. Sic etiam videmus saepe, dum rosa legitur, manus legentis urtica pungitur, quia terra salutares herbas easdemque nocivas nutrit, et urticae proxima saepe rosa est. Si ergo doceant Pythagoras vel Plato contemptum mundi, *eligantur;* si conversionem animarum in diversa corpora, contemnantur.

Secundo, ir temperantiam.

Secundo debemus florere per *temperantiam,* ut habeamus dotem *subtilitatis;* unde Ecclesiastici trigesimo nono [3]: *Florete, flores, quasi lilium et date odorem et frondete in gratiam et collaudate canticum et benedicite Dominum in operibus suis.* Flos *lilii* valet contra adustiones, et castitas contra concupiscentiae ardorem. Solent remedium quaerere qui fuerunt laesi ab igne, accedendo ad ignem, ut quem gravior intulerat, lenior temperet ignis ardorem; quia remedium singulare est tentationis carnalis ignire et eiicere cor suum in meditationibus et affectionibus castitatis. *Date odorem,* ut dicatis illud Ecclesiastici vigesimo quarto: *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, et flores mei fructus honoris et honestatis.* Odorem vitis florentis, ut dicitur, nequeunt sustinere bufones, nec habitum castitatis videre carnales; et additur: *honestatis;* est autem honestas honoris status, quod pertinet ad praemium Virginum, eo quod Virgines habebunt aureolam in capite, proferent *canticum novum* ore, *sequuntur Agnum, quocumque ierit* [4], utroque pede, quia, per appropriationem loquendo, non habuerunt serta lasciviae in capitibus, non cantilenas turpitudinis ore dixerunt, non choreas pedibus duxerunt; et ideo dicitur: *Florete et frondete in gratiam,* quantum ad serta, quae sunt de frondibus et floribus; *et collaudate canticum,* quantum ad secundum; *et benedicite Dominum in operibus suis,* quantum ad tertium. Sic enim benedicit Dominum qui opere sequitur eum. Sed utinam consideret flos tener et delicatus, quod attactu saepe efficitur marcidus, quia virginitas saepe corrumpitur, dum tactus illicitos sequitur! Iob decimo quinto: *Laedetur quasi vinea in primo flore botrus eius, et quasi oliva proiiciens florem suum.*

Tertio, per iustitiam.

Tertio debemus florere per *iustitiam;* unde Canticorum secundo [5]: *Ego flos campi et lilium convallium.* — *Flos campi* omnibus accessibilis iustitia est, quae est omnibus communis, ut possint pauperes accedere ad superiores. Non sunt flores campi quidam pontifices et praelati, sed verius pompifices et Pilati, tot habentes satellites circa se cum *fustibus et gladiis,* ut non videantur flores campi, sed horti diligentissime custoditi. Aliquod grande flagitium perpetrasse putandi sunt qui ita diligenter custoditi sunt, sicut refert Historia gentium [6], Platonem Dionysio tyranno Siciliae dixisse: « Quantum flagitium commisisti, quia cum tanta diligentia custodiris »? Et isti non sunt flores campi, non horti. Sed nunquid isti sunt *lilia convallium?* Non; sed vepres montium ad pauperes impugnandos. Sed utinam quotquot pauperes impugnant recolant illud Auli Gellii, Noctium Atticarum, quod Alexander Magnus ultimum littus Oceani devicerat et venerat expugnare insulam Fragmariae [7]. Qui miserunt ei litteram in haec verba: Divitias non habemus, quarum cupiditate nos debeas expugnare; esca nobis est pro divitiis, pro cultibus et auro vilis et rara et prope nulla vestis; antra nobis duplicem usum praestant: tegumentum in vita, sepulturam in morte. Quem locum habet vindicta, ubi nulla fuit iniuria? His motus Alexander nullam ratus victoriam, si eorum turbaret quietem, eos in pace dimisit. Et utinam ita facerent qui pauperes opprimunt!

Quarto, per patientiam.

Quarto debemus florere per *patientiam;* unde Canticorum sexto [8]: *Descendi in hortum nucum* (alia littera habet *meum*), *ut viderem poma convallium et inspicerem, si floruisset vinea, et germinassent mala punica.* Tu te *hortum nucum* exhibes, si fuerit tibi mundus amarus, corpus aridum, mens devota; nam in nuce cortex amarior, testa durior, nucleus sapidior; *poma convallium* sunt exercitia humilitatis, sine quibus non potest esse patientia. Sequitur: *si floruisset vinea.* Flos magis confricatus magis redolet, quia patientia in tribulatione viget; *floruisset,* de praeterito, non floret de praesenti. *Si germinassent mala punica,* scilicet qui assumunt fervorem martyrii. Et non dicit *germinarent,* quia quaedam sunt patientiae initia, in quibus non est virtus perfecte radicata; sed debet esse homo plantatus in patientia, quia in Psalmo: *Plantati in domo Domini in atriis domus Dei nostri florebunt.* — *In atriis domus Domini* sumus in via, sed in sanctis sanctorum erimus in patria. — Legitur de quodam philosopho, cui cum irrogarentur convicia, dixit: « Didicisti maledicere, et ego, teste conscientia, didici maledicta contemnere »; unde, quando homini irrogantur convicia, non potest contra omnes reclamare. Unde verbum iniuriosum, si ex *levitate* dicatur, contemnendum est; si ex *furia* procedit,

[1] Virgil., Bucol. Ecl. III. v. 93.
[2] Locus frustra quaesitus.
[3] Vers. 19; sequitur c. 24, 23.
[4] Apoc. 14, 3. seq.; sequitur Iob 15, 33.
[5] Vers. 1; infra respicitur Matth. 26, 55.
[6] Hic et duo infra sequentes loci non sunt inventi.
[7] Pro *Fragmariae* cod. Tudert. *Bragmanorum.*
[8] Vers. 10; sequitur Ps. 91, 14.

tunc est miseratione dignum; si ex *iniuria*, tunc est dimittendum; et sic nunquam est irascendum. — Et sic patet, quod debemus florere in *bonis* floribus; sed sunt alii quatuor *mali* flores, in quibus non est florendum; et de his dicetur in collatione.

Collatio [1].

Refloruit caro mea.

(Prothema). Dictum est, quod *discipuli cognoverunt Dominum in fractione panis.* Verum, quod si panis iste frangeretur, Dominus cognosceretur; sed non sufficit *frangere* panem, nisi etiam comedatur, et quod retineatur in corpore per frequentem operationem et digeratur per contritionem. Et ideo in multiplici periculo sunt qui verbum Dei proponunt. Sunt enim quandoque in periculo propter illos qui male interpretantur Scripturam, vel qui male intelligunt, vel qui non audiunt, sicut dicitur. Et ideo, sicut citharoedus non potest plectro chordas ita ordinare, quod nullius auditum offendat, sic nec ille qui debet verbum proponere, potest loqui quod omnibus placeat; et infelix ille qui praedicat ad voluntatem hominum. Et ideo in principio rogemus Dominum, ut det mihi gratiam etc.

Prothema ad collationem.

Refloruit caro mea. Dictum est, quod verba ista, secundum quod exponuntur *allegorice* de Christo, duo continent: quia in istis verbis manifestat nobis Christus *humanitatis assumtae poenalitatem* et suae *resurrectionis iucunditatem;* et ostensum est, quomodo primum notatur in *carne*, secundum in *flore*. Dictum est etiam, quod in carne sunt quatuor conditiones, quae evacuatae sunt per quatuor proprietates, quae sunt in flore; per quem Christi resurrectio significatur, quia sunt quatuor proprietates floris privilegiati, quibus caro Christi refloruit in resurrectione. Dictum est etiam, qualiter nos florere debeamus, ut conformemur resurrectioni Christi.

Repetitio sermonis.

Sed sunt quaedam *impedimenta*, quae impediunt, ne floreamus; unde videndum est, quomodo debemus in his florere; nos enim debemus florere, quia debemus esse *filii Hebraeorum*, id est transeuntes, ut futura sint nobis quodam modo praeterita. Primo autem debemus florere in *sapientia* per speciositatem *claritatis;* secundo, in *continentia* per speciositatem *subtilitatis;* tertio, in *institia* per dotem *agilitatis;* quarto, in *patientia*, ut obtineamus *impassibilitatem*, ut possimus dicere: *Refloruit caro mea.*

Impedimenta, ne floreamus quadrupliciter.

Primo igitur florere debemus per *sapientiam*, ut obtineamus luminositatem *claritatis. Clara enim est et quae nunquam marcescit sapientia* [2]; et ipse qui est vera sapientia, *est candor lucis aeternae et speculum sine macula;* Sapientiae septimo: *Speciosior est sole et super omnem dispositionem stellarum luci comparata invenitur prior;* et in ipsa sapientia nos habemus claritatem; Canticorum septimo [3]: *Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis, mane surgamus ad vineas, videamus, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica.* In quibus verbis ostenditur processus animae ascendentis ad sapientiam. Scholaris enim, illuminatus per sapientiam, orat devote, ut Spiritus sanctus, descendens in animam eius, inflammet eam ad dilectionem, et ut videat in omnibus exterioribus vanitatem; unde dicit: *dilecte mi, veni.* Inflammata vero anima in se consistere non potest, et transcensis omnibus, per excessum mentis fertur in contemplationem sui Creatoris; unde dicit: *egrediamur in agrum; egressus* enim est excessus mentis; *ager* vero latitudo divinae incomprehensibilitatis. Sed quoniam reverberatus oculus non potest ibi *figi* [4], licet sit ibi per momentum, et hoc propter excellentiam obiecti; ideo recipit se in quibusdam creaturarum proprietatibus, ut in consideratione potentiae, sapientiae et bonitatis effusae in creaturis; unde dicit: *commoremur in villis,* quia sicut villae ad civitatem ducunt, sic et cognitio creaturarum ducit in cognitionem ipsius Creatoris. Sed tunc habet anima ariditatem; sed diutius vegetata novo lumine perfunditur, gratia sursum agitur et inexpertas dulcedines experitur; unde dicit: *mane surgamus ad vineas; mane,* ecce, novi luminis infusio; *surgamus,* ecce, sursumactio; et dicitur in plurali: *surgamus,* quia per se non potest, sed Deo adiuvante. Et tunc anima sic illuminata videt, *si floreat vinea*, id est, respicit primum obiectum, scilicet conscientiam suam, et in conscientia respicit, si habet bonam intentionem in conscientia; unde dicit: *si floruerunt vineae.* Deinde videt, si potest *facere fructum* de illis quae didicit; unde dicit: *videamus, si flores fructus parturierunt;* sed de aliquibus potest dici quod dicit Propheta [5]: *Ante messem totus effloruit;* quia *doctrina viri per patientiam* probatur; unde dicit: *si floruerunt mala punica*, id est, si in debito ordine conserventur opera. *Floruit vinea*, per *honestatem; flores fructus parturiunt*, per *pietatem;* et talis non quaerit dissensiones.

De primo modo florendi, sive per sapientiam.

Processus animae ad sapientiam.

Sed timendum est, ne quidam sint sicut flos *pictus*, qui impedit, ne floreamus; et iste flos pictus est flos *hypocrisis;* quia *Spiritus sanctus disciplinae effugiet fictum* [6]; unde dicitur tertii Regum septimo: *Fecit Salomon in domo Domini quasi lilii flores.* Isti enim hypocritae positi sunt in Ecclesia Dei, quia foris boni apparent, sed quae in *occulto* facinnt *turpe est dicere* [7]; *quasi* est adverbium similitudinis, quia ille qui pingit, non ponit picturam nisi

Flores picti sive hypocrisis.

---

[1] Haec collatio habetur tantum in codice Hilariensi et brevissime in codice Trecensi.

[2] Sap. 6, 13; sequitur c. 7, 26. et 29.

[3] Vers. 11. seq.

[4] Cfr. tom. I. d. 2. dub. 2.

[5] Isai. 18, 5; deinde Prov. 19, 11.

[6] Sap. 1, 5; sequuntur III. Reg. 7, 18. seq. et Cant. 2, 15.

[7] Eph. 5, 12.

exterius; sic est et de ipsis; ipsi enim non nisi foris picti sunt et isti sunt, qui demoliuntur vineas; unde Canticorum secundo: *Capite nobis vulpes parvulas, quae demoliuntur vineas.* — *Vulpes parvulas,* id est hypocritas, quia, sicut dicit poeta [1],

« Occultamque gerunt sub pectore vulpem ».

Et isti sunt, qui ponunt maculam in ecclesiis, quia ipsi, quandocumque vident unum, qui est magnus in artibus vel in alia scientia, statim invident; et hoc, quia ipsi sunt *parvuli,* quia, sicut dicit lob [2], *parvulum occidit invidia,* et ideo quandoque consortia scholarium turbantur. Isti *demoliuntur vineas,* quia non possunt habere celebritatem vel famositatem nominis sui` nisi per detrimentum nominis et per denigrationem famae aliorum; et ideo *vineae,* id est studia, pereunt in multis locis, et in villa Parisiensi satis est turbatum studium per vulpeculas istas; unde dicitur in Nahum: *Infirmatus est Basan et Carmelus, et flos Libani elanguit.* — *Carmelus* interpretatur scientia circumcisionis et significat bonos scholares; *infirmatus est,* quia multi, qui non possunt quieti esse in studio, remanent domo et loco studii sequuntur aves et canes; et isti *male circumcisi sunt; flos Libani* est ipsa scientia, quia fructus studii est in... [3]. Iste flos *pictus* non potest pati, quod tangatur; unde in lob [4]: *Nunquid virere potest scirpus absque humore? Aut crescere carectum sine aqua?* et sequitur: *nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit,* quando scilicet videt, quod non potest ulterius ascendere.

Secundo debemus florere per *continentiam,* ut habeamus puritatem *subtilitatis;* Isaiae trigesimo quinto [5]: *Laetabitur deserta et invia, et exsultabit solitudo et florebit quasi lilium. Germinans germinabit et exsultabit laetabunda.* — Anima *deserta,* inculta et aspera, quia deserit ornamenta saecularia et non vult placere mundo; *et invia,* mundo; *exsultabit solitudo,* quia sibi soli et Deo vacare vult; *et florebit quasi lilium;* haec *laetabitur et exsultabit,* indicibili laetitia, intus et extra, quia ille qui est expertus, non potest dulcedinem illam ore proferre, et inexpertus non potest eam intelligere; simili modo qui mellis dulcedinem vellet alii designare, non posset ei nisi indicando aliquid narrare, nec ille posset scire, quid esset, donec gnsteret. Sic est et hic; qui non est expertus nescit, quid est, sed qui est expertus, ille non potest nisi subticere. *Germinans,* in germine latet virtus seminis, et haec significat virtutem castitatis in anima. — Sed sunt flores *foetidi,* qui impediunt, ne floreamus per florem continentiae, de quibus in Ioele [6]: *Computruerunt iumenta in stercore suo;* et in libro Sapientiae dicunt illi: *Vino pretioso et unguentis nos impleamus, et non praetereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant; nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo nostrum exsors sit luxuriae nostrae; ubique relinquamus signa laetitiae.* — *Vino et unguentis pretiosis,* quantum *ad gulam; nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra,* quia duplex est hic medium inter utrumque, et ideo duo brevia in medio, quia delectationis voluptas brevis est, quia in domibus scholarium varia fercula et vina sunt, ita ut non clerici, sed emptores vinorum iudicentur; et ideo dicit: *vino et unguentis;* et isti fumi, qui de diversis et delicatis cibariis et forti vino ascendunt, ostendunt homines amentes; unde, sicut videmus, quod, quando homines efficiuntur amentes, perfunduntur aqua frigida, sic et isti qui ita delicate nutriuntur, nisi perfunderentur vino forti et sapido, non redirent ad sensum, quia ita torquentur intestina eorum ex istis cibariis; *impleamus,* quia venter... [7], sed varietas fastidium in sensu tollit. *Non nos pertranseat flos temporis,* breve enim est quod delectat, et voluptas est brevis, sicut satis patet in illo qui volebat habere collum gruis, ut diu haberet delectationem cibi et potus; Isaiae vigesimo octavo [8]: *Vae! coronae superbiae, ebriis Ephraim et flori decidenti, gloriae exsultationis eius, qui erant in vertice vallis pinguissimae errantes a vino;* quia dicit . . . . Pompeius, quod edacitas abstulit lumen oculorum Dionysio; sic et isti per varietatem ciborum sensus suos debilitant; unde dicit Fortunatianus [9]: Edacitas cibos terit et oculos vorat.

Tertio debemus florere per *iustitiam,* ut habeamus levitatem *agilitatis,* quia iustitia est virtus, quae omnes circuit; Isaiae decimo septimo [10]: *In die plantationis tuae labrusca, et mane semen tuum florebit,* id est sarmentum inutile, crescens in labiis viarum; et ista sunt materia ignis; *ablata est messis in die hereditatis et dolebit graviter;* et in hoc significatur, quod per *iustitiam* debemus florere; quia has labruscas peccator plantavit, et peccatum est materia et pabulum ignis aeterni. *Et mane,* id est in initio conversionis et gratiae, *semen tuum florebit,* et de se sumendo vindictam, multiplicabitur in bono opere, dolet graviter in contritione ex intuitu hereditatis amissae, et sic *ablata est messis in die hereditatis et dolebit graviter.* — Sed flores *sculpti* impediunt iustitiam. Differentia enim est inter florem *sculptum* et *pictum;* quia flos pictus est planus, sed flos sculptus habet aliquas partes prominentes et significat superbiam; unde in Ezechiele: *Floruit virga, germinavit superbia, iniquitas surrexit*

2 secundo florendo sive per continentiam.

res foetidi impediunt.

De tertio modo florendi, sive per iustitiam.

Flores sculpti impediunt.

---

[1] Scilicet Persius, satyra 5. v. 117: Astutam vapido servas sub pectore vulpem.

[2] Cap. 5, 2; sequitur Nahum 1, 4.

[3] Adest lacuna in codice.

[4] Cap. 8, 11. seq.

[5] Vers. 1. seq.; [6] Cap. 1, 17. et deinde Sap. 2, 7-9.

[7] Quae sequuntur legi non possunt; ita et infra.

[8] Vers. 1. [9] Rhetor saec. III. vel IV.

[10] Vers. 11; sequitur Ezech. 7, 10. seq.

in virga impietatis. — Germinavit virga, per superbiam, *germen*, id est generamen, id est principium aliorum vitiorum, quod est superbia; si enim praecideretur fons, rivuli non emanarent; sic et si fons vitiorum, id est superbia, praecideretur, alia vitia non emanarent. Unde sicut ponuntur stercora circa radicem, ne arbor pereat, et ligna apponuntur igni, ne deficiat ignis; sic etiam, quando materia praebetur superbiae, non cessat, sed potius nutritur et crescit; quia isti superbi induunt sibi bestialem feritatem; quia ex pertinacia, quae est annexa superbiae, superbiam quaerunt. Unde dicebat ille in Daniele [1]: *Ego Nabuchodonosor quietus eram in domo mea et florens in palatio meo. Nonne haec est Babylon magna, quam ego aedificavi in domum regni* etc. Et statim audivit sententiam Domini: *Ab hominibus eiicient te, et cum bestiis et feris erit habitatio tua.* Sic est de multis hodie; quia superbi non sunt homines, sed bestiae. Et iste est flos *iniustitiae.* Imperator Traianus [2] dixit, qui erat mitissimus praeter Titum paganum, quod irruerunt in eum milites sui: Insanum dixerim hominem, qui, cum habeat oculos
Hortatio. lippientes, malit eos effodere quam curare. — In hoc enim ostenditur, quomodo praelati debent se habere erga subditos; quia videmus, quod isti citharoedae chordas suas ita protendunt, quod nec nimis sunt extensae nec nimis remissae. Quanto magis praelati hoc debent facere, ut non sint nimis austeri nec nimis remissi; et tamen securius est, esse aliquantulum remissum quam nimis austerum [3], ne chorda rumpatur; unde isti qui violenter per omnia volunt procedere, hoc non attendunt; unde, sicut videmus, quod, si ramus arboris nimium deflectatur in terram manu tenentis, quam cito deseritur, iterum redit; sic est et de istis.

Quarto debemus florere per *patientiam*, ut ha-
De quarto modo florendi, sive per patientiam. beamus sanctitatem *impassibilitatis*, de qua potest
Flores aridi impediunt. dici illud Psalmi [4]: *Super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.* — Sed sunt quidam flores *aridi;* quia patientia impeditur per avaritiam, quia avari non compatiuntur. Unde Iacobi primo: *Glorietur frater humilis in exaltatione sua, dives autem in humilitate sua;* et sequitur: *Exortus est sol cum ardore et arefecit foenum, et flos eius decidit; et decor vultus eius deperiit; ita et dives in itineribus suis marcescet. — Frater humilis,* id est pauper, *glorietur*, quia, si ego essem in saeculo, et Christus esset in carne, et ego haberem, unde possem ei necessaria ministrare, mallem omnia dimittere et sequi eum, quam esse in saeculo et ministrare sibi necessaria; et hoc est quod dicit Augustinus in libro de Bono coniugali [5]: « Bene fecerunt qui Christo Domino circa necessaria providerunt, sed melius fecerunt qui omnia dimiserunt, ut Christum expeditius sequerentur ». Eleemosyna de propriis melior est quam de fortuitis; quia cupiditas hominum valorem rebus imposuit vel opinio; quia, si opinio hominum vellet, stannum valeret sicut aurum vel argentum. Et quia isti flores sic impediuntur, ideo concludit Aggaeus [6]: *Vinea et ficus et malogranatum et lignum olivae non floruit,* quantum ad haec quatuor. — Et sic patet, quod debemus florere, et quae impediunt, ne floreamus.

Schema praecedentis sermonis [7].

Item, sermo fratris Bonaventurae in Conventu Tolosae.

Refloruit caro mea, Psalmus [8].

In hoc verbo Psalmista in persona Christi re-
Divisio. surgentis duo facit: aperit enim primo *poenalitatem assumtae conditionis* sub ratione *carnis* fragilitatem habentis; secundo, *iucunditatem gloriosae resurrectionis* sub ratione *floris* venustatem continentis.

Carnis de foetus 4.

I. Circa primum nota, quod caro ex primae corruptionis origine, iuxta quod experimur et ex Scriptura colligimus, habet *opacitatem, foeditatem, gravitatem, infirmitatem;* e contrario flos habet ex parte *formae speciositatem*, ex parte *materiae puritatem*, ex parte *ponderis levitatem*, ex parte *originis suavitatem. Speciositas* autem floris indicat in carne Christi resurgente dotem *claritatis* contra opacitatem; *puritas*, dotem *subtilitatis* contra impuritatem; *levitas*, dotem *agilitatis* contra gravitatem; *suavitas* autem sanitatis, quae ex virtute floris oritur, dotem *impassibilitatis* contra infirmitatem.

Caro in surrectio comparat & floribu

II. Floruit igitur caro resurgentis: sicut *rosa* per formositatem *claritatis;* Ecclesiastici quinquagesimo [9]: *Quasi flos rosarum in diebus vernis.* — Sicut *lilium* per sinceritatem *subtilitatis;* Isaiae trigesimo quinto: *Exultabit solitudo et florebit quasi lilium germinans germinabit* etc. — Sicut *amygdalus* per simplicitatem *agilitatis;* Ecclesiastae duodecimo: *Florebit amygdalus* etc. — Sicut *palma* per virtutem *impassibilitatis;* Psalmus [10]: *Iustus ut palma florebit.*

Dotes q toor Chr resurgen praedicat in Script

Dotem *claritatis* in Christo resurgente praedicavit Marcus, dicens capite decimo sexto [11], visum fuisse *iuvenem in dextris* sepulcri, *coopertum stola candida.* — Dotem *subtilitatis* praedicavit Ioannes, capite vigesimo dicens, eum ingressum ad *discipulos ianuis clausis.* — Dotem *agilitatis* Lucas, capite vigesimo quarto dicens, eum *evanuisse ex oculis discipulorum* in Emmaus. — Dotem *impassibilitatis* Matthaeus [12], capite ultimo dicens, datam *ei omnem potestatem in caelo et in terra.*

[1] Cap. 4, l. 27. 29.
[2] Locus frustra quaesitus.
[3] Cfr. tom. VIII, de Sex Alis Seraphim, c. 6. n. 17.
[4] Psalm. 131, 18; sequitur Iac. 1, 9-11.
[5] Cap. 8.
[6] Cap. 2, 20.
[7] Ex A fol. 117 r. et B fol. 42 r.
[8] Psalm. 27, 7.
[9] Vers. 8; sequuntur Isai. 35, 1. seq. et Eccle. 12, 5.
[10] Psalm. 91, 13.
[11] Vers. 5; sequuntur Ioan. 20, 26. et Luc. 24, 31.
[12] Cap. 28, 18.

Spiritualiter autem exemplo eius debemus obtinere: *speciositatem* claritatis florendo per sapientiam; Canticorum secundo [1]: *Flores apparuerunt in terra nostra.* — *Puritatem* subtilitatis florendo per temperantiam; Canticorum primo: *Lectulus noster floridus.* — *Levitatem* agilitatis florendo per iustitiam; Canticorum secundo [2]: *Ego flos campi* etc. — *Sanitatem* sive impassibilitatem florendo per patientiam; Psalmus: *Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt.*

Tres quasdam dilectiones spiritaliter.

DOMINICA IN ALBIS.

Sermo I [3].

Gavisi sunt discipuli, viso Domino, Ioannis vigesimo [4].

Quoniam, sicut in alicuius cari amissione magna est desolatio, ita in eius recuperatione magna est consolatio; hinc est, quod Apostoli, dolentes de amissione corporalis praesentiae Filii Dei, quem plus quam se et super omnia diligebant, cum iam eum cernunt visu corporeo a mortuis resurrexisse, *gavisi sunt gaudio magno.* Sed quia homo, nisi primo habeat timorem filialis reverentiae, deinde splendorem caelestis intelligentiae, non potest experiri gaudium et dulcedinem spiritualis laetitiae; ideo ad hoc, ut recto ordine littera construatur, primo in verbo proposito notatur *subiectio reverentiae et humilitatis;* secundo, *contemplatio divinae maiestatis;* tertio, *oblectatio internae iucunditatis.* Subiectio reverentiae et humilitatis notatur, cum dicitur: *Discipuli,* non magistri, non domini, non socii; contemplatio divinae maiestatis notatur, cum subditur: *viso Domino;* oblectatio internae iucunditatis notatur, cum subinfertur: *gavisi sunt.*

Reductio.

Divisio.

I. Primo ergo notatur in proposito verbo *subiectio reverentiae et humilitatis,* cum dicitur: *Discipuli.* Illi autem sunt reverentes et discipuli subiecti Christo, qui secundum Christum et eius exemplar et secundum eius doctrinam vivunt et vitam salutarem regulant. Vita et doctrina boni magistri, Iesu Christi, docet, quemlibet suum discipulum habere primo, *humilitatem* fidelis obedientiae respectu mundi contemnendi; secundo, *confoederationem* caritatis et benevolentiae respectu proximi diligendi; tertio, *perpetuationem* finalis perseverantiae respectu boni inchoati continuandi. Et haec tria necessaria sunt cuilibet adulto ad salutem.

I. De subiectione humili.

Subdivisio.

Primo esse in discipulo oportet *humiliationem fidelis obedientiae* respectu mundi contemnendi; Lucae decimo quarto [5]: *Omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus.* Magister sapiens, Christus, dat necessariam salutis cuilibet Christiano doctrinam, cum dicit: Nisi quis *renuntiat omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus.* Et licet non teneamur omnia, quae possidemus, relinquere, sive pauperibus erogare et ad exemplum Christi ostiatim mendicare, sive in monasterio Deo servire, nisi perfecti, qui astricti sunt voto paupertatis; tamen omnes tenemur renuntiare omnibus, quae possidemus, affectu, secundum illud Psalmi: *Divitiae si affluant, nolite cor apponere,* ut sic, exstirpata de corde *cupiditate, quae est radix omnium malorum,* plantetur paupertas, quae est primarium fundamentum omnium virtutum.

3 membro primo.

Secundo in discipulo Christi debet esse *confoederatio caritatis et benevolentiae* respectu proximi diligendi; et de hoc dicit Dominus Ioannis decimo tertio [6]: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* — *Mandatum* de dilectione, licet sit vetus quantum ad lationis antiquitatem, dicitur tamen *novum* quantum ad obligationis firmitatem; unde, ne crederetur dispensabile propter antiquitatem lationis, addidit Dominus novitatem obligationis, cum dicit: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos;* quia maius signum dilectionis non potuit nobis dare, quam *ut pro nobis animam suam poneret.* Sed quia signum veri discipuli, imitantis Christum est confoederatio mutuae dilectionis, ideo addit: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Illud ergo mandatum sive praeceptum adeo Dominus de novo firmavit, ut ratione suae firmae obligationis cum nullo dispensetur. Unde Bernardus in tertio de Consideratione [7] dicit, quod « ratio dispensationis in praeceptis est evidens necessitas, vel communis utilitas. Ubi autem necessitas urget, dispensatio est excusabilis; sed ubi communis utilitas non provocat, dispensatio est inexcusabilis ». Cum ergo habere odium nulli sit utile, sed nocivum et mortale peccatum, « nec unquam in veritate de diligendis inimicis propter aliquam necessitatem potest aliquis se excusare », secundum beatum Augustinum; quia non generat capiti vertiginem, non dolorem, non stomacho torsionem vel constipationem sive aliquam

2 De secundo.

Notandum.

[1] Vers. 12; sequitur c. 1, 15.

[2] Vers. 1; sequitur Ps. 91, 13.

[3] Habetur in Vaticana et C D E F et in cod. Tudertino n. 104. fol. 163 v. et brevius in cod. O (in bibliotheca civitatis Zwickau).

[4] Vers. 20. — Deest Prothema.

[5] Vers. 33; sequuntur Ps. 61, 11. et 1. Tim. 6, 10.

[6] Vers. 34. seq.; dein respicitur c. 10, 15.

[7] Cap. 4. n. 18. — Sequitur August., serm. 225. in appendice (alias 47. de Sanctis), n. 3.

passionem, non corporis debilitatem, sicut forte faceret vigilia vel ieiunium, non inducit egestatem, sicut posset facere abrenuntiatio mundanae prosperitatis: ideo non fuit conveniens, ut cum aliquo dispensaretur, sed omnes tenemur invicem diligere.

De membro tertio. Tertio in discipulo Christi esse debet *perseverantiae finalis* respectu boni inchoati continuandi; et de hoc dicitur Ioannis octavo [1]: *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis. Et* vos *cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.* — Ille est *verus discipulus Christi,* qui semper *manet in* eius doctrina et *sermone,* nec unquam per aliquam tentationem separatur ab eius dilectione nec unquam quibuslibet damnis, opprobriis et suppliciis illatis cessat ab eius nominis confessione, quia tunc meretur illuminari a prima Veritate. Et hoc est quod dicit: *Cognoscetis veritatem,* adiuvati a divina virtute sive potestate; et hoc est quod subdit: *veritas liberabit vos,* ab omni adversitate, et nihilominus meretur praemiari a divina bonitate.

II. Secundo sequitur *contemplatio divinae ma-*
Pars II. De contemplatione Dei. *iestatis,* cum subditur: *viso Domino.* Viderunt sive contemplati sunt Apostoli divinam maiestatem triplici
Subdivisio. modo: nam primo viderunt *in mundana creatura* Dominum eminentem proprietatibus; secundo viderunt Dominum *in assumpta natura* resurgentem cum cicatricibus; tertio viderunt Dominum *in propria conscientia* regnantem in caelestibus. Per primam visionem, appropriate loquendo, illuminati fuerunt aenigmatica cognitione ad intelligendum, divinam potentiam omnium esse creatricem; per secundam visionem illuminati et informati fuerunt ecclesiastica fide ad credendum, divinam sapientiam esse omnium reparatricem; per tertiam visionem elevati fuerunt ecstatica dilectione ad cernendum, divinam clementiam esse omnium remuneratricem.

De membro primo. Primo viderunt Dominum Christum *Creatorem in mundana creatura eminentem proprietatibus.* Et de hoc dicitur Sapientiae decimo tertio [2]: *A magnitudine enim speciei et creaturae cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Videmus enim *invisibilia Dei per ea quae facta sunt,* cum elevamur a cognitione creaturae ad cognitionem Dei quasi per scalam mediam, secundum Bernardum [3]: « Magnitudo enim et pulcritudo creaturae clamat magnitudinem et speciem Creatoris ». Nam sapientia artificis manifestatur in opere et relucet in effectu; unde David [4]: *Caeli enarrant gloriam Dei.* Unde Damascenus: « *Enarrant caeli gloriam Dei,* non quod eiusmodi vocem mittant, quae auribus sensibilibus percipiatur, sed ex propria magnitudine Conditoris virtutem nobis ostendentes; quorum inspecta pulcritudine excogitantes, Factorem sicut optimum artificem admiramur et glorificamus ». Et propter hoc non est sistendum in pulcritudine creaturae, sed per eam est tendendum in summum Creatorem; alioquin faceret de via terminum, quod est summa perversio et abusio. Unde Augustinus de Libero Arbitrio [5]: « Vae illis! qui dereliquerunt te ducem et oberrant in vestigiis tuis, qui nutus tuos pro te amant et obliviscuntur, quid innuant ».

De secund Secundo viderunt Dominum Iesum Christum *Redemptorem* omnium in *natura assumpta resurgentem cum cicatricibus;* et de hoc dicitur Lucae ultimo [6]: *Videte manus meas et pedes, quia ego ipse sum.* Dominus noster Iesus Christus ad hoc voluit divina dispensatione cicatrices, quas in passione recepit, retinere post glorificationem in suo corpore et discipulis demonstrare, ut probaret identitatem sui corporis patientis et resurgentis. Nam si idem servatur accidens sive cicatrices, necesse est, idem esse corpus sive subiectum; impossibile est enim, accidens mutare subiectum [7]. Et propter hoc Dominus primo proponebat ad videndum manus, in quibus servatae erant cicatrices, cum dicebat: *Videte manus meas;* deinde concludebat identitatem corporis patientis et resurgentis, cum addebat: *quia ego ipse sum,* qui passus fui, non alius. De ista visione similiter dicitur Ioannis vigesimo [8]: *Infer digitum tuum huc et vide manus meas et affer manum tuam et mitte in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis.* Unde dicit Gregorius: « Minus mihi profuit Maria Magdalene, quae citius credidit, quam Thomas, qui diu dubitavit. Ille enim dubitando cicatrices tetigit et de nostro pectore dubietatis vulnus amputavit, quia *beati qui non viderunt et crediderunt* [9] ».

De tertio. Tertio viderunt Dominum Iesum Christum omnium *Remuneratorem in propria conscientia regnantem in caelestibus.* Et de hoc dicitur Matthaei quinto [10]: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Ecce, quod ad videndum Deum in propria conscientia requiritur puritas conscientiae. Unde Augustinus, libro decimo quarto de Trinitate: « In agnitione Dei institiaqne et sanctitate veritatis qui *de die in diem* proficiendo *renovatur,* transfert amorem a temporalibus ad aeterna, a carnalibus ad spiritualia, a visibilibus ad intelligibilia ». Et non solum ad divinam visionem requiritur purgatio a peccato, sed etiam abstractio ab amore mundano, secundum illud Psalmi [11]: *Vacate et videte, quoniam suavis est Dominus.* — *Vacate,* ab operibus et desideriis saecularibus per quietationem mentis; *et videte,* Dominum in propria conscientia per excessum contemplationis; *quoniam suavis est Dominus,* propter dulcedinem

---

[1] Vers. 31.
[2] Vers. 5; sequitur Rom. 1, 20.
[3] Libr. V. de Consid. c. 1. n. 1.
[4] Psalm. 18, 2. — Sequitur Damasc., II. de Fide orthod. c. 6.
[5] Libr. II. c. 16. n. 43. [6] Cap. 24, 39.
[7] Cfr. tom. I. pag. 462, nota 11.
[8] Vers. 27. — Sequitur Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 29. n. 1.
[9] Ioan. 20, 29.
[10] Vers. 8. — Sequitur August., XIV. de Trin. c. 17. n. 23, ubi respicitur II. Cor. 4, 16.
[11] Psalm. 45, 11. et 33, 9.

sapientialis oblectationis, quam quidem dulcedinem experitur anima, quando eius affectus est purgatus a peccatorum foeditatibus, eius intellectus abstractus a sensibilibus speciebus, a phantasticis imaginibus et philosophicis rationibus. Unde Augustinus de Trinitate [1]: « Haec visio rapit sui desiderio omnem animam, tanto ardentiorem quanto mundiorem, et tanto mundiorem quanto ad spiritualia assurgentem, et tanto ad spiritualia assurgentem quanto a carnalibus morientem ».

III. Tertio notatur *internae iucunditatis oblectatio*, cum subinfertur: *gavisi sunt*, quia illud gaudium sapientialis oblectationis nullus potest experiri nisi prius, appropriate loquendo, a sapientia Filii illuminetur, deinde a potentia Patris in filium adoptetur et postea deliciis Spiritus sancti repleatur. Ideo Apostoli et eius imitatores ad hoc, ut haberent perfectum gaudium internae oblectationis, *gavisi sunt* primo, de *cognitione* primae Veritatis; secundo, de *acquisitione* perpetuae hereditatis; tertio, de *praegustatione*-divinae suavitatis. Ratione primi eorum gaudium fuit verum per amotionem falsi; ratione secundi eorum gaudium fuit perpetuum per exclusionem termini; ratione tertii eorum gaudium fuit plenum propter completionem desiderii.

Primo *gavisi sunt veraciter* sine admixtione falsi *in cognitione primae veritatis*. Et de hoc dicitur Ieremiae decimo quinto [2]: *Factum est mihi verbum tuum in gaudium et in laetitiam cordis mei.* Verbum divinum, postquam perfecta fide creditur, ita miro modo delectat, cum intelligitur, ut *fiat in gaudium et laetitiam cordis* intelligentis. Unde Bernardus [3]: « Nihil libentius intelligimus, quam quod credimus fide », cum tamen homo non assentiat primae veritati propter rationem, sed solum propter eius amorem, quia tunc ratio humana non evacuat meritum, sed auget cordis solatium.

Secundo *gavisi sunt perpetualiter* sine praefinitione termini *de acquisitione perpetuae hereditatis*. Et de hoc dicitur Lucae decimo [4]: *Gaudete et exsultate, quod nomina vestra scripta sunt in caelis;* Glossa: « Sive caelestia, sive terrestria opera quis gesserit, per haec quasi litteris annotatus, apud Dei memoriam aeternaliter est affixus ». Cum ergo discipuli Christi gerant opera caelestia, et eorum *conversatio in caelis sit* [5]; merito attribuuntur regno perpetuo, ad cuius memoriam tota anima gaudet in praesenti secundum rectitudinem fidei et exspectationem spei; odor enim illius supernae hereditatis omnem animam ad gaudendum trahit, eo quod in ea concupiscentias excitat aeternales.

Tertio *gavisi sunt superessentialiter* in completione desiderii *cum degustatione divinae suavitatis;* et de hoc dicitur Isaiae ultimo [6]: *Gaudete cum Ierusalem gaudio universi, qui lugetis super eam, ut sugatis et repleamini ab ubere consolationis eius, ut mulgeatis et deliciis affluatis.* — Qui enim volunt devenire ad excessum contemplationis prius debent se per lamenta poenitentiae exercere in statu actionis, quia tunc anima contemplativa tantam dulcedinem gratiae *suget ab uberibus consolationis* Spiritus sancti, ut tota repleta et perfusa supra humana in caelestibus elevetur et supra se ipsam in sublimitatibus suspendatur et a se ipsa alienetur et tanto interno tripudio delectetur et iucundetur, ut magis ebria quam sobria videatur. Unde et sacra Scriptura quandoque illam dulcedinem *gustum* appellat, quandoque *ebrietatem* vocat. Ideo, si Deus modica stilla, de illo torrente tantae dulcedinis dilapsa et distillata menti humanae, ita perfecte inebriat, quid erit, quando anima totaliter absorbebitur et inebriabitur in illo pelago infinitae felicitatis? Cum ergo in una gutta perfecte anima liquescit, dulcoratur et iucundatur, ut non possit exprimi neque narrari; multo minus tota abyssus poterit cognosci. Unde Chrysostomus [7]: « Gaudeamus nos meriti magnitudine donorum, quae hic accipimus et quae illuc exspectamus ». Rogemus ergo etc.

Sermo II [8].

Dominica in octava Paschae. Sermo fratris Bonaventurae Fratribus Parisius, in Capitulo de mane.

Omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum, primae Ioannis quinto [9].

Duae propositiones in brevi verbo isto tanguntur, scilicet una *universalis*, mittens ad originale principium recognoscendum, cum dicitur: *Omne, quod natum est ex Deo,* per conformitatem; altera *particularis*, mittens ad verum mundi huius contemptum, cum additur: *vincit mundum*, per virtutem.

Circa totum nota, quod nos, qui *sumus ex Deo nati*, per gratiam regenerantem, debemus *vincere mundum*, id est mundi *stoliditatem*, per fidei veritatem; Ioannis primo [10]: *Dedit eis potestatem, filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* — *Fragilitatem*, per spei stabilitatem; Ioannis decimo sexto: *Mulier, cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius; cum autem peperierit puerum, iam non*

De tertio.

I. De oblectatione primae inchoatae.

Subdivisio.

membro primo.

secundo.

Divisio.

Victoria de mundo quadreplex.

---

[1] Libr. II. c. 17. n. 28. — De hac secunda parte sermonis conferatur supra serm. I. in Nativ. Dom. pars III. [2] Vers. 16.
[3] Libr. V. de Consid. c. 3. n. 6: Nihil autem malumus scire, quam quae fide iam scimus.
[4] Vers. 20. — Sequitur Glossa *ordinaria* (ex Beda in hunc locum).
[5] Phil. 3, 20. [6] Cap. 66, 10. seq.
[7] Cfr. Sermo in illud Isaiae 62: *Gaude Sion* (alias de adventu Domini), ed. Veneta 1583 tom. I. fol. 445.
[8] Ex A fol. 117 v. et B fol. 43.
[9] Vers. 4.
[10] Vers. 12. seq.; sequuntur c. 16, 21. et 3, 6.

meminit pressurae propter gaudium, quia natus est homo in mundum. — Malignitatem, per Spiritus sancti caritatem; Ioannis tertio: *Quod natum est ex carne caro est, et quod natum est ex spiritu spiritus est. — Ingratitudinem*, per gratiarum actionem; primae Petri primo [1]: *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis* etc.

Sermo III [2].

Item, sermo fratris Bonaventurae coram rege et regina Franciae et familia tota, in capella.

Pax vobis, Ioannis vigesimo [3].

Verbum est veri Samsonis et exemplum veri leonis, de quo defuncto comedenti *egressa est dulcedo* haec. In hoc verbo, in quo discipulis pacem annuntiat, pacem optat, ad pacem invitat, secundum quod haec verba possunt tripliciter accipi, scilicet *indicative*, et sic est verbum reconciliationis perfectae; *optative*, et sic est verbum dilectionis eximiae; *hortative*, et sic est verbum informationis salutiferae. Divisio.

Secundum primum modum annuntiat Christus resurgens pacem *reconciliationis* inimicitiae habitae inter hominem et Deum propter praecepti transgressionem; inter hominem et Angelum propter impeditam Angelorum restaurationem; inter hominem et hominem propter diversarum legum aemulationem. Christus autem fecit hanc triplicem pacem: primam ut mediator, secundam ut pacis emptor, tertiam ut lapis angularis. Propter quae Christus ter dicit in Evangelio hodierno: *Pax vobis.* — Secundum modum autem secundum optat eis pacem *unionis* sive tranquillitatis cordis, quam in testimonio reliquerat, qua quidem nihil pretiosius ad acquirendum, nihil delectabilius ad possidendum, nihil felicius ad conservandum. Propter quae tria, Ioannis decimo quarto [4], in sermone ter pacem nominavit et eis recommendavit dicens: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis; ut in me pacem habeatis, in mundo pressuram habebitis.* — Secundum tertium modum hortatur eos ad pacem *conversationis*, quae quidem consistit in custodiendo se a noxiis vitiis; Psalmus [5]: *Pax multa diligentibus legem tuam;* ad Romanos decimo quinto: *Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo.* — In conformando se ceteris; Matthaei quinto: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* — In neminem laedendo verbis aut factis; tertii Regum secundo [6]: *Pacificusne est ingressus tuus? Qui respondit: Pacificus.* De modo primo tria. De secundo tria. De tertio tria.

Sermo IV [7].

Item, sermo fratris Bonaventurae apud Carcassonam.

Gavisi sunt discipuli, viso Domino, Ioannis vigesimo [8].

In verbis his tria nota, quae a Christo apparente et resurgente veri humiles consequuntur, scilicet gratiae *sanctitas* disponens ad informationem, ibi: *Discipuli; intelligentiae puritas* erigens ad contemplationem, ibi: *viso Domino; conscientiae iucunditas* laetificans ad delectationem per caritatem, ibi: *gavisi sunt.* Ad informationem autem disponimur per humilitatem, ad contemplationem per veritatem, ad delectationem per caritatem. In discipulatu in exemplum proponimur quoad effectum, in visione quoad intellectum, in gaudio quoad affectum [9]. Divisio.

I. Commendantur ergo viri apostolici ab humilitate sive *gratiae sanctitate*, cum dicitur: *Discipuli.* Verus autem discipulus defectus suos corrigit libenter, se subiicit humiliter, praeceptum exsequitur ferventer; quae tria ipsi fecerunt. Nam fuerunt poenitentiae *austeritate* rigidi, *humilitate* praediti, *caritate* fervidi. Nam *austeritate* corpus proprium macerabant, compatientes Christo patienti; Lucae decimo quarto [10]: *Qui non baiulat crucem suam et* sequitur me *non potest meus esse discipulus. — Humilitate* se contemptibiles reputabant, conformantes se Christo conversanti; Matthaei quinto: *Cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius. — Caritate* alios verbis et exemplis mirabiliter aedificabant et confortabant, configurantes se Christo praedicanti; Ioannis decimo tertio: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Pars I. D triplici sa ctitatis exe citio.

II. Circa secundum nota, quod veri discipuli Christi *vident* eum continue: ut *doctorem* in mundo per vitae conversationem; Isaiae trigesimo [11]: *Erunt oculi tui videntes praeceptorem tuum. —* Ut *pontificem* in patibulo per carnis oblationem; secundi Machabaeorum tertio: *Iam vero qui videbat summi sacerdotis vultum mente vulnerabatur. —* Ut *regem* in caelo per instorum remuneration em; Isaiae sexto: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum* etc. Pars II. V sio triple

III. Circa tertium nota, quod *gaudent* veri discipuli: de *puritate* et tranquillitate conscientiae contra voluptuosos; Ecclesiastici trigesimo [12]: *Non est* Pars III. Gaudium quadruplex

---

[1] Vers. 3.
[2] Ex A fol. 118 r. et B fol. 43.
[3] Vers. 19. Infra cfr. Ind. 14, 14.
[4] Vers. 27. et dein c. 16, 33.
[5] Psalm. 118, 165; sequuntur Rom. 15, 13. et Matth. 5, 9.
[6] Vers. 13.
[7] Ex A fol. 118 r. et B fol. 44 r. — Cfr. supra sermo 1.
[8] Vers. 20.
[9] Verba, quae praecedunt: *Ad informationem* etc. sumta sunt ex B.
[10] Vers. 27; sequuntur Matth. 5, 1. et Ioan. 13, 35.
[11] Vers. 20; sequuntur II. Mach. 3, 16. et Isai. 6, 1.
[12] Vers. 16; sequuntur Act. 5, 41. et Prov. 21, 15.

oblectamentum super cordis gaudium. — De *longanimitate* patientiae contra iracundos; Actuum quinto: *Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* — De *veritate* iustitiae contra avaros; Proverbiorum vigesimo primo: *Gaudium iusto est facere iudicium.* — De *suavitate* repromissae gloriae contra desperatos; Lucae decimo [1]: *Gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in caelis.*

Sermo V [2].

Item, sermo fratris Bonaventurae in Conventu Fratrum de Eugubio, ad omnem clerum et populum.

Cum essent discipuli congregati in unum propter metum Iudaeorum, venit Iesus et stetit in medio et dixit eis: Pax vobis, Ioannis vigesimo [3].

In verbis istis tangitur contra impetum pericu- Divisio.
lorum imminentium ex infestatione perversorum duplex remedium, unum scilicet ex parte nostra, *cautela* scilicet *providentiae* praecaventis, ne videamur Deum tentare; aliud scilicet ex parte Dei, *assistentia* videlicet *gratiae* adiuvantis, ne contingat succumbere.

Cautela autem habetur per consilium, consi- De cautela tria.
lium autem per varietatem sententiarum orientium ex varietate sensuum, et hoc per congregationem sapientium. Oportet autem, quod congregatio sit *laudabilis* per congruentiam personarum congregatarum, quod designatur, cum dicitur: *discipuli. Unanimis* per concordantiam voluntatum, quod designatur, cum dicitur: *in unum. Perutilis* per sapientiam agendorum, quod designatur, cum dicitur: *propter metum Iudaeorum.* — *Assistentia* autem *gratiae* adiuvantis e assisten- tia tria.
designatur in Christo stante et pacem annuntiante; qui quidem, quoniam est princeps excellens, ideo *stat;* magister sapiens, ideo *in medio;* pontifex clemens et consilians, ideo *pacem annuntiat.*

I. Circa primum nota, quod ad hoc, quod ali- Pare I. in discipulo requiruntur quatuor.
quis sit idoneus ad congregationem, oportet, quod sit *discipulus.* Ad discipulum autem spectat *veritatem audire* et ei assentire; Lucae octavo [4]: *Interrogabant autem eum discipuli eius, quae esset haec parabola.* — *Vanitatem contemnere* et eam fugere; Lucae decimo quarto: *Qui non renuntiat omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus.* — *Bonitatem amare* et eam propalare; Ioannis decimo tertio: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* — *Divinam legem* zelare et eam defensare et pro ea pugnare; Ioannis secundo [5]: *Recordati sunt discipuli eius, quia scriptum est: Zelus domus tuae comedit me.*

II. Circa secundum nota, quod *stat* Christus Pars II. Christi effectus 4.
ad *promulgandum* perfectionis edicta; Lucae sexto [6]: *Stetit in loco campestri* etc. *Et elevatis oculis in discipulos suos, dicebat: Beati pauperes* etc. — Ad *decernendum* iudicia universa; Isaiae tertio: *Stat ad iudicandum Dominus et stat ad iudicandos populos.* — Ad *largiendum* aeterna donativa; Ioannis septimo: *Stabat Iesus et clamabat dicens: Si quis sitit, veniat ad me et bibat.* — Ad *praestandum* tribulatis auxilia; Actuum septimo [7]: *Video caelos apertos et Filium hominis stantem a dextris Dei.*

III. Circa tertium nota, quod est *pax* quantum Pars III. Pax triplex.
ad id quod est *supra nos,* et hanc habemus per impletionem mandatorum; Psalmus [8]: *Pax multa diligentibus legem tuam.* — *Infra nos,* et hanc habemus per refrenationem carnalium incentivorum; Ioannis decimo quarto: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis;* Iob quinto: *Bestiae terrae pacificae erunt tibi.* — *Intra nos,* et hanc habemus per cessationem mundialium tribulationum; Isaiae trigesimo nono [9]: *Fiat pax tantum et veritas in diebus meis.*

Item nota, quod est pax *internae conscientiae* Alia pacie divisio.
bene testificantis; Matthaei quinto [10]: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* — *Supernae benevolentiae* bene approbantis; ad Romanos decimo quinto: *Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo* etc. — *Aeternae congaudentiae* summe beatificantis; Isaiae trigesimo secundo: *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis* etc.

DOMINICA II. POST PASCHA.

Sermo I [11].

Ego sum pastor bonus, bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis, Ioannis decimo [12].

Dominus noster Iesus Christus, pastor trium- Introductio.
phantis et militantis Ecclesiae, ad modum cuiuslibet boni pastoris, amissa ove humana, collocans angelicum gregem in deserto divinae oblectabilitatis, induit vestimentum humanae carnis et tamdiu perditam ovem visibiliter quaesivit, quousque inter hiatum daemonum invenit. Ut eam a morsibus eorum liberaret, proprium corpus morti exposuit, ut sic

[1] Vers. 20.
[2] Ex A fol. 148 v. [3] Vers. 19.
[4] Vers. 9; sequuntur c. 14, 33. et Ioan. 13, 35.
[5] Ioan. 2, 17; cfr. Ps. 68, 10.
[6] Vers. 17. 20; sequuntur Isai. 3, 13. et Ioan. 7, 37.
[7] Vers. 55.
[8] Psalm. 118, 165; sequuntur Ioan. 14, 27. et Iob 5, 23.
[9] Vers. 8.
[10] Vers. 9; sequuntur Rom. 15, 13. et Isai. 32, 18.
[11] Ex Vaticana et C D E F, qui sermo magis contracte invenitur in cod. Tudertino n. 104. fol. 168 r. et brevissime in O.
[12] Vers. 11. — Prothema deest in C.

inventam et liberatam ad ovile caelestis patriae reduceret et una cum grege angelico in quiete gloriae collocaret. Sed quia ad bonum pastorem pertinet erga suum gregem primo habere *sollicitudinem vigilantiae* in custodiendo, deinde *affectum benevolentiae* in fovendo vel nutriendo, postea *discretionem prudentiae* pro ovibus propriis sumtibus expendendo; ideo in verbo proposito ostenditur nobis bonus pastor, Christus imitabilis [1] et commendabilis a tribus praedictis conditionibus. Primo namque commendatur a *sollicitudine vigilantiae* in exsecutione pastoralis officii; secundo, a *latitudine benevolentiae* in expositione corporis proprii; tertio, a *discretione prudentiae* in liberatione sui gregis, non alieni. — Primo commendatur bonus pastor Christus a sollicitudine vigilantiae *in exsecutione pastoralis officii*, cum dicit: *Pastor bonus*. Bonitas enim pastoris ostenditur, cum sollicite vigilat et custodit gregem suum. Secundo commendatur a latitudine benevolentiae *in expositione corporis proprii*, cum subdit: *animam suam dat*. Magnus enim signum dilectionis et benevolentiae non potest pastor erga suum gregem ostendere, quam ut pro eius defensione et liberatione proprium corpus morti exponat. Tertio commendatur a discretione prudentiae *in defensione et liberatione sui gregis*, non alieni, cum subinfert: *pro ovibus suis* [2], per conformitatem imitationis; non *alieni*, per infidelitatem erroris.

Divisio.

I. Dicit ergo: *Bonus pastor*, ubi commendatur a *diligenti exsecutione pastoralis officii*. Ille enim pastor diligenter suum officium exercet, secundum quod evidentia facti manifestat, qui sua animalia primo *erudit* et domesticat exteriori verbo; secundo *pascit* et sustentat corporali subsidio; tertio *custodit* et defensat virili praesidio. Per hunc modum bonus pastor Ecclesiae, Christus, humanum gregem *erudit* documento salutaris eruditionis vel praedicationis; secundo *pascit* subsidio sacramentalis refectionis; tertio *defendit* praesidio virilis protectionis. Per primum autem illuminatur quantum ad *intellectivam*, per secundum dulcoratur et quietatur quantum ad *affectivam*, per tertium roboratur quantum ad *effectivam*.

Pars I.

Subdivisio.

Primo pastor Christus *erudit utili documento salutaris praedicationis* illuminando *intellectivam*. Et de hoc dicitur Ecclesiastici decimo octavo [3]: *Qui misericordiam habet docet et erudit quasi pastor gregem suum*. Quia Domini nostri Iesu Christi doctrina debet esse tota ad benignitatem misericordiae et caritatem benevolentiae, ideo est facilis ad intelligendum, brevis et utilis ad faciendum. Unde Dominus noster Iesus Christus propter nimiam dulcedinem suae misericordiae et caritatem benevolentiae, quam habet erga suum gregem, docet eum verbo doctrinae et erudit exemplo vitae; et hoc, quia docere solo verbo est vanum, erudire solo exemplo est parum, sed utroque modo est perfectum [4]. — Doctrina enim huius pastoris debet imprimi cordibus praelatorum, sicut forma sigilli imprimitur cerae, ut possint eam verbo et exemplo describere in cordibus subditorum; unde de bonis praelatis dicitur Ieremiae tertio [5]: *Dabo vobis pastores iuxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina*. Tunc praelati praesunt secundum divinae voluntatis beneplacitum, quando *pascunt* gregem suum *scientia* quantum ad verbum, *doctrina* quantum ad exemplum, eo quod plus movent operum exempla quam verba; unde Gregorius in Pastorali: « Sit rector operatione praecipuus, ut vitae viam subditis vivendo denuntiet, et grex, qui pastoris vocem moresque sequitur, per exempla melius quam per verba gradiatur ».

Horatio ad praelatos.

De membro primo.

Secundo pastor Christus *pascit nos oblectabili subsidio sapientialis refectionis* dulcorando *affectivam*. Unde licet Christus in quantum Verbum *increatum*, supportans universa, pascat supermentaliter [6] sublimando ad sapientiam; in quantum Verbum *inspiratum*, sustentans intellectualia, pascat spiritualiter informando ad iustitiam; tamen in quantum Verbum *incarnatum*, restaurans humana, pascit sacramentaliter reficiendo per gratiam. — Et iste triplex pastus est necessarius homini ad hoc, ut perfecte pascatur. Nam in homine est *spiritus*, *motus* et *sensus*. Ad hoc autem, ut homo perfecte reficiatur spiritualiter, necesse est, eum habere *spiritum vitae* in reformatione gratiae, *motum* in exercitatione iustitiae et *sensum* in contemplatione sapientiae. Et de hoc pastu sacramentali dicitur Eliae in figura tertii Regum decimo septimo [7]: *Corvis praecepi, ut pascant te;* sequitur: *Corvi deferebant ei panem et carnes mane, similiter panem et carnes vesperi.* — *Corvi dicuntur* sacerdotes, qui ad modum corvi debent nigrescere per poenitentiam, spernere delectationem momentaneam et crocitare *cras*, *cras*, annuntiando futuram gloriam. Istis vero praecepit Deus, ut pascant Eliam, id est quemlibet hominem christianum, deferendo ei panem et carnes, id est carnem Christi sub specie panis, non excoctam igne materiali, sed sola (?) cruce passionis et coctam igne dilectionis. Dicuntur autem *mane* deferre panem et carnes corvi Eliae, eo quod mane sacerdotes debent carnem Christi ieiuno populo sub specie panis ministrare, *similiter et vesperi*, reducendo ad memoriam, quod sub specie panis carnem suam post coenam Christus Apostolis dedit.

De secund

Pastus triplex.

Notandum

---

[1] Cod. F legit *mirabilis*.

[2] Supple: qui sunt *sui*.

[3] Vers. 13.

[4] Cfr. Bernard., serm. in Nativ. Ioan. Bapt. n. 3: Est enim tantum lucere vanum, tantum ardere parum, ardere et lucere perfectum.

[5] Vers. 15. — Sequitur Gregor., Regula pastor. p. II. c. 3. (alias 14.).

[6] Hoc verbum substituimus loco *sacramentaliter*, quod habent codices. — De hoc verbo et ipsa re cfr. infra sermo 3.

[7] Vers. 4. 6.

1 membro tertio.

Tertio Christus *defendit nos insuperabili praesidio virilis protectionis* roborando *effectivam*. Unde dicitur Ezechielis trigesimo quarto [1]: *Sicut visitat pastor gregem suum in die, quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum; sic visitabo oves meas et liberabo eas de omnibus locis, in quibus dispersae fuerant.* — Dominus noster Iesus Christus ad modum pastoris boni voluit visibiliter visitare suas oves dispersas per devia quaeque vitiorum, ut a morsibus daemonum *sanguine testamenti aeterni* liberatas, earum vulnera oleo pietatis et misericordiae alligans et sanans, ad ovile unitatis fidei congregaret, et etiam, ut earum debilitatem multiplici virtute corroboraret et consolidaret [2].

Pars II.

II. Secundo commendatur Christus a *latitudine benevolentiae in expositione corporis proprii*, cum subdit: *animam suam dat.* Propter nimiam caritatem benevolentiae, quam habuit Christus erga suum gregem, posuit *animam suam*, id est vitam corporalem, primo, in *pretium* humanae redemptionis ad liberandum captivos; secundo, in *argumentum* praecipuae dilectionis ad inflammandum tepidos; tertio, in *exemplum* virtuosae imitationis ad animandum timidos.

subdivisio.

2 membro primo.

Primo posuit animam suam in *pretium humanae redemptionis* ad liberandum captivos. Et hoc dicitur Isaiae quinquagesimo tertio [3]: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum, et voluntas Domini in manu eius dirigetur;* sequitur: *Pro eo quod tradidit in mortem animam suam et cum sceleratis reputatus est, et ipse peccata multorum tulit.* Divina Sapientia, Christus, habens duplicem thesaurum, id est supercaelestem et subcaelestem, quasi facto scrutinio in utroque, sumsit quod erat utrobique nobilius et pretiosius: de supercaelesti excellentiam Deitatis, de subcaelesti innocentiam humanitatis. Hos ergo duos thesauros in unitate personae compactos et in statera crucis appensos pro redemptione humani generis expendit, cum non ex obligatione, sed ex dignatione mortem pro salute humani generis cum desiderio suscepit, et sic, soluto debito primae praevaricationis, quando *cum sceleratis reputatus est, peccata multorum tulit*, et satisfacto rigore divinae iustitiae, *voluntas Dei in manu*, id est opere eius, completa est. Et propter hoc ipse Dominus dicebat Matthaei vigesimo [4]: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare et dare animam suam in redemptionem pro multis.* — *Pro multis* dicitur quantum ad *efficaciam*, licet pro omnibus fuerit datus quantum ad *sufficientiam*. Unde licet passio Christi sit sufficiens omnibus ad salutem, tamen salutem non efficit nisi in illis quorum *fides operatur per dilectionem* [5].

Thesauri duo.

De secundo.

Secundo posuit animam in *argumentum praecipuae dilectionis* ad inflammandum tepidos; et per *hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit* [6]. Et hoc dicitur Ioannis decimo quinto: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Filius Dei in signum vehementissimi amoris et ad similitudinem quorundam aquatilium — de quibus dicit Ambrosius [7], « quod quaedam bellnae marinae sunt, quae, quando insidias contra catulos suos praesenserint, viscera sua mox aperiunt natosque suos integros recipiunt et tamdiu eos portant, donec ad securitatem deferant, aut proprio corpore obiecto defendant » — hoc modo Christus in argumentum vehementissimi amoris voluit, aperiri pedes et manus, fenestrari et latus, ut nos reciperet intra viscera suae caritatis et ab hoste maligno tueretur et defenderet. Et propter hoc, carissime, cum insurgit diaboli fraudulentia, *ingredere in petram* [8], id est Christum, impendendo (?) meditationes, cogitationes et affectiones, quia nunquam potest diabolus melius vinci quam in memoria passionis Christi. Unde Bernardus [9]: Nullus unquam daemonum stare poterit, videns gladium, in quo devictus fuit. Sic, cum insurgit molestia tentationis, maxime carnis, *abscondere in fossa humo*, id est in corpore Christi multiplici vulnere confosso, non per corporis praesentiam, sed per meditationem assiduam, et quod deest tibi usurpa de visceribus Christi, quia de vulneribus eius corporis ad modum botri in torculari compressi, non desunt fluenta gratiarum, quibus inflammatus et confortatus faciliter de diaboli fraudulentia, de mundi molestia et de carnis illecebris triumphabis.

Notandum.

De tertio.

Tertio posuit animam suam in *exemplum virtuosae imitationis* ad animandum timidos. Unde primae Ioannis tertio [10]: *Ille animam suam pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere.* Unde Dominus dicit Matthaei decimo: *Qui non accipit crucem suam et sequitur me non est me dignus; qui invenit animam suam perdet eam, et qui perdiderit animam suam propter me inveniet eam.* — *Ille accipit crucem suam et sequitur* Christum, qui *crucis mortificationem ingiter in suo corpore* gerit, *ut et vita Iesu* in ipso per imitationem *manifestetur;* talis, cum *perdiderit animam suam*, scilicet *crucifigendo cum vitiis et concupiscentiis* [11] in praesenti, *inveniet eam*, per deiformis gloriae acquisitionem in futuro, quia qui *socii sunt tribulationum erunt et consolationum.*

Pars III.

III. Tertio commendatur Christus a *discretione prudentiae in liberatione gregis proprii*, non alieni, cum subinfert: *pro ovibus suis*, imitantibus eum in vita et moribus. Unde Dominus Christus tanquam

---

[1] Vers. 12. Infra respicitur Hebr. 13, 20.

[2] Locum valde corruptum subsidiis plurium codicum, quantum potuimus, emendavimus. [3] Vers. 10-12.

[4] Vers. 28. [5] Respicitur Gal. 5, 6.

[6] Epist. I. Ioan. 3, 16; sequitur Ioan. 15, 13.

[7] Libr. V. in Hexaëm. c. 3. n. 7.

[8] Isai. 2, 10.

[9] Potius Chrysostomus, homil. 44. (alias 45.) in Matth. n. 4.

[10] Vers. 16; sequuntur Matth. 10, 38. seq. et II. Cor. 4, 10.

[11] Respicitur Gal. 5, 24. et deinde II. Cor. 1, 7.

prudens pastor non posuit animam suam pro ovibus alienis per dissimilitudinem vitae, ut eas liberaret, sed pro ovibus suis, quae Christum sequuntur se-
Subdivisio. cundum triplicem proprietatem ovis. Nam ovis habet *simplicitatem* innocentiae in non laedendo, *tractabilitatem* patientiae in sustinendo et *fecunditatem* multiplicem in fructificando. Per istum modum istae sunt oves suae, pro quarum liberatione prudens pastor Christus posuit animam suam, quae habent triplicem proprietatem praedictam: primo, *simplicitatem innocentiae* per rectitudinem purae intentionis; secundo, *tractabilitatem patientiae* per tolerantiam omnimodae tribulationis; tertio, *fecunditatem multiplicem* per multiplicationem bonae operationis.

Primo ergo Christus liberat oves suas, quae
De membro primo. habent *simplicitatem innocentiae* per rectitudinem purae intentionis. Illa enim anima est quasi ovis, quae ad modum ovis innocentis nulla habet arma ad impugnandum, non cornua superbiae, non calces violentiae, non dentes crudelitatis, non ungues rapacitatis, non venenum malignitatis. Propter hoc ratione istius proprietatis innocentiae dicebat David de populo suo secundi Regum vigesimo quarto [1]: *Isti qui oves sunt, quid fecerunt?* quasi dicat: nihil mali commiserunt. Et hoc est, quando homo habet puritatem in affectione, veritatem in operatione, ut nulla duplicitas sit interius, nulla falsitas exterius.

Secundo Christus liberat oves suas, quae ha-
De secundo. bent *tractabilitatem patientiae* per tolerantiam omnimodae tribulationis. Unde Isaiae quinquagesimo tertio [2]: *Sicut ovis ad occisionem ducetur;* sicut enim ovis, cum ducitur ad macellum, non recalcitrat pede, non mordet dente, non impetit cornu; sic verus patiens ad exemplum Christi positus in tribulatione, non debet murmurare in corde, non obloqui in ore, nec repugnare in opere, ut impleatur in eo illud Psalmi: *Quoniam propter te mortificamur tota die, aestimati sumus sicut oves occisionis.*

Tertio Christus liberat oves suas, quae habent
De tertio. *fecunditatem multiplicem* per multiplicationem bonae operationis. Unde bonus Christianus debet esse fecundus bonis operibus ad modum ovis, dare pastori suo Christo lac mundae affectionis, caseum bonae operationis et lanam honestae conversationis, ut possit dici de eis: *Oves fetosae, abundantes in egressibus suis,* secundum quod dicitur in Psalmo [3]. Rogemus ergo etc.

Sermo II [4].

Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius, primae Petri secundo [5].

In hoc verbo describitur mysterium dominicae passionis, et ideo in praesenti tempore in Ecclesia recitatur, ne passionis dominicae simus immemores et ingrati. Describitur autem sub triplici ratione, scilicet sub ratione *pretii redimentis,* cum dicitur: *Christus passus est pro nobis,* id est pro nostra redemptione; sub ratione *exempli dirigentis,* cum subditur: *vobis relinquens exemplum,* scilicet pro nostra directione; sub ratione *vestigii deducentis,* cum subinfertur: *ut sequamini vestigia eius,* scilicet in perfecta imitatione. Et secundum haec tria passio Christi habet in nobis triplicem effectum se-
Divisio. cundum triplicem actum hierarchicum, cum sit totius hierarchiae ecclesiasticae fundamentum, scilicet effectum *purgandi, illuminandi* et *perficiendi.* Passio namque Christi, in quantum est pretium redemptionis, *purgat;* in quantum exemplum directionis, *illuminat;* in quantum vestigium deductionis, *perficit* et consummat. *Purgat* sub ratione *pretii;* ad Titum secundo [6]: *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Dedit semetipsum pro nobis,* scilicet in pretium, *ut nos redimeret* et redimendo *mundaret.* — *Illuminat* vero sub ratione *exempli;* exemplum enim praecipuum est doctrinae, sicut dicitur Proverbiorum vigesimo quarto: *Posui in corde meo et exemplo didici disciplinam;* maxime autem exemplum passionis illuminat, sicut dicitur in Cantico Habacuc: *Splendor eius ut lux erit, cornua in manibus eius,* id est in brachiis crucis. — *Perficit* autem sive consummat sub ratione *vestigii,* quoniam, sicut dicitur Lucae sexto [7], *perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius,* id est, si magistri eius vestigia subsequatur. Et hoc petebat vir sanctus in Psalmo: *Perfice,* inquit, *gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.* Habet igitur triplicem effectum, quod brevibus verbis, sed tamen sententiosis, insinuat beatus Petrus in proposito themate, cum dicit: *Christus passus est* etc., quasi dicat: *Christus passus est pro nobis,* scilicet *purgandis* ab omni iniquitate; *relinquens exemplum* nobis *illuminandis* in omni veritate; *ut sequamur vestigia eius* in omni perfectione et sanctitate.

Pars I. Christus passus est pro nobis quoad purgationis quoad illuminationis quoad perfectionis.

I. Dicit ergo: *Christus passus est pro nobis,* scilicet *purgandis* ab iniquitate. O verbum dulcissimum, verbum verissimum, verbum omni memoria et laude dignum! quo dicitur, quod pro nobis peccatoribus purgandis passus est unigenitus Dei Filius; pro nobis, inquam, purgandis ab omni iniquitate quantum ad *offensam,* quantum ad *maculam* et quantum ad *sequelam.* Haec enim tria sunt in omni culpa. *Offensa* consistit in praevaricatione legis, *macula*

[1] Vers. 17.
[2] Vers. 7; sequitur Ps. 43, 22.
[3] Psalm. 143, 13.
[4] Habetur in cod. Trecensi n. 2052. fol. 122 et in codd. Tudertinis n. 168. fol. 70 v. et n. 182. fol. 134 r., qui cum cod. Trecensi et etiam inter se satis bene conveniunt. — Schema eiusdem sermonis infra ponitur.
[5] Vers. 21, ex Epistola huius Dominicae.
[6] Vers. 14; sequuntur Prov. 24, 32. et Habacuc 3, 4.
[7] Vers. 40; sequitur Ps. 16, 5.

in deformatione imaginis, *sequela* in rebellione carnis. — Pro nobis igitur purgandis ab omni iniquitate quantum ad *offensam* praevaricationis legis passus est suspensionem crucis, secundum quod describitur ad Galatas tertio [1]: *Christus nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum, quia scriptum est: Maledictus omnis, qui pendet in ligno*, quasi dicat beatus Apostolus: maledictione poenalis suspensionis a Christo voluntarie assumtae nos redemit a maledictione culpabilis transgressionis a nobis contracta, vel perpetrata. — Et ratio huius est, quia, cum nulli esset subiectus peccato, maledictionem pertulit non propter suum demeritum, sed propter nostrum remedium. Et hoc est quod scribitur secundae ad Corinthios quinto: *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso;* et nominat hic Apostolus *peccatum*, id est poenam peccati; quia enim peccatum non fecerat, ideo eum fecit Deus ferre peccati poenam, ut ceteris remitteretur offensa, et redderetur iustitia, et placaretur divinae ultionis vindicta. Et hoc est quod conclusit Apostolus ad Romanos quinto [2]: *Quoniam, cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est; multo igitur magis nunc, iustificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum.*

Primo, ad offensam. Ratio.

Pro nobis etiam purgandis ab omni iniquitate quantum ad *maculam* deformationis imaginis passus est effusionem sanguinis, secundum quod dicitur Apocalypsis primo [3]: *Dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo*, quasi dicat beatus Ioannes: ideo Christus vestem corporis sui aspersione proprii sanguinis voluit inquinare, ut facies mentis nostrae purgaretur ab omni peccati sorde. — Et ratio huius est, quia sanguis Christi est *sanguis Agni immaculati*, et ideo mundificativam habet virtutem; et est sanguis non tantum hominis puri, sed hominis et Dei; et non tantum habet efficaciam purgandi carnem, sed etiam mentem; et hoc est quod dicit Apostolus ad Hebraeos nono [4]: *Si enim sanguis hircorum et taurorum inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi?* Quia enim *per Spiritum sanctum se obtulit immaculatum Deo*, ideo per sangninem eius deletur omnis macula vitiorum; et hoc est quod concludit paulo post: *Omnia pene in sanguine secundum Legem mundantur, et sine sanguinis effusione non fit remissio.*

Secundo, quoad maculam. Ratio.

Pro nobis nihilominus purgandis ab omni iniquitate quantum ad *sequelam* rebellionis carnis passus est vulnerationem corporis; Isaiae quinquagesimo tertio [5]: *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras; attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostrae super eum, et livore eius sanati sumus;* quasi dicat sanctus Propheta: ideo Christus sustinnit vulnera plagarum corporalium, ut nos sanaret a vulneribus mentis, quae sunt sequelae culparum. Et hunc effectum habet passio Christi in imitatoribus passionis; et hoc est quod dicitur ad Romanos sexto: *Si complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul et resurrectionis erimus, hoc scientes, quod vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, et ultra non serviamus peccato.* Qui ergo sunt imitatores Christi sanati sunt et purgati a sequela peccati, pro eo quod *crucifixerunt carnem cum vitiis et concupiscentiis;* et hoc est quod concluditur primae Petri quarto [6]: *Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini*, scilicet tanquam boni milites ferentes vexillum et arma ipsius Christi, *quia qui passus est in carne desiit a peccatis.* Qui ergo *non desiit a peccatis*, quantum in se est, *rursum sibi crucifigit Filium Dei;* et hoc ostensum est, secundum quod dicitur ad Hebraeos sexto. Dum enim causam iterat passionis, quodam modo iterat passionem; et quod plus est: *polluit* Spiritus sancti templum et sanguinem Christi, *in quo est sanctificatus;* et hoc est quod scribitur ad Hebraeos decimo [7]: *Irritam quis faciens Legem Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur; quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui Filium Dei conculcaverit et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est.* Conservemus ergo mundtiam mentis nostrae, quoniam pro illa Christus sustinnit mortem; sed hoc recolamus continue, quod Christus passus est pro nobis purgandis ab omni iniquitate.

Tertio, quoad sequelam.

II. In passione etiam sua *reliquit exemplum* nobis *illuminandis* in omni veritate. Licet autem omnis virtutis exemplum ex passione sua nobis relinquat, principaliter tamen reliqnit nobis exemplum triplicis virtutis, scilicet *caritatis, humilitatis* et *longanimitatis*, et hoc secundum triplicem considerationem: exemplum *caritatis* ex causa movente, exemplum *humilitatis* ex persona patiente, exemplum *longanimitatis* ex victoria subsequente, secundum passionis *principium*, *subiectum* et *terminum*. — Exemplum ergo *caritatis* reliqnit ex *causa movente*. Si enim quaeratur: quid movit Dei Filium ad patiendum pro nobis? non invenietur alia causa quam eius caritas misericordissima, secundum quod dicitur ad Ephesios secundo [8]: *Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam,*

Pars II. Passus est pro nobis illuminandis in tribus.

De primo.

[1] Vers. 13; sequitur II. Cor. 5, 21.
[2] Vers. 8. seq.
[3] Vers. 5; dein respicitur I. Petr. 1, 19.
[4] Vers. 13. seq. et deinde v. 22.
[5] Vers. 5; sequitur Rom. 6, 5. seq. et Gal. 5, 24.
[6] Vers. 1; sequitur Hebr. 6, 6.
[7] Vers. 28. seq.
[8] Vers. 4. seq.

qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo. O admirabilis pietas Creatoris! ut servum redimeres, Filium tradidisti [1]. Et hoc exemplum caritatis nobis reliquit, secundum quod dicitur primae Ioannis tertio [2]: *In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit;* et quia hoc exemplum est imitatione dignum, ideo subdit: *et nos debemus pro fratribus animas ponere,* non tantum pro honore Dei, sed etiam pro salute proximi. Et de hoc exemplo potest exponi illud quod dicitur secundi Machabaeorum sexto, quod dixit ille bonus: *Domine, qui habes sanctam scientiam, manifeste tu scis, quia, cum a morte possem liberari, duros corporis sustineo dolores,* et non necessitate, sed caritate; et propterea subdit: *secundum animam vero propter timorem tuum libenter haec patior.* Hoc verissime poterat dicere Christus, qui non necessitate, sed caritate et potestate passus est. Et in hoc caritatis et fortitudinis reliquit exemplum; unde sequitur: *Et iste quidem hoc modo vita decessit, non solum iuvenibus, sed et universae genti memoriam mortis suae ad exemplum virtutis et fortitudinis derelinquens; virtutis,* inquam, *et fortitudinis* virtuosae et fervidae caritatis, quae non tantum facit pati patienter, sed et libenter. Sicut enim dicitur Canticorum octavo [3]: *Fortis est ut mors dilectio, dura*

Contra amorem proprium. *sicut infernus aemulatio.* — Sed nunc pauci illud exemplum intuentur, quia *omnes quae sua sunt quaerunt; et quoniam abundavit iniquitas, iam refriguit caritas multorum,* adeo, ut non solum pro suis proximis non ponant animam, verum etiam nec temporalem substantiam; *qui* autem *viderit, fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo* [4]?

Exemplum vero *humilitatis* nobis reliquit ex

De secundo. *persona patiente.* Si enim quaeramus, quis est, qui est passus; respondebitur, quod non tantum homo, sed etiam Deus; unde ad Philippenses secundo [5]: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo.* Et in hoc mirum nobis reliquit exemplum humilitatis, ad quod omnes dirigi et regulari debemus, iuxta quod dicitur Ioannis decimo tertio: *Vos vocatis me: Magister et Domine, et bene dicitis; sum etenim. Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus et Magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.* In quo verbo Dominus non tantum ostendit, se dedisse eis exemplum humilitatis, sed etiam, quod necessario secundum istud exemplum debent regulari. Si enim *non est discipulus super magistrum* [6], *nec servus maior domino suo,* sicut ipse in eodem post dicit; et ipse, cum sit Deus noster et magister, semetipsum abiecit et deiecit: ergo qui se non humiliat nullo modo est Christi discipulus aut servus, ac per hoc nec Christianus, insuper nec Christo dignus, sed gehennalibus flammis cruciandus. Ad hoc exemplum maxime debemus attendere, quoniam propter istud praecipue Deus assumsit infirmitatem humanae naturae, ut scilicet humilitatem posset docere, secundum quod ipse dicit Matthaei undecimo [7]: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* — Sed quod valde lamentandum est, hodie plures discipulorum Christi, id est Christiani dicti, aspiciunt ad exemplum diaboli, qui super omnes voluit exaltari, quam ad exemplum Christi, qui sub omnibus voluit humiliari. Et tamen, sicut dicitur in Proverbiis, *melius est humiliari cum mitibus, quam dividere spolia cum superbis.* Si quis enim bene attenderet superborum deiectionem, nunquam vellet praesentem exaltationem, quin immo potius vellet locum subditi quam praelati, potius locum discipuli quam magistri, secundum quod dicitur Zachariae decimo tertio: *Non sum Propheta, homo agricola ego sum, quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea.* Contra superbiam.

Exemplum nihilominus *longanimitatis* reliquit nobis ex *victoria subsequente,* quoniam ex ipsa morte vicit, ex confusione momentanea transivit ad gloriam aeternam, secundum quod Isaias scribit in persona eius, Isaiae quinquagesimo [8]: *Corpus meum dedi percutientibus et genas meas vellentibus; faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me,* et tamen non sum deiectus; et propterea subditur: *Dominus Deus auxiliator meus,* et *ideo non sum confusus;* et in primo horum tan- Notandum git poenitentiam et in secundo fiduciam. Et quoniam ex poenitentia et fiducia oritur longanimitatis constantia, ideo sequitur: *Posui faciem meam ut petram durissimam, et scio, quoniam non confundar.* Et in hoc exemplum longanimitatis nobis dedit, ad quod debemus aspicere, secundum quod dicitur Iacobi quinto [9]: *Exemplum accipite, fratres, exitus mali, laboris et patientiae Prophetas.* Et rationem moventem reddit: *Ecce, beatificamus eos qui sustinuerunt,* attribuendo eis victoriam. Et hoc probat per exemplum: *Sufferentiam Iob audistis et finem Domini vidistis.* — Patientiam *Iob audistis,* in tentatione, *et finem Domini vidistis,* in passione. Ideo a beato Iob sumatis exemplum patientiae, secundum quod dicitur Tobiae secundo [10]: *Hanc autem* De tertio

[1] Ex praeconio *Exsultet* in Sabbato sancto.
[2] Vers. 16; sequitur II. Mach. 6, 30. seq.
[3] Vers. 6; sequuntur Phil. 2, 21. et Matth. 24, 12.
[4] Epist. I. Ioan. 3, 17.
[5] Vers. 6. seq.; sequitur Ioan. 13, 13-15.
[6] Matth. 10, 24. et Ioan. 13, 16.
[7] Vers. 29; sequuntur Prov. 16, 19. et Zach. 13, 5.
[8] Vers. 6. et 7.
[9] Vers. 10. seq.
[10] Vers. 12; dein respicitur Iob 42, 10.

tentationem ideo permisit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiae, sicut et sancti Iob; cui etiam in hac vita reddita *sunt omnia duplicia.* Sed ne aliquis exspectaret remunerari in hac vita, ideo subdit: *et finem Domini vidistis,* qui usque ad mortem pugnavit; in quo dedit nobis exemplum longanimitatis, quia moriendo triumphavit; et propterea ipse dicit Ioannis decimo sexto [1]: *In mundo pressuram habebitis; sed confidite, ego vici mundum. Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quae magnam habet remunerationem,* secundum quod dicitur ad Hebraeos decimo: *Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem. Patientia,* inquit, *est necessaria,* et maxime in tempore necessitatis vel adversitatis. — Sed multi in prosperitate videntur patientes, qui omnino impatientes efficiuntur pro modico, de quorum quolibet potest dici illud Iob quarto [2]: *Ecce, docuisti multos et manus lassas roborasti, vacillantes confirmaverunt sermones tui, et genua tremntia confortasti; nunc autem venit super te plaga, et defecisti et conturbatus es* etc. At non tales servi Christi, de quibus ad Romanos octavo: *Quis accusabit adversus electos Dei? Deus, qui iustificat, quis est qui condemnet?* usque: *a caritate Dei, quae est in Christo Iesu, Domino nostro.*

III. Si ergo purgati sumus per dominicae passionis pretium et illuminati per eius exemplum, nihil aliud restat, nisi ut *sequamur vestigia eius,* deducentia ad perfectionem suam. Sed attendendum est, quod quaedam vestigia sequi est *praesumtuosum,* sicut vestigia sublimitatis potentiae; quaedam sequi est *curiosum,* sicut vestigia profunditatis sapientiae; quaedam sequi est *gloriosum,* sicut vestigia infirmitatis assumtae. Unde non de omnibus habet praecedens sermo intelligi, sed de vestigiis passionis. — *Vestigia sublimitatis potentiae* sequi est *praesumtuosum,* quia non sunt imitanda, sed *adoranda,* secundum illud Isaiae sexagesimo [3]: *Et adorabunt vestigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi,* id est, qui prius despiciebant te in statu passionis et infirmitatis assumtae *adorabunt te,* in statu resurrectionis et gloriae, secundum quod dicit Apostolus ad Philippenses secundo: *Propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Haec vestigia non est tutum imitari, sed venerari, quia scriptum est: *Dominum Deum adorabis et illi soli servies.* Sed praesumtuosi, qui volunt ab aliis adorari, volunt haec vestigia imitari, sicut Aman, de quo Esther tertio [4]: *Cuncti servi regis, qui in foribus palatii versabantur, flectebant genua et adorabant Aman. Solus* autem *Mardochaeus non adorabat eum.* Et rationem huius ipse reddit infra: *Tu scis,* Domine, *quia non pro superbia et contumelia hoc fecerim, ut non adorarem Aman superbissimum; libenter enim pro salute Israel etiam vestigia pedum eius deosculari paratus essem.* Et sequitur post, quod Mardochaeus vicit et exaltatus est, Aman vero superbissimus deiectus et *suspensus in patibulo.*

Vestigia profunditatis sapientiae sequi est *curiosum,* quia non sunt investiganda, sed *admiranda,* secundum quod dicitur in Psalmo [5]: *In mari via tua et semitae tuae in aquis multis, et vestigia tua non cognoscentur.* Hoc dicitur propter profunditatem divinae sapientiae, cuius viae sunt investigabiles, secundum quod dicitur ad Romanos undecimo: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius!* Et propter hoc deridetur vir curiosus, qui vult divinae sapientiae vestigia perscrutari, Iob undecimo: *Forsitan,* inquit, *vestigia Dei comprehendes et usque ad perfectum Omnipotentem reperies?* quasi dicat: nullo modo; *ne laboretis, non enim comprehendetis* [6]. Qui enim aliquid de mysteriis divinis vult apprehendere debet facere, secundum quod erudimur in Ruth secundo [7], ubi dicitur: *Rogavit, ut spicas colligeret remanentes,* ecce, orationis aviditas; *sequens messorum vestigia,* id est doctorum sanctorum, Prophetarum et Apostolorum, ecce, inquisitionis humilitas; *et ne ad momentum quidem domum reversa est,* ecce, studii assiduitas; quia nulla otia, quae intervenerant [8], discerno.

Vestigia nostrae *infirmitatis assumtae* sequi est *gloriosum;* haec enim non sunt declaranda, sed *imitanda; magna* enim *gloria est sequi Dominum* [9]. Unde Iob vigesimo tertio: *Vestigia eius secutus est pes meus, viam eius custodivi et non declinavi ex ea.* Et propterea beatus Iob commendatur a Domino tanquam *simplex et rectus ac timens Deum et recedens a malo;* et post: *Adhuc retinens innocentiam.* Ab his vestigiis nullatenus declinare debent viri sancti; Iosue vigesimo secundo [10]: *Absit a nobis hoc scelus, ut recedamus a Domino et eius vestigia relinquamus.* Si ergo volumus ei adhaerere et ad eum pervenire, necesse habemus per eius vestigia ambulare, et si hoc, necessarium est nobis illa vestigia nosse.

Sciendum igitur, quod vestigia passionis dominicae, quae Dominus impressit in via eundi ad patriam, sunt tria secundum triplicem consiliorum scientiam. — Primum vestigium est *abdicatio terrenitatis* iuxta votum *paupertatis* voluntariae, a quo quisquis deviat non potest eum sequi perfecte. Nam,

De secundo.

De tertio.

Tria Christi vestigia.

Vestigium primum.

[1] Vers. 33; sequitur Hebr. 10, 35. et 36.
[2] Vers. 3-5; sequitur Rom. 8, 33-39.
[3] Vers. 14; sequuntur Phil. 2, 9. et Matth. 4, 10.
[4] Vers. 2. et dein c. 13, 12. et respicitur c. 6, 10. seqq. et c. 7, 10.
[5] Psalm. 76, 20; sequuntur Rom. 11, 33. et Iob 11, 7.
[6] Eccli. 43, 34. — Quae sequuntur desunt in cod. Trecensi.
[7] Vers. 7. [8] Haec lectio est aliquatenus dubia.
[9] Eccli. 23, 38; sequuntur Iob 23, 11. et c. 1, 1. et c. 2, 3.
[10] Vers. 29.

cum Christus *esset dives, factus est propter vos egenus* [1]; et ideo dicit Dominus: *Qui non renuntiat omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus.* Unde illi qui volebat eum sequi intuitu alicuius temporalis commodi, qui dixit: *Magister, sequar te, quocumque ieris;* respondit: *Vulpes foveas habent* etc. Et de hoc vestigio potest exponi illud Iosue [2]: *Omnem locum, quem calcaverit vestigium pedis vestri, vobis tradam. — Calcaverit,* inquam, per abrenuntiationem. Qui ergo totum renuntiat totum possidet, secundum quod dicitur secundae ad Corinthios sexto: *Tanquam nihil habentes et omnia possidentes.* Et in hoc vestigio posuerat pedem Paulus, qui dicebat ad Philippenses quarto: *Habeo omnia et abundo.* Unde ipse non quaerebat datum, sed fructum. In hoc vestigio debent ambulare boni pastores, qui non deberent subditorum pecuniam extorquere, sed animas liberare. Talis erat Titus, Apostoli discipulus; secundae ad Corinthios duodecimo [3]: *Nunquid Titus vos circumvenit? Nonne eodem spiritu ambulavimus, nonne eisdem vestigiis?* Et quibus vestigiis ambulavit Apostolus, ipsemet dicit: *Ecce, tertio hoc paratus sum venire ad vos et non ero gravis vobis; non enim quaero quae vestra sunt, sed vos.*

Secundum vestigium est *mortificatio carnis* iuxta votum *continentiae,* in quo necesse habemus Christum imitari, si volumus esse discipuli, secundum quod ipse dicit Matthaei decimo [4]: *Qui non accipit crucem suam et sequitur me non est me dignus.* Continentia enim et abstinentia est crux quaedam. Et de hoc vestigio potest exponi illud tertii Regum decimo octavo: *Nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari. — Nubecula,* quae ex terra oritur, sed supra terram elevatur, est anima continens, quae in carne vitam ducit angelicam. Et nota, quod duo dicit: quod erat *parva* et *ascendebat de mari,* quia ad servandam continentiam perfecte duo sunt necessaria, scilicet poenitentiae amaritudo et humilitatis deiectio. Nam aliquando perditur continentia propter superbiam, aliquando vero perditur propter gulam. Si ergo volumus esse continentes perfecte, debemus esse humiles in corde et abstinentes in carne. Sed hoc est valde difficile; unde Ecclesiastici decimo tertio: *Vestigium cordis boni et faciem bonam difficile invenies et cum labore.*

Secundum. Duo notanda.

Tertium vestigium est *abnegatio voluntatis* iuxta votum *obedientiae,* sine qua nemo potest Christum perfecte sequi, secundum quod dicitur Matthaei decimo sexto [5]: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum,* id est propriam voluntatem. Nam ipse Christus fuit *obediens* Patri *usque ad mortem.* Qui vult ergo vestigia eius sequi necesse habet voluntatem suam subiicere voluntati Dei, secundum quod dicitur de Ezechia quarti Regum decimo octavo, quod *adhaesit Domino et non recessit a vestigiis eius.* Et qui vult perfectius sequi debet subiicere voluntatem suam voluntati proximi, quia Christus Mariae et Ioseph subditus [6] fuit, secundum quod dicitur de Iacob, quod dixit ad Esau: *Praecedat dominus meus ante servum suum, et ego sequar paulatim vestigia eius.* Sed quia voluntas nostra vertibilis, ideo debemus pedem nostrum voto ligare, sicut Iob decimo tertio: *Posuisti in nervo pedem meum et observasti omnes semitas meas et vestigia pedum meorum considerasti.* — Sed aliqui timent arctitudinem huius viae; sed quamvis arcta sit in principio, ampla est in medio, secundum quod dicitur Proverbiorum quarto [7]: *Ducam te per semitas aequitatis, quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, et currens non habebis offendiculum;* et amplissima in fine; Psalmus: *Dirige me in semitam rectam propter inimicos meos* etc. *Exspecta Dominum, viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.* Nam, sicut dicitur Proverbiorum quarto, *iustorum semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectam diem,* quia nullum habet occasum. Ad quem nos perducat etc.

Contra quosdam.

Schema praecedentis sermonis [8].

Dominica secunda post Pascha. Sermo fratris Bonaventurae apud Assisium.

Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius, primae Petri secundo [9].

Illud in praesenti tempore ideo in Ecclesia recitatur, ut passionis dominicae non simus immemores et ingrati. In quo quidem describitur dominica passio sub ratione *pretii redimentis,* sub ratione *exempli dirigentis,* sub ratione *vestigii deducentis.* Secundum haec tria passio Christi habet triplicem effectum. Nam *purgat* in quantum pretium redemptionis; *illuminat* in quantum exemplum directionis; *perficit* et consummat in quantum vestigium deductionis. Dicit ergo: *Christus passus est pro nobis,* id est pro nostra redemptione; *vobis relinquens exemplum,* id est pro nostra directione; *ut sequamini vestigia eius,* in perfecta imitatione.

Divisio.

Pars I.

I. Christus autem passus est pro nobis purgandis ab omni *iniquitate* quantum ad *offensam* praevaricationis legis; ad Galatas tertio [10]: *Christus nos*

[1] Epist. II. Cor. 8, 9; sequuntur Luc. 14, 33. et Matth. 8, 19. seq.
[2] Cap. 1, 3; sequuntur II. Cor. 6, 10. et Phil. 4, 18.
[3] Vers. 18; sequitur v. 14.
[4] Vers. 38; sequuntur III. Reg. 18, 44. et Eccli. 13, 32.
[5] Vers. 24; sequuntur Phil. 2, 8. et IV. Reg. 18, 6.
[6] Respicitur Luc. 2, 51; sequuntur Gen. 33, 14. et Iob 13, 27.
[7] Vers. 11. seq.; sequuntur Ps. 26, 11. seqq. et Prov. 4, 18.
[8] Ex A fol. 119 v. et B fol. 43. v.
[9] Vers. 21.
[10] Vers. 13; sequuntur Apoc. 1, 4. seq. et Rom. 6, 6. 9.

redemit de maledicto Legis etc. — Pro nobis purgandis ab omni *deformitate* quantum ad *maculam* deformationis imaginis; Apocalypsis primo: *Gratia vobis et pax ab eo qui est et qui erat* etc., *qui dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* — Pro nobis purgandis ab omni *difficultate* quantum ad *sequelam* rebellionis carnis; ad Romanos sexto: *Scientes, quod vetus homo noster* etc. *Christus resurgens* etc.

Pars II. exemplum triplex.

II. Reliquit vero nobis *exemplum* triplex in sua passione, per quod illuminavit nos in omni virtute, scilicet exemplum *caritatis* ex causa movente; secundi Machabaeorum sexto [1]: *Propter timorem tuum libenter haec patior* etc., *memoriam mortis suae ad exemplum virtutis et fortitudinis derelinquens.* — *Humilitatis* ex persona patiente; Ioannis decimo tertio: *Exemplum enim dedi vobis* etc. — *Longanimitatis* ex victoria subsequente; Iacobi ultimo: *Accipite, fratres, exemplum exitus mali* etc.

I a III. Vestigium triplex.

III. Sequi vero debemus vestigia Christi: *pauper tatis voluntariae,* per quam tanquam duo vestigia Christi impressa habeamus: *contemptum* terrenorum et *appetitum* supernorum; secundae ad Corinthios duodecimo [2]: *Nonne eodem spiritu ambulavimus, nonne eisdem vestigiis?* — *Sinceritatis sanctimoniae,* per quam tanquam alia duo vestigia Christi habeamus: *candidatum* mentium et corporum et *coelibatum* morum; Ecclesiastici decimo tertio: *Vestigium cordis boni et faciem bonam difficile invenies et cum labore.* — *Abdicationis voluntatis* propriae, per quam tanquam alia duo vestigia eius habeamus: *effectum* mandatorum et *affectum* consiliorum; quarti Regum decimo octavo: *Ezechias adhaesit Domino et non recessit a vestigiis eius;* et dicitur Iob vigesimo tertio [3]: *Vestigia eius secutus est pes meus* etc.

Sermo III [4].

Item, sermo fratris Bonaventurae Parisius coram Universitate, in domo Praedicatorum.

Ego sum pastor bonus, Ioannis decimo [5].

Divisio.

In hoc verbo describit se nobis Dominus Iesus ut *singularem* in discretione, ibi: *Ego sum;* ut *fontalem* in subventione, ibi: *pastor bonus.*

Verbum triplex.

Circa totum nota, quod Dominus Iesus, Filius Dei, est: Verbum *increatum* supportans universa [6], et in quantum talis pascit animas supermentaliter sublimando ad sapientiam sive ad lumina sapientiae. — Verbum *incarnatum* reparans humana, et in quantum huiusmodi pascit sacramentaliter reformando ad gratiam sive ad charismata gratiae. — Verbum *inspiratum* sustentans intellectualia, et in quantum huiusmodi pascit spiritualiter informando ad iustitiam sive ad exercitia iustitiae.

De primo.

In quantum ergo Verbum *increatum* pascit supermentaliter sive sapientialiter per *splendores* intellectuales, qui habent concurrere in animam secundum reflexionem triplicis speculi: *archetypi,* id est mundialis machinae; *hierarchici,* id est intelligentiae creatae; et *monarchici,* id est artis aeternae. Iob trigesimo nono [7]: *Circumspicit montes pascuae suae et virentia quaeque perquirit.* — Per *dulcores* affectuales, ad quos concurrunt primo devotiones, deinde exsultationes, postea immissiones; Canticorum primo: *Indica mihi, ubi pascas, ubi cubes in meridie* etc.

De secundo.

In quantum autem Verbum *incarnatum* pascit sacramentaliter: per *sacramenta poenitentiae* confecta ex lacrymis compunctivis, compassivis et sursum activis; Psalmus [8]: *Dominus regit me, et nihil mihi deerit. In loco pascuae ibi me collocavit, super aquam refectionis educavit me.* — Per *sustentamenta eucharistiae,* quibus reficit: *amicabiliter,* quia bonus; *mirabiliter,* quia magnus; *oblectabiliter,* quia opulentus; Ioannis decimo: *Ego sum ostium; per me si quis introierit, salvabitur et ingredietur et egredietur et pascua inveniet.*

De tertio.

In quantum vero Verbum *inspiratum* pascit spiritualiter: per *praesidia* superangelica, angelica, subangelica; Isaiae quadragesimo [9]: *Sicut pastor gregem suum pascet* etc. — Per *exempla* sanctitatis purificantia quoad se, piificantia quoad proximum, pacificantia quoad Deum. Pastor enim debet esse purus, pius et Deo conciliatus et reconcilians; Psalmus: *Elegit Dominus David, servum suum* etc., *pascere Iacob, servum suum, et Israel, hereditatem suam, et pavit eos in innocentia cordis sui* etc.; Ioannis ultimo: *Pasce... pasce... pasce.*

Pascit 9 choros Angelorum.

Iesus [10] pastor bonus pascit non solum, sicut dictum est, Ecclesiam militantem, sed etiam Ecclesiam triumphantem. Nam pascit *Seraphim* et Apostolos amoribus aeterne et fontaliter vulneративis sive sagittativis; *Cherubim* et Doctores et Prophetas aeterne et fontaliter irradiativis sive sapientificativis; *Thronos* et Patriarchas, Confessores almos excessibus aeterne et fontaliter quietativis sive satiativis; *Dominationes* et Martyres libertatibus aeterne et fontaliter sublimativis sive dignificativis; *Principatus* et Potestates almos potentatibus aeterne et fontaliter stabilitivis et honorificativis; *Potestates* et dignos rectores validatibus aeterne et fontaliter triumphativis et inconcussivis; *Virtutes* et Virgines nobilitatibus aeterne

---

[1] Vers. 30. seq.; sequuntur Ioan. 13, 15. et Iac. 5, 10. seq.
[2] Vers. 18; sequuntur Eccli. 13, 32. et IV. Reg. 18, 6.
[3] Vers. 11.
[4] Ex A fol. 120 r. et B fol. 45.
[5] Vers. 11.
[6] De hoc et seqq. cfr. supra sermo 1. pag. 294, col. II.
[7] Vers. 8; sequitur Cant. 1, 6.
[8] Psalm. 22, 1. seq.; sequitur Ioan. 10, 9.
[9] Vers. 11; sequuntur Ps. 77, 70-72. et Ioan. 21, 15. 16. 17.
[10] In originali praemittuntur verba *Iste dum,* non intelligibilia. Quae sequuntur desunt in B.

et fontaliter admirativis et decorativis; *Archangelos* et praedicatores revelationibus aeterne et fontaliter venerativis et spectativis; *Angelos* et officiales pietatis contemplationibus aeterne et fontaliter provisivis et quietativis.

Sermo IV [1].

Cognosco oves meas, et cognoscunt me meae [2].

In verbo hoc describitur discretio bonorum a malis sub metaphora ovium dominici gregis. Haec
Notandum. autem discretio ex duplici parte trahit originem, videlicet ex *electione divini propositi* et *cooperatione liberi arbitrii*. Quantum ad primum dicit: *Cognosco oves meas*, illa scilicet notitia approbationis [3], qua dixit ad Moysen Exodi trigesimo tertio [4]: *Novi te ex nomine, et invenisti gratiam coram me.* Quantum ad cooperationem liberi arbitrii subditur: *et cognoscunt me meae*, illa scilicet notitia, de qua Sapientiae decimo quinto: *Nosse te consummata iustitia est, et scire iustitiam et virtutem tuam radix est immortalitatis.* Haec autem duo sunt, per quae signanter discernuntur oves Christi ab ovibus antichristi. Sed primum signaculum nos latet, cum sit certissimum, aeternum, occultum et Deo cognitum, secundum illud secundae ad Timotheum secundo: *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Cognovit Dominus qui sunt eius.* Secundum vero aliquo modo nobis innotescit; unde secundum istud necesse habet currere nostrum iudicium discretivum.

I. Discernitur ergo ovis Christi ab ove antichri-
Pars I. De ove antichristi tangitur tria. sti, hoc est iustus ab impio, qnia impius est similis ovi *aberranti*, ovi *aegrotanti*, ovi *periclitanti*. —
Ovis aberrans. Ovi namque *aberranti* similis est per desertionem iustitiae; Isaiae quinquagesimo tertio [5]: *Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit;* hoc est, omnes recessimus a via communi in viam propriam; hoc est a veritate ad falsitatem, ab aequitate ad iniquitatem, a caritate in cupiditatem. Peccator enim errat a via communi propter bonum proprium [6]; et est haec magna caecitas; et hoc in die iudicii apparebit; Sapientiae quinto: *Erravimus a via veritatis, et iustitiae lumen non luxit nobis.*

Ovi vero *aegrotanti* similis est propter vulne-
Aegrotans. rationem naturae, propter quam non tam est culpabilis quam miser et miserabilis, secundum illud Matthaei nono [7]: *Videns* Iesus *turbas, misertus est eis, quia erant vexati et iacentes sicut oves non habentes pastorem.* Describit hic morbum in hoc, quod dicit, quod erant *vexati et iacentes;* et causam morbi in hoc, quod subdit: *sicut oves non habentes pastorem*, quia ipse idem est pastor et pastus [8]. Sicut autem ovis carens pabulo in omnibus suis virtutibus infirmatur, sic anima, quae recedit a Christo, in omnibus suis virtutibus infirmatur et contabescit.

Ovi *periclitanti* similis est propter reatum mor- Periclitans.
tis aeternae, secundum illud Psalmi [9]: *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos.* Et quia ad illud periculum frequenter veniunt propter culpam pastoris, ideo Ezechielis trigesimo quarto: *Dispersae sunt oves meae, eo quod non esset pastor, et factae sunt in devorationem omnium bestiarum agri*, id est daemonum. Hoc damnum requiritur de manu pastorum; et ideo valde periculosum est negligentibus et laboriosum vigilantibus, exemplo Iacob, de quo Genesis trigesimo primo: *Oves tuae et caprae steriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi* etc.

II. *Iustus* autem similis est ovi *reducendae*, Pars II. De ove Christi iterum tria
deducendae et *perducendae*.

Similis est, inquam, ovi *reducendae* a devio De ove reducenda.
erroris, secundum illud primae Petri secundo [10]: *Eratis sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum.* Hoc enim factum est, non quia nos quaesierimus eum, sed quia ipse nos, secundum quod petebat Propheta in Psalmo: *Erravi sicut ovis, quae perit; quaere servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus;* et hoc quidem, cum de caelo propter nostram salutem descendit, secundum illud Lucae decimo quinto: *Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, et si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto et vadit ad illam quae perierat, donec inveniet eam?* Nam, ut redimeret nos, morti se obtulit sicut ovis, secundum illud Isaiae quinquagesimo tertio [11]: *Sicut ovis ad occisionem ducetur* etc.

Similis est etiam ovi *deducendae* per semitam Deducend
rectitudinis, secundum illud Psalmi [12]: *Deduxisti sicut oves populum tuum in manu Moysi et Aaron.* In quo designatur, quod deductio populi christiani per viam rectitudinis est per viam *iustitiae* et *misericordiae*. Et hoc designat *Moyses*, qui populum indicabat, et *Aaron*, qui populum Deo reconciliabat. Hoc designabat *columna ignis et nubis* [13]; in *igne* enim terror est severitatis, in *nube*, obumbratio

---

[1] Ex cod. Tudert. n. 182. fol. 136 r., in quo quidem sermo est sine nomine auctoris, nec aliam habemus auctoritatem, quae ipsum Bonaventurae atribuat. Sed in isto codice plures sermones certo sunt Bonaventurae, licet sine eius nomine; cum autem tota sermonis indoles faveat Bonaventurae, visum nobis est, eum recipiendum esse.

[2] Ioan. 10, 14.

[3] Cfr. tom. V. Breviloq., p. I. c. 8. n. 1. et 4.

[4] Vers. 12; sequuntur Sap. 15, 3. et II. Tim. 2, 19.

[5] Vers. 6.

[6] Cfr. tom. III. d. 29. q. 3. ad 1. Sequitur Sap. 5, 6.

[7] Vers. 36.

[8] Cfr. tom. V. pag. 570, n. 11.

[9] Psalm. 48, 15; sequuntur Ezech. 34, 5. et Gen. 31, 38.

[10] Vers. 25; sequuntur Ps. 118, 176. et Luc. 15, 4.

[11] Vers. 7.

[12] Psalm. 76, 20.

[13] Respicitur Exod. 13, 21. seq.; sequitur Ps. 79, 2.

pietatis. Et haec duo in quolibet ovis ductore debent esse, et per hanc duplicem viam debet quilibet incedere et maxime illi qui intente debent dominicis vestigiis adhaerere, de quibus in Psalmo: *Qui regis Israel, intende, qui deducis velut ovem Ioseph. — Modus*, quo deducit, describitur Ioannis decimo [1]: *Cum proprias oves emiserit, ante eas vadit, et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem eius. Alienum non sequuntur, quia non noverunt vocem alienorum;* ubi describitur perfecta iustitia in faciendo bonum et declinando malum [2].

Similis est etiam ovi *perducendae* ad mansio- rdoceeda. nem quietis, secundum illud Ezechielis trigesimo quarto [3]: *Ego pascam oves meas et ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus.* Ubi, rogo, faciet accubare? Certe in Ierusalem, quae interpretatur *visio pacis*, hoc est in requie contemplationis. Et optime iungit ista duo, *visionem* et *pacem*, quia illi soli idonei sunt ad contemplationem, qui habent pacem, quae est thronus Salomonis [4]. Hanc non habent nisi mites et humiles, qui sunt oves, qui sunt maxime dispositi ad gratiam contemplationis. Unde Rachel [5], per quam designatur contemplativa vita, interpretatur *videns principium*, sive *videns Deum;* et intelligitur ovis, quia solus ille qui est simplex, mitis et humilis, potest Dominum intueri solum, quod non exspargat se exterius; propter quod Canticorum primo [6]: *Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere et abi post vestigia gregum* etc. Et ideo consilium est, ut *minet gregem ad interiora deserti*, sicut fecit Moyses, Exodi tertio, ubi vidit Deum. Via autem est Christus, qui dicit Ioannis decimo: *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur et ingredietur et egredietur et pascua inveniet. Ingredietur* intra se, *et egredietur* extra se et supra se; vel *ingredietur*, ad contemplationem Divinitatis, et *egredietur* ad contemplationem humanitatis [7] etc.

Sermo V [8].

Tradebat iudicanti se iniuste qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui iustitiae vivamus [9].

Verba sumta sunt de Epistola Petri hodierna. utroducio. In praeteritis diebus egit mater Ecclesia festum de pretio nostrae redemptionis et gaudio Christi resurrectionis. Sed certe, hodie multi Christiani iudaizant, faciunt ut Iudaei. Sicut enim Iudaei Christum Dominica in Ramis Palmarum cum gaudio susceperunt, clamantes: *Benedictus, qui venit* [10] etc., et post die Veneris ipsum virgis laceraverunt, multa opprobria dixerunt et tandem ipsum crucifixerunt; ita multi Christiani die Paschae Christum cum gaudio susceperunt et post Pascha, rursum ad peccata sua redeuntes, quantum in se est, *ipsum* iterum *crucifigunt*. Ideo Apostolus in verbis propositis reducit nobis memoriam dominicae passionis in principio Epistolae, cum dicit: *Christus passus est pro nobis* [11] etc. Sunt ergo verba ista, secundum cursum huius temporis, dominicae passionis et gloriosae resurrectionis. Nam ita festum de Christi resurrectione hoc tempore in Ecclesia celebratur, ut memoria suae passionis semper in cordibus nostris habeatur. Duo ergo tanguntur Divisio. in verbis istis: primo, *iniquitas Pilati, iudicis* Christum iniuste iudicantis, cum dicit: *Tradebat iudicanti*, scilicet Pilato, *se iniuste;* secundo tangitur *immensa benignitas Christi* patientis: *qui peccata nostra* etc.

I. Circa primum intelligimus *Pilati iniustitiam.* Pars I. Pilatus illo tempore, quo Christus passus est, iudex erat, et ideo secundum Legem Moysi *iuste iudicare debuit* [12], sed in omnibus Legem praeterivit. In Lege Pilatus egit contra leges omnes. Moysi [13] scriptum erat: *Non sequeris turbam ad faciendum malum.* Et ipse contra hoc acquievit turbae clamanti: *Crucifige, crucifige eum.* Lex erat scripta: *Insontem et iustum non occides*, et ipse econtra Christum innocentem, *qui peccatum non fecit* [14], interfecit. Alia lex scripta erat: *Maleficos non patieris vivere*, et ipse econtra Barabbam, latronem liberavit et Christum innocentem condemnavit [15]. Et sic in eius passione non est invenire iustam causam nec iustum animum nec rectum ordinem. — Ista tria Confirmatur Scriptura. tanguntur in Marco, ubi legitur: *Pilatus, volens populo satisfacere, dimisit illis Barabbam et tradidit Iesum flagellis caesum, ut crucifigeretur.* Adhuc, ut omnia concludamus, nullus in Lege erat dignus *duplici* poena: flagelli et mortis. Unde in Lege sic scriptum erat: Si aliquis dignus fuerit plagis, vapulabit eum populus, *ita* tamen, *ut quadragenarium numerum non excedant.* Christus autem duplici poena fuit condemnatus: flagelli et mortis, contra illud Nahum [16]: *Non consurget duplex tribulatio.* Post multas iniurias et flagella accumulaverunt poenam ignominiosae mortis, scilicet crucis. Totum ergo contra Legem fuit. — Et utinam temporibus Contra iudices iniustos.

---

[1] Vers. 4. seq.

[2] Respicitur Ps. 36, 27. [3] Vers. 15.

[4] Cfr. tom. V. Itinerar. mentis in Deum, c. 1. n. 5. et c. 7. n. 1; respicitur III. Reg. 10, 19.

[5] Cfr. tom. V. pag. 114, nota 3.

[6] Vers. 7; sequuntur Exod. 3, 1. seqq. et Ioan. 10, 9.

[7] Cfr. tom. V. pag. 570, n. 12. et 13. et Itinerar. mentis in Deum, Prolog. n. 3. et c. 1. n. 2.

[8] Ex codice biblioth. National. Paris. n. 14952. fol. 100d v. cum nomine Bonaventurae et ex Trecensi n. 1464. fol. 65 v., in quo est multo brevior; cfr. Hauréau, Notices etc., tom. IV. pag. 41 et Ratio novae collectionis pag. 295.

[9] Epist. I. Petr. 2, 23. seq.

[10] Matth. 21, 9; dein respicitur Hebr. 6, 6.

[11] Epist. I. Petr. 2, 21. [12] Levit. 19, 15.

[13] Exod. 23, 2; sequuntur Luc. 23, 21. et Exod. 23, 7.

[14] Epist. I. Petr. 2, 22; sequitur Exod. 22, 18.

[15] Respicitur Matth. 27, 26; sequuntur Marc. 15, 15. et Deut. 25, 3.

[16] Cap. 1, 9; sequitur Iac. 2, 13.

nostris non haberemus tales iudices, qui innocentes condemnarent et reos absolverent! Sed certe, hodie multi, excaecati acceptione munerum, carnali affectione affinium propinquorum, cupiditate pecuniarum, faciunt contrarium. Ideo *iudicium sine misericordia* fiet talibus, *qui non faciunt misericordiam*, sed potius crudelitatem.

II. Secundo notatur *immensa benignitas Christi* Pars II. patientis, cum dicit: *qui peccata nostra* etc. Suspensus pro peccatis nostris Christus in ligno crucis, quantam ad nos dilectionem habuit, nullus mortalis Quinque proprietates passionis. homo posset dicere. Vere eius passio fuit *voluntaria, necessaria, acerba, opportuna, fructuosa.*

Si consideremus primo *benignitatem* Christi pa- Fuit voluntaria. tientis, inveniemus, quod passio sua fuit *voluntaria.* Hoc est quod dicit: *Tradebat iudicanti se iniuste;* unde Isaias [1]: *Oblatus est, quia ipse voluit.* Et ipse ait de se ipso: *Potestatem habeo ponendi animam meam;* et alibi: *Tradidit in mortem animam suam,* scilicet sponte; *et cum sceleratis reputatus est;* item: *Nemo tollit a me animam meam* [2]. Ecce, quod passio sua fuit voluntaria.

Si consideremus secundo *nos peccatores,* inve- Necessaria. niemus, quod sua passio fuit *necessaria* ad nostram redemptionem. Unde dicit: *qui peccata nostra pertulit.* Apostolus [3]: *Omnes peccaverunt et egent gloria Dei* etc., et redemptione indiguerunt, *et sicut* in peccato *Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur,* et sicut pro peccato Adae in malum culpae et poenae cecidimus, ita per Christum omnes redempti sumus et ab utroque malo liberati sumus. Hoc est quod dicit Isaias, quod *peccata multorum tulit et pro* crucifixoribus suis *oravit,* ne perirent.

Si consideremus tertio *qualitatem passionis,* in- Acerba. veniemus, quod fuit *acerba.* Hoc est quod subdit: *in corpore suo,* quod quidem morti exposuit, non cuilibet, sed morti turpissimae et crudelissimae; unde illud [4]: *Morte turpissima condemnemus eum,* morte homicidarum et latronum.

Si consideremus quarto *modum patiendi,* inve- Opportuna. niemus, quoniam necessaria et *opportuna* fuit sua passio, quia passus in *patibulo.* Unde dicit: *super lignum.* Quare? Mors Christi fuit nobis necessaria, ut, sicut ex ligno vetito mors in mundum intravit, ita in ligno salutem humani generis Christus repararet. Hoc est quod cantat Ecclesia [5]: « Ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret, et qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur, per Iesum Christum Dominum nostrum ». Nullus alius modus patiendi et nos redimendi fuit convenientior isto, etsi alio modo potuisset.

Si consideremus quinto *finem passionis,* inve- Fructuosa. niemus, quod sua passio fuit *fructuosa,* quia ad nostrae redemptionis pretium. Hoc est quod subdit: *ut, peccatis mortui, iustitiae vivamus;* ut, sicut Christus mortuus est carne, vivens autem spiritu [6], ita, mortui in peccato, vivamus spiritualiter. Hoc est quod dicit Apostolus ad Romanos [7]: *Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem, ut, quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus.* — In paschali die solent homines nova vestimenta induere, vetera exuere, nova cibaria comedere; ita et nos vetera peccata debemus abiicere et novas vestes, scilicet virtutes, induere in hoc paschali tempore. Hoc est quod dicit: *in novitate vitae ambulemus.*

Ad instructionem autem nostram et dominicae crucis gloriam et ipsius Crucifixi laudem nota, quod in ligno crucis Christi possumus invenire ista quinque, Quinque fructus crucis. scilicet *sapientiam* salutarem, discretam carnalium voluptatum *mortificationem, paupertatem* voluntariam, eminentem *humilitatem, virtutem* insuperabilem.

Dico, quod in ligno crucis Christi possumus Fructus primus. invenire primo *sapientiam salutarem* ad nos illuminandum et docendum; et hoc est quod dicit Apostolus [8]: *Non iudicavi, me scire aliquid inter vos nisi Iesum Christum et hunc crucifixum.* Ille qui *raptus* fuit *usque ad tertium caelum* et vidit secreta Dei, *quae non licet homini loqui,* nihil aliud nisi de crucifixione Domini sui se *scire iudicavit.* Isto solo verbo beata Catharina [9] quinquaginta oratores devicit et confudit, quando dixit: *Nihil aliud iudico me scire inter vos nisi Iesum Christum et hunc* quidem *crucifixum.* Quid igitur valent omnes aliae scientiae, nisi ad istam ordinentur? — Vae illis! qui Hortatio. toto tempore vitae suae student in logica, physica vel in decretis et nihil saporis in ista scientia inveniunt; si in ligno crucis Christi studerent, scientiam salutarem ibi invenirent; *est* enim *lignum vitae his qui apprehenderint, et qui tenuerit eam beatus* [10]; hoc est, qui in corde iugiter memoriam mortis Christi habuerit, *beatus erit,* scilicet in praesenti talis beatitudine gratiae, in futuro beatior beatitudine gloriae. Ista disponit hominem ad intelligentiam, conservat in eo memoriam, ordinat ad vitam aeternam. Ideo beatus Bernardus [11] de hoc ligno ita ait: « Cum *sapientia secundum nomen suum* dicta sit saporosa scientia, in ligno crucis stude, si vis hunc saporem sentire; dat enim visum caecis, sanitatem infirmis, vitam mortuis ».

Secundo in ligno crucis possumus invenire vo- Secundus. *luptatum carnis mortificationem,* ut homo pro Christo sacrificet carnem suam per poenitentiam. De isto

[1] Cap. 53, 7; sequuntur Ioan. 10, 18. et Isai. 53, 12.
[2] Ioan. 10, 18.
[3] Rom. 2, 23; sequuntur I. Cor. 15, 22. et Isai. 53, 12.
[4] Sap. 2, 20.
[5] Praefatio de cruce, ex Sacrament. Gregorii.
[6] Respicitur I. Petr. 3, 18: *Mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu.*
[7] Cap. 6, 4.
[8] Epist. I. Cor. 2, 2; sequitur II. Cor. 12, 2. 4.
[9] Metaphrast., tom. III. col. 290 § 13.
[10] Prov. 3, 18.
[11] Cfr. Cassiod. in Ps. 4, 6; et respicitur Eccli. 6, 23.

sacrificio Apostolus ad Galatas [1]: *Christo confixus sum cruci;* Glossa: « Per amorem »; et subdit: *Vivo autem, iam non ego; vivit vero in me Christus.* — *Vivo ego,* non secundum carnem; « vita mirabilis est vivere in carne praeter carnem ». Et dicit ibi Glossa: *Christo cruci confixus sum:* « crux ardorem peccati refrigerans, vigorem operandi praestans ». *Vivit vero in me Christus,* id est, vita mea in vita Christi apparet vivere spiritualiter, non carnaliter. Haec debet esse vita Christiani, non vivere secundum carnem, sicut alibi [2] docet Apostolus: *Qui sunt Christi carnem suam crucifixerunt* etc. Dignum est enim, ut, si Domini crucifixi passionem in cordibus nostris habeamus, a fluctibus carnalium voluptatum nos abstineamus. Quid enim valet habere nomen Christiani, et non exercere opus Christiani [3]; habere nomen militis, et non facere opus militis? — In multis hodie contrarium est; carnale opus exercent et spirituale opus vilipendunt. Istam vitam spiritualem invenimus in ligno crucis, ut, sicut de ligno vitae licebat homini vesci in statu innocentiae, ita homo vivens vita spirituali possit vesci spiritualiter de ligno crucis Christi, qui *operatus est salutem in medio terrae,* scilicet in utero Virginis Mariae.

Tertius. Tertio, in ligno crucis est invenire *summam paupertatem* et voluntariam, ut homo omne terrenum spontanea voluntate contemnat. Hoc est quod ait Apostolus ad Galatas [4]: *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi;* quasi dicat: in alio gloriari indecens est. Et quomodo? Per paupertatem. Nam subditur: *per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo;* hoc est, ut nec mundus me alliciat ad sui amorem, nec ego mundum. Et quid facit hoc, ut nec homo amet mundum, nec mundus eum? Certe vera paupertas, quae contemnit totum mundum. *Vae* ergo hominibus *divitibus,* qui totam spem suam in pecuniis suis ponunt! Quomodo audent detrahere paupertati, quando Rex caeli in tantum pauper fuit, quod *non habuit, ubi caput suum reclinaret?* sicut ait in Evangelio de se ipso. Ipsi autem cupidi homines et avari de nulla re temporali possunt satiari; *insatiabilis* enim est *oculus cupidi, et avarus non implebitur pecunia.*

Quartus. Quarto, in ligno crucis est invenire *eminentem humilitatem* ad detestandum omnem superbiam; ad Philippenses [5]: *Exinanivit semetipsum,* humilians se Deo Patri *usque ad mortem.* Dicit Bernardus, quod cum humilitas sit praeclara in praeclaris, praeclarior in praeclarioribus, praeclarissima est in praeclarissimis. Sed ipse est *altissimus super omnem terram* [6], cui subiecta sunt *caelum, terra, mare et omnia, quae in eis sunt.* Ergo eius humilitas fuit praeclarissima. Consuetudo prava est hominum, quod cum aliqua bona dicuntur de aliquibus, diminuunt ea, quantum possunt; si de eis aliqua mala dicuntur, statim vellent exaltari usque ad caelum; alios humiliant, se exaltant. Totum contrarium fuit in Christo; se humiliavit, ut alios exaltaret, usque ad ignominiosum genus mortis latronum et homicidarum. Unde Glossa [7] ibi dicit: *Humiliavit semetipsum* etc.: « Quid ergo superbis, terra et cinis? Caput est humile, et tu, membrum humile, superbis »? Ideo dicit Bernardus [8]: « Humilitas est virtus, qua homo verissima agnitione sibi ipsi vilescit ». Impossibile est, aliquem sive in praesenti, sive in futuro venire ad exaltationem nisi per humilitatem. Si enim superbus homo exaltatur ad aliquam dignitatem vel praelationem, hoc est ad confusionem suam, quia non placet Deo talis exaltatio; Ezechielis [9]: *Ego Dominus humiliavi lignum sublime et exaltavi lignum humile;* Psalmus: *Vidi impium superexaltatum;* sequitur: *Transivi, et ecce, non erat.* Sed de exaltatione Christi propter humilitatem subditur: *Propter quod et Deus exaltavit illum* etc.

Ultimo in ipso crucis ligno est invenire *virtutem insuperabilem* ad expugnandum omnia machinamenta daemonum; unde Apostolus ad Corinthios [10]: Fratres, *verbum crucis pereuntibus quidem stultitia est.* Et qui sunt *qui pereunt*? Certe illi qui totum mundum et *ea quae sunt in mundo,* sapiunt. Talibus difficile est praedicare crucem poenitentiae. Stultitia videtur eis, quia non credunt invenire aliud saeculum. Sed *eis qui salvi fiunt,* hoc est, qui salvari volunt, *Dei virtus est,* virtus potens superare omnia diaboli tentamenta. Tantae virtutis est lignum crucis Christi, quod statim, facto signo, fugit diabolus confusus, sicut de quodam Iudaeo legitur [11], qui se signavit hoc signo, cui daemones nocere non potuerunt, sed dixerunt: « Vae, vae, vas vacuum et signatum »! In hoc ligno crucis debet quilibet Christianus spem suam ponere, si vult contra adversarium suum, diabolum, acriter pugnare, quia scriptum est: « Nulla salus est in domo, nisi cruce munit homo », ut sic possit ad gaudia caeli pervenire, quae nobis concedat etc.

---

[1] Cap. 2, 19. seq. — Sequitur Glossa *interlinearis;* seq. sententia est Petr. Chrysolog. serm. 143. n. 4; et Glossa est Petri Lombardi.

[2] Gal. 5, 24.

[3] Cfr. Ambros., serm. 30. (in appendice) n. 3. — Sequitur Ps. 73, 12.

[4] Cap. 6, 14; dein respicitur Luc. 6, 24; sequuntur Matth. 8, 20; Eccli. 14, 9. et Eccle. 5, 9.

[5] Cap. 2, 7. seq.

[6] Psalm. 96, 9; sequitur Ps. 145, 6.

[7] Scilicet *ordinaria* in hunc locum, quae est ex August., serm. 304. (alias 37. de Divers., vel serm. 3. in solemnit. Laurent. Martyr.) c. 4. n. 3.

[8] Tract. de Gradib. humil. c. 1. n. 2.

[9] Cap. 17, 24; sequuntur Ps. 36, 35. seq. et Phil. 2, 9.

[10] Epist. I. c. 1, 18; sequitur I. Ioan. 2, 15. et I. Cor. 1, 18.

[11] Gregor., III. Dialog. c. 7.

DOMINICA III. POST PASCHA.

Sermo I [1].

Mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium, Ioannis decimo sexto [2].

Introductio. Quia « opposita iuxta se posita magis elucescunt », ideo Dominus in verbo proposito aperit statum religiositatis apostolicae per oppositum mundanae lubricitatis, cum dicit: *Mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini.* In quo quidem verbo primo Divisio. notatur *illicita delectatio* humanae lubricitatis; secundo, *temporanea tribulatio* apostolicae religiositatis; tertio, *futura consolatio* aeternae iucunditatis. Primo notatur illicita delectatio mundanae lubricitatis, cum dicit: *Mundus gaudebit;* secundo, temporanea tribulatio apostolicae religiositatis, cum subdit: *vos autem contristabimini;* tertio, futura consolatio aeternae iucunditatis, cum subinfert: *sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Mira dispensatio divinae bonitatis, quod non datur dulcedo sapientiae nisi praevia amaritudine poenitentiae, quoniam per luctum tribulationis et angustiae exemplo Christi *oportet nos intrare in regnum* [3] felicitatis aeternae.

I. Dicit ergo: *Mundus gaudebit,* ubi notatur Pars I. *illicita delectatio* mundanae lubricitatis. Tota vero delectatio sive gaudium mundanae lubricitatis potest comprehendi sub triplici differentia hominum, secundum quod innuitur primae Ioannis secundo [4]: *Omne, quod est in mundo,* aut *est concupiscentia carnis,* faciens lubricos et luxuriosos, aut *concupiscentia oculorum,* faciens avaros et pecuniosos, aut *superbia vitae,* faciens magnificos et ambitiosos. Unde secundum istam triplicem differentiam hominum, ex qua pullulant omnia genera peccatorum, in qua consistit totum gaudium mundanum, potest dici, Subdivisio. quod primo gaudent *luxuriosi* in experientia carnalis lasciviae; secundo gaudent *avari* in copia insatiabilis pecuniae; tertio gaudent *ambitiosi* sive superbi in excellentia honoris et iactantiae. Ratione primi illud gaudium depravat naturam propriam, ratione secundi obligat ad poenam aeternam, ratione tertii provocat divinam offensam.

Primo, gaudent *luxuriosi* in experientia carna- Primo, de luxuriosis. lis lasciviae depravantis naturam propriam; et de hoc dicitur Isaiae vigesimo secundo [5]: *Et ecce, gaudium et laetitia, occidere vitulos et iugulare arietes, comedere carnes et bibere vinum;* quia lubrici homines non intendunt vacare nisi lasciviae, gulae et luxuriae. Nam vitium gulae attrahit ad luxuriam, ideo dicitur: *Ecce, gaudium occidere vitulos;* mane *comedere carnes* quantum ad lasciviam gulae; *et laetitia bibere vinum* quantum ad lasciviam luxuriae; nam *luxuriosa res* est *vinum.* Illa enim est duplex lascivia in anima, quae a Deo avertitur, ut, amisso honore castitatis et munditiae, brutis animalibus, *quibus non est intellectus, comparetur,* eo quod in eis pervertitur ordo naturalis, quando cognunt spiritum ancillari et carnem dominari et ad similitudinem porci non intendunt nisi curationi cutis.

Secundo, gaudent *avari* in copia insatiabilis pe- Secundo, de avaris. cuniae, obligantis ad poenam aeternam; unde Ezechielis vigesimo quarto [6]: *Tollum ab eis fortitudinem eorum et gaudium dignitatis et desiderium oculorum eorum, super quo requiescunt animae eorum.* Quia avari, in quibus est terrenum desiderium et concupiscentia oculorum, ponunt finem laetitiae et spem dilectionis in divitiis suis, *in* quarum *multitudine gloriantur* et requiescunt quasi in fine ultimo; ideo Dominus minatur eis tollere divitias in praesenti et nihilominus punire eos in futuro poena infernali, eo quod maximam iniuriam sibi intulerunt, cum praeposuerunt Creatori aeterno et bono incommutabili creaturam temporalem et caducam. Unde avaritia ab Apostolo appellatur *idolorum servitus.* Bernardus super illud Lucae decimo sexto [7]: *Tu vero cruciaris:* « Quid ergo dicemus ad haec? si talis est exitus, si tale iudicium, ut *extrema gaudii luctus occupet,* nunquid non praeferenda sunt in hoc saeculo mala bonis »? quasi dicat: sic.

Tertio, gaudent *ambitiosi* in excellentia honoris Tertio, de ambitiosis. et iactantiae provocantis divinam offensam; unde Iob vigesimo [8]: *Gaudium hypocritae ad instar puncti. Si ascendit usque ad caelum superbia eius, et caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur.* — Quia gaudium ambitiosi est vanum, eo quod ad modum hypocrisis non habet existentiam, sed tantum apparentiam; ideo dicitur *gaudium hypocritae,* sed additur: *ad instar puncti,* quia tale gaudium est quasi momentaneum, et eius *finis interitus.* Sed quia ambitiosus et superbus per suam reputationem quasi elevatur *usque in caelum* praeferendo se omnibus, ideo secundum rectam divinae institiae regulam deprimentur usque ad profundum abyssi secundum veritatem, quoniam in fine mortis suae *quasi* vile *sterquilinium perdetur.*

---

[1] Ex Vaticana et C D E F ac brevius ex cod. Tudert. n. 104. fol. 178 r., et O (Zwickau). — Prothema deest.

[2] Vers. 20. — Sequitur Aristot., Problem. sect. 22. n. 11.

[3] Respicitur Act. 14, 21.

[4] Vers. 16.

[5] Vers. 13; sequuntur Prov. 20, 1. et Ps. 31, 9.

[6] Vers. 25; sequuntur Eph. 5, 5. et Ps. 48, 7.

[7] Potius Gaufridus, Declamat. (inter opera Bernardi) c. 23. n. 27, ubi allegantur Luc. 16, 25. et Prov. 14, 13.

[8] Vers. 5-7; infra respicitur Phil. 3, 19.

II. Secundo notatur *temporanea tribulatio* apostolicae religiositatis, cum subdit: *vos autem contristabimini*. Apostoli namque tanquam veri religiosi secundum Deum triplicem habuerunt tribulationem sive tristitiam. Primo habuerunt tristitiam lacrymosae *contritionis* in propriae transgressionis recordatione; secundo, dolorosae *compassionis* in dominicae passionis meditatione; tertio, afflictionem *desolationis* in Christi praesentiae corporalis privatione.

Pars II.

Subdivisio.

Primo habuerunt tristitiam *lacrymosae contritionis* in propriae transgressionis recordatione; unde secundae ad Corinthios septimo [1]: *Quae enim secundum Deum tristitia est poenitentiam in salutem stabilem operatur*. Ille namque exemplo Apostolorum contristatur *secundum Deum*, qui, cum cogitat propter suum peccatum Deum offendisse, ita dolet intime et colaphizatur dure interius, ut prorumpat in lacrymas exterius, exemplo principis Apostolorum, Petri [2], qui, cum negaret Christum, prae nimia tristitia *flevit amare;* et talis tristitia *operatur poenitentiam in salutem* aeternam, eo quod meretur veniam omnium peccatorum, quibus obligabatur ad poenam aeternam; unde Psalmus: *Tota die contristatus ingrediebar;* admonet ipsum continue ruminandum, ne aliquod peccatum in conscientia lateret [3]. Unde Bernardus [4] super illud: *Tempus putationis advenit:* « Parum est semel putasse, saepe putandum est, immo, si fieri potest, semper, quia semper quod putari oporteat, si non dissimulas, invenis. Quantumlibet in hoc corpore manens profeceris, erras, si vitia putas emortua et non magis suppressa. Velis, nolis, intra fines tuos habitat lebusaeus; subiugari potest, sed non exterminari ». Unde Gregorius [5] super illud Iob: *Parata ad tempus statutum:* Tempore igitur misericordiae deflenda est humiliter culpa, ne in tempore iustitiae miserabiliter deploretur acerbitas poenae.

Primo, de tristitia contritionis.

Secundo habuerunt tristitiam *dolorosae compassionis* in dominicae passionis meditatione; unde in Psalmo [6]: *Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus? Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?* Et respondet parum inferius: *Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum tuarum.* — Quilibet verus Christianus, cum dicitur sibi a praedicatore, quod *Deus tuus* fuit in cruce crudeliter vulneratus, turpiter exprobratus et viliter abiectus, debet in tantum gemere vel geminare voces doloris et latius inundare lacrymarum torrentes, ut possit dicere cum fideli David: *Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?* Sed et prae nimia admiratione de exhibitione tantae benignitatis debet se ipsum examinare et interrogare, dicens: *Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?* et postea rationem reddere sibi ipsi subiungendo: *Abyssus,* passionis Christi, *invocat abyssum,* compassionis Christiani, quia non alium habitum debet praetendere Christianus, nisi qualem veritas professionis exprimit, a Christo. *In voce cataractarum tuarum,* id est plagarum, *omnia excelsa tua et fluctus tui,* id est opprobria, dolores et tormenta indicibili compassione in propriam personam retorquens, *sentiendo quod et in Christo Iesu* [7], *super me transierunt.* Istam tristitiam continue habebat Paulus, cum dicebat: *Ego stigmata Domini Iesu in corpore meo porto;* sic et omnes Apostoli. Nam prae nimia tristitia dolorosae compassionis de Domini passione transformati erant in Crucifixi effigiem per conformitatem.

Secundo, de tristitia compassionis.

Tertio habuerunt tristitiam *afflictae desolationis* in praesentiae Christi corporalis amissione; unde Ioannis decimo sexto [8]: *Vado ad eum qui misit me, et nemo ex vobis interrogat me: Quo vadis? Sed quia haec locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.* — Dominus noster Iesus Christus tanquam benignus magister *propter nimiam dilectionem, qua dilexit nos,* discipulos suos, et maxime *in fine,* non solum sollicitavit eos ad inquirendum beneficium suae passionis; *nemo ex vobis interrogat me: Quo vadis?* immo sine inquisitione praedicit eis suam mortem, quam voluntarie in proximo erat recepturus pro redemptione humani generis, cum addit: *Vado ad eum qui misit me.* Sed quia de morte eius discipuli vehementer desolabantur, ideo sequitur: *Sed quia haec locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.* Si ergo sola imaginatio de privatione societatis Christi tantum dolorem inflixit, ut *tristitia impleret cor* eorum, pro certo multum additur experientia facti. Unde de eis cantatur [9]:

Tertio, de tristitia desolationis.

Tristes erant Apostoli
De nece sui Domini.

III. Tertio notatur *futura consolatio* aeternae iucunditatis, cum subinfert: *sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Triplicem consolationem sive gaudium habuerunt Apostoli secundum praedictam triplicem tristitiam. Nam primo tristitia lacrymosae contritionis de propriae transgressionis recordatione vertetur in gaudium *internae delectationis* propter evasionem mortis aeternae; secundo tristitia dolorosae compassionis de dominicae passionis meditatione vertetur in gaudium *mutuae congratulationis* propter cohereditationem caelestis patriae; tertio

Pars III.

Subdivisio.

[1] Vers. 10. et 9.

[2] Matth. 26, 75; sequitur Ps. 37, 7.

[3] Locus corruptus; Vaticana male legit: *Amovet ipsum continue terminandum.*

[4] Serm. 58. in Cant. n. 10, ubi respicitur Cant. 2, 6.

[5] Libr. X. Moral. c. 31. n. 54. quoad sensum, ubi allegatur Iob 12, 5.

[6] Psalm. 41, 4. 6. 8.

[7] Phil 2, 5; sequitur Gal. 5, 17.

[8] Vers. 5. seq.; sequitur Ephes. 2, 4. et respicitur Ioan. 13, 1.

[9] Hymnus ad Vesper. Commun. Apost. Temp. Paschali.

tristitia afflictae desolationis de corporalis Christi praesentiae amissione vertetur in gaudium *laetitiae et consolationis* propter visionem resurgentis Sapientiae.

Primo, de exsultatione propter evasionem damnationis.

Primo lacrymosae contritionis tristitia de peccati recordatione versa est in gaudium laetitiae et exsultationis propter *evasionem mortis aeternae;* unde Isaiae quinquagesimo primo [1]: *Gaudium et laetitiam tenebunt*, et *fugiet dolor et gemitus*, quia *ego ipse consolabor vos.* — *Gaudium et laetitiam*, dulcoramtis gratiae, *tenebunt*, qui habuerunt tristitiam contritionis de suae iniquitatis commissione; insuper *fugiet dolor et gemitus*, mortis aeternae, quia *ego ipse*, Dominus, *consolabor vos*, remittendo omnia peccata. Et de hoc similiter dicitur in Psalmo: *Convertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum et circumdedisti* etc.

Secundo, de mutua congratulatione propter adeptionem gloriae.

Secundo habuerunt tristitiam dolorosae compassionis de morte Christi, quae versa est in gaudium mutuae congratulationis propter *caelestis gloriae participationem.* Conveniens enim est, ut qui condolent Christo per compassionem congaudeant cum eo per gloriae participationem, ut qui sunt *socii passionum* sint similiter *et consolationum* [2]; unde primae Petri quarto: *Communicantes Christi passionibus, gaudete, ut et in revelatione gloriae eius gaudeatis exsultantes.*

Tertio, de consolatione propter visionem resurgentis.

Tertio tristitia afflictae desolationis de amissione Christi versa est in gaudium laetitiae et consolationis propter *visionem resurgentis Sapientiae;* unde in Psalmo [3]: *Laetificabis eum in gaudio cum vultu tuo;* quod fuit adimpletum, quando Christum resurrexisse Apostoli visu cernunt corporeo. De quo gaudio similiter dicitur Isaiae ultimo: *Videbitis, et gaudebit cor vestrum;* et sequitur: *Videbunt gloriam meam, et ponam in eis signum et mittam ex eis qui salvati fuerint, ad gentes in mare, in Africam et Lydiam, tendentes sagittam: in Italiam et Graeciam, ad insulas longe, ad eos qui non audierunt de me et non viderunt gloriam meam; et annuntiabunt gloriam meam gentibus.* Apostoli namque, postquam viderunt gloriam Christi resurgentis, et postquam fuerunt signati signaculo Trinitatis, *tendentes sagittam* praedicationis, missi fuerunt tanquam veri testes per universum mundum, *ut annuntiarent gloriam* Dei, quam suis oculis conspexerunt. Rogemus ergo Dominum etc.

Sermo II [4].

Sermo fratris Bonaventurae in capitulo Tolosae.

Tristitia vestra vertetur in gaudium, Ioannis decimo sexto [5].

Divisio.

Dominus discipulos suos consolans de sua absentia corporali, duo facit in his verbis: ostendit enim eis praesentis *tribulationis meritum* et caelestis *remunerationis praemium.* Primum, ibi: *Tristitia vestra;* secundum, ibi: *vertetur in gaudium.*

Pars I. Tr standum d tribus.

I. Circa primum nota, quod debemus tristari in praesenti solum de tribus, scilicet ex *peccatorum consideratione* humiliativa, quae operatur in nobis vindictam punitionis; secundae ad Corinthios septimo [6]: *Quae secundum Deum tristitia est poenitentiam in salutem stabilem operatur.* — Ex *proximorum compassione* transformativa, quae operatur in nobis sollicitudinem eorum salvationis; secundae ad Corinthios septimo: *Ecce, hoc ipsum secundum Deum contristari vos quantam in vobis operatur sollicitudinem!* — Ex *patriae dilatione* sursum activa, quae operatur in nobis vehementiam amoris et devotionis; Psalmus: *Tota die contristatus ingrediebar. Domine, ante te omne desiderium meum, et gemitus meus non est a te absconditus.*

Pars II. Ga dendom c tribus.

II. Haec vero triplex tristitia generabit in nobis triplex *gaudium*, in quod vertetur, scilicet gaudium de *evasione* infernalium *tormentorum;* Isaiae ultimo [7]: *Ego consolabor vos et in Ierusalem consolabimini. Videbitis, et gaudebit cor vestrum, et videbunt cadavera virorum, qui praevaricati sunt in me.* — De *conversione* infidelium *proximorum;* Lucae decimo quinto: *Gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente.* — De *consecutione* aeternalium *praemiorum;* Ioannis decimo sexto: *Iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis* etc.

Sermo III [8].

Item, sermo fratris Bonaventurae in Capitulo provinciali Lansensis (?) [9].

Videbo vos, et gaudebit cor vestrum, Ioannis decimo sexto [10].

Divisio.

In his verbis declaratur maxima *clementia Dei* aeterni et intensa *laetitia generis humani.* Primum nota in visione Dei condescendentis; secundum, in nostra exaltatione gaudii affluentis: *Videbo*, inquit, *vos, et gaudebit cor vestrum.*

Pars I. C tuor gen hominu

I. Circa primum nota, quod Filius Dei visum sunm extendit super quatuor genera hominum, scilicet super constitutos in *contemplatione* superna; Genesis vigesimo secundo [11]: *In monte Dominus videbit.* — Super constitutos in *conversatione* praeclara; Psalmus: *Oculi Domini super iustos, et aures*

---

[1] Vers. 11. seq.; sequitur Ps. 29, 11.
[2] Epist. II. Cor. 1, 7; sequitur I. Petr. 4, 13.
[3] Psalm. 20, 7; sequitur Isai. 66, 14. 18. 19.
[4] Ex A fol. 120 v. et B fol. 45 v.
[5] Vers. 20.
[6] Vers. 10; sequuntur v. 11. et Ps. 37, 7. 10.
[7] Cap. 66, 13. 14. 24; sequuntur Luc. 15, 10. et Ioan. 16, 22.
[8] Ex A fol. 121 r.
[9] Hoc verbum certo legi non potest.
[10] Vers. 22.
[11] Vers. 14; sequuntur Ps. 33, 16. et Isai. 66, 2.

eius in preces eorum. — Super constitutos in *devotione* continua; Isaiae ultimo: *Ad quem autem respiciam nisi ad pauperculum et contritum spiritu* etc. — Super constitutos in *mentis ordinatione* arcta; Ioannis sexto [1]: *Cum sublevasset oculos Iesus et vidisset, quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Unde ememus panes* etc.

II. Circa secundum nota, quod cor nostrum in hoc mundo vere gaudere potest solum in quatuor, scilicet in *virtutum pulcritudine;* Isaiae sexagesimo primo [2]: *Gaudens gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis* etc. — In *meritorum multiplicatione;* Lucae decimo: *Nolite gaudere, quia spiritus vobis subiiciuntur; gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in caelis.* — In *tribulationum perpessione;* Iacobi primo [3]: *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in varias tentationes incideritis* etc. — In *aeternorum odoratione;* Isaiae ultimo: *Gaudete cum Ierusalem gaudio, universi, qui lugetis super eam, ut sugatis et repleamini ab ubere consolationis eius* [4].

II. Quae vel causae dendi.

DOMINICA IV. POST PASCHA.

Sermo I [5].

Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, Ioannis decimo sexto [6].

Videns Dominus noster Iesus Christus, discipulos suos desolari de recessu suo corporali, in remedium desolationis in verbo proposito promittit eis regale xenium, imperiale donum, scilicet Spiritum sanctum, quo habito, non est locus desolationis et moestitiae, immo consolationis et laetitiae. Ut autem eorum animos in eius concupiscentiam provocet, describit eum quantum ad triplicem proprietatem, quae omnem animam desiderio sui in eius amorem trahit. Primo describit eum quantum ad *benignitatem* propter communicativam praesentiam maiestatis altissimae; secundo, quantum ad *nobilitatem* propter excellentiam dignitatis personae; tertio, quantum ad *liberalitatem* propter redundantiam copiositatis doctrinae. Primo describit eum ut *benignissimum* propter communicativam praesentiam altissimae maiestatis, cum dicit: *Cum venerit.* Vere magna benignitas, quia talis et tantus doctor non dedignatur venire ad suos discipulos contra consuetudinem aliorum magistrorum. Secundo describit eum ut *nobilissimum* propter excellentiam dignitatis personae, cum subdit: *ille Spiritus veritatis.* Nihil enim excellentius, nihil pretiosius, nihil nobilius Spiritu sancto. Tertio describit eum ut *liberalissimum* propter redundantiam copiositatis doctrinae, cum subinfert: *docebit vos omnem veritatem.* De isto fontalissimo doctore omnes rivi sapientiae et scientiae emanant et derivantur.

Introductio.

Divisio.

I. Dicit ergo: *Cum venerit,* ubi describit eum quantum ad *benignitatem* propter communicativam praesentiam altissimae maiestatis. Si quaeratur ratio, quare ille benignissimus Spiritus dignatus est ad suos discipulos venire; optime respondetur, quod sua benignitas est ratio praecipua. Nam ratione benignitatis suae venit iste Spiritus primo ut *medicus* totius experientiae propter collationem spiritualis et corporalis vitae; secundo, ut *magister* totius sapientiae propter instructionem utilis doctrinae; tertio, ut *rex* totius opulentiae propter amotionem totalis indigentiae. Primum est respectu infirmorum, secundum respectu ignorantium, tertium respectu pauperum.

Pars I.

Subdivisio.

Primo venit ut *medicus totius experientiae* propter collationem spiritualis et corporalis vitae. O quam peritus est iste medicus, qui mortuos spiritualiter et corporaliter vivificat et omnem languorem curat sine ferro et sine igne, sed solo curationis verbo et suae voluntatis beneplacito! Unde Ezechielis trigesimo septimo [7]: *Veni, spiritus, et insuffla super interfectos istos, et reviviscant,* scilicet a morte culpae per collationem gratiae. Unde sicut corpus mortuum est sine anima, sic et anima mortua est sine Spiritu sancto.

Venit primo ut medicus.

Secundo venit ut *magister totius sapientiae* propter instructionem utilis doctrinae. Ipse enim est fontale principium omnis scientiae et specialiter christianae doctrinae sive propheticae, sive apostolicae secundum utramque Legem. Et *propter hoc,* dicitur Sapientiae septimo [8], *optavi, et datus est mihi sensus, et invocavi, et venit in me spiritus sapientiae; et praeposui illam regnis et sedibus et divitias nihil esse duxi in comparatione illius.* Quia Spiritus sanctus, licet sit liberalis et largus in dando, quia ipse est providus et discretus in dispensando; ideo ad hoc, ut aliquis ab ipso magnum beneficium impetret, requiritur convenientia debitae dispositionis ex parte sui; et propter hoc dicitur: *Optavi,*

Secundo, at magister.

---

[1] Vers. 5.

[2] Vers. 10; sequitur Luc. 10, 20.

[3] Vers. 2; sequitur Isai. 66, 10. seq.

[4] In bibliotheca regia Monachii habetur cod. Lat. n. 7776, in quo fol. CCXXX v. col. II. est sermo pro III. Dom. post Pascha de themate: *Videbo vos, et gaudebit cor vestrum* (Ioan. 16, 22.), dispositus secundum Bonaventuram eiusque schema, quod habetur in Collation. in Ioannem, collat. 60. (tom. VI. pag. 608), qui tractat de themate: *Petite, et accipietis.* In codice ille sermo est paulo diffusior, et satis quoad sententias cum schemate convenit; sed pluribus vitiis corruptus, ut imprimi vix mereatur.

[5] Ex Vaticana et C D E F et brevius habetur in cod. Tudertino n. 104. fol. 178 et in O.

[6] Vers. 13.

[7] Vers. 9.

[8] Vers. 7. seq.

vehementi desiderio amoris, *et invocavi*, cum devotione in oratione. *Et* tunc *datus est mihi sensus*, discretionis et prudentiae, *et venit in me spiritus*, illuminantis, *sapientiae; et praeposui illam regnis*, id est omnibus rebus temporalibus, eo quod *nihil sunt in comparatione illius*. Nam si Scriptura sileret, experientia doceret, quia cunctae res non satiant appetitum animae rationalis, eo quod homines, his omnibus adeptis, ardentiores fiunt in acquirendo; et ideo manifestum est, quod horum acquisitio vel possessio plus habet vacuitatis et indigentiae quam soliditatis et sufficientiae; unde in eis nunquam sistit appetitus, quia non invenit soliditatem. Sed spiritus sapientiae est totius animae completivus et moderativus; ita enim inebriat hominem, ut in omnibus operibus ducatur sobrie.

Tertio, ut rex. Tertio venit ut *rex totius opulentiae* propter anotionem totius indigentiae; unde Actuum secundo [1]: *Factus est repente de caelo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis et replevit totam domum, ubi erant sedentes;* unde sequitur: *Repleti sunt omnes Spiritu sancto.* Ita enim Spiritus sanctus Apostolos virtutibus et donis et muneribus adimplevit et opulentavit, ut in nullo egerent, cum eos constituit heredes et reges regni caelorum et principes fidei christianae. Hic est enim, *qui suscitat de terra*, avaritiae, avarum et *inopem, et erigit de stercore*, immunditiae, peccatorem et *pauperem*, ut opulentatus veris divitiis gratiae, *sedeat cum* apostolicis *principibus et solium gloriae teneat*, in caelesti patria.

Pars II. Subdivisio. II. Sequitur: *ille Spiritus veritatis*, ubi describit eum secundo quantum ad *nobilitatem* propter excellentiam dignitatis personae. Ille enim Spiritus ratione suae dignitatis et excellentiae est primo *admirabilis* in incipientibus propter spiritualem purgationem omnium peccatorum; secundo, *venerabilis* in proficientibus propter fidelem dispensationem charismatum divinorum; tertio, *desiderabilis* in pervenientibus propter mentalem refectionem suavium ciborum. Ratione primi est virtutis summae; ratione secundi, aequitatis perfectae; ratione tertii, bonitatis supremae.

Primo, Christus est admirabilis in incipientibus. Primo ille Spiritus est *admirabilis in incipientibus* propter spiritualem purgationem omnium peccatorum; unde Isaiae quarto [2]: *Sanctus vocabitur omnis, qui scriptus est in vita in Ierusalem; si abluerit Dominus sordes filiarum Sion et sanguinem Ierusalem laverit de medio eius in spiritu iudicii et spiritu ardoris.* — Dicitur Spiritus sanctus *spiritus iudicii*, in quantum imprimit in animam timorem divinae severitatis; sed *spiritus ardoris*, in quantum elevat ad amorem bonitatis. His duobus, scilicet timore et amore, *abluit Dominus sordes filiarum Sion et sanguinem Ierusalem*, id est maculas peccatorum spiritualium et carnalium. Ad illud balneum accedere debent omnes peccatores sordibus inquinati.

Secundo, venerabilis in proficientibus. Secundo est *venerabilis in proficientibus* propter dispensationem fidelem charismatum divinorum; unde primae ad Corinthios duodecimo [3]: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus;* et post enumerationem donorum et gratiarum sequitur: *Haec omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult.* Spiritus sanctus distribuit omnia bona secundum nostrum meritum et suam complacentiam. Unde licet diversi, distincti et multiplices rivuli a fonte egrediantur, tamen unus est fons, qui sine defectu se multiplicat; sic ab uno fonte aeterno, ab uno paradiso, ab uno Spiritu sancto sine sui defectibilitate egrediuntur diversi rivuli gratiarum, donorum et beatitudinum [4].

Tertio, desiderabilis in pervenientibus. Tertio est *desiderabilis in pervenientibus* propter mentalem refectionem suavium ciborum; unde possunt dicere Sancti in patria [5]: *O quam bonus et suavis est, Domine, Spiritus tuus in* nobis! Unde bene coniungitur bonum suavi. Nam est bonum, quod non est suave, sicut timor poenae, et est suave, quod non est bonum, sicut voluptas lasciviae; sed totum bonum dixit qui bonum suavi coniunxit [6], dicendo: *O quam bonus est et suavis!* Sed quia vix invenitur aliqua delectatio terrena, quae non sit respersa amaritudine, vel prae frequenti assuetudine generet fastidium; ideo divina Sapientia, Christus, dicit Ecclesiastici vigesimo quarto [7]: *Spiritus meus super mel dulcis. — Spiritus meus*, qui a me procedit, *super mel dulcis*, id est super omnem delectationem creaturae. Nam mel in genere creaturae habet dulcedinem; unde dulcedo Spiritus sancti sic dulciter reficit, ut perfecte animam satiet, nec generat fastidium, immo continuat desiderium.

Pars III. III. Ultimo describit eum quantum ad *liberalem redundantiam* copiositatis doctrinae, cum subinfertur: *docebit vos omnem veritatem.* Ratione enim suae redundantiae et copiositatis doctrinae docet iste Spiritus triplicem veritatem, ad quam omnis veritas potest reduci. Primo enim docet fugere *deformitatem culpae* propter timorem divinae severitatis; secundo, *omnia facere sine acceptione personae* propter amorem iustitiae et aequitatis; tertio, *appetere inhabitationem caelestis patriae* propter visionem [8] divinae maiestatis. Primum est respectu sui; secundum, respectu proximi; tertium, respectu Dei. Et sic, cum doceat iste Spiritus fugienda mala propter divinae reverentiae timorem; operanda bona propter amorem institiae; et appetenda caelestia propter fruitionem sapientiae, ut per haec tria ordinetur homo

Subdivisio.

---

[1] Vers. 2. 4; sequuntur I. Reg. 2, 8. et Ps. 112, 7.
[2] Vers. 3-4.
[3] Vers. 4. 11.
[4] Cfr. tom. V. Breviloq. p. V. c. 4. 5. 6.
[5] Sap. 12, 1.
[6] Cfr. Horat., epist. ad Pison. v. 343: « Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci ».
[7] Vers. 27.
[8] Cod. F legit *perfruitionem*.

ad se ipsum, ad proximum et ad Deum: recte potest dici, quod *docet omnem veritatem*.

Primo docet *fugere mala* propter timorem divinae reverentiae; unde in Psalmo [1]: *Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos;* et sequitur: *Declina a malo et fac bonum, inquire pacem et persequere eam.* Quia timor Domini est initium et primarium fundamentum omnis boni, ideo Spiritus sanctus tanquam verus magister primo docet quemlibet sunm discipulum *timorem Domini*, per quem *declinat* homo *a malo et facit bonum* institiae et *inquirit* et sequitur bonum *pacis* in conversatione.

Secundo docet *facere bonum* propter amorem institiae; unde Sapientiae octavo [2]: *Sobrietatem enim et prudentiam docet et institiam et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus.* Quia duplex est institia, id est quantum ad se ipsum et quantum ad proximum; ideo Spiritus sanctus primo docet *prudentiam et sobrietatem* modestiae in utendo quantum ad se ipsum; secundo docet *institiam et virtutem* in reddendo quantum ad proximum. His duobus *nihil utilius est in vita hominibus*, ad consummationem vitae spiritualis.

Tertio docet *appetere caelestia* propter degustationem divinae sapientiae; Sapientiae duodecimo [3]: *Docuisti autem populum tuum per talia opera, quoniam oportet, iustum esse et humanum, et bonae spei fecisti filios tuos.* — Spiritualiter autem ista auctoritas intellecta potest ad praesens sic exponi, ut dirigatur verbum ad Spiritum sanctum: *Docuisti populum tuum*, id est christianum, fidem *per talia opera* miraculosa, quoniam *iustum est et humanum*, ut per effectum deveniamus in cognitionem causae et per visibilia ad invisibilia tanquam animales et sensibiles reducamur, eo quod nostra cognitio in via incipit a posteriori; *et bonae spei fecisti filios tuos*, in exspectando cum desiderio futuram gloriam. Spes enim caelestis patriae excitat in filiis Dei concupiscentias aeternas. Et de hoc similiter dicitur primae Ioannis secundo [4]: *Sicut docuit vos: manete in eo, ut, cum apparuerit, habeamus fiduciam et non confundamur ab eo in adventu eius.* Rogemus Dominum etc.

Dist primo fare mala.

undo, fa- e bonum.

rtio, ap- ere cae- lestia.

Sermo II [5].

Dominica quarta post Pascha. Sermo fratris Bonaventurae in provinciali Capitulo Aragoniae.

Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, Ioannis decimo sexto [6].

Salvator noster, Dominus Iesus, commendat hic novae legis gratiam, ad quam nos adoptavit, a tribus, scilicet ab inspirantis *benignitate*, ab eiusdem *perspicacitate* et doctrinae *liberalitate* seu disciplinae universalitate. Primum, ibi: *Cum venerit ille;* secundum, ibi: *Spiritus veritatis;* tertium, ibi: *docebit vos omnem veritatem.*

I. Circa primum nota, quod Spiritus sanctus magister est, et ideo non solum ad intelligendum, sed suggerit ad volendum et adiuvat ad exsequendum; propter quae tria dicitur: Spiritus *veritatis*, quia docet ad intelligendum; Ioannis decimo quinto [7]: *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis, ille testimonium perhibebit de me* etc. — Spiritus *sanctitatis*, quia movet ad bene volendum; Ioannis decimo quarto: *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia, quaecumque dixero vobis* [8]. — Spiritus *virtutis*, quia adiuvat ad operandum; Actuum primo [9]: *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos* etc.

II. Venit autem ille Spiritus, ubi *amatur;* Ioannis decimo quarto [10]: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.* — Ubi *invitatur;* Sapientiae septimo: *Invocavi, et venit in me spiritus sapientiae* etc. — Ubi *exspectatur;* Habacuc secundo: *Si moram fecerit, exspecta illum, quia veniens veniet et non tardabit.*

III. Docet autem *ille Spiritus omnem veritatem, agendam;* Isaiae trigesimo octavo [11]: *Obsecro, Domine, memento, quaeso, quomodo ambulaverim coram te in veritate et in corde perfecto.* — *Contemplandam;* Matthaei vigesimo secundo: *Scimus, quia verax es et viam Dei in veritate doces.* — *Iudicandam;* Proverbiorum decimo octavo: *Accipere personam impii non est bonum, ut declines a veritate iudicii.*

DOMINICA V. POST PASCHA.

Sermo I [12].

Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum, Ioannis decimo sexto [13].

Licet tantae sit liberalitatis et diffusionis divina bonitas, ut alios ad accipienda sua pretiosa dona invitet, tamen, quia propter prudentiam discretionis, quam insuper habet cum affluentia diffusionis, nulli Introductio.

---

[1] Psalm. 33, 12. 15. et 36, 27; Prov. 15, 27.
[2] Vers. 7.
[3] Vers. 19.
[4] Vers. 27. seq.
[5] Ex A fol. 121 v. et B fol. 46 r.
[6] Vers. 13.
[7] Vers. 26; sequitur c. 14, 26.
[8] Verba *Spiritus sanctitatis* etc. sumsimus ex B.
[9] Vers. 8.
[10] Vers. 23; sequuntur Sap. 7, 7. et Habacuc 2, 3.
[11] Vers. 3; sequuntur Matth. 22, 16. et Prov. 18, 5.
[12] Ex Vaticana et C D E F.
[13] Vers. 24.

dat sua pretiosa dona gratiae, nisi diligenter se praeparet; ideo Dominus noster Iesus Christus ad hoc, ut discipuli sui idonei essent ad recipiendum infinentiam diffusivae bonitatis, in verbo proposito eos et
Divisio. in eis quemlibet nostrum primo, inducit ad convenientem congruentiam *debitae praeparationis* ex parte nostri; secundo, asserit liberalem affluentiam *supernae diffusionis* ex parte Dei; tertio, aperit utilem efficaciam *completae perfectionis* ex parte doni. Primo *convenientia debitae praeparationis* ex parte nostri notatur, cum dicitur: *Petite.* Nulla enim melior praeparatio ad impetrandam divinam gratiam quam petitio devotae orationis. Secundo notatur *affluentia supernae diffusionis* ex parte Dei, cum subditur: *et accipietis;* quasi diceret: tantae liberalitatis et diffusionis est divina bonitas, ut in nobis [1] sit accipere. Tertio notatur *efficacia completae perfectionis* ex parte doni, cum subinfertur: *ut gaudium vestrum sit plenum.*

I. Dicit ergo: *Petite,* ubi nos inducit ad conve-
Pars I. nientem congruentiam debitae dispositionis ex parte nostri. Ille enim debite se disponit ad divinam gra-
Subdivisio. tiam, quantum est de se, qui petit primo *sinceriter* cum rectitudine conscientiae in declinando mala; secundo, *prudenter* cum discretione prudentiae in eligendo bona; tertio, *fiducialiter* cum certitudine confidentiae in exspectando futura.

Primo *petite sinceriter* cum rectitudine con-
Primo, petendum sinceriter. scientiae in declinando mala; unde primae Ioannis tertio [2]: *Carissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum; quidquid petierimus, accipiemus ab eo; quoniam mandata eius custodimus, et ea quae sunt placita coram eo, facimus.* Sicut enim sol, cum est aër depuratus, per resolutionem nubium emittit suos radios et claritatem sui luminis per aëra diffundit circumquaque; sic Deus, *sol iustitiae,* in cor mundum et rectum, in quo non est remorsus conscientiae, infundit abundanter dona suae gratiae. Non est enim conveniens, ut caeleste aroma gratiae ponatur in foetido vase cordis.

Secundo *petite prudenter* cum discretione pru-
Secundo, prudenter. dentiae in eligendo bona. Unde tertii Regum tertio [3] de Salomone dicitur: *Quia postulasti verbum hoc et non petisti tibi dies multos nec divitias aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudicium, ecce, feci tibi secundum sermones tuos;* quasi dicat Deus: *Quia non petisti* diuturnitatem vitae, ut elevareris in superbiam, nec cupiditatem pecuniae, ut deprimereris per avaritiam, nec impietatem vindictae, ut pervertereris per invidiam; *sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum* et eligendum bonum gratiae a malo culpae: ideo petitionem tuam effectui mancipavi. De hoc similiter potest exponi illud Esther septimo: *Quae est petitio tua, Esther, ut detur tibi? et quid vis fieri* tibi? *Etiam si dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis.* Et ait: *Si inveni gratiam in oculis tuis, o rex, et si tibi placet, dona mihi animam meam, pro qua rogo, et populum meum, pro quo obsecro.* Si ergo ista sapiens mulier *praeposuit* salutem corporis sui et proximorum *regnis et sedibus,* multo fortius nos debemus praeponere salutem animae omnibus rebus terrenis, eo quod *plus est anima* quam corpus, nec *prodest* quidquam *homini, si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum* mortis *patiatur,* quia nulla *commutatio potest dari pro anima* [4].

Tertio *petite fiducialiter* cum certitudine con-
Tertio, fiduciali fidentiae in exspectando futura; unde primae Ioannis quinto [5]: *Haec est fiducia, quam habemus ad Deum, quia, quodcumque petierimus secundum voluntatem eius, audit nos; et scimus, quia audit nos, quidquid petierimus.* Quando enim naturaliter homo diffidens de sua potentia, confidenter recurrit ad divinam clementiam, statim misericors Deus aures suae pietatis ad exaudiendum eius preces clementer inclinat, dum tamen non petatur quod sit contrarium saluti suae vel proximi, quia talis petitio displiceret oculis divinae maiestatis, nec inclinaret dulcedinem pietatis, immo irritaret rectitudinem aequitatis. Et propter hoc dicitur Iacobi quarto: *Petitis et non accipitis, eo quod male petatis;* quod fit, quando petitur aliquid, quod sit contrarium saluti animae suae vel proximi; quod displicet Deo, sicut alicui regi qui peteret, ut faceret sibi vituperium vel opprobrium. Sed quia vitia sub specie virtutis aliquando deferuntur, et sub quadam simulatione, quae mater est falsitatis, animus concitatur; ideo multi in sua petitione decipiuntur.

II. Sequitur: *et accipietis,* ubi secundo asserit Pars II.
liberalem *affluentiam supernae diffusionis.* Iuxta triplicem enim dispositionem praedictam accipietis Triplex d
triplex donum ab affluentia divinae liberalitatis. Nam Subdivisio
primo petentes *sinceriter* cum rectitudine conscientiae in declinando malum accipient *claritatem sapientiae* dirigentis animam quantum ad rationalem; secundo, petentes *prudenter* cum discretione prudentiae in eligendo bonum accipient *pretiositatem gratiae* ditantis animam quantum ad concupiscibilem; tertio, petentes *fiducialiter* cum certitudine confidentiae in exspectando futura accipient *soliditatem constantiae* roborantis animam quantum ad irascibilem, ut sic per ista tria dona configuretur anima secundum omnes suas potentias illi beatae Trinitati.

Primo *accipietis claritatem sapientiae* dirigen-
Primo, claritate sapientiae. tis animam quantum ad rationalem; unde Proverbiorum octavo [6]: *Accipite disciplinam meam et non*

---

[1] Supple *desiderium.*

[2] Vers. 21. seq.; dein respicitur Malach. 4, 2.

[3] Vers. 11. seq.; sequitur Esth. 7, 2. seq. et postea respicitur Sap. 7, 8.

[4] Matth. 16, 26.

[5] Vers. 14. seq.; sequitur Iac. 4, 3.

[6] Vers. 10. seq. — Sequuntur serm. in Nativ. Ioan. Bapt. n. 3. et Seneca, Excerpt. l. de paupertate.

pecuniam, doctrinam magis quam aurum eligite. Melior est enim sapientia cunctis pretiosissimis, et omne desiderabile ei non potest comparari. Et quia verbum doctrinae sine exemplo vitae est vanum, et exemplum vitae sine documento doctrinae est parum, sed utrumque perfectum; ideo dicit: *Accipite* primo *disciplinam* vitae et postea magisterium doctrinae, et tunc doctrina intelligentiae et vita disciplinae praeponenda est cunctis opibus, quoniam istae opes terrenae non illuminant, immo adeo oculos avarae mentis denigrant et obcaecant, ut reputet, esse in tenebris lucem. Unde Seneca: « Inflant divitiae animos, superbiam et arrogantiam pariunt, invidiam trahunt, eo usque mentem alienant, ut fames pecuniae nos etiam nocitura delectet ». Doctrina autem sapientiae adeo animam perfecte illuminat et dirigit, ut cognoscat, quanta sit distantia inter tenebras culpae et lucem gratiae, *ut sciat reprobare malum et eligere bonum* [1].

Secundo *accipietis pretiositatem gratiae* ditantis animam quantum ad concupiscibilem; unde ad Romanos quinto [2]: *Abundantium gratiae et donationis et iustitiae accipientes, in vita regnabunt. — Accipientes abundantiam gratiae,* in benigna adoptione, *et donationes,* in charismatum Spiritus sancti repletione, *et iustitiae,* in bonorum operum promotione, locupletati gratiae abundantia, virtutibus et bonis operibus, *regnabunt,* tanquam heredes et reges regni caelorum, *in vita* gloriae.

Tertio *accipietis soliditatem constantiae* roborantis animam quantum ad irascibilem; unde ad Ephesios sexto [3]: *Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo.* Non enim potest humana fragilitas absque cognitione fidei et sanctificatione Dei perseveranter resistere, nisi per virtutem constantiae roboretur. Unde ne humana infirmitas intuitu fragilitatis molliesceret per pusillanimitatem timoris in exspectando futura et in aggrediendo ardua, fracta ancora spei, naufragium incurreret; ideo Apostolus invitat ad *accipiendam armaturam* constantiae et fortitudinis, scilicet divinum adiutorium, quo praemuniti et protecti, possunt faciliter *resistere in die malo* et perseverare *in omni bono.* Insurgant ergo procellae invidiae [4], quia virtute huius armaturae effugantur astutiae daemonum, quia tegmine huius adiutorii confunduntur violentiae Aegyptiorum, quia fortitudine huius patroni submerguntur pestilentiae inimicorum spiritualium.

III. Ultimo notatur *efficacia completae perfectionis* ex parte Dei, cum subinfertur: *ut gaudium vestrum sit plenum.* Tunc experiemur illam utilem efficaciam completae perfectionis, quando iuxta praedictum acceptum donum gratiae accipiemus triplex gaudium gloriae, eo quod omne aliud gaudium ad hoc reduci potest tanquam ad plenum et perfectum. Primo enim, accipientes claritatem sapientiae illuminantis, gaudebunt *veraciter* de aperta visione primae Veritatis; secundo, accipientes pretiositatem gratiae ditantis, gaudebunt *dulciter* in quieta fruitione superoae deliciositatis; tertio, accipientes soliditatem constantiae roborantis, gaudebunt *perpetuatiter* in firma tentione divinae immobilitatis. Et in istis tribus dotibus, in quibus imago *gloriae* consistit, plenum et perfectum gaudium reperitur.

Primo gaudebunt Sancti *veraciter* de aperta visione primae veritatis; unde in Psalmo [5]: *Adimplebis me laetitia* in gaudio *cum vultu tuo.* Magna *laetitia* et gaudio *adimplebitur* anima, quando videbit Deum *facie ad faciem;* in quo modo videndi non potest error intervenire sicut in modo videndi, qui est *per speculum in aenigmate,* in via. Unde Augustinus decimo quinto de Trinitate [6]: « Veritatem sine ulla difficultate videbimus eaque clarissima et certissima perfruemur, nec aliquid quaeremus mente ratiocinante, sed cernemus contemplante ». De hoc similiter Isaiae ultimo: *Videbitis, et gaudebit cor vestrum.*

Secundo gaudebunt Sancti *dulciter* in quieta fruitione supernae deliciositatis; unde Isaiae ultimo [7]: *Laetamini cum Ierusalem, gaudete cum ea gaudio universi, qui lugetis super eam, ut sugatis et repleamini ab ubere consolationis eius, ut mulgeatis et delitiis affluatis ab omnimoda gloria eius.* — Quanto homo magis luget prae nimio desiderio ex dilatione supernae Ierusalem, tanto maiorem dulcedinem gloriae *suget ab uberibus* divinae mulcebritatis, ex qua quidem dulcedine anima repleta et perfusa, non tantum satiatur, immo inebriatur et totaliter absorbetur. Unde Anselmus: « *In gaudium Dei* introibit, quod si tantum saperet et non mergeretur et absorberetur, adhuc posset insurgere appetitus ad amplius capiendum ».

Tertio gaudebunt Sancti *perpetualiter* in firma tentione divinae immobilitatis; unde Isaiae quinquagesimo primo [8]: *Laetitia sempiterna super capita eorum, gaudium et laetitiam tenebunt.* Unde erit *sempiterna* illa *laetitia* et perpetuum illud *gaudium,* quia tunc Sancti adhaerebunt vinculo indissolubili per amorem summo et incommutabili bono; et propter hoc dicebat Christus Ioannis decimo sexto: *Gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Rogemus ergo etc.

De gaudio primo.

De secundo.

De tertio.

Sermo II [9].

Dominica quinta post Pascha. Sermo Bonaventurae in Conventu Parisius, in Capitulo de mane.

Exivi a Patre et veni in mundum, iterum relinquo mundum et vado ad Patrem, Ioannis decimo sexto [10].

---

[1] Isai. 7, 15. [2] Vers. 17.
[3] Vers. 13. [4] Cod. F habet *inundationem.*
[5] Psalm. 15, 11; sequitur 1. Cor. 13, 12.
[6] Cap. 25. n. 45. — Sequitur Isai. 66, 14.
[7] Vers. 10. seq. — Sequitur Anselm., Proslog. c. 26, ubi respiciur Matth. 25, 21.
[8] Vers. 11; sequitur Ioan. 16, 22.
[9] Ex A fol. 121 v. et B fol. 46 v. [10] Vers. 28.

Sub reductione quasi cuiusdam circuli intelligi- Divisio. bilis describit hic Christus suum *egressum a Patre* per aeternam generationem, suum *ingressum in mundum* per carnis assumtionem, suum *decessum de mundo* per crucis passionem, suum *regressum ad caelum* per resurrectionem et ascensionem.

I. Quantum ergo ad primum dicit: *Exivi a Patre* ut *imago* paternorum bonorum, ut *lux* omnium scientiarum et luminum, ut *verbum* [1] universarum rationum viventium, ut *virtus* omnium Angelorum et hominum. Quatuor de membro primo.

II. Quantum ad secundum subdit: *et veni in mundum* ut *regula* vitae aeternae, ut *doctrina* sapientiae supercaelicae, ut *forma* iustitiae emeritae, ut *rosa* patientiae indefessae. Item, de secundo.

III. Quantum ad tertium addit: *iterum relinquo mundum* ut exemplar sequacibus meis relinquendi mundiales *possessiones*, quae reddunt hominem cupidum; et sic fiant pauperes sicut ego; Matthaei decimo nono [2]: *Ecce, nos reliquimus omnia et secuti sumus te; quid ergo erit nobis?* — Mundiales *distractiones*, quae reddunt hominem curiosum; et sic fiant simplices sicut ego; Ieremiae quadragesimo octavo: *Relinquite civitates et habitate in petra, habitatores Moab, et estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis.* — Mundiales *oblectationes*, quae reddunt hominem lascivum; et sic fiant austeri sicut ego; Genesis trigesimo nono: Ioseph, *relicto in manu eius pallio, fugit et egressus est foras.* — Mundiales *consuetudines*, quae reddunt hominem indisciplinatum; et sic fiant morigerati sicut ego; Proverbiorum nono [3]: *Relinquite infantiam et vivite et ambulate per vias prudentiae.* Item, de tertio.

IV. Quantum ad quartum subnectit: *et vado ad Patrem*, ut et fideles mei vadant similiter per viam *precis* sursum agentis, per viam *pacis* stabilientis, per viam *lucis* serenantis, per viam *laudis* superexaltantis. Item, de quarto

IN ASCENSIONE DOMINI.

Sermo I [4].

Sermo in Ascensione Domini Fratris Bonefortune.

Exivi a Patre et veni in mundum et vado ad Patrem [5].

(Prothema). *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, et eritis mihi testes in Ierusalem et in omni Iudaea et Samaria et usque ad ultimum terrae.* Verba ultima sunt scripta in Actibus Apostolorum [6] et sunt Salvatoris nostri ad discipulos loquentis. Dicitur, quod quando Christus voluit ascendere in caelum, tunc dixerunt Apostoli: *Domine, dic nobis: si in tempore hoc restitues regnum Israel?* et dixit Dominus: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate;* quasi diceret: nolo, quod sitis curiosi investigatores, quia haec non est via praedicatorum veritatis; *sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos* et perhibebitis testimonium veritati. Haec est doctrina Christi. Utinam nos nihil curiosum quaereremus, sed solum salutare, scilicet quod infusum est a Spiritu sancto. Nos, qui testificamur praedicando veritatem salutis aeternae, confirmemus quod dicimus per sacras Scripturas et per attestationes sanctorum Patrum; non debemus quaerere nisi quod confirmet veritatem. Male loquor, nisi Spiritus sanctus sit in me, et vos male auditis, nisi Spiritus sanctus aperiat vobis aures. Artis nostrae suppositio est, quod Spiritus sanctus loquitur in nobis, et quod ipse locutionem nostram faciat audibilem. Mira humiliatio loquentium et audientium esse debet, quod nihil nisi per Spiritum sanctum scimus. Oportet igitur, quod petamus a Spiritu sancto scientiam, quia *omnis, qui petit, accipit* [7]; et tempus rogationum est modo: ideo in principio rogabimus Dominum etc. Prothema.

Exivi a Patre etc.

Verba ista sunt Domini Salvatoris nostri loquentis de sua ascensione, et ipsemet describit nobis iter suum. Nullus melius potuit ipsum describere, quam ipse qui scivit eum. Difficile est istum ascensum describere homini mortali; unde Salomon [8]: *Tria sunt mihi difficilia, et quartum penitus ignoro: viam aquilae in caelo, viam colubri super petram, viam navis in medio mari et viam viri in adolescentia.* Si loqueretur secundum considerationem exteriorem, non esset magnum ista videre, quia *via aquilae in caelo* est sicut via passeris in aëre; *via colubri super petram* est sicut via reptilis; nec de *via navis* est difficile videre. Sed vult ostendere resolutorio modo, quod tria difficilia sunt, difficilia ad considerandum, scilicet mysterium *incarnationis*, mysterium *passionis*, mysterium *redemptionis* generis humani. Et transitus Christi in medio passionum, ut superferretur passionibus, est *via colubri*. Coluber mutat pellem super petram, ita Christus in carne transivit a mortalitate ad immortalitatem. Sermo. Tria difficilia.

---

[1] Cod. A habet *veritas*.

[2] Vers. 27; sequuntur ler. 48, 28. et Gen. 39, 12.

[3] Vers. 6.

[4] Ex cod. bibliothecae Bodleianae (Asmoleanae) Oxonii in Anglia n. 757. fol. 321, qui descriptus est in Prolegomenis ad tom. V. pag. XL, § 3. Cfr. Ratio novae collectionis etc. pag. 192, sermo 15.

[5] Ioan. 16, 28.

[6] Cap. 1, 8. et dein v. 6. 7.

[7] Matth. 7, 8.

[8] Prov. 30, 18. seq. — Cfr. Collat. in Hexaëm. collat. 8. n. 6.

Quartum, quod difficile est ad ostendendum, est, quod non est per violentiam, sed per naturam corporis gloriosi, quod corpus ex quatuor elementis compositum sursum ferretur et quiesceret exaltatum et sublimatum. Quomodo istud potest esse secundum rectam rationem, omnis sapiens ignorat, nisi in quantum est a Spiritu sancto elevatus et illustratus. Istud scire est difficile, sed Christus dixit, quod intelligi potest: *Exivi*, inquit, *a Patre* etc. Videtur, quod (sit) difficile, quod ad Patrem vadat per ascensionem; sed si intelligo, quod *exivit a Patre*, non est irrationabile, quod *revertatur ad Patrem*, si res ad suum originale principium reducatur; sed non est contra rationem. De isto mysterio, scilicet ascensionis, dicit Psalmus [1]: *In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Exsultavit ut gigas ad currendam viam. A summo caelo egressio eius, et occursus eius usque ad summum eius.* Sicut enim sol *a summo caelo egreditur* etc., ita regreditur; unde in Ecclesiaste [2]: *Oritur sol et occidit et ad locum suum revertitur.* Illud non est irrationabile, si sol noster, Christus, a summo Patre habet originem, quod revertatur ad suam originem. Intellectualem istum circulum describit nobis Christus, dicens: *Exivi a Patre* etc., et explicat materiam praesentis solemnitatis, id est ascensionis suae super choros Angelorum ad Patrem.

Divisio. Describit autem ascensum istum quantum ad tria, scilicet quantum ad *originale* suum *principium*, quantum ad *interveniens medium* et quantum ad *finale complementum*. Primum notatur, cum dicit: *Exivi a Patre*, scilicet per aeternam *generationem;* secundum, cum dicit: *et veni in mundum*, scilicet per assumtam *humanitatem;* tertium: *vado ad Patrem*, scilicet per victoriosam *ascensionem*.

Pars I. describitur ascensio quad originale principium. I. Primo, dico, describit nobis ascensionem suam Christus quantum ad *originale* suum *principium*, cum dicitur: *Exivi a Patre;* quasi diceret: non reverterer ad Patrem de mundo, nisi prius essem missus a Patre, quia *nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, Filius hominis, qui est in caelo* [3]; quasi diceret: non mitterer in mundum, nisi a Patre exirem ante mundum. Dicit: *Exivi a Patre;* medium, scilicet quod Christus venit in mundum, est medium inter duo extrema, quae sunt: *exire a Patre* et *reverti ad Patrem;* est medium non dissonans ab extremis, sed cohaerens extremis. Si quis hoc potest ostendere, tunc potest nobis ostendere *viam aquilae in caelo*. Dicit: *Exivi a Patre*, originali egressu, non locali; non intelligas ibi motum localem. Et sciendum, quod *exivit a Patre* ut Verbum universa *praeordinans*, ut Verbum universa *conservans*. *Exivit a Patre* Verbum humile, sed sublime. *Exivit a Patre* ut Verbum universa *praeordinans*, quia fontalissima *lux;* ut Verbum universa *originans*, quia fontalissima *virtus;* ut Verbum universa *conservans*, quia est fontalissima *vita* [4]. Subdivisio.

Primo exivit Verbum omnia praeordinans ut lux. Primo, dico, *exivit* Christus *a Patre* ut Verbum *universa praeordinans*, quia est fontalissima *lux*. Dicit Augustinus [5]: Si lux corporalis est aeterna, ergo et splendor lucis est aeternus; sed lux aeterna initium nullum habet secundum rationem et est actualissima et generat splendorem de actualitate sua: ergo necesse est, quod splendor sit aeternus. De exitu splendoris aeterni de luce aeterna dicitur in Ecclesiastico [6]: *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam. Ego feci in caelis, ut oriretur lumen indeficiens. Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis.* Loquitur, quasi Christus redderet causam investigationis, quomodo a Patre exivit. *Ego*, inquit, *in altissimis habitavi. In altissimis habitare* est ad aequalitatem Patris sedere, non sicut lucifer sedere voluit, sed sicut Filius sedet ad dexteram Dei Patris; Psalmus: *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis. Ego*, inquit, *feci in caelis, ut oriretur lumen indeficiens*, scilicet quia sum splendor aeternae lucis indeficientis. Et quomodo? *Ego*, inquit, *ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam. Ego prodivi*, non ex lumbis, sed *ex ore;* Psalmus: *Eructavit cor meum verbum bonum.* Intellectus gignit cogitationem, et si intellectus est aeternus, et cogitatus est aeternus: ergo et Verbum ab ipso procedens erit aeternum; et in illo Verbo aeterno omnia praeordinat. Deus enim intelligendo se praesentat se sibi, et se repraesentando sibi, necesse est, quod se intelligat et se intelligendo se exprimat et dicat et dicendo Verbum gignat. Ergo Verbum est *ante omnem creaturam;* ergo ipse Christus procedit a Patre sicut Verbum cuncta praeordinans, quia est lux fontalissima. Intellige, quomodo *fecit*, quod *in caelis oriretur lumen indeficiens.* « Omne, quod a versione incipit, in versionem tendit [7] ». Lumen stabile non est nisi per splendorem aeternum et incircumscriptibilem: *Ego*, inquit, *sum lux vera* et altissima, qui *in altissimis habitavi*, et *thronus* meus habitari debet. Igitur exivit a Patre ut Verbum cuncta praeordinans, quia est lux fontalissima.

Secundo, Verbum omnia principians et virtus. Secundo *exivit a Patre* ut Verbum *universa principians*, quia est fontalissima *virtus*. Dicit Salomon [8]: *Quis ascendit in caelum atque descendit? Quis continuit spiritum in manibus suis? Quis colligavit aquas quasi in vestimento? Quis suscitavit omnes terminos terrae? Quod nomen est eius,*

[1] Psalm. 18, 6. seq.
[2] Cap. 1, 5.
[3] Ioan. 3, 13.
[4] Cfr. tom. V. Collat. in Hexaëm. collat. 12. p. I. n. 2. seqq.
[5] Serm. 117. (alias 38. de Verbis Domini) c. 4. n. 6; c. 8. n. 11; cfr. tom. VI. pag. 248, nota 3.
[6] Cap. 24, 5-7; sequuntur Ps. 109, 1. et 44, 1.
[7] Damasc., I. de Fide orthod. c. 3; cfr. tom. I. pag. 158, nota 13; dein respicitur Ioan. 1, 9.
[8] Prov. 30, 4. 6.

et quod nomen Filii eius, si nosti? Ne addas quidquam verbis illius et arguaris inveniarisque mendax. — Proponit quaestionem dicens: *Quis ascendit atque descendit?* scilicet virtute propria. *Quis continuit spiritum in manibus suis?* id est, quis est Conditor creaturae spiritualis et incorruptibilis? et ideo spiritualem creaturam dicit incorruptibilem, quia Deus *manibus suis tenet*, scilicet Angelos bonos; quia enim ex nihilo sunt, ideo in nihilum tenderent, nisi manus Dei teneret eos; et qui aliter intelligit, ille non intelligit fundamenta fidei. *Quis continuit spiritum in manibus suis?* id est, spiritualem creaturam condidit et conservat? *Quis colligavit aquas quasi in vestimento?* id est, quis condidit creaturam corporalem et commutabilem, ad tempus tamen conservabilem? ideo dicit *in vestimento. Quis suscitavit omnes terminos terrae?* id est, quis ex terra produxit creaturam, quae habet naturam corporalem et spiritualem, sicut est homo? id est, quis est Creator spirituum et corporum et hominum, in quo est concursus spiritualium et corporalium? *Quod nomen est eius et quod nomen Filii eius? Nomen Filii eius* est Verbum. Ipse est, qui de caelo *descendit* et *ascendit*, Dominus universorum, cuius est *attingere a fine usque ad finem* [1]. *Ne addas quidquam verbis illius, et arguaris inveniarisque mendax;* ille qui ponit, aliquid vel esse cognoscibile vel factibile, quod in Verbo Dei non sit vel a Verbo Dei, *mendax* est. Iste qui est universale principium, cuncta, cuncta, cuncta fabricando produxit, superfectur omnibus, omnia fecit. Et sicut sine mutatione sui mundum facere potuit, ita naturam humanam assumere potuit et ad astra ascendere. Et assumens naturam humanam non mutatur, sed assumtum mutatur, quia « stabilis manens, dat cuncta moveri [2] ».

Tertio *exivit a Patre* sicut Verbum *universa* Tertio, Verbum conservans ut vita. *conservans*, quia est fontalissima *vita;* unde Apostolus [3]: *Olim loquens Deus Patribus in Prophetis, novissime autem diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum; qui, cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius portansque omnia verbo virtutis suae, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram Maiestatis in excelsis.* — Explicat mysterium fidei, ut Confirmator tria dicta per Scripturam. faciat ipsum credibile ex modo proponendi. *Sedet ad dexteram*, ut quis? Certe, qui est Verbum. Unde dicit: *Novissime locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum.* Ipse Dominus est universorum, Verbum est omnia *originans*, quia per ipsum omnia fecit; et quare? Dicit: *qui cum sit splendor gloriae.* — Item, est Verbum omnia *praeordinans;* et quare? quia est *figura substantiae.* — Item, est Verbum omnia *conservans* sicut fontalissima vita; unde dicit: *Portans omnia verbo virtutis suae.* Et *sicut Pater vitam habet in semetipso* [4], ita vitam habet in Filio; et sicut vitam habet per essentiam, ita et Filius, quia non dat partem essentiae Filio, sed totam essentiam. Sed quia alius *modus* est essendi in Patre et in Filio, ideo sunt personae distinctae. Dicit igitur: *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis.* Dicit igitur: *Exivi a Patre* sicut Verbum universa *conservans*, quia est fontalissima vita; unde dicit in Ioanne: *Clarifica me, tu Pater, claritate apud temetipsum, quam habui, priusquam mundus esset, apud te.*

De isto triplici exitu Verbi a Patre, scilicet per modum Verbi universa originantis et universa praeordinantis et conservantis, quia est lux fontalissima, vita fontalissima et virtus fontalissima, dicitur in Ioanne [5]: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Quod factum est in ipso vita erat* [6], *et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet.* Non homo, non Angelus, non alius potuit explicare exitum Verbi a Patre nisi ipsum Verbum. — Dicit igitur: *Exivi a Patre* ut Verbum cuncta *praeordinans*, quia ut lux fontalissima; unde dicit: *In principio erat Verbum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum.* Sic igitur *erat Verbum in principio*, non sicut creatura in Creatore per potentiam producendi solum, sed *erat apud Deum*, id est Deus, lux aeterna, splendorem coaeternum habuit. Verbum originatur a dicente sicut a principio, ita Filius a Patre et est Deus.

Horum trium repetitio confirmat.

Verbum praeordinans.

Item *exivit* Filius *a Patre* ut Verbum omnia Item, principians. *principians*, quia est virtus fontalissima; unde dicit: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Inculcat primum in secundo; ad illustrandum fideles et confundendum haereticos dicit: *Omnia per ipsum facta sunt*, non solum vere entia, immo quaecumque entia, aliter non sunt entia, quia *sine ipso factum est nihil.*

Tertio *exivit a Patre* sicut Verbum omnia *con-* Item, conservans *servans*, quia est fontalissima vita; unde dicit: *Quod factum est in ipso vita erat, et vita erat lux hominum* etc. Augustinus [7] exponit et dicit, quod « arca vivit in mente artificis ». Omne, quod factum est, in mente Dei exemplatum est et habet conservari ab eo. Et eadem est ratio omnia *praeordinans*, omnia *principians* et omnia *conservans*, et ipse qui est a Patre, est lux nostra, virtus nostra et vita nostra. Adam, ut quid cecidisti in mortem, in infirmitatem et in caliginem? Certe, quia recessisti a fonte lucis, a fonte virtutis et a fonte vitae. Dictum fuit Adae [8]: *In quocumque die comederis de ligno scientiae boni*

---

[1] Sap. 8, 1.
[2] Boethius, III. de Consolat., metro 9.
[3] Hebr. 1, 1-3.
[4] Ioan. 5, 26; sequuntur Ps. 109, 1. et Ioan. 17, 5.
[5] Cap. 1, 1-5.
[6] Cfr. tom. VI. pag. 249, n. 11.
[7] Tract. 1. in Ioan. Evang. n. 17.
[8] Gen. 2, 17.

et mali, morte morieris. Non propter pomum mortuus est, eo quod pomum baberet virtutem infectivam, sed quia recessit a fonte *lucis,* ideo cecidit in tenebras; quia recessit a *virtute,* ideo cecidit in infirmitatem; et quia recessit a *vita,* ideo cecidit in mortem. Unde dicit Dominus per Ieremiam [1]: *Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt, fontem aquae vivae, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas.*

Horiatio. — Si fulgorem *scientiae* quaeris, non in ingenio tuo confidas, sed ad fontem sapientiae recurras, quia qui alibi fiduciam suam collocaverunt, scientiam perdiderunt. Si efficaciam *virtutis* quaeris, ad fontem virtutis recurras. Si *solatium* quaeris, ad fontem vitae recurras. Sed quia creatura recessit a luce et a virtute et a vita, oportuit, quod in perpetuum in tenebris, in infirmitate et in morte remaneret, nisi Deus remedium adhiberet. Ideo dicit: *Exivi a Patre,* scilicet qui sum lux fontalissima, virtus fontalissima et vita fontalissima.

Pars II. Describitur ascensio quasi interveniens medium tripliciter.

II. Sequitur: *et veni in mundum;* ubi describitur ascensio dominica quantum ad *interveniens medium;* et notandum, quod Christus venit in mundum ad *illustrandum credentes* per testimonia veritatis, ad *vigorandum sperantes* per promissa aeternitatis et ad *inflammandum amantes* per incitamenta dilectionis.

Venit ad illuminandum credentes.

Primo, dico, venit Christus in mundum ad *illustrandum credentes* per testimonia veritatis; unde in Evangelio: *Qui credit in me in tenebris non manet,* quasi diceret: eram lux inaccessibilis per peccatum, quia non erat accessus ad me; ideo *veni in mundum,* per carnis assumtionem scilicet, *ut* credens et videns *in tenebris non maneat.* Dicit beatus Petrus: *Ut virtutes annuntietis eius qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.* Pilato dixit Dominus: *In hoc natus sum et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. Omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam. Qui ex Deo est verba Dei audit* [2]. Et qui sunt isti? Dicit Ioannes: *Qui non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Generatio corruptibilis est ex semine corruptibili. Beatus Petrus dicit: *Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivi;* ubi verbum Dei suscipiatur, non est principium corruptionis [3], et non suscipitur, nisi credatur. Dicitur in Canonica Iacobi [4]: *Voluntarie genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturae eius.* In Ioanne dicitur: *Dum lucem habetis, credite in lucem;* item in Ioanne: *Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* Salvator dat lumina et eloquia veritatis, per quae illustratur anima, sed *dilexerunt homines magis tenebras quam lucem,* id est investigationes suas. Sed qui conceptiones suas et rationes praefert luminibus veritatis est sicut qui *in tenebris ambulat,* et est filius diaboli, quousque radius fidei intret in ipsum. Fuit igitur Christus medium oriens super faciem (?) suam, quousque in originem suam reintretur et reducatur in ipsum et nos in ipsum reducat. Unde dicitur in Isaia [5]: *Reversus est sol in horologio Achaz in sole retrorsum decem lineis, per gradus, quos descenderat.* Ezechias debuit mori, et Dominus prolongavit sibi vitam, et petiit signum, et datum est ei signum, quod sol retrocessit per decem horas; et postea processit per duodecim horas, ita quod dies habuit triginta duas horas. In hoc praefiguratum fuit, quod sol descendit per decem horas, id est Christus, qui est sol verus, descendit novem gradibus, id est per novem ordines Angelorum, et descendit usque ad decimam lineam, quae est humana hierarchia, scilicet quando Christus descendit ad humanam naturam. Et tunc nimis descendit sol; *nusquam Deus Angelos apprehendit, sed semen Abrahae* [6]; et sicut descendit, ita ascendit.

Ad vigorandum sperantes.

Secundo venit Christus in mundum ad *vigorandum sperantes* per promissa aeternitatis. Unde in Ioanne [7]: *Descendi de caelo, ut faciam voluntatem eius qui misit me;* sequitur: *Haec est autem voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium et credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Promittit vitam aeternam. Et quomodo? Certe, credam. Dixit Dominus [8]: *Ego sum panis vivus; si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum.*

Ad inflammandum amantes.

Tertio venit Christus ad *inflammandum amantes* per incitamenta dilectionis. Homo perdidit lucem, ideo *venit lux in mundum,* ut alios ad amorem inflammaret; unde in Luca [9]: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur?* Et quomodo, dicitur in Ioanne: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Deus Filium suum misit in mundum, immo dedit Prophetas, Patriarchas et Legem, ut nos moveret ad dilectionem; et ideo venit in mundum et reaccendit ignem, ut nos ab amore carnalium revocaret et ad amorem caelestium inflammaret. Unde dicit in Evangelio: *Si non abiero, Paracletus non veniet.* Et dicit Glossa [10], quod quamdiu Apostoli habuerunt consolationem Christi in carne, non recepernut Spiritum amoris. Dicitur in libro Regum [11], quod Elias raptus est in curru igneo. Et viderunt (ascensionem Christi) homines, ubi facta est apparitio angelica [12] ad significandum amorem

---

[1] Cap. 2, 13; sequuntur Ioan. 12, 46; I. Petr. 2, 9. et Ioan. 18, 37.

[2] Ioan. 8, 47; sequuntur c. 1, 13. et I. Petr. 1, 23.

[3] In Apographo male legitur *generationis.*

[4] Cap. 1, 18; sequuntur Ioan. 12, 36. et c. 3, 19.

[5] Cap. 38, 8. seqq. (IV. Reg. 20, 1. seqq.). [6] Hebr. 2, 16.

[7] Cap. 6, 38. 40, et dein c. 3, 15.

[8] Ioan. 6, 51. seq.

[9] Cap. 12, 49; sequuntur Ioan. 3, 16. ac 19. et c. 16, 7.

[10] *Interlineatis* in Ioan. 16, 7.

[11] Respicitur IV. Reg. 2, 11. seqq.

[12] Respicitur Act. 1, 10. seq.

intensum, quo Christus ascendit et descendit et nos ascendere facit [1]. Rogabimus Dominum etc.

Sermo II [2].

In Ascensione Domini sermo fratris Bonaventurae coram Universitate Parisius, in domo Fratrum.

Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, Filius hominis, qui est in caelo, Ioannis tertio [3].

In his verbis tria eleganter notantur quantum
Divisio. ad solemnitatem hodiernam, scilicet *ascendentis* praeclarissimum *meritum*, cum dicitur: *Qui de caelo descendit; ascensionis* inclytissimae *terminus*, cum additur: *ascendit in caelum; ascensionis* desideratissimus *fructus*, cum subditur: *Filius hominis, qui est in caelo*, tanquam *primogenitus in multis fratribus* [4], *pandens iter ante* omnes electos.

Pars I. De descensione.

I. Dicit: *Qui descendit*, in incarnatione per *humilitatem obedientiae;* Ioannis sexto [5]: *Descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.* — Per *pietatem misericordiae;* Isaiae sexagesimo quarto: *Descendisti, et a facie tua montes defluxerunt.* — Per *sinceritatem benevolentiae;* Psalmus: *Domine, inclina caelos tuos et descende, tange montes, et fumigabunt* [6].

Pars II. De ascensione.

II. *Ipse est et qui ascendit super omnes caelos* [7], id est super quindecim orbes mundi corporei et quantum ad animam super quindecim vitas incorporeas, et hoc totum non sine causa, exigentibus hoc transcendentibus virtutibus et multiformibus meritis et dignitatibus eius. Nisi enim tantum descendisset et se exinanivisset, non tantum diceretur ascendisse.

Ascensio quoad corpus super 15 orbes.

Ascendit enim quantum ad corpus super orbem *terreum* propter suam ornatam pulcritudinem, praevalentem terrae et proprietati eius; primi Regum decimo quarto [8]: *Ascendit Ionathas, manibus et pedibus reptans.* — Orbem *aqueum* propter suam strenuam agilitatem, praevalentem aquae et proprietati eius; tertii Regum decimo octavo: *Nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari.* — Orbem *aëreum* propter suam temperatam sanitatem, praevalentem aëri et proprietati eius; iudicum decimo tertio: *Cumque ascenderet flamma altaris in caelum, Angelus Domini pariter in flamma ascendit.* — Orbem *igneum* propter suam ingentem fortitudinem, praevalentem igni et virtuti eius; quarti Regum secundo [9]: *Ecce, currus igneus et equi ignei diviserunt utrumque, et ascendit Elias per turbinem in caelum.* — Orbem *lunarem* propter suam copiosam fecunditatem, transcendentem orbem lunae et virtutem eius; Psalmus: *Qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.* — Orbem *mercurialem* propter suam subtilem sagacitatem, transcendentem stellam Mercurii et virtutem eius; Psalmus: *Psallite Deo, qui ascendit super caelum caeli ad orientem.* — Orbem *venerialem* propter suam iucunditatem placidam, transcendentem stellam Veneris et virtutem eius; Psalmus [10]: *Ascendit Deus in iubilo.* — Orbem *solarem* propter suam universalem vivificationem, transcendentem vim solis et virtutem eius; ad Ephesios quarto: *Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem.* — Orbem *martialem* propter suam validam edomationem, transcendentem vim Martis et proprietatem eius; ad Ephesios quarto: *Qui descendit ipse est et qui ascendit.* — Orbem *iovialem* propter suam opulentam felicitatem, transcendentem vim Iovis et proprietatem eius; Michaeae secundo [11]: *Ascendet, pandens iter ante eos.* — Orbem *saturnalem* propter suam venerandam dignitatem, transcendentem virtutem Saturni et proprietatem eius; Ioanois vigesimo: *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.* — Orbem *siderealem* propter suam speciosam multiformitatem, transcendentem firmamentum et proprietatem eius; Canticorum tertio: *Ascensum purpureum media caritate constravit propter filias Ierusalem.* — Orbem *unigeneum* propter suam aequalem simplicitatem, transcendentem unigeneum et proprietatem eius; Psalmus [12]: *Quis ascendet in montem Domini? Innocens manibus et mundo corde* etc. — Orbem *crystallinum* propter suam concordem conciliationem, transcendentem crystallinum et proprietatem eius; Ecclesiastici quadragesimo sexto: *Dedit Dominus ipsi Caleb fortitudinem, et usque in senectutem permansit illi virtus, ut ascenderet in excelsum terrae locum.* — Orbem *empyreum* propter suam sublimatam consummationem, praesidentem paradiso caelorum et civibus eius; Amos nono: *Qui aedificat in caelo ascensionem suam et fasciculum suum super terram fundavit.*

Quoad animam super 15 vitas.

Ascendit vero quantum ad *animam* super vitam *vegetabilium* propter decorem sive nitorem suae amabilis pudicitiae; Psalmus [13]: *Confessionem et decorem induisti* etc. *Ponis nubem ascensum tuum.* — Super vitam *medialium* (?) propter vivacitatem suae sollertis industriae; Canticorum sexto, secundum aliam litteram: *Quae est ista quae ascendit quasi aurora consurgens* etc. — Super vitam *sensibilium* propter benignitatem suae suavis innocentiae; Ecclesiastici

---

[1] Pars III. deest, et aliae partes imperfecte reportatae sunt.
[2] Ex A fol. 122 v. et B fol. 47 r. Sed in B hic sermo cum sequente unitus est.
[3] Vers. 13.
[4] Rom. 8, 29; dein respicitur Mich. 2, 13.
[5] Vers. 38; sequuntur Isai. 64, 3. et Ps. 143, 5.
[6] Verba: Dicit: *Qui descendit* etc., addita sunt ex B.
[7] Eph. 4, 10.
[8] Vers. 13; sequuntur III. Reg. 18, 44. et Iud. 13, 20.
[9] Vers. 11; sequuntur Ps. 67, 5. et 67, 33. seq.
[10] Psalm. 46, 6; sequuntur Eph. 4, 8. et v. 10.
[11] Vers. 13; sequuntur 20, 17. et Cant. 3, 10.
[12] Psalm. 23, 3. seq.; sequuntur Eccli. 46, 11. et Amos 9, 6.
[13] Psalm. 103, 1-3; sequitur Cant. 6, 9; Vulgata: *Quae est ista quae progreditur quasi aurora.*

quinquagesimo [1]: *In ascensu altaris sancti gloriam dedit sanctitatis amictum.* — Super vitam *rationalium* propter stabilitatem suae perseverantis constantiae; quarti Regum decimo nono: *Ascendi excelsa montium in summitate Libani.* — Super vitam *Angelorum* propter administratoriam supernae dispensationis annuntiationem; Exodi vigesimo quarto: *Ingressusque Moyses medium nebulae, ascendit in montem et fuit ibi quadraginta diebus.* — Super vitam *Archangelorum* propter praecellentem supernae provisionis revelationem; Genesis trigesimo secundo [2]: Dixit Angelus ad Iacob: *Dimitte me; iam enim ascendit aurora* etc. — Super vitam *Principatuum* propter triumphalem superni ducatus gubernationem; Ieremiae vigesimo secundo: *Ascende Libanum et clama ad transeuntes.* — Super vitam *Potestatum* propter ordinativam verae dispensationis auctoritatem; Genesis secundo: *Fons ascendebat e terra, irrigans universam superficiem terrae.* — Super vitam *Virtutum* propter inconcussam beati vigoris permanentiam et miraculorum efficaciam; Baruch tertio [3]: *Quis ascendit in caelum et accepit eam et duxit eam de nubibus?* — Super vitam *Dominationum* propter praeeminentem potestativae maiestatis imperationem; Ioannis sexto: *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius?* — Super vitam *Thronorum* propter perseverantem divinarum immensitatum susceptionem; Canticorum octavo: *Quae est ista quae ascendit de deserto, deliciis affluens?* — Super vitam *Cherubim* propter supereminentem divinorum spectaculorum contemplationem; Psalmus [4]: *Ascendit super Cherubim et volavit* etc. — Super vitam *Seraphim* propter semper intendentem divinarum plenitudinum dulcedinem; Canticorum tertio: *Quae est ista quae ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris et universi pulveris pigmentarii* [5]. — Super vitam pacificae virginitatis Matris *Mariae* propter conciliativae mediationis praepollentem interventionem; Exodi trigesimo secundo [6]: *Ascendam ad Dominum, si quo modo quivero eum deprecari pro scelere vestro.* — Ad vitam *deificae humanitatis* sive beatificatae rationalitatis in consummatae salutis glorificatione; Marci ultimo: *Assumtus est in caelum et sedet a dextris Dei.*

Conclusio. Super omnes istos quindecim orbes corporeos et quindecim vitas incorporeas Dominus saeculorum hodie ascendens et residens omnem creatam universitatem, disponit per haec ad ordinatissimam regni sui completionem, ut per ipsos quindecim orbes ascendamus corporaliter cum corpore Salvatoris et per quindecim vitas ascendamus spiritualiter cum spiritu Salvatoris. Hi enim sunt quindecim mystici gradus, quibus ascenditur in templum aeternum. *Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et Divinitas, ita ut sint inexcusabiles,* ait Apostolus [7].

Sermo III [8].

Item, sermo fratris Bonaventurae Fratribus in Capitulo, Parisius.

Qui descendit ipse est et qui ascendit super omnes caelos, ut impleret omnia, ad Ephesios quarto [9].

Divisio. Tria hic notare valemus, scilicet *ascendentis* praeambulum *meritum, ascensionis* gloriosum *statum* et *ascensionis* fructuosum *effectum.* Primum, ibi: *Qui descendit;* secundum, ibi: *ipse est et qui ascendit super omnes caelos;* tertium, ibi: *ut impleret omnia.*

Duplex descensio et ascensio. Circa totum nota, quod qui vult cum Christo in caelum ascendere, oportet, eum exemplo Christi primo descendere dupliciter, scilicet per *recognitionem propriae iniquitatis,* per *revisionem* propriae *fragilitatis.* Talis enim est, qui ascendit dupliciter, scilicet ad *contemplationem* altitudinis divinae *maiestatis,* ad *obsecrationem* condescensionis divinae *pietatis, ut impleat omnia* interiora sua dono sapientiae et abundantia gratiae. Et quoniam Apostoli fuerunt tales, ideo adimpleti sunt Spiritu sancto in die Pentecostes.

Sermo IV [10].

Item, sermo fratris Bonaventurae coram Universitate, in domo Fratrum.

Qui aedificat in caelo ascensionem suam et fasciculum suum super terram fundavit, Amos nono [11].

Inter alias solemnitates Ecclesiae haec singularem habet praerogativam, quia aliae sunt viatorum, ista est comprehensorum simul et viatorum [12], quia in ea Christus sua praesentia laetificat civitatem caelestem et sua influentia laetificat Ecclesiam militantem. Eapropter ista solemnitas dupliciter hic describitur, et primo, quantum ad suam *praesentiam* in hierarchia *caelesti;* secundo, quantum ad suam *influentiam* in hierarchia *subcaelesti.* Primum, ibi: Divisio.

---

[1] Vers. 12; sequuntur IV. Reg. 19, 23. et Exod. 24, 18.
[2] Vers. 26; sequuntur Ier. 22, 20. et Gen. 2, 6.
[3] Vers. 29; sequuntur Ioan. 6, 63. et Cant. 8, 5.
[4] Psalm. 17, 11; sequitur Cant. 3, 6.
[5] Hoc membrum deest in A.
[6] Vers. 30; sequitur Marc. 16, 19.
[7] Rom. 1, 20.
[8] Ex A fol. 123 r. et B fol. 47 r. — Cfr. initium praecedentis sermonis.
[9] Vers. 10.
[10] Ex A fol. 123 r. et B fol. 48 v., mutato interdum rerum ordine.
[11] Vers. 6.
[12] Verba *ista est* etc., addidimus ex B.

Qui aedificat in caelo ascensionem; secundum, ibi: *et fasciculum suum super terram fundavit.* Sicut enim se habet hortus paradisi ad comparationem fasciculi, sic se habet gaudium illius Ecclesiae ad istam; ideoque signanter dicitur: *Qui aedificat* etc., quia, sicut Christi resurrectio est causa nostrae resurrectionis, sic eius ascensio est causa et exemplar nostrae ascensionis. Ipse enim est *scala contingens,* immo penetrans *caelos* per sublime Divinitatis, et contingens terram per limum nostrae carnis. In hac scala *disponuntur* omnes *ascensiones* [1] spirituales et omnes perfectiones et glorificationes et dona gratiae et gloriae. Unde in hac scala dicuntur *Angeli ascendere et descendere supra Filium hominis,* Ioannis primo [2]; et haec est significata Genesis vigesimo octavo, ubi Iacob ad visionem eius elevatus fuit.

Notandum.

Pars I. Gradus 5 in restaurandа hierarchia caelesti.

I. *Aedificavit* autem *ascensionem suam* Dominus Iesus supernae civitatis restaurando decorem, et secundum hoc sunt quinque gradus in hac scala. Etenim ascendendo supernae Ierusalem *patefecit ingressum;* Michaeae secundo [3]: *Ascendet, pandens iter ante eos,* in illam requiem etc. — Supernae matris [4] *redintegravit numerum;* ad Ephesios quarto: *Ipse est et qui ascendit super omnes caelos, ut impleret omnia.* — Supernae civitatis *accumulavit solatium;* Psalmus: *Ascendit Deus in iubilo et Dominus in voce tubae.* — Supernae beatitudinis sublimavit et *stabilivit imperium;* Psalmus [5]: *Regna terrae, cantate Deo* etc., *qui ascendit super caelum caeli ad orientem.* — Supernae felicitatis *derivavit influxum;* ad Ephesios quarto: *Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.*

Pars II. Item, 5 gradus in renovanda hierarchia ecclesiastica.

II. Humanae infirmitatis renovando virtutem, ex quo sequitur... [6] secundum illud primi Regum decimo quarto [7]: *Ascendit Ionathas, manibus et pedibus reptans, et armiger eius,* id est humana infirmitas, *post eum,* per quinque gradus, scilicet per sinceritatem *innocentiae;* Psalmus: *Quis ascendet in montem Domini* etc. *Innocens manibus et mundo corde.* — Per sanctitatem *pudicitiae;* Isaiae undecimo: *Flos de radice eius ascendet.* — Per sublimitatem *confidentiae;* Genesis quadragesimo sexto [8]: *Iuncto Ioseph curru suo, ascendit obviam patri suo.* — Per suavitatem *benevolentiae;* Canticorum tertio: *Ascensum purpureum media caritate constravit.* — Per stabilitatem *perseverantiae;* Ecclesiastici quadragesimo sexto: *Dedit Dominus ipsi Caleb fortitudinem* etc., *ut ascenderet in excelsum terrae locum.* — Hi quinque gradus sunt contra omne malum. Sinceritas innocentiae ordinat ad proximum, sanctitas pudicitiae ad se ipsum, sublimitas confidentiae ad Deum, suavitas benevolentiae ad omne bonum, stabilitas perseverantiae contra omne malum.

Pars III. Item, 5 gradus in renovanda tyrannide diabolica.

III. Diabolicae crudelitatis refrenando tyrannidem, secundum illud Isaiae sexagesimo tertio [9]: *Quis est iste qui venit de Edom? Ego, qui propugnator sum ad salvandum.* Confregit autem Christus diabolum per humilitatem, de qua fecit nobis scalam ad ascendendum per quinque gradus. Etenim informavit in *incarnatione* ad humilitatem condescendentiae, per quam conculcavit diaboli arrogantias; Psalmus: *Inclinavit caelos et descendit et ascendit super Cherubim et volavit.* — In *baptizatione* ad humilitatem perfectae iustitiae, per quam conculcavit diaboli astutias; Ioannis tertio, ubi agit de baptismo; dicit: *Et nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, Filius hominis, qui est in caelo.* — In *tentatione* ad humilitatem cautelae, per quam enudavit diaboli fraudulentias; primi Regum decimo quarto [10]: *Ascendit Ionathas, manibus et pedibus reptans, et armiger eius post eum.* — In *conversatione* ad humilitatem disciplinae, per quam effugavit diaboli blanditias; Habacuc tertio: *Ingrediatur putredo in ossibus meis* etc., *ut ascendam ad populum accinctum nostrum.* — In *passione* ad humilitatem tolerantiae, per quam confregit diaboli potestatem; Psalmus: *Qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi;* Canticorum septimo [11]: *Ascendam in palmam et apprehendam fructum eius.*

Sermo V [12].

Item, sermo fratris Bonaventurae in Conventu Narbonensi.

Dominus in caelo paravit sedem suam, et regnum ipsius omnibus dominabitur, Psalmus [13].

In verbis his explicat sacer David materiam praesentis solemnitatis. Sed quia ascensio dicit motum, et motus terminum, ideo describit eam quoad terminum *excellentem,* ibi: *In caelo;* quoad terminum *permanentem,* ibi: *paravit sedem suam;* quoad terminum *efficacem,* ibi: *et regnum ipsius omnibus dominabitur.* Divisio.

Dominus ergo *in caelo* etc. Per *caelum* autem, quod quidem est sublime sicut *sublimis situs,* intelligitur Christi excellentiae altitudo; Proverbiorum vigesimo quinto [14]: *Caelum sursum et terra deorsum,*

---

[1] Respicitur Ps. 83, 6.
[2] Vers. 51. et dein respicitur Gen. 28, 12. seq.
[3] Vers. 13.
[4] Respicitur Gal. 9, 26: *Illa autem quae sursum est Ierusalem libera est, quae est mater nostra.* — Sequuntur Eph. 4, 10. et Ps. 46, 6.
[5] Psalm. 67, 33. seq.; sequitur Eph. 4, 8.
[6] Hic aliquid excidisse videtur.
[7] Vers. 13; sequuntur Ps. 23, 3. seq. et Isai. 11, 1.
[8] Vers. 29; sequuntur Cant. 3, 10. et Eccli. 46, 11.
[9] Vers. 1; sequuntur Ps. 17, 10. seq. et Ioan. 3, 13.
[10] Vers. 13; sequuntur Habacuc 3, 16. et Ps. 67, 5.
[11] Vers. 8.
[12] Ex A fol. 124 v. et B fol. 50, sed hic cum rubrica: *Infra octavam ascensionis, vel in ipsa Dominica.*
[13] Psalm. 102, 19. [14] Vers. 3.

et cor regum inscrutabile. — *Multiformis ornatus* intelligitur Christi gloriae pulcritudo; Ecclesiastici quadragesimo tertio [1]: *Species caeli gloria stellarum.* — *Regularis incessus* intelligitur Christi hierarchiae ordinatio; Iob trigesimo octavo: *Nunquid nosti ordinem caeli* etc. — *Indefectibilis influxus* intelligitur Christi gratiae plenitudo; Psalmus: *Qui operit caelum nubibus et parat terrae pluviam.*

Paravit autem Pater Filio *sedem* sicut *regi* ad sublimiter praesidendum; Isaïae sexto [2]: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum.* — Sicut *magistro* ad fontaliter docendum; Sapientiaé nono: *Da mihi*, Domine, *sedium tuarum assistricem sapientiam.* — Sicut *iudici* ad iuste remunerandum; Psalmus: *Sedes tua, Deus, in saeculum saeculi, virga directionis virga regni tui.* — Sicut *pontifici* ad liberaliter influendum; Apocalypsis ultimo [3]: *Ostendit mihi fluvium aquae vitae* etc., *procedentem de sede Dei et Agni.*

De secundo tangontur quatuor.

Qui ergo cum Christo vult sibi parare sedem in caelo paret sibi sedem *regalem* per humilitatis perfectionem; Apocalypsis tertio [4]: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo.* Humilitas autem habet hos gradus: spernere mundum, spernere nullum, spernere se ipsum, spernere, se sperni, gaudere se spretum [5]. — *Magistralem* per veritatis amorem; Marci ultimo [6]: *Postquam locutus est eis, assumtus est in caelum et sedet a dextris Dei.* — *Iudicialem* per iustitiae rectitudinem; Psalmus: *Iustitia et iudicium praeparatio sedis tuae.* — *Pontificalem* per misericordiae pietatem; Apocalypsis quarto [7]: *Vidi sedentem et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor et super thronos viginti quatuor seniores*, Patres veteris et novi Testamenti, *qui fuerunt viri misericordiae* [8].

Gradus nota- tis in terra assumptes sedes.

Sermo VI [9].

Item, sermo fratris Bonaventurae in Capitulo Parisius.

Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate, sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos et eritis mihi testes in Ierusalem, Actuum primo [10].

In his verbis Salvator curiosos docet omnem perfectitudinis formam, scilicet quid *praecavendum* quantum ad cognitivam, cum dicit: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quae Pater* etc.; quasi dicat: temporum varietates et successiones inquirere est alienum a professione evangelica et ultra inquisitionem humanam. — Quid *praeoptandum* [11] quantum ad affectivam, cum subdit: *sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos.* — Quid *prosequendum* quantum ad operativam, cum addit: *et eritis mihi testes.*

Divisio.

Tria sperandis.

Dicit ergo: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta*, id est, temporales *possessiones* investigare, sed desideria vestra in aeternitatem transferre; Matthaei sexto [12]: *Primum quaerite regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adiicientur vobis.* — Carnales *descensiones* quaerere, sed vota [13] vestra in Spiritus sancti iucunditatem transferre; ad Galatas quinto: *Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis.* — *Honores* et exaltationes ambire, sed solatia vestra in crucis acerbitatem terminare; Matthaei vigesimo: *Scitis, quia principes gentium dominantur eorum* etc. *Vos autem non sic, sed qui maior est in vobis fiat sicut minor.*

Tria praeoptanda.

Sequitur: *sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos*, cuius quidem Spiritus est *rectificare* iudicativam per amorem paupertatis praecelsae; Psalmus [14]: *Spiritum rectum innova in visceribus meis.* — *Sanctificare* affectivam per nitorem castitatis integrae; Ezechielis trigesimo sexto: *Dabo vobis cor novum et spiritum novum ponam in medio vestri.* — *Corroborare* operativam per pudorem humilitatis profundae; Psalmus: *Auferes spiritum eorum, et deficient et in pulverem suum revertentur. Emittes Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terrae.*

Sermo VII [15].

Qui descendit ipse est et qui ascendit super omnes caelos, ut impleret omnia, ad Ephesios quarto [16].

In his verbis commendatur praesens solemnitas quantum ad tria, et primo quantum ad *ascendentis dignitatem*, cum dicitur: *Qui descendit;* nam in descensu notatur adventus de superius, et de Christo dicitur Ioannis tertio [17]: *Qui de caelo venit super omnes est;* Ioannis octavo: *Vos de deorsum estis; ego de supernis sum.* Secundo, quantum ad *modi ascendendi singularitatem*, cum subditur: *ipse est*

Divisio.

---

[1] Vers. 10; sequuntur Iob 38, 33. et Ps. 146, 8.
[2] Vers. 1; sequuntur Sap. 9, 4. et Ps. 44, 7.
[3] Cap. 22, 1.
[4] Vers. 21.
[5] Quintus gradus deest in B.
[6] Cap. 16, 19; sequitur Ps. 88, 15.
[7] Vers. 2-4; B post *sedentem* addit *tanquam occisum* (c. 5, 6.).
[8] Alluditur ad Eccli. 44, 10.
[9] Ex A fol. 125 r. et B fol. 49, qui tamen pro rubrica adiungit: *In vigilia Pentecostes, vel etiam in prima.*
[10] Vers. 7. seq.
[11] Cod. B legit *peroptandum.*
[12] Vers. 33.
[13] Cod. B habet *volita.* — Sequuntur Gal. 5, 16; Matth. 20, 25. et Luc. 22, 26.
[14] Psalm. 50, 12; sequuntur Ezech. 36, 26. et Ps. 103, 29. seq.
[15] Ex cod. Trecensi n. 2052. fol. 118 r. in multis convenit cum sermone 2. supra pag. 318 seq. relato et satis manifestat indolem S. Bonaventurae. In cod. Monacensi n. 8739. est sermo, qui eadem habet divisionis membra.
[16] Vers. 10. [17] Vers. 31; sequitur c. 8, 23.

et qui ascendit super omnes caelos. Tertio, quantum ad *ascensionis utilitatem*, cum subinfertur: *ut impleret omnia.*

I. Quantum ergo ad primum notandum, quod

Pars I. Christus *descendit* propter tria: ut nos *liberaret* de

Propter tria descendit. potestate daemonum tanquam *victor;* ut nos *dirigeret* in viam iustitiae et virtutum tanquam *rector;* ut nos *introduceret* in habitationem civitatis aeternae tanquam *remunerator.* Et ista tria tanguntur Exodi tertio [1]: *Vidi afflictionem populi mei in Aegypto, et sciens dolorem eius, descendi, ut liberem eum de manibus Aegyptiorum,* ecce, primum; *et educam de terra illa,* ecce, secundum; *in terram bonam et spatiosam, in terram, quae fluit lacte et*

Item, ascendit. *melle,* ecce, tertium. Et secundum haec tria *ascendit* triformiter, scilicet ut *victor* ad solium triumphale propter sublimitatem potentiae; ut *rector* ad fastigium imperiale per profunditatem sapientiae; ut *remunerator* ad thronum vel tribunal iudiciale per amorem iustitiae.

Primum fecit, quando per mortem triumphavit,

Primo, ut victor. *exspolians Principatus et Potestates,* ad Colossenses secundo [2]; eduxit animas de limbo inferni; Psalmus: *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem.* Et iste fuit ascensus signatus in ascensione Iuda, de cuius tribu fuit Christus; Genesis quadragesimo nono: *Catulus leonis Iuda, ad praedam, fili mi, ascendisti, requiescens accubuisti ut leo et quasi leaena; quis suscitabit eum?* — Est autem *catulus leonis* Christus Iesus; Apocalypsis quinto [3]: *Vicit leo de tribu Iuda.* Iste ascendit in cruce ad praedam tollendam de potestate daemonum; *et requiescens accubuit ut leo,* quia de morte tertia die suscitatus est, educens secum praedam animarum detentarum in limbo inferni.

Secundum fecit, sicut dicitur in Psalmo [4]: *Ascen-*

Secundo, ut rector. *dit super Cherubim et volavit, volavit super pennas ventorum. Cherubim* interpretatur plenitudo sapientiae; *super Cherubim ascendit* ut *rector* vel doctor per sapientiam, qua plenus est; Isaiae trigesimo septimo: *Domine exercituum, Deus Israel, qui sedes super Cherubim, tu es Deus solus omnium regnorum terrae;* Psalmus: *Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Beniamin, Ephraim et Manasse.* Et *volat super pennas ventorum;* venti sunt spiritus intelligibiles, nobis absconditi, sicut (venti) origo nobis ignota est. Propter quod dicitur in Psalmo [5]: *Qui producit ventos de thesauris suis,* in locis occultis et cavernis, in quibus vapores sunt recepti. *Pennae* eorum sunt affectiones spirituum, quibus ad superna contemplanda in altum se levant. *Ascendere* ergo *super Cherubim* est ascendere ad fastigium imperiale, quo regit, disponit et ordinat omnia secundum plenitudinem sapientiae suae. *Volare* autem *super pennas ventorum* est in suo ascensu [6] transcendere omnem spiritum creatum loco et dignitate.

De tertio dicitur Ecclesiastici vigesimo quarto [7]: Tertio, u muneral *Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis. — Thronus* iste est *columna* per rectitudinem et inflexibilitatem iustitiae, sed *nubes,* per arcana iudiciorum suorum et manifestationum supernarum suarum. Nam *nubes* habet in se vapores reconditos, ex quibus procedunt aliquando pluviae consolationum, aliquando vero coruscationes et tonitrua comminationum [8]. De huiusmodi ascensu dicitur Isaiae decimo nono: *Ecce, Dominus ascendet super nubem levem et ingredietur Aegyptum, et commovebuntur simulacra Aegypti a facie eius.* Postquam enim Dominus ascendit ad thronum istum, *ingressus est Aegyptum,* per effectum iustitiae suae diversimode puniendo malos, et in hoc *simulacra Aegypti mota sunt,* id est vitia et peccata, quae non habent verum *esse,* sed vanum et defectibile, sicut simulacra non habent verum *esse* divinitatis, sed vanum. Sicut ergo Dominus baiula nube ascendit in nube, Actuum primo: *Nubes suscepit eum ab oculis eorum;* sic venturus est ad iudicium baiula nube, Actuum primo [9]: *Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in caelum;* Apocalypsis primo: *Ecce, venit cum nubibus* etc.

II. Quantum ad secundum, quod est *singulari-* Pars II. *tas modi ascendendi,* notandum, quod Dominus ascen- Subdivi dit triplici modo, scilicet *excelso, potestativo, iucundo.*

Primo ergo ascendit *super omnes caelos,* et qui- Primo, celso m dem secundum Bedam super Deuteronomii decimum [10]: *Eu, Domini Dei tui caelum est et caelum caeli,* in Glossa distinguuntur caeli septem, scilicet aëreum, Septe caeli olympium, igneum, aethereum, sidereum, aqueum, empyreum; vel sicut erant quindecim gradus, quibus Vel qu eim ascendebatur ad templum Salomonis [11], sic quindecim sunt caeli, quibus Dominus ascendit hodierna die ad Patrem, et dividuntur trimembri divisione iuxta illud secundae ad Corinthios duodecimo [12]: *Raptus est usque ad tertium caelum,* scilicet *subaethereum, aethereum, superaethereum;* et quidem *aethereum* est quadruplex, scilicet *aëreum, olympium, igneum, aethereum;* et dicitur *aëreum* inferior pars aëris, in qua fiunt commotiones; *olympium,* superior pars aëris, quae quieta est; *igneum,* inferior pars ignis; *aethereum,* superior pars ignis, quae coningitur quintae essentiae. *Aethereum* autem caelum est natura quintae essentiae, quae dicitur caelum aethereum propter similitudinem ad aliud, et illud est

---

[1] Vers. 7. seq.
[2] Vers. 15; sequuntur Ps. 67, 19. et Gen. 49, 9.
[3] Vers. 5.
[4] Psalm. 17, 11; sequuntur Isai. 37, 16. et Ps. 79, 2. seq.
[5] Psalm. 134, 7.
[6] Apographum legit *est sita ascensus.* [7] Vers. 7.
[8] Respicitur Ps. 76, 19; sequuntur Isai. 19, 1. et Act. 1, 9.
[9] Vers. 11; sequitur Apoc. 1, 7.
[10] Vers. 14; sequitur Glossa *ordinaria* in hunc locum.
[11] Vide Glossam *ordinariam* in Ps. 119, 1. Cfr. supra pag. 319, serm. 2. in fine, ubi agitur de 15 gradibus templi Salomonis.
[12] Vers. 2. Cfr. de hoc et seqq. supra pag. 318, serm. 2. p. II. et II. Sent. d. 14. p. 1. a. 1. q. 1.

multiplex, scilicet orbis lunaris, mercurialis, venerialis, solaris, martialis, iovialis, saturnalis, siderealis, crystallinus, empyreus. Et est crystallinus circulus unigeneus, qui a quibusdam dicitur aqueus, per
Quindecim vitae. quem sol perficit cursum diurnum. — Vel quindecim caeli secundum praedictos gradus sunt quindecim vitae, quarum prima est vegetabilis; secunda, sensibilis; tertia, rationalis; quarta, intellectualis; quinta, angelica; sexta, archangelica; septima, principativa; octava, potestativa; nona, virtualis; decima, dominativa; undecima, thronifica; duodecima, cherubica; decima tertia, seraphica; decima quarta, virginalis fecunditatis; decima quinta, in Deum assumtae nostrae humanitatis; et personae (?) quatuor vitae sunt constituentia naturae, quia intellectualis est in daemonibus [1]. De ascensu super hos caelos dicitur in Psalmo: *Psallite Domino, psallite Deo, qui ascendit super caelum caeli ad orientem*, id est ad Deum Patrem omnipotentem, qui intelligitur per *orientem*, qui est fons et principium luminis et caloris et cuiuslibet creaturae. Propter hoc dicitur Genesis quarto, quod paradisus terrestris est situs *ad orientalem plagam Eden*.

Secundo ascendit modo *potestativo*. Elias enim
Secundo, potestativo modo. ascenderat virtute aliena, ipse tamen virtute sua; nam *Elias*, ut dicitur quarti Regum secundo [2], *ascendit per turbinem in caelum*, in curru igneo, quia passibilis et mortalis, quod sonat per *turbinem*, et vectus auxilio Angelorum ad paradisum terrestrem; sed Dominus ascendit sua virtute et impassibilis et immortalis; ideo dicitur in Psalmo: *Iter facite ei qui ascendit super occasum, Dominus*
ficultas 1. *nomen illi*. — Sed cum *occasus* sit sinistrum caeli et dexterum caeli sit *oriens*, quomodo, si ascendit ad
Solutio. orientem, ascendit super occasum? — Ad hoc dicendum, quod *ad orientem ascendere* est « potiora Patris bona [3] », quae sunt aeterna, intrare, quae intelliguntur per dexterum. *Ascendere* vero *super occasum* est mortem vicisse et temporalia bona transcendere, quae intelliguntur per sinistrum. De hoc occasu dicitur in Psalmo [4]: *Sol cognovit occasum suum*. Ideo autem dicitur: *Dominus nomen illi*, ut ostendatur modus potestativus, quo ascendit, quia, ut dicit Ambrosius, « dominus est nomen potestatis ». Est autem dominium potestas sibi subordinandi, sibi coercendi subditos; unde Dominus dicit Matthaei ultimo [5]: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in ter-*
ficultas 2. *ra* etc. — Item, aliter videtur posse obviari illi auctoritati Psalmi: *Iter facite ei* etc., quia, cum dicatur in Psalmo: *Qui ascendit super caelum caeli ad orientem* etc., quomodo dicitur: *Qui ascendit super occasum*? — Ad hoc dicendum, quod Ierusalem in
Solutio. medio nostrae terrae habitabilis est posita, iuxta illud Ezechielis quinto [6]: *Ista est Ierusalem, in medio gentium posui eam et in circuitu eius terras;* et Psalmus: *Deus autem, rex noster, ante saecula operatus est salutem in medio terrae.* Ierusalem autem posita est inter mare occidentale et amphitritem ad orientem, id est ad dexterum; inter quae duo maria si recte protrahatur linea recta, ibi (ubi ?) Ierusalem, pervenitur ad medium caeli sub aequatore. Et quia ascendit de illo loco, in quo est medium caeli respectu nostrae habitabilis terrae... et propter hoc dicitur, quod sicut ascendit secundum diversas considerationes, quamvis *ascendere ad orientem* sit resurgere a mortuis, *ascendere* autem *super occasum* sit mortem patientia vincere etc.

Tertio ascendit modo *iucundo*, scilicet incun-
Tertio, iucundo modo. dantibus Angelis et Sanctis omnibus, quos secum ducebat, et sanctis Apostolis, qui ipsum viderunt ascendere, iuxta illud Psalmi [7]: *Ascendit Deus in iubilo et Dominus in voce tubae.* « Est autem *iubilus*, ut dicit Gregorius, quoddam ineffabile mentis gaudium, quod abscondi non potest nec exprimi, et tamen quibusdam motibus proditur, quamvis nullis proprietatibus exprimatur ». *Vox* autem *tubae* est ipsa evidentia et eminentia laudis; secundi Regum sexto [8]: *David et omnis Israel deducebant arcam testamenti Domini in iubilo et in clangore buccinae.*

III. Quantum ad tertium principale notandum,
Pars III. De ascensionis utilitate. quod triplex fuit *utilitas* ascensus, quae tangitur ibi: *ut impleret omnia*, scilicet infernalia, terrestria, caelestia. Triplex ergo fuit utilitas, scilicet *liberatio*
Subdivisio. *infernalium, effusio divinorum charismatum, reparatio ruinae Angelorum.*

De primo, Michaeae secundo [9]: *Ascendet, pan-*
De liberatione infernalium. *dens iter ante eos.* — *Iter* enim *pandit*, dum portas inferni fregit, ut possent exire; Psalmus: *Contrivit portas aereas et vectes ferreos confregit, et* portas *caeli aperuit*, ut possent intrare; Psalmus [10]: *Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portae aeternales, et introibit Rex gloriae.* Nisi enim pandisset, non exissent de loco miseriae nec intrassent in locum felicitatis aeternae; ideo dicitur in Psalmo: *Notas mihi fecisti vias vitae.*

Secunda utilitas est *effusio charismatum divi-*
De effusione charismatum. *norum*, sive donorum spiritualium, quibus die decimo implevit Ecclesiam praesentem in Apostolis. Nam quasi festum fecit prima die cum Angelis, secunda cum Archangelis, tertia cum Principatibus, quarta cum Potestatibus, quinta cum Virtutibus, sexta cum Dominationibus, septima cum Thronis, octava

---

[1] Locus obscurus. — Sequitur Ps. 67, 33. seq.; dein Gen. 4, 16. [2] Vers. 11; sequitur Ps. 67, 5.
[3] Cfr. Bonav., III. Sent. d. 18. dub. 3. (pag. 395, nota 7.).
[4] Psalm. 103, 19. — Sententia Ambrosii est l. de Trin. sive de Fide ad Gratian. c. 1. n. 7.
[5] Cap. 28, 18; sequuntur Ps. 67, 5. et v. 34.
[6] Vers. 5; sequitur Ps. 73, 12. In seqq. propositionibus corruptio textus est manifesta.
[7] Psalm. 46, 6. — Sequitur Gregor., XXIV. Moral. c. 6. n. 10. [8] Vers. 15.
[9] Vers. 13; sequuntur Ps. 106, 16. et 77, 23.
[10] Psalm. 23, 7; sequitur Ps. 15, 11.

cum Cherubini, nona cum Seraphim, decima largitus est nimirum Apostolis. Ideo dicitur ad Ephesios quarto [1]: *Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus;* Ioannis decimo sexto: *Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.*

De reparatione ruinae Angelorum.

Tertia est *reparatio ruinae Angelorum*. Nam per collocationem sanctarum animarum in caelo ruina angelica reparatur; Psalmus [2]: *Implebit ruinas;* unde Amos nono: *Aedificat in caelo ascensionem suam et fasciculum suum super terram fundavit* [3]. *Ascensionem suam* appellat angelicam naturam, ad quam ascendit; *suam* aedificat, dum illius ruinam ex sanctis animabus reparat et confirmat. Sed *fasciculum suum fundat super terram*, id est praesentem Ecclesiam, in qua sunt fideles sicut *fasciculus;* primi Regum vigesimo quinto [4]: *Erit anima domini mei custodita quasi in fasciculo viventium.* Et dicitur praesens Ecclesia *fasciculus*, quia congregatur ex multis fidelibus, quorum quidam effluunt de ipsa, et quidam permanent, sicut de fasciculo quidam truncus cadit et quidam permanet. Istum *fundat super terram*, quia Ecclesia semper perseverat. Rogemus etc.

Sermo VIII [5].

Beatus vir, cuius est auxilium abs te; ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum, Psalmus [6].

Si quis ad Christum ascendentem ad caelum super omnem ordinem angelicum vult conscendere, necesse est, ut gradus ascensionum in semetipso constituat secundum conformitatem graduum caelestium hierarchiarum, quibus ad ipsum ascendit. Unde secundum Dionysium [7] caelestis hierarchia distinguitur in ter ternos ornatus, eo quod triplex est hierarchia, scilicet infima, media et suprema, et unaquaeque ordines tres Angelorum continet; sic per tria bona secundum triplicem gradum uniuscuiusque ad perfectionem sanctitatis ascendat. Haec

Divisio.

autem sunt, scilicet *gratia, iustitia, sapientia,* et haec est *scala,* quam vidit Iacob, per quam ascendebant (Angeli), Genesis vigesimo octavo [8].

Pars I. Ascendendum ad gratiam.

I. Primo ascendendum est ad *gratiam*, ad quam facilis fuit ascensus in statu innocentiae, sed difficilior in statu naturae lapsae; de cuius ascensu dicitur Genesis trigesimo quinto [9]: *Surge et ascende Bethel et habita ibi facque altare Deo. — Bethel* interpretatur domus Dei et significat animam, quae fit domus Dei per gratiam. Et consurge *in habitaculum Dei in Spiritu* sancto, ut dicitur ad Ephesios secundo, ad quam ascendit quis per sanctificationem a vitiis; et tunc fit in ea *altare Deo*, in quo sacrificium offerendum est Deo omnipotenti. Huius ergo ascensus dicitur duplex, scilicet *baptismalis* et *poenitentialis*. Primo ergo post lapsum humanae naturae in culpam originalem ascenditur per gratiam *baptismalem*, propter quem ascensum Christus ascendit in crucem, ut per virtutem passionis suae perveniremus ad gratiam; Canticorum septimo: *Ascendam in palmam et apprehendam fructus eius.* Dicitur Canticorum quarto [10]: *Dentes tui sicut greges tonsarum, quae ascenderunt de lavacro.* — Os Ecclesiae est veritas conformis fidei, quia, ut dicitur ad Romanos decimo, *corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Dentes* huius oris sunt viri iusti, in quibus tanquam duabus maxillis, intra quas manent dentes, formatur veritas Verbi increati et incarnati opere creationis et recreationis, Conditoris et Reparatoris. Isti sunt *greges tonsarum*, qui in baptismo abrenuntiant diabolo et pompis eius et sic tonduntur. Isti *ascenderunt de lavacro;* id est de baptismo; ad Ephesios quinto: *Christus dilexit Ecclesiam, mundans eam lavacro aquae in verbo vitae.* Et sequitur in auctoritate Canticorum: *Omnes gemellis fetibus, et sterilis non est inter eas. — Gemelli fetus* dicuntur propter gratiam praevenientem et subsequentem, ex qua producuntur fructus boni operis ad consummationem. De hoc ascensu multi descendunt; Psalmus [11]: *Ascendunt usque ad caelos et descendunt usque ad abyssos, anima eorum in malis tabescebat. Turbati sunt et moti sunt sicut ebrius, et omnis sapientia eorum devorata est* etc. — *Usque ad caelos ascendunt*, quia per lavacrum gratiae fit anima civis caelestis; sed per peccatum mortale sequens *descendit usque ad abyssos*, quia per illud fit civis infernalis; et tunc *turbantur et moventur sicut ebrius*, id est irrationabiliter; *et devoratur omnis sapientia eorum*, quia modica delectatio peccati omne bonum gratiae Dei in anima destruit. — Sed nihilominus divina Sapientia, quae lavacrum baptismi adhibuit contra residuum [12] peccati, ut qui descendunt in abyssum per peccatum, iterum ascendant per gratiam ad caelum. Et istud remedium est poenitentia, quae tres gradus continet, per quos ascendere oportet, scilicet *deploratio culpae, exhibitio emendae, imploratio misericordiae* [13].

De primo dicitur secundi Regum decimo quinto [14]: *David ascendebat clivum olivarum, scandens operto capite,* propter verecundiam, sed *nudis*

Duplex i ascensu

De grat baptisma

Notandc

De gra poenite tiali

Gradus

De gra primo

---

[1] Vers. 8; sequitur Ioan. 16, 7.
[2] Psalm. 109, 6; sequitur Amos 9, 6.
[3] Cfr. supra pag. 319, serm. 4.
[4] Vers. 29.
[5] Ex cod. Trecensi n. 2052. fol. 120 r. Plenus est sententiis aliis a Bonaventura scriptis.
[6] Psalm. 83, 6. seq.
[7] De Caelesti Hierarch. c. 6. § 2.
[8] Vers. 12.
[9] Vers. 1; sequuntur Eph. 2, 22. et Cant. 7, 8.
[10] Vers. 2; sequuntur Rom. 10, 10. et Eph. 5, 25. seq.
[11] Psalm. 106, 26. seqq.
[12] Cfr. Bonav., II. Sent. d. 42. dub. 4.
[13] Cfr. tom. VIII. opusculum de Triplici Via, c. 2. § 1. seq.
[14] Vers. 30.

pedibus, propter humiliationem. Duplex autem fuit fructus permissionis, ut tantus Propheta caderet, sicut dicit Gregorius [1]: « David cadente, nullus praesumat, et David resurgente, nullus desperet »; Isaiae decimo quinto [2]: *Per ascensum enim Luith flens ascendet.*

De gradu secundo.

De secundo, primi Regum decimo quarto [3]: *Ascendit Ionathas, manibus et pedibus reptans, et armiger eius post eum. Itaque alii cadebant ante Ionatham, alios armiger eius interficiebat sequens eum. — Ionathas*, filius columbae, est Iesus Christus, qui conceptus de Spiritu sancto est, in columba apparente. Iste ascendit in cruce contra Philisthaeos, id est daemones, potione superbiae suae de caelo cadentes; nam *Philisthaei* interpretantur *potione cadentes* [4]; *reptans manibus et pedibus*, quia infossas manus et pedes habet. Nam reptans per scopulos duros fodit vel lacerat manus et pedes suos. *Armiger* est quilibet Christianus, qui ferit *arma* Christi, quae sunt signa passionis suae, *potentia ad destructionem munitionum* [5] inimicorum; ad Galatas quinto: *Qui autem sunt Christi carnem suam crucifixerunt.* Et sequitur: Iste *armiger* sequitur Ionatham, quia poenitens Christianus conformat se Christo ad emendam suorum peccatorum.

De gradu tertio.

Tertius gradus est *imploratio misericordiae;* Lucae decimo octavo [6]: *Duo homines ascenderunt in templum, ut orarent: unus Pharisaeus, et alter publicanus.* Nam publicanus implorando misericordiam iustificatus est, quia *percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori* etc. Sed Pharisaeus, qui se extollebat, peccator ab oratione recessit. Et per hos tres gradus fit poenitens in gratia conformis patriae hierarchiae inferiori, in qua sunt Angeli, Archangeli, Principatus [7].

Pars II. Ascendendum ad iustitiam. Gradus.

II. Ascendendum est *ad iustitiam* [8] per iustitiam, quae est perfecta exercitatio in virtutibus; et in hac sunt tres gradus, per quos sumus conformes mediae hierarchiae, scilicet *amor pudicitiae* ad se ipsum, *rectitudo innocentiae* ad proximum, *promptitudo obedientiae* sive humiliatio ad Dominum.

De primo.

De primo Isaiae undecimo [9]: *Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet. — Virga egressa de radice Iesse* Christus est; *flos de radice eius ascendens* est pudicitia hominis christiani. Nam sicut flos est puritas mixtionis colorum et odoriferus, sic pudicitia est puritas mentis et corporis et reddit hominem famosum; Ecclesiastici vigesimo quarto: *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, et flores mei fructus honoris et honestatis;* Isaiae quinquagesimo tertio: *Ascendet sicut virgultum coram eo et sicut radix de terra sitienti. — Virgultum* ascendit sine ramis et frondibus, et in hoc notatur paupertas christiani hominis ad similitudinem Christi. *Radix de terra sitienti* consurgit sine humore superfluo; sicut qui vult pudicitiam servare a voluptuosis cibis et potibus oportet abstinere.

De secundo.

Secundus est *rectitudo innocentiae* ad proximum; Psalmus [10]: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus et mundo corde* etc. Oportet igitur, quod haec innocentia sit non tantum in abstinentia vel vitatione iniuriarum in factis, sed et in cogitationibus et verbis. Innocentia enim in factis notatur, cum dicit: *Innocens manibus;* in cogitationibus, cum dicit: *et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam;* in verbis notatur, cum subdit: *nec iuravit in dolo proximo suo*, ut non faciat quis aliis quod non vult sibi fieri [11].

De tertio.

De tertio dicitur Lucae decimo quarto [12]: *Cum invitatus fueris ad nuptias, recumbe in novissimo loco; ut, cum venerit qui te invitavit, dicat tibi: Amice, ascende superius.* Iste autem gradus consistit in obedientia divinarum legum, ut quis humiliet se et obediat non solum praeceptis divinis, sed et consiliis Dei et beneplacitis, ut sciat, *quae sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta.* Et de his tribus dicitur Isaiae secundo: *Venite, et ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis eius, quia de Sion exibit lex et verbum Domini de Ierusalem. — Viae* sunt beneplacita; *semitae* sunt consilia; *lex* et *verbum* sunt praecepta.

Pars III. Ascendendum ad sapientiam. Gradus tres.

III. Tertio ascendendum est ad *sapientiam;* de quo Deuteronomii decimo [13]: *Dola tibi duas tabulas lapideas et ascende ad me in montem, et scribam in tabulis verba, quae fuerunt in his quas ante confregisti;* et Deuteronomii nono: *Ascendi in montem, ut acciperem tabulas lapideas, tabulas pacti, quod pepigit vobiscum Dominus.* Et huius sunt gradus tres ad similitudinem tertiae sive superioris hierarchiae, in qua sunt Throni, Cherubim et Seraphim: *excessus devotionis, excessus admirationis, excessus exsultationis* [14].

De primo.

De primo dicitur Canticorum tertio [15]: *Quae est ista quae ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris et universi pulveris pigmentarii? — Virgula fumi* ascendentis est *devotio* Deum contemplantis, quae excitatur ex

[1] Libr. XXXIII. Moral. c. 12. n. 23.
[2] Vers. 5.
[3] Vers. 13.
[4] Cfr. August., Enarrat. in Ps. 82. n. 7.
[5] Epist. II. Cor. 10, 4; sequitur Gal. 5, 24.
[6] Vers. 10-14.
[7] Cfr. tom. V, Collat. in Hexaëm. collat. 20. n. 4. seqq. et opusculum de Triplici Via, c. 3. § I. (tom. VIII. pag. 11).
[8] Cfr. August., 83 Quaest. q. 82. n. 3.
[9] Vers. 1; sequuntur Eccli. 24, 23. et Isai. 53, 2.
[10] Psalm. 23, 3. seq.
[11] Respicitur Tob. 4, 16. et Matth. 7, 12.
[12] Vers. 8. et 10; sequuntur Rom. 12, 2. et Isai. 2, 3.
[13] Vers. 1. seq.; sequitur c. 9, 9.
[14] Cfr. tom. VIII. opusculum de Triplici Via, c. 1. § 3.
[15] Vers. 6.

tribus: ex beneficio redemptionis perfectae per mortem Christi, quae designatur in *myrrha;* ex beneficio promissionis Patris, quae notatur in *thure* suavitatem redolente; ex beneficio charismatum donorum Spiritus sancti, quae notantur in *universo pulvere pigmentarii.* Cum ergo anima ex his tribus excitatur, quando de his tribus cogitat et meditatur, ascendit ad Deum fumus devotionis suae.

De secundo, scilicet de *excessu admirationis,* cum anima admiratur magnitudinem sapientiae Dei in rebus *corporalibus* et *intellectualibus* et *aeternalibus,* dicitur Canticorum sexto [1]: *Quae et ista quae progreditur quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* — Admirando enim Dei sapientiam in rebus corporalibus est anima sancta sicut *aurora consurgens,* quae non habet magnum lumen respectu lunae et solis. Nam in atomo, qui est tam minimum quid, est admirabilis sapientia Dei. Dicitur enim sic: corpus habet longitudinem et latitudinem, et in omni tali probatur, quod potest fieri circulus. Nullus autem homo posset circulum in atomo facere; et sic in multis aliis corporibus, ut puta stellis et herbis, est sapientia Dei admirabilis. — Admirando etiam sapientiam Dei in rebus intellectualibus est anima sicut *luna,* quia magis splendet in illis Dei sapientia quam in corporalibus, ut patet in ipsis intelligentiis sive angelicis spiritibus et in animabus. — Admirando Dei sapientiam in aeternalibus, Patre et Filio et Spiritu sancto, quomodo Deus est trinus et unus, et alia, quae pertinent ad divinam Maiestatem, est anima sicut *sol.* In talibus tamen non debet homo esse multum praesumtuosus aut curiosus, quia dicitur Proverbiorum vigesimo quinto [2]: *Qui scrutator est Maiestatis opprimetur a gloria.* — Et per talem excessum admirationis triplicem est anima *terribilis ut castrorum acies ordinata;* unde in Genesis trigesimo secundo: *Dimitte me, iam enim ascendit aurora.* Vel, ut *aurora* est per rationem, ut *luna* per fidem, ut *sol* per donum intellectus; sed est *terribilis ut castrorum acies ordinata* per contemplationem.

De secundo gradu tria.

Miranda in rebus corporalibus.

Item, in intellectualibus.

Item, in aeternalibus.

Triplex anima.

Tertius gradus est *excessus exsultationis,* ut cum anima in amore Dei per excessum rapitur, per laetitiam cordis et obliviscitur; et hoc est *rapi usque ad tertium caelum,* et ibi *audiuntur arcana Dei verba, quae non licet homini loqui,* ut dicitur secundae ad Corinthios duodecimo [3]. De ascensu ad hunc gradum dicitur Canticorum octavo: *Quae est ista quae ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* In hoc enim gradu est affluentia deliciarum animae, ita quod extra se rapitur et quasi tota in Deum absorbetur; et ideo dicitur *innixa super dilectum suum,* non super se ipsam. — Si ergo anima fuerit per hos gradus ascensus sic elevata, non restat aliud, nisi ut ad gradum alium visionis beatae et felicitatis aeternae vocetur, ut ascendat, iuxta illud Apocalypsis undecimo: *Steterunt super pedes suos et audierunt vocem magnam de caelo dicentem eis: Ascendite huc. Et ascenderunt in caelum in nube.* Rogemus ergo Dominum etc.

De tertio gradu.

Restat gradus visionis.

Sermo IX [4].

Ascendet, pandens iter ante eos, Michaeae secundo [5].

In verbis istis breviter comprehendit Propheta mysterium solemnitatis hodiernae quantum ad duo, quorum primum est *exaltatio humanae naturae,* quae tangitur, cum dicitur: *Ascendet.* Secundum est *apertio caelestis ianuae,* cum dicitur: *pandens iter* etc.

Divisio.

1. Dicit ergo *ascendet,* sed non solum ipse, sed et alii post eum, quod notatur, cum additur: *ante eos. Ascendit* autem *ante eos* ad *dirigendum,* ad *animandum,* ad *adiuvandum* et ad *hospitium praeparandum.* Dirigit deliberantes, ut recte videant; animat aggredientes, ut incipere audeant; adiuvat operantes, ut consummare valeant; hospitium parat perseverantibus, ut in aeterna beatitudine gaudeant.

Pars I.

Subdivisio.

Ascendit ergo *ante eos* ad *dirigendum* vel docendum viam, ut hic dicitur: *Ascendet, ante eos pandens,* id est ostendens, *iter.* Nesciebatur enim, antequam ipse praecederet nos, via vitae; sed ipse *notas fecit nobis vias vitae* [6], scilicet iustitiam, misericordiam, veritatem, quibus itineribus pervenitur ad vitam, sicut dicit Augustinus in sermone de resurrectione [7]; Exodi decimo tertio: *Dominus autem praecedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis et per noctem in columna ignis, ut dux esset itineris utroque tempore.* Nota: ipse praecessit sicut ille qui portat cereum de nocte coram magnatibus.

Ascendit primo ad rigendum.

Ascendit autem *ante eos* ad *animandum,* quod significatum est Exodi trigesimo tertio [8]: *Si non tu ipse praecedas, ne educas nos de loco isto* etc. Via enim erat mala et vadus profundus, et ideo praecessit quasi tentator vadorum. Oportebat enim transire per torrentem passionum, quod non erat satis tutum. Nota figuram huius primi Machabaeorum quinto, quod dixit Timotheus de Iuda: *Cum appropinquaverit Iudas et exercitus eius ad torrentem aquae* etc.;

Secundo, animandi

---

[1] Vers. 9. [2] Vers. 27; sequitur Gen. 32, 26.
[3] Vers. 2. et 4; sequuntur Cant. 8, 5. et Apoc. 14, 11. seq.
[4] Ex cod. Monacensi 7776. fol. 187 r. et Tudertino n. 168. fol. 84 v.
[5] Vers. 13. [6] Psalm. 15, 11.
[7] Loc. cit. in sermone allegato invenire non potuimus; sed cfr. August., Enarrat. in Ps. 137. n. 5. — Sequitur Exod. 13, 21.
[8] Vers. 15. seq.; sequitur I. Mach. 5, 40. 43.

sequitur autem, quod *transfretavit* Iudas *et omnis populus post eum, et contritae sunt omnes gentes.*

Tertio, ad adiuvandum.

Ascendit iterum *ante eos* ad *adiuvandum*, sicut solent peregrini, qui fortiores sunt, praecedere alios ultra fossatum et extendere eis manus ad adiuvandum; Deuteronomii trigesimo tertio [1]: *Ascensor caeli auxiliator tuus;* Osee undecimo: *Ego quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachiis meis;* hoc modo, ut dictum est, *extendit manum* Petro, *cum coepisset mergi.*

Quarto, ad hospitium praeparandum.

Ascendit iterum *ante eos* ad *hospitium praeparandum;* Ioannis decimo quarto [2]: *Vado parare vobis locum;* in eodem: *Et si abiero et praeparavero vobis locum, iterum venio et accipiam vos ad me ipsum, ut, ubi sum ego, et vos sitis* etc.

Recapitulatio.

— *Ascendit* ergo propter haec quatuor *ante eos*, quorum primum fecit in *conversatione*, secundum in *passione*, tertium in *resurrectione*, quartum in *ascensione*. Propter primum debemus esse sapientes in eligendo; propter secundum, audaces in aggrediendo; propter tertium, viriles in prosequendo; propter quartum, avidi in consummando, ut possimus, consummatis laboribus, ingredi hospitium illud, quod nobis est paratum, in quo et omnia bona nobis parata sunt; Matthaei vigesimo secundo [3]: *Omnia parata sunt* etc.

Pars II.

II. Ideo *festinandum ingredi* [4], maxime, cum videmus, hodie *ianuam aperiri* et tot intrare ad festum. Nota de euntibus ad prandium. Sed quoniam non omnibus pulsantibus ad ostium conceditur ingressus in regnum; Matthaei septimo: *Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum;* ideo providendum est nobis, ut tales simus, quibus concedatur ingressus post Dominum, qui hodie *ascendit, pandens iter ante* populum suum. — Faciamus, ut agnoscamur esse de familia eius vel de populo eius, *quia non repellet Dominus plebem suam* [5]. Agnoscitur autem aliquis esse de familia alicuius divitis aliquando, quia *nominat se* ex parte illius; aliquando, quia *portat litteras* eius; aliquando, quia *associat eum;* aliquando, quia *indutus est vestibus* eiusdem panni cum eo. Quorum primum significat confessionem fidei laicorum; secundum, sapientiam clericorum; tertium, solitudinem Religiosorum; quartum, imitationem perfectorum.

Iatuor nos s agnosci- ur sui esse.

Nota prima.

Quidam ergo recognoscuntur a Domino et recipiuntur in eius hospitio, quia *nominant se* ex parte illius; Lucae duodecimo [6]: *Omnis, quicumque confessus fuerit me coram hominibus, et Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei.* Sed attende, quia saepe nominans se ex parte alicuius ignoratur, nisi habeat insignia. Insignia autem fidei sunt opera; Iacobi secundo: *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat?* quasi dicat: non; non enim habet insignia; ad Titum primo: *Confitentur, se nosse Deum, factis autem negant.* Exemplum de clerico, a quo requisitum est: ubi sunt opera tua?

De secunda.

Quidam recipiuntur, quia *portant litteras* domini, sine quibus non recipiuntur clerici; Osee quarto [7]: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi;* idem Baruch quarto [8]. Nota de his: Timotheus, cui dicitur [9]: *Ab infantia sacras litteras nosti.* Exemplum de Hieronymo. Et nota, quod in litteris oportet esse sigillum caritatis, aliter non sunt verae; Canticorum octavo: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* Nota ibi sigillum, et econtra, quod hoc sigillum non habent hypocritae, qui sunt falsarii poenitentiae. Et nota, qualiter contingit hoc reperire in illis.

De tertia.

Quidam recipiuntur, quia *manent cum eo* et sunt de eius societate, sicut qui omnia pro Christo reliquerunt, de quibus Lucae vigesimo secundo: *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis; et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum* etc.; et Ioannis duodecimo [10]: *Si quis mihi ministrat, me sequatur;* de illo sequitur, de quo dicitur: *Vade, vende quae habes* etc., *et veni, sequere me* etc., *et ubi sum ego, illic et minister meus erit.*

De quarta.

Quidam recipiuntur, quia sunt similes *ad vestes eius,* et istis oportet habere maiorem honorem, et isti sunt imitatores passionis eius; quod pertinet ad perfectos, de quibus Apocalypsis ultimo [11]: *Beati, qui lavant stolas suas in sanguine Agni, ut sit potestas eorum in ligno vitae, et per portas intrent in civitatem.* — Nota, quomodo omnes induti sumus eodem panno cum illo, sed non omnes tingimur eodem colore cum illo. — Ingrediuntur ergo post eum *laici* fideliter confitentes, *clerici* veraciter praedicantes, *Religiosi* assidue comitantes, *perfecti* passionem eius viriliter imitantes. Quod nobis concedat etc. Amen.

---

[1] Vers. 26; sequuntur Osee 11, 3. et Matth. 14, 30. seq.
[2] Vers. 2. seq.
[3] Vers. 22.
[4] Epist. ad Hebr. 4, 11; sequitur Matth. 7, 21. et superius respicitur v. 7.
[5] Psalm. 93, 14.
[6] Vers. 8; sequuntur Iac. 2, 14. et Tit. 1, 16. — Varia exempla infra ponuntur illa aetate consueta.
[7] Vers. 6.
[8] Forte respicitur v. 4: *Hic liber mandatorum Dei et lex, quae est in aeternum. Omnes, qui tenent eam* (legem), *pervenient ad vitam; qui autem dereliquerunt eam, in mortem.*
[9] Epist. II. Tim. 3, 15; sequuntur Cant. 8, 6. et Luc. 22, 28-30.
[10] Vers. 26; sequuntur Matth. 19, 21. et Ioan. 12, 26.
[11] Cap. 22, 14.

DOMINICA INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS.

Sermo I [1].

Infra octavam Ascensionis. Sermo fratris Bonaventurae apud Neapolim.

Estote prudentes et vigilate in orationibus, primae Petri quarto [2].

In verbis his duo facit beatus Petrus. Primum
Divisio. enim hortatur ad sanctae *vitae strenuitatem*, cum dicit: *Estote prudentes;* secundo, ad sanctae *Ecclesiae sedulitatem*, cum dicit: *et vigilate in orationibus.*

I. Circa primum nota, quod prudentia spiritus,
Pars I. Prudentiae h exercitia. qua *prudentes* debemus esse, consistit in quatuor, scilicet in *perscrutatione* divinarum Scripturarum; primi Paralipomenon vigesimo septimo [3]: *Ipse erat vir prudens et litteratus;* Psalmus: *Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo.* — In *discretione* operationum; primi Regum decimo octavo: *In omnibus quoque viis suis David prudenter agebat.* — In *moderatione* sermonum; Proverbiorum decimo [4]: *Qui moderatur labia sua prudentissimus est.* — In *dissimulatione* iniuriarum; Amos quinto: *Ideo prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est.*

II. *Vigilare* autem debemus in orationibus ad octo,
Pars II. Vigilandum 8 modis. scilicet ad *deplorandum* iniquitates proprias et alienas; Ecclesiastici trigesimo nono [5]: *Cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, et in conspectu Altissimi deprecabitur.* — Ad *impetrandum* virtutes necessarias; Ecclesiastici trigesimo octavo: *Vigilia sua perficiet opus.* — Ad *magnificandum* largitates divinas; Ecclesiastici trigesimo octavo: *Vigilia eius in sagina vaccarum.* — Ad *contuendum* claritates supercaelicas; Proverbiorum octavo [6]: *Qui vigilat ad fores meas quotidie* etc. — Ad *gemendum* impietates mundanas; Threnorum secundo: *Consurge, lauda in nocte in principio vigiliarum; effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini. Leva ad eum manus tuas pro anima parvulorum tuorum, qui defecerunt in fame in capite omnium compitorum.* — Ad *memorandum* passionis Christi acerbitates; Ecclesiastici trigesimo primo: *Vigilia honestatis tabefaciet carnes.* — Ad *degustandum* suavitates aeternas; Proverbiorum octavo [7]: *Qui mane vigilat ad me inveniet me.* — Ad *ruminandum* veritates evangelicas; secundae ad Timotheum quarto: *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistae, ministerium tuum imple.*

Sermo II [8].

Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, Ioannis decimo quinto [9].

In quibus verbis describitur adventus Spiritus Introductio de tribus sancti venerabilis ex tribus, quia videlicet *magnus qui venit*, quoniam *Spiritus, qui a Patre procedit.* Iste enim est Deus, quia Deus de Deo. Quia *magnus* ille, *ex parte cuius venit*, quoniam Filius cum Patre; *quem ego*, inquit, *mittam vobis a Patre.* Quia *propter bonum nostrum* venit, videlicet ad *testimonium* certum *perhibendum* de eo quem summe desideramus. Haec enim est summa beatitudo credentium, scilicet de Deo *audire;* beatitudo vero tenentium, Deum *videre.* Nunc *fides ex auditu* [10], tunc contemplatio ex visu. Advertendum ergo nobis, quod id quod in via summe desiderandum est, denotatur [11], cum dicitur: *ille testimonium perhibebit de me.*

Cum venerit Paracletus etc. Circa desiderabilem Spiritus sancti promissionem, qui in verbis istis venturus promittitur, tria consideranda occurrunt, Divisio. scilicet *ipse Spiritus promissus*, ipsius *adventus* et eius *effectus*, ut sciamus, *quis* venit, *qualiter* venit et *ad quid* venit.

I. *Quis* venit, describitur, cum dicitur: *Para-* Pars I. *cletus, quem ego mittam vobis* etc., et describitur ut *magnus*, ut *sapiens*, ut *pius:* ut *magnus,* cum Paracleto describito tripliciter dicitur: *Qui a Patre procedit;* nec enim Spiritus Patris expers est patriae maiestatis. — Ut *sapiens,* cum dicitur: *Spiritus veritatis;* Ioannis decimo sexto [12]: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* — Ut *pius,* cum dicitur: *Paracletus,* quod interpretatur consolator. Sic ergo describitur ut Spiritus pietatis, cum dicitur: *Paracletus;* ut Spiritus veritatis, cum dicitur: *Spiritus veritatis;* ut Spiritus potestatis vel maiestatis, cum dicitur: *qui a Patre procedit.*

---

[1] Ex A fol. 125 v. et B fol. 51; sed hic non bene convenit, quia pro utraque parte refert duodecim puncta et omittit nonnulla, quae habentur in A. Unde omisimus ea quae in B non conveniunt cum A.

[2] Vers. 7.

[3] Vers. 32; sequuntur Ps. 118, 98. et l. Reg. 18, 14.

[4] Vers. 19; sequitur Amos 5, 13.

[5] Vers. 6; sequuntur c. 38, 28. et 27.

[6] Vers. 34; sequuntur Thren. 2, 19. et Eccli. 31, 1.

[7] Vers. 17; sequitur II. Tim. 4, 5.

[8] Habetur in cod. Monacensi n. 7776. fol. 186 v. et Tudertino n. 168. fol. 85 r. et ob rationes ex indole sermonis sumtas a P. Fidele a Fanna et nobis census est dignus S. Bonaventura.

[9] Vers. 26.

[10] Respicitur Rom. 10, 17.

[11] Locus in utroque codice est penitus corruptus et a nobis correctus, quantum licuit.

[12] Vers. 13.

Talis necessarius, quia diabolus impugnat triplíciter.

Talis autem nobis erat necessarius contra diabolicam inimicitiam, qui impugnat per *audaciam* deterrendo; Iob quadragesimo primo [1]: *Qui factus est, ut nullum timeret;* qui impugnat per *fallaciam* seducendo; Genesis tertio: *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ* etc.; qui impugnat per *violentiam* opprimendo; Ieremiæ sexto: *Crudelis est et non miserebitur.* Per *audaciam* praesumtionis territus est Ezechias, quarti Regum [2]; per *fallaciam* seductionis seducti sunt primi parentes; per *violentiam*

Sed non timendum.

tribulationis afflictus est Iob. — Sed ne timeamus audaciam praesumtionis, quia ecce, venit Spiritus *maiestatis;* primae Ioannis quarto [3]: *Maior est qui in vobis est quam qui in mundo* etc. Ne timeamus fallaciam seductionis vel falsitatis, quia ecce, venit Spiritus *veritatis;* Ioannis decimo sexto: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Ne timeamus violentiam tribulationis, quia ecce, Spiritus paracletus, Spiritus *pietatis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Spiritus maiestatis reprimit praesumtionem, Spiritus veritatis dissolvit

Triplex ratio requirendi consolationem Spiritus.

fallaciam, Spiritus pietatis mitigat tribulationem. — Cuius consolatio ideo assidue requirenda, quia *vera*, quia *perfecta*, quia *temperativa* [4].

Paracletus consolator vere.

Paracletus est consolator *vere*, quia ibi adhibet consolationem, ubi adhibenda est, in anima videlicet, non in carne, quemadmodum facit mundus, qui carnem consolatur, animam tribulat, similis malo hospiti, qui equum pascit et equitem expellit. Deus autem animam consolatur; Ieremiæ [5]: *Idcirco ego plorans et oculus meus deducens aquas, quia longe factus est a me consolator, convertens animam*

Item, perfecte.

meam. — Item, eius consolatio est *perfecta*, quia de omni tribulatione consolatur, non sicut mundus, qui cum unam adhibet consolationem, duas praebet tribulationes, similis illi qui suit vetus pelliceum, qui dum unum foramen obstruit, duo foramina facit. Sed Paracletus ipse est *Deus totius consolationis*, qui

Item, temperative.

consolatur nos in omni tribulatione nostra. — Item, eius consolatio est *temperativa*, quia, ubi maior occurrit tribulatio, ibi maiorem affert consolationem; Psalmus: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuae laetificaverunt animam meam.* Non sic mundus, qui in prosperitate consolatur et alludit, in adversitate irridet et contemnit; Threnorum primo [6]: *Non est qui consoletur eam ex omnibus caris eius.* Similis est mundus cani os corrodenti.

Pars II. De loco eligendo et hospitio praeparando.

II. Sequitur considerare secundo promissi *adventum.* Circa quod notatur, quis locus est, ubi libenter *habitat*, et quale ibi est illi *hospitium praeparandum.* Cavendum enim est, ne inveniat hospitium imparatum et incongruum et in malo loco situm. — Nota ergo, quod tria loca frequentare solet et visitare adventu suo Spiritus sanctus, videlicet locum *orationis*, locum *praedicationis* et locum sanctae *congregationis.* In loco orationis attrahunt eum Sanctorum *desideria*, in loco praedicationis Sanctorum *eloquia*, in loco sanctae congregationis Sanctorum *exempla.*

Primo, de triplici loco.

De loco primo.

Solet ergo Spiritus sanctus familiarius advenire ad locum *orationis.* Libenter venit quis ad locum, ubi *amatur; dabit* ideo *Pater* caelestis *spiritum bonum petentibus se* [7], quod figuratum est Actum primo, ubi venit Spiritus sanctus in discipulos congregatos in loco, ubi *erant perseverantes unanimiter in oratione.* Movet enim eum in loco sanctae devotionis et orationis odor sanctae devotionis.

De secundo.

Solet iterum frequentius advenire ad locum *praedicationis.* Amat enim quis locum, ubi *laudatur;* unde Actum decimo [8]: *Loquente Petro verba haec, cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum.* Movet enim eum in loco praedicationis sonoritas divinae laudis; unde et in *sono vehementi* descendit, Actum secundo [9]; quarti Regum tertio, nota de Eliseo, qui fecit adduci psaltem, ut resumeret spiritum prophetiae; et de Saule, qui, citharizante David, mitius se habebat.

De tertio.

Tertius locus est locus sanctae *congregationis*, quem amat Spiritus sanctus; amat enim quis locum, ubi ei *servitur;* quod significatum est primi Regum [10], ubi dixit Samuel ad Saul: *Obvium*, inquit, *habetis gregem prophetarum descendentium de excelso;* et sequitur: *Et insiliet in te Spiritus Domini et prophetabis cum eis et mutaberis in virum alterum;* et in Evangelio: *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum;* quippe quia movet eum in loco sanctae congregationis amoenitas honestae conversationis. Locus ergo *amoenus*, locus *sonorus*, locus *odoriferus* est locus, quem amat Spiritus sanctus. Fugienda sunt ergo loca dissolutionis et otiositatis etc.

Secundo, de hospitio praeparando.

Sed in his locis attendendum est, quale sit ei *hospitium praeparandum.* Nec enim omnes, qui ad haec loca conveniunt, recipiunt Spiritum sanctum. Nota igitur, quod ad quorundam hospitium non venit Spiritus sanctus, quia hospitium *non mundatur;* ad quorundam hospitium, quia ad illud *non invitatur;* ad quorundam, quia *nihil* in eorum hospitio *ministratur.*

In hoc defectus triplex.

Defectus primus.

Non venit Spiritus sanctus, ubi hospitium *non mundatur;* Sapientiae primo [11]: *Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia nec habitabit*

---

[1] Vers. 24; sequuntur Gen. 3, 1. et Ier. 6, 23.
[2] Cfr. c. 18, 19-35. et 19, 1-6.
[3] Vers. 4; sequuntur Ioan. 16, 13. et II. Cor. 1, 4.
[4] Codex Monacensis habet *tempestiva.*
[5] Thren. 1, 16; sequuntur II. Cor. 1, 3. seq. et Ps. 93, 19.
[6] Vers. 2.
[7] Luc. 11, 13; sequitur Act. 1, 14.
[8] Vers. 44.
[9] Respicitur v. 2; deinde alluditur ad IV. Reg. 3, 15. et I. Reg. 16, 23.
[10] Cap. 10, 5. seq.; sequitur Matth. 18, 20.
[11] Vers. 4; sequitur Gen. 6, 3.

in corpore subdito peccatis. Quid mirum, si non venit? Anima peccatrix est latrina diaboli. Nota, quare. Quis ergo credat, hoc esse hospitium regis caeli? Genesis sexto: *Non permanebit spiritus meus in homine in aeternum, quia caro est,* id est carnalis.

Defectos secundos. — Non venit Spiritus ad hospitium, ubi *non invitatur* vel agnoscitur; quale est illorum hospitium, qui Deum non advocant ad hospitium suum; Ioannis decimo quarto [1]: *Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum nec scit eum.* — Quidam invitant eum, sed non venit, quia in eorum hospitio *nihil ei ministratur,* sicut ficti, qui nihil volunt pro eo facere; Sapientiae primo: *Spiritus sanctus disciplinae effugiet fictum,* quasi dicat: quia, ut videtur, interius ministratur ei per bonam cogitationem et exterius per fictam operationem, *ideo effugiet* etc. Vel nota fictum hypocritam, qui, dum non Deo servit, sed de bonis, quae a Deo accepit, sibi gloriam quaerit, Deum de bonis suis in hospitio suo spoliat, quia bona, quae Dei sunt, sibi ascribit. — Primum hospitium est peccatorum, secundum mundanorum, tertium hypocritarum vel pigrorum. Nos ergo *mundemus* hospitium per confessionem, quia *domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudinem dierum* [2], et veniet; Actuum secundo: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus sancti.* Postmodum *invitemus* eum per devotam orationem, et veniet; Sapientiae septimo: *Optavi, et datus est mihi sensus, et invocavi, et venit in me spiritus sapientiae.* Denique *ministremus* per interiorem dilectionem et exteriorem obedientiam, et veniet; Ioannis decimo quarto [3]: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus;* nos, scilicet Pater, Filius et Spiritus sanctus, *et mansionem apud eum faciemus.* « De cuius dilectione, ut dicit Gregorius [4], mens, lingua, manus requiratur », *ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.*

Tertios. III. Quoniam multa diximus de *adventu* Spiritus sancti, de *fructu* adventus eius dicamus breviter, quia mittitur nobis ut *nuntius* ad testificandum de patria, ne taedeat nos dilationis patriae; mittitur ut *socius* ad consolandum, ne taedeat nos praesentis miseriae; mittitur ut *paedagogus* ad deducendum, ne taedeat nos longitudinis et difficultatis viae. — Mittitur ergo ad *testificandum,* ut hic dicitur: *Cum venerit Paracletus* etc., *ille testimonium perhibebit de me.* Mittitur ut *socius* ad *consolandum: Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis,* Ioannis decimo quarto [5]. Mittitur ut *paedagogus* ad *deducendum:* Psalmus: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Ad quam nos promissus Spiritus, qui cum Patre et Filio vivit et regnat etc.

Pars III git tr

Epilogus et hortatio.

IN PENTECOSTE.

Sermo 1 [6].

Spiritus Domini ornavit caelos, lob vigesimo sexto [7].

Prothema. *Non enim vos estis, qui loquimini,* Introductio. *sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* — Verba secundo loco proposita trahuntur de Evangelio Matthaei decimo et sunt verba Domini Salvatoris ostendentis *humanae parvitatis insufficientiam,* ne de nostris viribus praesumamus; insinuantis etiam *divinae largitatis influentiam,* ut de suis muneribus confidamus. Divinorum quidem verborum collatio nequaquam est a viribus humanis, quin potius a muneribus est divinis. Et idcirco humanae parvitatis indigentia sive *insufficientia* tangitur, cum praemittitur: *Non enim vos estis, qui loquimini;* sed divinae largitatis *influentia* notatur, cum subiungitur: *sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Ne ergo, carissimi, simus de illorum numero, qui dixerunt: *Linguam nostram magnificabimus, labia nostra a nobis sunt* [8]; deprecemur unanimiter Dominum, omnium bonorum largitorem, ut ipse sua gratia et pietate auferat a nobis humanae parvitatis *insufficientiam,* et intelligentibus, secundum Apostolum, primae ad Corinthios duodecimo: *Nemo potest dicere: Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto,* conferat divinae largitatis *influentiam,* qua mediante dicere possimus pariter et audire quae sunt ad laudem et gloriam Omnipotentis et consolationem et gratiam cuiuslibet audientis. Amen.

Spiritus Domini etc. — Summus artifex, Spi- Sermo. ritus sanctus, volens in apostolicis vasis caeleste manna et divinum aroma nominis Christi recondere, prius eos in die Pentecostes caelestibus refulgentiis pulcriformiter adornavit. Hoc autem beneficium sibi praestitum mater Ecclesia recolit hodierna die refulgentius [9] inter cetera in verbo proposito, cum dicit: *Spiritus Domini ornavit caelos.* In quo quidem verbo describitur hodiernum beneficium quantum ad triplicem ordinatam comparationem: primo, quantum

[1] Vers. 16. seq.; sequitur Sap. 1, 5.
[2] Psalm. 92, 5; sequuntur Act. 2, 38. et Sap. 7, 7.
[3] Vers. 23.
[4] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 30. n. 2, ubi respicitur Matth. 18, 16.
[5] Vers. 16; sequitur Ps. 142, 10.
[6] Ex Vaticana et codd. C D E F et Tudertino n. 104. fol. 194 v., sed ibi est brevior.
[7] Vers. 13. — Prothema ex C habetur Matth. 10, 20.
[8] Psalm. 11, 5; sequitur I. Cor. 12, 3.
[9] Vaticana et codices *refulgentiis.*

Divisio. ad *principium effectivum* in personali nominatione; secundo, quantum ad *subiectum receptivum* in convenienti repraesentatione; tertio, quantum ad *actum intermedium* in singulari operatione.

Primo ergo describitur hodiernum beneficium quantum ad *principium effectivum* in personali nominatione, cum dicit: *Spiritus Domini;* secundo, quantum ad *subiectum receptivum* in convenienti repraesentatione, cum subdit: *caelos;* per caelos namque convenienter designantur sive repraesentantur Apostoli ratione aliquarum proprietatum nobilium. Tertio, quantum ad *actum intermedium* in singulari operatione, cum subinfert: *ornavit;* singulariter enim et excellenter fuernnt Apostoli virtutibus et donis caelestibus adornati.

Pars I. De principio effectivo.

I. Dicit ergo: *Spiritus Domini*, ubi describitur hodiernum beneficium quantum ad *principium effectivum*. Habet autem Spiritus sanctus in se tres proprietates, secundum quas est principium et causa triplicis doni, in quo totum hodiernum beneficium

Subdivisio. radicaliter et essentialiter consistit. Nam primo est in Spiritu sancto infallibilis *veritas;* secundo, liberalis *caritas;* tertio, insuperabilis *potestas*. Primo, quia in ipso est summa *veritas,* ideo ab ipso procedit splendor fidelis intelligentiae, illuminantis cognitivam; secundo, quia Spiritus sanctus est summa *caritas,* ideo ab ipso procedit amor utilis benevolentiae, rectificantis affectivam; tertio, quia in Spiritu sancto est summa *potestas,* ideo ab ipso procedit vigor virilis constantiae,

Fotandum. roborantis effectivam. Et haec tria sunt necessaria ad salutem omni conditioni, sexui et aetati. Nam nullus adultus est in statu salutis, nisi habeat fidelem intelligentiam in intellectu, caritativam benevolentiam in affectu et finalem constantiam in effectu. Et haec tria, per quae assimilatur homo beatae Trinitati, ab ipso fontalissimo principio in apostolica vasa hodierna

Tria mala opposita. die primitus defluxerunt, quae quidem opponuntur tribus malis, quae incurrimus ratione primi peccati, videlicet tenebrositatem ignorantiae, malignitatem invidiae et debilitatem impotentiae.

Primo, de actu veritatis. Primo, quia in Spiritu sancto est infallibilis *veritas*, ideo operatur *claritatem veritatis* intelligentiae in intellectu contra *tenebrositatem* ignorantiae; unde Ioannis decimo sexto [1]: *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Hodierna namque die summus et fontalissimus [2] doctor, Spiritus sanctus, veniens in Apostolos iuxta promissionem Christi, ita perfecte et excellenter primitivo radio veritatis illustravit, ut eorum intellectus omni imagine et similitudine informatus [3] et luce intelligibili, superna gratia aditus, purissimo aspectu, sicut possibile est, ad notitiam et speculationem Divinitatis elevaretur. Nonne altissima erat hodierna die intelligentia praedicantium verbis planis, Christum et esse Filium Dei et a mortuis resurrexisse, quod Prophetae praedixerant verbis obscuris et metaphoricis parabolis atque aenigmaticis figuris? Quis enim, quaeso, docuit eos talia dicere ita plane et evidenter? Nunquid ars piscatoria, aut *caro* aut *sanguis* [4]? Non certe; sed *Spiritus Patris* caelestis, *qui loquebatur in eis.* Isti ergo certitudini veritatis Spiritus sancti est indubitanter credendum, non fabulis vetularum, non sophismatibus philosophorum nec illusionibus magorum, eo quod iste doctor est adeo peritus et in omni facultate antiquissima experientia approbatus, ut nullus possit contradicere sibi in aliqua doctrina, nec repulsam pati ab aliquo, sive reduci ad metam redargutionis, quia non potest fallere nec falli.

Secundo, quia in Spiritu sancto est liberalissima *caritas*, ideo operatur *latitudinem* utilis *benevolentiae* in affectu contra *malignitatem* invidiae; unde dicitur ad Romanos quinto [5]: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. — Diffunditur* autem *caritas in cordibus nostris,* quando amor non solum ex superiori superficie, sed ex intimis medullis cordis procedens, dilatat affectum et movet omnes animae vires ad dilectionem omnium electorum. O quam longe lateque per universum mundum diffusa fuit caritas Apostolorum, qui pro salute omnium electorum animas suas morti cum desiderio tradiderunt! Sed *quoniam abundavit iniquitas, refriguit* sive tepuit *caritas multorum;* ideo Apostolus hortatur nos ad fervorem mutuae dilectionis, cum dicit ad Romanos duodecimo: *Caritate fraternitatis invicem diligentes, honore invicem praevenientes, sollicitudine non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes.*

Secundo, de effectu caritatis.

Tertio, quia in Spiritu sancto est insuperabilis *potestas*, ideo operatur *facultatem vigoris* et insuperabilis constantiae in effectu contra debilitatem impotentiae; unde Actuum primo [6]: *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, et eritis mihi testes in Ierusalem et in omni Iudaea et Samaria et usque ad ultimum terrae.* Dominus noster Iesus Christus, mittens Apostolos pugnaturos contra violentiam tyrannorum et astutiam daemonum, voluit eos primo donis sive armis spiritualibus munire et virtute Spiritus sancti corroborare; et propter hoc dicitur in Psalmo: *Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Unde Gregorius [7]: « Caelorum virtus de Spiritu sumta est, quia mundi huius potestatibus contraire non praesumerent, nisi eos Spiritus sancti fortitudo solidasset ».

Tertio, de effectu potestatis.

Pars II. De subiecto receptivo.

II. Secundo describitur illud beneficium quantum ad *subiectum receptivum*, cum subdit: *caelos;*

[1] Vers. 13.
[2] Ita Vaticana et alii codices, F *fidelissimus.*
[3] Ita F; Vaticana habet *deiformitatis.*
[4] Respicitur Matth. 16, 17. et deinde c. 10, 20.
[5] Vers. 5; sequuntur Matth. 24, 12. et Rom. 12, 10. seq.
[6] Vers. 8; sequitur Ps. 32, 6.
[7] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 30. n. 7.

per caelos namque, metaphorice loquendo, ratione convenientiae et similitudinis in effectu Apostoli designantur. Nam primo caeli habent *efficacem* influentiarum *redundantiam;* secundo habent *spectabilem refulgentiam* luminum; tertio, *terribilem* signorum et tonitruorum *resonantiam*. Sic et Apostoli habent hodierna die primo efficacem *redundantiam* divinorum documentorum in praedicatione; secundo, *refulgentiam* morum et exemplorum in conversatione; tertio, terribilem *resonantiam* signorum et prodigiorum in operatione [1].

Subdivisio.

Apostoli primo habent *efficacem redundantiam* bonorum documentorum in praedicatione, et hoc in signum perspicacitatis intelligentiae; unde in Psalmo [2]: *Terra mota est, etenim caeli distillaverunt a facie Dei Sinai.* — Hodierna namque die *terra*, id est terreni et peccatores, *mota est*, ad poenitentiam, quia *caeli*, id est Apostoli, *distillaverunt*, rorem divinorum eloquiorum, et hoc *a facie Dei*, quia non a se ipsis, sed a Deo habuerunt, a quo omne bonum; et ista expositio elicitur ex Glossa. Similiter alibi dicitur in Psalmo [3]: *Caeli enarrant gloriam Dei*, aeternam, sine inceptione et terminatione in incarnatione; magnam, sine diminutione in passione; et suavissimam, sine fastiditione in Spiritus sancti missione.

Primo, de redendaetia documentorum.

Secundo habuerunt *spectabilem refulgentiam* morum et exemplorum in conversatione, et hoc in signum caritatis et benevolentiae; unde Ecclesiastici vigesimo quarto [4]: *Ego feci in caelis, ut oriretur lumen indeficiens.* Honesta conversatio Apostolorum nomine caelestis *luminis* refulgentis appellatur, eo quod, sicut lumen caeleste est ab omni faeculentia impermixtum et a terrestreitate separatum, ut per hoc clarius illuminet universum; sic caelestis conversatio Apostolorum erat ab ardore libidinis et foetore carnalitatis sequestrata. Et propter hoc faciliter peccatores et tenebrosos ad amorem Dei et ad lumen fidei attrahebant, eo quod « plus movet exemplum quam verbum ». Nam ex assuetudine visionis viri sancti, usu locutionis et exemplo operis accipit homo, ut accendatur ad amorem bonitatis et illuminetur lumine veritatis. Et propter hoc potest dici de eis illud Genesis decimo quinto [5]: *Suspice caelum et numera stellas, si potes*, quasi dicat: impossibile est homini mortali *suspicere caelum*, id est coetum apostolicum, *et numerare stellas* eius, id est gratias septiformes, dona et beatitudines, quibus *lucebant* tanquam *luminaria in mundo*, exemplum *vitae continentes*, et videbis rationabiliter, quod insufficiens est quilibet mortalis homo ad numerandum.

Secundo, de refulgentia morum.

Tertio habuerunt *terribilem resonantiam* miraculorum et prodigiorum in operatione, et hoc in signum virtuositatis et constantiae; unde in Psalmo [6]: *Domine, inclina caelos tuos et descende, tange montes, et fumigabunt. Fulgura coruscationem, et dissipabis eos. — Domine, inclina caelos tuos*, id est contemplativos et caelestes viros ad homines terrenos per praedicationem; *et descende*, per illuminantis gratiae cohabitationem; *tange montes*, id est superbos, incutiendo eis timorem filialis reverentiae; *et fumigabunt*, per lacrymosam contritionem, ut exeant omnes vapores vitiosi; *et* tunc *fulgura coruscationes* signorum et prodigiorum ad praedicationis evangelicae confirmationem, ut, quos efficacia verbi movet, miracula confirment, et quos praedicatio ad fidem non movet, saltem signa et prodigia excitent; quia per hoc *dissipabis eos* spirituali et felici dissipatione quantum ad vitia et peccata, non ut pereant, sed ut vitam gratiae recuperent.

Tertio, de resonantia miraculorum.

III. Tertio describitur praeseus beneficium quantum ad *actum intermedium* in singulari operatione, eum subinfert: *ornavit.* Excellenter enim et signanter ornavit Apostolos tripliei ornamento: primo, ornamento *copiositatis gratiae* quantum ad indeficientiam suffragiorum; secundo, ornamento *dignitatis praelaturae* quantum ad praesidentiam subditorum; tertio, ornamento *deiformitatis gloriae* quantum ad excellentiam praemiorum.

Para III. acta int. medio

Subdivisio

Primo ornavit eos ornamento *copiositatis gratiae* quantum ad indeficientiam suffragiorum; unde Ecclesiastici decimo sexto [7]: *Ornavit in aeternum opera illorum, nec esurierunt nec laboraverunt et non destiterunt ab operibus suis.* — Dicitur pro tanto, quod Deus *ornavit in aeternum opera illorum*, virtuosa Apostolorum, eo quod propter indeficientiam et continuam influentiam, quam habent in Ecclesia militante propter eorum suffragia, merito magnus honor et reverentia eis a populo christiano exhibetur; *nec esurient*, eo quod tanta copiositate gratiae fuerunt impleti, ut non solum eos sacraret [8], sed etiam in alios redundaret. Et propter hoc mater Ecclesia quod deest filiis suis supplebit de paterno thesauro meritorum, quia *non destiterunt* patres eorum, Apostoli, a virtuosis *operibus suis* quantum ad efficaciam suffragiorum.

Primo, copiositas gratiae

Secundo ornavit eos ornamento *dignitatis praelaturae* quantum ad praesidentiam subditorum; unde adimpletum est in quolibet istorum illud [9]: *Rectorem te posuerunt? Noli extolli; esto in illis quasi unus ex ipsis;* et sequitur: *Ornamentum gratiae accipias coronam et dignationem consequaris corrogationis.* Quia Apostoli non extollebantur in superbiam, licet essent positi rectores totius orbis a Spiritu sancto, immo quilibet eorum erat *quasi unus ex* subditis; ideo *acceperunt ornamentum gratiae*

Secundo dignitas praelatur

[1] Verba *Sic et Apostoli* etc. supplela sunt ex E F.
[2] Psalm. 67, 9. — Respicitur Glossa *interlinearis.*
[3] Psalm. 18, 2.
[4] Vers. 6. — Sequitur Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 39. n. 10.
[5] Vers. 5; deinde respicitur Phil. 2, 15. seq.
[6] Psalm. 143, 5. seq.
[7] Vers. 27.
[8] Codd. D E *satiaret.*
[9] Eccli. 32, 1. 3.

gratum facientis, et ad eorum promotionem et salutem *consecuti sunt coronam*, principatus, *et dignationem corrogationis;* quorum dignitas et principatus protenditur ab altitudine caeli usque ad profunditatem inferni; habent enim potestatem claudendi caelum et ligandi atque solvendi [1] animas hominum, *calcandi supra serpentes et scorpiones* et reprimendi spiritus immundos; quia eorum linguae quasi claves caelestes ianuas caeli claudunt et reserant, et eorum praecepto subditur salus et languor omnium et etiam ipsi spiritus immundi, quod est indicium maximae potestatis et dignitatis.

Tertio ornavit eos ornamento *deiformitatis gloriae* quantum ad excellentiam praemiorum; et propter hoc convenit cuilibet eorum illud Ecclesiastici quadragesimo quinto [2]: *Corona aurea super mitram eius, expressa signo sanctitatis et gloria honoris, opus virtutis et desideria oculorum ornata.* — Per *coronam auream* positam super caput cuiuslibet Apostoli, in quantum est *expressa signo sanctitatis, gloria et honore* praemii, intelligitur ornamentum sive *prima* stola animae; sed in quantum *desiderio oculorum ornata*, intelligitur ornamentum sive *secunda* stola corporis. Stola prima sive ornamentum animae consistit in triplici dote, scilicet visionis clarae, tentionis securae et fruitionis quietae; secunda vero stola sive ornamentum corporis consistit in quadruplici dote, scilicet agilitatis, claritatis, subtilitatis et impassibilitatis. Unde Augustinus de Civitate Dei [3]: « A corporibus electorum amovebitur omnis deformitas, omnis tarditas, omnis infirmitas, omnis corruptio », quod adimplebitur, quando corona humanitatis [4] nostrae erit gloria circumdata, et *desideria oculorum ornata*, eo quod oculos intuentium delectabunt. Et omnes istas dotes excellenter et singulariter habebunt Apostoli. Rogemus ergo etc.

Tertio, de deiformitate gloriae.

Stola prima et secunda.

Sermo II [5].

Sermo fratris Bonaventurae in die Pentecostes factus Parisius in domo Fratrum Minorum coram multis.

Effundam super domum David et super habitatores Ierusalem spiritum gratiae et precum, et aspicient ad me, quem confixerunt [6].

Fratres mei, attendenti [7] mihi attente pariter et devote Spiritus sancti desideratam influentiam in hac praeclara die super credentes effusam tam largiter quam potenter, quae in sacra Scriptura praefigurata est multiformiter, scilicet per *fluvium paradisium irrigantem* [8], per *fontem scaturientem*, per *fluvium de sede Dei et Agni* [9] *procedentem*, per *puteum viventis et videntis me*, per *puteum aquarum viventium*, per *ventum vehementem*, per *ventum ab austro flantem*, per *auram refrigerantem* [10], per *alveum torrentis*, per *aquas Gedeonis*, per *cellam vinariam*, per *cellam pigmentariam*. Videtur mihi, quod ista singularis solemnitas tanto venerabiliori affectu et ardentiori studio sit colenda et ruminanda et amplectenda, quanto profundioribus mysteriis exstat insignita. Eapropter, ut de ea ad Dei honorem et nostram consolationem aliquid dicere et andire valeamus, in priocipio rogabimus Dominum Iesum Christum, lucis aeternae fontem et amoris, fontem decoris, fontem vigoris etc., quatenus etc.

Figurae 12.

Introductio.

Effundam etc. In his verbis scriptis sacer Prophet a, supernaturaliter illustratus, ex persona Dei sive ipsius Domini Iesu Christi declarat nobis Religiosis Spiritus sancti desideratam influentiam quadrupliciter, scilicet ut *liberaliter impensam*, quia *effundam*, inquit; ut signanter *distributam*, quia *super domum David et super habitatores Ierusalem;* ut deiformiter *opulentam*, quia *spiritum gratiae;* ut configuraliter *fructuosam*, quia *et precum;* pretium mundi, cum *aspicerent ad me, quem confixerunt.*

Sermo.

Divisio.

I. Declaratur ergo primo ut mirabiliter *largiflua*, cum dicitur: *Effundam.* Est autem istius beatae influentiae diffusio *quadriformis* digne se disponentibus ad eam exemplo Apostolorum: *mundificans* per pudicitiam renovantem; Ezechielis trigesimo sexto [11]: *Et effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris* etc. *Et dabo vobis cor novum et spiritum novum ponam in medio vestri. Dabo vobis cor novum* dicit, quia effectus huius infusionis est in castitatis fortitudine collocare et solum ad invisibilem pulcritudinem anhelare. Debet enim erubescere irrationabiles motus homo sicut homo a principatu et dignitate (?). « Dominus eoim acceptat amari a mundis ». Accedens vero ad altaris Sacramentum vel eorum qui carnis sunt (?), debet scire; sicut haec omnia dicit Dionysius de Caelesti Hierarchia [12] et Ecclesiastica in responsione ad archimandritam. — *Clarificans* per sapientiam revelantem; Ioelis secundo [13]: *Effundam spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae* etc. *Effundam*

Para I. Declaratur largiflua quadrupliciter.

Est mundificans.

Clarificans.

---

[1] Respicitur Matth. 18, 18. et postea Luc. 10, 19.

[2] Vers. 14.

[3] Libr. XXII. c. 20. n. 3.

[4] Ita F; Vaticana habet *humilitatis.*

[5] Ex A fol. 126 r et B fol. 52 r.; sed in B habetur brevius, qui interdum tamen aliquid addit vel commutat. Variae corruptelae in A bene corrigi non potuerunt, quod plura signa interrogativa indicant.

[6] Zach. 12, 10.

[7] Verba *Fratres mei, attendenti* etc. usque ad *Effundam* etc., desunt in B.

[8] Gen. 2, 10; dein sequitur Esther 10, 6: Parvus fons, qui crevit in fluvium et in lucem solemque conversus est; cfr. c. 11, 10.

[9] Apoc. 22, 1; sequuntur Gen. 16, 14; Cant. 4, 15; Iob 1, 19. et Luc. 12, 55.

[10] Cfr. Gen. 3, 8; sequuntur IV. Reg. 3, 16; Iudic. 7, 5. et Cant. 2, 4. ac respicitur III. Reg. 20, 13.

[11] Vers. 25. seq. — Pro *renovantem* B *renovatam.*

[12] Cap. 2. § 4; et de Ecclesiast. Hierarch. c. 5. p. III. § 2.

[13] Vers. 28. — Pro *revelantem* B *revelatam.*

dicit, quia effectus istius diffusionis est receptio principalis luminis et divini radii superessentialiter casta et incomprehensibilis, secundum Dionysium de Caelesti Restaurans. Hierarchia [1]. — Tertio est *restaurans* per condescendentiam adimplentem; Ecclesiastici primo [2]: *Ipse creavit illam in Spiritu sancto*, videlicet carnem.

II. Secundo declaratur ut *signanter distributa*, Pars II. Declaratur distributa quadrupliciter. cum subdit: *super domum David*. Per *domum David* intellige sanctam Religionem; per *habitatores Ierusalem* intellige fratres digniores influentia Spiritus sancti. Dicitur autem nostra Religio *domus David*, quia ad instar domus illius divinitus est *promota* in gratia, *dilatata* in fama, *directa* in sapientia, *magnificata* in potentia et *amplificata* in frequentia. — *Promota in gratia;* primi Paralipomenon decimo septimo [3]: *Cum sedisset David coram Domino, dixit: Quis ego sum, Domine Deus, et quae domus mea, ut praestares mihi talia? — Dilatata in fama;* secundi Regum tertio: *David proficiens et semper se ipso robustior, domus autem Saul decrescens quotidie. — Directa in sapientia;* secundi Regum septimo [4]: *Et domus servi tui David erit stabilita coram Domino, quia tu, Domine exercituum, Deus Israel, revelasti aurem servi tui. — Magnificata in potentia* et *amplificata in frequentia;* secundi Regum septimo: *Incipe ergo et benedic domui servi tui, ut sit in sempiternum coram te; quia tu, Domine Deus, locutus es, et benedictione tua benedicetur domus servi tui in sempiternum.*

Subdit: *et super habitatores Ierusalem.* Dicimur autem nos *habitatores Ierusalem*, super quos Sumus habitatores Ierusalem ob quinque rationes. debet fieri ista influsio propter *fulgiditatem intelligentiae* [5]; secundi Paralipomenon trigesimo quarto [6]: *Missi fuerant ad Oldam prophetidem, quae habitabat in Ierusalem in Secunda;* et Tobiae decimo tertio: *Beatus ero, si fuerint reliquiae seminis mei ad videndam claritatem Ierusalem. —* Propter *tranquillitatem affectuum* placidam; Zachariae decimo tertio: *In die illa erit fons patens domui David et habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris et menstruatae.* Sacri enim Moysi facta est diligens anima (?). — Propter *unanimitatem sensuum* incundi; Isaiae quarto [7]: *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion* etc.; pax enim Christi est benignitas. — Propter *uniformitatem actuum* devoti; Actuum secundo: *Viri, Iudaei et qui habitatis Ierusalem universi, hoc vobis notum sit, et auribus percipite verba mea.* — Propter *uniformitatem* et pietatem *cultuum* sive morum; Actuum secundo: *Erant in Ierusalem habitantes Iudaei, viri religiosi ex omni natione, quae sub caelo est.* — Secundum hoc erant habitatores etc.

III. Tertio loco declaratur ut *deiformiter opu-* Pars III. Declaratur opulenta quadrupliciter. *lenta*, cum dicitur: *spiritum gratiae.* Effunditur autem super fratres nostros se disponentes in ista solemnitate spiritus gratiae quadriformis, scilicet *inflammantis* per seraphica desideria; ad Galatas quarto [8]: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater. Itaque iam non est servus, sed Filius; quodsi Filius, et heres per Deum. — Decorantis* per luciformia exempla; Iob vigesimo sexto: *Spiritus eius ornavit caelos. — Elevantis* super spectacula supercaelica; Ecclesiastici quadragesimo octavo: *Spiritu magno vidit ultima et consolatus est lugentes in Sion. — Regulantis* per perfectionem evangelicam; Psalmus: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.*

IV. Quarto declaratur ut *figuraliter salutifera*, Pars IV. Declaratur salutifera quadrupliciter. cum dicitur: *et preeum.* Effunditur autem super nos spiritus quadriformis precum, scilicet *amaricantium* per peccati deplorationem; Psalmus [9]: *Exaudivit preces meas et eduxit me de lacu miseriae et de luto faecis. —* Precum *transformantium* per Christi compassionem; Danielis nono [10]: *Ab exordio precum tuarum egressus est sermo; ego autem veni, ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es;* et sequitur revelatio passionis Christi. — Precum *inclinantium* per proximi condescensionem; Danielis nono [11]: *Cum adhuc loquerer et orarem et confiterer peccata mea et peccata populi mei Israel et prosternerem preces meas in conspectu Dei mei* etc., *ecce, vir Gabriel, quem viderani in visione a principio.* — Precum *sursum agentium* per animi devotionem; Iob decimo sexto: *Cum haberem mundas ad Deum preces* [12].

---

[1] Cap. 7. § 3.

[2] Vers. 9. — Unum 4 membrorum supra factorum deest.

[3] Vers. 16; sequitur II. Reg. 3, 1.

[4] Vers. 26. seq. et deinde v. 29. — Textus Scripturae sumti sunt ex B.

[5] Pro *fulgiditatem intelligentiae* B *serenitatem intellectuum.*

[6] Vers. 22; sequuntur Tob. 13, 20. ac Zach. 13, 1.

[7] Vers. 4. et dein Act. 2, 14. ac 5.

[8] Vers. 6. seq.; sequuntur Iob 26, 13; Eccli. 48, 27. et Ps. 142, 10.

[9] Psalm. 39, 3. In A deest primum membrum, et idem pro *transformantium* exhibet *admirantium.*

[10] Vers. 23; de revelatione passionis Christi cfr. v. 24. seqq.

[11] Vers. 20. seq.; sequitur Iob 16, 18.

[12] Hic est additamentum in solo A, quod coniungitur cum hoc sermone, sed quuad *substantiam* infra repetitur ut initium sermonis 4. In utroque loco enumerantur figurae septem Sacramentorum, quae ibi tantum ex parte conveniunt. Haec duo fragmenta videntur esse laciniae quaedam ex alio quodam sermone. Prima illa lacinia est haec: « *Fluvius egrediebatur* etc. [Gen. 2, 10.]. Recogitare volenti devote, fratres carissimi, graviae septiformis desideratam influentiam super discipulos hodierna die infusam, quae in sacra Scriptura significata est mirabiliter et multiformiter: per septem *primos dies* [Gen. 1, 5. seqq.]; per septem *agnas* Abrahae [Gen. 21, 28. seqq.]; per septem *filios* Liae; per septem *vaccas* pingues; per septem *spicas* plenas [Gen. 30, 21.]; per septem *lucernas* candelabri [Exod. 37, 21.]; per septem *aspersiones* sanguinis contra velum [Gen. 41, 2. et 5.]; per septem *vestes* pontificis [cfr. Exod. 37, 23. seqq.]; per septem *stellas* pleiades [Iob 38, 31.]; per septem *columnas* domus sapientiae [Prov. 9, 1.]; per septem *mulieres* apprehendentes virum unum [Isai. 4, 1.]; per septem *lotiones* manuum [IV. Reg. 5, 10.]; per septem *oculos* super lapidem unum [Zach. 3, 9.]; per septem *circuitus* muro-

Sermo III [1].

Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita, Genesis secundo [2].

Divisio. Sacra Scriptura manifestat nobis diffusionem sancti Spiritus in Ecclesia hodie commemoratam sub methaphora *fluvii* tripliciter, scilicet quantum ad *modum emanandi* per nomen *fluvii scaturientis,* qui est ipse Spiritus; quantum ad *principium emanationis* per nomen *loci voluptatis,* qui est Pater et Filius spirantes ipsum Spiritum ad voluptatem principalissimam; quantum ad *receptaculum emanati* [3] per *irrigationem paradisi,* qui est ipse ecclesiasticus coetus.

Pars I. Circa primum, ut innotescat huius *diffusionis modus,* nota, quod egressus est hodie Spiritus sanctus a Patre et Filio in Apostolos sicut fluvius *vividus* per *virtutis indeficientiam,* qua confortavit; sicut fluvius *candidus* vel splendidus per *sapientiae refulgentiam,* qua ditavit; sicut fluvius *igneus* per *caritatis inardescentiam,* quia inebriavit. — De primo, Psalmus [4]: *Fluminis impetus laetificat civitatem Dei; sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.* — De secundo, Apocalypsis ultimo: *Ostendit mihi* Angelus *fluvium aquae vitae, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni.* — De tertio, Danielis septimo: *Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie eius.*

Pars II. Circa secundum nota, quod Filius cum Patre dicitur *locus voluptatis,* quia ab ipso sunt *omnia oblectamenta,* quia in ipsum tendunt et requiescunt *omnia desideria,* quia per ipsum veniunt *omnia bona.* — De primo, Psalmus [5]: *Deus in loco sancto suo; Deus, qui inhabitare facit unius moris in domo* etc. *Mons Dei, mons pinguis.* — De secundo, Ioannis quarto: *Ierosolymis est locus, ubi adorare oportet.* — De tertio, Ezechielis tertio: *Benedicta gloria Domini de loco suo.*

Pars III. Circa tertium nota, quod *paradisus irrigatus* dicitur Ecclesia vel anima sancta, quia est locus *scaturitionum permanentium* per charismata gratiarum; Canticorum quarto [6]: *Emissiones tuae paradisus malorum punicorum.* — Quia est locus *arborum pomiferarum* per exercitia virtutum; Genesis secundo: *Dominus Deus plantavit paradisum voluptatis a principio.* — Quia est locus *habitationis virorum deiformium* per spectacula aeternorum; Ecclesiastici quadragesimo: *Gratia sicut paradisus in benedictionibus, et misericordia in saeculum permanet.*

Sermo IV [7].

Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita, Genesis secundo [8].

Divisio. Describitur in verbis his Spiritus sancti exuberantia hodierna ut *vivida,* ut *iucunda,* ut *fructuosa,* ut *diffusiva* sive consummativa.

De primo tangitur septem. Propter primum dicitur: *Fluvius egrediebatur;* propter quod nota, quod comparatur Spiritus sancti hodierna influentia fluvio multiformi, scilicet *orienti* ad fontem vivum propter sinceritatem puritatis renovantis; Ecclesiastici vigesimo quarto [9]: *Ego quasi fluvii dioryx et sicut aquaeductus exivi de paradiso.* — *Scaturizanti* in altum propter sublimitatem maiestatis nobilitantis; Danielis septimo: *Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie eius.* — *Splendenti* in profundum propter claritatem veritatis serenantis [10]; Apocalypsis ultimo [11]: *Ostendit mihi fluvium aquae vitae splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni.* — *Protendenti* in longum propter virilitatem longanimitatis attingentis; Ecclesiastici vigesimo quarto: *Factus est mihi trames abundans, et fluvius meus appropinquavit ad mare.* — *Extendenti* in latum propter liberalitatem caritatis communicantis cum Christo; Esther decimo: *Parvus fons, qui crevit in fluvium et in lucem solemque conversus est et in aquas plurimas redundavit.* — *Efficienti* fructum temporaneum propter fecunditatem suavitatis degustantis; Genesis secundo [12]: Fluvius *Phison; ipse est, qui circuit omnem terram Hevilat, ubi nascitur aurum; et aurum terrae illius optimum est.* — *Producenti* fructum serotinum propter felicitatem satietatis beatificantis; Genesis secundo: *Fluvius autem quartus ipse est Euphrates.*

Sermo V [13].

Emitte Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terrae [14].

---

rum Iericho [Iosue 6, 16.]; per septem *crines* Samsonis, in quibus erat fortitudo [Iudic. 16, 13.]. Videtur mihi, quod habeat dignam et profundam et copiosam materiam istud festum cum mysteriis et sacramentis hymnizandi, excolendi, commendandi et praedicandi. Eapropter, ut aliquid de eo » etc.

Lacinia, quae habetur in principio sermonis 4. incipit etiam verbis: *Fluvius* etc., sed praecipue in hoc differt, quod sine locorum citatione substituat alias septenas figuras, scilicet septem *panes azymorum*, septem *filios Iob*, septem *crementa lucis solaris*, septem *oscitationes* pueri suscitati, septem *panes* evangelicos, septem *sportas*, septem *horas* curationis filii reguli; sed in ultimis cum prima lacinia satis convenit.

[1] Ex A fol. 126 et B fol. 51 v., sed in A hic et in duobus sequentibus sermonibus deest rubrica.

[2] Vers. 10.

[3] Ita B, A *emanationis.*

[4] Psalm. 45, 5; sequuntur Apoc. 22, 1. et Dan. 7, 10.

[5] Psalm. 67, 6. seqq. et v. 16; sequuntur Ioan. 4, 20. ac Ezech. 3, 12.

[6] Vers. 13; sequuntur Gen. 2, 8. et Eccli. 40, 17.

[7] Ex A fol. 126 et B fol. 53.

[8] Vers. 10.

[9] Vers. 41; sequitur Dan. 7, 10.

[10] B *revelantis.*

[11] Cap. 22, 1; sequuntur Eccli. 24, 43. et Esther 10, 6.

[12] Vers. 11. seq. et dein v. 14.

[13] Est in solo A fol. 128 v.

[14] Psalm. 103, 30, ubi Vulgata *Emittes* pro *Emitte.*

Speculanti mihi verum et recogitanti devote, quomodo Spiritus sanctus sua mirifica affluentia replevit hodie discipulos *claritate* ferventissima suae lucis ad cognitionem spiritualium veritatum, *pietate* vernantissima suae maiestatis ad honorificationem omnipotentialium numinum, *suavitate* amoenissima suae bonitatis ad participationem superaffluentium unctionum, *caritate* copiosissima sui amoris ad promotionem divinarum laudum et inflammationem animorum, *magnanimitate* constantissima suae liberalitatis ad expugnationem iniquitatum et vitiorum; videtur mihi, quod ista dies sit ad amorem Dei totaliter *incitativa*, ad unctiones gratiae totaliter *invitativa*, ad contemplationes caelicas totaliter *sursum activa*, ad excolenda divina praeconia totaliter *inflammativa*; eapropter etc. Introductio.

Emitte etc. Tria facit hic Propheta in persona Ecclesiae: primo *implorat* devotissime Spiritus sancti *consolationem* desideratissimam, cum dicit: *Emitte.* Secundo *ostendit causum* opportunissimam, cum subdit: *et creabuntur*, in gratia scilicet; quasi dicat: aliter non. Tertio *exprimit* huiusmodi *utilitatem* fructuosissimam, cum subinfert: *et renovabis faciem terrae.* Sermo. Divisio.

I. Quantum ad primum dicit: *Emitte Spiritum* gratiae *sanctificantis* per castitatem integerrimam; Ezechielis trigesimo sexto [1]: *Dabo vobis cor novum et spiritum novum ponam in medio vestri.* — Gratiae *irradiantis* per sapientiam perfectissimam; ad Ephesios primo: *Pater gloriae det vobis spiritum sapientiae et revelationis in agnitione eius.* — Gratiae *irrigantis* per benevolentiam diffusivam; ad Romanos quinto: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* — Gratiae *inflammantis* per ferviditatem continuam; Actuum decimo septimo [2]: *Paulus autem, cum Athenis eos exspectaret, incitabatur spiritus eius in ipso.* — Gratiae *impinguantis* per unctionis praerogativam; Sapientiae duodecimo: *O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus!* — Gratiae *reficientis* per suavitatem interoam; Isaiae sexagesimo primo: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me.* — Gratiae *fecundantis* per devotionem continuam; ad Galatas quinto [3]: *Fructus autem Spiritus est: caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo* etc. — Gratiae *decorantis* per conversationem angelicam; Iob vigesimo sexto: *Spiritus eius ornavit caelos.* — Gratiae *stimulantis* per inspirationem sursum activam; ad Romanos octavo: *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* — Gratiae *roborantis* per tribulationum sustinentiam; Psalmus [4]: *Verbo Domini caeli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis virtus eorum.* — Gratiae *dirigentis* per unctionem perfectam; Isaiae sexagesimo tertio: *Spiritus Domini ductor eius fuit.* — Gratiae *suspendentis* per contemplationem caelicam [5]. — Gratiae *conservantis* per perseverantiam indeficientissimam. — Gratiae *consummantis* per gloriam desideratissimam. Pars I. Gratiae modi 14.

II. Quantum ad secundum subdit: *et creabuntur*, scilicet in *studio* caelestis gratiae et misericordiae; Ecclesiastici vigesimo quarto [6]. — In *exemplo* laudabilis vitae; Isaiae quarto [7]: *Et creabit Dominus super omnem locum montis Sion* etc. — In *exercitio* activae et contemplativae [vitae] spiritualis; Psalmus: *Cor mundum crea in me, Deus* etc. — In *suspendio* gloriae patriae; Iob septimo: *Elegit suspendium anima mea.* — In *convictu* [8] aeternae patriae; Deuteronomii vigesimo sexto [9]: *Et faciat te excelsiorem cunctis gentibus, quas creavit* etc. — In *desiderio* martyrii et poenae; Isaiae quadragesimo tertio: *Ecce, ego faciam nova.* Pars II. Tanguntur modi sex.

III. Quantum ad tertium subinfert: *et renovabis*, scilicet in die gloriae per praeclarissimam *visionem* divinae maiestatis [10]. — Per deliciosissimam *influentiam* divinae bonitatis; Isaiae sexagesimo secundo, secundum aliam litteram [11]. — Per securissimam *tentionem* supernae felicitatis; Ezechielis trigesimo nono [12]: *Et non abscondam ultra faciem meam ab eis.* — Per perfectissimam *continuationem* aeternae bonitatis; secundae ad Corinthios quarto: *Id enim quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis.* — Per speciosissimam *stolam* sempiternae glorificationis corporis; primi Machabaeorum duodecimo: *Summus sacerdos et gens Iudaeorum miserunt nos, ut renovaremus amicitiam et societatem secundum pristinum.* Pars III. Utilitas quinqueplex.

Sermo VI [13].

Item, sermo fratris Bonaventurae.

Qui descendit ipse est et qui ascendit super omnes caelos, ut impleret omnia, ad Ephesios quarto [14].

Spiritus sanctus, qui est *desiderabilissimus* propter fructuositatem suae gratiae, *amoenissimus* Divisio.

---

[1] Vers. 26; sequuntur Eph. 1, 17. et Rom. 5, 5.

[2] Vers. 16; sequuntur Sap. 12, 1. et Isai. 61, 1.

[3] Vers. 22. seq.; sequuntur Iob 26, 13. et Rom. 8, 26.

[4] Psalm. 32, 6; sequitur Isai. 63, 14.

[5] Hic et in duobus sequentibus membris deficiunt loci Scripturae.

[6] Cum desit ipse locus Scripturae, certo determinari non potest, quis versiculus inter tot laudes sapientiae indicetur.

[7] Vers. 5; sequuntur Ps. 50, 12. et Iob 7, 15.

[8] Sequitur spatium vacuum.

[9] Vers. 19; sequitur Isai. 43, 19.

[10] Sequuntur verba *re. aquito etc.*, quae interpretari non potuimus.

[11] Sequitur lacuna.

[12] Vers. 29; sequuntur II. Cor. 4, 17. et I. Mach. 12, 3.

[13] Ex A fol. 129 v.

[14] Vers. 10; qui versus assumtus est ex Epist. Vigiliae Ascensionis, sed sermo ad festum Pentecostes pertinere indicatur.

propter communicabilitatem suae gloriae, *suavissimus* propter desiderabilitatem suae praesentiae, *nobilissimus* propter sublimitatem suae naturae, *efficacissimus* propter virtuositatem suae potentiae; ipse qui hodie sua influentia abundanti replevit corda Apostolorum, nostram *irradiet* intellectivam, nostram *inflammet* affectivam, nostram *dirigat* intentivam, nostram *fecundet* interpretativam, nostram *revelet* auditivam, quo irradiante etc.

Qui descendit ipse est etc. In verbis istis exemplo Christi, qui fuit liber et speculum et exemplar humani generis et totius evangelicae perfectionis, traditur Christianis et maxime Fratribus Minoribus forma religionis et salvationis; quia quidem descendere et humiliari est via sive modus salutis sive beatitudinis, qui (modus) est ascendere et elevari et donis salutaribus adimpleri. Sermo.

Circa quae omnia considerandum est, quod qui *ascendere* vult ad *veneralionem* divinae maiestatis, de qua Exodi vigesimo quarto [1]: *Ascenderunt Moyses et Aaron, Nadab et Abiu et septuaginta de senioribus Israel et viderunt Deum Israel.* — Ad *contemplationem* summae veritatis; de qua Isaiae secundo: *Venite et ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas.* — Ad *participationem* divinae bonitatis: ascensio-ne tria.

oportet *descendere* ad *considerationem* suae fragilitatis; Isaiae quadragesimo septimo [2]: *Descende, sede in pulvere, virgo filia Babylon, sede in terra.* — Ad *recogitationem* suae caecitatis; Ieremiae decimo octavo: *Surge et descende in domum figuli et ibi audies verba mea.* — Ad *recognitionem* suae servitutis; Exodi decimo nono: *Ait Dominus: Vade, descende de monte Sinai.* em, de cessione.

Et talis adimpletur dono *reverentiae;* Isaiae undecimo [3]: *Et replebit eum spiritus timoris Domini.* — Dono *gratiae* Spiritus sancti; Psalmus: *Adimplebis me laetitia cum vultu tuo.* plex do-num.

Sermo VII [4].

Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio, Iacobi primo [5].

In verbo proposito describitur nobis sublimis origo emanationis donorum Spiritus sancti, qui die Pentecostes excellenter apparuit Apostolis. Describitur autem quantum ad tria: primo, quantum ad *qualitatem ipsius doni*, cum dicitur: *datum optimum et donum perfectum.* Secundo, quantum ad *idoneitatem receptaculi*, cum dicitur: *descendens*, in quo insinuatur, quod dona Spiritus sancti non suscipiuntur nisi in corde humili. Tertio vero, quantum ad *sublimitatem principii*, cum dicitur: *a Patre luminum* etc. Divisio.

Et ut a principio secundum rectum ordinem inchoemus, attendendum est, quod *principium donorum* Spiritus sancti est ipse Deus-Trinitas, sublimiter illa principians pro summa *benevolentia*, summa *sapientia* et summa *potentia;* et haec tria insinuantur in auctoritate praemissa. In hoc enim, quod dicitur *a Patre*, tangitur *benevolentia;* in hoc quod dicitur *luminum*, insinuatur *sapientia;* in hoc quod dicitur *apud quem non est transmutatio* etc., insinuatur *virtus* stabilis et omnipotentissima. Pars I. De tertio divisionis membro. Subdivisio.

Est igitur Deus-Trinitas pro summa *benevolentia* donorum Spiritus sancti principium *liberalissimum*, quod bene insinuatur Esther secundo [6] sub metaphora regis Assueri, de quo dicitur, quod *iussit, convivium praeparari permagnificum cunctis principibus et servis suis pro coniunctione et nuptiis Esther. Et dedit requiem universis provinciis ac dona largitus est iuxta magnificentiam principalem.* In quo specialiter ostenditur summa benevolentia Dei respectu humanae naturae, in hoc quod ipsam desponsavit, quod quidem fuit in *incarnatione Verbi.* Secundo, quia refecit et cibavit, quod quidem fuit in *agni paschalis*, hoc est dominici corporis et sanguinis, *sacramentali refectione.* Tertio, quia donis et muneribus eam opulentavit, quod quidem fuit in *Spiritus sancti missione.* — Quae omnia fecit Deus Pater per Filium suum in Spiritu sancto pro sua benevolentia, immo benevolentissima pietate; propter quod ad Ephesios secundo [7]: *Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cuius gratia estis salvati;* et post: *Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur,* quasi dicat, quod principium horum donorum est benevolentia Trinitatis summae, non libertas voluntatis humanae. Primo, de principio liberalissimo in triplici benevolentiae dono.

Est etiam pro summa *sapientia* principium *discretissimum*, secundum illud ad Ephesios quarto [8]: *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi; propter quod dicit: Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem; dedit dona hominibus.* Licet autem horum donorum distributio secundum mensuram toti competat Trinitati, tamen specialiter et per appropriationem Christo attribuitur, tum quia sibi appropriatur sapientia; dicimus enim *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam;* tum quia ipse est caput, a quo Secundo, de principio discretissimo. Duplex ratio appropriationis.

[1] Vers. 9. seq.; sequitur Isai. 2, 3.

[2] Vers. 1; sequuntur ler. 18, 2; Exod. 19, 24. ac c. 34, 29.

[3] Vers. 3; sequitur Ps. 15, 11.

[4] Habetur Monachii, biblioth. regia, in cod. Lat. 7776. fol. 222 r. et in cod. Tudertino n. 182. fol. 137, qui optimas lectiones praebet. In utroque codice multi Bonaventurae sermones habentur, sed sine auctoris nomine. Hic et duo seqq. sermones indolem S. Bonaventurae ostendunt.

[5] Vers. 17.

[6] Vers. 18.

[7] Vers. 4. seq. et 8. seq.

[8] Vers. 7. seq.; sequuntur I. Cor. 1, 24. ac Eph. 4, 11-13.

fluunt motus et sensus in omnia membra; propter quod et subdit in auctoritate praemissa: *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi.* Et quoniam Christus est caput secundum utramque naturam, quia conformitatem habet ad membra secundum humanitatem, influit autem secundum Divinitatem; ideo, ubi Apostolus dicit: *dedit dona hominibus*, alia translatio dicit in Psalmo [1]: *Accepit dona in hominibus. Accepit* enim *dona* ut homo, sed *dedit* ut Deus cum Patre et Spiritu sancto, et hoc discretissimo modo, secundum illud primae ad Corinthios duodecimo: *Alii per Spiritum datur sermo sapientiae, alii sermo scientiae* etc., ubi Apostolus consequenter ostendit discretissimam distributionem donorum Spiritus sancti, quae tamen est ab uno principio et trino.

Est etiam tertio pro summa *omnipotentia* principium *omnipotentissimum*, secundum illud secundae Petri primo [2], ubi de Deo loquens dicit: *Vocavit nos propria gloria et virtute; per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per haec efficiamini divinae consortes naturae.* Cum enim creatura vanitas sit, quia de nihilo; quod fiat divinae naturae consors, hoc non est nisi per donum procedens a principio potentissimo. Ut enim homo fiat de carnali spiritualis, de terreno caelestis, de filio perditionis filius Dei Patris; hoc non potest esse nisi per munus summae virtutis et per donum beatissimae Trinitatis, a qua tanquam a principio nobilissimo procedit *datum optimum et donum perfectum.* Quia enim summa dignitas in dante, conveniens [3] est, ut perfecta bonitas sit in munere; ideo nunc secundo restat videre de *doni qualitate.*

Tertio, de principio omnipotentissimo.

II. Hoc autem donum dicitur *datum optimum et donum perfectum* propter perfectam assimilationem ad Deum, secundum quam ab ipso exit tanquam a principio et reducit in ipsum tanquam in finem; unde huiusmodi dona optima sunt et perfecta, quia Deo sunt similia et assimilantia secundum conformitatem ad Trinitatem increatam. Disponunt enim ad honorificentiam *maiestatis*, ad intelligentiam *veritatis* et supereminentiam *caritatis*, quae appropriantur tribus personis, ita quod maiestas Patri, veritas Filio et caritas Spiritui sancto. — Disponit igitur *datum optimum et donum perfectum* ad honorificentiam *maiestatis*, quod bene insinuatur secundi Machabaeorum tertio [4], ubi dicitur: *Oniae sacerdoti gratias age; nam propter eum Dominus tibi vitam donavit.* Per *Oniam*, summum pontificem, intelligitur Christus, qui est *sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech*, cui propter dona gratiae vivificantis tenemur gratias agere et summam sibi et Deo Patri per ipsum honorificentiam exhibere. Qui enim pro donis Deo gratias non agit, signum est, quod gratiae gratum facientis donum minime accepit. Si enim pro bonis temporalibus homines hominibus gratias agunt et ipsos datores colunt et venerantur, secundum illud Proverbiorum decimo nono: *Multi colunt personam potentis et amici sunt dona tribuentis;* quanto magis pro donis spiritualibus et divinis gratias debemus agere et reverentiam exhibere maiestati supernae! Nullus enim actus magis competit dono gratiae, quam gratificatum ad gratiarum actionem et ad dantis honorificentiam excitare.

Pars II. De primo membro.

Subdivisio.

Dispositio prima.

Notanda sententia.

Disponit etiam ad intelligentiam *veritatis*, secundum illud ad Ephesios tertio [5]: *Factus sum ego Paulus minister* Evangelii *secundum donum gratiae Dei, quae data est mihi. Donum* enim *gratiae* disponebat ipsum ad veritatem intelligendam et intellectam evangelizandam; plura enim scivit per unctionem quam per lectionem, plura per donum, quam sciret per studium. Dono enim divinae gratiae pervenitur ad culmen sapientiae, secundum illud Ioannis quarto [6]: *Si scires donum Dei, et quis est, qui tibi dicit: Da mihi bibere; tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam. Aqua* ista *viva* est aqua sapientiae salutaris; humana vero et mundana scientia potius comparatur *cisternae dissipatae, quae aquam non valet continere.*

Item, secunda.

Notandum.

Disponit nihilominus ad supereminentiam *caritatis*, secundum quod bene insinuatur Lucae septimo [7], ubi, quaestione proposita a Domino de duobus absolutis a debito, et hoc dono gratuito, quis eum plus diligeret; responsum est, quod *is cui plus donavit.* Si ergo donum gratuitum accendit ad amorem, donum magis gratuitum magis debet accendere, et maxime gratuitum maxime accendere debet; propter quod ad Romanos octavo: *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Et propterea subinfert: *Quis ergo nos separabit a caritate Christi? Tribulatio, an angustia* etc., usque ibi: *neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quae est in Christo Iesu Domino nostro.*

Item, tertio

III. Post sublimitatem principii et qualitatem doni restat videre *idoneitatem receptaculi*, quod significatur in hoc quod dicitur donum illud *descendere*, quia non suscipitur nisi in humili mente. Necesse est igitur, ut mens se totam subiiciat Deo per humilitatem, ut

Pars III. De secundo membro.

[1] Psalm. 67, 19. (ita Vulgata legit); sequitur I. Cor. 12, 8. seq.

[2] Vers. 3. seq.

[3] Supple *est* ante *conveniens*, et nota rationem brevem et bonam.

[4] Vers. 33; sequuntur Ps. 109, 4. et Prov. 19, 6.

[5] Vers. 7; cfr. Col. 1, 23.

[6] Vers. 10; dein respicitur ter. 2, 13.

[7] Vers. 41. seqq.; sequitur Rom. 8, 32. et 35-39.

possit esse idonea ad suscipienda dona divina. Cum autem liberum arbitrium sit illud, in quo suscipitur donum divinum, et ipsum sit facultas voluntatis et rationis [1], gerens in se imaginem Trinitatis; ad hoc, quod mens hominis idonea sit divinis donis suscipiendis, subiicere debet liberi arbitrii facultatem divinis *remediis*, rationem vero divinis *doctrinis*, voluntatem autem divinis *beneplacitis*, ut hac humilitate triformiter disponat se ad suscipiendum *donum perfectum* beatissimae Trinitatis.

Subdivisio.

Ad obtinendum igitur donum divinae gratiae subiicienda est liberi arbitrii *facultas remediis* Sacramentorum, secundum illud Actuum secundo [2]: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus sancti.* Hoc dicebat beatus Petrus his qui nondum ad fidem conversi fuerant. Nam his qui, postquam baptizati sunt, peccaverunt, dici non potest, ut iterum baptizentur, sed potius, quod recurrant ad poenitentiae lamenta et ad virtutem clavium et ad suffragia aliorum Sacramentorum, per quae administratur Spiritus sancti donum his qui humiliter accedunt. Quibus contrarii sunt qui Sacramenta divina vel emunt vel vendunt; quorum princeps et dux fuit Simon magus, a quo et *simoniaci* appellantur, ad quem volentem emere potestatem dandi Spiritum sanctum dixit beatus Petrus: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* Tales enim non merentur divinum donum, sed potius supplicium sempiternum.

Prime, libertas subiicienda remediis Sacramentorum.

Redarguuntur simoniaci.

Subiicienda est nihilominus liberi arbitrii *ratio documentis Scripturarum*, secundum illud Proverbiorum quarto [3]: *Audite, filii, disciplinam patris et attendite, ut sciatis prudentiam; donum bonum tribuam vobis, legem meam non derelinquatis. — Disciplina patris* est doctrina sacrae Scripturae, cui debemus attendere, ut prudentiam sciamus, hoc est, non solum habeamus in simplici notitia, sed eam applicemus ad opera. Talibus enim datur donum divinum, qui ad hoc addiscunt, ut faciant; propterea subdit: *donum bonum tribuam vobis, legem meam non derelinquatis.* « Qui vero ad hoc tantum student, ut sciant, quid loqui debeant, ab interna mentis refectione, ut dicit Gregorius, vacui ieiunant », secundum illud Proverbiorum decimo nono [4]: *Qui tantum verba sectatur nihil habebit*, immo vero, si quid habuerit, *auferetur ab eo.* Unde talibus Osee nono [5]: *Da eis, Domine. Quid dabis eis? Da eis vulvam sine liberis et ubera arentia*, quia talium doctrina nec valet ad dona gratiae acquirenda nec ad acquisita conservanda.

Secunde, ratio subiicienda Scripturis.

Subiicienda est etiam *voluntas* liberi arbitrii *beneplacitis divinorum consiliorum*, secundum illud Sapientiae tertio [6]: *Qui confidunt in illo intelligent veritatem, et fideles in dilectione acquiescent illi, quoniam donum et pax est electis Dei;* quasi dicat: quisquis dilectione divinis consiliis acquiescit, disponit se ad dona, quae dantur electis Dei. Quod bene insinuatur, cum subiungitur de *sterili et incoinquinata, quae nescivit torum in delicto*; et de *spadone, qui non operatus est per manus suas iniquitatem*, quod *dabitur illi fidei donum eleetum et sors in templo Dei acceptissima.* Qui enim se totum donat Deo perficiendo divina consilia se totum disponit ad plene suscipienda dona divina. Quanto enim plus se conformat divinae voluntati, tanto magis divinus est; et quanto efficitur magis divinus, tanto Deus abundantius habitat in eo; et quanto abundantius habitat, tanto abundantiora tribuit dona, ac per hoc se Deo perfecte donando praeparat se ad divinam gratiam et gloriam, secundum illud Proverbiorum decimo octavo [7]: *Donum hominis dilatat viam eius et ante principes spatium ei facit. — Dilatat* namque *viam* praeparando ad perfectam gratiam in praesenti, sed *spatium facit ante principes* perducendo ad perfectam gloriam in futuro, in qua nunc regnant beatissimi Angeli ad modum principum. Ad quorum societatem nos perducat qui vivit et regnat etc.

Tertio, voluntas subiicienda beneplacitis Dei.

Notandum.

Sermo VIII [8].

Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae, Ioannis septimo [9].

In verbo proposito describitur influentia donorum Spiritus sancti, quae in praesenti solemnitate fuit in Apostolis, sub metaphora *fluminis aquae vivae.* Describitur autem quantum ad duo: primo, quantum ad dispositionem praeambulam, cum dicitur: *Qui credit in me;* secundo vero, quantum ad *infusionem perfectam*, cum subiungitur: *flumina de ventre eius fluent aquae vivae.* — Nomine autem *aquae vivae* intelligitur Spiritus sanctus satis idonee, et hoc propter triplicem aquae vivae proprietatem. Aqua enim *viva* dicitur, quia vivaciter *scaturit* et continue *decurrit* et loca, per quae transit, fecunda et *fructuosa facit.* In his autem tribus assimilatur influentiae doni gratuiti; et propterea nomine *fluminis* aquae vivae Spiritus sanctus intelligi datur per metaphoricam similitudinem. Et quod ita sit, innuit Evangelista, cum statim post praemissum verbum subiungit [10]: *Hoc autem dixit de Spiritu* sancto, *quem accepturi erant credentes in eum.*

Divisio.

Quid sit aqua viva.

[1] Cfr. Bonav., II. Sent. d. 25. p. I. q. 3.

[2] Vers. 38; sequitur c. 8, 20.

[3] Vers. 1. seq. — Sententia Gregorii est II. Homil. in Evang. homil. 40. n. 2.

[4] Vers. 7; dein respicitur Matth. 25, 29.

[5] Vers. 14.

[6] Vers. 9. et 13. seq.

[7] Vers. 16.

[8] Sumtus est ex iisdem duobus codd., ut sermo praecedens, scilicet ex Monacensi fol. 222 v. et Tudertino fol. 138 r.

[9] Vers. 38.

[10] Vers. 39.

Pars I. et membrum II. Tres proprietates Spiritus S. Primo.

I. Est igitur Spiritus sancti influentia *fluvius aquae vivae* propter *vivacitatem in ortu;* quod bene designatur Apocalypsis vigesimo secundo [1]: *Ostendit mihi* Angelus *fluvium aquae vivae, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni. Fluvius* iste, qui *procedit de sede Dei et Agni,* Spiritus sanctus est, qui a Patre Filioque procedit tanquam a principio vivifico, quia dicitur Ioannis quinto: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso;* et ideo quidem Spiritus sanctus, qui procedit ab utroque, dicitur *fluvius aquae vivae.*

Secunda.

Dicitur etiam nihilominus *fluvius aquae vivae* propter *continuitatem in decursu;* Isaiae quinquagesimo octavo [2]: *Eris quasi hortus irriguus et sicut fons aquarum, cuius non deficient aquae.* Sancta quippe Ecclesia comparatur *horto irriguo, cuius aquae non deficient,* pro eo quod influentia sancti Spiritus in Sacramentis eius et membris nunquam arescit, sed continue fluit et abundanter decurrit, secundum illud Psalmi: *Fluminis impetus laetificat civitatem Dei* etc.

Tertia.

Comparatur etiam *aquae vivae* propter *virtuositatem in effectu,* secundum illud Apocalypsis vigesimo secundo [3]: *Ex utraque parte fluminis lignum vitae, afferens fructus duodecim.* Hi *duodecim fructus* sunt illi, de quibus ad Galatas quinto dicitur: *Fructus Spiritus est: caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas,* ubi duodecim fructus enumerat. Istos duodecim fructus producit vir iustus tanquam *lignum vitae* donis sancti Spiritus irrigatum. Propter quod in Psalmo [4] dicitur: *Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo; et folium eius non defluet; et omnia, quaecumque faciet, prosperabuntur.*

Origo huius aquae est Christus tri-pliciter. Primo.

Huius autem *fluminis aquae vivae* origo est Christus Dominus, secundum quod est fons *gratiae* et *veniae* et *gloriae.* — Est autem Christus fons *gratiae* in quantum *incarnatus,* secundum illud Canticorum quarto [5]: *Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quae fluunt impetu de Libano. Fons* iste *hortorum,* qui oritur ab *horto concluso,* est Christus Dominus, qui natus est de utero virgineo, a quo defluunt charismata gratiarum per modum aquarum viventium, ut ipse insinuat Ecclesiastici vigesimo quarto [6]: *In me gratia omnis viae et veritatis, in me omnis spes vitae et virtutis.*

Secundo.

Est etiam fons *veniae* secundum quod *crucifixus;* propter quod Zachariae decimo tertio [7]: *In die illa erit fons patens domui David et habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris et menstruatae. Fons* iste, in quo peccata lavantur, sanguis est Christi crucifixi, quia, sicut dicitur ad Hebraeos nono, *sine sanguinis effusione non fit remissio* peccatorum. Hoc autem non fit per *sanguinem taurorum et hircorum,* sed per *sanguinem Agni immaculati et incontaminati,* scilicet Iesu Christi, qui de eius latere exivit ad emundationem omnis peccati, secundum illud Ioannis decimo nono [8]: *Unus militum lancea latus eius aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua.* Hinc enim sumunt virtutem Sacramenta, per quae mundatur et sanctificatur Ecclesia.

Tertio.

Est tertio fons *gloriae* secundum quod *exaltatus,* secundum quod designatur Esther undecimo [9]: *Fons parvus crevit in fluvium maximum et in aquas plurimas redundavit.* Christus enim, qui *parvulus* fuit in terris, *maximus* est effectus in caelis et hoc ipso *in aquas plurimas redundat,* ut dum illam supernam civitatem torrente voluptatis inebriat, secundum illud Psalmi: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae;* et ideo subditur: *Quoniam apud te est fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen.*

Pars II. et membrum I Ad Christum accedendum per fidem.

II. Quoniam igitur Christus est fons, ex quo oritur *fluvius aquae vivae,* secundum quod insinuatur Genesis secundo [10]: *Fons ascendebat e terra, irrigans universam superficiem terrae;* qui ergo istis aquis vult abundare, necesse habet ad Christum accedere et approximare. Accessus autem iste est per *fidem,* secundum illud ad Hebraeos undecimo: *Accedentem oportet credere;* et propterea dicit Salvator: *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquae vivae.* — Sed cum tam multi sint, qui credunt in Christum; mirum est, quod tam pauci sunt, qui habent Spiritum sanctum, adeo ut verificatum videatur illud Isaiae quadragesimo primo [11]: *Egeni et pauperes quaerunt aquas, et non sunt; lingua eorum siti aruit.* Sed certe ratio huius est, quia non debito modo credunt nec ad fontem Christum, sicut debent, accedunt. — Si ergo aquis huiusmodi viventibus cupimus irrigari, debemus credere in Christum *incarnatum* cum *devotione,* secundum illud Isaiae duodecimo: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris; et dicetis in die illa: Confitemini Domino et invocate nomen eius.* — Qui enim huiusmodi aquas vult haurire necesse habet de beneficiis incarnationis cum multo gaudio gratias et laudes agere dignationi divinae. In quibus gratiis et laudibus oblivisci non debemus Virginis Mariae, quoniam ipsa fuit velut aquaeductus, per quam ad nos descendit Dei Filius incarnatus; unde sibi competit illud Ecclesiastici vigesimo quarto [12]: *Ego quasi*

Tamen multi non habent Spiritum S.

Credendum in Christum incarnatum

Meditio.

Notandum.

[1] Vers. 1; sequitur Ioan. 5, 26.
[2] Vers. 11; sequitur Ps. 45, 5.
[3] Vers. 2; sequitur Gal. 5, 22. seq.
[4] Psalm. 1, 3. seq.
[5] Vers. 15; deinde respicitur ibi v. 12.
[6] Vers. 25.
[7] Vers. 1; sequitur Hebr. 9, 22. et respicitur ibi v. 13. ac 1. Petr. 1, 19.
[8] Vers. 34.
[9] Vers. 10; sequitur Ps. 35, 9. et 10.
[10] Vers. 6; sequitur Hebr. 11, 6.
[11] Vers. 17; dein sequitur c. 12, 3. seq.
[12] Vers. 41.

fluvii dioryx et sicut aquaeductus exivi de paradiso.

Item, in Christum crucifixum. In Christum autem *crucifixum* credere debemus cum *compassione*, ut aquas viventes possimus invenire, secundum quod designatur Genesis vigesimo sexto [1]: *Foderunt in torrente et repererunt aquam vivam.* Per *torrentem* istum designatur nobis asperitas dominicae passionis, in quo debemus *fodere* per iugem meditationem, ut *aquam* possimus invenire; *fossorium* autem est ipsa crux dominica, quam manu debemus et in humeris circumferre et duritiam cordis nostri tangere et allidere, si volumus, quod inde effluant aquae; secundum quod designatum est Numerorum vigesimo, ubi dicitur: *Cum elevasset Moyses manum, percutiens virga bis silicem, egressae sunt aquae largissimae.* Si enim cor durum cum hac virga crucis percutiatur, non est dubium, quin ex ipso fluant flumina lacrymarum, et in ipso influant charismata gratiarum.

Item, in Christum exaltatum. In Christum *exaltatum* credere debemus cum *desiderio et exspectatione*, imitantes Prophetam, qui de se ipso dicebat [2]: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus.* Ad has aquas invitamur Isaiae quinquagesimo quinto: *Omnes sitientes, venite ad aquas. Venite*, inquam, cum desiderio et siti, quia non repellemini a Christo Domino, qui dicit de se ipso Ioannis sexto: *Eum qui venit ad me, non eiiciam foras*, sed potius credentes reficit et potat aqua, quae perfecte animam satiat, secundum illud Ioannis quarto [3]: *Omnis, qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum; qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum. Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam;* in qua quidem *vita aeterna* sunt aquae vivae, secundum illud Apocalypsis septimo: *Agnus, qui in medio throni est, reget illos et deducet eos ad vitae fontes aquarum.* Ad quos nos perducat ille Agnus immaculatus, Dominus Iesus Christus, in quem credimus, speramus et suspiramus, qui est benedictus in saecula. Amen.

Sermo IX [4].

De excelso misit ignem in ossibus meis et erudivit me [5] etc.

Introductio. Verbum istud scribitur Threnorum primo et est verbum Ecclesiae recolentis beneficium sibi praestitum in solemnitate Pentecostes. Haec autem donatio sancti Spiritus facta est Apostolis, Ecclesiae fundatoribus et magistris. Describitur autem istud beneficium in verbo praemisso secundum triplicem compa-

Declaratio et divisio thematis. rationem. Primo enim describitur ex parte *divinae munificentiae largientis*, cum dicitur: *De excelso misit ignem*, scilicet Dominus excelsus. Secundo vero, ex parte *Ecclesiae suscipientis*, cum subditur: *in ossibus meis. Ossa* dicuntur Apostoli, qui ita portant Ecclesiam, sicut ossa corporis fabricam. Tertio vero, ex parte *finis consummantis*, cum subiungitur: *et erudivit me.* Iste enim fructus [6] fuit illius missionis.

Divisio sermonis. Ignis sumitur tripliciter. Dicit ergo: *De excelso misit ignem* etc. Notandum, quod est ignis, quem Dominus mittit *de excelso*, et iste est ignis *gratiae;* et est ignis, quem permittit succendi *ab imo*, et iste est ignis *culpae;* et est ignis, quem immittit *medio modo*, et iste est ignis *poenae.* De igne *gratiae*, quem mittit de excelso, dicitur Lucae duodecimo [7]: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur?* — De igne *culpae*, qui succenditur ab imo, dicitur Isaiae quinquagesimo quarto: *Ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas* etc. *Faber* autem iste est diabolus, qui sufflat ad accendendum ignem peccati. — De igne *poenae*, quem Dominus infligit, scribitur in Psalmo: *Quoniam probasti nos, Deus, igne nos examinasti.*

Pars I. De igne gratiae et eius triplici effecto. I. Primo igitur videndum est de igne *gratiae*, quem *mittit Dominus de excelso.* Gratia enim recte dicitur *ignis*, si proprietates ipsius ignis considerentur. Ignis namque *luciditatem* habet in aspectu, *calliditatem* in actu, sed *agilitatem* in motu. Per hunc modum gratia *lucet* per cognitionem, *calet* per dilectionem, succendit et *movet* per devotionem. — Primo De primo, ut lucest. igitur gratia *lucet* et hoc per cognitionem, per quam Deus oculos illuminat et aperit viam [8] ad perveniendum in patriam, et hoc bene significatum est in Exodo [9], ubi dicitur de filiis Israel: *Dominus praecedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis et per noctem in columna ignis.* Per *noctem* significatur status praesentis miseriae, in quo Dominus dirigit et illuminat per donum et lumen gratiae.

De secundo, et calest. Secundo gratia *calet* per dilectionem, per quam Deus inflammat corda nostra, secundum illud Canticorum ultimo [10]: *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio; lampades eius lampades ignis atque flammarum. Aquae multae non potuerunt exstinguere caritatem.* Recte dilectio gratiae dicitur *lampas ignis et flammae*, quando cor inflammat interius per desiderium et exterius per exemplum; et bene subiungit: *Aquae multae non potuerunt exstinguere caritatem*, immo, quod mirabile est, aquae tribulationis accendunt; Sapientiae decimo sexto — quod mirabile erat — : *In aqua*, quae

---

[1] Vers. 19; sequitur Num. 20, 11.
[2] Psalm. 41, 2; sequuntur Isai. 55, 1. et Ioan. 6, 37.
[3] Vers. 13. seq.; sequitur Apoc. 7, 17.
[4] Ex iisdem codd., scil. Monacensi fol. 223 r. et Tudertino fol. 171 r. Cfr. supra pag. 339, nota 8.
[5] Thren. 1, 13.
[6] Cod. Tudertinus legit *finis* pro *fructus*.
[7] Vers. 49; sequuntur Isai. 54, 16. et Ps. 65, 10.
[8] Cod. Tudertinus pro *illuminat et aperit viam* legit *aperit et illuminat in via*.
[9] Cap. 13, 21.
[10] Cap. 8, 6. seq.; sequitur Sap. 16, 19: In aqua supra virtutem ignis, exardescebat etc.

omnia exstinguit, *ignis* valebat *supra* suam *virtutem*.

De tertio, ut moveat.

Tertio gratia sursum tendit et *movet* per devotionem, quae cor elevat ad superna, et ideo recte dicitur *ignis*, secundum illud Iudicum sexto[1]: *Extendit Angelus Domini summitatem virgae, quam tenebat in manu, et tetigit carnes et panes azymos, ascenditque ignis de petra et carnes azymosque panes consumsit.* — *Angelus* iste Christus est, qui est *magni consilii Angelus; virga* crux eius est; hanc *extendit*, quando suae passionis cogitationem immittit; *petra* autem est cor nostrum, quod de se durum est. Tunc autem *ignis ascendit de petra* ex virgae extensione, quando homo totus resolvitur in devotionem per passionis recordationem. Tunc cor nostrum igne caritatis sursum erigitur et ascendit. Nec mirum. Ignis ad locum ignis tendit, quia sursum est; Isaiae trigesimo primo[2]: *Ignis est in Sion, et caminus eius in Ierusalem*, et ex hoc *consumuntur carnes*, id est carnalitates, quando « gustato spiritu, desipit omnis caro[3] ». — Sine hoc igne non est vita, et ideo laborandum est, ut habeatur; qui enim ipso carent privati sunt luce dirigente, calore excitante, agilitate et virtute sursum ducente.

Necessitas huius ignis.

Notandum est igitur, quod hic ignis gratiae, qui mittitur de excelso, *accenditur* in poenitentibus, *nutritur* in proficientibus, *perficitur* autem in contemplantibus. Primo accenditur in *poenitentibus* per detestationem peccatorum, in quos Dominus descendit, secundum illud Exodi decimo nono[4]: *Totus mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus super eum in igne.* Et bene dicitur *totus*, secundum illud Sophoniae primo: *In igne zeli eius devorabitur omnis terra*, id est omnis affectio terrena. *Ignis zeli* divini est ignis detestationis peccati, quia Deus non detestatur nisi malum. In hoc igne *devoratur omnis terra*, id est omnis affectio terrena et omnis culpa; in quo significatur, quod qui vult ignem divinae gratiae in se habere, universaliter omnem culpam in se et in aliis debet persequi et odire; primo tamen in se quam in aliis, et primo in maioribus culpis et praecipue quam in minoribus.

Ignis crescit tripliciter.

Primo, in poenitentibus accenditur.

Secundo nutritur in *proficientibus* per exsecutionem mandatorum; bona enim opera habent se ad caritatem sicut ligna ad ignem; et de hoc Levitici sexto[5]: *Ignis in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos, subiiciens ligna mane per singulos dies. Ligna* sunt semper *subiicienda*, quia bona opera sunt semper facienda, et divina mandata continue observanda, secundum illud Ioannis decimo quarto: *Si diligitis me, mandata mea servate.* Sicut enim ignis non potest durare sine lignis, sic nec gratia Dei et caritas sine bonis operibus. Unde Gregorius[6]: « Operatur magna, si est amor; si autem operari renuit, amor non est »; et prius dicit: « Amor Dei nunquam est otiosus ». Et sicut per bona opera nutritur ignis amoris inter nos et Deum, sic per obsequia mutua nutritur inter nos et proximum, non solum amicum, sed etiam inimicum, iuxta illud ad Romanos duodecimo[7]: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi; hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius.*

Secundo, in proficientibus nutritur.

Tertio ignis ille perficitur in *contemplantibus* per recogitationem beneficiorum, secundum illud Psalmi[8]: *Concaluit cor meum intra me*, scilicet ex recordatione peccatorum; *et in meditatione mea exardescet ignis*, in recogitatione divinorum beneficiorum. Quis enim habet cor tam durum, quod si recogitaret et attenderet beneficia exhibita in creatione, in redemptione, in vocatione et promissa glorificatione, quin totus afficeretur et transformaretur in amorem Dei? Si quis igitur vult habere gratiam perfectam, necesse est, ut sit Deo gratus; quomodo enim gratia potest abundare in ingrato? Et quomodo potest esse gratus qui beneficia non considerat gratis data? — Defleamus igitur peccata nostra, impleamus mandata divina, recogitemus beneficia gratis data, ut in nobis ignis gratiae accendatur, nutriatur et perficiatur; quod ipse praestare dignetur etc.

Tertio, in contemplantibus perficitur.

Epilogus.

II. Huic autem igni gratiae de excelso adversatur ignis *culpae*, qui non de alto descendit, quoniam diabolus eum ab imo succendit. Unde hic ignis non est caelestis, sed terrestris. Sua enim fumositate *obnubilat*, edacitate *devorat*, impetuositate *vexat* contra tria praedicta. — Ignis autem *fumositatis obnubilantis* est error conscientiae, qui oculos nostros claudit, ne videant vanitatem vitae, et de hoc Psalmus[9]: *Supercecidit ignis, et non viderunt solem.* Iste *ignis*, qui claudit oculos mentis, ne aspiciat solem, est error conscientiae, qui adeo ipsam obnubilat, ut esse in *tenebris* reputet *lucem* et e contrario *lucem* reputet *tenebras*. Hunc ignem libenter incendit diabolus. Hunc autem maxime succendit per homines malitiosos, secundum quod dicitur secundae ad Timotheum tertio[10]: *Mali homines et seductores proficient in peius, errantes et in errorem mittentes;* et hoc bene significatum fuit Iudicum decimo quinto, ubi dicitur: *Perrexit Samson et cepit trecentas vulpes caudasque earum iunxit ad caudas et faces ligavit in medio, quas igne succendens dimisit, ut huc illucque discurrerent.* Quid autem per *vulpes* nisi homines astuti intelliguntur? qui ignem habent in caudis, quia finaliter praecipitant in errorem.

Pars II. De igne culpae et eius triplici effectu.

De primo, qui obnubilat.

---

[1] Vers. 21; dein respicitur Isai. 9, 6. (secundum Septuaginta).
[2] Vers. 9.
[3] Bernard., Epist. 111. n. 3. — Pro *hoc igne* cod. Monacensis *hac gratia*.
[4] Vers. 18; sequitur Soph. 1, 18.
[5] Vers. 12; sequitur Ioan. 14, 15.
[6] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 30. n. 2.
[7] Vers. 20.
[8] Psalm. 38, 4.
[9] Psalm. 57, 9. Deinde respicitur Isai. 5, 20. et I. Ioan. 9.
[10] Vers. 13; sequitur Iudic. 15, 4. seq.

De secundo, qui devorat.

Et ignis *edacitatis devorantis* est ardor concupiscentiae, de quo Proverbiorum trigesimo [1]: *Terra, quae non satiatur aqua; ignis vero nunquam dicit: Sufficit; ignis*, inquam, sive concupiscentiae carnis, sive concupiscentiae oculorum. Ignis enim concupiscentiae *carnalis* omnino *devorat* sine satietate; Iob trigesimo primo: *Si deceptum est cor meum super muliere* etc.; et post: *hoc enim nefas est et iniquitas maxima. Ignis est usque ad perditionem devorans et omnia eradicans genimina. — Omnia eradicat*, quia bona corporalia et spiritualia, naturalia et gratuita, vitam et famam, Deum et se ipsum aufert, ac per hoc omne bonum. — Consimilis est ignis *avaritiae* sive concupiscentiae oculorum; unde Ecclesiastici decimo quarto: *Insatiabilis est oculus cupidi in parte iniquitatis; non satiabitur, donec consumat, arefaciens animam suam.* Hanc autem animam *arefacit* per immoderantiam ardoris concupiscentiae; unde Ecclesiastici vigesimo tertio [2]: *Anima calida quasi ignis ardens non exstinguetur, donec aliquid glutiat; et homo nequam in ore carnis suae non desinet, donec incendat ignem.* Unde sitis haec consimilis est siti hydropisis, quae potu plus accenditur, quam exstinguatur.

De tertio, qui vexat

Ignis autem *impetuositatis molestantis* est furor iracundiae; de quo Proverbiorum decimo sexto: *Vir impius fodit malum, et in labiis eius ignis ardescit. Ignis* iste, qui *ardescit* ex ore impii, est furor iracundiae. Modicum enim verbum iracundiae magnum ignem furoris accendit; unde Iacobi tertio [3]: *Ecce, quantus ignis quam magnam silvam incendit, et lingua ignis est, universitas iniquitatis;* unde Ecclesiastici undecimo: *A scintilla una augetur ignis, et ab uno doloso augetur sanguis.* Hic ignis maxime inter peccatores reperitur et inceditur, secundum quod Ecclesiastici vigesimo primo: *Stuppa collecta synagoga peccantium, et consummatio illorum flamma ignis.* Et ratio huius est, quia sunt impatientes et ita faciles ad iracundiam sicut stuppa ad flammam. — Per hunc igitur ignem culpae misera mens peccatoris *obnubilatur, consumitur* et *molestatur*, et propterea istum ignem oportet *exstinguere.*

Epilogus.

Sciendum igitur, quod ignis materialis triplicis exstinguitur tripliciter.

ter consuevit exstingui, scilicet lignorum *subtractione,* aquae *superinfusione* et venti *perflatione.* Per hunc modum exstinguitur primo ignis culpae *lignorum subtractione,* id est occasionum evitatione; occasiones enim sunt quasi ligna; unde Proverbiorum vigesimo sexto [4]: *Dum defecerint ligna, exstinguetur ignis, et susurrone subtracto, iurgia conquiescent.* Et ratio huius est, quia mala verba et litigiosa ignem furoris nutriunt; unde Ecclesiastici octavo: *Non litiges cum homine linguato, et non strues ligna in ignem illius.* Similiter oportet facere, si quis vult exstinguere ignem concupiscentiae; unde Ecclesiastici nono: *Noli circumspicere in vicis civitatis, nec oberraveris in plateis illius. Averte faciem tuam a muliere compta, et ne circumspicias speciem alienam. Propter speciem enim mulieris multi perierunt, et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.* Nec mirum, quia Proverbiorum sexto [5]: *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant?* quasi dicat: non. Et propter hoc hortatur Apostolus: *Fugite fornicationem*, et Lot fugienti de incendio Sodomae dictum est Genesis decimo nono: *Non stes in omni circa regione, sed in monte salvum te fac.*

Primo, liquorum subtractione.

Hortatio.

Secundo, aquae superinfusione.

Exstinguitur etiam *aquae superinfusione*, et hoc fit lacrymarum effusione; propter quod Ecclesiastici tertio [6]: *Ignem ardentem exstinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis.* Quae est ista eleemosyna? Haec est eleemosyna *compassionis*, qua quis debet homo primo sibi compati et post aliis, et primo se ipsum deflere et postea alios. Unde Gregorius dicit, quod « vir poenitens debet quotidianis lacrymis se lavare »; et sic faciebat Propheta in Psalmo [7]: *Lavabo*, inquit, *per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo;* et hoc quidem pro peccatis suis et alienis debet homo facere, secundum illud Threnorum secundo: *Consurge, lauda in nocte in principio vigiliarum* tuarum; *effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini.* Tunc enim debet homo in semetipso exstinguere ignem, quem in die [8] accendit, quia *non est homo, qui faciat bonum et non peccet* [9].

Tertio, venti insufflatione.

Exstinguitur postremo ignis *venti insufflatione,* et hoc quidem est in extremo examine, ubi Dominus in *spiritu vehementi* [10] exstinguet per iram illos qui in semetipsis noluerunt culpam exstinguere per poenitentiam; unde Iob decimo octavo: *Nonne lux impii exstinguetur, nec splendebit flamma ignis eius?* Tunc *exstinguetur lux* eius vere, quando dicetur illud Matthaei vigesimo secundo: *Ligatis manibus et pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores.* Tunc peribit omnis eius delectatio, et *conteretur cum delinquente delictum* [11]. Horrenda valde est ista exstinctio, quae fit per ventum divinae indignationis. — Ideo cavendus est flatus diabolicae suggestionis, qui hunc ignem accendit, sicut dicitur Iob penultimo de Behemoth: *De ore eius lampades procedunt sicut taedae ignis accensae. De naribus eius procedit fumus sicut ollae succensae atque ferventis. Halitus*

---

[1] Vers. 16; sequuntur Iob 31, 9. 11. seq. et Eccli. 14, 9.
[2] Vers. 22. seq.; sequitur Prov. 16, 27.
[3] Vers. 5. seq.; sequuntur Eccli. 11, 34. et c. 21, 10.
[4] Vers. 20; sequuntur Eccli. 8, 4. et c. 9, 7-9.
[5] Vers. 27; sequuntur I. Cor. 6, 18. et Gen. 19, 17.
[6] Vers. 33. — Sententia Gregorii habetur in Expos. super Cant. Cantic. c. 4. n. 9.
[7] Psalm. 6, 7; sequitur Thren. 2, 19.
[8] Cod. Tudertinus *peccato.*
[9] Eccle. 7, 21; cfr. III. Reg. 8, 46; II. Paralip. 6, 36; Prov. 20, 9. et I. Ioan. 1, 8.
[10] Respicitur Ps. 47, 8; dein Iob 18, 5; sequitur Matth. 22, 13.
[11] Eccli. 27, 3; Iob 41, 10-12; dein respicitur Ps. 41, 1.

eius prunas ardere facit, et flamma de ore eius egreditur. — Propterea vitanda est eius suggestio; sed si quis in aliquo praebuerit sibi auditum, sanum consilium est, quod fugiat ad *fontes aquarum*, hoc est ad fontes lacrymarum, sicut *desiderat cervus* accensus calore pervenire *ad fontes aquarum*. Sed primum oportet ligna et occasiones peccatorum subtrahere, ne iterum culpa reviviscat; secundum autem (nota, quod), quo magis exstinguitur iste ignis terrestris, accenditur magis ignis caelestis, quem Dominus hodie Apostolis *de excelso misit;* hunc ignem nobis praestat Filius Dei, qui est benedictus in saecula.

Hortatio.

III. Tertius autem est ignis *poenae*, qui quodam modo est ab imo, quodam modo de excelso. De imo est quantum ad meritum culpae, sed de excelso est quantum ad iudicium divinae iustitiae. Hic autem ignis est in duplici differentia: quidam enim est ignis praesentis tribulationis, quidam vero sempiternae damnationis; et primus quidem est *sustinendus*, secundus vero est *praecavendus*. — Ignis autem tribulationis praesentis triplici ex causa debet sustineri: primo, quia *purgat*, secundum quod dicitur Malachiae tertio [1]: *Ecce, venit, dicit Dominus exercituum; et quis poterit cogitare diem adventus eius, et quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans et quasi herba fullonum, et sedebit conflans et emundans argentum et purgabit filios Levi*, hoc est per tribulationis immissionem, per quam *filii Levi*, id est homines dedicati Deo, purificantur; sed econtra reprobi consumuntur; Ieremiae sexto: *Defecit sufflatorium, in igne consumtum est plumbum, frustra conflavit conflator; malitiae enim eorum non sunt consumtae*, quia natura consumitur, sed ipsa (malitia) crescit et augmentatur.

Pars III. De duplici igne poenae.

Primus est sustinendus, primo, quia purgat.

Secundo ignis iste formidandus est, quia *probat*, secundum illud quod dicit Iob vigesimo tertio [2]: *Ipse scit viam meam et probavit me quasi aurum, quod per ignem transit.* Ideo probat et approbat, quia ipse *scit viam meam*, notitia *approbationis*. Unde non probat, ut ipse sciat, sed ut homo fiat sibi notus in bonitate et quantum ad se ipsum et quantum ad proximum. De probatione, qua homo probatur *in se* per tribulationem, dicitur in Psalmo: *Probasti cor meum et visitasti nocte, igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas*, id est murmurationis et impatientiae cordis. De probatione autem conversationis quantum *ad proximum* dicitur Ecclesiastici secundo: *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in iustitia et timore;* et postea: *Quoniam in igne probatur aurum et argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis.* Modus autem describitur ad Romanos quinto: *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit.*

Secundo, quia probat.

Tertio vero sustinendus est ignis praesentis tribulationis, quia *consolidat*. Sicut enim ignis materialis consolidat vasa terrea et non consumit, sic ignis tribulationis, bona vasa spiritualia; Isaiae quadragesimo tertio [3]: *Cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te*, et hoc, si fueris servus Dei; *quoniam*, sicut dicitur in Psalmo, *brachia peccatorum conterentur, confirmat autem iustos Dominus;* et ideo Ecclesiastici ultimo [4]: *Et in medio ignis non sum aestuatus.* Nec mirum, quia, sicut tribulatio urit exterius, sic divina consolatio humectat interius. *Sicut* enim *abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra.* — Illa autem vasa, quae carent ista divina consolatione, non consolidantur, sed franguntur per impatientiam; unde dicitur secundi Regum trigesimo tertio: *Praevaricatores quasi spinae evellentur universi, quae non tolluntur manibus. Et si quis tangere voluerit eas, armabitur ferro et ligno lanceato, igneque succensae comburentur usque ad nihilum*, quia istum ignem nesciunt sustinere. Unde hoc igne consumti sunt illi servi regis Israel, qui volebant comprehendere Eliam, secundum quod scribitur quarti Regum primo [5]: *Si homo Dei sum, descendat ignis de caelo et devoret te et quinquaginta tuos;* quod et factum est, sicut ibidem sequitur.

Tertio, qui consolidat.

Ecnatra, de malis.

Ignis autem sempiternae damnationis est *formidandus* et *praecavendus* propter sui multiplicem horribilitatem: primo quidem, quia est *inexstinguibilis;* Matthaei tertio [6]: *Congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inexstinguibili.* — *Paleae* sunt peccatores, qui aridi sunt gratia et privati opere bono. Isti *comburentur igni* inexstinguibili, dum in infernum deiiciuntur, quia, sicut dicitur Isaiae sexagesimo sexto, *vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur.* Et ratio huius est, quia non flatus hominis, sed Dei eum succendit; Isaiae trigesimo: *Praeparata est ab heri Topheth. Nutrimenta eius ignis et ligna multa; flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.* Sicut enim in Dei iustitiam peccavit, sic per eum qui aeternus est, in aeternum punietur in igne infernali, quem *praeparavit ab heri*, id est a principio; Matthaei vigesimo quinto: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius.*

Secundus ignis est formidandus et praecavendos, primo, quia est inexstinguibilis.

Secundo ignis iste formidandus est, quia *intolerabilis* prae sua acerbitate; Psalmus [7]: *Cadent super eos carbones; in ignem deiicies eos, in miseriis non subsistent.* Ideo *in miseriis non subsistunt*, quia tantum abundant, quod eas tolerare non possunt. Nec mirum, quia *ignis et sulphur et spiritus procellarum, pars calicis eorum.* In hunc ignem

Secundo, quia intolerabilis.

[1] Vers. 1-3; sequitur Ier. 6, 29.
[2] Vers. 10; sequuntur Ps. 16, 3; Eccli. 2, 1. 5. et Rom. 5, 3-5.
[3] Vers. 2; sequitur Ps. 36, 17.
[4] Cap. 51, 6; sequuntur II. Cor. 1, 5. et II. Reg. 23, 6. seq.
[5] Vers. 10.
[6] Vers. 12; sequuntur Isai. 66, 24. et c. 30, 33. ac Matth. 25, 41.
[7] Psalm. 139, 11; sequuntur Ps. 10, 7. et Isai. 33, 14.

peccatores deiiciuntur, sicut dicitur Isaiae trigesimo tertio: *Conterriti sunt in Sion peccatores, possedit tremor hypocritas;* et post: *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* quasi dicat: nullus; et propterea dicit Apostolus ad Hebraeos decimo [1]: *Horrendum est incidere in manus Dei viventis; etenim Deus noster ignis consumens est.*

Tertio formidandus est, quia *inevitabilis;* nullus enim poterit fugere; unde Deuteronomii trigesimo secundo [2]: *Ignis succensus est in furore meo et ardebit usque ad inferni novissima; devorabitque terram cum germine suo et montium fundamenta comburet.* Nullus erit, nec parvus nec magnus, qui ignem divini furoris possit effugere; unde Psalmus: *Ignis ante ipsum praecedet et inflammabit in circuitu inimicos eius;* et ideo nulla parte effugere poterit, non solum exterius, sed etiam interius: *Ponet eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui; Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis;* horrendum est in hunc ignem praecipitari. — Qui non vult praecipitari necesse habet humiliari; Ecclesiastici septimo [3]: *Humilia valde spiritum tuum, quoniam vindicta carnis impii ignis et vermis.* Humilitas ergo spiritus est illa, quae liberat ab igne gehennae et acquirit ignem, qui *immittitur de excelso.* Unde Augustinus [4]: « Tanto summus dilectione pleniores, quanto summus a tumore superbiae saniores ». Fundamentum ergo totius salutis est vera humilitas. Quam nobis etc.

Tertio, quia inevitabilis.

Hortatio.

Sermo X [5].

Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae etc.; et post subditur: *Sed et super servos meos et ancillas effundam Spiritum meum,* Ioelis secundo [6].

Hanc auctoritatem exponit beatus Petrus esse prophetiam de effusione Spiritus sancti in die Pentecostes, Actuum secundo [7]. In qua ostenditur, Spiritum sanctum dari tripliciter: et primo, quantum ad *idoneitatem suscipientis,* cum dicitur: *super servos meos et ancillas;* secundo, quantum ad *liberalitatem conferentis,* cum dicitur: *Effundam de Spiritu meo;* tertio, quantum ad *utilitatem finis,* cum dicitur: *et prophetabunt.*

Divisio.

I. Videamus de primo; *idoneitas suscipientis,* qui debet *prophetare,* id est regnum Dei evangelizare, ostenditur quantum ad duo: et primo, quantum ad *strenuitatem virtutis* propter *se,* cum dicit: *super servos;* masculinum enim genus strenuitatem virtutis designat in praedicatione; Lucae decimo quarto [8]: *Misit servum suum hora coenae dicere invitatis, ut venirent;* et Matthaei vigesimo secundo: *Misit servos suos vocare invitatos ad nuptias.* — Secundo, quantum ad *pietatem compassionis* propter *alios,* cum dicitur: *et super ancillas;* femininum enim genus facile pietate movetur, et ideo nomine *ancillarum* pietas designatur praedicatorum; Proverbiorum nono [9]: *Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem et ad moenia civitatis;* secundi Regum sexto: *Cum ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo.*

Pars I.

Subdivisio. Membrum primum.

Item, secundum.

II. Videamus de secundo; *liberalitas dantis* notatur in hoc quod dicitur: *Effundam de Spiritu meo.* In *effusione* autem notatur *liberalitas* abundanter dantis; in hoc vero quod dicitur: *de Spiritu meo,* notatur *partialitas* distributionis, quia non uni dat totum Spiritum, excepto Christo, de quo dicitur Ioannis tertio [10]: *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum* Filio; aliis autem dat per subministratores [11], iuxta illud primae ad Corinthios duodecimo [12]: *Alii per Spiritum datur sermo sapientiae* etc.

Pars II.

III. Videamus de tertio; *utilitas diffusionis* huius Spiritus ostenditur in effectibus, quos exercet in hierarchia *subcaelesti* [13] ad similitudinem hierarchiae *caelestis,* qui sunt *purgare, illuminare* et *perficere,* per quos actus reddit praedicatores idoneos ad praedicationem Evangelii Christi; secundae ad Corinthios tertio [14]: *Nos vero omnes, revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem tanquam a Domini Spiritu.*

Pars III.

Subdivisio.

Est autem spiritus *purgationis* quadruplex [15]: primus est spiritus *timoris* respectu divinorum *futurorum iudiciorum;* Isaiae vigesimo sexto [16], secundum aliam translationem: *A timore tuo, Domine, concepimus et peperimus spiritum salutis.* Quantum spiritus *timoris* valeat ad purgationem, habetur Iob quadragesimo primo [17]: *Cum sublatus fuerit, timebunt Angeli, et territi purgabuntur.* — Secundus est spiritus *doloris* respectu *malorum perpetratorum;* Psalmus: *Ibi dolores ut parturientis; in spiritu vehementi conteres naves Tharsis.* Quando enim iste *spiritus vehemens* inducit animae dolores vehementes de peccatis, tunc *conterit* in anima *naves*

Primo, de spirito purgativo quadruplici. Spiritus timoris.

Spiritus doloris.

---

[1] Vers. 31; sequitur c. 12, 29.
[2] Vers. 22; sequuntur Ps. 96, 3. et 20, 10.
[3] Vers. 19.
[4] Libr. VIII. de Trin. c. 8. n. 12.
[5] Ex cod. Florentino (Bibl. Nationalis) U fol. 60 r.
[6] Vers. 28. seq., ubi Vulgata *Spiritum meum* pro *de Spiritu meo,* quod habetur Act. 2, 16.
[7] Vers. 16. seq.
[8] Vers. 17; sequitur Matth. 22, 3.
[9] Vers. 3; sequitur II. Reg. 6, 22.
[10] Vers. 34.
[11] Fortasse legendum: *per modum subministrationis.*
[12] Vers. 8. seqq.
[13] Cfr. supra pag. 58, nota 4. et pag. 319, serm. 4.
[14] Vers. 18.
[15] Cfr. tom. VIII. opusculum de Triplici Via, c. 3. § 2. Haec et alia sermonis insinuant Bonaventuram ut auctorem.
[16] Vers. 18; alia translatio est sec. Septuaginta. Vulgata vero legit: Concepimus et quasi parturivimus et peperimus spiritum; salutes non fecimus in terra.
[17] Vers. 16; sequitur Ps. 47, 7. seq.

Tharsis, id est affectiones gaudiorum mundanorum sive de divitiis, sive de deliciis, sive de honoribus. Nam *Tharsis* interpretatur exploratio gaudii et significat affectiones saecularium, qui gaudium in praedictis explorando inquirunt. — Tertius est spiritus

Spiritus rigoris. *rigoris* respectu *mortificationis carnalium desideriorum;* ad Romanos octavo [1]: *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis;* ad Galatas quinto: *Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis.* —

Spiritus ardoris. Quartus est spiritus *ardoris* respectu *promissionis aeternarum deliciarum;* Isaiae quarto: *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion et sanguinem Ierusalem laverit de medio eius in spiritu iudicii et spiritu ardoris.* Item, spiritus ardoris, dum facit ardere animum in divinarum deliciarum promissiones, consumit omnes carnalitates in homine.

Post spiritum purgativum datur spiritus *illuminativus*, qui similiter quadruplex [2] est. Primus illuminat quantum ad *spectacula naturae;* Iob trigesimo secundo [3]: *Ut video, spiritus est in hominibus, et inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam.* Istud fit, quando homo de sensibilibus reducitur ad intelligibilia, et de intelligibilibus ad aeterna, iuxta illud ad Romanos primo: *Invisibilia Dei per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur.* — Secundus illuminat ad intelligenda *mysteria Scripturae;* Ioannis decimo sexto: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*, scilicet *operabilem* in moribus, *speculabilem* in artibus, *desiderabilem* in aeternalibus praemiationibus; vel *operabilem* quantum ad intellectum tropologicum, *speculabilem* quantum ad allegoricum, *desiderabilem* quantum ad anagogicum. — Tertius illuminat ad cognoscenda *charismata gratiae;* primae ad Corinthios secundo [4]: *Quae Dei sunt nemo novit nisi Spiritus Dei. Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quae a Deo donata sunt nobis.* Iste Spiritus est, qui facit scire, id est experimentaliter cognoscere charismata gratiarum, quae donata sunt hominibus. — Quartus illuminat ad praemeditanda *iudicia divinae providentiae;* Sapientiae nono: *Difficile aestimamus quae in terra sunt, et quae in prospectu sunt invenimus cum labore; quae autem in caelis sunt quis investigabit? Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam et miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis; et sic correctae sint semitae eorum qui sunt in terris, et quae tibi placent didicerint homines?* De isto Spiritu intelligitur illud ad Ephesios quinto: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria; sed implemini Spiritu sancto.*

Secundo, de spiritu illuminativo quadruplici. Quoad spectacula naturae.

Quoad mysteria Scripturae.

Quoad charismata gratiae.

Quoad iudicia providentiae.

Post illum quadruplicem spiritum illuminativum datur spiritus *perfectivus*, qui est quadruplex. Primus est *stabiliens* in virtute quantum ad longitudinem aeternitatis. In nullo enim stabilitur anima nisi in aeternitate, quia nihil creatum est stabile, cum habeat esse mutabile; et ideo, cum anima aeterno bono innititur, stabilitur, cum vero bono creato innititur, infirmatur. Ideo de spiritu stabiliente dicitur in Psalmo [5]: *Verbo Domini caeli firmati sunt, et Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* — Secundus est *dilatans* in caritate secundum latitudinem divinae bonitatis, quia iste spiritus amoris facit amare illos qui *veniunt ab oriente et occidente*, meridie et septentrione; ad Romanos quinto: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* — Tertius est *suspendens* in admiratione quantum ad sublimitatem maiestatis; cogitando enim magnificentiam Dei, nunquam melius assequitur anima quam admirando, ut cum nunquam tantum sublimatur, quod aestimet, se pervenisse [6]; Ezechielis octavo: *Elevavit me Spiritus inter terram et caelum et adduxit me in Ierusalem in visione Dei.* Istud enim *elevari* est in admiratione gloriae Dei suspendi, iuxta illud Isaiae sexagesimo: *Tunc videbis et affluES, et mirabitur et dilatabitur cor tuum.* — Quartus est *profundans* secundum profunditatem inscrutabilitatis; Sapientiae septimo [7]: *Omnium enim artifex docuit me sapientia. Est enim in illa spiritus intelligentiae, sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis* etc.; *et qui capiat omnes spiritus: intelligibilis, mundus, subtilis;* primae ad Corinthios sexto [8]: *Qui adhaeret Domino unus spiritus est;* ad Ephesios quarto: *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis*, id est unitatem, qua Spiritus sanctus unit spiritum rationalem cum Deo et vincit in omnimoda quietatione mentis.

Tertio, de spiritu perfectivo quadruplici. Spiritus stabiliens.

Spiritus dilatans.

Spiritus suspendens.

Spiritus profundans.

Duplex ergo ostenditur effusio Spiritus sancti in praemissa auctoritate. Una est *generalis* quantum ad omnes; et illa tangitur, cum dicitur: *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem.* Alia est *specialis*, quae amplioris est diffusionis, quae tangitur, cum subditur: *Sed et super servos meos et ancillas effundam Spiritum meum.* Quae quidem effusio variatur secundum triplicem actum praedictum. — Quantum ergo ad actum *purgandi* datur in assumtione sacrae Religionis; quantum vero ad actum *illuminandi* datur in contemplatione divinae legis; quantum ad actum *perficiendi* datur per instantiam orationis; ad Romanos octavo [9]: *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus;* Sapientiae septimo: *Optavi, et datus est mihi sensus; invocavi, et venit in me Spiritus sapientiae.* Rogemus Dominum etc.

Effusio duplex.

---

[1] Vers. 13; sequuntur Gal. 5, 16. et Isai. 4, 4.

[2] Cfr. tom. VIII. opusculum de Triplici Via, c. 3. § 3. n. 4; et quoad sequentia etiam ibid. § 4. n. 6.

[3] Vers. 8; sequuntur Rom. 1, 20. et Ioan. 16, 13.

[4] Vers. 11. seq.; sequuntur Sap. 9, 16. seqq. et Eph. 5, 18.

[5] Psalm. 32, 6; deinde respicitur Luc. 13, 29; sequitur Rom. 5, 5.

[6] Cfr. tom. VIII. opusculum de Triplici Via, c. 3. § 5. n. 13. — Sequuntur Ezech. 8, 3. et Isai. 60, 5.

[7] Vers. 21. seqq. [8] Vers. 17; sequitur Eph. 4, 3.

[9] Vers. 26; sequitur Sap. 7, 7.

DOMINICA PRIMA POST PENTECOSTEN.

Sermo I [1].

Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est, Lucae sexto [2].

Introductio. Videns Dominus noster Iesus Christus, misericordiam et caritatem refrigescere, malitiam autem et carnalitatem invalescere, voluit nos in verbo proposito secundum regulam divinae pietatis dirigere ad opera misericordiae et caritatis, cum dicit: *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est.* Quia nulla nostra operatio potest esse recta, nisi secundum regulam divinae exemplaritatis dirigatur; ideo

Divisio thematis. in verbo proposito primo *hortatur ad subventionem* alienae necessitatis, excitando affectum; secundo *proponit informationem divinae exemplaritatis*, dirigendo intellectum. Primo hortatur ad subventionem alienae necessitatis, cum dicit: *Estote misericordes.* Secundo proponit informationem divinae exemplaritatis, dirigendo intellectum, cum subdit: *sicut et Pater vester misericors est.*

Primo ergo movet nos ad subventionem alienae necessitatis, excitando affectum, cum dicit: *Estote misericordes.* Tria enim sunt, per quae hortatur nos Dominus Iesus Christus ad opera pietatis et misericordiae. Primum est *benigna informatio* divinae exemplaritatis, rationalem dirigentis; secundum est *magna promissio* multiplicis utilitatis, concupiscibilem allicientis; tertium est *acerba punitio* divinae severitatis, irascibilem concutientis; ut sic, quos non movet ad misericordiam divinum exemplum, moveat utile promissum, vel saltem terribile supplicium.

Divisio sermonis.

Pars 1. Informatio exemplaritatis. Subdivisio.

I. Primo movet nos ad misericordiam benigna informatio *divinae exemplaritatis*, dirigentis rationalem, quae in tribus aliquo modo apparet: primo, in gratuitae *vocationis instantia;* secundo, in diuturnae *exspectationis patientia;* tertio, in benignae *susceptionis clementia.* Unde misericors Deus peccatores instanter vocat, patienter exspectat et clementer suscipit. — Primo misericordia Dei apparet in gratuitae *vocationis instantia;* unde Matthaei nono [3]: *Misericordiam volo, et non sacrificium; non enim veni vocare iustos, sed peccatores* ad poenitentiam. Misericors Deus, licet a peccatoribus turpiter contemnatur, tamen non dedignatur mittere Filium suum et ab eis prius petere pacem per instantiam gratuitae vocationis, eo quod avidius optat nostram salutem quam aliquod sacrificium. Gregorius [4]: « Debemus saltem pietatem vocantis erubescere, si eius iustitiam nolumus formidare; quia tanto graviori improbitate contemnitur, quanto et contemptus adhuc vocare non dedignatur ». — Carissimi, accipiamus exemplum tantae benignitatis et misericordiae et petamus prius pacem ab his qui nos persequuntur et offendunt, quamvis culpa non sit ex parte nostra; quia, secundum Gregorium, « bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est ». Et tunc induemur viscera misericordiae sicut veri et dilecti filii Dei, Patris misericordiae, qui *per viscera suae misericordiae* veniens *ex alto* [5] prius petiit nobis [6] pacem, vocando ad poenitentiam.

Primo, instanter vocat.

Hortatio.

Secundo apparet Dei misericordia in diuturnae *exspectationis patientia;* unde Threnorum tertio [7]: *Misericordiae Domini, quia non sumus consumti; quia non defecerunt miserationes eius.* Cum enim homo peccat, iniuriatur Creatori suo et etiam *Filium Dei in semetipso crucifigit* [8], et ideo statim dignus est totali consumtione, nisi esset divina misericordia, quae patienter et longaniminter exspectat eum, quasi *dissimulans peccata eius;* quia, si statim peccatorem puniret, postea cui parceret non haberet. — Ergo, dilectissimi, exemplo divinae misericordiae, peccatorem supportantis patienter et exspectantis longanimiter, supportemus defectus, dura facta et verba aliorum, quae nobis displicent; nec statim prorumpamus in iram nec assumamus vindictam, sed longaniminter exspectemus eius correctionem voluntariam; alioquin displiceret Deo, et timendum esset, ne Deus similiter nobis faceret.

Secundo, patienter exspectat.

Hortatio.

Tertio apparet divina misericordia in benignae *susceptionis clementia.* Et exemplum habemus de filio prodigo; Lucae decimo quinto [9]: *Cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius et misericordia motus est, et accurrens cecidit super collum eius et osculatus est eum.* Ecce, quod Deus, *pater misericordiae,* propter horrorem praeteritarum foeditatum non devitat consortium sic perditi filii, immo clementer suscipit eum ad osculum pacis et concordiae. In cuius signum iubet, ei trahi *anulum in manu eius,* id est confoederationem suae benevolentiae, *et calceamenta in pedibus,* id est gratiam in effectibus, et vestiri *stola prima,* id est restitui in puritatem pristinae innocentiae. Unde notabile est, quod iste primo videtur poenituisse quadam coacta necessitate, et tamen eius poenitentia Deo accepta est. Propter hoc ibi dicit Augustinus [10]: Quaecumque necessitas cogat peccatorem ad poenitentiam, nec peccati quantitas

Tertio, clementer suscipit.

Notandum.

---

[1] Ex Vaticana et C D E F.

[2] Vers. 36.

[3] Vers. 13.

[4] Libr. Regulae pastor. p. III. c. 28; seq. sententia habetur XI. Registr. Epist. 64. respons. ad 10. interrog. Augustini.

[5] Respicitur Luc. 1, 78.

[6] Ita F; Vaticana *in hoc,* D *in hoc mundo;* forsasse legendum *a nobis.*

[7] Vers. 22.

[8] Respicitur Hebr. 6, 6. et dein Sap. 11, 24.

[9] Vers. 20. seqq. Deinde respicitur II. Cor. 1, 3.

[10] Cfr. in Ioan. Evang. tr. 33. n. 8.

nec vitae enormitas nec hominis extremitas excludit a venia, si perfecta fuerit voluntatis immutatio, sed in amplissimos sinus caritas filios prodigos
Hortatio. suscipit revertentes. — Ergo ad illud exemplum misericordiae clementer suscipientis inimicos et totaliter condonantis debita hortatur Apostolus ad Ephesios quarto [1]: *Estote invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis;* ubi Ambrosius: « Si alter in alterum peccet, donate commissa; sin autem, Deus repetet et remissa; quia, si in his contemptus fuerit, sententiam, quam per misericordiam dederat, per iustitiam revocabit [2] ».

II. Secundo movet nos ad misericordiam magna
Pars II. Promissio utilitatis triplicis. *promissio omnimodae utilitatis*, allicientis concupiscibilem. Circa quod nota, quod triplicem utilitatem homini facit misericordia, ad quam omnis alia bona utilitas potest reduci; et propter hoc totaliter debent ad opera misericordiae allici affectus. Nam mise-
Subdivisio. ricordia primo *liberat a peccato*, resolvendo vincula culpae; secundo *locupletat in merito*, augmentando dona gratiae; tertio *beatificat in praemio*, perducendo ad gaudia vitae.

Primo, misericordia *liberat a peccato*, resolvendo
Primo, liberat a peccato. vincula culpae; unde Proverbiorum decimo sexto [3]: *Misericordia et veritate redimitur iniquitas, et in timore Domini declinatur a malo.* — Homo enim, qui vendiderat animam suam diabolo per iniquitatem, potest eam *redimere* per misericordiam et veritatem. Optima commendatio est veritas institiae et pietas misericordiae [4]. Nam per veritatem institiae in punitione et detestatione vitiorum per poenitentiam purgatur *culpa;* sed per pietatem misericordiae in subventione pauperum per eleemosynas dimittitur *poena;* tamen hoc debet fieri *in timore Domini* tanquam in principio omnis boni, per quem declinat homo a malo, non in timore mundano et servili. *Nam qui sine timore est non poterit iustificari* [5]. Similiter de hoc dicitur Danielis quarto: *Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum; forsitan ignoscet delictis tuis.* Dignum est enim, ut, qui misericordiam ab aliquo postulat, misericordiam cum alio faciat et ex se ipso cognoscat quae sunt proximi.

Secundo, misericordia *locupletat in merito*, au-
Secundo, locupletat in merito. gmentando dona gratiae; unde Proverbiorum decimo nono [6]: *Foeneratur Domino qui miseretur pauperis.* Sicut enim cito per usuram locupletatur homo divitiis temporalibus, sic per misericordiam divitiis spiritualibus et temporalibus. Nam haec est una virtus, quae multiplicat per spiritualia et temporalia et etiam levat in sublimem locum gloriae; unde Ecclesiastici decimo sexto: *Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum.* — Omnis misericordia in septem suis operibus
Septem opera misericordiae. continetur, quae cuilibet, secundum quod in eis fuerit exercitatus, praeparat locum plenum divitiis Divinitatis in gloria; quae quidem septem opera misericordiae in hoc versu continentur:

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Perfectus enim misericors debet visitare infirmos, cibare et potare ieiunos, redimere captivos, tegere nudos, colligere peregrinos, condere sive sepelire mortuos. Sex vero istorum operum extrahuntur de textu Evangelii, Matthaei vigesimo quinto [7]: *Esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere; hospes eram, et collegistis me; nudus, et cooperuistis me; infirmus, et visitastis me; in carcere eram, et venistis ad me.* Septimum vero opus misericordiae, quod est sepelire mortuos, potest haberi ex libri Tobiae secundo [8].

Tertio, *beatificat in praemio*, perducendo ad gau-
Tertio, beatificat in praemio. dium vitae; unde Proverbiorum vigesimo secundo [9]: *Qui pronus est ad misericordiam benedicetur; de panibus enim suis dedit pauperi, victoriam et honorem acquiret qui dat munera.* — Quia homo *pronus ad misericordiam dedit de panibus suis pauperi* esurienti, ideo *acquiret honorem* gloriae, quoniam *benedicetur* illa benedictione, de qua dicitur Matthaei vigesimo quinto: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare.* Nam *beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur,* secundum quod dicitur Matthaei quinto.

III. Tertio movet nos ad misericordiam acerba *pu-*
Pars III. Punitio severitatis. *nitio divinae severitatis*, concutientis irascibilem, quae in tribus manifestatur. Nam non facientes misericordiam primo, *spoliantur beneficio* gratuitae donationis;
Subdivisio secundo, *vituperantur opprobrio* divinae redargutionis; tertio, *cruciantur supplicio* aeternae damnationis.

Primo, non facientes misericordiam spoliantur
Primo, spoliantur beneficio. beneficio gratuitae donationis; unde Matthaei decimo octavo [10]: *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me; nonne ergo oportuit, et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?*

[1] Vers. 32. — Sententia Ambrosii est in Epist. ad Eph. 4, 32. (inter opera Ambrosii).

[2] In C additur: Unde Gregorius (IV. Dialog. c. 60.), C. *Constat ex dictis* [2], ibid., super illud Matthaei 18, 32: *Serve nequam:* « Ex dictis evangelicis constat, quod si non dimittamus ex corde quod in nos delinquitur, ex hoc rursum exigitur quod nobis iam per poenitentiam dimissum fuisse gaudebamus ». Et Augustinus (Serm. 83. [alias 13. de Verbis Domini] c. 6. n. 7; C. *Qui divini beneficii*) [4]: « Qui divini beneficii oblitus, suas vult vindicare iniurias non solum de commissis peccatis veniam non merebitur, sed etiam peccata, quae sibi dimissa credebat, ad vindictam ei replicabuntur ».

[3] Vers. 6.

[4] Ita F, Vat. *coniunctio est veritas institiae et pietatis et misericordiae*, et inferius F *destructione* pro *detestatione.*

[5] Eccli. 1, 28; sequitur Dan. 4, 24.

[6] Vers. 17; sequitur Eccli. 16, 15.

[7] Vers. 35. seq. [8] Vers. 7.

[9] Vers. 9; sequuntur Matth. 25, 34. seq. et c. 5, 7.

[10] Vers. 32. seqq.

Et iratus dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum. Ecce, quod Dominus ab isto qui noluit facere misericordiam cum proximo suo, suum beneficium gratuitae donationis, quod per misericordiam ei fecerat, per iustitiam repetit.

Secundo, vituperantur opprobrio. Secundo, non facientes misericordiam *vituperantur opprobrio* durae increpationis; unde Proverbiorum decimo quarto [1]: *Qui calumniatur egentem exprobrat factori eius; honorat autem eum qui miseretur pauperis. In malitia sua expelletur impius.* Sicut enim qui *miseretur pauperis* honorat Deum in paupere, sic qui *claudit viscera* misericordiae pauperi exprobrat et facit vituperium factori suo in paupere; et ideo talis dignus est tanquam impius expelli in malitia suae impietatis a consortio Sanctorum et etiam exprobrari vituperio durae increpationis, secundum quod dicitur Matthaei vigesimo quinto [2]: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi bibere; hospes eram, et non collegistis me; nudus* fui, *et non cooperuistis me; infirmus, et non visitastis me; in carcere*, et non venistis ad me.

Tertio, non facientes misericordiam *cruciabuntur supplicio* aeternae damnationis; unde Iacobi secundo [3]: *Iudicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam.* Tota iudicialis discussio et sententia Iudicis erit secundum exhibita et non exhibita opera misericordiae. Nam qui misericordiam fecerunt habebunt vitam aeternam, qui vero misericordiam negaverunt cruciabuntur supplicio aeterno; unde dives, qui micam panis negavit Lazaro pauperi, iussus est cruciari flamma infernali [4]. Rogemus ergo etc.

Tertio, cruciabuntur supplicio.

Sermo II [5].

Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est [6].

(Prothema). *Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam.*

Introductio. *Servus*, qui in multis offendit dominum suum, si petit a domino iustiam de se, male petit, quia petit de se ipso vindictam; sed quando humiliat se coram domino suo et petit misericordiam, citius flectit dominum ad misericordiam. Ita dicit Psalmus in verbo proposito: *Fac cum servo tuo misericordiam*, non institiam, quia inique agimus quotidie contra Dominum. Petamus ergo ab eo misericordiam, et non negabit nobis, *quia misericors est et praestabilis super malitia* [7]; et quia verbum sacrae praedicationis ab eo petere habemus, in humilitate cordis petamus, quia *humilium et mansuetorum semper* ei *placuit deprecatio.* Rogemus primo Deum etc.

Sermo. *Estote misericordes* etc. Inter omnia Christi opera erga nostram indigentiam eius misericordia est praecipua, et ideo plus commendanda et laude digna, quanto plus nobis necessaria; unde in Psalmo [8]: *Miserationes eius super omnia opera eius.* Ideo Salvator noster Christus, qui est *pater misericordiarum et Deus totius consolationis*, discipulos suos et nos cum eis ad *opera misericordiae invitat*, cum dicit: *Estote misericordes;* secundo, se in *exemplar misericordiae insinuat*, cum dicit: *sicut et Pater vester.* Sed quoniam primo exemplar inspicitur, et post liber exemplatus scribitur; ideo primo videnda est misericordia exemplaris, scilicet Salvatoris nostri, et post lectio scribenda in cordium nostrorum tabulis.

Divisio.

Nota.

Para I. et membrum II. Quadruplex Dei misericordia.

I. Circa primum nota, quod Dominus miseretur nobis quadrupliciter: primo, sicut *medicus* miseretur infirmo; secundo, sicut *mater* filio; tertio, sicut *dominus* servo; quarto, sicut *magister* discipulo; sic Dominus se habet ad peccatores ut medicus, ad poenitentes ut mater, ad proficientes ut dominus, ad perfectos ut magister [9].

Miseretur primo ut medicus dupliciter.

Primo, dico, miseretur nobis Dominus, sicut miseretur *medicus* infirmo; Matthaei nono [10]: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.* Duobus autem modis miseretur medicus aegroto: primo, *visitando* eum per corporalem praesentiam; secundo, *curando* eum per artem suam et sapientiam. Simili modo Christus *visitavit* nos sicut medicus per corporalem praesentiam suam in primo adventu suo, scilicet quando carnem assumsit de Virgine Maria. Unde Augustinus [11]: « Magnus ad nos venit medicus, quia magnus ubique iacebat aegrotus »; et quanto maior apparebat morbus infirmi, tanto plus indigebamus auxilio tanti medici. Similiter quotidie visitat nos spiritualiter per gratiam suam, maxime quando per virtutem dominicae passionis distillatur super nos sangnis Christi in rubore et verecundia peccati commissi; hoc est quod dicitur Lucae primo [12]: *Per*

Visitando duplici modo.

---

[1] Vers. 31. seq.; deinde respicitur I. Ioan. 3, 17.

[2] Vers. 41. seqq.

[3] Vers. 13.

[4] Respicitur Luc. 16, 21. seq. — Pro *iussus est*, quod habet D, Vat. et alii codd. *visus est.*

[5] Hic sermo habetur in cod. Parisiensi bibliothecae Nationalis n. 14952. fol. 134 v. cum inscriptione: *Sermo Magistri bone aventure, Dominica quarta;* sed sine nomine auctoris etiam in cod. 14899. eiusdem biblioth. fol. 74. Bonaventurae tribuitur ab Hauréau, *Notices et extraits* etc., tom. IV. pag. 42 et tom. III. pag. 280 seq. Etiam in altero illo codice dicitur: *Dominica quarta post Pentecosten*, in qua secundum Missale recens textus ille non invenitur. Idem sermo habetur in cod. Tudertino n. 140. fol. 232 v. et iterum ibi fol. 438 r.; quoad divisionem et partem primam occurrit etiam in codd. Tudertinis n. 161. fol. 70 r. et n. 104. fol. 202 r. De eodem sermone agit etiam P. Fidelis a Fanna, *Ratio* etc., pag. 296.

[6] Luc. 6, 36. et Prothema est Ps. 118, 124.

[7] Ioel. 2, 13.

[8] Psalm. 144, 9; sequuntur II. Cor. 1, 3. et Iudith 9, 16.

[9] Haec propositio *sic Dominus* etc., sumta est ex primo cod. Tudertino.

[10] Vers. 12.

[11] Serm. 87. (alias 59. de Verbis Domini) c. 11. n. 13. et Serm. 175. (alias 9. de Verbis Apostoli) c. 4. n. 4.

[12] Vers. 78.

viscera misericordiae Dei nostri. Bernardus [1]: « Dominus, ait, cogitabat *cogitationes pacis,* et ego nesciebam, ac per hoc clavus penetrans carnem tuam factus est clavus reserans caelestis patriae ianuam, ut mihi paterent *viscera misericordiae* tuae, *in quibus visitasti nos* sicut *oriens ex alto* ». Ecce, quomodo Christus ut medicus visitavit nos primo per corporalem praesentiam suam. — Secundo *curat* nos Dominus per artem suam et sapientiam tanquam sapiens medicus. Et hoc plane habetur in quadam parabola illius vulnerati, qui *incidit in latrones, qui despoliaverunt eum et abierunt, semivivo relicto* [2]. Dicitur ibi, quod *Samaritanus quidam, videns eum* vulneratum, *misericordia motus est et appropinquans alligavit vulnera eius, infundens oleum et vinum, et imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum et curam eius egit. Samaritanus,* custos, est Christus, qui peccatorem spoliatum Dei gratia et vulneratum mortali culpa sic curat: primo *alligat eius vulnera. Alligatio vulnerum* est refrenatio quinque corporis sensuum; *infusio vini* est mordax reprehensio peccati; *infusio olei* est dulcedo spei et misericordiae Dei. Tunc *ponitur in iumentum,* quando adiutus orationibus virorum bonorum meretur fieri particeps meritorum eorum; et *in stabulum ducitur,* scilicet quando in secreto conscientiae suae foetorem et immunditiam peccatorum suorum perscrutando detestatur; et sic *unguentum* veniae infirmo datur, unde curatur.

Item, curando.

Secundo miseretur Dominus nobis peccatoribus de peccatis nostris poenitentibus, sicut *mater* miseretur filio proprio suo; Isaiae quadragesimo nono [3]: *Sicut mater consolatur filium suum* etc.; et alibi: *Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.* Duobus modis miseretur mater filio suo, quia *procurat* ei necessitatem suam et patienter *sustinet* imbecillitatem suam. Sic Deus nobis necessaria *providet;* ipse est, *qui dat escam omni carni* [4], qui *aperit manum* et replet *omnia* sua *bonitate.* Dat in tanta abundantia, que tout va au-dessus. — Item, patienter *sustinet* infirmitatem nostram. Et hoc planum est de filio prodigo [5] revertente ad patrem suum; ubi legitur, quod *pater eius misericordia motus est et accurrens cecidit super collum eius et osculatus est eum.* Potuisset pater eius obiicere suorum bonorum dilapidationem, fornicationem suam et immunditiam, et tamen loco horum ostendit ei piam animi compassionem. Nota, quod mater, videns flentem puerum, abstergit de manu lacrymas eius et aliquando pro offensa patris flet cum puero. Ita Deus absterget lacrymas Sanctorum suorum; et commota sunt viscera misericordiae, quando peccator revertitur ad eum per poenitentiam.

Secundo, ut mater dupliciter.

Providendo.

Sustinendo.

Tertio miseretur nobis Dominus sicut *dominus* servo suo; Deuteronomii trigesimo secundo [6]: *Iudicabit Dominus populum suum et in servis suis miserebitur.* Duobus modis miseretur dominus servo suo: primo, quia delinquenti *corripiendo parcit;* secundo, quia *petenti* veniam reatum *dimittit.* Ita Deus aliquando electos suos misericorditer *flagellat* et reatum populi sui orationum instantia misericorditer *relaxat.* De primo habetur in fine secundi Regum [7]: Cum percuteret Angelus Dei populum Dei in Ierusalem, misericordia motus dixit Angelo: Cesset iam manus tua. Magnam gratiam facit Deus homini, quando purgat eum per aliqua flagella, ut per infirmitatem vel aliquam cordis tribulationem. Melius est a Domino in praesenti misericorditer flagellari quam in futuro aeternaliter a diabolo cruciari. Quod Dominus statim de peccatoribus non se vindicat, misericordia eius hoc facit; sed quod vindicabit se, divina erit iustitia. — De secundo, quomodo *relaxat* reatum populi orationum instantia, dicit Apostolus ad Hebraeos quarto [8]: *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiae eius, ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* — Dicit *cum fiducia,* quia cum fiducia *nihil haesitando* debet homo orare. Dicit *thronum gratiae,* quantum ad Virginem Mariam, quae, cum sit mater gratiae, mater misericordiae, nulli eam devote oranti potest misericordiam denegare. Bernardus: « Sileat misericordiam tuam, beata Virgo, si quis in necessitate sua te senserit defuisse ». Et ideo vere potest dici de ea quod de Filio [9]: *Qui clamaverit ad me, exaudiam eum, quia* benigna et miseratrix *sum.*

Corripiendo et parcendo.

Ad preces relaxando.

Quarto miseretur nobis Dominus sicut *magister* discipulo; Lucae decimo septimo [10]: *Clamabant leprosi ad Dominum Iesum: Praeceptor, miserere nostri.* Duobus modis miseretur magister discipulo, quia *illuminat* eius intellectum et *consolatur* eius affectum; ita Dominus suis, qui sunt de schola eius, aperit mirabiles visiones et infundit ineffabiles consolationes. De primo, Lucae primo [11]: *Suscepit Israel puerum suum;* in *susceptione* elevatio mentis ad superna, in *puero* pura conscientia; *Israel* vir videns interpretatur; et vir iustus, si vult se disponere ad contemplandum Deum, oportet, quod elevando se sursum habeat purum intellectum, et Dominus manifestabit tunc lucis suae radium. — De secundo dicitur secundae ad Corinthios primo [12]: *Benedictus Deus et*

Quarto, ut magister dupliciter.

Illuminando

Consolando.

---

[1] Serm. 61. in Cant. n. 4, multis hic omissis; in quo textu respiciuntur Ier. 29, 11. et Luc. 1, 78.

[2] Luc. 10, 30. seqq.

[3] Vers. 13, ubi Vulgata: *Quia consolatus est Dominus populum suum;* et dein sequitur v. 15.

[4] Psalm. 135, 25. et 103, 28. — Infra occurrit phrasis Gallicae linguae.

[5] Luc. 15, 11. seqq.

[6] Vers. 36.

[7] Cap. 24, 16.

[8] Vers. 16; dein respicitur Iac. 1, 6. — Sententia Bernardi est serm. 4. in Assumt. beatae Mariae Virg. n. 8.

[9] Exod. 22, 27.

[10] Vers. 13, ubi Vulgata: *Levaverunt vocem, dicentes* pro *Clamabant.*

[11] Vers. 54.

[12] Vers. 3; sequitur Isai. 49, 13, ubi Vulgata *Consolatus est* pro *Consolabitur.*

Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis; et Isaiae quadragesimo nono: *Consolabitur Dominus populum suum et pauperum suorum miserebitur. Pauperes* sunt de schola Christi, qui nihil habentes in terra, exspectant consolationem in caelesti patria; Lucae sexto [1]: *Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei.*

II. Visa misericordia Salvatoris, lectio scribenda est in cordibus [2] nostris. Debemus ergo et nos misereri ad invicem, sicut *medicus* infirmo corporaliter *visitando* et spiritualiter *curando*. De primo, Iob decimo nono [3], quomodo clamant pauperes infirmi: *Miseremini mei, miseremini mei;* et subditur: *quia manus Domini tetigit me.* Quando aliquis est in sanitate, est sicut equus impetuosus, qui non potest teneri sine freno; sed quando tangit eum Deus aliqua infirmitate, tunc vere miseretur, quando dat ei gratiam confitendi et poenitendi, et sic dignatur eum curare. — De secundo dicitur Ecclesiastici trigesimo sexto: — *Species mulieris exhilarat faciem viri sui et super omnem concupiscentiam hominis superducit desiderium. Si est lingua curationis, est et mitigationis et misericordiae;* Glossa: « Nulla delectatio corporalis potest comparari illi delectationi », qua Christus delectatur, quando infirmos visitamus, si adsit lingua misericordiae in compassione cordis et mitigationis in dulciloquio oris et curationis in exhortatione [4] boni operis. Tales audient a Domino [5]: *Infirmus* fui, *et visitastis me;* ideo ponentur cum electis *a dextris.*

Secundo debemus misereri ad invicem sicut *mater* filio, et hoc dupliciter: primo, indigentibus necessaria *ministrando;* secundo, defectus eorum aequanimiter *tolerando.* De primo, Danielis quarto [6]: *Peccata tua eleemosynis redime et iniquitates tuas misericordiis pauperum; forsitan ignoscet Deus delictis tuis.* Bene congruum est, ut, si Dominus replet nostram indigentiam, quia nos similiter relevemus alienam. Qui enim indiget misericordia debet alii misereri. Pleni enim sumus omni miseria, et ideo indigemus misericordia. Nam si creaturae nobis subtraherent sua beneficia, non possemus vivere, ut si sol lumen et calorem, aqua humorem. Unde omnes creaturae reprehendunt homines immisericordes: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* [7]. — De secundo patet Iacobi secundo: *Misericordia superexaltat iudicium.* Defectus aliorum plus debemus caritative et misericorditer tolerare quam superbe et temere iudicare, quia « falsa iustitia habet dedignationem, vera compassionem [8] ».

Tertio debemus ad invicem compati ut *dominus* servo, et hoc dupliciter: *corrigendo* quantum ad *cautelam futurorum* et iniurias *remittendo* quantum ad *offensam praeteritorum.* De primo, Proverbiorum tertio [9]: *Misericordia et veritas te non deserant; circumda eas gutturi tuo et describe in tabulis cordis tui et invenies gratiam bonam coram Deo et hominibus.* — De secundo dicitur ad Ephesios quarto: *Estote invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis.*

Quarto debemus invicem misereri, sicut *magister* miseretur discipulo, et hoc dupliciter: *consulendo* et *orando.* Consulendo, ut fiant opera perfectionis; orando, ut sequatur effectus consolationis. De primo, Ecclesiastici decimo octavo [10]: *Qui misericordiam habet docet et erudit quasi pastor gregem suum.* Pius pastor agnos invalidos portat in sinum suum et validos simit abire. Sic homo misericors, maxime praelatus Ecclesiae, debet docere misericorditer subditos, ut sic acquirat fructum animarum et in futuro recipiat a Deo centuplum. — De secundo dicit Petrus [11]: *Omnes unanimes* in oratione estote *compatientes, fraternitatis amatores, misericordes* [12] etc. Si sic in praesenti misericordiam proximis exhibemus, in futuro Deum misericordem inveniemus. Quod nobis etc.

ars II. et
ombrum l.
andreplex
stra rolse-
icordia.
mo, mise-
amur ut
dicos do-
pliciter.
visitando.

Curando.

ondo, ut
er dupli-
r.
distrando.

Tolerando.

Tertio, ut dominus dupliciter.

Corrigendo.

Remittendo.

Quarto, ut magister dupliciter.

Consulendo.

Orando.

SERMO DE TRINITATE [13].

Tres sunt, qui testimonium dant in caelo: Pater, Verbum et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra: spiritus, aqua et sanguis, primae Ioannis quinto [14].

In his verbis declaratur nobis Trinitas beata quantum ad duo testimonia: et primo, quantum ad *testimonia sursum agentia,* per quae nobis manifestatur veraciter, cum dicitur: *Tres sunt, qui*

Divisio.

[1] Vers. 20.

[2] Cod. Tudertinus legit: *Habito exemplari nostro, scribenda est lectio pietatis in cordibus* etc.

[3] Vers. 21; sequitur Eccli. 36, 24. seq. — Glossa est *ordinaria.*

[4] Fortasse legendum est *exsecutione.*

[5] Matth. 25, 43. et 34. [6] Vers. 24.

[7] Matth. 5, 7; dein sequitur Iac. 2, 13.

[8] Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 34. n. 2.

[9] Vers. 3. seq.; sequitur Eph. 4, 32.

[10] Vers. 13. [11] Epist. I. c. 3, 8.

[12] Cod. Tudertinus pergit: *Et sic patet misericordia exemplaris et exemplata. Quam nobis concedat* etc.

[13] Hic sermo sumtus est ex cod. Florentino (bibl. Nationalis) U fol. 29 r.; Bonaventurae tribuitur in cod. Parisiensi B, qui fol. 53 v. exhibet tantum principium et divisionem eiusdem in apographo cum nota, quae dicit, sermonem implere 8 paginas. De eodem textu alius sermo egregius habetur tom. V. pag. 535-538, qui hinc inde easdem sententias habet, sed plurimum convenit cum quaestione disputata: *Utrum, Deum esse trinum, sit veritas credibilis,* praesertim in conclusione (de Mysterio Trinitatis, tom. V. pag. 54 seqq.). Quoad plurimas sententias convenit etiam collat. 9. in Hexaëm. fere tota et litinerar. mentis etc. c. 2. 3. Immo ex his et aliis Bonaventurae locis pene totus sermo comprobari potest ut Bonaventurianus.

[14] Vers. 7. seq.

testimonium dant in caelo etc.; secundo, quantum ad *testimonia deorsum firmantia*, per quae manifestatur nobis utiliter, ibi: *Et tres sunt, qui testimonium dant in terra* etc. Et per prima testimonia innotescit nobis tanquam in *speculatione veritatis;* per secunda vero, tanquam in *exercitatione virtutis.*

Trinitas est principium triplex. — Est autem haec Trinitas beata principium effectivum, exemplativum et terminativum omnium sive completivum, iuxta illud ad Romanos undecimo [1]: *Ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia.* Et est summe *unum*, et ideo infinitum potentia, quia « omnis virtus unita plus est infinita, secundum philosophum [2], quam virtus multiplicata »; et summe *verum*, et ideo clarissimum sapientia; summe *bonum*, et ideo completissimum finalitate, quia « bonum et finis idem sunt », ut dicit Philosophus [3]. — Et secundum hoc habentur duodecim appropriata tanquam duodecim fundamenta, super quae fundatur tota caelestis Ierusalem, ut dicitur Apocalypsis vigesimo primo [4], quod civitas illa habet *duodecim fundamenta* secundum quadruplicem ternarium. Primus est unitas, aequalitas et connexio vel concordia; unde in libro de Regulis theologicis [5]: « In Patre unitas, in Filio aequalitas, in Spiritu sancto unitatis aequalitatisque connexio » sive concordia. Patri attribuitur unitas, quia « omnis multiplicatio est ab unitate », sicut dicit Augustinus [6]; sic a Patre sunt omnia. Aequalitas attribuitur Filio, quia, cum ordine naturae prior sit origo Filii a Patre quam productiones aliae, et Filius producatur de Patre, oportuit, quod aequalem sibi gigneret Filium; « omnis autem inaequalitas per aequalitatem cognoscitur », ut dicit Boethius libro secundo Arithmeticae [7]. In Spiritu vero sancto est connexio unitatis et aequalitatis, quia est amor Patris et Filii, nexus scilicet amborum. — Secundus est potentia, sapientia et bonitas; et potentia Patri, sapientia Filio, bonitas Spiritui sancto attribuuntur. — Tertius est maiestas, sanctitas et largitas; maiestas Patri, largitas Filio, sanctitas Spiritui sancto. — Quartus est aeternitas, formositas et iucunditas; aeternitas Patri, a quo omnia, sicut ab aeternitate descendunt aevum et tempus et aeviterna et temporalia.

Hinc 12 appropriata secundum ternarium quadruplicem. Ternarius primus. Secundus. Tertius. Quartus.

I. Haec beata Trinitas se manifestat quadrupliciter in caelo secundum diversas *caeli* acceptiones, scilicet sicut in *vestigio*, sicut in *imagine*, sicut in *signaculo*, sicut in *propria specie*. Et secundum hoc *caelum* habet duodecim acceptiones. Dicitur enim caelum *natura luminosa*, *tota mundialis machina*, *formalis speciositas;* et in his tribus relucet beata Trinitas sicut in *vestigio*. — Dicitur etiam caelum *vis cognoscitiva*, *mens praeventa gratia* et *militans Ecclesia;* et in his cognoscitur sicut in *imagine*. — Dicitur etiam caelum *sacra Scriptura*, *hierarchia angelica*, *humana natura assumta;* et in his apparet sicut in *signaculo*. — Dicitur etiam caelum *aeterna Sapientia*, *originans omnium causa* et *tota Trinitas ipsa;* et in his apparet sicut in *propria specie*.

Pars I. Manifestatio quadruplex. Duodecim acceptiones caeli.

Videamus igitur primo de repraesentatione beatae Trinitatis in caelo tanquam in *vestigio* [8]. Hoc enim fit tripliciter: et primo dat testimonium in caelo, secundum quod est *natura luminosa*, iuxta illud Genesis decimo quinto [9]: *Suspice caelum et numera stellas, si potes.* Vult Dominus, quod fidelis suus aspiciat caelum, ut videat in eo refulgentiam Creatoris, scilicet beatae Trinitatis, et hoc quantum ad tria, scilicet *consistentiam*, *influentiam* et *efficaciam*. Consistentia Patri attestatur, influentia Filio et efficacia Spiritui sancto, et tamen in unoquoque beata Trinitas designatur. Nam in *consistentia* est tria reperire, scilicet *magnitudinem* quantum ad Patrem, *pulcritudinem* quantum ad Filium et *copiae diffusionem* quantum ad Spiritum sanctum. Nam magnitudo caeli potentiae Patris attestatur; Sapientiae decimo tertio [10]: *A magnitudine speciei et creaturae cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Pulcritudo eius attestatur sapientiae Filii; Ecclesiastici quadragesimo tertio: *Altitudinis firmamentum pulcritudo eius est, species caeli in visione gloriae.* Copia diffusionis, bonitati Spiritus sancti, qui diffundit abundantiam charismatum gratiarum. — In *influentia* est similiter tria considerare, scilicet *lucem*, a qua est *splendor*, et *calor*, qui est per diffusionem a splendore et luce; et sic in luce Pater, in splendore Filius a Patre genitus et in calore Spiritus sanctus ab utrisque procedens intelligitur. — In *efficacia* similiter in terrae nascentibus est tria considerare, scilicet *ortum*, *venustatem* et *fructum;* et quidem quod oritur attribuitur Patri; quod venustatur, Filio; quod fructificat, Spiritui sancto.

Repraesentatio in vestigio triplex. Prima fit quasi tria appropriata. Iterum, quasi consistentiam. Quasi influentiam. Quasi efficaciam.

Secundo dat testimonium in caelo, secundum quod caelum dicitur *tota mundialis machina*, ut Ecclesiastici vigesimo quarto [11]: *Gyrum caeli circuivi sola.* Hoc non dicitur, quia solum contineat caelestem illam

Secunda fit quasi tria appropriata

---

[1] Vers. 36.

[2] Scilicet auctorem libri de Causis, propos. 16.

[3] Libr. I. Rhetor. c. *de Bono et utili* (c. 6.), I. Ethic. c. 1. et V. Metaph. text. 3. (IV. c. 2.).

[4] Vers. 14. Cfr. Bonav., I. Sent. d. 31. a. 2. q. 3. et tom. V. Collat. in Hexaëm. collat. 9. n. 8. — De plurimis appropriationibus, quibus abundat hic sermo, cfr. Bonav., I. Sent. d. 3. p. II. dub. 3. et praecipue tom. V. Collat. in Hexaëm. collat. 21. p. I, ubi 9 appropriationes.

[5] Scilicet Alani de Insulis, reg. 4. et est August., I. de Doctr. christ. c. 5. n. 5.

[6] Cfr. libr. imperf. de Gen. ad litt. c. 10. n. 32: « Vis ipsa formae commendatur nomine unitatis. Hoc est enim vere formari in unum aliquid redigi; quoniam summe unum est omnis formae principium »; Alanus ab Insulis, de Regul. theolog. reg. 1: « Unitas a multo descendit; omnis pluralitas ab unitate defluit »; et Boeth., I. Arithmeticae, c. 7.

[7] Cap. 1.

[8] De vestigiis Dei in creaturis cfr. Bonav., I. Sent. d. 3. p. I. q. 2. in fine.

[9] Vers. 5.

[10] Vers. 5; sequitur Eccli. 43, 1.

[11] Vers. 8.

naturam luminosam, quae sursum est, sed quia totam mundi machinam, quae intra caelum clauditur, continet, cum dicatur Ieremiae vigesimo tertio [1]: *Caelum et terram ego impleo.* In hoc similiter caelo dat beata Trinitas testimonium de se ipsa, se ipsam aliquo modo manifestando tanquam in *vestigio,* et hoc quantum ad tria, scilicet quantum ad *fieri,* quantum ad *esse,* quantum ad *operari;* et quidem *fieri* attribuitur Patri, *esse* Filio, *operari* vero Spiritui sancto, et in unoquoque horum relucet beata Trinitas. Nam in *fieri* est attendere tria, scilicet *creationem, distinctionem* et *adornationem* [2]; et quidem creatio, cum sit ab infinita potentia, cum sit de nihilo, attribuitur Patri; distinctio, quae est sapientiae, Filio; sed adornatio, quae est bonitatis, Spiritui sancto. — In *esse* vero est similiter tria considerare, scilicet *materiam, formam* et *compositum;* et quidem materia propter omnium formarum capacitatem, et quia ipsa a Philosopho [3] dicitur « ingenita », suo modo designat Patrem ut omnium causam, et qui a nullo; forma vero, per quam est omnis operatio, Filium; sed compositum propter sui connexionem cum materia et forma, Spiritum sanctum, qui est connexio utriusque, scilicet Patris et Filii. — In *operari* est similiter tria reperire, scilicet *substantiam, virtutem* et *operationem;* et quidem a substantia est virtus, et ab utraque est operatio, sicut a Patre Filius, ab utroque Spiritus sanctus.

Quoad fieri tria.

em, quoad esse.

em, quoad operari.

Tertio dat testimonium in caelo, secundum quod dicitur *formalis speciositas.* Quia enim caelum speciosum est prae aliis creatis corporibus, omne, quod speciosum est, *caelum* dicitur; Isaiae quadragesimo [4]: *Quis mensus est pugillo aquas et caelos palmo ponderavit? Quis appendit tribus digitis molem terrae?* — Per *aquas* intelligitur fluxibilitas materiae in se ipsa, sicut Genesis primo dicitur: *Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Has *mensus est pugillo* per superinductionem formarum eius fluxibilitatem terminantium, et dicitur eos *metiri pugillo* propter parvitatem ipsius respectu magnitudinis divinae, vel quia tota matrix terrae, in qua recollectae sunt aquae, non est comparatione immensitatis divinae nisi quidam pugillus. *Caelos* vero dicitur *palmo ponderare,* tum quia in locis suis stabiliti sunt, quod est *ponderari,* quia pondus est proprietas rei stabiliens eam in loco suo, tum quia extendit eos quantum ad nostrum aspectum ad modum tentorii, iuxta illud Psalmi [5]: *Extendens caelos sicut pellem.* Et in hoc notatur differentia mensurae aquarum et caelorum, quia aquae *pugillo,* sed caeli *palmo mensurantur.* Nam aquae intra viscera terrae videntur coarctari ad modum *pugilli,* sed caeli extendi videntur ad modum *palmi,* quia *pugillus* est manus coarctatae, *palmus* vero est manus extensae. *Tribus* vero *digitis* dicitur *appendere molem terrae;* hi tres digiti diversimode accipiuntur: aut secundum illa tria, quae ponuntur Sapientiae undecimo [6]: *Omnia in mensura et numero et pondere disposuisti;* et quidem *mensura* respicit Patrem, ut a quo creatura deficit propter Creatoris immensitatem. Impossibile enim est, aliquid esse immensum, quod habet *esse* post *non esse;* et ideo nulla creatura est immensa secundum durationem, sed mensurata. *Numerus* vero respicit Filium propter eius sapientiam omnia distinguentem et cognoscentem. Nam, ut dicitur in Psalmo, ipse *numerat multitudinem stellarum,* quia omnium distinctivam habet cognitionem; nam numero unaquaeque res ab alia distinguitur. *Pondus* vero respicit Spiritum sanctum propter sui bonitatem omnia terminantem, sicut pondere unumquodque suo loco constabilitur et terminatur. — Et istis tribus respondent alia tria, quae ponit Augustinus in libro de Natura boni [7], scilicet « modus, species et ordo », ita quod *modus* mensurae, *species* numero, sed *ordo* ponderi attribuuntur; et ita modus Patrem, species Filium et ordo Spiritum sanctum repraesentant. — Vel isti *tres digiti* sunt unitas, veritas et bonitas [8], ita quod unitas Patri, veritas Filio, bonitas Spiritui sancto attribuuntur. — Et distinguuntur istae tres appropriationes digitorum, quia illa libri Sapientiae est rerum secundum *fieri,* sed illa Augustini est rerum secundum *esse,* tertia vero est rerum, secundum quod veniunt in *usum.* — Vel moraliter loquendo, *tres digiti* Dei, quibus *molem* nostrae terrenitatis sursum *appendit* ad caelum, sunt tres actus hierarchici, quos operatur in anima, scilicet purgare, illuminare et perficere, et quidem *purgat* fide; Actuum decimo quinto [9]: *Fide purificans corda eorum; illuminat* contemplatione, sed *perficit* amoris unitione.

Appropriatio prima.

Secunda.

Tertia.

Harum distinctio.

Moraliter.

Caelum ergo, in quo dat testimonium beata Trinitas de se ipsa, se ipsam in eo repraesentando per modum *vestigii,* quidam differenter aspiciunt. Nam quidam delectantur in pulcritudine, qui tamen nihil intelligunt; quidam vero delectantur in intelligentia eorum quae legunt, sed ad mores vivendi non referunt; et quidam delectantur, quia quod legunt ad salutem animae referunt. Sic quidam delectantur in pulcritudine caeli et creaturarum, sed vim earum ignorant, ut pagani stolidi; quidam vero delectantur in intelligentia virtutis caelorum et stellarum, sed Creatorem in tali intelligentia non venerantur, sed sistunt in sua cognitione, ut philosophi; quidam vero contemplantur caelum, ut ibi veneretur beatam Trinitatem, iuxta illud Psalmi [10]: *Quoniam videbo caelos tuos, opera digitorum tuorum,* et sic inventur caelum veri Christiani.

Tria hominum genera.

---

[1] Vers. 24.
[2] Cfr. tom. V. Collat. in Hexaëm. collat. 9. n. 3.
[3] Libr. I. Phys. text. 82. (c. 9.).
[4] Vers. 12; sequitur Gen. 1, 2.
[5] Psalm. 103, 2.
[6] Vers. 21; sequitur Ps. 146, 4.
[7] Cap. 3.
[8] Cfr. tom. V. Collat. in Hexaëm. collat. 9. n. 3.
[9] Vers. 9.
[10] Psalm. 8, 4.

Secundo, repraesentatio in caelo et in imagine triplex.

Videamus secundo de repraesentatione beatae Trinitatis in caelo tanquam in *imagine* [1], et hoc tripliciter: et primo, quod caelum dicitur *vis cognoscitiva;* Ecclesiastici vigesimo quarto [2]: *Ego feci in caelis, ut oriretur lumen indeficiens;* et hoc quantum ad tria, scilicet *potentias, habitus* et *actus.* Et quidem quantum ad *potentias* attenditur (imago) Trinitatis in memoria, intelligentia et voluntate; unde super illud Ecclesiastici decimo septimo: *Secundum imaginem suam fecit illum;* dicit Glossa: « Sicut ex Patre Filius, et ex utroque Spiritus sanctus, sic ex memoria intelligentia et ex utraque voluntas ». — Quantum ad *habitus* repraesentatur in triplici habitu, scilicet naturali, intellectuali et morali; et naturalis, qui est originans et fundans alios, attestatur Patri, intellectualis Filio, sed moralis Spiritui sancto. — Quantum ad *actus* vero est similiter tripliciter considerare, scilicet quantum ad mentem, notitiam et amorem, sive secundum quod meminit, noscit sive intelligit et amat.

De caelo ut vi cognoscitiva appropriatio triplex, tripliciter.

Secundo dat testimonium in caelo, secundum quod dicitur *anima gratia praeventa;* de quo dicitur in Psalmo [3]: *Dominus in caelo sedes eius;* nam, ut dicit Augustinus, « anima iusti sedes Dei est », et hoc quantum ad triplicem gratiam, scilicet *sacramentalem, virtualem* et *universalem. Sacramentalis* autem triplex est, in qua dat triplex testimonium, scilicet baptismalis, poenitentialis et finalis. Et quidem baptismalis attribuitur Patri tanquam Creatori sive initiatori; poenitentialis, Filio tanquam reparatori; finalis, Spiritui sancto ut consummatori. — *Virtualis* gratia similiter triplex est, scilicet stabiliens in fide, sursum agens in spe, coniungens vel se diffundens in caritate; et sic prima competit Patri, secunda Filio, tertia Spiritui sancto. — *Universalis* similiter triplex est, scilicet corroborans in virtutibus, quae potentias corroborant ad eliciendos actus virtuosos et meritorios; et expediens in donis, quae expediunt potentias; et consummans in beatitudinibus, quae reddunt animam consummatam in gratia; et prima Patri, secunda Filio, tertia Spiritui sancto respondet.

Similia de caelo, ut anima gratificata.

Tertio dat testimonium in caelo, quod est sponsa Christi, *militans Ecclesia;* de quo Apocalypsis duodecimo [4]: *Factum est proelium magnum in caelo; Michael et Angeli eius proeliabantur cum dracone, et draco pugnabat et angeli eius.* Illud enim *proelium factum,* non in caelo Sanctorum, quia illuc nunquam ascendit, postquam inde deiectus est, sed in praesenti Ecclesia multa concitat proelia. In quo caelo dat testimonium quantum ad tria, scilicet *ducatum, statum* et *vivendi modum. Ducatus* triplex est: *patriarchalis* scilicet, *prophetalis* et *apostolicus* [5]. Primus attribuitur Patri potestativo; secundus, Filio veridico; tertius, Spiritui sancto sanctificativo. Et quidem prophetalis est ex patriarchali, et apostolicus ex utroque, sicut ex Patre Filius, et ex utroque Spiritus sanctus. — *Status* est triplex, scilicet *laicalis,* qui deservit generationi et attribuitur Patri Creatori; *clericalis,* qui deservit generationi spirituali, quae fit per Sacramenta ecclesiastica et attribuitur Filio; tertius *monasticus,* qui attribuitur [6] Spiritui sancto sanctificatori. — *Modus* similiter *vivendi* triplex est, scilicet *praesidentium* in praelatis, qui attribuuntur Patri; *laborantium* in activis, qui attribuuntur Filio incarnato, qui multum laboravit pro salute nostra, sicut activi pro salute proximi; et *contemplantium* in contemplativis, qui attribuuntur Spiritui sancto.

Similiter de caelo, ut Ecclesia militante.

Tertio, repraesentatio in caelo et in signaculo triplex. Primo, in Scriptura tripliciter.

Videamus tertio de repraesentatione beatae Trinitatis in caelo tanquam in *signaculo,* et hoc tripliciter: primo, in caelo, quod est *sacra Scriptura;* de quo Apocalypsis quarto [7]: *Vidi, et ecce, ostium apertum in caelo.* — *Apertio ostii* est testatio sacrae Scripturae, in qua dat triplex testimonium beata Trinitas secundum triplicem legem, scilicet naturae, figurae et gratiae; et secundum intelligentiam, scilicet auctoritatis in Patriarchis, veritatis in Prophetis et sanctitatis in Apostolis; et secundum triplicem expositionem, scilicet litteralem, allegoricam et tropologicam.

Secundo, hierarchia angelica tripliciter.

Secundo dat testimonium beata Trinitas in *hierarchia angelica,* quae dicitur *caelum* secundum triplicem eius dispositionem; secundae ad Corinthios duodecimo [8]: *Raptus est usque ad tertium caelum et audivit arcana verba, quae non licet homini loqui.* Et in hoc caelo dat testimonium tripliciter, scilicet secundum triplicem hierarchiam et triplicem ordinem et triplicem dispositionem vel actum. Nam triplex est hierarchia [9], scilicet suprema, media et infima, et in unaquaque est triplex ordo et triplex dispositio, secundum quam est triplex influentia, scilicet superioris in mediam, mediae in inferiorem et inferioris in Ecclesiam, secundum triplicem actum purgandi, illuminandi et perficiendi. *Purgare* attribuitur Patri, *illuminare* Filio, sed *perficere* Spiritui sancto. Et hoc patet in superiori hierarchia, in qua est potestas iudiciaria in Thronis, quae attestatur Patri; plenitudo scientiae in *Cherubim,* quae attestatur Filio; ardor amoris in *Seraphim,* qui attestatur Spiritui sancto.

Tertio, in natura assumta tripliciter.

Tertio dat testimonium in caelo beata Trinitas, quod est *humana natura* a Verbo assumta [10]; de

---

[1] De ratione imaginis cfr. Bonav., I. Sent. d. 3. a. 1. q. 1. 2. et a. 2.

[2] Vers. 6; sequitur Eccli. 17, 1. — Glossa citata est *ordinaria.*

[3] Psalm. 10, 5. — Sequitur August., Serm. 200. (alias 30. de Tempore) c. 10. n. 2; cfr. Enarrat. in Ps. 46. n. 10; in Ps. 92. n. 6. et in Ps. 98. n. 3; ac tom. V. Collat. in Hexaëm. collat. 23. n. 2.

[4] Vers. 7.

[5] Cfr. tom. V. Collat. in Hexaëm. collat. 22. n. 5.

[6] Verba *Filio; tertius* etc., quae exciderunt, supplevimus breviter ex Collat. in Hexaëm. collat. 22. n. 17.

[7] Vers. 1.

[8] Vers. 2. et 4.

[9] Cfr. Dionys., de Caelesti Hierarch. c. 6. § 2.

[10] Cfr. tom. V. pag. 535, n. 3, ubi illa anima vocatur *caelum medium.*

quo caelo Psalmus [1]: *Ianuas caeli aperuit et pluit illis manna ad manducandum.* In hoc caelo dat triplex testimonium, quia in Christo est triplex *natura*, triplex *auctoritas* et triplex *gratia*. *Natura* triplex est: corporalis, intellectualis et divina, scilicet corpus et anima et Divinitas. — Triplex *auctoritas* est: regalis, pontificalis et prophetalis; et regalis attestatur Patri; pontificalis, Filio; prophetalis, Spiritui sancto. — Triplex est etiam in eo *gratia*, scilicet capitis, singularis hominis et unionis [2], et gratia capitis attestatur Patri; singularis hominis, Filio; unionis, Spiritui sancto.

Quario, representatio in caelo ut in propria specie triplicitur. Prima, ut est Sapientia aeterna triplicitur.

Videamus quarto de testimonio, quod dat beata Trinitas in caelo tanquam in *propria specie* in se ipsa secundum triplicem considerationem, quia ibi est *aeterna Sapientia*, *origo causans omnia* et *Trinitas ipsa*. Et quidem *aeterna Sapientia* est clara, placida et iucunda et est caelum, iuxta illud Ecclesiastici quadragesimo tertio [3]: *Species caeli, gloria stellarum, mundum illuminans in excelsis Dominus.* In cuius claritate est considerare tria, scilicet veritatis conceptionem, elocutionem et auditionem, ita quod veritatis conceptio attribuitur Patri; elocutio, Filio; auditio, Spiritui sancto. Nam de Patre dicitur ad Hebraeos primo: *Locutus est nobis in Filio;* Ecclesiastici vigesimo quarto de Filio: *Ego ex ore Altissimi prodivi;* et Proverbiorum octavo: *Nondum erant abyssi, et ego iam concepta eram;* de Spiritu sancto, Ioannis decimo sexto: *Quaecumque audiet, loquetur.* — Est etiam ibi triplex *amor placidus*, scilicet *gratuitus* et *debitus* et ex utroque *permixtus* [4]. Et quidem gratuitus est in Patre respectu Filii et Spiritus sancti, qui sunt ab ipso, et ipse ab ipsis nihil accipit; debitus est in Spiritu sancto respectu Patris et Filii, quia procedit ab utroque; ex utroque permixtus est in Filio; nam amor Filii ad Patrem debitus est, sed ad Spiritum est gratuitus, quia Filius nihil accipit a Spiritu sancto. — Iucundus autem est iste amor, quia ibi est diligens Pater, dilectus Filius, condilectus Spiritus sanctus.

Secundo, ut est origo causans omnia et ipsa Trinitas.

Secundo dat testimonium beata Trinitas in caelo, quod est *origo causans omnia;* Ioannis tertio [5]: *Qui desursum venit super omnes est.* Nam effectus potissimus, descendens ab origine causante omnia, fuit incarnatio Christi; et in hoc caelo dat testimonium beata Trinitas secundum triplicem considerationem, quia est fontalissima, sublimissima, diffusissima vel perfectissima.

Pars II. De testimoniis deorsum firmantibus.

II. Videamus secundo de testimoniis Trinitatis, quae dat in terra, et sunt ista testimonia *deorsum firmantia* in *exercitatione virtutis* et dat ista testimonia in terra, id est in humana natura; de qua Isaiae sexagesimo sexto [6]: *Caelum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum;* ubi ostendit Dominus suam excellentiam in hoc, quod praesidet et subiicit suis legibus caelestem illam et angelicam naturam; ostendit etiam suam dignitatem per hoc, quod condescendit ad terram nostrae infirmitatis, in qua stat sicut in *scabello pedum,* (et) per hoc, quod etiam ipsam suis legibus subiicit et divinae naturae in Christo univit, iuxta illud Iacobi ultimo: *Caelum dedit pluviam, et terra dedit fructum suum.* In hac *terra* dat beata Trinitas testimonium per tria, scilicet *fluminis, flaminis, sanguinis*, per baptismum [7], qui intelligitur per aquam, spiritum et sanguinem, cum dicitur: *Tres sunt, qui testimonium dant in terra: Spiritus, aqua et sanguis.* Et quidem baptismus *fluminis* ostendit potentiam Patris; *flaminis* vero, sanctitatem Spiritus sancti; sed *sanguinis*, passionem Filii crucifixi. Et in his tribus est animae fideli *exercitatio virtutis* primo, per baptismum fluminis; secundo, per baptismum flaminis; tertio, per baptismum sanguinis. Et sicut in beata Trinitate persona Patris non separatur a Filio nec a Spiritu sancto, nec persona Filii a Patre et Spiritu sancto, nec persona Spiritus sancti a Patre et Filio; sic nec baptismus sanguinis et flaminis a baptismo fluminis, nec a baptismo flaminis separatur baptismus fluminis et sanguinis, nec a baptismo sanguinis baptismus fluminis et flaminis. — In baptismo ergo *fluminis* tria operantur, scilicet aqua et Spiritus sanctus et sanguis Christi; Ioannis tertio [8]: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Nam, ut dicit Isidorus [9], « Sacramentum est, in quo sub tegumento rerum visibilium divina virtus salutem secretius operatur ». Sanguis etiam Christi ibi operatur; unde de eius latere *exivit sanguis et aqua,* Ioannis decimo nono [10]; ubi dicit Augustinus, quod « sicut de latere Adae dormientis formata est Eva, sic de latere Christi dormientis fluxerunt Sacramenta, unde formata est Ecclesia ». — In baptismo ergo sunt tria, scilicet *sanctificativum, significativum* et *regenerativum.* Nam regenerat ex se; ad Titum tertio [11]: *Per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti;* significat ex aqua, sanctificat ex Spiritus sancti gratia.

Triplex testimonium cum variis appropriationibus.

Primo, de baptismate fluminis.

Tria in baptismo.

Ratio autem plena *significandi* in tribus consistit, ideo in baptismo est aliquid *significans* tantum, scilicet aqua, quae attestatur Patri; et *significatum* tantum, scilicet Spiritus sanctus sive gratia Spiritus

De ratione significandi.

---

[1] Psalm. 77, 23. seq.

[2] Cfr. Bonav., III. Sent. d. 13. per totam.

[3] Vers. 10; sequuntur Hebr. 1, 2; Eccli. 24, 5; Prov. 8, 24. et Ioan. 16, 13.

[4] Cfr. Bonav., I. Sent. d. 2. q. 4. in corp. ac d. 10. a. 1. q. 3; et de diligente, dilecto et condilecto, tom. V. Itinerar. mentis in Deum, c. 6. n. 2.

[5] Vers. 31. [6] Vers. 1; sequitur Iac. 5, 18.

[7] Cfr. Bonav., IV. Sent. d. 4. p. II. q. 1-3.

[8] Vers. 5.

[9] Libr. VI. Etymolog. c. 19. n. 40, qui textus sumtus est ex Gregor., in I. Reg. 16, 13.

[10] Vers. 34. — Sententia August. est Enarrat. in Ps. 138. n. 2; cfr. tom. I. pag. 2, nota 19. et tom. IV. pag. 2, nota 12. ac supra pag. 247, nota 7.

[11] Vers. 5.

sancti, quae attestatur Spiritui sancto; et *significans* et *significatum*, scilicet sanguis, qui attestatur Filio,

De ratione sanctificandi. qui est significans et significatus. — Ratio similiter *sanctificandi* plena in tribus consistit; est enim ibi aliquid, quod est *sanctificans* tantum, scilicet Spiritus sanctus; aliquid *sanctificatum* tantum, scilicet aqua; et aliquid, quod est *sanctificans* et *sanctificatum*, scilicet sanguis. — Ratio similiter *regenerandi* tria continet, quia ibi est aliquid *duns* tantum, scilicet Spiritus sanctus; et aliquid *recipiens* tantum, scilicet aqua; et aliquid *dans et accipiens*, scilicet sanguis. Sic in Trinitate dans tantum est Pater, accipiens tantum est Spiritus sanctus, sed dans et accipiens est Filius.

De ratione regenerandi.

Baptizatus vero humilians se sub his tribus,

De baptizato. scilicet aqua, Spiritu et sanguine, meretur a peccato purgari et fieri dignus intrare in regnum Dei. Et quia baptismus aquae est mysterium Trinitatis, ideo datur in nomine Trinitatis; Matthaei ultimo [1]: *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Et in baptismo Christi tota Trinitas apparuit, Matthaei tertio: Pater in voce, Filius in baptizato, Spiritus sanctus in columba.

Similiter in baptismo *flaminis* tria sunt, scili-

Item, tria in baptismo flaminis. cet *Spiritus, aqua* et *sanguis*, quia omnis exercitatio virtutis aut fit per modum *vigoris*, aut *nitoris*, aut *amoris* [2]: vigoris stabilientis, nitoris splendentis et amoris concordantis. Et quidem sanguis pertinet ad vigorem, aqua ad nitorem, Spiritus ad amorem. Vigor attestatur Patri, nitor Filio, amor Spiritui sancto.

Est autem *spiritus* triplex. Primus est *rectus*,

Spiritus triplex. qui dat *nosse*; nam spiritus rectus est, qui recte facit diiudicare, qui non sinit exorbitare sive errare; Psalmus [3]: *Spiritum rectum innova in visceribus meis.* — Secundus est spiritus *sanctus*, qui facit *velle*, et in voluntate est sanctificatio nostra; de quo Psalmus: *Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.* — Tertius est spiritus *principalis*, qui facit *perseverare* sive impermutabiliter operari; de quo Psalmus: *Spiritu principali confirma me.* Et ista tria sunt ad virtutem necessaria, ut dicit Philosophus [4], scilicet « scire, velle et impermutabiliter operari »; et ideo in uno Psalmo petit Propheta, istum triplicem Spiritum sibi dari. Et quidem spiritus principalis attestatur Patri; spiritus rectus, Filio; sed spiritus sanctus, Spiritui sancto. Iste ergo triplex Spiritus rectificat in iudicio, ne erremus; confirmat in facto, ne deficiamus; sanctificat in desiderio, ne inficiamur.

Aqua triplex. Est etiam triplex *aqua*. Prima est *compunctionis* de propriis peccatis; Ezechielis trigesimo sexto [5]: *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris;* Psalmus: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* — Secunda est *compassionis* de alienis malis, et maxime de passione Christi; Ieremiae nono: *Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrymarum? Et plorabo die ac nocte interfectos filiae populi mei;* Iob trigesimo [6]: *Flebam quondam super eo qui afflictus erat, et compatiebatur unima mea pauperi.* — Tertia est *devotionis;* Threnorum secundo: *Consurge, laudu in nocte in principio vigiliarum, effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini;* Isaiae duodecimo: *Hauritis aquus in gaudio de fontibus Salvatoris.* Et quidem aqua compunctionis attestatur Patri, compassionis Filio, devotionis Spiritui sancto.

Similiter est triplex *sanguis*. Primus est *redemptoris;* ad Colossenses primo [7]: *Pacificans per sanguinem crucis eius sive quae in terris, sive quae in caelis sunt.* — Secundus est *refectoris;* Ioannis sexto: *Sanguis meus vere est potus.* — Tertius *animatoris* sive procuratoris; primi Machabaeorum sexto: *Et elephantis ostenderunt sanguinem uvae et mori ad acuendos eos in proelium.* Primus attestatur Filio, secundus Spiritui sancto, tertius Patri.

Sanguis triplex.

Similiter in baptismo *sanguinis* sunt tria, scili-

Item, tria baptismo sanguinis. cet Spiritus, aqua et sanguis; sed Spiritus est triplex, scilicet *veritatis, honestatis* et *ultimatae* et *consummatae passionis*. Sed veritas est triplex, scilicet vitae, iustitiae et doctrinae. — Honestas triplex, scilicet in affectionibus, in sermonibus et in operationibus. — In consummata passione sunt tria, scilicet confidentia, patientia et perseverantia. — Et haec

Notandum. omnia beatae Trinitati attestantur, sicut patet recte intelligenti. Ista sunt testimonia, de quibus Psalmus [8]: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.*

Et nota, quod non tantum sunt credibilia fideli,

De credibilitate fidei i stimonio septem. sed etiam infideli propter evidentem probationem septemplicem [9] aliorum testimoniorum, quae christianam fidem et beatam Trinitatem testificantur. Quorum pri-

Primum. mum est infallibilitas *oraculorum*, quae facta sunt Prophetis et sanctis viris, quibus Deus multa infalliliter revelavit, et sicut praedixerunt, ita evenerunt; secundae Petri primo [10]: *Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* — Secundum est

Secundum virtuositas *miraculorum*, quae claruit etiam apud infideles, ut quod mare rubrum divisum est, quod Aegyptus plagis variis flagellata, quod sol stetit, quod sol retrocessit, et miracula Iesu Christi, unde etiam Mahometus dicit [11], quod miracula facere datum est Iesu, Filio Mariae. Talia non sunt inter infideles ad

---

[1] Cap. 28, 19; dein c. 3, 16. seq.
[2] Cfr. tom. V. Collat. in Hexaëm. collat. 21. n. 2.
[3] Psalm. 50, 12. et dein v. 13. ac 14.
[4] Libr. II. Ethic. c. 4; cfr. tom. II. pag. 924, nota 12.
[5] Vers. 25; sequuntur Ps. 118, 136. et Ier. 9, 1.
[6] Vers. 25; sequuntur Thren. 2, 19. et Isai. 12, 3.
[7] Vers. 20; sequuntur Ioan. 6, 56. et I. Mach. 6, 34.
[8] Psalm. 92, 5.
[9] Cfr. tom. V. Collat. in Hexaëm. collat. 9. p. II. per totam.
[10] Vers. 21; dein respiciuntur Exod. 14, 21. seqq.; c. 7. seqq.; Ios. 10, 13. et Isai. 38, 8.
[11] Cfr. Alcoranus, Azoara 5.

probationem errorum ipsorum; Marci ultimo [1]: *Illi autem profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis.* — Tertium est triumphalitas *martyriorum.* In hoc enim est triumphus Martyris fidei, quia, cum unus occidebatur, multi fideles consurgebant ad fidem. Unde ubi fides Ecclesiae habuit impugnatores, ibi maxime crevit, ut Romae. Sed non sic est in haereticis, quia, ubi destruuntur, non animantur alii ad errorem. Ideo dicit Dominus Ioannis duodecimo [2]: *Nisi granum frumenti, cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Haeretici enim morientes non sunt granum, sed pellicula vacua, habens similitudinem grani solum, et ideo mortui non fructificant. — Quartum est auctoritas *conciliorum;* nam trecenti duodeviginti patres fuerunt in concilio Nicaeno, quod tribus annis durans, multis miraculis coruscavit; qui erant viri doctissimi et sanctissimi; unde Actum decimo quinto [3]: *Surrexerunt quidam de haeresi Pharisaeorum, qui crediderunt, dicentes, quia oportet, circumcidi eos, praecipere quoque servare legem Moysi; convenerunt*que *Apostoli et seniores videre de verbo hoc. Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit* etc. Unde cum multa deliberatione et auctoritate facta est divulgatio fidei christianae. — Quintum est praeclaritas *documentorum;* Sapientiae octavo: *Praeclaritas in communicatione sermonum ipsius,* quia illustratio veritatis est in ipsa sacra Scriptura, quae, etsi non probet necessario, ut fides meritum habeat, tamen probabiliter multa traduntur a doctoribus sacrarum Scripturarum, et qui narraverunt ea quae viderunt; secundae Petri primo [4]: *Non enim doctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem et praesentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis;* Ioannis tertio: *Quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur.* — Sextum est stabilitas *assertionum,* quia « a principio mundi usque ad finem durat fides Ecclesiae, nec mutatur, quamvis tempora sint variata », secundum Augustinum [5], « quia quod patres crediderunt futurum, nos credimus esse factum »; Proverbiorum duodecimo [6]: *Labium veritatis firmum erit in perpetuum;* secundae ad Timotheum secundo: *Firmum fundamentum Dei stat.* — Septimum est uniformitas *confessionum,* quia omnes Ecclesiae in omnibus partibus mundi concordant in una confessione veritatis fidei, iuxta illud primae ad Corinthios primo: *Ut id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata. Sitis autem perfecti in eodem sensu et in eadem sententia.* Rogemus etc.

Tertium. Quartum. Quintum. Sextum. Septimum.

DOMINICA SECUNDA POST PENTECOSTEN.

Sermo I [7].

Homo quidam fecit coenam magnam et vocavit multos, Lucae decimo quarto [8].

Sub velamine istorum verborum mystificatur et involvitur caelestis gloria, quam Dominus electis suis in fine mundi exhibebit; unde *coena* refectio, quae est in fine diei, appellatur. Commendatur autem Dominus noster a tribus in verbo proposito, quae quamlibet coenam reddunt completam et perfectam, et primo ab *excellentia singularis dignitatis;* secundo, ab *affluentia* [9] *abundantis copiositatis;* tertio, a *benevolentia invitantis curialitatis* sive caritatis. Primo ergo commendatur a *singularitate* excellentiae et dignitatis, cum dicit: *Homo quidam;* in singulari dicitur homo quidam Christus propter incomparabilem et excellentem dignitatem. Secundo commendatur a *liberalitate* affluentiae et copiositatis, cum subdit: *coenam magnam.* Tertio commendatur a *curialitate* benevolentiae et caritatis, cum subinfert: *et vocavit multos.* Benignus et misericors Deus noluit esse solus in coena gloriae, immo ratione suae curialitatis multos invitavit.

Introductio.

1. Dicit enim: *Homo quidam,* ubi commendatur Christus ab *excellentia singularis dignitatis,* quae potest manifestari triplici ratione: primo, ratione suae *puritatis et innocentiae* in evitatione omnium peccatorum; secundo, ratione *profunditatis sapientiae* in revelatione divinorum occultorum; tertio, ratione *virtuositatis potentiae* in operatione multorum miraculorum.

Pars 1. Subdivisio.

Primo Christus singulariter et excellenter dicitur *homo* propter *puritatem originalis innocentiae* in evitatione omnium peccatorum; unde Lucae vigesimo tertio [10]: *Nullam causam inveni in homine isto ex his, in quibus eum accusatis.* Ad litteram nulla causa peccati inveniebatur in Christo, *in quibus accusabant* eum Iudaei. Non enim, ut ipsi dicebant, *in peccatis natus* erat *totus,* quia non de virili semine, sed de Spiritu sancto conceptus fuit, et ideo

Commendatur primo ratione puritatis.

---

[1] Cap. 16, 20.
[2] Vers. 24. seq.
[3] Vers. 5. seqq.; sequitur Sap. 8, 18.
[4] Cap. 16; sequitur Ioan. 3, 11.
[5] Epist. 190. (alias 157.) c. 2. n. 6; cfr. epist. 157. (alias 88.) n. 14. in fine; lib. ad Deogratias vel epist. 102. (alias 49.) q. 2. n. 12. et 15; Enarrat. in Ps. 50, 14. n. 7. et in Ioan. Evang. tr. 45. n. 9. Vide Petr. Lombard., III. Sent. d. XXV. c. 1.
[6] Vers. 19; sequuntur II. Tim. 2, 19. et I. Cor. 1, 10.
[7] Ex Vaticana et C D E F. Divisio generalis habetur etiam in cod. Tudert. n. 404. fol. 206 r., qui deinde habet multas et diversas subdivisiones, diffuse explicatas.
[8] Vers. 16.
[9] Codd. E F habent *influentia,* et infra solus E *influentiae.*
[10] Vers. 14; deinde sequitur Ioan. 9, 34. et respicitur Luc. 1, 35.

peccatum originale non contraxit nec etiam peccatum actuale; et quia ex parte mentis omnimoda fuit puritas et ex parte carnis nulla rebellio; semper illa sanctissima caro sequebatur illum beatum Spiritum nec unquam ad peccandum pertrahebat, et spiritus carnis necessitatibus, ne succumberet, condescendebat; et ex hoc mira harmonia et concordia carnis ad spiritum resultabat. Et propter hoc verum fuit illud Lucae vigesimo tertio [1]: *Vere hic homo iustus erat.*

Secundo excellenter et singulariter dicitur *homo* Christus propter *perspicacitatem veracis intelligentiae* in revelatione divinorum occultorum; unde Ioannis septimo [2] reddunt causam ministri pontificibus et Pharisaeis, quare non ceperunt Iesum, quia *nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo* loquitur. Non enim loquebatur sicut ceteri homines verba *curiosa*, quae excaecant rationalem, nec verba *superflua* et onerosa, quae suffocant concupiscibilem, nec verba *contentiosa*, quae conturbant irascibilem, nec verba *perniciosa*, quae pervertunt totum hominem, sed verba *humilia* ad destructionem superbiae, verba *utilia* ad augmentum gloriae. Sic enim loquebatur, ut superbos erudiret profunditate, magnos pasceret veritate et parvulos nutriret affabilitate. Foris admonet, intus docet, audientes in melius commutat, et ideo non fuimus ansi eum comprehendere. — Nec mirum, si sic loquebatur, quia ipse erat secundum adventum in *mentem* lux illuminativa omnium prophetalium visionum et secundum adventum in *carnem* Verbum approbativum omnium prophetalium locutionum et etiam instructivum omnium apostolicarum lectionum. Unde ipse est, qui *revelat abscondita* [3] divinorum occultorum, quia lux divinae sapientiae cum ipso est, sine qua nullus potest sacramenta fidei penetrare. Et propter hoc nullus potest devenire ad certam fidei revelationem nisi per adventum eius in mentem et in carnem.

Secundo, ratione sapientiae.

Tertio Christus excellenter dicitur *homo* propter *virtuositatem mirabilis potentiae* in operatione multorum miraculorum; unde Ioannis undecimo [4]: *Dicebant Pharisaei: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Nam mortuos suscitavit, leprosos mundavit, caecos illuminavit, claudos et contractos extendit, oppressos a daemoniis liberavit et omnem morbum curavit; et tamen propter illa bona opera vos, nequissimi Iudaei, quae operatus est in vobis, quaeritis eum interficere. O insania et perversitas maxima! irascimini sananti et non irascimini vulneranti.

Tertio, ratione potentiae.

II. Secundo commendatur Dominus noster ab *affluentia redundantis copiositatis*, cum subdit: *fecit coenam magnam.* Vere magna et immensa est coena ista. Nam si mica una istius coenae non praevalet enuntiari, multo minus abyssus et tota coena poterit ab aliquo explicari. Ut igitur aliquid de affluentis redundantia copiositatis istius coenae balbutiens dicam, potest dici, quod tria erunt in ista coena, quae diligentius considerata cuilibet animum in eius concupiscentiam provocant. Primum est *iucunditas* exsultationis laetificantis propter refulgentiam divinae claritatis; secundum est *copiositas* refectionis satiantis propter redundantiam immensae bonitatis; tertium est *sempiternalitas* durationis continuantis propter carentiam omnimodae defectibilitatis; ut sic anima secundum omnem sui potentiam in coena ista trino interiori tripudio iucundetur: primo, iucundetur de *claritate splendoris* quantum ad rationalem; secundo, satietur de *copiositate refectionis* quantum ad concupiscibilem; tertio, assecuretur de *sempiternalitate durationis* quantum ad irascibilem; et hoc secundum triplicem dotem gloriae, scilicet apertae visionis, quietae fruitionis et firmae tentionis.

Subdivisio.

Primo in ista coena erit *iucunditas exsultationis laetificantis* propter refulgentiam claritatis divinae. Et de hoc dicitur Apocalypsis decimo nono [5] sub nomine *avium volantium per medium caeli* Beatis: *Venite et congregamini ad coenam magnam Dei.* Nomine enim *avium volantium per medium caeli* designantur Beati existentes in caelo empyreo, qui volatu contemplationis elevantur ad contuitum Divinitatis. — Istis ergo sic contemplantibus dicitur: *Venite et congregamini*, per affectuosam concordiam, *ad coenam magnam Dei*, non *materialem* lactis et mellis, sicut exspectant Saraceni, quia nulla erit ibi congregatio muscarum, sed *sapientialem*, in qua tot erunt fercula, quot omnium rerum rationes relucent in divina sapientia. Apponentur enim spiritibus glorificatis rationes sensibilium et insensibilium, rationalium et irrationalium, tanquam in mensa delectabili, humanitatis Christi, Dei unius et trini pulcritudo tanquam in speculo pulcriformiter. Et propter hoc ista coena non est requirenda in exterioribus, sed in interioribus, quia spiritualis, nec in creatis rebus, sed in causalibus rationibus, quia perpetua et incorruptibilis.

Primo, iucunditas exsultationis.

Notandum.

Secundo in ista coena erit *copiositas refectionis satiantis* propter redundantiam immensae bonitatis; unde tertii Esdrae tertio [6]: *Rex Darius fecit coenam magnam omnibus purpuratis*, qui erant sub ipso. — *Darius* interpretatur fortilis et potest significare Regem regum, Christum, qui ratione suae Divinitatis et humanitatis est cibus perfecte satians animam quantum ad duplicem eius gustum, scilicet interiorem et exteriorem. Nam cibus humanitatis animam satiat quantum ad gustum exteriorem, sed cibus Divinitatis quantum ad gustum interiorem. Hic autem cibus, licet satiet, non tamen generat fastidium, immo continuat desiderium, quia ratione suae *simplicitatis et*

Secundo, copiositas refectionis.

Notandum.

Pars II.

[1] Vers. 47.
[2] Vers. 46.
[3] Respicitur Ier. 49, 10.
[4] Vers. 47; dein respicitur Matth. 11, 5.
[5] Vers. 17.
[6] Vers. 1. seq.

convenientiae, medullis animae intime illapsus, perfecte delectat, cum « delectatio sit coniunctio convenientis cum convenienti [1] », et anima cum nullo habeat maiorem convenientiam quam cum illo, ad cuius *imaginem et similitudinem* facta est; ratione suae *perfectionis et sufficientiae* undique satiat et replet, sed ratione suae *infinitatis et abundantiae* capacitatem animae excedit et quietat. Nam in nullo bono finito appetitus animae quietatur, eo quod aequalis ambitus est affectio et cognitio sive aestimatio. Cum igitur aestimatio et cognitio apta nata sit extendi ad infinita, pariter et eius affectio ad infinita se extendit: ergo, quolibet bono obtento, adhuc ultra posset insurgere appetitus, et sic, quantumcumque bonum creatum multiplicaretur, nunquam in illo quietaretur nec beatificaretur. Unde Anselmus [2]: « *In gaudium Domini* introibit »; quod si totum caperet et non vinceretur et absorberetur, adhuc posset insurgere appetitus ad amplius appetendum vel capiendum.

Notandum.

Tertio in ista coena erit *sempiternalitas durationis continuantis* propter carentiam omnimodae defectibilitatis. In ista enim coena nunquam deficient fercula, nunquam amovebitur tabula, eo quod Beati semper erunt in continua laude et glorificatione. Nam quidquid boni accipient, in eum solum resolvent, qui plene potest eos satiare et glorificare. Unde sicut impossibile est, aliquem ibi mori, sic impossibile est, aliquem ibi famescere. Et propter hoc dicitur Apocalypsis decimo nono [3]: *Beati, qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt.* Beatus enim est ille qui omnia optata sine timore amittendi perpetuo possidet. Nam cum beatitudo sit habitus in actu [4], impossibile est, animam beatam esse et actualem considerationem eorum quae sunt de essentia gloriae, non habere, quia in beatitudine nulla est variabilitas, nulla temporalis successio. Et propter hoc ista coena ratione suae sempiternalitatis non est requirenda in istis inferioribus, sed in superioribus, quia non mensurabitur tempore, quod est « principium corruptionis [5] », sed aeternitate, quae est quaedam mensura omnino perpetua et invariabilis.

Tertio, sempiternitas durationis.

III. Tertio et ultimo commendatur Christus a *benevolentia invitantis caritatis* vel curialitatis, cum subiungit: *et vocavit multos.* Dominus noster ratione suae curialitatis et benevolentiae noluit esse solus in coena, sed *vocavit multos* et de diversis nationibus. Nam primo vocat *instanter* sine desitione instruendo per documenta et exempla; secundo, *gratis* sine recompensatione alliciendo per beneficia et promissa; tertio, *generaliter* sine acceptione comminando per aeterna supplicia.

Pars III.

Subdivisio.

Primo vocat Christus ad istam coenam *instanter sine desitione* instruendo per documenta et exempla; unde Proverbiorum primo [6]: *Vocavi, et renuistis; extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret; despexistis omne consilium meum.* — Inquit Deus Pater: *Vocavi* vos ad istam coenam, continuo instruendo per servos meos, Sanctos et Prophetas, *et renuistis* venire; insuper *extendi manum meam,* id est, Filium meum ad vos de alto misi per carnis assumtionem, in quo doctrina omnis veritatis et exempla omnis honestatis et sanctitatis relucent, quibus ad istam coenam vocamini; *et non fuit qui aspiceret,* ad doctrinam per inclinationem auditus et ad vitam per imitationem effectus; immo *omne consilium meum despexistis,* inveniendo vobis occasiones. Nam *primus* de vocatis *dixit: Villam emi, et necesse habeo exire et videre illam. Alter dixit: Iuga boum emi quinque et eo probare ea. Tertius respondit: Uxorem duxi, et ideo non possum venire* [7]; hoc est dictu: unus propter *superbiam* principandi, alius propter *avaritiam* accumulandi; nam per *quinque iuga boum* intelligitur superflua quinque sensuum occupatio circa terrena; tertius propter *lasciviam* luxuriandi ad istam coenam venire contempsit. — Ecce, fatuitas maxima, quia quod peius est eligitur, et quod melius recusatur. Eligitur enim villa, recusatur regnum; eligitur dominium villanorum, recusatur regnum caelorum; eligitur uxor concubina [8], et recusatur copula divina; et ideo iusto iudicio Dei *nemo virorum illorum, qui vocati sunt, coenam* istam *gustabit,* eo quod ista coena transfertur a superbis et potentibus in debiles et humiles, a divitibus in pauperes, a luxuriosis in caecos et claudos, id est, in illos qui *oculos* suos eruerunt [9] et refrenaverunt, ne vanitatem mundi videndo concupiscerent, et *pedem* inordinatae affectionis totaliter absciderunt. Et propter hoc dicitur in hodierno Evangelio: *Pauperes ac debiles, caecos et claudos introduc huc,* loco scilicet illorum qui noluerunt venire.

Primo vocat instanter.

Excusatio triplex.

Exprobratio recusantium.

Secundo vocat eos ad istam coenam *gratis sine recompensatione* alliciendo per beneficia et promissa; unde secundae Petri primo [10]: *Quomodo omnia nobis divinae virtutis suae, quae ad vitam et pietatem donata sunt, per cognitionem eius qui vocavit nos propria gloria et virtute, per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit,* scilicet gratiam in praesenti et gloriam in futuro, ut sic, qui nolunt venire ad istam coenam precibus facilius trahantur muneribus. Unde Gregorius super illud Iob [11]: *Servum meum vocavi, et non respondit mihi*: « Vocat nos Deus, cum muneribus praevenit; respondemus vero vocationi eius, cum digne iuxta percepta munera deservimus. Hunc igitur servum vocavit Dominus, quia collatis muneribus, quasi emissis ad eum

Secundo, gratis.

[1] Vide tom. I. pag. 38, notam 4, et tom. IV. pag. 391, notam 3. — Deinde respicitur Gen. 1, 26.
[2] Proslog. c. 26, ubi respicitur Matth. 25, 21.
[3] Vers. 9.
[4] Cfr. Bonav., III. Sent. d. 14. a. 2. q. 2.
[5] Aristot., IV. Physic. text. 117. (c. 12.).
[6] Vers. 24. seq.
[7] Luc. 14, 18-20; sequitur v. 24.
[8] Codd. E D habent *pecorina,* F *peccamina.*
[9] Respicitur Matth. 18, 8-9; deinde Luc. 14, 21.
[10] Vers. 3. seq.
[11] Cap. 19, 16. et Gregor., XIV. Moral. c. 42. n. 50.

vocibus, ad se ducere studuit. Sed non respondit, quia digna opera donis eius reddere contempsit ».

Tertio, generaliter. Tertio vocavit Dominus ad istam coenam *generaliter sine acceptione* comminando per aeterna supplicia; unde in Psalmo [1]: *Deus, deorum Dominus locutus est, et vocavit terram a solis ortu usque ad occasum. — Deus deorum locutus est,* comminando per aeterna supplicia, ut per hoc *compelleret* eos *intrare* ad coenam istam flagellis et comminationibus, qui nolunt induci precibus et promissionibus, alioquin divina misericordia transibit in iustitiam, et qui nolunt gaudere in divino palatio cum Angelis certe cruciabuntur perpetuo in inferno et flammescent cum daemonibus. Istis ergo comminationibus Dominus *vocavit terram,* id est terrenos et peccatores, *a solis ortu usque ad occasum,* quia apud eum nulla est acceptio *personarum,* immo *in omni gente* [2] et in omni populo et in omni conditione et in omni aetate beneplacitum est ei. Unde Gregorius super illud Iob: *Qui irrigat aquis universa,* hoc est: « Dono sancti Spiritus ex omni genere hominum ad suam cognitionem vocat. Sancti enim Spiritus gratia, cum sibi divites subiicit, pauperes non repellit; cum fortes humiliat, venire ad se debiles non recusat; cum nobiles colligit, simul et ignobiles apprehendit; cum sapientes suscipit, imperitorum stultitiam non contemnit ». Rogemus ergo etc.

Sermo II [3].

Dominica secunda post Pentecosten. Sermo fratris Bonaventurae in Capitulo Parisiensi.

Homo quidam fecit coenam magnam et vocavit multos, Lucae decimo quarto [4].

In his verbis notatur maxima liberalitas bonitatis Dei erga humanum genus in duobus, scilicet in *praeparando* satietatem, ad quam ab aeterno nos praeordinavit; et hoc notatur, cum dicitur: *Homo quidam fecit coenam magnam;* in *invitando* seu convocando ad eam quam tam studiose praeparavit; quod notatur, cum dicitur: *et vocavit multos.* Divisio.

I. Nota ergo, quod *homo* iste *quidam* est Deus aeternus, qui dicitur *homo quidam,* quia singularis in pietate et benignitate [5]. — Circa primum nota, quod satietas vitae aeternae sive refectio paradisi gloriae vocatur et dicitur et est *coena magna:* ratione *apparatus* amoenissimi; sunt enim paradisi semper amoena virentia et mansiones et aeterna tabernacula, quae *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* [6]. — Ratione *victus* uberrimi; quia proponitur ibi sapientia aeterna ad contemplandum, bonitas ad degustandum, potentia ad admirandum. — Ratione *convictus* conformissimi; est enim ibi multitudo hierarchiarum et dispositio multiformis Sanctorum ad modum stellarum in id ipsum tendentium. — Ratione *motli* vivendi satiantis et excessivi, quia quidquid ibi est, plenum est pinguedine saginante et recreante [7] et quietante. Pars I. Ratio quadruplex.

Vel dicitur *coena magna,* quia *magnifice praeparata;* tertii Esdrae tertio [8]: *Rex Darius fecit coenam magnam cunctis vernaculis suis et magistratibus* etc. — *Mirifice ordinata;* Iudith sexto: *Fecit ei coenam magnam, et vocatis omnibus presbyteris, simul, expleto ieiunio, refecerunt.* — *Suavifice cibativa;* Iudith duodecimo: *Holofernes fecit coenam magnam servis suis et iucundus factus est* etc. — *Sempiterne mansiva;* Apocalypsis decimo nono [9]: *Beati, qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt.* — *Excessive satiativa;* Apocalypsis decimo nono: *Venite ad coenam magnam Dei* omnipotentis etc. — *Plenarie quietativa;* Lucae decimo quarto: *Misit servum suum hora coenae dicere invitatis, ut venirent, quia iam parata sunt omnia.* Aliter et per sex rationes.

II. Circa secundum nota, quod *vocavit* ad hanc coenam *multos* de omni gente et natione. Vocavit enim invitando ad eam: per *specula creaturae* ad Deum mittentia per suam speciositatem; Proverbiorum nono [10]: *Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem et proposuit mensam suam. Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem et ad moenia civitatis.* — Per *documenta Scripturae* ad Deum trahentia per suam veritatem; Matthaei vigesimo secundo: *Misit servos suos vocare invitatos ad nuptias* etc. — Per *charismata gratiae* in Deum agentia per suam suavitatem; Proverbiorum primo: *Vocavi, et renuistis; extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret.* — Per *exempla iustitiae* ad Deum commoventia per suam sanctitatem; Matthaei vigesimo secundo [11]: *Ait rex servis suis: Nuptiae quidem paratae sunt, sed qui invitati erant non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum et quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias* etc. Pars II. Vocatio per media.

Sermo III [12].

Homo quidam fecit coenam magnam et vocavit multos, Lucae decimo quarto [13].

---

[1] Psalm. 49, 1.

[2] Respicitur Act. 10, 34. seq.; sequuntur Iob 5, 10. et Gregor., Vl. Moral. c. 16. n. 21.

[3] Ex A fol. 130 r. et B fol. 57 v.

[4] Vers. 16.

[5] Cfr. supra serm. 1. pars I.

[6] Epist. I. Cor. 2, 9.

[7] Cod. B legit *suttiavte et reficiente,* qui, omissa secunda divisione, locos Scripturae ad primam divisionem adiungit.

[8] Vers. 1. seq.; sequuntur Iudith 6, 20. et c. 12, 10. 20.

[9] Vers. 9; sequuntur v. 17. et Luc. 14, 17.

[10] Vers. 1-3; sequuntur Matth. 22, 3. et Prov. 1, 24.

[11] Vers. 8. seqq.

[12] Exstat Parisiis in biblioth. Nation. cod. 14952. fol. 128, ubi inscribitur: *Sermo Bonaventure. Dominica secunda post Octavam Trinitatis;* cfr. Haureau, *Notices et Extraits* etc., tom. IV. pag. 41; et P. Fidelis a Fanna, *Ratio* etc., pag. 295. Habetur etiam in cod. Tudertino 140. fol. 227 v., quoad primam et secundam partem brevius, quoad ultimas diffusius; unde etiam textum duarum ultimarum partium ex hoc cod. sumsimus.

[13] Vers. 16.

Introductio.

Dicit Philosophus [1]: Contraria iuxta se posita magis elucescunt. Sancta ergo mater Ecclesia in superiori Dominica [2] fecit mentionem de divite avaro, qui solus comedit, ut maior appareat largitas Domini; in hac Dominica facit mentionem de divite et domino largo et de coena sua magna, ad quam multos vocavit. Ille solus comedit et neminem vocavit, iste misit servos suos et multos vocavit; ille Lazarum pauperem a prandio suo expulit, iste multos intrare coegit. — Secundum hoc in hoc totali Evangelio notantur quatuor: primo, huius *coenae praeparatio*, cum dicit: *Homo quidam fecit coenam magnam*; secundo notatur *convivarum vocatio: et vocavit multos*; tertio, *vocatorum excusatio: coeperunt omnes se excusare*; quartum est *aliorum introductio: voca pauperes* etc. In primo ostenditur magnitudo caelestis gloriae; in secundo, dispensatio divinae misericordiae; in tertio, incrapatio humanae malitiae; in quarto, distinctio gratiae.

Divisio.

Fars I. Coenae caelestis praeparatio.

I. Circa primum nota, quod per istam *coenam* caelestis gloria intelligitur, quam Dominus exhibebit omnibus electis suis in fine mundi, sicut coena refectio est in fine diei. Tunc enim purgabitur humana natura ab omni vitio et plenarie fruetur Christo; et erit ad proximum pax firma et dilectio. In cuius figura Dominus, migraturus ad gloriam Patris, fecit coenam discipulis, Ioannis decimo tertio, ubi et *lavit pedes discipulorum* et dedit eis corpus proprium et promulgavit dilectionis mandatum; de lotione et dilectione, Ioannis decimo tertio [3]; de corporis exhibitione, Matthaei vigesimo sexto: *Coenantibus eis, accepit Iesus panem* etc. Et sicut post coenam pausatur in lecto, omissis omnibus curis exterioribus; sic erit tunc perfecta quies in Domino, omnibus curis mundi dimissis, quando dicet quilibet: *In pace in id ipsum dormiam et requiescam.*

Dicitur maxima propter quatuor.

Dicitur autem haec coena *magna* propter quatuor: primo, propter magnam *hospitis* invitantis *curialitatem*; secundo dicitur *magna* propter *invitatorum generalitatem*; tertio dicitur *magna* propter *invitatorum satietatem*; quarto dicitur *magna* propter *coenae diuturnitatem*. — Primo dicitur coena illa *magna* propter *invitantis largitatem*. Magna est benignitas alicuius domini, quando invitat alios per servos suos; maior, quando invitat per se ipsum et ministrat eis; maxima, quando alienos et extraneos. Primo invitavit genus humanum per servos suos Patriarchas, et noluerunt venire; unde in Evangelio hodierno [4]: *Misit servum suum hora coenae dicere invitatis, ut venirent.* Sed maior fuit Dei curialitas, quando ipsemet in propria persona venit; Lucae vigesimo secundo: *Ego in medio vestrum sum sicut qui ministrat;* alibi, Lucae duodecimo: *Faciet illos discumbere et transiens ministrabit illis.* Sed maxima est curialitas alienigenas seu extraneos, immo inimicos suos, qui toties eum offendunt hodie per peccata sua, recipere in regni aeterni participationem. Ipse est qui neminem vult perire [5], sed omnes, quantum est de se, cupit salvare. Hoc figuratum est Iudith sexto: *Ozias suscepit Achior in domum suam et fecit ei coenam magnam.* — *Ozias* fortitudo interpretatur; hic est Christus, qui est *virtus Dei*, fortitudo et *sapientia Dei* Patris, qui *suscepit Achior*, qui tantum valet quantum iracundia fratris; hoc est nos, qui sumus fratres sui, qui nos alienamus ab ipso per peccatum et ad iracundiam provocamus, et quod adhuc nos suscipere dignatur, vere maxima est curialitas eius.

Primo invitantis largitas.

Figura.

Secundo, invitatorum generalitas.

Secundo dicitur haec coena *magna* propter *invitatorum generalitatem*, quia omnes, qui volunt, possunt ibi ingredi et coenare, dum tamen non ponant obstaculum, aut non quaerant diverticulum. Hoc est quod dicit Ioannes Apocalypsis tertio [6]: *Ego sto ad ostium*, scilicet cordis, *et pulso; si quis audierit vocem meam et aperuerit mihi ianuam*, dicit Dominus, *intrabo ad illum et coenabo cum illo, et ipse mecum.* Bene *coenabit*, quia *deliciae* eius sunt *esse cum filiis hominum*. Vae ergo animae infelici et miserae! quae tantum hospitem de hospitio cordis sui per peccatum expellit et diabolum introducit, ad cuius ingressum omne malum sibi succedit. Melius esset ei, *si natus non fuisset homo ille*, si in hoc moritur.

Tertio, invitatorum satietas.

Tertio dicitur *magna* coena ista propter *invitatorum satietatem* et *fertilitatem*. Fertilitas apparet in dante, saturitas in edentibus. Hoc est quod dicitur in typo huius tertii Esdrae tertio [7]: *Rex Darius fecit coenam magnam omnibus vernaculis, qui sub illo erant, centum viginti septem provinciis; et cum manducassent et bibissent, satiati revertebantur.* — *Rex Darius*, qui interpretatur fortilis, Christus est, qui facit coenam suam non principibus solum centum viginti provinciarum, sed omnibus amicis suis, qui sunt in hoc mundo, qui ei servunt *in caritate non ficta*, et satiati erunt in glorificatione animae et corporis, quando sic erunt glorificati; Psalmus: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.*

Quarto, coenae diuturnitas.

Quarto dicitur *magna* propter *diuturnitatem*; de hoc Apocalypsis decimo nono [8]: *Beati, qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt.* — Per hoc, quod dicit *nuptiarum*, notatur indivisibilitas, quia non possunt separari a coena illa. Econtra in coena huius mundi cito convivantes separantur; sed in coena

[1] Libr. I. Elench. c. 14. (c. 15.): Appositis iuxta se contrariis, minora et maiora apparent et pelora et meliora hominibus.

[2] Apud nos videndus est sermo sequens.

[3] Vers. 5. et 34; sequuntur Matth. 26, 26. et Ps. 4, 9.

[4] Vers. 17; sequuntur Luc. 22, 27. et 12, 37.

[5] Respicitur Ioan. 3, 15. seqq.; sequitur Iudith 6, 19. et dein respicitur I. Cor. 1, 24.

[6] Vers. 19. seqq.; sequuntur Prov. 8, 31. et Matth. 26, 24.

[7] Vers. 1-3; sequuntur II. Cor. 6, 6. et Ps. 16, 15.

[8] Vers. 9; deinde respicitur I. Cor. 2, 9. — In sequenti divisione membra subdivisionis non sunt satis distincta.

Dei omnia bona ibi succedunt, quae nec corde possunt cogitari nec oculo videri nec aure corporis percipi.

Contra istas quatuor bonas conditiones coena huius mundi quatuor habet *pessimas*. — Nam primo a parte hospitis invitantis et convivarum *nulla* est ibi *curialitas*, sed plenae sunt huiusmodi coenae *vilitate, inhonestate, iniquitate*. — Nam saepe ex impetuositate unus occidit alium. Luxuria ibi habet suum dominium, gula similiter ibi habet principatum. Hoc habetur in Marco [1], quod *Herodes* rex in *natali suo fecit coenam* magnam *principibus suis et tribunis et primis Galilaeae;* et dicitur ibi, quod in coena illa Ioannes Baptista fuit interfectus, quia *arguebat Herodem* de peccato luxuriae. Similiter et gulositas habet ibi principatum, sicut legitur, quod Iudith interfecit Holofernem inebriatum vino in cubili suo. Ecce, quanta vilitas in coena huius mundi. Item, totum est ibi *inhonestas;* ita primae ad Corinthios undecimo: *Unusquisque suam coenam praesumit ad manducandum, et alius quidem esurit, alius autem ebrius est.* In coena huius mundi pauperes non habent sufficientiam necessitatis, et divites habent nsque ad nauseam superfluitatem. Et sic in coenis huius mundi veritas et benignitas prosternitur, castitas obruitur, gulositas dominatur.

Opponuntur coenae mundi quatuor conditiones pessimae. Primo, nulla ibi curialitas.

Secundo coena huius mundi *caret generalitate;* non est ibi generalitas, sed particularitas, quia non invitantur homines indigentes ex officio caritatis, sed vicini divites ex spe retributionis et emolumento carnalitatis, contra illud Domini, Lucae decimo quarto [2]: *Cum facis prandium aut coenam, noli vocare amicos tuos neque fratres tuos neque cognatos neque vicinos divites, ne forte te et ipsi reinvitent, et fiat tibi retributio; sed voca pauperes, qui non habent,* unde *tibi retribuant; retribuetur enim tibi* in vita aeterna.

Secundo, nulla generalitas.

Tertio *caret satietate*, quia plena est huiusmodi coena inflatione et inanitate. Ventus enim implere non potest. Tales volunt *primos recubitus in coenis et primas cathedras in synagogis* et *salutationes in foro* [3], in omnibus volunt dignitates obtinere, similes lucifero; ideo non satiantur, quia pascuntur vento. Tales sunt qui ex ambitione movent lites in Capitulis, iurgia in populis, dissensiones in amicis; contra quos primae ad Corinthios undecimo: *Convenientibus vobis in* unam *ecclesiam, audio scissuras esse inter vos, et ex parte credo. Convenientibus ergo vobis in unum, iam non est dominicum coenam manducare.*

Tertio, nulla satietas.

Quarto coena huius mundi *caret delectationis diuturnitate*, sed non caret poenalitate. Vane enim delectantes in coena huius mundi dabuntur daemonibus ad devorandum in die iudicii; unde Apocalypsis decimo nono [4]: *Venite et congregamini, omnes aves caeli, ad coenam magnam Dei, ut manducetis carnes regum et carnes tribunorum* etc.; et Deuteronomii trigesimo secundo: *Devorabunt eos aves,* id est daemones, *morsu amarissimo.* Amarus morsus erit ex poena sensibili, amarior ex poena vermis, amarissimus ex poena damni. Duplex poena, scilicet animae et carnis. — Sic apparet primo huius coenae Dei praeparatio, cum dicit: *Homo quidam fecit coenam magnam*, in quo notatur magnitudo caelestis gloriae.

Quarto, nulla diuturnitas.

Nota.

II. Secundo notatur *convivarum vocatio: et vocavit multos;* in quo tangitur dispensatio divinae misericordiae. *Vocavit multos,* quia multa genera hominum. Omnes, quantum est de se, vocat. Sed omnes homines aut sunt *laici,* aut *clerici,* aut *Religiosi,* aut *doctores* et *praelati.* Omnes istos vocat Dominus. Vocat laicos ad luctum poenitentiae, clericos ad exercitium institiae, claustrales et Religiosos ad gustum divinae sapientiae, doctores et praelatos ad fructum sollicitudinis et diligentiae.

Pars II. Convivarum vocatio quoad 4 genera.

De prima vocatione, Isaiae vigesimo secundo [5]: *Vocabit Dominus in die illa ad fletum et ad planctum, ad calvitium et ad cingulum sacci.* — Tangit quatuor necessaria ad verum poenitentiam contra istos rusticos, qui semel in anno de Quadragesima in Quadragesimam veniunt ad confessionem et nesciunt dicere peccata sua. Multi recedunt peiores de confessione quam intraverunt, quia se instificant et excusant. Tangit primo interiorem cordis dolorem, cum dicit: *fletum;* tangit secundo lamentabilem et amaram oris confessionem, cum dicit: *planctum,* quia debet plangere peccata sua ad modum infirmi plangentis infirmitatem suam; tangit tertio bonorum terrenorum largitionem, scilicet pauperibus: *calvitium,* abdicatio temporalium, quae fiunt et refluunt ut capilli; tangit detestationem honorum: *cingulum sacci.*

Vocatio laicorum.

Poenitentia requirit quatuor.

De secunda vocatione *clericorum*, ad Galatas primo [6]: *Cum autem placuit ei qui me segregavit ex utero matris meae et vocavit per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me, ut evangelizarem illum in gentibus; continuo non acquievi carni et sanguini.* Ibi reprehenduntur clerici mali, qui spirituali aedificio et Dei servitio deputati amore carnalium parentum redeunt ad delectationes carnis, de quibus illud vulgare dictum est: Clerc renoie qui font le... saint Nicholas; non scientes illud: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me non est me dignus;* item: *Qui non renuntiat omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus.*

Item, clerici, corum.

De tertia vocatione *claustralium* et Religiosorum dicit Apostolus ad Philippenses tertio [7]: *Quae quidem*

Item, claustralium.

---

[1] Cap. 6, 21. 18; sequuntur Iudith 13, 10. et I. Cor. 11, 21.

[2] Vers. 12. seqq.

[3] Matth. 23, 6. seq.; sequitur I. Cor. 11, 18. 20.

[4] Vers. 17. seq.; sequitur Deut. 32, 24.

[5] Vers. 12.

[6] Vers. 15. seq.; sequuntur Matth. 10, 37. et Luc. 14, 33. — Paulo infra sequitur quoddam proverbium Gallicum mutilum.

[7] Vers. 13. seq.

retro sunt obliviscens, ad ea vero, quae sunt priora, extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernae vocationis Dei in Christo Iesu. Verus enim claustralis et Religiosus, dum penitus obliviscitur ista terrena, totus se extendit ad caelestia et ibi immobiliter habet fixum animum suum, ubi videt paratum sibi praemium; unde in quadam collecta [1]: « Ibi nostra fixa sint corda, ubi vera parata sunt gaudia ».

Item, vocatio doctorum et praelatorum.

De quarta vocatione *doctorum* et *praelatorum* dicitur Matthaei quarto [2], quando vocavit Dominus Petrum et Andream: *Venite post me, et faciam vos fieri piscatores*, hoc est praedicatores, *hominum*. Illi non exspectaverunt usque mane, sed *continuo relictis retibus, secuti sunt Dominum*. Sic Exodi tertio vocavit Dominus Moysen pascentem pecora et misit eum ad liberationem filiorum Israel. Omnes istos vocat Dominus pro congruitate officiorum ad coenam suam; primae ad Thessalonicenses secundo: *Deprecantes vos et consolantes, testificati sumus, ut ambularetis digne Deo, qui vocavit vos in suum regnum et gloriam;* primae Petri quinto: *Deus omnis gratiae, qui vocavit nos in aeternam suam gloriam in Christo Iesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit solidabitque.* — *Omnis gratiae* dicitur, quia gratia eius ad omnes extenditur in vocatione secundum quatuor differentias praedictas; *modicum passos*, quantum ad peccatores; *perficiet*, quoad activos; *confirmabit*, quoad contemplativos; *solidabit*, quoad praelatos, qui debent esse solidi et subiectos consolidare et unire Deo. Et sic patet secundum [3].

Para III. Vocatorum excusatio triplex.

III. Tertio sequitur *vocatorum excusatio;* in quo designatur increpatio humanae malitiae; unde [4]: *Et coeperunt simul omnes excusare.* Ponitur autem triplex excusatio: prima, quantum ad malos *activos;* secunda, quantum ad malos *contemplativos;* tertia, quoad malos *praelatos*. Quia *duae erunt molentes in mola, duo in lecto uno, duo in agro, et unus assumetur, et unus relinquetur*, Matthaei vigesimo quarto. — Peccatorum enim quidam sunt obstinati et se non excusant, quia vocantem audire contemnunt, immo nulla beneficia vocationis eorum corda emolliunt; Proverbiorum primo [5]: *Vocavi, et renuistis; extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret; despexistis omne consilium meum.* — *Vocavi*, per praedicationem, *et renuistis; extendi manum meam*, per beneficiorum largitionem; *despexistis omne consilium meum*, frequenter vocando vos per internam inspirationem, et disciplinam recipere noluistis, remurmurantes, cum vocabam vos per flagellorum immissionem. Unde et isti non numerantur inter alios se excusantes. Peccatorum vero alii, qui non sunt obstinati, audiunt et ad tempus acceptant vocationem, sed non veniunt, quia mali *activi* impediuntur curiositate, mali *contemplativi* cupiditate, mali *praelati* voluptate.

Obstinati non se excusant.

Excusatio malorum activorum.

De primis: *Villam emi, et necesse habeo exire et videre illam* [6], quia, cum deberent discutere conscientias proprias, egrediuntur, ut iudicent alienas; unde observant omnia, quae fiunt in villa, ac si villa esset sua; et hoc est: *Villam emi, et necesse habeo exire et videre illam.* Sed haec excusatio non est bona, cum devolvat aliam quaestionem, Lucae decimo sexto: *Redde rationem villicationis tuae.* Non enim debebas villicare, sed te, non villam, custodire et iudicare. — Exemplum est de quadam Rennburge de Balsa, quae se implicabat in omnibus, et omnia sua deperibant in domo sua; Ecclesiastici undecimo [7]: *De ea re, quae te non molestat, ne certeris, et in iudicio peccantium ne consistas. Fili, ne in multis sint actus tui.*

Exemplum.

Item, malorum contemplativorum.

Similiter mali *contemplativi* impediuntur cupiditate. Qui enim deberent soli Deo vacare iam fere nihil videntur scire nisi humana officia: vendere, emere et terras arare. Et hoc est: *Iuga boum emi quinque* etc., ut in eis impleatur secundum litteram quod tamen in Ecclesiastico secundum spiritum dicitur, Ecclesiastici trigesimo octavo [8]: *Qui tenet aratrum et qui gloriatur in iaculo stimulo boves agitat et conversatur in operibus eorum, et enarratio eius in filiis taurorum. Cor suum dabit ad versandos sulcos et vigilia eius in sagina vaccarum;* Osee decimo: *Arabit Iudas, confringet sibi sulcos Iacob.* Haec nulla est excusatio; propter quod conqueritur Dominus per Osee, duodecimo: *Si Galaad idolum, ergo frustra erant in Galgal, bobus immolantes. Nam et ulteria eorum quasi acervi super sulcos agri;* hoc est: si saeculares serviunt avaritiae, quae *est idolorum servitus;* tamen error est vanissimus, quod contemplativi et quidam Religiosi desudant in acquirenda terrena possessione, ut in officiis rusticanis ad augendam pecuniam videantur totum suum sanguinem exhaurire, qui maxime deberent *revelata facie* Dei *gloriam* videre [9]. Unde *Galgal* interpretatur revelatio; et sequitur: *altaria* etc., quia corda eorum sunt sine devotione, *sicut acervus lapidum* sine humore. O verecundia! qui deberent esse caelestes vocantur boni terrarii; Psalmus [10]: *Vocaverunt nomina sua in terris suis;* qui deberent esse aves facti sunt boves; Isaiae quadragesimo sexto: *Vocans ab oriente avem et de terra longinqua virum voluntatis meae;* qui deberent portare iugum Domini portant iugum boum; Threnorum

[1] Gregor., Lib. Sacrament. Dominic. III. post Oct. Pasch.

[2] Vers. 19. seq.; sequuntur Exod. 3, 4. seqq. et I. Thess. 2, 12. ac I. Petr. 5, 10.

[3] Ultima pars a verbis *Sic Exodi tertio* habetur in solo cod. Todertino, quem etiam in sequentibus praecipue sequimur.

[4] Luc. 14, 18; sequuntur Matth. 24, 41. 40. et Luc. 17, 34.

[5] Vers. 24. seq.

[6] Luc. 14, 18. et c. 16, 2.

[7] Vers. 9. seq.; sequitur Luc. 14, 19.

[8] Vers. 26. seq.; sequuntur Osee 10, 11. et c. 12, 11. et respicitur Eph. 5, 5.

[9] Respicitur II. Cor. 3, 18; dein respicitur Isai. 17, 1.

[10] Psalm. 48, 12; sequuntur Isai. 56, 11. et Thren. 3, 27.

tertio: *Bonum est viro, cum portaverit iugum* Domini *ab adolescentia sua.*

Similiter mali *praelati* impediuntur voluptate.
Item, malorum praelatorum. Non enim requirunt in ecclesiis fructum, sed datum. Unde allegant in proposito sollicitudinem et tacent turpitudinem, dicentes: *Uxorem duxi.* Non enim quaerunt in uxore prolem, sed solam explere libidinem, similes filiis Iudae, qui duxerunt Thamar in uxorem, Genesis trigesimo octavo [1], qui abutebantur uxoribus, ne liberi nascerentur. Unde excusatio ista nulla est, quia non duxerunt uxores; habent enim eas ut concubinas, quia, sicut concubinarii concubinas suas reiicinnt pro pulcrioribus, ita isti suas ecclesias pro pinguioribus, contra illud primae ad Corinthios septimo: *Alligatus es uxori? Noli quaerere solutionem.* — Secundo, quia, etsi uxoris ductio retrahat a bello, ut vacet generationi, ne moriatur sine fructu, non tamen retrahit a praemio; sed qui non laboravit, coenare non debuit. Propter quod in Evangelio praesenti, cum omnes ita se in vocatione haberent, recte dicitur: *Dico vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit coenam meam.*

IV. Quarto sequitur *aliorum introductio;* ex quo
Pars IV. Aliorum introductio. habetur distinctio gratiae. Bene dicitur [2]: *debiles ac pauperes, caecos et claudos introduc huc.* — *Pau-*
Primo, pauperum. *peres* sunt qui peccata praeterita considerantes, se nulla debere et parum in meritis habere conspiciunt; Threnorum tertio: *Ego vir videns pauperta-tem meam in virga indignationis eius.* Et tales introducuntur; Matthaei quinto: *Beati, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum.* —
Secundo, debilium. *Debiles* sunt qui difficultatem praesentis vitae considerantes, clamant, quod ad patriam per se sine adiutorio divino venire non sufficiunt; quos confortat Dominus, Isaiae trigesimo quinto [3]: *Confortate manus dissolutas et genua debilia roborate.* Vident enim, quod in suis actionibus non sufficiunt et per se stare non possunt, hoc est *manus dissolutas et genua debilia.* Sed isti introducuntur ad coenam; Marci nono: *Bonum est tibi, debilem intro ire in*
Tertio, caecorum. *vitam* etc. — *Caeci* sunt qui oculos corporis habent clausos contra terrenam concupiscentiam, sed oculos
De his tribus. mentis apertos ad spiritualem intelligentiam. — Primi considerant peccata praeterita, secundi mala praesentia, isti vero gaudia futura. Isti significantur per *caecum a nativitate,* quem illuminavit Dominus, Ioannis nono, quia, ut ibidem dicitur, *in iudicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident videant, et qui vident caeci fiant,* quia, quanto amplius claudnntur oculi ad exteriora, tanto magis aperiuntur ad spiritualia, et quanto minus, minus, et e converso. Isti introducuntur ad coenam; Matthaei undecimo [4] et Lucae septimo: *Caeci vident.* — *Claudi* sunt, in quibus enervatur carnis concu-
Quarto, claudorum. piscentia, sicut exsiccatus est *nervus in femore Iacob. Ipse vero claudicabat pede,* Genesis trigesimo secundo. Isti introducuntur; Marci nono [5]: *Bonum est tibi, claudum introire in vitam aeternam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis. Duo pedes* sunt affectus necessitatis et voluptatis; *claudicat* autem uno *pede* et intrat cum *Iacob* qui, abiecta voluptate et superfluitate, sola con-
Epilogus. tentus est necessitate. — Sic igitur introducuntur pauperes contra obstinatos peccatores, debiles contra malos activos, caeci contra malos contemplativos, claudi contra malos praelatos; de quibus simul Lucae decimo quarto ante illud evangelicum: *Cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos et caecos.* Quod ibi *convivium* dicitur hic *coena* vocatur. Ad quam nos pauperes suos introducat Pater pauperum, Christus Dominus, cui cum Patre et Spiritu sancto est omnis gloria in saecula saeculorum. Amen.

Sermo IV [6].

Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris, Lucae decimo sexto [7].

(Prothema). In fine Epistolae [8] ita dicitur, primae Prothema.
Ioannis quarto: *Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum diligat et fratrem suum.* Inter omnia mandata Dei istud est districtissimum, scilicet mandatum de amore Dei et proximi, quia hoc nobis praecipitur sub poena mortis; unde primae Ioannis tertio: *Qui non diligit manet in morte,* quasi iam mortuus est. Sed quia, ut ait Salvator, Verbum Dei audire et servare est ipsum vere diligere, sicut ipse ait Ioannis decimo quarto [9]: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit:* ideo primo rogemus Deum, ut det mihi sic dicere et vobis retinere etc.

Fili, recordare etc. In isto Evangelio ostenditur, Sermo.
quam miser sit exitus divitum superborum et quam felix exitus pauperum beatorum. Unde Gregorius in Homilia hodierna [10]: « Sacra Scriptura divinitus inspirata non solum bonorum facta ad imitandum commemorat, sed etiam reproborum tormenta narrat, ut, quos ad bene vivendum non promovent exempla

---

[1] Vers. 6. seqq.; sequuntur I. Cor. 7, 27. et Luc. 14, 24.
[2] Luc. 14, 21; sequuntur Thren. 3, 1. et Matth. 5, 3.
[3] Vers. 3; sequuntur Marc. 9, 42. et Ioan. 9, 1. 39.
[4] Vers. 5; sequuntur Ioan. 7, 22. et Gen. 32, 32. 31.
[5] Vers. 44; sequitur Luc. 14, 13.
[6] Ex eodem, ut sermo praecedens, Parisiensi cod. fol. 126 r. cum inscriptione: *Sermo Bonaventure Dominica I. post Trinitatem;* cfr. pag. 360, nota 12. Et notandum, in Missali Romano in hac Dominica non haberi illum locum Scripturae pro themate, sed tantum in feria V. hebdomadis II. Quadragesimae. Antiquitus tamen Evangelium, in quo est ille textus, in usu erat pro Dominica II. post Pentecosten, ut constat ex S. Gregorii homilia 40. in Evangelia. — Idem sermo exstat etiam in cod. Tudertino 144. fol. 93 r., sed aliter dispositus.
[7] Vers. 25.
[8] In Missali Romano Epistola huius Dominicae nunc est ex capitulo tertio. — Sequuntur I. Ioan. 4, 21. et c. 3, 14.
[9] Vers. 23.
[10] Potius II. Moral. c. 1. n. 1, pluribus tamen additis.

bonorum, saltem terreant denuntiata supplicia reproborum »; quod utrumque in hoc Evangelio ostenditur, quando non solum requies Lazari commemoratur, sed etiam poena superbi divitis ad memoriam reducitur, ut in uno habeant pauperes, quid imitentur, in alio divites, ut terreantur. Et sic in isto Evangelio ostenditur miser exitus divitis huius, qui temporalibus affluebat, et felix exitus Lazari, qui istis indigebat.

Divisio. Secundum hoc quatuor tanguntur in verbis istis: primo, a parte huius mali divitis aliorumque similium *temporalis prosperitas*, cum dicit: *Fili, recordare* etc.; secundo, a parte Lazari et aliorum bonorum pauperum *brevis adversitas: et Lazarus similiter mala;* tertio, a parte Lazari suique similium *felix iucunditas: Nunc vero hic consolatur;* quarto, a parte divitis et aliorum malorum *aeterna calamitas: tu vero cruciaris.*

Pars I. Divitis terrena prosperitas triplex.

I. Primo a parte divitis notatur *terrena prosperitas*, qua dives iste male usus est; et hoc tripliciter, quia *divitiis abundabat, deliciis affluebat, honoribus superbiebat.* Unde iste legitur fuisse *dives, epulo, purpuratus*, et sic reprehensibilis erat ex

Subdivisio. tribus: ex cupiditate et avaritia: *Homo quidam erat dives* [1]; ex elatione et superbia: *qui induebatur purpura et bysso;* ex comessatione et crapula: *et epulabatur quotidie splendide.*

Reprehensio prima. Primo reprehenditur iste dives, quia *divitiis* suis *male usus fuit;* qui enim terrena male acquirit, male retinet quae habet, qui vivit de usura et rapina, multa sibi veniunt infortunia: unum, quia impeditur a servitio Dei, facit se servum diaboli, aufert se ipsum sibi, impedit debitam communionem proximi, infligit sibi laborem continuum, incurrit aeternum supplicium. Omnia ista patent in isto divite et in alio, qui tot habebat bona et putabat diu vivere, et daemones rapuerunt animam eius nocte, Lucae duodecimo [2].

Secunda. Secundo reprehensibilis erat iste dives, quia *deliciis* carnis *male fruebatur.* Unde dicit: *et epulabatur quotidie splendide.* Multos hodie habet similes, qui nil cogitant nisi de ventris repletione; ad Philippenses tertio [3]: *Quorum Deus venter est,* in praesenti, *et gloria in confusione ipsorum,* in inferno. Qui enim amant carnales delicias in futura vita amittent spirituales et aeternas.

Tertia. Tertio reprehensibilis erat in *honoribus,* quia *induebatur purpura et bysso.* Ecce, superbia, quae multos hodie habet servos, qui pauperes opprimunt et gloriam Dei furantes, sibi attribuunt. Ista bona mali in vita sua recipiunt nec eis uti sciunt.

De bis tribus. De deliciis. Ideo ista tria: *divitiae, deliciae, honores,* sunt multis causa aeternae damnationis. Nam ex fruitione *deliciarum* carnis viam sibi praeparant in infernum; Iob vigesimo primo [4]: *Ducunt in bonis dies suos et in puncto ad inferna descendunt.* — Item, ex abundantia divitiarum *ducunt* alios *ad perditionem et interitum,* quia *thesaurizat* dives in terra *et ignorat, cui congregabit ea;* immo, filii eorum in tabernis et in prostibulis celebrant memoriam pro patribus suis. Et statim, cum mortui sunt, dantur oblivioni, quia *memoria eorum periit cum sonitu* [5], campanae pulsantis. — Ex superbia honorum Deum contemnunt, teste Iob, capite vigesimo primo: *Qui dixerunt Deo: Recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus.* Et ut ait Gregorius [6]: « Mens hominis exterius male ordinata sic ad temporalia est sparsa, ut obliviscatur aeterna, ut interius ad semetipsum non redeat nec de Deo, qui omnia dedit ei, cogitare valeat ». Contra ista tria dicitur Michaeae sexto [7]: *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te: utique facere iudicium et diligere misericordiam et sollicitum ambulare cum Deo tuo;* quasi dicat: docebo te uti istis bonis temporalibus, *faciendo iustitiam* de te ipso per poenitentiam contra carnis delicias, *facere misericordiam* cum proximo contra mundi divitias, et humiliter *ambulare cum Deo tuo* contra honores et dignitates. Sic apparet primo de temporali prosperitate malorum in persona huius divitis.

De divitiis.

De honoribus.

Pars II. Lazari adversitas brevis et triplex.

II. Secundo notatur *pauperum brevis adversitas* in persona huius Lazari, cum dicit: *et Lazarus similiter mala.* Contra triplicem praedictam prosperitatem sustinent boni pauperes adversitatem. Nam contra bonum divitiarum sustinent *mendicitatem paupertatis;* contra delicias carnis sustinent *anxietatem infirmitatis;* contra honores et dignitates sustinent *malum abiectionis.* Unde iste Lazarus dicitur fuisse *mendicus* [8]; ecce, primum, paupertas contra divitias; *ulceribus plenus,* ecce, secundum, scilicet anxietas vel infirmitas contra carnis delicias; *iacens ad ianuam divitis,* contra honores et dignitates. Ista tria mala sustinent boni pauperes in praesenti, sed ad tempus, quia dicitur in Psalmo: *Parcet pauperi et inopi et animas pauperum salvas faciet.*

Pars III. Lazari felix iucunditas triplex.

III. Hoc est tertium, *felix iucunditas* a parte pauperum, cum dicit: *Nunc vero hic consolatur.* Videte, quomodo contra tria mala prius dicta habebunt in futuro tria bona, non ad tempus, sed aeternaliter. Nam, quia fuerunt infirmi, *curabitur infirmitas* illa in sinu Dei vel divinae bonitatis; quia fuerunt viles et abiecti, *remunerabitur* ista *vilitas* et abiectio ex reverentia angelici obsequii; quia fuerunt pauperes et mendici, *elevabitur* eorum *paupertas* ex obtentu iudiciariae potestatis. Propter ista tria dicitur de isto Lazaro, quod visus est *in sinu Abrahae* [9]. Ecce, sinus divinae bonitatis, scilicet aeterna

---

[1] Respicitur Luc. 16, 19.
[2] Vers. 16. seqq.
[3] Vers. 13; sequuntur I. Tim. 6, 9. et Ps. 38, 7.
[4] Psalm. 9, 7; sequitur Iob 21, 14.
[5] Vers. 19.
[6] Libr. XXI. Moral. c. 46. n. 52.
[7] Vers. 8.
[8] Luc. 16, 20; sequitur Ps. 71, 13.
[9] Luc. 16, 22. seqq.

requies parata pauperibus bonis; *portatus est ab Angelis*, ecce, obsequium Angelorum erga pauperes; et petitus est *dare guttam aquae diviti* illi epuloni, ecce, abundantia totius boni.

De incunditate prima. De primo, quomodo *curabitur* eorum *infirmitas*, et quomodo eos Dominus consolabitur, dicit Isaias capite sexagesimo sexto [1]: *Sicut mater consolatur filios suos, ita consolabor vos, dicit Dominus.* Mater, videns flentem filium suum, consolatur eum et tergit lacrymas de oculis eius; ita *Deus absterget omnem lacrymam ab oculis* [2] Sanctorum suorum; *et mors ultra non erit neque luctus neque clamor neque dolor erit ultra, quoniam priora transierunt.* Nota, tria nolunt homines modo in praesenti: carorum separationem, rerum suarum amissionem, carnis infirmitatem. Sed contra ista tria *non erit luctus* in oculis pro amicorum suorum separatione, *non erit dolor* in intimo cordis pro corporis infirmitate, *non erit clamor* in labiis pro rerum suarum amissione; causam reddit: *quoniam priora transierunt.*

De secunda. De secundo, quomodo *remunerabitur* eorum *vilitas* ex obsequio angelico, dicit Isaias capite quinquagesimo quarto [3]: *Sternam per ordinem lapides tuos.* — *Lapides* isti pretiosi sunt Angeli, qui pauperibus praebent obsequium, sicut isti pauperi Lazaro, quando *portaverunt animam eius* in paradisum. Sed daemones praebuerunt obsequium diviti, quando portaverunt eius animam in infernum.

De tertia. De tertio, quomodo *elevabitur* eorum *paupertas* ex obtentu indiciariae potestatis, dicit Dominus in Luca, capite vigesimo secundo [4]: *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis; et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum;* ut, *sicut fuistis socii tribulationum, sitis et consolationum.* Bene elevabitur paupertas, quando iudicabuntur divites, qui prius eos oppresserunt; unde Sapientiae tertio [5]: *Iudicabunt* Sancti *nationes et dominabuntur populis* etc.

Pars IV. Malorum aeternas calamitas triplex. IV. Ultimo sequitur *aeterna calamitas malorum* in persona huius divitis, cum dicit: *tu vero cruciaris.* Fuit iste dives cruciatus, et simili modo cruciantur superbi homines in inferno, tripliciter: in

In flamma. *flamma* contra concupiscentiae ardorem divitiarum; unde clamabat: *Pater Abraham, miserere mei, quia crucior in hac flamma* [6]. Unde quia noluit misereri Lazaro pauperi, nec ei voluit Dominus misereri. Unde superbis divitibus *fiet iudicium sine misericordia*, Iacobi secundo, quia non fecerunt pauperibus misericordiam; ecce, primus cruciatus.

In siti. Secundo *sitis* in lingua contra venenum carnis deliciarum. Cruciatus iste est cruciatus scorpionum, cum percutiunt hominem quinque sensibus corporis, Apocalypsis nono [7]. Sicut enim videmus oculo corporali, quod homines toxicati veneno plus aliis sitiunt, sic voluptuosi inter alios peccatores magis sitient, quando apprehendet eos aquae inopia tanta, quod non poterit eis concedi una gutta aquae; et quanto plus ardebit, tanto plus sitiet. Unde Glossa ibi [8]: *Ut intingat extremum digiti:* « Guttam aquae petebat nec impetrare poterat, quia micam panis pauperi negaverat ».

In ignominia. Tertio confundentur extrema *ignominia* sua, quando sepelientur in inferno, sicut iste dives purpuratus, contra ambitionem honorum; qui cruciatus describitur Apocalypsis decimo quarto [9]: *Si quis adoraverit bestiam et imaginem eius, hic bibet de vino irae Dei.* — *Imago bestiae* est superbia, per quam omnes superbi assimilantur diabolo, quia tales inter alios peccatores plus ei assimilantur; *ipse est rex super universos filios superbiae,* Iob quadragesimo primo. Tales *bibent* de calice *irae Dei,* quando *pluet super peccatores laqueos, ignis et sulphur et spiritus procellarum pars calicis eorum.* Et ideo, qui hic volunt Deum propitium invenire studeant esse misericordes erga pauperes; Matthaei quinto [10]: *Beati misericordes,* in praesenti, *quoniam misericordiam consequentur,* in futuro. Quod nobis etc.

DOMINICA TERTIA POST PENTECOSTEN.

Sermo I [11].

Gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente, Lucae decimo quinto [12].

Introductio. Quoniam caritas est de bono alieno gaudere, hinc est, quod Dominus noster in verbo proposito ostendit, in supernis spiritibus, scilicet angelicis, qui omni caritate sunt repleti, magnum esse gaudium de conversione peccatoris, cum dicit: *Gaudium erit coram Angelis Dei* etc. In quo quidem verbo, ut ordinate procedamus, primo praemittitur *miseria humanae infirmitatis;* secundo adiungitur *efficacia medicinae sacramentalis;* tertio subiungitur *laetitia supernae civitatis.* Et haec tria debent sic ordinari. Nam spiritualis infirmitas hominis est prior et praecedit efficaciam medicinae poenitentialis, et poenitentia, sive conversio peccatoris, tanquam causa motiva praecedit gaudium Angelorum. Primo ergo in verbo

---

[1] Vers. 13; Vulgata: *Quomodo, si cui mater blandiatur* etc.
[2] Apoc. 21, 4, ubi Vulgata *quia prima abierunt* pro *quoniam priora transierunt.*
[3] Vers. 11; sequitur Luc. 16, 22.
[4] Vers. 28. seq.; deinde respicitur II. Cor. 1, 7.
[5] Vers. 8.
[6] Luc. 16, 24; sequitur Iac. 2, 13.
[7] Vers. 10: *Et habebant caudas similes scorpionum, et aculei erant in caudis earum.*
[8] Ex Beda, V. in Luc. 16, 23. seq.
[9] Vers. 9. seq.; sequuntur Iob 41, 25. et Ps. 10, 6.
[10] Vers. 7. — Hic et praecedens sermo non perfecte sunt « reportati ».
[11] Ex Vaticana et C D E F. [12] Vers. 10.

Divisio. proposito praemittitur *miseria humanae infirmitatis*, cum dicit: *super uno peccatore;* peccator enim idem est, quod infirmus spiritualiter. Secundo additur *efficacia medicinae poenitentialis*, cum subdit: *poenitentiam agente;* poenitentia enim, quae dicitur Sacramentum, est quaedam medicina spiritualis, quae multo melius curat spiritum a qualibet infirmitate, quam medicina materialis corpus. Tertio adiungitur tanquam consequens ex his *laetitia supernae civitatis*, cum subinfert: *Gaudium erit coram Angelis Dei.*

I. Dicit ergo: *super uno peccatore;* ubi notatur *miseria humanae infirmitatis.* Incurrit autem homo istam spiritualem infirmitatem, per quam miser efficitur spiritualiter, tripliciter, secundum quod in tria bona habet peccatum committi. Nam omne peccatum, generaliter loquendo, aut est in Deum, aut in proximum, aut in subiectum proprium. Incurritur autem ista spiritualis infirmitas primo, propter *fastum* mentalis superbiae provocantis Deum; secundo, propter *defluxum* carnalis lasciviae depravantis subiectum proprium; tertio, propter *odium* cordialis malevolentiae offendentis proximum.

Pars I. Miseria humanae infirmitatis triplex.

Subdivisio.

Primo homo efficitur spiritualiter infirmus per peccatum propter *fastum mentalis superbiae* provocantis Deum; unde primae Ioannis tertio [1]: *Qui facit peccatum ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli*, ab homine, quia *qui facit peccatum ex diabolo est*, non per creationem, sed per imitationem; *ipse enim regnat super omnes filios superbiae*, quoniam ab initio diabolus peccavit peccato superbiae. Nam *initium omnis peccati superbia.* Unde *Filius Dei in hoc apparuit*, visibiliter assumendo limum nostrae mortalitatis in unitate divinae personae, *ut* superba *opera diaboli dissolvat*, per suam humilitatem. Certe verecundum est, ex quo Rex regum Christus humilis factus est, ut homo, cinis et vermis, superbiat. Unde Augustinus [2]: « Habemus tale humilitatis exemplum, superbiae medicamentum. Quid ergo intumescis, o homo? O pellis morticina, quid tenderis? O sanies foetida, quid inflaris »? Princeps tuus humilis est, et tu superbis; caput humile, et membrum superbum; quasi dicat: valde reprehensibile est.

Pro fastu superbiae.

Secundo homo efficitur peccator sive infirmus spiritualiter propter *defluxum carnalis lasciviae* depravantis subiectum proprium; unde primae ad Corinthios sexto [3]: *Fugite fornicationem;* quia *omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur in corpus suum peccat.* Bene autem dicit: *Fugite fornicationem*, non resistite; quia vitium luxuriae melius vincitur fugiendo quam resistendo. *Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est;* Glossa [4]: « Id est sine corporis contaminatione »; *qui autem fornicatur in corpus suum peccat;* Glossa [5]: « Cetera peccata solum animam contaminant », fornicatio vero non solum animam, sed etiam corpus contaminat. Peccatum enim luxuriae adeo foedat hominem quantum ad corpus et deordinat quantum ad animam, ut iam non animal rationale, sed potius animal brutum debeat appellari, eo quod ad modum bestiae quod est inferius, scilicet sensualitas, facit, ut dominetur superiori, scilicet rationi. Unde Bernardus [6]: « Bestialius nihil homine rationem habente et ratione non utente »; et ideo quasi bestia reputatur et ad pascendum immunda animalia mancipatur, secundum quod dicitur Lucae decimo quinto de filio prodigo, qui, postquam *dissipavit* omnem *substantiam suam vivendo luxuriose*, positus fuit cum porcis ad pascendum eos. Unde inquit ipse: *Surgam et ibo ad patrem meum et dicam ei: Pater, peccavi in caelum et coram te.* Ecce, quod iste positus erat a diabolo cum porcis, id est cum immundis spiritibus; qui foedis voluptatibus delectantur, quos continue pascebat, cum carnis voluptatibus deserviebat [7].

De defluxu lasciviae.

Tertio efficitur homo infirmus sive peccator propter *odium cordialis malevolentiae* damnificantis proximum; unde Genesis quadragesimo secundo [8]: *Merito haec patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animae illius, dum deprecaretur nos, et non audivimus; idcirco advenit super nos ista tribulatio.* Haec est illa *fera pessima*, scilicet invidia, quae omni genere ferarum crudelior, quae iustum Abel occidit [9], sanctum Ioseph multis doloribus adimpletum vendidit, Filium Dei in crucis patibulo crudeliter quantum ad humanitatem absorbuit et etiam totum genus humanum spiritualiter interfecit. Nam *invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum* [10]. « O secretum virus et pestis occulta! O livoris parens et criminis fomes et virtutum aerugo et tinea sanctitatis [11] »! quae non cessas continue damna spiritualia filiis Adam inferre, lites et bella concitare, inimicitias et homicidia procurare, ut de cruore occisorum reficiaris. — Tollite, carissimi, tollite istam feram pessimam de medio vestri, quia statim erit securitas mentis, tranquillitas animi et simplicitas cordis, statim quiescent bella et contentiones, et foederabuntur discordes, quia, nisi per illam, nesciremus odium, immo quilibet fratrem suum sicut se ipsum diligeret.

De odio malevolentiae.

Hortatio.

II. Secundo notatur *efficucia medicinae poenitentialis*, cum subdit: *poenitentiam agente;* tunc

Pars II. Efficacia medicinae poenitentialis.

---

[1] Vers. 8; sequuntur Iob 41, 25. et Eccli. 10, 15.

[2] Serm. 304. (alias 37. de Diversis) n. 3. Cfr. etiam tom. VIII. pag. 111, nota 4.

[3] Vers. 18.

[4] Scilicet Petri Lombardi in hunc locum.

[5] *Interlinearis* et apud Petrum Lombardum.

[6] Serm. 35. in Cant. n. 8, quoad sensum, ubi respicitur Luc. 15, 13. seqq.

[7] Ita D; alii *carnis voluptates non deserebat.*

[8] Vers. 21; sequitur c. 37, 20.

[9] Respiciuntur Gen. 4, 8. et c. 37, 28.

[10] Sap. 2, 24.

[11] Bernard., serm. 6. in Ps. *Qui habitat*, n. 4.

enim poenitentia, quae est medicina sacramentalis, efficaciter sanat omnes infirmitates animae, quando habet in se tres conditiones contra tria praedicta peccata, per quas conditiones Deus provocatus placatur, subiectum proprium deordinatum reformatur, proximus damnificatus, vel offensus reconciliatur.

Subdivisio. Et propter hoc poenitentia debet esse primo, ut Deus placetur, *profunda* ex subiectionis reverentia contra mentalem superbiam Deum provocantem; secundo, ut subiectum proprium reformetur, *lacrymosa* ex doloris vehementia contra carnalem demulcentiam proprium subiectum deordinantem; tertio, ut proximus reconcilietur, *satisfactoria* ex recompensationis festinantia contra cordialem malevolentiam proximum damnificantem.

De poenitentia profunda. Primo poenitentia debet esse *profunda ex subiectionis reverentia* contra mentalem superbiam Deum provocantem; et propter hoc peccatori nomine angeli a iustitia cadentis dicitur Apocalypsis secundo [1]: *Memor esto, unde excideris, et age poenitentiam et prima opera fac.* In hoc verbo Dominus contra peccatum quasi aegroto primo offert medicinam saluti spirituali necessariam per modum disponentis et praeparantis, scilicet rememorationem culpae et ruinae, cum dicit: *Memor esto, unde excideris*, ut per hoc inducat eum faciliter ad humiliationem et poenitentiae afflictionem; unde sequitur: *et age poenitentiam et prima opera fac. Prima* namque *opera* poenitentiae dicuntur immobilia fundamenta humilitatis profundae, eo quod sine fundamento humilitatis divinae reverentiae totum aedificium confessionis et poenitentiae cedit in ruinam. Unde Augustinus ad Dioscorum [2]: « Nisi humilitas omnia, quaecumque bene facimus, et praecesserit et comitetur et consecuta fuerit, et praeposita, quam intueamur, et apposita, cui adhaereamus, et imposita, qua reprimamur, iam nobis de aliquo bono facto gaudentibus totum extorquet de manu superbia ». Hoc attendens quidam sanctus Papa [3], cum confitebatur, nolebat sedere ad latus sui capellani, qui eum audiebat, sed pedibus eius provolutus, quousque confessione completa, morabatur. Dicebat enim: Modo non teneo locum Papae, sed peccatoris; et ideo, cum recogito omnes defectus meos, necesse habeo humiliari. Unde Bernardus super Cantica [4]: « Quomodo mens mea non humiliatur in hac vera cognitione sui, cum se perceperit oneratam peccatis, mole huius mortalis corporis aggravatam, terrenis curis intricatam, carnalium desideriorum faece infectam, caecam, curvam et infirmam »? Sed certe, quicumque propter quamcumque excellentiam sive nobilitatem, dum contigerit, non vult humiliari et subiici sacerdoti, caveat sibi, ne forte imitetur diabolum, qui, cum semel veniret ad sacerdotem et diceret ei, quod vellet confiteri, non tantum fuit contentus sedere ad latus sacerdotis, immo posuit se supra caput eius. Cognoscens vero sacerdos, Spiritu sancto revelante, quia diabolus esset, ait ei: Totum aedificium tuae confessionis ruinae crescit, quia sine fundamento humilitatis incipitur. Videns enim diabolus, esse se comprehensum a sacerdote in astutia suae fallacis deceptionis, inquit ad sacerdotem: Etsi nunquam consecuturus sum indulgentiam, tamen a me nunquam nec verbo nec facto doctrinam humilitatis addisces; quia elatus et superbus sum corde. Nec recolo, me legisse propria ista verba, sed horum verborum sententiam.

Exemplum.

De poenitentia lacrymosa. Secundo debet poenitentia esse *lacrymosa ex doloris vehementia* contra carnalem lasciviam proprium subiectum deordinantem; unde secundae ad Corinthios septimo [5]: *Quae enim secundum Deum tristitia est poenitentiam in salutem stabilem operatur.* Quilibet, cum cogitat, propter peccatum suum Deum offendisse, adeo debet intime dolere et dure interius colaphizari in corde, ut prorumpat in lacrymas exterius, quia talis tristitia *operatur poenitentiam in salutem stabilem*, eo quod inde meremur veniam omnium peccatorum, quibus obligabamur ad aeternam poenam. Unde Augustinus [6]: « Ascendat homo adversum se tribunal mentis suae, reum constituat se ante faciem suam », accuset, constituendo iudicium in corde suo, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor; inde quidem sanguis cum confessione profluat, quia *si nosmetipsos diiudicaremus, non utique iudicaremur* [7].

De poenitentia satisfactoria. Tertio poenitentia debet esse *satisfactoria ex recompensationis festinantia* contra cordialem malevolentiam proximum damnificantem; unde Lucae tertio [8]: *Facite ergo fructus dignos poenitentiae.* Ille *dignos fructus poenitentiae facit*, qui quanto graviora damna, sive corporalia, sive spiritualia, intulit proximo, tanto maiorem recompensationem, quam citius potest, restituere festinat, ut *ubi abundavit delictum*, invidiae et malevolentiae inferendo damnum, ibi *superabundet gratia*, benevolentiae et concordiae restituendo ablatum, quia « nunquam remittuntur peccata, nisi restituantur ablata quaeque [9] » et maxime famae, eo quod *melius est nomen bonum quam unguenta pretiosa* terrae. Si hoc ponderaret quilibet detractor, qui omnia iudicat et a nemine vult iudicari, quia nunquam dimittitur peccatum culpae, nisi restituatur ablatum famae; forsitan fratrem suum non crucifigeret falso iudicio malignae cogitationis in corde et perverso iudicio venenosae detractionis in ore. Aliquando enim frater suus, quem

---

[1] Vers. 5.
[2] Epist. 118. (alias 56.) c. 3. n. 22.
[3] Quis hic fuerit, ignoramus.
[4] Serm. 36. n. 5.
[5] Vers. 10.
[6] Serm. 20. (alias 3.) n. 2.
[7] Epist. 1. Cor. 11, 31.
[8] Vers. 8; sequitur Rom. 5, 20.
[9] August., Epist. 153. (alias 54.) ad Macedon. c. 6. n. 20; sequitur Eccle. 7, 2.

damnat detractor, est valde carus Deo interius per gratiam, multum conformis Christo per bonam voluntatem et satis propinquus caelestibus per meritorum abundantiam.

Pars III. Laetitia supernae civitatis, triplex. III. Tertio notatur *laetitia supernae civitatis*, cum subinfert: *Gaudium erit coram Angelis Dei.* Gaudent et laetantur superni cives de salute peccatoris hominis propter rationem triplicem: primo, propter *benevolentiae et caritatis latitudinem*; secundo, propter *angelici casus restaurationem*; tertio, propter *praemii accidentalis augmentationem.*

De prima. Primo gaudent Angeli de salute peccatoris propter *benevolentiae et caritatis latitudinem.* Latitudo enim caritatis facit, quod tantum gaudet Angelus de bono proximi quantum de proprio[1], quia superna civitas non coangustatur multitudine desiderantium, quia nulli diminuitur de suo proprio praemio propter multitudinem persistentium et existentium, immo inde cuilibet sua gloria crescit. Et propter hoc dicitur in hodierno Evangelio, Lucae decimo quinto[2]: *Quae mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam et everrit domum et quaerit diligenter, donec inveniat? Et cum invenerit, convocat amicas et vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram. Ita dico vobis: Gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente. — Mulier* est divina Sapientia, *drachmae* vero *novem* sunt novem chori angelici; sed *drachma decima* est humanum genus, quae fuit perdita merito primae praevaricationis. Igitur divina Sapientia ad quaerendam istam drachmam *accendit lucernam*, luce humanitatis, uniendo eam vel indnendo lumine Divinitatis; *et everrit domum*, assumtae mortalitatis, per corporis et animae resolutionem in passione, ut per proprium sanguinem *inveniat* amissum hominem. Ex hoc enim magnum gaudium generatur Angelis Dei propter latitudinem perfectae caritatis, quae extenditur ad omnes electos.

De secunda. Secundo gaudent Angeli de salute peccatoris propter *angelici casus restaurationem.* Quamvis Angeli sint superiores hominibus per naturam, tamen ex divina largitate et benignitate, quae sibi hominem administravit, contingit, aliquos homines in gratia Angelis aequiparari et propter eorum meritorum excellentiam ad ordines Angelorum assumi, ut eorum exaltatio et sanctificatio sit angelicae ruinae per quandam aequiparantiam reparatio. De isto autem gaudio potest exponi illud Isaiae quinquagesimo primo[3]: *Consolabitur Dominus Sion et consolabitur omnes ruinas eius, et gaudium et laetitia invenietur in ea. — Sion* specula interpretatur et significat caelum empyreum, in quo positi sunt Angeli ad speculandam pulcritudinem Divinitatis, cuius *ruinas* Deus *consolatur*, quando terrenos homines loco illorum qui ceciderunt, exaltat ad ordines Angelorum. Unde super illud Psalmi: *Constitues eos principes*, Glossa: « Pauperes elegit, ut exaltaret ad ordines caeli, qui fiunt ex hominibus et Angelis ».

De tertia. Tertio gaudent Angeli de salute peccatoris propter *praemii accidentalis augmentationem.* Licet non accrescat Angelis gaudium, in quo consistit praemium *essentiale*, quia quantum ad istud perfecte beati sunt; tamen accrescit eis gaudium, in quo consistit praemium *accidentale*, quia ministrando aliis bona opera, merentur praemium *accidentale*, super quo gaudent ratione *proprii doni* et, cum concives suos ad beatitudinem perducunt, super eis absque dubio gaudent et congratulantur ratione *sui coniuncti.* Unde licet gaudeant de hominis salute, tamen non tristantur de eius damnatione, eo quod Beati susceptibiles sunt gaudii et laetitiae, sed non tristitiae. De isto gaudio dicitur Tobiae ultimo[4]: *Revertentur omnes timentes Deum, et relinquent gentes idola sua et venient in Ierusalem et inhabitabunt in ea; et gaudebunt in ea omnes reges terrae. — Revertentur*, per contritionem, *omnes timentes Deum*, filiali reverentia, qui aversi fuerant a Deo per peccatum; *et relinquent gentes idola sua*, vanitatum, *et venient in Ierusalem*, concorditer per pacis tranquillitatem; *et inhabitabunt in ea*, per boni operis continuationem. Et quia haec fiunt adiutorio Angelorum, qui deputati sunt ad nostram custodiam; ideo *reges terrae*, id est Angeli, qui regunt nos terrenos per dispensationem a Deo eis datam, *gaudebunt* propter accidentalis praemii augmentationem. Rogemus.

Sermo II[5].

Dominica tertia post Pentecosten. Sermo fratris Bonaventurae in Conventu Pisano.

Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis, primae Petri quinto[6].

Insinuantur in verbis istis duo motiva ad humilitatem, quorum primum est sub ratione *cogentis*, scilicet divinae potestatis praesidentia, quae nobis videtur metuenda; secundum, sub ratione *allicientis*, scilicet nostrae sublimationis excellentia, quae nobis declaratur appetenda. Vel ita: primo Apostolus Petrus suggerit humilitatis *actum*, ibi: *Humiliamini;* secundo subiungit humilitatis *motivum*, ibi: *sub potenti manu Dei;* tertio addit humilitatis *fructum*, ibi: *ut vos exaltet* etc. Divisio.

Pars I. Humiliari debemus triplicater. I. Circa primum nota, quod humiliari debemus triformiter, scilicet quantum ad *intellectum* in aspectu veritatis; primae ad Corinthios tertio[7]: *Si quis*

[1] Cfr. Bonav., II. Sent. d. 11. a. 2. q. 2, III. Sent. d. 31. a. 3. q. 3. in corpore et IV. Sent. d. 49. p. I. q. 6. arg. 4. cum solutione. Quoad secundum cfr. II. Sent. d. 9. q. 7. et 5. et quoad tertium d. 11. a. 3. q. 2.

[2] Vers. 8-10.

[3] Vers. 3; sequitur Ps. 44, 17; de Glossa cfr. Gregor., XXXI. Moral. c. 40. n. 99.

[4] Cap. 14, 7-9.

[5] Ex A fol. 130 v. et B fol. 58.

[6] Vers. 6.

[7] Vers. 18, qui locus sumtus est ex B.

videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens; Proverbiorum undecimo [1]: *Ubi est humilitas, ibi et sapientia.* — Quantum ad *affectum* in contemptu vanitatis; ad Philippenses secundo: *In humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, nihil per contentionem neque per inanem gloriam.* — Quantum ad *effectum* in amplexu vilitatis; secundi Regum sexto: *Ludam et vilior fiam plus quam factus sum, et ero humilis in oculis meis.*

Pars II. Tres rationes motivæ humilitatis.

II. Circa secundum nota, quod movent nos ad humilitatem: *supernæ Majestatis fastigium*, quod est summe venerandum; Ecclesiastici tertio [2]: *Magna potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur.* — *Nostræ vilitatis opprobrium*, quod est summe erubescendum; Michææ sexto: *Humiliatio tua in medio tui.* — *Extremæ severitatis judicium*, quod est summe pertimescendum; Ecclesiastici septimo: *Memento iræ, quoniam non tardabit; humilia valde spiritum tuum, quoniam vindicta carnis impii, ignis et vermis.*

Pars III. Tres eiusdem fructus.

III. Circa tertium nota, quod humilitatis *fructus* est: *placare Deum* offensum sive iratum per impetrationem indulgentiæ; Psalmus [3]: *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.* — *Devincere hostem* elatum per triumphationem victoriæ; Psalmus: *In humilitate nostra memor fuit nostri et redemit nos ab inimicis nostris.* — *Elevare hominem* delectum per exaltationem gloriæ; Lucæ decimo octavo: *Qui se humiliat exaltabitur.*

Sermo III [4].

Item, sermo fratris Bonaventuræ in Monasterio apud Ianuam.

Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis, primæ Petri quinto [5].

Apostolus Petrus primo hortatur ad divini amoris cultum et studium; secundo assignat hujusmodi gloriosum et æternum *fructum*.

Divisio.

Manus Dei quadruplex.

Circa totum nota, quod debemus voluntarie humiliari sub manu Dei *ulciscentis*, ut ipsi repropitiemur misericorditer; Psalmus [6]: *Cognovi, Domine, quia æquitas judicia tua.* — Sub manu Dei *tribuentis*, ut ab ipso locupletemur spiritualiter; Ecclesiastici decimo tertio: *Humiliare Deo et exspecta manus ejus.* — Sub manu Dei *protegentis*, ut de hoste triumphemus viriliter; Esther decimo quarto: *Esther quoque regina confugit ad Dominum et corpus suum humiliavit ieiuniis.* — Sub manu Dei *præmiantis*, ut ab ipso glorificemur finaliter; Iob vigesimo secundo [7]: *Qui humiliatus fuerit erit in gloria.*

Sermo IV [8].

Gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente, Lucæ decimo quinto [9].

In verbo isto invitat Dominus peccatores ad pœnitentiam proponendo eis Angelorum lætitiam; et possunt in hoc verbo notari tria: primum est *supernorum civium lætitia*, secundum est *lætandi materia*, tertium est *lætificationis causa*. Primum notatur in hoc, quod dicit: *Gaudium est Angelis Dei;* secundum in hoc, quod dicit: *super uno peccatore;* tertium in hoc, quod subiungit: *pœnitentiam agente.*

Divisio.

Peccator ergo, quasi constitutus in medio, ad pœnitentiam *invitatus* est primo et *informatus* est ultimo. Hoc enim est peccatores invitari ad pœnitentiam, quod audiunt, in supernis civibus generari lætitiam.

Pars I. Ratquadruplex ad pœnitentiam invitans. Prima.

I. Quadruplex autem reperiri potest in Scripturis *ratio* sive causa ad pœnitentiam nos invitans.

Prima est *mitigatio severitatis* divinæ, de qua dicitur in Ieremiæ decimo octavo [10]: *Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam, agam et ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei*, quasi dicat: aliter non mitigabitur ira mea; Ecclesiastici secundo: *Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini et non in manus hominum. Horrendum est* enim *incidere in manus Dei viventis*, sicut dicitur ad Hebræos decimo.

Secunda.

Secunda est *evitatio calamitatis* perpetuæ; Lucæ decimo tertio [11]: *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis*, scilicet periculo sempiternæ damnationis, de quo dicitur Apocalypsis decimo sexto: *Commanducaverunt linguas suas præ dolore et blasphemaverunt Deum cæli præ doloribus et vulneribus suis et non egerunt pœnitentiam ex operibus suis.*

Tertia.

Tertia est *lætificatio civitatis* supernæ, secundum quod dicitur Lucæ decimo quinto [12]: *Gaudium erit in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente quam supra nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia.* Hujus supernæ civitatis civis erat Apostolus, qui dicebat secundæ ad Corinthios septimo: *Nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam.*

Quarta.

Quarta causa est *acquisitio felicitatis* æternæ; Matthæi tertio [13]: *Pœnitentiam agite, appropinquavit*

---

[1] Vers. 2; sequuntur Phil. 2, 3. et II. Reg. 6, 22.
[2] Vers. 21; sequuntur Mich. 6, 14. et Eccli. 7, 18. seq.
[3] Psalm. 50, 18; sequuntur Ps. 135, 23. seq. et Luc. 18, 14.
[4] Ex A fol. 131 r.; in B hic sermo est continuatio præcedentis sermonis.
[5] Vers. 6.
[6] Psalm. 118, 75; sequuntur Eccli. 13, 9. et Esth. 14, I. seq.
[7] Vers. 29.
[8] Ex cod. Tudert. n. 182. fol. 138 v. Schemate infra posito comprobatur, hunc sermonem tribuendum esse Bonaventuræ.
[9] Vers. 10.
[10] Vers. 8; sequuntur Eccli. 2, 22. et Hebr. 10, 31.
[11] Vers. 3; sequitur Apoc. 16, 10. seq.
[12] Vers. 7; sequitur II. Cor. 7, 9.
[13] Vers. 2.

enim regnum caelorum. Ratione huius poenitentiae dicit Dominus Pharisaeis Matthaei vigesimo primo [1]: *Publicani et meretrices praecedent vos in regno Dei;* et propterea dicitur Matthaei nono: *Non veni vocare iustos, sed peccatores ad poenitentiam.*

His ergo quatuor rationibus ad poenitentiam invitantur, quarum una exprimitur in auctoritate praemissa, videlicet supernae civitatis laetitia.

II. Sed quia laetitia non est in caelo de qualibet poenitentia, sed perfecta; ideo convenienter *informatur, qualiter* agenda sit poenitentia. Ad hoc autem, quod poenitentia sit perfecta, necesse est, quod sit septem conditionibus informata.

Pars II. Septem conditiones perfectae poenitentiae.

Primo debet esse *pudorosa* contra peccati inverecundiam et impudentiam; Ieremiae trigesimo primo [2]: *Converte me, et convertar; postquam enim convertisti me, egi poenitentiam. Confusus sum et erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiae meae.* Quocontra dicitur Ieremiae octavo de peccatoribus: *Confusi sunt, quia abominationem fecerunt; quin immo confusione non sunt confusi et erubescere nescierunt;* et ad animam peccatricem Ieremiae tertio: *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* — Exemplum huius habemus in publicano, de quo dicitur, quod *stans a longe, nolebat nec oculos ad caelum levare,* Lucae decimo octavo [3]. Similiter autem et in filio prodigo, Lucae decimo quinto.

Prima.

Exemplum.

Secundo debet esse *dolorosa* contra peccati concupiscentiam; secundae ad Corinthios septimo [4]: *Quae secundum Deum tristitia est poenitentiam in salutem stabilem operatur;* ideo dicit: *secundum Deum,* quia *tristitia* secundum mundum *operatur* poenitentiam in *mortem.* Propterea dicitur Matthaei vigesimo septimo de Iuda: *Poenitentia ductus, laqueo se suspendit. Tristitia* enim *mundi* parit desperationem, *tristitia* vero *secundum Deum* parit iustificationem. —

Secunda.

Exemplum.

Exemplum habemus in Petro, Matthaei vigesimo sexto, qui *egressus foras flevit amare.* Hoc modo poenitebat Ezechias, in cuius cantico dicitur [5]: *Recogitabo tibi omnes annos meos.*

Tertio debet esse *lacrymosa* contra peccati immunditiam, quod significatum fuit in baptismo Ioannis, de quo dicitur Marci primo [6]: *Fuit Ioannes in deserto baptizans et praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum.* Hic baptismus est balneus lacrymarum, de quo dicit Propheta: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* — Exemplum habemus in Magdalena, de qua dicitur Lucae septimo, quod *stans retro secus pedes* Domini, *lacrymis coepit rigare pedes eius.*

Tertia.

Exemplum.

Quarto debet esse *tempestiva* contra peccati duritiam, ne sibi improperetur, secundum illud quod dicitur de illo superbo, Iob vigesimo quarto [7]: *Dedit ei Deus locum poenitentiae, et ille abutitur eo in superbiam;* et ideo meretur sibi auferri, secundum quod dicitur de Esau, ad Hebraeos duodecimo: *Non invenit poenitentiae locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam.* Tales enim potius inveniunt iram quam misericordiam; ad Romanos secundo: *An ignoras, quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae* etc. Qui enim modo non poenitent fructuose postmodum poenitebunt infructuose; Sapientiae quinto [8]: *Dicentes intra se, poenitentiam agentes et prae angustia spiritus gementes;* et ideo, sicut dicitur Threnorum tertio, *bonum est viro, cum portaverit iugum ab adolescentia sua.* — Huius autem exemplum habemus in Ioanne Baptista, qui « teneris sub annis [9] » petiit deserta ad poenitentiam faciendam.

Quarta.

Exemplum.

Quinto debet esse *continua* contra peccati inconstantiam; Apocalypsis secundo [10]: *Habeo adversum te pauca, quod caritatem tuam primam reliquisti. Memor esto, unde exciderit, et age poenitentiam et prima opera fac.* Et concordat consilium Sapientiae; Ecclesiastae nono: *Quodcumque facere potest manus tua instanter operare;* et ad Galatas sexto: *Bonum autem facientes, non deficiamus; tempore enim suo metemus, non deficientes.* — Exemplum antem huius habemus in Paulo, qui dicit de se ipso: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi,* secundae ad Timotheum quarto [11]; et David dicebat de se ipso: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco* etc.; et iterum: *Quoniam ego in flagella paratus sum.*

Quinta.

Exemplum.

Sexto debet esse *integra* contra peccatorum multitudinem; Ezechielis decimo octavo [12]: *Si autem impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est, et custodierit universa praecepta mea et fecerit iudicium et iustitiam, vita vivet et non morietur.* Dicit, omnia peccata vitanda et omnia praecepta implenda; quia, secundum quod dicitur Iacobi secundo, *quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Et ideo oportet integraliter de omnibus poenitere. — Exemplum autem huius habemus in Zachaeo, qui dicit Lucae decimo nono: *Ecce, dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.*

Sexta.

Exemplum.

Septimo debet esse poenitentia *condigna* contra peccati magnitudinem; Lucae tertio [13]: *Facite fructus*

Septima.

---

[1] Vers. 31; sequitur c. 9, 13. (cfr. Luc. 5, 32.).
[2] Vers. 18. seq.; sequuntur c. 8, 12. et 3, 3.
[3] Vers. 13; deinde respicitur Luc. 15, 21.
[4] Vers. 10; sequuntur Matth. 27, 3. 5. et c. 26, 75.
[5] Isai. 38, 15.
[6] Vers. 4; sequuntur Ps. 6, 6. et Luc. 7, 38.
[7] Vers. 23; sequuntur Hebr. 12, 17. et Rom. 2, 4. seq.
[8] Vers. 3; sequitur Thren. 3, 27; de Ioanne Luc. 1, 80.
[9] Cfr. Hymn. Matut. in festo S. Ioan. Bapt. die 24. Iunii.
[10] Vers. 14. 4. seq.; sequuntur Eccle. 9, 10. et Gal. 6, 9.
[11] Vers. 7; sequuntur Ps. 50, 5. et 37, 18.
[12] Vers. 21; sequuntur Iac. 2, 10. et Luc. 19, 8.
[13] Vers. 8. — Sequens locus Gregorii est i. Homil. in Evang. homil. 20. n. 8.

dignos poenitentiae; super quo dicit Gregorius, quod ille *dignos fructus poenitentiae facit,* qui « tanto maiora quaerit bonorum operum lucra per poenitentiam, quanto graviora sibi intulit damna per culpam ». — Exemplum autem huius habemus in Paulo Apostolo, qui dicit de se ipso primae ad Corinthios decimo quinto [1]: *Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus. Gratia Dei sum id quod sum, et gratia eius in me vacua non fuit,* sed semper in me manet; *abundantius illis omnibus laboravi.* Et sic impletum est quod ipse alibi dicit, ad Romanos quinto: *Ubi abundavit delictum,* per excessus culpae, ibi *superabundavit* et *gratia,* per dignos fructus poenitentiae. — His igitur septem conditionibus debet esse poenitentia informata, ut Angelis in caelo possit placita esse et iucunda. Haec est enim illa poenitentia, de qua dicit Augustinus [2], quod est quaedam « res optima et perfecta, quae omnes defectus reducit ad perfectum ».

Exemplum.

Epilogus.

Schema praecedentis sermonis [3].

Item, sermo fratris Bonaventurae populo apud Clavarum.

Gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente, Lucae decimo quinto [4].

In verbo isto circa quemlibet peccatorem poenitentiam agentem vel conversum nota tria, scilicet *supernae matris laetitia,* quia *gaudium* est *Angelis Dei; laetitiae digna materia,* ibi: *super uno peccatore; materiae summa causa,* ibi: *poenitentiam agente.*

Divisio.

Circa totum nota, quod quadruplex est causa, quae ad poenitentiam nos inducere debet, scilicet *mitigatio severitatis* divinae; Ieremiae decimo octavo [5]: *Si poenitentiam egerit gens illa a malo suo, agam et ego poenitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei.* — *Evitatio calamitatis* perpetuae; Lucae decimo tertio: *Nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* — *Congratulatio civitatis* supernae vel supremae; Lucae decimo quinto: *Dico vobis: Ita gaudium erit in caelo super uno peccatore poenitentiam agente.* — *Acquisitio felicitatis* aeternae; Matthaei tertio [6]: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum.*

Causa motiva quadruplex.

Sed quia gaudium non est in caelo nisi post perfectam poenitentiam, informat hic, qualiter poenitentia sit agenda. Ad hoc autem, quod poenitentia sit perfecta, necesse est, quod septem conditionibus sit informata. Debet enim esse *pudorosa* contra peccati impudentiam, exemplo publicani, Lucae decimo octavo [7], et Ieremiae trigesimo primo: *Postquam convertisti me, egi poenitentiam; et postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Confusus sum et erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiae meae.* — *Dolorosa* contra peccati concupiscentiam, exemplo Petri, Matthaei vigesimo sexto [8], et secundae ad Corinthios septimo: *Quae enim secundum Deum tristitia est poenitentiam in salutem stabilem operatur.* — *Lacrymosa* contra peccati immunditiam, exemplo Magdalenae, Lucae septimo [9], in cuius figura Marci primo: *Fuit Ioannes in deserto baptizans et praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum;* Marci primo: *Poenitemini et credite Evangelio.* — *Festina* contra peccati diuturnitatem [10], exemplo David, secundi Regum duodecimo [11]; ad Romanos secundo: *An ignoras, quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit?* — *Fervida* contra peccati inconstantiam, exemplo Iob, Iob ultimo [12]: *Ipse me reprehendo et ago poenitentiam in favilla et cinere.* — *Integra* contra peccati frequentiam, exemplo Pauli, Actuum nono; Ezechielis decimo octavo: *Convertimini et agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris.* — *Condigna* contra peccati magnificentiam, exemplo Zachaei, Lucae decimo nono [13]; Matthaei tertio: *Facite fructum dignum poenitentiae.*

Septem conditiones poenitentiae.

DOMINICA QUARTA POST PENTECOSTEN.

Sermo I [14].

Relictis omnibus, secuti sunt eum, Lucae quinto [15].

Quoniam Christi doctrina ab altitudine paupertatis sumsit exordium, et evangelicae perfectionis primarium fundamentum securitate paupertatis firmiter collocatur; hinc est, quod Christi Apostoli, sancti Evangelii professores, in quibus Dominus fundaturus erat Ecclesiam, ostenduntur omnia reliquisse in verbo proposito, cum dicit: *Relictis omnibus, secuti sunt eum.* In quo quidem verbo duo notantur cuilibet necessaria ad salutem: primum est *desertio impedimenti* retrahentis; secundum est *adeptio complementi*

Divisio.

[1] Vers. 9. seq.; sequitur Rom. 5, 20.
[2] Potius auctor opusculi Hypognostic. (inter opera August.), lib. c. 9. n. 17.
[3] Ex A fol. 131 r. et B fol. 58 v. — Hoc schema fere non differt a sermone nisi omissione plurium locorum Scripturae.
[4] Vers. 10.
[5] Vers. 8; sequuntur Luc. 13, 3. et dein c. 15, 7.
[6] Vers. 2.
[7] Vers. 13; sequitur Ier. 31, 19.
[8] Vers. 75; sequitur II. Cor. 7, 10.
[9] Vers. 44; sequuntur Marc. 1, 4. et dein v. 15.
[10] Cod. B legit *Tempestiva contra peccati duritiam.*
[11] Vers. 12. seq.; sequitur Rom. 2, 4.
[12] Cap. 42, 6; sequuntur Act. 9, 3. seqq. et Ezech. 18, 30.
[13] Vers. 8. seqq.; sequitur Matth. 3, 8.
[14] Ex Vaticana et C D E F.
[15] Vers. 11.

expedientis. Primo in verbo proposito notatur *contemptus terrenorum*, cum dicit: *Relictis omnibus.* Licet non omnes teneantur relinquere omnia quantum ad effectum, nisi perfecti, qui voto paupertatis sunt astricti; tamen omnes tenentur omnia relinquere quantum ad affectum, ne, eorum amore superati, cor suum circa defluentes divitias apponant et perverso ordine creaturam supra Deum diligant. Secundo notatur *appetitus aeternorum*, cum subdit: *secuti sunt eum.*

I. Dicit ergo: *Relictis omnibus;* ubi notatur de-
ars I. De- *sertio impedimenti retrahentis.* Apostoli namque tan-
rtio impe- quam veri legati, ut esset eorum legatio similis le-
dimenti re- gationi Christi, ad amovendum quodlibet retrahens
tubdivisio. impedimentum reliquerunt omnia: primo tanquam *pondera praegravantia*, ut essent expeditiores ad currendum post Christum; secundo, tanquam *vincula detinentia*, ut essent securiores ad arguendum malum; tertio, tanquam *obstacula praepedientia*, ut essent efficaciores ad persuadendum bonum.

Primo reliquerunt omnia tanquam *pondera gra-*
e membro *vantia*, ut expeditiores essent ad currendum post
primo. Christum, qui *exultavit ut gigas ad currendam viam* [1] evangelicae perfectionis, eo quod fuit sine omni pondere terrenitatis. Nam a principio suae nativitatis paupertatem in suo corpore consecravit, in mundo cum pauperrimis hominibus pauperrime conversatus et associatus, in fine vero nudus in cruce positus fuit et post resurrectionem in specie peregrini apparuit. Qui ergo debet esse Christi legatus *debet, sicut ipse ambulavit, et ipse ambulare;* qui autem ambulat *in curribus et in equis* [2] phaleratis, in pompis et divitiis, non est successor nec legatus Christi, quia non habet in sua vita paupertatis signa, quae sunt Christi legationis approbativum sigillum. Hoc attendens, Petrus dixit ad Dominum Matthaei decimo nono: *Ecce, nos reliquimus omnia et secuti sumus te, quid ergo erit nobis? Iesus autem dixit illis: Amen, dico vobis, quod vos, qui* reliquistis omnia et *secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel.* « Petrus enim piscator erat et pauper, manu et arte cibum quaerebat, et tamen cum confidentia allegat multum, cum dicit: *Ecce, nos reliquimus omnia et secuti sumus te,* et explorat praemium, cum dicit: *quid ergo erit nobis* praemii [3] »? Et hoc est, quia, sicut dicit Gregorius [4], « tanta a sequentibus dimissa sunt, quanta a non sequentibus concupisci potuerunt ». Bene ergo fecisti, Petre et ceteri Apostoli, omnia relinquendo, quia per hoc maximum consecuti estis praemium. Non enim pro certo aliter obtinuistis principatum fidei christianae, quia nunquam in vobis Dominus fundaturus erat Ecclesiam, nisi vos primo ad illud fundamentum reduxisset et in eo firmasset, neque ad sedes iudiciariae potestatis sublimasset. Nam « haec est illa celsitudo altissimae paupertatis, quae vos, Apostolos, heredes et reges regni caelorum constituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit [5] ». Certe nec hoc mirum, si ita sublimavit, inthronizavit et magnificavit eos altitudo paupertatis. Nam sicut videmus in istis materialibus, quod tanto ille ascensus est altior, quanto id quod ascendit fuerit levius et purius; sic et in spiritualibus tanto ascensus alicnius altior, quanto quod ascendit a terrena cupiditate est purius et virtute gratiae plenius.

Secundo reliquerunt omnia tanquam *vincula de-* Item, de se-
cundo.
tinentia, ut essent securiores ad arguendum malum. Apostoli namque nemini amore acquirendi vel timore amittendi, quasi quibusdam vinculis detenti, parcebant neque veritatem tacebant, immo « veritatis iaculis tam magnos quam pueros aeque feriebant [6] ». Metus enim terrenae potestatis et quaestus mundanae cupiditatis generant in hominibus, qui nolunt relinquere ista terrena, ambignum simulatoriae falsitatis. Malunt studere adulationi et cupiditati, quam assistere veritati. — Et propter hoc Mathathias et eius filii, ne forte Exemplum.
mandatis regis Antiochi, qui inducebat Iudaeos ad idololatriam, consentirent, postquam eius nuntium constanter redarguerunt et etiam zelo Legis et veritatis interfecerunt, relinquentes omnia in civitate, ad securitatem paupertatis confugerunt; unde de his dicitur primi Machabaeorum secundo [7]: *Exclamavit Mathathias voce magna in civitate, dicens: Omnis, qui zelum habet Legis, statuens testamentum, exeat post me. Et fugit ipse et filii eius in montes, et reliquerunt quaecumque habebant in civitate.* Gloriosius reputabant isti beati viri occidi cum veritate, quam magnificari cum falsitate. O quam gloriosum est mori pro veritate, quae, etsi non convertat audientem, coronat tamen praedicantem! O Deus, utinam essent hodie multi Mathathiae, multi Ioannes Baptistae et multi Pauli Apostoli, qui non tacerent veritatem principibus et praecipue praelatis. Nullorum enim vita magis nocet quam principum et maxime praelatorum. Unde Gregorius in Pastorali [8]: « Nemo in Ecclesia magis nocet, quam qui perverse agens, nomen vel ordinem dignitatis sive sanctitatis tenet. Delinquentem namque hunc redarguere nullus praesumit, et in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur ».

Tertio reliquerunt omnia tanquam *obstacula* Item, de
tertio.
praepedientia, ut essent efficaciores ad persuadendum bonum; unde Matthaei quarto [9]: *Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum. At illi*

[1] Psalm. 18, 6; sequitur I. Ioan. 2, 6.
[2] Respicitur Ps. 19, 7; sequitur Matth. 19, 27. seq.
[3] Hieron., lib. in Matth. c. 19, paucis mutatis.
[4] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 5. n. 2.
[5] Cfr. Regula Fratrum Minorum, c. 6.
[6] Cfr. respons. 6. ad Matutinum in officio S. Antonii composito a Fr. Iuliano de Spira.
[7] Vers. 27. seq.
[8] Parte I. c. 2.
[9] Vers. 19. seq.

continuo, relictis retibus, secuti sunt eum. Ecce, quod Apostoli ad hoc, quod efficaciter piscarentur homines, reliquerunt omnia terrena, ne obstaculum sive impedimentum illis quos piscaturi erant, praeberent. Num, sicut melius persuadet vita quam lingua, et exempla quam verba; sic efficacius persuadet contemptus mundi et mortificatio carnis et qui pauper est et *carnem suam crucifigit cum vitiis et concupiscentiis* [1], quam qui dives est et carnem suam nutrit et fovet in deliciis. Quis enim Apostolis de contemptu mundi credidisset, si eos amatores mundanorum vidisset? Si enim Apostoli quaestores et congregatores divitiarum fuissent, totus mundus ab eis fugisset, vel saltem per eorum conversationem ab amore Dei elongatus fuisset. Nunc autem rete pauperta attraxit ad amorem et laudem Dei, quando eorum exemplo, destructa mundi *cupiditate*, quae *est radix omnium malorum*, inserebatur cordibus fidelium Christi paupertas, quae est primarium fundamentum omnis boni. Non enim aliter fundaverunt Apostoli Ecclesiam nisi per spiritum paupertatis, quia non exercitu equorum et robore divitiarum mundum converterunt; immo pro auro et reditibus hodie salus animarum viluit. — Sed ne forte commendatio paupertatis videatur resultare in condemnationem rerum temporalium Ecclesiae; ideo bonum est dicere, quod temporalia Ecclesiae bona sunt pro tempore toleranda et etiam quoquo modo affectanda propter multiplicem causam, videlicet propter Sponsi honorem, sponsae decorem, viatorum sustentationem, pauperum provisionem, infirmorum consolationem et fidelium devotionem et etiam propter usum communitatis. Et cum propter istas causas tolerantur, non diminuunt in praelatis perfectionem, sed si bene dispensentur, meritum augent, et si male, occasionem damnationis praestant [2].

Notandum.

Pars II. Adeptio complementi expedientis. Subdivisio.

II. Secundo notatur in verbo proposito *adeptio complementi* expedientis, cum dicit: *secuti sunt eum.* Secuti sunt Apostoli Christum tanquam finem et complementum omnis boni tripliciter: primo, *humiliter*, sine superbia propter splendorem internae cognitionis; secundo, *concorditer*, sine invidia propter amorem supernae [3] conversationis; tertio, *perseveranter*, cum constantia propter tolerantiam continuae afflictionis. Et sic Apostoli sequentes Christum per haec tria perfecte reducebantur ad beatam Trinitatem. Nam per splendorem claritatis internae, dirigentis rationalem reducebantur ad sapientiam Filii; per amorem caritatis supernae, rectificantis concupiscibilem reducebantur ad benevolentiam Spiritus sancti; per vigorem virilis constantiae, stabilientis irascibilem reducebantur ad potentiam Patris aeterni. Et haec tria, scilicet intelligentia divinorum, concordia proximorum et tolerantia adversorum, sunt necessaria cuilibet ad salutem.

Secuti sunt humiliter.

Primo secuti sunt Christum *humiliter, sine superbia* propter splendorem internae cognitionis. Nam splendorem intelligentiae humilitas aperit, superbia claudit, quae, « dum inflat, obnubilat [4] » et privat a lumine veritatis. Et de hoc dicitur Ioannis octavo [5]: *Ego sum lux mundi; qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae. — Ego sum* vera *lux mundi*, quia non aliunde accipio, immo de fonte meae sapientiae quodlibet aliud lumen creatum scaturit; et ideo *qui sequitur me*, per humilem subiectionem, *non ambulat in tenebris*, erroris et ignorantiae; *sed habebit lumen vitae* et gratiae vivificantis affectivam et illustrantis intellectivam.

Item, concorditer.

Secundo secuti sunt Christum *concorditer, sine invidia* propter amorem supernae conversationis; unde primae Petri secundo [6]: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius; qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius.* O verbum dulcissimum, o verbum verissimum et omni memoria et laude dignum! quoniam *Christus passus est pro nobis*, purgandis ab omni iniquitate; *vobis relinquens exemplum*, caritatis et benevolentiae, *ut sequamini vestigia eius*, ad summam perfectionem deducentia. Si enim quaeratur: Quid movit Filium Dei ad patiendum pro nobis? non invenitur alia causa quam eius benevolentia et caritas misericordissima; unde dicitur primae Ioannis tertio [7]: *In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit.* Sed quia istud exemplum tantae benevolentiae est imitatione dignum, ideo adiunxit: *et nos debemus pro fratribus animas ponere.* Quod bene adimpleverunt Apostoli, quando, postposita malitia invidiae, animas suas libenter pro salute omnium electorum posuerunt. Et propter hoc quilibet eorum potest dicere illud: *Vestigia eius secutus est pes meus, viam eius custodivi et non declinavi ex eis.* — *Vestigia*, inquam, *eius*, caritatis et benevolentiae, *secutus est pes meus*, affectuosae dilectionis, eo quod *gloria magna est sequi Dominum*, in caritate perfecta.

Item, perseveranter.

Tertio secuti sunt Christum *perseveranter, cum constantia* propter tolerantiam continuae macerationis; unde Lucae nono [8]: *Qui vult venire post me abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me. — Qui vult venire post me*, humilem et mortificatum, *abneget semetipsum*, per humilem subiectionem, *et tollat crucem suam*, continuae macerationis, *et sequatur me*, perseveranter usque ad aeterni palatii ingressionem. Et bene praemittitur in illa auctoritate humilitatis subiectio, quae intelligitur

[1] Respicitur Gal. 5, 24; deinde sequitur I. Tim. 6, 10.
[2] Cfr. Bonav., tom. VIII. Apologia pauperum, c. 8.
[3] Cod. D satis bene habet *fraternae*.
[4] Gregor., XXIII. Moral. c. 17. (alias 10.) n. 31.
[5] Vers. 12.
[6] Vers. 21. seq.
[7] Vers. 16; sequuntur Iob 23, 11. et Eccli. 23, 38.
[8] Vers. 23.

per abnegationem propriae voluntatis; (et sequitur) amaritudo poenitentiae et mortificationis, quae intelligitur nomine crucis, eo quod carnis mortificatio aliquando perditur per superbiam, aliquando per gulam [1]. Et propter hoc, si volumus perfecte tollere crucem mortificationis, debemus esse humiles in corde et abstinentes in carne. Rogemus.

Sermo II [2].

Dominica quarta post Pentecosten. Sermo fratris Bonaventurae in Capitulo Parisius, de mane.

Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam, Lucae quinto [3].

In verbis his hortatur Salvator praelatos et praedicatores Evangelii ad duo, scilicet ad studiosum *zelum* animarum, ibi: *Duc in altum;* quasi (dicat): animas demersas emergere sit vestrum propositum; et ad effectivum *lucrum* earum demersarum in profundum quadriformiter, scilicet vilitatis, caecitatis, calamitatis, mortalitatis, ibi: *et laxate retia vestra in capturam;* quasi (dicat): lucramini animas, quas diabolus conatur auferre. Divisio.

I. Quantum ergo ad primum dicit: *Duc in altum.* Circa quod nota, quod debemus *ducere* animas quadrupliciter *in altum,* scilicet in altum *Maiestatis* praecelsae ad venerandum numina omnipotentiae; Ecclesiastae septimo [4]: *Et alta profunditas, quis inveniet eam?* quasi dicat: rarus, nisi devotus et humilis. — *Claritatis* supremae ad speculandum lumina sapientiae; ad Romanos undecimo: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei; quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius!* — *Suavitatis* aeternae ad degustandum charismata gratiae; Ecclesiastici quadragesimo tertio: *Altitudinis firmamentum pulcritudo eius est, species caeli in visione gloriae.* — *Aeternitatis* gloriae ad desiderandum praemia vitae; Psalmus [5]: *Mirabilis in altis Dominus. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis; domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudinem dierum.* Ire I. Due re animas ultum quadrupliciter.

II. Circa secundum nota, quod *laxare* debemus *retia in capturam* lucrando et capiendo animas quadriformiter, scilicet *verbo eruditionis* salutiferae; Lucae quinto [6]: Ecce, *ex hoc iam homines eris capiens.* — *Exemplo conversationis* evangelicae [7]; secundae ad Corinthios septimo: *Capite nos. Neminem laesimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus.* — *Suffragio orationis* devotae; Canticorum secundo: *Sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis et facies tua decora. Capite nobis vulpes parvulas, quae demoliuntur vineas; nam vinea nostra floruit.* — *Beneficio supportationis* caritativae; secundae ad Corinthios duodecimo [8]: *Cum essem astutus, dolo vos cepi* etc. Pars II. Laxare rete quadrupliciter.

DOMINICA QUINTA POST PENTECOSTEN.

Sermo I [9].

Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio, Matthaei quinto [10].

Volens Dominus noster Iesus Christus retrahere genus humanum a furore iracundiae animum deordinantis, ne prorumpat in aliquod damnum proximi, tanquam iudex rectissimus in verbo proposito cuilibet irascenti fratri suo praenuntiat poenam aeterni iudicii, cum dicit: *Omnis, qui irascitur fratri suo* etc. In quo quidem verbo valde ordinate proceditur. Nam primo describitur peccatum iracundiae quantum ad *interiorem originem,* quam habet ex malo animo; secundo, quantum ad *exteriorem diffusionem* sive operationem, quam habet in suo proximo sive obiecto; tertio, quantum ad *finalem ordinationem,* quam habet in aeterno supplicio. Primo describitur peccatum irae quantum ad *interiorem originem,* quam habet ex malo animo, cum dicit: *Omnis, qui irascitur;* Glossa [11]: « Ira est omnis malus motus ad nocendum; subitus autem motus, cui non consentitur, propassio est; accedente consensu, passio est ». Sed omnis motus, sive bonus, sive malus, bonitate morali habet originem ab anima. Secundo describitur peccatum iracundiae quantum ad *exteriorem diffusionem* sive operationem, quam habet in suo proximo, cum subdit: *fratri suo. Irascitur* homo, cum inordinate movetur in se ipso interius; sed *fratri suo,* cum ille malus motus verbo vel facto ad nocendum proximo prorumpit exterius. Tertio describitur peccatum iracundiae quantum ad *finalem ordinationem,* quam habet in aeterno supplicio, cum subinfert: *reus erit iudicio.* Divisio.

I. Primo ergo describitur peccatum iracundiae quantum ad *interiorem originem,* quam habet ex perverso animo, cum dicitur: *Omnis, qui irascitur.* Tria namque sunt, quae perturbant animam secundum omnem sui potentiam ut causa et origo Pars I. Origo interior irae. Subdivisio.

---

[1] Locus hic in editione et codicibus est aliquatenus corruptus.

[2] Ex A fol. 131 v. et B fol. 59.

[3] Vers. 4.

[4] Vers. 25; sequuntur Rom. 11, 33. et Eccli. 43, 1.

[5] Psalm. 92, 5. seq.

[6] Vers. 10.

[7] Cod. B legit *angelicae.* — Sequuntur II. Cor. 7, 2. et Cant. 2, 14. seq.

[8] Vers. 16. seq.

[9] Ex Vaticana et C D E F. In nonnullis tantum convenit cod. Tudert. n. 104. fol. 221 v.

[10] Vers. 22.

[11] Scilicet *ordinaria* ex Lyrano in hunc locum. Cfr. Petr. Lombard., III. Sent. d. XV. et c. 2. et ibi Comment. Bonav., dub. 5.

irae et furoris. Primum est *error* caecitatis et ignorantiae ex defectu veritatis discernendae; secundum est *livor* malignitatis et invidiae ex defectu caritatis fraternae; tertium est *furor* crudelitatis et vindictae ex defectu pacis et concordiae. Primum est in rationali; secundum, in concupiscibili; tertium, in irascibili.

Error caecitatis.

Primo in homine, qui irascitur, est *error caecitatis* et ignorantiae quantum ad rationalem ex defectu veritatis discernendae; unde Ecclesiastici primo [1]: *Iracundia enim animositatis illius perversio illius est.* Ita enim pervertitur et conturbatur in ira oculus rationis, ut omnino non videat; vel distorquetur, ut perverse aliud pro alio probet et improbet et falsa pro veris approbet. Unde auctor dicit:

Impedit ira animum, ne possit cernere verum,

nec cognoscere, quam carus sit frater suus Deo speciositate virtutum, quam dives interius fecunditate bonorum operum, et quam propinquus Angelis per appetitum caelestium, eo quod in multis probatur, in diversis confunditur et in contrariis irritatur.

Livor malignitatis.

Secundo in homine, qui irascitur, est *livor malignitatis* et invidiae quantum ad concupiscibilem ex defectu caritatis fraternae; unde Proverbiorum decimo quinto [2]: *Vir iracundus provocat rixas; qui patiens est mitigat suscitatas;* et vigesimo sexto: *Sicut carbones ad prunas et ligna ad ignem, sic homo iracundus suscitat rixas;* Proverbiorum vigesimo nono: *Et qui ad indignandum facilis est erit ad peccandum proclivior.* Sicut enim omnium virtutum incrementum pendet ex caritate, sic omnia vitia sumunt incitamentum ex furore irae. Unde *qui facilis est,* ad iram propter livorem invidiae, *erit* ad omnia facinora et nocentia proximi *proclivior.* Unde Glossa super illud Proverbiorum vigesimo nono [3]: *Vir iracundus provocat rixas,* dicit sic: « lanua omnium vitiorum est iracundia; qua clausa, virtutibus intrinsecus dabitur requies, aperta, ad omne facinus armabitur animus ».

Furor crudelitatis.

Tertio in homine, qui irascitur, est *furor crudelitatis* et vindictae quantum ad irascibilem ex defectu pacis et concordiae; unde Proverbiorum vigesimo septimo [4]: *Ira non habet misericordiam nec erumpens furor.* Iracundi enim ratione furoris non sunt dicendi homines, sed potius ferae furibundae, eo quod ad modum ferarum sunt sine misericordia, sugentes sanguinem aliorum; et propter hoc dabat bonum consilium Sapientia Ecclesiastici octavo: *Cum iracundo non facias rixam, et cum audace non eas in desertum, quoniam quasi nihil est ante illum sanguis.*

Pars II. Secundo describitur peccatum iracundiae quantum ad *exteriorem diffusionem*

II. Sequitur: *fratri suo;* ubi secundo describitur peccatum iracundiae quantum ad *exteriorem diffusionem,* quam habet in suo proximo. Unde primo est *irasci* et hunc motum in animo retinere, deinde *fratri,* cum ille motus ad nocendum exterius prorumpit. Irascitur enim aliquis fratri suo tripliciter secundum tria instrumenta corporis, scilicet *cordis, oris* et *manus,* per quae omnis motus irae, sive interior, sive exterior, habet exerceri. Nam primo irascitur aliquis fratri suo *perverso iudicio* malignae cogitationis in corde; secundo, *duro verbo* iniuriosae conviciationis in ore; tertio, *pravo maleficio* fraternae laesionis in opere.

Subdivisio.

Primo *irascitur* aliquis fratri suo *perverso iudicio* malignae cogitationis in corde. Hanc autem interiorem cogitationem illicitam et commotionem removet Dominus, cum dicit in hodierno Evangelio: *Ego autem dico vobis: Omnis, qui irascitur fratri suo.* Intelligitur expositio sic: id est, plus addo, quam non occidere, scilicet non irasci; nam qui non irascitur non solvit, sed perfectius implet. Unde Glossa [5] ibi dicit: « Mandatum Christi non est contrarium Legi, sed latius Legem in se continens. Nam qui non irascitur non occidit, sed econtra licentia irascendi causa est homicidii. Et propter hoc Dominus aperit, omnem motum animi ad nocendum in homicidium computari ». Certe si hoc attenderet quilibet, nunquam in animo contra fratrem suum iracundiam retineret, nunquam maligna cogitatione ei patibulum in domo cordis pararet, sicut Aman paravit patibulum Mardochaeo in domo sua; et tamen ipse iracundus Aman fuit in eo tanquam homicida suspensus, non Mardochaeus [6]. Tamen, cum « ira est *ex causa,* non est commotio illicita, sed iudicium, eo quod non irascitur fratri suo, sed vitio », secundum quod dicit Glossa [7]. Unde in Psalmo: *Irascimini et nolite peccare.*

Primo in perverso dicio.

Secundo *irascitur* aliquis fratri suo *duro verbo* iniuriosae conviciationis in ore. Et hunc motum exteriorem removet Dominus, cum dicit: Omnis, *qui dixerit fratri suo: Raca,* vel *fatue* [8], quod fit, quando motus interior prorumpit in vocem exteriorem. Unde Glossa dicit, quod « *raca* est interiectio indignantis, exprimens nomen Hebraeum, quod interpretatur cenos [9] vel vacuus », sed *fatue* idem est quod infatuatum. Unde Glossa: « Non enim modicus furor est, quem Deus sale sapientiae condivit, infatuatum vocare et salienti Deo derogare ». Tamen Glossa assignat differentiam inter *irasci* et dicere *raca* et dicere *fatue* sic: « Gradus sunt in istis peccatis. Primo est irasci et hunc motum animo retinere; plus est, si vocem commotio ipsa extorsit, qua feriatur ille

Secundo duro verbo

---

[1] Vers. 28. — Sequitur Cato, II. Distich. distich. 4.
[2] Vers. 18; sequuntur c. 26, 21. et 29, 22.
[3] Vers. 22. cum Glossa *ordinaria* iuxta Lyranum.
[4] Vers. 4; sequitur Eccli. 8, 19.
[5] Scilicet *ordinaria* apud Lyranum.
[6] Esther 7, 10.
[7] Scilicet *ordinaria* in Matth. 5, 22; sequitur Ps. 4, 5.
[8] Matth. 5, 22. — Deinde sequuntur Glossae *ordinaria* et *interlinearis* in hunc locum.
[9] In Graeco κενός, vanus, vacuus.

cui irascitur; plus etiam, si certa vituperatio increpuit ». Hunc autem motum irae, qui est in verbo, removebat sanctus Ioseph a fratribus suis, secundum quod dicitur Genesis quadragesimo quinto [1]: *Dimisit ergo fratres suos et proficiscentibus ait: Ne irascamini in via,* dicendo unus alteri verbum iniuriosum. Nam qui conviciatur fratri suo vinculum fraternitatis dissolvit, rixas suscitat et lites incendit.

Tertio, pravo maleficio. Tertio *irascitur* aliquis *fratri suo pravo maleficio* fraternae laesionis in opere. Et hoc peccatum irae removet Dominus, approbando quod dictum fuerat ab antiquis, scilicet *non occides* [2]. Unde prohibendo motum irae mandatum de non occidendo non evacuavit, sed perfectius voluit observari. Nam « tolle iram, et homicidium non fiet »; et de hoc dicitur Genesis quarto: *Iratus est Cain vehementer;* et sequitur: *consurrexit adversus fratrem suum Abel et interfecit eum;* et hoc est quod damnificat fratrem aliquando in persona, aliquando in rebus. Nam ex ipsa *procedunt homicidia, furta* [3], incendia et quaeque damna.

Pars III. Finalis ordinatio. III. Tertio describitur in verbo proposito peccatum irae quantum ad *finalem ordinationem*, quam habet in aeterno supplicio, cum subinfert: *reus erit iudicio.* Quodlibet enim praedictum peccatum in proprio iudicio poenae ordinabitur. Nam primum peccatum irae ordinabitur in iudicio *strictae examinationis*, scrutantis et revelantis temeraria iudicia cordis; secundum peccatum irae ordinabitur in iudicio *opprobriosae vituperationis*, increpantis iniuriosa verba oris; tertium peccatum irae ordinabitur in iudicio *gehennae infernalis*, punientis prava maleficia operis.

Subdivisio.

De iudicio primo. Primo *omnis, qui irascitur* propter *errorem ignorantiae fratri suo* maligna cogitatione, *reus erit iudicio districtae examinationis*, scrutantis temeraria iudicia cordis; unde Apocalypsis vigesimo [4]: *Vidi mortuos magnos et pusillos, stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt. Et alius liber apertus est, qui est vitae; et iudicati sunt mortui ex his quae scripta sunt in libris secundum opera ipsorum.* Tunc enim in die iudicii *aperientur libri* conscientiarum *in conspectu* Dei, cuius oculum sapientiae nihil latet; *et iudicabuntur* peccatores *ex his quae* invenientur *in libris* conscientiarum. Nam homo cum peccat, macula peccati in libro conscientiae scribitur, nisi per gratiam deleatur, et indicat peccatorem dignum morte aeterna. Unde Glossa super illud ad Romanos secundo: *Inter se invicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus, in die, cum iudicabit Deus occulta hominum,* dicit sic: « Est sciendum, quod cogitationes tunc accusabunt animas, vel defendent, non utique illae cogitationes, quae tunc erunt, sed istae, quae nunc sunt in nobis, quarum notae quaedam et signacula relinquuntur in corde nostro velut in cera, quae in occulto nunc pectoris posita, in illa die manifestari dicuntur ». Et hoc est quod dicitur in verbo proposito: *Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio,* id est accusatione secundum intellectum. Unde ad evadendum illud iudicium dabat bonum consilium Apostolus primae ad Corinthios quarto [5]: *Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium.* — Si hoc attenderet iracundus, nunquam fratri suo irasceretur in corde maligna cogitatione. Unde Bernardus: « Viri mali non attendunt iudicium, qui autem reputant Deum advertunt omnia discernenda ». Et propter hoc cantat Ecclesia [6] in morte cuiuslibet fidelis: Tremens factus sum ego et timeo, dum discussio venerit atque ventura ira.

Notandum.

De secundo. Secundo *omnis, qui irascitur* propter *livorem invidiae fratri suo* dura locutione opprobriosae vituperationis, *reus erit iudicio opprobriosae vituperationis,* redarguentis opprobriosa verba oris; unde Matthaei duodecimo [7]: *De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, rationem reddent in die iudicii. Ex verbis enim tuis iustificaberis et ex verbis tuis condemnaberis.* Si enim *de omni verbo otioso reddemus rationem in die iudicii,* multo fortius de verbis iniuriosis vel criminosis. Sed quia « *mors et vita in manu linguae* », secundum Glossam, ideo dicit: *ex verbis tuis,* scilicet « bonis », *iustificaberis,* et *ex verbis tuis,* scilicet « malis » et iniuriosis, *condemnaberis,* quando coram tota curia caelesti propter ea vituperaberis et culpaberis. Et quoniam, sicut maius peccatum est, quando non solum irascitur fratri suo in corde interius, sed etiam prorumpit in vocem exterius; ita maior ei poena debetur. Ideo dicit Dominus: *Qui autem dixerit fratri suo: Raca, reus erit concilio.* Unde Glossa [8]: « Minus est *iudicium,* quando adhuc cum reo agitur, et est defensioni locus; plus *concilium,* quando iudices inter se conferunt, quo supplicio damnent quem constat esse damnandum ». Unde *concilium* non consnevit fieri nisi de maioribus et gravioribus delictis. — De isto autem iudicio dicitur in Epistola Iudae: *Ecce, venit Dominus in sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes et arguere omnes impios de*

[1] Vers. 24.

[2] Matth. 5, 21; sequuntur Glossa *ordinaria* in Matth. 5, 22. et Gen. 4, 5. 8.

[3] Respicitur Matth. 15, 19.

[4] Vers. 12; sequitur Rom. 2, 15. seq. cum Glossa Lombardi sec. Origenem, II. in Epist. ad Rom. n. 10.

[5] Vers. 5. — Locus Bernardi frustra est quaesitus.

[6] Ita cantatur in exsequiis defunctorum.

[7] Vers. 36. seq.; sequuntur Glossae *ordinaria* (Prov. 18, 21.) et *interlinearis* in Matth. 12, 36. seq.

[8] Scilicet *ordinaria* in Matth. 5, 22. — Sequitur Iudae 1, 14. seq.

omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, et de omnibus duris, scilicet verbis, *quae* Notandum. *locuti sunt contra Deum peccatores impii.* — Certe si hoc indicium attenderent iracundi, nunquam fratrem suum crucifigerent veneno conviciationis, sicut Iudaei dicuntur crucifixisse Dominum sermone venenato.

Tertio *omnis, qui irascitur* propter *furorem* De tertio. *vindictae fratri suo* prava laesione, *reus erit iudicio gehennae infernalis,* punientis impia maleficia operis; unde Apocalypsis vigesimo [1]: *Et dedit mare mortuos, qui in eo erant; et mors et infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant; et iudicatum est de singulis secundum opera ipsorum. Et infernus et mors missi sunt in stagnum ignis; haec est secunda mors. Et qui non inventus est in libro vitae scriptus missus est in stagnum ignis.* Notandum. — Sic apparet, quod « his tribus: *iudicio, concilio, gehenna* diversae mansiones in aeterna damnatione pro modo peccati signanter exprimuntur », secundum quod dicit Glossa super illud verbum hodierni Evangelii, scilicet: *reus erit gehenna ignis.* Rogemus ergo etc.

Sermo II [2].

Dominica quinta post Pentecosten. Sermo fratris Bonaventurae in Capitulo Parisius, de mane.

Nisi abundaverit iustitia vestra plus quam scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum, Matthaei quinto [3].

In hoc Evangelio intendit Dominus duo, scilicet *revocare* ab amore vanitatis vel terrenitatis, et *informare* ad affectum pietatis et caritatis. Divisio.

Circa totum nota, quod ad hoc, quod iustitia Evangelii abundet in homine, (quatuor) requiruntur, scilicet vera cordis *simplicitas;* Proverbiorum undecimo [4]: *Iustitia simplicis dirigit viam eius, et in impietate sua corruet impius.* — Corporis sincera *puritas;* Ezechielis decimo octavo: *Qui non accesserit ad mulierem menstruatam, hic iustus est* etc. — Sermonis evangelica *veritas;* Psalmus: *Qui operatur iustitiam, qui loquitur veritatem in corde suo* etc. — Operis affectuosa *pietas;* Proverbiorum quarto [5]: *Iustorum semita quasi lux splendens* etc. *Erant autem insti ambo ante Deum* [6] etc. Quatuor requisita.

DOMINICA SEXTA POST PENTECOSTEN.

Sermo I [7].

Cum turba multa esset cum Iesu, *nec haberent quod manducarent, convocatis discipulis, ait illis: Misereor super turbam, quia, ecce, iam triduo sustinent me nec habent quod manducent,* Marci octavo [8].

Dominus noster Iesus Christus, cuius viscera plena sunt pietate et misericordia, videns hodierna die, turbam pro eius amore longanimiter pati penuriam, dignatus est eam gratis tam cibo corporali quam spirituali satiare. Sed quia nulli condescendit divina misericordia, nisi prius patiatur amaritudinem penuriae et poenitentiae et in ea habeat longanimitatem perseverantiae; ideo in verbo proposito ad nostram instructionem haec tria insinuantur. Nam in Divisio. verbo proposito primo notatur *necessitas indigentiae* provocantis; secundo, *benignitas compatientiae* subvenientis; tertio, *longanimitas perseverantiae* impetrantis. Unde benignum Deum humana indigentia ad compatiendum provocat, perseverantia ad subveniendum impetrat et divina compatientia defectum relevat. Primo ergo *necessitas indigentiae* provocantis notatur, cum dicit: *Cum turba multa esset* cum Iesu, *nec haberent quod manducarent.* Secundo notatur *benignitas compatientiae* subvenientis, cum dicit: *convocatis discipulis, ait illis: Misereor super turbam.* Tertio notatur *longanimitas perseverantiae* impetrantis, cum subinfert: *quia, ecce, iam triduo sustinent me.*

I. Primo notatur in verbo proposito turbae *maxima indigentia,* cum dicit: *Cum turba multa esset* cum Iesu, *nec haberent quod manducarent.* Habebat namque ista turba indigentiam triplicis manducationis, ratione cuius exterior et interior homo opprimebatur. Nam primo indigebat manducatione *corporalis sustentationis,* defectu cuius habebat debilitatem impotentiae; secundo indigebat manducatione *salutaris eruditionis,* defectu cuius habebat caecitatem ignorantiae; tertio indigebat manducatione *sacramentalis refectionis,* defectu cuius habebat tepiditatem ignaviae. Pars I. Terbno indigentia. Subdivisio.

Primo indigebat ista turba manducatione *corporalis sustentationis,* defectu cuius habebat debilitatem impotentiae; unde dicitur Exodi decimo sexto [9]: *Utinam mortui essemus per manum Domini in terra Aegypti, quando sedebamus super ollas carnium et comedebamus panem in saturitate; cur* Primo, indigentia corporalis sustentationis.

---

[1] Vers. 13. seqq.; sequitur Glossa *ordinaria* in Matth. 5, 22.

[2] Ex A fol. 132 r.

[3] Vers. 20.

[4] Vers. 5; sequuntur Ezech. 18, 6. 9. et Ps. 14, 2. seq.

[5] Vers. 18; sequitur Luc. 4, 6.

[6] In B fol. 59 est sermo de eodem themate, sed prorsus diversus quoad sententias, licet in primo divisionis membro aliquatenus conveniat. Quia ille est dubius, referimus tantum divisiones principales. « Duo facit: *revocat* a vitae vanitate; *terret* Dei gloriae amissibilitate... Considera evangelicae iustitiae *ortum* (a quadruplice causa), *progressum* (quadruplici modo), *fructum* (quadruplicem) ».

[7] Ex Vaticana et C D E F. — In divisione generali tantum concordat etiam B.

[8] Vers. 1. seq.

[9] Vers. 3.

eduxistis nos in desertum istud, ut occideretis omnem multitudinem fame? Quia nullus, quantum est de solito cursu naturae, potest diu in hac vita subsistere, nisi sustentetur cibo corporali; ideo filii Israel, non attendentes Dei potestatem et benignitatem, sed potius eorum fragilitatem, alimoniis carentes, de vita corporali desperabant, quorum vota misericors Deus exaudiens, licet non essent digni ratione eorum diffidentiae, misit eis cibaria in abundantia, quibus eorum corpora sustentarentur. Eodem modo benignus Deus hodie satiavit turbam illam debilem et famelicam, *ne in via deficerent*[1]; unde dicitur in hodierno Evangelio: *Manducaverunt et saturati sunt.*

Secundo indigebat illa turba manducatione *salutaris eruditionis*, defectu cuius habebat caecitatem ignorantiae; et de hoc dicit Christus discipulis suis Lucae nono[2]: *Vos date illis manducare.* Ad Apostolos et doctores sive praedicatores dicit Christus, ut ignorantes et esurientes cibo caelesti reficerent *pane vitae et intellectus, et potent aqua sapientiae salutaris,* accendendo eorum appetitum ad suavitatem cibi spiritualis provocarent, quia peccatores et homines idiotae conversi in praesenti via vitae non reficiuntur in sua conscientia, si sine doctrinae pabulo dimittantur; unde Matthaei quarto: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.*

Tertio indigebat ista turba manducatione *sacramentalis refectionis*, cuius defectu habebat tepiditatem ignaviae et accidiae; unde Ioannis sexto[3]: *Amen, amen, dico vobis: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem habet vitam aeternam.* Ecce, quod tantae necessitatis est illa manducatio, quod, nisi per eam quilibet tanquam membrum compaginetur corpori Christi mystico, id est Ecclesiae, nequaquam potest recipere influentiam vitae a capite, scilicet Christo; unde sequitur: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem in me manet, et ego in illo.*

II. Secundo in verbo proposito notatur *benignitas compatientiae* subvenientis, cum subdit: *misereor super turbam.* Dominus noster propter nimiam benignitatem benevolentiae, quam habebat erga humanum genus, primo *miseretur super turbam* habentem *debilitatem impotentiae*, eam sustentando cibo corporali; secundo *miseretur super turbam* habentem *caecitatem ignorantiae*, eam illuminando documento salutari; tertio *miseretur super turbam* habentem *tepiditatem ignaviae*, eam inflammando oblectamento sacramentali.

Primo *miseretur* Dominus *super turbam* habentem *debilitatem impotentiae*, eam sustentando cibo corporali; unde in Psalmo[4]: *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.* Sicut *pater miseretur filiorum* suorum, ipsos reficiendo cibo corporali, ne succumbant ad moriendum; ita Dominus noster hodierna die misertus est illius turbae famelicae, eam pascendo et satiando corporaliter de *septem panibus et paucis pisciculis, ne in via deficerent;* quod est attribuendum divinae potentiae, non debilitati humanae; *quoniam ipse cognovit, figmentum* nostri corporis non posse naturaliter diu subsistere, nisi continuis alimoniis sustentetur.

Secundo *miseretur* Dominus *super turbam* habentem *caecitatem ignorantiae*, eam illuminando documento salutari; unde Ecclesiastici decimo octavo[5]: *Qui misericordiam habet docet et erudit quasi pastor gregem suum. Miseretur excipientis doctrinam miserationis, et qui festinat in iudiciis eius.* — Dominus noster Iesus Christus *habet misericordiam*, ipse enim est *pater misericordiae;* et ideo propter benignitatem misericordiae et compatientiae, quam habet ad hominem, *docet et erudit quasi pastor gregem suum*, verbo doctrinae. Multum enim per omnia sollicitus erat et studiosus pascere gregem humanum *pane vitae et intellectus.* Unde quotidie non cessabat, sicut dicit beatus Matthaeus, *circuire omnes civitates et castella, praedicans Evangelium regni,* eo quod maior est refectio mentis quam ventris.

Tertio *miseretur super turbam* habentem *tepiditatem ignaviae*, eam inflammando oblectamento sacramentali; unde in Psalmo[6]: *Misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* —, *Miserator et misericors Dominus escam*, proprii corporis sub specie panis, *dedit* fidelibus *timentibus se,* timore filialis reverentiae; *panem*, dico, *in se habentem omne delectamentum et omnis saporis suavitatem*, cuius gustu anima tanto ardore accenditur, ut, destructa omni tepiditate et destructa omni carnalitate, soli isti cibo per amorem uniatur et in eum convertatur; et tunc *gustat, quoniam suavis est Dominus,* experitur, quomodo *spiritus* eius *super mel dulcis*[7], et comprehendit sensibiliter, *quam magna multitudo dulcedinis absconditur* in isto Sacramento amoris.

III. Tertio in verbo proposito notatur *longanimitas perseverantiae* impetrantis, cum subinfert: *quia, ecce, iam triduo sustinent me.* Illi impetrant beneficium a Deo, qui longanimiter et perseveranter sustinent eum isto *triduo*, scilicet *dolore* amarae contritionis in corde, *moerore* apertae confessionis in ore et *labore* condignae satisfactionis in opere. Et

Secundo, indigentia salutaris eruditionis.

Tertio, indigentia sacramentalis refectionis.

Pars II. Commendatio benignitatis.

Subdivisio.

Debilitatis sustentatio.

Caecitatis illuminatio.

Tepiditatis inflammatio.

Pars III. Perseverantiae longanimitas.

Subdivisio.

[1] Marc. 8, 3. et dein v. 8.
[2] Vers. 13; sequuntur Eccli. 15, 3. et Matth. 4, 4.
[3] Vers. 54. seq.; sequitur v. 57.
[4] Psalm. 102, 13. seq.; deinde respicitur Marc. 8, 6. seq. et 3.
[5] Vers. 13. seq.; deinde respicitur II. Cor. 1, 3. et sequitur Matth. 9, 35.
[6] Psalm. 110, 4. seq.; sequuntur Sap. 16, 20. et Ps. 33, 9.
[7] Eccli. 24, 27. et dein sequitur Ps. 30, 20.

ista distinctio potest haberi ex Glossa [1], quae dicit: « Sic turba Dominum triduo sustinet, dum multitudo fidelium, peccata sua per poenitentiam declinans, ad Dominum se in locutione et opere et cogitatione convertit ».

De dolore contritionis.

Primo peccatores sustinent Dominum *dolore amarae contritionis* in corde; unde Ecclesiastici secundo [2]: *Omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe; et in dolore sustine et in humilitate tua patientiam habe.* Cum enim cogitat homo, quod propter suum peccatum *rursum Filium Dei in se ipso crucifigit*, tanto dolore et amaritudine debet compungi interius et tanta abiectione humilitatis debet se despicere et vilipendere, ut multoties, prostratus super terram vel nudam humum, prorumpat in lacrymas exterius ad similitudinem mulieris deplorantis mortem unigeniti, quia *cor contritum*, quod scilicet Deum sustinet in dolore contritionis, *et humiliatum*, in humilitate voluntariae abiectionis, sine murmure impatientiae, *Deus non despiciet.* Unde Bernardus super Cantica [3]: « Quomodo non vere humiliabitur anima mea peccatrix in hac vera cognitione sui, cum se perceperit oneratam peccatis, proclivam ad vitia, invalidam ad virtutes? Nonne magis convertetur *in aerumna sua, dum configitur spina*? Convertetur, inquam, ad lacrymas, convertetur ad planctus et gemitus, convertetur ad Dominum et in humilitate clamabit: *Sana animam meam, quia peccavi tibi* [4] ».

De moerore confessionis.

Secundo debemus sustinere Dominum *moerore apertae confessionis* in ore; unde in Psalmo [5]: *Dirige me in veritate tua et doce me, quia tu es Deus Salvator meus, et te sustinui tota die. Reminiscere miserationum tuarum, Domine, et misericordiarum tuarum, quae a saeculo sunt; delicta iuventutis meae et ignorantias meas ne memineris.* — Domine, *dirige me in veritate tua*, et *non declines cor meum in verba malitiae ad excusandas excusationes in peccatis; et doce me*, pure et perfecte confiteri mea peccata; *quia tu es Deus Salvator meus*, tribuendo veniam omnium delictorum; quia *te sustinui tota die*, id est saepe cum moerore et planctu confitendo mea peccata; ideo *reminiscere miserationum et misericordiarum tuarum et ignorantias meas ne memineris.* Unde multum debet quilibet attendere, quod confiteatur perfecte omnia peccata sua, quia, si unum reticeatur, nunquam consequetur veniam aliorum. Non enim potest idem homo esse iustus et peccator, bonus et malus, servus Dei et servus diaboli, quia *nemo potest duobus dominis servire* [6], contraria iubentibus. Unde sicut navis existens in aquis plena foraminibus, si omnia foramina obturarentur praeter unum, nihilominus per istud unum submergeretur in profundum maris; sic peccator, si omnia peccata confiteatur et unum reticeat, per illud solum damnatur.

De labore satisfactionis.

Tertio debemus sustinere Dominum *labore condignae satisfactionis*; unde Ecclesiastici secundo [7]: *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in iustitia et timore et praepara animam tuam ad tentationem; deprime cor tuum et sustine. — Fili, accedens ad servitutem Dei*, per aggressionem poenitentiae; *sta in iustitia*, ut, quanto graviora damna culpae tibi intulisti per culpam, tanto maiora lamenta poenitentiae tibi inferas per poenitentiam [8], ut, *ubi abundavit delictum*, per excessum culpae, ibi *superabundet* donum gratiae per dignos fructus poenitentiae; *et in timore*, filialis reverentiae, quia *qui sine timore est non poterit iustificari. Et praepara animam tuam*, ad tentationem diaboli, ne ei acquiescat per consensum; libenter enim diabolus immittit tentationem in eos qui exierunt de Aegypto peccatorum, reducendo ad memoriam mundana delectamenta, ut eos faciat descendere de monte poenitentiae. *Deprime cor tuum*, a tumore inanis gloriae vel excellentiae, ne superbia tua *seducaris* et *existimes, te aliquid esse, cum nihil sis* [9]; *et sustine Dominum*, labore condignae satisfactionis, quia talis « poenitentia est res optima, quae defectus omnes reducit ad perfectum », secundum quod dicit Augustinus [10]. Rogemus ergo Dominum etc.

Sermo II [11].

Dominica sexta post Pentecosten. Sermo fratris Bonaventurae in Capitulo Fratrum de Aurelianis, in mane.

In novitate vitae ambulemus, ad Romanos sexto [12].

Divisio.

Duo hic facit Apostolus: primo excutit humanae vitae *miseriam* seu negligentiam, cum dicit: *Ambulemus*; secundo ostendit sanctae vitae *regulam* seu formam, cum addit: *in novitate vitae.*

Septem requisita.

Circa primum nota, quod secundum intentionem Apostoli, si volumus evangelice vivere et non in vetustate peccati remanere, oportet, nos habere: nova *desideria* aeternitatis; Ezechielis trigesimo sexto [13]: *Auferam cor lapideum de carne vestra et dabo vobis cor carneum et spiritum novum ponam in medio vestri* etc. — Nova *eloquia*, scilicet veritatis; Marci ultimo: *Linguis loquentur novis* etc. — Nova *signa*, scilicet sanctitatis; ad Ephesios quarto: *Renovamini autem spiritu mentis vestrae et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis.* — Nova *exempla*,

---

[1] *Ordinaria* in hunc locum ex Beda, II. in Marc. c. 32.
[2] Vers. 4; deinde respiciuntur Hebr. 6, 6. et Ps. 50, 19.
[3] Serm. 36. in Cant. n. 5, ubi respiciur Ps. 31, 4.
[4] Psalm. 40, 5.
[5] Psalm. 24, 5-7; sequitur Ps. 140, 4.
[6] Matth. 6, 24.
[7] Vers. 1. seq.; sequuntur Rom. 5, 20. et Eccli. 1, 28.
[8] Cfr. supra pag. 371, nota 13. locum Gregorii.
[9] Gal. 6, 3. et dein Ps. 26, 14.
[10] Potius Auctor Hypomnest. seu Hypognostici, III. c. 9. n. 17. (inter opera August.).
[11] Ex A fol. 132 r.
[12] Vers. 4.
[13] Vers. 26. seq.; sequuntur Marc. 16, 17. et Eph. 4, 23. seq.

scilicet caritatis; Ioannis decimo tertio [1]: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem* etc. *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* — Nova *praeconia*, scilicet divinae laudis; Psalmus: *Cantate Domino canticum novum* etc. — Nova *certamina*, scilicet viritilatis; Iudicum quinto: *Nova bella elegit Dominus, et portas hostium ipse subvertit.* — Nova *charismata*, scilicet suavitatis; Sapientiae decimo sexto [2]: *Novam gustaverunt escam.*

Sermo III [3].

Item, sermo fratris Bonaventurae in domo Fratrum Turonis.

Accipiens Iesus septem panes, gratias agens, fregit et dabat discipulis suis, ut apponerent, et apposuerunt turbae. Et habebant pisciculos paucos, et ipsos benedixit et iussit apponi, Marci octavo [4].

Septem hi *panes* morales sunt, quos quidem Christus *fregit* suo exemplo prius et postea documento, et *tradidit* doctoribus seu praedicatoribus Evangelii, *ut* mundo *apponerent* ad salutem et eorum pascerent omnem animam.

Septem panes morales. Primus panis est *intentio* caelica; Ecclesiastae nono [5]: *Vade et comede in laetitia panem tuum* etc. — Secundus est *conscientia* munda; primi Regum vigesimo primo: *Non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum* etc. — Tertius est *intelligentia* sapida; Deuteronomii octavo: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei.* — Quartus est *vita* bona; Psalmus [6]: *Panis*, id est vita sancta, *cor hominis confirmat* et facit securum. — Quintus est *fama* odorifera; Isaiae quinquagesimo octavo: *Frange esurienti panem tuum.* — Sextus est *lingua* evangelica; Isaiae trigesimo tertio: *Panis ei datus est, aquae eius fideles sunt.* — Septimus est *vitae aeternae memoria* frequentata; Sapientiae decimo sexto [7]: *Paratum panem de caelo praestitisti eis sine labore.*

Quatuor pisciculi morales. *Pauci* autem *pisciculi*, condientes et saporantes hos praemissos evangelicos panes, sunt: continuus *oculus* ad exempla Verbi incarnati, ardens *desiderium* paradisi, gemens *suspirium* circa crucem Christi, firmum *propositum* in gratia perseverandi.

DOMINICA SEPTIMA POST PENTECOSTEN.

Sermo I [8].

Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur, Matthaei septimo [9].

Volens Dominus noster populum Iudaicum rudem et animalem retrahere a malo, sub similitudine arboris non producentis fructum bonum, quae ratione suae sterilitatis excidituv et in ignem mittitur, cuilibet malo non natura, sed affectu voluntatis praenuntiat decisionem et combustionem aeternae damnationis, cum dicit in verbo proposito: *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur* etc. In Divisio. quo quidem verbo ordinate proceditur. Nam primo describitur peccatum quantum ad *interiorem originem*, quam habet ex arrogantia mentis; secundo, quantum ad *exteriorem consummationem*, quam habet in complacentia operis; tertio, quantum ad *finalem ordinationem*, quam habet in gehenna ignis. Et sic peccatum, licet occasionem habuerit a fraudulentia hostis, originem tamen habuit ab arrogantia mentis, consummationem in complacentia operis sive in concupiscentia carnis et ordinationem in gehennam ignis. Primo igitur describitur peccatum quantum ad *interiorem originem*, quam habet ex arrogantia mentis, cum dicit: *Omnis arbor*, scilicet mala non natura, sed mentis arrogantia. Unde Glossa [10]: « Voluntas uniuscuiusque est arbor bona, vel mala, et sicut arbor radicatur in terra, sic voluntas in anima; et anima, manente integra natura, affectu voluntatis corrumpitur, vel in melius mutatur ». Secundo describitur peccatum quantum ad *exteriorem consummationem*, quam habet in complacentia operis sive concupiscentia carnis, cum subdit: *quae non facit fructum bonum.* Glossa: « Fructus arboris malae sunt opera carnis, scilicet fornicatio, luxuria, avaritia » etc., quos fructus non nisi mala voluntas facit. Tertio describitur peccatum quantum ad *finalem ordinationem*, quam habet in gehenna ignis, cum subinfert: *excidetur et in ignem mittetur.*

Pars I. Origo interior peccati. I. Dicit ergo: *Omnis arbor;* ubi describitur peccatum quantum ad *interiorem originem*, quam habet ex arrogantia mentis. Illa enim arbor affectu voluntatis corrupta est, quae est causa et origo malorum operum: primo, quae est *adulterina*, quia non Subdivisio. inserta divino nutu in horto Ecclesiae; secundo, quae est *arida*, quia non perfusa superno fluxu sive stillicidio gratiae; tertio, quae est *infecunda*, quia non humano promota cultu in exercitio iustitiae.

De arbore adulterina. Primo illa arbor est causa fructus non boni, quae est *adulterina*, quia non inserta divino nutu

---

[1] Vers. 34. seq.; sequuntur Ps. 95, 1. et Iudic. 5, 8.
[2] Vers. 3.
[3] Ex A fol. 132 v.
[4] Vers. 6. seq.
[5] Vers. 7; sequuntur I. Reg. 21, 4. et Deut. 8, 3. (cfr. Matth. 4, 4. et Luc. 4, 4.).
[6] Psalm. 103, 15; sequuntur Isai. 58, 7. et c. 33, 16.
[7] Vers. 20.
[8] Ex Vaticana et C D E F.
[9] Vers. 19.
[10] Haec et sequens Glossa sunt *ordinariae* in hunc locum; cfr. etiam Beda, II. in Matth. c. 7.

in horto Ecclesiae; unde Matthaei septimo[1], et est de hodierno Evangelio: *Nunquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor malos fructus facit.* — *Nunquid colligunt de spinis*, infidelitatis, *uvas*, scilicet veritatis fidei, quas Christus in nobis sitivit? Certe non; quia, sicut uvae non sunt de spinis, sed de vite, sic veritas fidei non est de spinositate infidelium, sed de *vera vite*, quae est Christus. *Aut de tribulis, paternae traditionis*[2], *colligunt ficus*, id est dulcedinem sanctae conversationis? quasi dicat: non; et ista expositio extrahitur de Glossa, quae dicit: « Spinae et tribuli sunt haeretici, a quibus nullus sapientum veritatem vel sanctitatem poterit invenire, sed conscindunt et cruentant approximantes ». *Sic omnis arbor bona*, quae est inserta a Deo per fidem corpori Ecclesiae, *fructum* bonorum operum *facit. Mala autem arbor* propter vitiositatem degenerationis, quam accepit a primo parente, nisi inseratur corpori mystico Christi, *malos fructus facit*, quia inutiles nec digni remuneratione. Nam *sine fide impossibile est placere Deo*[3]. Et de hoc similiter potest exponi illud quod dicitur Iob decimo nono: *Destruxit me undique, et pereo, et quasi evulsae arbori abstulit spem meam.*

Secundo illa arbor est origo malorum operum, quae est *arida*, quia non perfusa caelesti influxu sive stillicidio gratiae; Matthaei vigesimo primo[4]: *Videns Christus fici arborem unam secus viam, venit ad eam et nihil invenit in ea nisi folia tantum; et ait illi: Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum; et arefacta est continuo ficulnea.* — Per *fici arborem* potest intelligi homo deditus dulcedini mundanae, qui dicitur esse *secus viam* sive in via carnis, et non in via spiritus; *ad quam veniens*, Iesus pedibus Evangelii, *et nihil* boni operis *invenit in ea nisi folia tantum*, id est vanas traditiones philosophorum sine fructu iustitiae; *et ait ad illam: Nunquam ex te*, obstinata in malitia, *nascatur fructus* boni operis *in sempiternum*, immo propter *duritiam et impoenitens cor*[5] tuum, te damno aeternae sterilitati, subtrahendo aquam caelestis gratiae; *et arefacta est continuo ficulnea.*

De arbore arida.

Tertio illa arbor est origo mali operis, quae est *infecunda*, quia non promota humano cultu in exercitio institiae; unde Lucae decimo tertio[6]: *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, et venit, quaerens fructum in illa, et non invenit. Dixit autem ad cultorem vineae: Ecce, anni tres sunt, ex quo venio, quaerens fructum in ficulnea hac, et non invenio; succide ergo illam; ut quid terram occupat? At ille respondens, dicit illi: Domine, dimitte illam et hoc anno, usque dum fodiam circa illam et mittam stercora, et siquidem fecerit fructum; sin autem, in futurum succides eam.* — Per *arborem* illam potest intelligi quilibet, qui in operibus virtutis non se exercet, cui minatur Dominus succisionem: *Succide ergo illam; ut quid terram occupat?* Ubi Glossa[7]: « *Terram occupat*, qui locum, quem tenet, bonis operibus non exercet, qui exemplo pravitatis praestat impedimentum ceteris, ne calore solis calescant ». *At ille respondens, dicit illi: Domine, dimitte illam et hoc anno*, patienter eam exspectando, *usque dum fodiam*, apostolicis ligonibus, *circa illam*, exterius excitando, *et mittam stercora*, id est, « mala et abominationes, quas fecit, reducam ad memoriam », ut de superbia in humilitatem revocetur. *Et siquidem fecerit fructum*, bonae operationis gratia compunctionis quasi de putredine stercoris excitatum, bene quidem. *Sin autem, succides eam in futurum*, per aeternam damnationem. Unde Glossa: « Peccata carnis stercora sunt, quae mittuntur ad radicem arboris, quando pravitatis conscientia tangitur cogitationis memoria, et dum inde poenitet, quasi per tactum stercoris redit ad fecunditatem operis ».

De arbore infecunda.

II. Secundo in verbo proposito describitur peccatum quantum ad *exteriorem consummationem*, quam habet in complacentia operis, cum subditur: *quae non facit fructum bonum.* Ut autem melius deveniamus in notitiam fructus mali, primo videamus conditiones fructus boni, quia postea per oppositas conditiones faciliter cognoscemus fructus mali operis, eo quod « opposita iuxta se posita magis elucescunt[8] ». Ille autem humanus fructus est bonus primo, qui habet *pulcritudinem* sive speciositatem puritatis et munditiae delectantis visum; secundo, qui habet *suavitatem* mansuetudinis et patientiae dulcorantis gustum; tertio, qui habet *utilitatem* caritatis et benevolentiae informantis affectum. Ita per oppositum omne peccatum habet consummationem exterius in complacentia operis, quando humanus fructus sive opus ad similitudinem mali fructus arboris malae habet primo *putredinem* sive foeditatem carnalis lasciviae, contristantis visum; secundo habet *acerbitatem* furoris et iracundiae amaricantis gustum; tertio habet *venenositatem* cordialis invidiae, deformantis affectum.

Pars II. Exterior peccati consummatio.

Subdivisio.

De fructus putredine.

Primo ille est malus humanus fructus, qui habet *putredinem* sive foeditatem carnalis lasciviae, contristantis visum; unde Ezechielis decimo nono[9]: *Ventus urens siccavit fructum eius, marcuerunt*

---

[1] Vers. 16. seq.; dein respicitur Ioan. 15, 1: *Ego sum vitis vera.*

[2] Epist. 1. Petr. 1, 18. — Sequitur Glossa *ordinaria* in Matth. 7, 16.

[3] Hebr. 11, 6; sequitur Iob 19, 10.

[4] Vers. 19.

[5] Respicitur Rom. 2, 5.

[6] Vers. 6-9.

[7] Scilicet *ordinaria* in hunc locum; ubi etiam duae sequentes ut *ordinariae* inveniuntur.

[8] Aristot., Problem. sect. 22. n. 11; cfr. supra pag. 306, nota 2.

[9] Vers. 12. seq.

et arefactae sunt virgae roboris eius; ignis comedit eam, et nunc transplantata est in desertum in terra invia et sitienti. — Ventus urens, carnalis lasciviae, *siccavit fructum eius*, venustatis et munditiae; *marcuerunt et arefactae sunt virgae*, id est pullulationes, *roboris* et virtutis *eius*. Nihil enim inter omnia peccata tantum reddit hominem enervatum et putridum sicut peccatum luxuriae. Unde luxuriosi immundis animalibus, sicut sunt porci et *iumenta putrefacta in stercore*[1] suo et huiusmodi, assimilantur. Et talis planta merito *transplantata est in desertum*, spinositatis vitiorum, et *in terra invia*, carnis, in qua non potest producere nisi fructus putridos et carnales, quorum aspectum ita abominatur Deus et purissimi eius Angeli et sancti homines, sicut aliqui homines naturaliter generosi et nobiles abhorrent aspectum pomi sive fructus putridi et verminosi.

De fructus acerbitate. Secundo ille fructus humanus est malus, qui habet *acerbitatem* furoris et iracundiae, amaricantis gustum; unde Sapientiae quarto[2]: *Fructus illorum inutiles et acerbi ad manducandum et ad nihilum apti. — Fructus illorum*, scilicet qui sunt iracundi, sunt et *inutiles* ipsis propter subversionem rationis, *et acerbi* aliis *ad manducandum* propter furorem, *ad nihilum apti, nisi ad subversionem*[3] animarum ipsorum, vel aliorum. Unde Glossa super illud: *Vir iracundus provocat rixas*, dicit sic: « lanua omnium vitiorum est iracundia, qua clausa, virtutibus intrinsecus dabitur requies; aperta, ad omne facinus armabitur animus ».

De fructu saeculitate. Tertio fructus humani operis est malus, qui habet *venenositatem* cordialis invidiae, deformantis affectum; unde Amos sexto[4]: *Convertistis in amaritudinem iudicium et fructum iustitiae in absinthium. — Convertistis in amaritudinem*, dolositatis et malitiae, *iudicium*, discretionis rectae, *et fructum iustitiae* et pietatis *in absinthium* et venenum malignitatis et invidiae. Ad occidendum humanum genus nullum absinthium, nullum fel amarius et nullum venenum peius malignitate invidiae. Nam ex venenoso fructu invidiae Iudaeorum occisus est Filius Dei, multi Sancti et homines iusti.

III. Tertio in verbo proposito describitur peccatum quantum ad *finalem ordinationem*, quam habet in gehenna ignis, cum subinfert: *excidetur et in ignem mittetur*. Iste ignis ad hoc, ut perfecte ordinetur peccatum per punitionem, primo est *inextinguibilis* propter continuationis perpetuitatem; secundo, *intolerabilis* propter vehementissimi doloris acerbitatem; tertio, *inevitabilis*[5] propter divini rigoris severitatem. Et sic ista poena, in qua deformitas peccati ordinabitur, est summa et perfecta ut nulla alia, eo quod perpetua, dolorosa, nec poterit declinari ad modicam morulam.

Pars III. Finalis peccati ordinatio.

Subdivisio.

Primo ignis, in quo deformitas ordinabitur, est *inextinguibilis* propter continuationis perpetuitatem; unde Matthaei vigesimo quinto[6]: *Tunc dicet et his qui a sinistris sunt: Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum*. Dignum et iustum est, ut peccatores, qui « a sinistris sunt, qui praesentia, quamdiu vixerunt, ardenter amaverunt », secundum quod exponit Glossa, poena aeterna puniantur. Nam tanta est offensa, quantus est ille qui offenditur; sicut patet, quod maiorem offensam committit qui iniuriatur regi, quam qui iniuriam facit alteri homini. Cum igitur Deus offensus sit infinitus et aeternus, ergo et poena et punitio respondens tali offensioni debet esse aeterna. Ignis inextinguibilis.

Item, intolerabilis. Secundo ille ignis, in quo deformitas culpae ordinabitur, est *intolerabilis* propter vehementissimi doloris acerbitatem; unde in Psalmo[7]: *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, pars calicis eorum; quoniam iustus Dominus et iustitias dilexit, aequitatem vidit vultus eius*. Iusto enim iudicio, secundum quod colligitur ex Scriptura, quatuor elementa, non distincta, sed confusa, creduntur in inferno esse ad perfectam punitionem damnatorum, ut omnis *creatura exardescat in tormentum adversus iniustos*[8], et *armetur in ultionem* Creatoris, et per eadem puniantur, ex quibus constituuntur. Nec talis confusio poenam minuit, sed auget, pro eo quod actio elementorum mutua post resurrectionem cessabit, cum cesset generatio et corruptio, et numerus electorum sit completus; manebit tamen eorum actio in corpora damnatorum, quia ad hoc omnis virtus eorum dirigetur, non ut intendat multiplicare speciem, sed ut secundum imperium Creatoris vindicent divinam iniuriam, quod quidem fit affligendo humanam naturam.

Item, inevitabilis. Tertio ille ignis, in quo deformitas culpae ordinabitur, est *inevitabilis* propter divini rigoris severitatem; unde Deuteronomii trigesimo secundo[9]: *Ignis succensus est in furore meo et ardebit usque ad inferni novissima*. Rigor divinae iustitiae, ad quem pertinet malefactores punire, accendetur in die iudicii ad ultionem peccatorum, quia ignis indissolubiliter alligabitur animae peccatrici, et in eo anima tanquam in carcere includetur; et propter hoc, ad quemcumque locum inferni anima declinaverit, poenam ignis sentiet, quia iste *ignis ardebit usque ad inferni novissima*. Rogemus etc.

---

[1] Respicitur Ioel. 1, 17.

[2] Vers. 5.

[3] Respicitur II. Tim. 2, 14: Ad nihil enim utile est nisi ad subversionem audientium. — Sequitur Glossa *ordinaria* in Prov. 29, 22.

[4] Vers. 13.

[5] Cfr. supra serm. 4. in Dominica quinta post Pentecosten pars III. (pag. 377).

[6] Vers. 41. — Sequens Glossa est *interlinearis* in hunc locum.

[7] Psalm. 148, 8. et 10, 6. seq.

[8] Sap. 16, 24; deinde respicitur c. 5, 18.

[9] Vers. 22.

Sermo II [1].

Item, sermo fratris Bonaventurae in domo Praedicatorum de Mediolano, Dominica octava [2] post Pentecosten.

Qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse intrabit in regnum caelorum, Matthaei septimo [3].

In verbis his nota duo, quae hominem salvant, Divisio. scilicet *conformitas* affectus et effectus ad Dominum, et *felicitas* ingressus in paradisum.

Circa totum nota, quod, ut possit sciri, qualis debet esse voluntas hominis conformati Deo, oportet scire, quale sit *regnum caelorum,* quod debetur facienti voluntatem Dei.

Est autem illud regnum *gloriosum* propter praeRegni conditiones quatuor. cellentiam dignitatis; Psalmus [4]: *Gloriam regni tui dicent.* — *Speciosum* propter refulgentiam claritatis; Sapientiae quinto: *Accipient regnum decoris et diadema speciei de manu Domini.* — *Deliciosum* propter affluentiam incunditatis sive suavitatis; Lucae vigesimo secundo: *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo* etc. — *Opulentum* propter redundantiam ubertatis; Matthaei quinto [5]: *Beati, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum.*

Voluntas ergo hominis ad hoc instar illius reVoluntatis conditiones quatuor. gni sic Deo conformis requiritur, quod sit *gloriosa,* id est nobilis, per solius beatitudinis aeternitatis desiderium; secundi Machabaeorum primo [6]: *Det vobis cor omnibus, ut colatis eum et faciatis eius voluntatem corde magno et animo volenti.* — *Speciosa,* id est munda, per solius pulcriformitatis internae studium; primi Paralipomenon vigesimo secundo: *Fili mi, voluntatis meae fuit, ut aedificarem domum nomini Domini Dei mei.* — *Deliciosa,* id est affectuosa et amoena, per solius divinae suavitatis participationem; primi Paralipomenon ultimo: *Domine Deus noster, omnis haec copia, quam paravimus, ut aedificaretur domus nomini sancto tuo, de manu tua est, et tua sunt omnia;* ad Romanos decimo [7]: *Voluntas cordis mei et obsecratio ad Deum fit pro illis in salutem.* — *Opulenta,* id est dono gratiae repleta, per multiformis virtutis thesaurum; ad Philippenses secundo: *Deus est, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate.*

Sermo III [8].

Item, sermo fratris Bonaventurae apud Lugdunum Dominica octava [9] post Pentecosten.

Non potest arbor bona malos fructus facere, Matthaei septimo [10].

In verbis istis describit Salvator hominem configuratum sibi per conformitatem voluntatis et vitae a tribus, scilicet a *securitate animi,* ibi: *Non potest;* a *stabilitate voti,* ibi: *arbor bona;* ab *utilitate facti,* ibi: *fructus malos facere;* quasi dicat: immo, semper bonos. Divisio.

Circa totum nota, quod bonus homo metaphoBoni hominis fructus quadruplex. rice dicitur esse vere *bona arbor,* si ad modum arboris radicatus in fide, elevatus in spe, expansus in caritate, floridus in desideriorum aviditate, habet ad modum arboris firmae, procerae, umbrosae, floridae *fructum* operationis in alimentum, secundum illud Levitici vigesimo sexto [11]: *Et pomis arbores replebuntur. Et comedetis panem vestrum in saturitate.* Habet, inquam, et reddit *fructum: sanum* per bonam intentionem; ad Romanos sexto [12]: *Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam.* — *Sapidum* per devotionem internam; Ecclesiastici trigesimo nono: *Obaudite me, divini fructus, et quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate.* — *Floridum* per conversationem honestam; Ecclesiastici vigesimo quarto: *Flores mei, fructus honoris et honestatis.* — *Indecidivum* per continuationem firmam; Ieremiae decimo septimo [13]: *Nec aliquando desinet facere fructum* [14].

DOMINICA OCTAVA POST PENTECOSTEN.

Sermo I [15].

Vocavit illum et ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuae, Lucae decimo sexto [16].

Dominus noster, iustus *iudex vivorum et mortuorum* [17], in punitione cuiuslibet peccatoris, qui nomine illius *villici* potest designari, eo quod peccator est dissipator bonorum Dei, more cuiuslibet iusti iudicis tria proponit in verbo proposito. Primo praemittit Divisio.

[1] Ex A fol. 132 v.

[2] Ita cod.; sed nunc indicatum Evangelium in Missali Romano occurrit Dominica septima.

[3] Vers. 21.

[4] Psalm. 144, 11; sequuntur Sap. 5, 17. et Luc. 22, 29. seq.

[5] Vers. 3.

[6] Vers. 3; sequuntur I. Par. 22, 7. et c. 29, 16.

[7] Vers. 1; sequitur Phil. 2, 13.

[8] Ex A fol. 134 r. et B fol. 61.

[9] Sed nunc est Dominica septima.

[10] Vers. 18.

[11] Vers. 4. seq.

[12] Vers. 22; sequuntur Eccli. 39, 17. et c. 24, 23.

[13] Vers. 8.

[14] In B adduntur adhuc aliqua de foliis, de umbra, de incremento, parum ad rem faciendia, et ideo omissa.

[15] Ex Vaticana et C D E F.

[16] Vers. 2. [17] Act. 10, 42.

citationem; deinde insinuat *incusationem;* postremo exigit *satisfactionem.* Primo in verbo proposito notatur *citationis praemissio,* cum dicit: *Vocavit illum et ait illi;* secundo, *incusationis insinuatio,* cum subdit: *Quid hoc audio de te?* tertio, *satisfactionis postulatio,* cum subinfert: *Redde rationem villicationis tuae.*

Pars I. Citationis praemissio.

I. Dicit ergo: *Vocavit illum et ait illi,* ubi praemittit *citationem.* Citat sive vocat nos Deus, ut ad suam curiam caelestis patriae ire debeamus, triplicis: primo, *verbo* sanctae *praedicationis,* rationalem informantis; secundo, *beneficio* continuae *administrationis,* concupiscibilem allicientis; tertio, *flagello correptionis* poenitentiae irascibilem deterrentis, ut sic, qui insensibiles sunt et nolunt erudiri per documenta nec allici per beneficia, sicut sensibiles deterreantur per flagella.

Subdistinctio.

Citat verbo praedicationis.

Primo vocat sive citat nos Deus *verbo evangelicae praedicationis,* ut illuminet; unde Matthaei vigesimo secundo [1]: *Ite ad exitus viarum, et quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias.* Per istas *nuptias* secundum Glossam significatur « sacramentum incarnationis », « per quod Deus Pater Filio suo Ecclesiam tanquam sponsam copulavit »; ad quas nos *vocat,* dum suos praedicatores mittit, dicens: *Ite,* tanquam evangelici praedicatores, *ad exitus viarum,* ubi sunt « errores gentium » et « defectus actionum », secundum quod dicit Glossa [2]; *et quoscumque inveneritis,* id est cuiuscumque conditionis, quia nulla *est acceptio personarum apud Deum* [3], *sed in omni gente* et in omni populo et in omni conditione beneplacitum est illi; *vocate,* tuba evangelicae praedicationis, *ad nuptias,* id est ad mysterium fidei.

Item, beneficio administrationis.

Secundo vocat nos Deus *beneficio continuae administrationis,* ut alliciat; unde Iob decimo quarto [4]: *Vocabis me, et ego respondebo tibi; operi manuum tuarum porriges dexteram.* — « *Vocat* Deus, cum muneribus praevenit, cum collatis beneficiis quasi emissis vocibus ad se ducere studet. *Respondet* ei homo, quando digna opera iuxta percepta munera reddere festinat », eo quod misericors Deus *operi manuum suarum,* id est homini formato manu suae potentiae, *porrigit dexteram,* suorum beneficiorum. Nam caelum fecit ad dandam ei lucem in die, ut ibi operaretur; tenebras in nocte, ut quiesceret; et utilem vicissitudinem temporum. Aërem fecit, ut praeberet ei utilem calorem et omne genus avium ad suum servitium ministraret. Aquam fecit, ut potum sibi tribueret et sordes sibi purgaret, arentia irrigaret et diversitatem piscium ad suum esum nutriret. Terram fecit, ut eum portaret, *pane confortaret et vino laetificaret* [5]. Totus mundus servit homini, quia factus est pro homine, ut ipse serviat ei qui fecit mundum et hominem. Ergo (si) sentis beneficium continuae administrationis, redde debitum bonae operationis, alioquin de ingratitudine iniste poteris argui.

Item, flagello correptionis.

Tertio vocat *flagello poenitentiae, correptionis,* ut deterreat; unde Lucae decimo quarto [6]: *Exi in vias et sepes et compelle intrare, ut impleatur domus mea. Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit coenam meam. — Exi in vias,* ubi sunt « diaboli tentamenta », secundum Glossam; *et sepes,* ubi sunt inutilia incitamenta vitiorum; *et compelle intrare,* infirmitatibus et calamitatibus praesentis vitae. Et hoc est quod dicit Glossa [7]: « Qui enim huius mundi adversitatibus fracti ad amorem Dei redeunt atque a praesentis vitae desideriis corriguntur, quid isti, nisi compelluntur, ut intrent »? *Ut impleatur domus mea,* caelestis patriae. *Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit coenam meam;* Glossa [8]: « Quidam vocantur et contemnunt, quia donum intellectus accipiunt, sed opere non implent »; et talibus, qui insensibiles sunt ad documenta et beneficia, bonum est, ut frangantur infirmitatibus, adversitatibus et huiusmodi, « ut quos praesens vita, sive Aegyptus, secundum Gregorium, oppressit blandiens, adiuvet premens, et dum Deus vocat, in cruciatus impellit, quia, dum affligit, expedit. Nam dum violentiam ingerit, festinare ad superna compellit. Unde dum populus Israeliticus a Moyse vocabatur, a Pharaone affligebatur, ut alter vocando traheret, alius saeviendo impelleret ». « Felix, inquam, talis necessitas, quae ad meliora compellit », secundum beatum Augustinum.

Pars II. Incusationis insinuatio.

II. Secundo in verbo proposito notatur *incusationis insinuatio,* cum subdit: *Quid hoc audio de te?* quasi dicat: valde graviter incusatus es mihi. Nam *audio de te,* primo *arrogantiam* detestabilis inobedientiae, contemnentis celsitudinem immensae potentiae; secundo, *malevolentiam* impietatis et invidiae effundentis sanguinem humanae naturae; tertio, *demulcentiam* carnalis lasciviae, subvertentis imaginem divinae essentiae.

Subdivisio.

De arrogantia inobedientiae.

Primo igitur *audio de te arrogantiam detestabilis inobedientiae,* contemnentis celsitudinem immensae potentiae; unde in Psalmo [9]: *Averterunt se et non servaverunt pactum, quemadmodum patres eorum conversi sunt in arcum pravum. In ira concitaverunt eum in collibus suis et in sculptilibus suis ad aemulationem eum provocaverunt.*

---

[1] Vers. 9; duae sequentes Glossae sunt *ordinariae* in v. 9. et *interlinearis* in v. 2.

[2] Scilicet *interlinearis* et *ordinaria* in hunc locum.

[3] Rom. 2, 11; deinde respicitur Act. 10, 35.

[4] Vers. 15; sequens locus est Gregor., XIV. Moral. c. 42. n. 50.

[5] Respicitur Ps. 103, 15.

[6] Vers. 23. seq. — Glossa est *ordinaria* in v. 21.

[7] Ex Beda, IV. c. 60. in Luc. 14, 23.

[8] Scilicet *ordinaria* in hunc locum. — Sequitur Gregor., XXVI. Moral. c. 13. n. 21; quoad Augustinum cfr. V. Operis imperfecti contra Iulian. c. 62.

[9] Psalm. 77, 57. seqq.; sequitur Ps. 14, 4.

Audivit Deus et sprevit et ad nihilum redegit valde Israel. Ecce, quod isti maligni et inobedientes *ad nihilum redacti sunt*, in conspectu Dei; *timentes autem Dominum* et obedientes eius praeceptis tanquam amicos *glorificat* et exaltat ad magnificentiam amicitiae et amoris in praesenti quantum ad dona gratiae, in futuro quantum ad dona gloriae. Unde homo, nisi obediat Deo humiliter, nunquam dignus est ab eo honorari, immo pro nihilo tanquam stercus reputari. O amabilis virtus amandae obedientiae, quae humiles ad tantam nominis excellentiam sustollit, ut potius Dei amici quam famuli denominentur! Et o detestabile vitium arrogantiae et inobedientiae, quae de angelo fecit diabolum, de innocente peccatorem!

De malevolentia impietatis.

Secundo *audio de te malevolentiam impietatis* et invidiae effundentis sanguinem humanae naturae; unde Matthaei vigesimo secundo [1]: *Reliqui vero tenuerunt servos eius et contumeliis affectos occiderunt. Rex autem, cum audisset, iratus est, et missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos et civitatem illorum succendit.* — *Reliqui* non tantum contempserunt venire ad fidem, immo *tenuerunt servos* Dei, Apostolos, *et contumeliis affectos occiderunt. Rex autem, cum audisset, vocem sanguinis ad se clamantis de terra; iratus est*, id est, secundum Glossam [2], « cum tranquillitate iudicans », in ultionem exarsit; *et missis exercitibus suis*, « Romanis sub Tito et Vespasiano », sicut dicit Glossa, *perdidit homicidas illos et civitatem illorum*, scilicet « Ierusalem », *succendit;* « cum Ierusalem modo sit constructa extra portam, ubi Dominus crucifixus fuit, apparet, illam Ierusalem ex toto fuisse incensam et destructam », secundum quod dicit Glossa super illud Lucae decimo nono [3]: *Non relinquent in te lapidem super lapidem;* vel *missis exercitibus suis*, « id est Angelis », secundum Glossam [4], « per quos iudicium exercebit; *perdidit homicidas*, id est sanctos persequentes, *et civitatem succendit*, id est carnem, in qua habitaverunt, cum anima in gehenna cremabit ».

De demolitione fabricae.

Tertio *audio de te demolitionem carnalis fabricae*, subvertentis imaginem divinae essentiae; unde in Psalmo [5]: *Tentaverunt Deum in cordibus suis, ut peterent escas animabus suis;* et sequitur: *Ideo audivit Dominus et distulit; et ignis accensus est in Iacob, et ira ascendit in Israel.* Iudaei carnales et gulosi statim, ut passi sunt famem, appetierunt esse *in terra Aegypti super ollas carnium;* nec adhuc sufficit eis peccare peccato gulae concupiscentis carnalia delectamenta Aegypti, immo apposuerunt adhuc peccare ei peccato diffidentiae et blasphemiae, male loquentes de Deo, quod non posset eis parare mensam in deserto. Ideo audivit Dominus hanc vocem, et displicuit, sed tanquam misericors *distulit, disponens omnia suaviter* [6], quousque *escae* essent *in ore ipsorum*, ut experirentur, *nihil esse* impossibile *apud Deum;* et postea tanquam iustus punivit eos, cum *ira Dei descendit super eos.* Unde Glossa [7]: Vere gulosi, *quorum Deus venter est*, tanto impetu ad cibum bestialiter feruntur, ut nihil cogitent de Deo, sed tantummodo, quomodo possent suum ventrem colere et adimplere; quorum *gloria in confusione* est propter rationis subversionem.

Pars III. Satisfactionis postulatio.

III. Tertio in verbo proposito notatur *satisfactionis postulatio*, cum subinfert: *Redde rationem villicationis tuae.* Postulat Deus satisfactionem, ut quilibet reddat rationem principaliter de tribus: primo, Subdivisio. de immundis *cogitationibus cordis;* secundo, de vanis et duris *sermonibus oris;* tertio, de malis et pravis *maleficiis operis.*

Ratio reddenda de eo gladiorum cordis.

Primo homo *tenetur reddere rationem* de immundis et perversis *cogitationibus cordis;* unde ad Romanos decimo quarto [8]: *Omnes stabimus ante tribunal Christi. Scriptum est enim: Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, et omnis lingua confitebitur Deo. Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo.* — Quis enim non timebit *stare ante tribunal* istius Iudicis, qui scrutatur cogitationes, ponderat affectiones, examinat intentiones et quaerit rationem de perversis cogitationibus, immundis affectionibus et malis intentionibus, eo quod nulla ipsum latet cogitatio? « Certe tunc latere erit impossibile, apparere intolerabile [9] ». — Ca- Monitio. rissimi, si nolumus timere *stare ante tribunal* tanti Iudicis, habeamus cor nostrum mundum et purum, ut sit absque tumore superbiae, absque livore invidiae, absque ardore avaritiae, absque torpore accidiae et, ut brevius dicam, absque omni voluntate peccandi.

Item, de verbis oris.

Secundo *reddere debet* homo *rationem* de otiosis et criminosis *verbis oris;* unde Matthaei duodecimo [10]: *De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii. Ex verbis enim tuis iustificaberis et ex verbis tuis condemnaberis.* « Illud est *verbum otiosum*, secundum Glossam, quod sine utilitate loquentis dicitur aut audientis, ut de frivolis et fabulis ». — Unde si *de verbo otioso reddet rationem*, quanto magis de verbis criminosis! Certe, *ex verbis* « bonis » homo iustificabitur, et *ex verbis* « malis » homo condemnabitur,

---

[1] Vers. 6. seq.; deinde respicitur Gen. 4, 10.

[2] Haec et sequens Glossa sunt *interlinearis* in hunc locum.

[3] Vers. 44. Glossa est *ordinaria* ex Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 39. n. 1.

[4] Scilicet *ordinariam* in hunc locum.

[5] Psalm. 77, 18. 21; infra respicitur Exod. 16, 3. et Num. 11, 18.

[6] Sap. 8, 1; dein respiciuntur Ps. 77, 30. et Luc. 1, 37.

[7] Phil. 3, 19.

[8] Vers. 10-12; cfr. Isai. 45, 24. et Phil. 2. 10.

[9] Auctor Tract. de interiori domo (inter opera Bernardi), c. 22. n. 46, et Anselm., Meditat. 2.

[10] Vers. 36. seq. — Sequitur Glossa *interlinearis* in hunc locum.

« quia *mors et vita in manu linguae* », secundum Glossam [1]. Si nolumus condemnari ex verbis nostris *in die iudicii*, habeamus in ore nostro verba dulcia, non dura; humilia, non superba; aedificatoria, non criminosa et detractoria.

Tertio *debet* homo *reddere rationem* de pravis *maleficiis operis;* unde in Symbolo [2]: « Omnes resurgere habent cum corporibus suis et reddituri sunt de factis propriis rationem »; et in verbo proposito: *Vocavit illum et ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuae.* « *Vocat illum*, quando timorem incutit aeternae damnationis », secundum Glossam [3]; et *ait illi*, dictante conscientia: *Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuae*, id est, secundum Glossam, « cogita, dum vivis, qualiter debeas operari, ut evadas poenas aeternas ». *Iam enim* « tempore mortis » *non poteris villicare*, id est operari ad satisfaciendum. Rogemus etc.

m, de ma- dictis ope- ris.

Sermo II [4].

Dominica septima [5] post Pentecosten. Sermo fratris Bonaventurae in Conventu Praedicatorum de Atrebato.

Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei, ad Romanos octavo [6].

In verbis his duo nota, scilicet *motus gratiae* inspirantis, cui obtemperandum cum devotione; *actus dilectionis* [7] gratificantis, cui est regratiandum cum attentione.

Divisio.

Circa primum nota, quod signa sequentis gratiae motus sunt haec, scilicet *discretionis* sapientificae intellectus; Ecclesiastici tertio [8]: *Filii sapientiae, ecclesia iustorum, et natio illorum, obedientia et dilectio.* — *Devotionis* angelicae coelibatus; ad Galatas quarto: *Quoniam estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater.* — *Religionis* sacrae ornatus; ad Ephesios quinto: *Ut filii lucis ambulate.* — *Conversationis* pacificae convictus; ad Philippenses secundo [9]: *Sitis sine querela et simplices filii Dei sine reprehensione in medio nationis pravae et perversae, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.*

na motas iliae qua- tuor.

Sermo III [10].

Item, sermo fratris Bonaventurae Fratribus Parisius in Capitulo, Dominica octava post Pentecosten.

Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei, ad Romanos octavo [11].

Notandum, quod comprobantur legitimi filii illi qui sunt *honesti* per sanctimoniae puritatem; ad Ephesios quinto [12]: *Estote ergo imitatores Dei sicut filii carissimi. Fornicatio autem et omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos.* — *Devoti* per Ecclesiae sedulitatem; ad Galatas quarto: *Quoniam estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater.* — *Pacifici* per familiae unitatem; Matthaei quinto: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* — *Studiosi* per diligentiae probitatem; Ecclesiastici tertio [13]: *Filii sapientiae, ecclesia iustorum, et natio illorum, obedientia et dilectio.*

Conditiones quatuor filii legitimi.

DOMINICA NONA POST PENTECOSTEN.

Sermo I [14].

Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis illam speluncam latronum, Lucae decimo nono [15].

Dominus noster, summus pontifex universalis Ecclesiae, videns hodierna die, domum orationis fieri forum negotiationis, quodam debili flagello eiectis miraculose negotiatoribus de templo, dure arguit eos de maleficio, cum dicit in verbo proposito: *Domus mea domus orationis vocabitur.* In quo quidem verbo primo notatur *appropriatio dominii;* secundo, *intentio sacrificii;* tertio, *increpatio maleficii.* Primum est honoris et magnificentiae, secundum est amoris et benevolentiae, tertium est pudoris et displicentiae. *Appropriatio dominii*, quod est honoris et magnificentiae, notatur, cum dicit: *Domus mea. Intentio sacrificii*, quod est amoris et benevolentiae, notatur, cum subdit: *domus orationis vocabitur;* ista intentione fit ecclesia, ut sacrificiis Deus honoretur in ea. *Increpatio maleficii* et displicentiae notatur, cum subinfert: *vos autem fecistis illam speluncam latronum.*

Divisio.

1. Primo ergo in verbo proposito notatur *appropriatio dominii*, cum dicit: *Domus mea.* Vindicat et appropriat sibi dominium Dominus in ecclesia, eo

Pars 1. Appropriatio dominii.

---

[1] Scilicet *interlinearem* et *ordinariam* in hunc locum; in prima Glossa allegatur Prov. 8, 21.

[2] Quod communiter, sed falso Athanasio ascribebatur.

[3] Haec et duae sequentes Glossae sunt *interlineares* in hunc locum.

[4] Ex A fol. 132 v.

[5] Nunc verba thematis occurrunt Dominica octava post Pentecosten. — Codex habet *Atrebato* pro *Atrebatibus.*

[6] Vers. 14.

[7] Codex habet *diligentiae.*

[8] Vers. 1; sequuntur Gal. 4, 6. et Eph. 5, 8.

[9] Vers. 15.

[10] Ex A fol. 133 r.

[11] Vers. 16.

[12] Vers. 1. 3; sequuntur Gal. 4, 6. et Matth. 5, 9.

[13] Vers. 1.

[14] Ex Vaticana et C D E F. Habetur etiam in cod. Tudertino n. 404. fol. 239 r., qui tamen in aliquibus differt.

[15] Vers. 46.

quod in ea habet exercere tres actus hierarchicos sibi soli tanquam efficienti convenientes et nulli alii. Unde sicut Deus Pater habet in superiori hierarchia Angelorum *purgare, illuminare* et *perficere;* sic Filius, licet indivisa sint opera Trinitatis, in inferiori hierarchia fidelium habet haec tria facere, licet aliter accipiatur *purgare* hic et ibi. Unde propter haec tria, quae habent fieri ab ipso in ecclesia, appropriat sibi dominium et dicit de ea, quod est *do-*

Subdivisio. *mus mea:* primo, quia est locus desiderabilis *propitiationis,* purgantis affectum a sordibus peccati; secundo, quia est locus salutaris *eruditionis,* illuminantis et dirigentis intellectum ab errore devii; tertio, quia est locus sacramentalis *refectionis,* perficientis et quietantis appetitum dulcedine incomprehensibili. Et sic in ecclesia fidelis debet purgari a malo culpae et illuminari verbo doctrinae et refici sive perfici cibo eucharistiae.

Primo Dominus appropriat sibi dominium in ec-

Hic est locus propitiationis. clesia, quia est locus *desiderabilis propitiationis,* purgantis foeditatem affectus; unde dicitur tertii Regum octavo [1]: *Si fugerit populus tuus Israel inimicos suos, quia peccaturus est tibi, et agentes poenitentiam et confitentes nomini tuo, venerint et oraverint et deprecati te fuerint in domo hac; exaudi in caelo et dimitte peccata populi tui Israel.* Qui enim vult obtinere veniam peccatorum debet habere hunc ordinem, qui in praedicta auctoritate docetur servari, quia veri poenitentes primo debent gemere per dolorosam *contritionem* in corde; deinde confiteri peccata sua per *recognitionem* in ore ad laudem nominis Dei; postea *venire* per defectuum *emendationem* in opere; et tunc eum *orabunt* cum timore; *et si deprecati fuerint,* cum devotione in domo ecclesiae, merebuntur obtinere veniam peccatorum, dummodo proponant peccata postmodum non committere; quia propter hoc dicitur Ecclesiastae quarto [2]: *Custodi pedem tuum, ingrediens domum Dei.* — Ille novit *custodire pedem suum,* qui, *ingrediens domum Dei,* affectum ab omni immunditia per confessionem purgat et eam postmodum proponit non committere.

Secundo Dominus appropriat sibi in ecclesia do-

Item, locus eruditionis. minium, quia est locus *salutaris eruditionis,* illuminantis tenebrositatem intellectus [3]; unde Ecclesiastici quinquagesimo primo [4]: *Appropiate ad me, indocti, et congregate vos in domum disciplinae.* — Verbum est divinae Sapientiae ad laicos, qui *indocti* dicuntur, quia in divinis eloquiis non sunt instructi. Isti autem *appropiant* ad Sapientiam increatam, quando praebent tam aurium audientiam quam cordium intelligentiam ad praedicatoris eloquentiam, ut diligenter intenti his quae dicuntur, ea totis viscerибus anhelantes, festinent quod intelligunt opere adimplere. *Et congregate vos in domum disciplinae,* quod fit, quando fideles adunantur intra parietes ecclesiae materialis. Unde in diebus solemnibus tractanda sunt verba dominicae doctrinae; et propter hoc dicit Psalmus [5] in persona praedicatorum: *Benediximus vobis de domo Domini; Deus Dominus, et illuxit nobis. — Benediximus vobis,* scilicet populis, vestra arida corda rore caelestis doctrinae compluendo, et hoc, quia *Deus Dominus,* praebens auctoritatem officii, *illuxit nobis,* conferens veritatem Evangelii. Unde in praedicatoribus debet esse aucto- Notandum ritas officii, veritas Evangelii et auditio populi.

Tertio Dominus appropriat sibi dominium in ec- Item, locus sacramentalis refectionis. clesia, quia locus *sacramentalis refectionis,* perficientis et terminantis fluxibilitatem appetitus; unde Proverbiorum nono [6]: *Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem; immolavit victimas suas, miscuit vinum et proposuit mensam suam;* et sequitur: *Et insipientibus locuta est: Venite et comedite panem meum et bibite vinum, quod miscui vobis. — Sapientia,* id est Christus, *aedificavit sibi domum,* Ecclesiae; *excidit,* id est, profunde et firmiter in ea collocavit, *columnas septem,* Sacramentorum, *immolavit victimas suas,* proprii corporis, *et miscuit vinum,* proprii sanguinis, qui *exivit de eius latere* [7], *et proposuit mensam suam,* in altari crucis; *et insipientibus,* huius saeculi, qui nolunt humana ratione in cognitionem huius Sacramenti devenire, *locuta est,* tam interiori inspiratione quam exteriori praedicatione: *Venite et comedite panem meum,* caelestem, *in se habentem omne delectamentum et omnis saporis suavitatem; et bibite vinum,* spiritualis sapientiae. Unde qui vult *comedere panem* vitae et potare vinum sapientiae, necesse habet venire ad Sacramentum corporis et sanguinis Christi. Ibi enim sentiet, quomodo *sapientia secundum suum nomen sit* [8], et gustabit sensibiliter, *quoniam eius spiritus* est *super mel dulcis,* cuius immensa magnitudo dulcedinis, quae in eo absconditur, appetitum animae, qui est ad infinita, absorbet et quietat. In nullo enim alio fluxibilitas appetitus et instabilitas Notandum mentis potest terminari et quietari. Nam cor hominis, cum sit lubricum et instabile propter diversitatem appetitus ad multa et varia fluxibilia, nisi eius appetitus in aliquo satietur, continuo dissolvitur et ad carnalia delectamenta prolabitur; et ideo, ut stabiliatur in bono, Deus dedit homini hunc panem, in quo invenit plenitudinem saturitatis et ebrietatem sapientialis voluptatis; unde in Psalmo: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos; quoniam apud te est fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen.*

---

[1] Vers. 33. seq.
[2] Vers. 17.
[3] Cod. D pro hoc membro substituit aliam explicationem.
[4] Vers. 31.
[5] Psalm. 117, 26. seq. [6] Vers. 1. seq.
[7] Ioan. 19, 34; sequuntur Prov. 9, 2. 4. 5. et Sap. 16, 20.
[8] Eccli. 6, 23 (id est *sapida*); sequuntur c. 24, 27. et Ps. 35, 9. seq.

Pars II. Incentio sacrificii.

II. Secundo in verbo proposito notatur *intentio sacrificii*, quod est amoris et benevolentiae, cum subdit: *domus orationis vocabitur*. Ad hoc, ut *oratio dirigatur sicut incensum in conspectu Dei* [1], necesse sunt tres conditiones. Nam primo orationem Subdivisio. debet praeire *humilitas animi* in reputatione; secundo debet comitari *sanctitas desiderii* in affectione; tertio debet subsequi *sedulitas studii* in continuatione.

Requiritur humilitas animi.

Primo orationem debet *praeire humilitas animi* in reputatione. Et de hoc habemus exemplum Lucae decimo octavo [2], de Pharisaeo et publicano, *qui ascenderunt in templum, ut orarent*, sed oratio publicani adeo reputantis se malum, ut non auderet accedere; immo *a longe stans*, cum timore et reverentia, *nolebat nec oculos ad caelum levare*, prae verecundia, penetravit nubes et ascendit velut *fumus aromatum in conspectu Dei*, secundum quod dicitur Ecclesiastici trigesimo quinto [3]: *Oratio humiliantis se nubes penetrabit*. Unde descendit *iustificatus in domum*, conscientiae, ab illo Pharisaeo, cuius oratio erat cum tumore superbiae et praesumtione iustitiae de propriis meritis, quia Deum non orabat, immo se laudabat et oranti insultabat. Et propter hoc dicit Augustinus ad Dioscorum: « Nisi humilitas omnia, quaecumque bene agimus, et praecesserit et comitetur et subsecuta fuerit et praeposita, quam intueamur, et apposita, cui adhaereamus, et imposita, qua reprimamur; iam nobis de aliquo bono facto gaudentibus totum extorquet de manu superbia ».

Item, puritas desiderii.

Secundo orationem debet *comitari puritas desiderii* in affectione; unde primae ad Timotheum secundo [4]: *Volo, viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira et disceptatione;* hoc est, ut in tempore orationis nulla occurrat irae passio, nulla phantasmatum illusio. « Quales ergo volumus in oratione inveniri, tales debemus ante orationis tempus nos praeparare », quia, secundum beatum Augustinum, « quidquid ante tempus orationis per sensus hausimus, totum in tempore orationis occurrit ». Et propterea bene dicebat Dominus Matthaei sexto [5]: *Tu autem, cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum;* hoc est, ut praeparetur secretum cordis et claudantur sensus corporis, ut mens, transcensis sensibus humanis et similitudinibus imaginariis, non sono vocis et linguae motu neque syllabarum distinctione, sed conglobatis desideriorum affectibus in Dei amorem et laudem resolvatur, quia tunc adimpletur quod dicitur Apocalypsis octavo: *Ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.*

Item, sedulitas studii.

Tertio orationem debet *subsequi sedulitas studii* in continuatione; unde Lucae decimo octavo [6]: *Oportet semper orare et non deficere*, dicens eis exemplum *cuiusdam viduae*, quae ratione suae importunitatis exaudita est apud iudicem. Ad litteram illi, exemplo illius viduae, merentur exaudiri in oratione, qui non impeditur aliqua superflua occupatione; sed semper *sine intermissione* et cum importunitate debent orare, quousque obtineant quod desiderant. Et propter hoc dicitur Ecclesiastae septimo [7]: *Melior est finis orationis quam principium*. Tamen illud verbum, quod dicitur Lucae decimo octavo: *Oportet orare semper*, debet sic intelligi secundum Glossam: « *Semper orat* qui canonicis horis quotidie secundum morem Ecclesiae insistit; vel *semper orat* iustus, dum secundum Deum omnia agit, nec desinit orare, nisi cum desinit iustus esse ».

Pars III. Increpatio maleficii.

III. Tertio in verbo proposito notatur *increpatio maleficii*, quod est pudoris et displicentiae, cum subinfert: *vos autem fecistis illam speluncam latronum*. Triplici de causa committitur illud maleficium, ut de Ecclesia fiat *spelunca latronum*: primo, quando Subdivisio. in ea est *contentio superborum*; secundo, quando in ea est *infectio lubricorum*; tertio, quando in ea est *deceptio et negotiatio cupidorum*. Et illa tria genera hominum possunt figurari per tria genera animalium, quae morantur in speluncis. Nam primo *superbi* ratione furoris et iracundiae possunt figurari per canes et ursos; secundo, *lubrici* ratione foeditatis et immunditiae possunt intelligi per porcos; tertio, *cupidi* ratione terrenitatis et fraudulentiae possunt nominari per vulpes. Et propterea, quando in Ecclesia est contentio superborum, infectio lubricorum et deceptio cupidorum, bene potest dici, quod facta est *spelunca latronum* [8].

De contentione superborum.

Primo igitur Ecclesia Dei fit *spelunca latronum*, quando in ea est *contentio superborum;* unde dicitur in Psalmo [9]: *Cuius maledictione os plenum est et amaritudine et dolo;* sequitur: *Insidiatur quasi leo in spelunca sua*. Unde dum homo stans in Ecclesia laesionem innocentis proximi cogitat, *quasi leo insidiatur in spelunca sua*, cuius *os* ad modum furiosi canis propter contentiones superbiae *plenum est amaritudine*, subversionis, *et dolo*, deceptionis. Tales non sunt sustinendi, immo flagello correptionis puniantur; et etiam, si incorrigibiles fuerint, expellantur, ne forte alios per contentionem subvertant, et fiat domus orationis domus contentionis.

---

[1] Respicitur Ps. 140, 2.

[2] Vers. 10. seqq. et dein respicitur Cant. 3, 6.

[3] Vers. 21. — Sequitur August., epist. 118. (alias 56.) c. 3. n. 22.

[4] Vers. 8. — Duo sequentes loci sunt Cassian., collat. 9. c. 3. (alias 2.) et August., de Sermone Domini in monte, II. c. 3. n. 11, secundum sensum.

[5] Vers. 6; sequitur Apoc. 8, 4.

[6] Vers. 1. seqq.; dein respicitur 1. Thess. 5, 17.

[7] Vers. 9. — Sequitur Glossa *ordinaria* in Luc. 18, 1.

[8] Quae praecedunt a verbis *Triplici de causa committitur illud maleficium* omissa sunt in editionibus, sed habentur in C D E F.

[9] Psalm. 10, 7. 9. sec. Hebraeos.

De infectione lubricorum.

Secundo ecclesia fit *spelunca latronum,* quando in ea est *infectio lubricorum;* unde Ieremiae septimo [1]: *Dixistis: Liberati sumus, eo quod fecerimus abominationes istas. Spelunca* ergo *latronum* facta est ista domus, *in qua invocatum est nomen meum;* tunc Ecclesia, in *qua invocari* debet *nomen* Dei, fit *spelunca latronum,* quando in ea fiunt homicidia et adulteria, quae sunt *abominationes* ante Deum. Et propter hoc amovenda est illa foetida abominatio lubricorum ab Ecclesia, alioquin fit domus propitiationis domus abominationis et provocationis.

De negotiatione cupidorum.

Tertio ecclesia fit *spelunca latronum,* quando in ea est *negotiatio cupidorum;* unde Matthaei vigesimo primo [2]: *Intravit Iesus in templum et eiiciebat omnes vendentes et ementes in templo et mensas nummulariorum et cathedras vendentium columbas evertit. Et dicit eis: Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis illam speluncam latronum.* — Dominus noster, *intrans templum,* ardore spiritus concitatus, quodam vili flagello miraculose eiecit omnes negotiantes de templo. Unde Glossa: « *Mirabilia,* ut flagello unius et vilis tot *vendentes* de templo *eiicere* et *nummulariorum mensas subvertere,* quo nihil mirabilius egit. Igneum et sidereum aliquid radiat ex eius oculis, lucet in facie maiestas Deitatis ». *Et mensas nummulariorum et cathedras vendentium columbas evertit.* « *Nummularii,* secundum Glossam, erant aliqui positi a sacerdotibus, ut mutuarent nihil habentibus ad hoc, ut possent emere columbas, quas alii afferebant. Nam sacerdotes vendebant non habentibus columbas et alia animalia, ut vendita postea reciperent oblata ». Simili zelo debet agitari praelatus, quando videt, in Ecclesia vendi Sacramenta, per quae hauritur Spiritus sancti gratia, vel emi ecclesiastica officia, ut omnis, qui lucra talia sectatur, eiiciatur de Ecclesia, *ne* forte *domus orationis fiat domus negotiationis.* Rogemus etc.

Sermo II [3].

Domus mea domus orationis vocabitur, Lucae decimo nono [4].

In verbo proposito describit Dominus locum suae habitationis per actum orationis; unde nota in verbo proposito duo: primo enim praemittitur divinae *habitationis locus* ut *notificatus,* cum dicitur: *Domus mea;* secundo subditur *orationis actus* ut *notificativus,* cum dicitur: *domus orationis vocabitur.* In quo miro modo commendatur divina *habitatio* et nostra *oratio;* tanta enim est excellentia domus Dei, ut in ea non acceptet Deus actum alterius generis quam orationis, et rursum tantae excellentiae est oratio, ut ei praecipue et praecise praeparata sit divina habitatio. Si ergo recta est praedicta domus divinae habitationis notificatio, nullus domum Dei fideliter habitat nec finaliter perseverat, qui orationi non intendit; et omnis, qui intendit orationi instanter et finaliter, in domo Dei manet, ut decet. Talis autem solus idoneus est ad salutem; totius ergo nostrae salutis effectus est sanctae orationis dignus et conveniens usus. — Ad hoc autem, quod oratio Deo sit placita et accepta, tria sunt necessaria, scilicet, quod orationem *praeire* debet *praeparatio, comitari attentio, subsequi* vera *exsultatio;* et ita respondet tribus actibus orationis, qui sunt purgatio, illuminatio et perfectio.

Divisio generalis.

Divisio particularis.

Pars I. Praeparatione purgatione triplici praemittenda.

1. Primo ergo oportet, quod *praecedat purgativa praeparatio* propter actus excellentiam; et ideo Ecclesiastici decimo octavo [5]: *Ante orationem prapara animam tuam et noli esse quasi homo, qui tentat Deum.* Purganda vero est anima a tribus, ex quorum fonte manat omnis foedatio ipsius, scilicet ab *elatione praesumtuosa* per mansuetudinem subiectionis, a *delectatione voluptuosa* per amaritudinem compunctionis, ab *actione tumultuosa* per solitudinem religionis. Tria vero praemissa respondent tribus prioribus radicibus, ut patet aspicienti.

Purgatio a elatione praesumtiosa.

Primo ergo purganda est anima ab *elatione praesumtuosa,* ut sit ad orationem idonea; propter quod Proverbiorum vigesimo octavo [6]: *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio eius erit exsecrabilis.* Et ratio huius est, quia, *qui divinam legem non audit* et Deum contemnit, Deus ipsum non exaudit, quia « qualem se offert homo Deo, talem se exhibet Deus homini ». Unde oratio superbientis non est exaudibilis, sed magis exsecrabilis. Ab hoc ergo debet purgari qui vult exaudiri. Hoc autem fit per mansuetudinem subiectionis; propter quod Iudith nono [7]: *Humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio;* unde Ecclesiastici trigesimo quinto: *Oratio humiliantis se nubes penetrabit,* quia ad divinum conspectum ascendit; et ideo in Psalmo: *Respexit in orationem humilium et non sprevit precem eorum.* Exemplum de publicano, Lucae decimo octavo [8].

Secundo purganda est a *delectatione voluptuosa* per amaritudinem compunctionis; Isaiae primo [9]: *Cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam; manus enim vestrae sanguine plenae sunt.* Quia enim carnalis homo et voluptuosus, quasi humi prostratus, carnalia et ponderosa verba interius format,

Item, a delectatione voluptuosa.

---

[1] Vers. 10. seq.

[2] Vers. 12. seq. — Duae sequentes Glossae sunt *interlinearis* in Matth. 21, 13. et *ordinaria* in Matth. 21, 12.

[3] Ex cod. Florentino U fol. 90 r. et Tudertino n. 182. fol. 172 v., qui in prima et secunda parte satis conveniunt, sed quoad tertiam totaliter differunt. In A et B habetur huius sermonis schema infra positum. Notandum, quod in cod. Tudert. hic sermo inscribitur: *In Dedicatione Ecclesiae sermo.*

[4] Vers. 46. et Matth. 21, 13; cfr. Isai. 56, 7. [5] Vers. 23.

[6] Vers. 9. — Sequitur Bernard., serm. 69. in Cant. n. 7.

[7] Vers. 16; sequuntur Eccli. 35, 21. et Ps. 101, 18.

[8] Vers. 10. seqq. [9] Vers. 15.

quod quaerit non impetrat, quia orationes eius per manus Angelorum non feruntur ad divinam audientiam; propter hoc oportet purgari volentem exaudiri, quod quidem fit per amaritudinem compunctionis; primi Regum primo [1]: *Cum esset Anna amaro animo, oravit ad Dominum, flens largiter;* in quo fletu se ipsam purgavit et quasi in quodam fonte lavit; unde ex ore ipsius munda oratio ad caelum usque conscendit, unde exaudita fuit; quod figuratur Iudith duodecimo: *Et exibat noctibus in vallem Bethuliae et baptizabat se in fonte aquae. Et ut ascendebat, orabat Dominum Deum Israel, ut dirigeret viam eius ad liberationem populi sui.* In quo figuratur, quod prius lavanda est conscientia *per singulas noctes* [2], quam ad orationem ascendamus. Exemplum de Esther orante, decimo quarto.

Tertio purganda est ab *actione tumultuosa* per
Item, ab actione tumultuosa.
solitudinem religionis, ut orationi vacetur; Threnorum tertio [3]: *Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio;* quod quidem fit, quando tantum permittimus caelum cordis nostri nubilosis phantasiis et occupationibus involvi, ut non possit intueri radius veraе lucis. Quamdiu vero mens nostra in huiusmodi phantasmatibus et occupationibus malis versatur, elongatur a veritate et spiritualitate; et ideo recte orare non potest, quia, sicut dicitur Ioannis quarto, *spiritus est Deus, et eos qui adorant eum in spiritu et veritate oportet adorare.* Debet igitur mens nostra ab huiusmodi purgari; quod quidem fit per solitudinem religionis, recedendo scilicet a turba sensuum et sensibilium et imaginabilium. Quod bene figuratum est Matthaei decimo quarto, ubi dicitur, quod Salvator, *dimissa turba, ascendit in montem solus orare.* Haec autem solitudo religionis magis attenditur per spiritualem recessum in interiora conscientiae quam per corporalem separationem a consortio turbae. Unde Matthaei sexto [4]: *Tu autem, cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito; ostio,* scilicet sensuum exteriorum.
Notandum.
Ibi (?) est hominis cor. — Sed pauci sunt qui intrent, quia hoc est donum divinae gratiae et nostrae diligentiae; unde secundi Regum septimo dixit David: *Invenit servus tuus cor suum, ut oraret te oratione hac.* Exemplum de Sara, Tobiae tertio.

II. Hac triplici purgatione praemissa quasi quodam
Para II. De attentione triplici, quae debet comitari,
praeparatorio, adiungi debet oratio, quam *comitari* debet *attentio*, quae debet tribus conditionibus informari. Primo enim debet oratio attenta esse attentione *provida* per vigilantiam in intellectu; Matthaei vigesimo sexto [5]: *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem.* Hoc etiam praecipit Dominus Marci
Sit provida.
decimo quarto et Lucae vigesimo primo et princeps Apostolorum, primae Petri quarto [6]: *Vigilate in orationibus.*

Hoc autem praecipitur a Domino sive propter *hostis fraudulentiam;* propter quod dicitur primae Petri ultimo [7]: *Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester* etc. — Sive propter nostri *desiderii vehementiam;* propter quod dicitur in Psalmo: *Domine Deus salutis meae, in die clamavi et nocte coram te;* et ibidem: *Intret in conspectu tuo oratio mea* etc. — Sive propter *Sponsi festinantiam*, qui cito transit et hora indeterminata venit; propter quod Lucae duodecimo: *Beati servi illi, quos, cum venerit dominus, invenerit vigilantes.* — Sive propter *nostram indigentiam;* propter quod Ecclesiastici trigesimo nono [8]: Iustus *cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, et in conspectu Altissimi deprecabitur. Aperiet os suum in oratione et pro delictis suis deprecabitur.* Hoc docuit Christus Lucae sexto.
Ratio quadruplex.

Secundo debet esse *mutua* per benevolentiam
Sit mutua.
in affectu; Iacobi ultimo [9]: *Confitemini alterutrum peccata vestra et orate pro invicem, ut salvemini.* — *Pro invicem* dicit, ut oratio se extendat per benevolentiam non solum ad amicos, sed etiam ad extraneos et inimicos, secundum quod dicitur Matthaei quinto: *Orate pro persequentibus et calumniantibus vos.* Gregorius [10]: « Pro semetipso poenitens tanto citius exandiri meretur, quanto devote pro aliis intercedit ». Hieronymus: « Oratio est brevis et subtilis avicula, quae pennis fidei et virtutis transcendit choros Cherubim et Seraphim et assistit in consistorio summi Regis egregia peroratrix pro se et unoquoque ». Et propterea primae Petri tertio [11]: *Omnes unanimes* in oratione estote, ut nullum excludatis. Hoc autem exemplo docuit Christus, quando pro persequentibus exoravit.

Tertio debet esse *continua* propter perseveran-
Sit continua.
tiam in actu; Ecclesiastici decimo octavo [12]: *Non impediaris orare semper, et ne verearis usque ad mortem iustificari.* Unde si aliquos actus velit Dominus ad tempus fieri, ab oratione vult nunquam cessari; propter quod Lucae decimo octavo [13]: *Oportet semper orare et non deficere;* et primae ad Thessalonicenses quinto: *Sine intermissione orate.* Gregorius: « Virtutis pondus oratio non habet, quam nequaquam perseverantia continui amoris tenet ». Ratio autem huius est, quia boni operis initium, medium et complementum est per divinae gratiae donum; quod autem consequi non potest, nisi qui perseveranter pulsat ad ostium, secundum illud Lucae

[1] Vers. 10; sequitur Iudith 12, 7. seq.
[2] Respicitur Ps. 6, 7; sequitur Esther 14, 3. seqq.
[3] Vers. 44; sequuntur Ioan. 4, 24. et Matth. 14, 23.
[4] Vers. 6; sequuntur II. Reg. 7, 27. et Tob. 3, 10. seq.
[5] Vers. 41; sequuntur Marc. 14, 34. 38. et Luc. 21, 36.
[6] Vers. 7.
[7] Cap. 5, 8; sequuntur Ps. 87, 2. 3. et Luc. 12, 37.
[8] Vers. 6. seq.; sequitur Luc. 6, 12.
[9] Cap. 5, 16; sequitur Matth. 5, 44.
[10] Libr. XXXV. Moral. c. 11. n. 21.
[11] Vers. 8; deinde respicitur Luc. 23, 34.
[12] Vers. 22.
[13] Vers. 1; sequuntur I. Thess. 5, 17. et Gregor., XXXIII. Moral. c. 23. n. 43.

undecimo [1]: *Si ille perseveraverit pulsans, dabit illi quotquot habet necessarios.*

III. Hanc orationem ad suam perfectionem debet *subsequi exsultatio*, scilicet *grata* per memoriam beneficii; ad Colossenses quarto [2]: *Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione;* haec enim exsultatio habetur per *praesentiam gaudii;* Lucae primo: *Exaudita est deprecatio tua, et erit gaudium tibi et exsultatio.* — Postremo *viva* per *confidentiam refugii;* Psalmus: *Apud me oratio Deo vitae meae, dicam Deo: Susceptor meus es;* et rursus [3]: *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea, et labiis exsultationis laudabit os meum;* usque: *me suscepit dextera tua* [4]. Rogemus etc.

Pars III. De exsultatione, quae debet subsequi.

Schema praecedentis sermonis [5].

Sermo Bonaventurae Parisius in domo Praedicatorum coram eis.

Domus mea domus orationis vocabitur, Lucae decimo nono [6], sumtum de Isaiae quinquagesimo sexto.

In verbis his describit Dominus *habitationis* suae locum per *orationis* actum, in quibus nota duo. Primo enim praemittit divinae *habitationis locum* ut *notificatum*, ibi: *Domus mea;* secundo describit *orationis actum* ut *notificativum*, ibi: *domus orationis vocabitur.*

Divisio generalis.

Circa totum nota, quod orationem debet praeire *praeparatio*, comitari *attentio* et subsequi *exsultatio*, ut sic homo ex ea purgetur, illuminetur et perficiatur.

Divisio particularis.

Oportet ergo, quod anima volens orare et fructum orationis deportare, sit *purgata praeparatione.* Purgari autem debet a tribus, scilicet ab *elatione praesumtuosa;* Ecclesiastici trigesimo quinto [7]: *Oratio humiliantis se nubes penetrabit.* — A *delectatione voluptuosa;* Iudith duodecimo: *Et exibat noctibus in vallem Bethuliae et baptizabat se in fonte aquae. Et ut ascendebat, orabat* etc. — Ab *occupatione tumultuosa;* Matthaei decimo quarto: *Dimissa turba, ascendit in montem solus orare.*

De praeparatione privativa triplici.

Sit *provida attentione:* per *vigilantiam* in intellectu ad superna spectacula; Ecclesiastici trigesimo nono [8]: *Cor suum tradet ad vigilandum* etc. — Per *benevolentiam* in affectu ad superna suffragia; Iacobi ultimo: *Orate pro invicem, ut salvemini.* — Per *perseverantiam* in actu ad cumulandum merita propria; Ecclesiastici decimo octavo: *Non impediaris orare semper* etc., *quoniam Dei merces manet in aeternum.*

De attentione triplici.

Iucunda exsultatione [9].

Tertium deest.

DOMINICA DECIMA POST PENTECOSTEN.

Sermo I [10].

Qui se humiliat exaltabitur, Lucae decimo octavo [11].

In hoc verbo, quod est infallibilis regula divinae iustitiae, continetur summa totius salutis humanae, quae consistit in humilitate meriti et sublimitate praemii. Unde in eo primo praemittitur *humilitas* sive opportunitas *meriti* per modum antecedentis; secundo adiungitur *sublimitas praemii* per modum consequentis. Primum est quantum ad statum viae sub ratione cognoscentis; secundum, quantum ad statum patriae sub ratione allicientis. Et primo praemittitur *humilitas meriti* per modum antecedentis, cum dicitur: *Qui se humiliat,* scilicet in statu viae; secundo adiungitur *sublimitas praemii* per modum consequentis, cum subditur: *exaltabitur,* scilicet in statu patriae.

Divisio.

I. Dicit ergo: *Qui se humiliat,* ubi notatur *humilitas meriti.* Ut autem verbis Evangelii nos conformemus, possumus dicere, quod ille est vere poenitens et habet meritoriam humilitatem, qui exemplo illius publicani [12] habet humilitatem *operis, oris* et *cordis.* Unde ille qui ratione suae perfectae humilitatis descendit *iustificatus in domum,* conscientiae, primo habuit humilitatem *subiectionis* et reverentiae *in opere* ex consideratione altissimae Maiestatis; et ideo dicitur: *Publicanus a longe stans nolebat nec oculos ad caelum levare;* Glossa [13]: « *A longe:* Sicut humilis non audet appropinquare, ut ad eum Deus appropinquet; non ut aspiciatur ». Secundo habuit humilitatem *contritionis* et poenitentiae *in corde* ex recordatione commissae iniquitatis, unde *percutiebat pectus suum;* Glossa: « Premit conscientiam, sed spem sublevat; percutit pectus, poenas de se exigit ». Tertio habuit humilitatem *recognitionis culpae in ore* ex timore aeternae calamitatis sive severitatis; unde dicebat: *Deus, propitius esto mihi peccatori,* cui ratione culpae debetur poena sempiterna; ubi Glossa: « Confitetur, ut Deus ignoscat; ignoscit

Subdivisio.

Pars I. Humilitas meriti.

---

[1] Vers. 8.

[2] Vers. 2; sequuntur Luc. 1, 13. seq. et Ps. 41, 9. seq.

[3] Psalm. 62, 6-9.

[4] Pro hac III. parte in cod. Tudert. tractatur diffuse de orationis fructibus; etiam in schemate, quod habet B, haec pars tantum generalibus verbis indicatur.

[5] Ex A fol. 134 r. et B fol. 62 r. Notandum, quod cod. B paulo diffusior est quam A; sed quae addit iam habentur in ipso sermone praecedente.

[6] Vers. 46. et Isai. 56, 7.

[7] Vers. 21; sequuntur Iudith 12, 7. seq. et Matth. 14, 23.

[8] Vers. 6; sequuntur Iac. 5, 16. et Eccli. 18, 22.

[9] Haec duo verba habentur in solo B; cetera desunt.

[10] Ex Vaticana et C D E F.

[11] Vers. 14.

[12] Respicitur Luc. 18, 10. seqq.

[13] Haec et duae sequentes Glossae sunt *ordinariae* apud Lyranum in Luc. 18, 13.

Deus quod ille agnoscit ». Et sic movebat eum ad humilitatem divinae *Maiestatis fastigium*, quod est venerandum; commissae *iniquitatis opprobrium*, quod est erubescendum; extremae *severitatis iudicium*, quod est metuendum; et sic perfectum habuit motivum ad humilitatem, scilicet quod erat supra ipsum Deus, qui praesidebat; quod erat infra ipsum dedecus, quod displicebat; quod erat contra ipsum iudicium, quod imminebat.

Primo, de humilitate contritionis.

Sed ut recto ordine procedamus, possumus dicere, quod ille publicanus, gerens formam veri poenitentis, primo habuit humilitatem *contritionis* et poenitentiae *in corde* ex recordatione commissae iniquitatis; unde convenit ei quod dicitur Proverbiorum duodecimo [1]: *Moeror in corde viri humiliabit illum.* — *Moeror* est dolor de peccatis praeteritis, quod est optimum motivum ad humilitatem cordis, quia poenitens, dolens de peccatis et se libenter subdens Domino, quem offendit, salubriter veniam impetrat, secundum quod dicitur in Psalmo: *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.* Unde poenitenti dicitur Ecclesiastici secundo: *In dolore sustine et in humilitate tua patientiam habe; quoniam in igne probatur aurum et argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis.*

Secundo, de humilitate recognitionis.

Secundo ille publicanus, gerens formam poenitentis, habuit humilitatem *recognitionis culpae in ore* ex timore aeternae calamitatis; unde Ecclesiastici septimo [2]: *Humilia valde spiritum tuum, quoniam vindicta carnis impii, ignis et vermis.* Considerans peccator, quod *vindicta* et punitio suae carnis erit *ignis* gehennae, qui non exstinguetur, *et vermis* conscientiae, qui non morietur, *valde* debet *humiliare spiritum suum*, per timorem coram vicario Dei, scilicet sacerdote, et eius pedibus provolutus, cum dolore et lacrymis sua peccata confiteri, ut dolore et amaritudine compunctionis *vermem* interficiat et flumine lacrymarum *ignem* exstinguat. Unde de ista humiliatione dicitur Ecclesiastici quarto: *Presbytero humilia animam tuam*, quod fit, quando peccator, considerans, quod presbyter tenet locum Dei, non vult tanquam superbus sedere ad latus eius, immo tanquam humilis se prosternit eius pedibus, quousque confiteatur [3], quia tunc impletur in eo quod dicitur tertii Regum vigesimo primo: *Quia humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius.*

Tertio, de humilitate subiectionis.

Tertio iste publicanus habuit humilitatem *subiectionis* et reverentiae *in opere* ex consideratione altissimae Maiestatis. Unde non accessit impudenter, sed *stans a longe* reverenter, *nolebat* oculorum supercilium in altum elationis *elevare*, sed in imum deiectionis deprimere, ut per hoc posset Deum honorare, secundum quod dicitur Ecclesiastici tertio [4]: *Magna potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur.* Magna res, quod excelsus Deus humilia subiacentiae in publicano approbat et alta superbiae in Pharisaeo reprobat, qui non Deum orabat, immo de propriis meritis se laudabat et alii insultabat. Nam *descendit iustificatus* publicanus a Pharisaeo *in domum* conscientiae propriae. Et hoc est secundum regulam divinae iustitiae, quae est: *Omnis, qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur.* Certe nunquam ille Pharisaeus publicano insultasset, si attendisset quod dicit Glossa Augustini super illud ad Philippenses secundo [5]: *Superiores sibi invicem arbitrantes:* « Non hoc ita debemus existimare, ut non existimemus, sed nos existimare fingamus; sed vere existimemus, aliquid occultum esse posse in alio, quo nobis superior sit, etiamsi bonum nostrum, quo illo videmur superiores, non sit occultum ». — Sed dicit forsitan aliquis: Timeo, me humiliari plus, quam veritas habeat, ne forte ratione humiliationis incurram mendacium simulationis etc. Respondit beatus Bernardus sermone trigesimo septimo super Cantica [6]: « Iustus tutiusque est profecto iuxta ipsius Veritatis consilium, novissimum locum eligere, de quo postmodum cum honore superius educamur, quam praesumere altiorem, unde cedere mox oporteat cum rubore. Non est periculum, quantumcumque te humilies, quantumcumque reputes minorem, quam sis. Est autem grande malum horrendumque periculum, si vel modicum plus vero te extollas, si vel uni in tua cogitatione te praeferas, quem forte parem tibi Veritas indicat aut etiam superiorem; quemadmodum, si per ostium transeas, cuius superliminare sit nimium bassum, non nocet quantumcumque te inclinaveris, sed nocet, si te erexeris ».

Difficultatis solutio.

Pars II. Sublimitas praemii.

II. Secundo in verbo proposito notatur *sublimitas praemii* sub ratione alicientis, cum subdit: *exaltabitur.* Triplici exaltatione sublimabitur verus poenitens, respondente triplici humiliationi. Nam primo, quia habuit humilitatem contritionis et poenitentiae in corde ex recordatione commissae iniquitatis, exaltabitur *decore* caelestis gratiae, delentis maculam peccatorum; secundo, quia habuit humilitatem subiectionis et reverentiae in opere ex consideratione altissimae Maiestatis, exaltabitur *virtute* abundantioris iustitiae, accumulantis bona meritorum; tertio, quia habuit humilitatem recognitionis culpae in ore ex timore futurae calamitatis, exaltabitur *honore* deiformis gloriae, sublimantis ad gaudia Angelorum sive aeternorum. Duae exaltationes sunt in statu viae et disponunt ad tertiam, quae est in statu patriae.

Subdivisio.

De decore gratiae.

Primo propter humilitatem contritionis et poenitentiae in corde ex recordatione commissae iniquitatis exaltabitur *decore caelestis gratiae*, delentis

[1] Vers. 25; sequuntur Ps. 50, 19. et Eccli. 2, 4. seq.
[2] Vers. 19; sequitur c. 4, 7.
[3] Vide supra pag. 368, col. 1. — Sequitur III. Reg. 21, 29.
[4] Vers. 21.
[5] Vers. 3. Glossa est *ordinaria* in hunc locum ex August., libr. de Divers. Quaestion. q. 71. n. 5.
[6] Num. 6. et 7, ubi respicitur Luc. 14, 10.

maculam peccatorum; unde Ecclesiastici trigesimo quarto [1]: *Dominus exaltans animam et illuminans oculos, dans sanitatem et vitam et benedictionem. — Dominus exaltat animam*, dum eius affectum exspoliat ab ignobilitate vetustatis culpae et induit novitatem decorantis gratiae; *et illuminat oculos*, intellectus a tenebrositate caecitatis et ignorantiae splendore veritatis et intelligentiae, *dans sanitatem*, eius carni per repressionem carnalis concupiscentiae, *et vitam*, aeternae immortalitatis, *et benedictionem*, supernae hereditatis. ut possit dicere illud Psalmi: *Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiae Sion.*

De virtute iustitiae. Secundo propter humilitatem subiectionis et reverentiae in opere ex consideratione altissimae Maiestatis exaltabitur *virtute abundantis iustitiae*, accumulantis opera meritorum; unde in Psalmo [2]: *Custodi viam eius; et exaltabit te, ut hereditate cupias terram. — Custodi viam eius*, per exsecutionem praeceptorum, *et exaltabit te*, per accumulationem meritorum, *ut hereditate cupias terram*, per retributionem praemiorum; et propter hoc dicitur Ecclesiastici vigesimo: *Qui operatur iustitiam, ipse exaltabitur. — Qui operatur iustitiam*, multiplicando merita, *ipse exaltabitur*, ad magna praemia. Et quia hoc habet fieri mediante timore Domini, ideo dicitur Ecclesiastici quadragesimo: *Facultates et virtutes exaltant cor, et super haec timor Domini.*

De honore gloriae. Tertio propter humilitatem recognitionis culpae in ore ex timore aeternae calamitatis exaltabitur *honore deiformis gloriae*, sublimantis ad gaudia praemiorum; unde primae Petri quinto [3]: *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis.* Considerantes divinae Maiestatis praesentiam et nostrae vilitatis excellentiam, *humiliari debemus sub manu* divinae potentiae. Non enim possumus aliter sublimiter exaltari in patria, nisi *humiliemur* totaliter *sub potenti manu Dei* in via. Nam si aliter nitimur ascendere, non erit nobis spes de exaltatione caelestis gloriae, sed de deiectione infernalis ignominiae; unde Ezechielis decimo septimo: *Ego Dominus humiliavi lignum sublime et exaltavi lignum humile.* Causa autem huius iustitiae et aequitatis est, quia, quanto quis magis se exaltat et supra se erigitur, tanto minus honorat Deum et a superioribus se elongat et inferioribus se subiicit; ac per hoc magis deiicitur. Sed e converso, quanto quis magis se humiliat, tanto magis honorat Deum et ad superiora appropinquat et inferioribus superponitur; ac per hoc iusto Dei iudicio magis exaltatur. Rogemus ergo etc.

Sermo II [4].

Dominica vigesima [5]. Sermo fratris Bonaventurae Fratribus de Tolosa.

Nemo potest dicere: Dominus Iesus nisi in Spiritu sancto, primae ad Corinthios duodecimo [6].

In verbis his describit Apostolus, quanta et qualis debet esse unicuique nostrum ad Christum Iesum crucifixum *fides* et devotio, et quam beata et quam sacra sit huius *origo*. Primum, ibi: *Nemo potest dicere: Dominus Iesus*, id est, nullus potest sentire et cognoscere et sapere fidei et maiestatis et claritatis et suavitatis ipsius praesentiam et assistentiam; secundum, ibi: *nisi in Spiritu sancto*, id est, nisi Spiritus sanctus eum ad hoc illuminet, afficiat, elevet, inflammet et reficiat. Divisio.

I. Circa primum nota, quod memoria conversationis, praedicationis et mortis Domini Iesu est pertractanda iusto et devoto viro: in *mente* quantum ad desideria; ad Philippenses primo [7]: *Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo, multo magis melius;* ad Philippenses primo: *Mihi enim vivere Christus est et mori lucrum.* — In *sermone* quantum ad praeconia; primae ad Corinthios secundo [8]: *Non iudicavi, me scire aliquid inter vos nisi Iesum Christum et hunc crucifixum. Et sermo meus et praedicatio mea non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis.* — In *repraesentatione* quantum ad vestigia; ad Romanos decimo tertio [9]: *Induimini Dominum Iesum Christum.* — In *operatione* quantum ad exempla; ad Colossenses tertio: *Omnia in nomine Domini Iesu Christi facite.* Pars I. Memoria mortis Christi tradas quadrupliter.

II. Circa secundum nota, quod Spiritus sanctus ad ista quatuor supra dicta proprie et principaliter *dirigit* animae intentivam; Isaiae sexagesimo tertio [10]: *Spiritus Domini ductor eius fuit* etc. — *Fecundat* eloquentiae interpretativam; Matthaei decimo: *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* — *Informat* moralem ostensionem; Ioannis decimo quinto [11]: *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me;* ad Romanos octavo: *Quicunque spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.* — *Roborat* vitae operativam; Actuum primo: *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos et eritis mihi testes in Ierusalem et in omni Iudaea et Samaria et usque ad ultimum terrae.* Pars II. Spiritus sanctus effectus quadruplex.

---

[1] Vers. 20; sequitur Ps. 9, 15.
[2] Psalm. 36, 34; sequuntur Eccli. 20, 30. et c. 40, 26.
[3] Vers. 6; sequitur Ezech. 17, 24.
[4] Ex A fol. 134 v.
[5] Potius Dominica decima; cfr. Epistola huius Dominicae.
[6] Vers. 3.
[7] Vers. 23; et dein v. 21.
[8] Vers. 2. et 4.
[9] Vers. 14; sequitur Col. 3, 17.
[10] Vers. 14; sequitur Matth. 10, 20.
[11] Vers. 26; sequuntur Rom. 8, 14. et Act. 1, 8.

SERMO III [1].

Sermo fratris Bonaventurae Fratribus de Assisio.

Omnis, qui se humiliat, exaltabitur [2].

Divisio. Duo pronuntur in hac sententia Salvatoris circa omnem devotum sibi famulum, scilicet *meritum* se ipsum transcendens, et *privilegium* in sempiterna gloria Dei ponens.

Pars I. Ad merita requiruntur quinque. I. Circa primum nota, quod ad hoc, quod aliquis mereatur esse servus altissimi Dei, quinque requiruntur in eo, quae perfectam humilitatem instituunt, scilicet *amor* propriae *vilificationis;* Psalmus [3]: *Bonum mihi, quia humiliasti me.* — *Assiduitas* votivae (?) *subiectionis;* ad Philippenses secundo: *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem* etc. — *Recognitio* suae *conditionis;* secundi Regum sexto: *Vilior fiam plus, quam factus sum, et ero humilis in oculis meis.* — *Comparatio vitae melioris;* ad Philippenses secundo [4]: *In humilitate superiores sibi invicem arbitrantes.* — *Inspectio* supernae *speculationis* (?); Ecclesiastici septimo: *Humilia valde spiritum tuum, quoniam vindicta carnis impii, ignis et vermis.*

Pars II. Exaltatio quintuplex. II. Circa secundum nota, quod qui sic humiliatur *exaltari* omnino meretur: ad maius *donum* gratiae; Ecclesiastici tertio [5]: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam.* — Ad maius *meritum* iustitiae; Ecclesiastici undecimo: *Est homo marcidus* etc., *et* Deus *erexit eum ab humilitate ipsius et exaltavit caput eius.* — Ad maius *lumen* sapientiae; Proverbiorum undecimo: *Ubi est humilitas, ibi et sapientia;* Ecclesiastici undecimo [6]: *Sapientia humiliati exaltabit caput illius.* — Ad maius *culmen* hierarchiae; Iob quinto: *Qui ponit humiles in sublime et moerentes erigit sospitate.* — Ad maius *praemium* gloriae; Iob vigesimo secundo: *Qui humiliatus fuerit erit in gloria, et qui inclinaverit oculos, ipse salvabitur.*

DOMINICA UNDECIMA POST PENTECOSTEN.

SERMO I [7].

Solutum est vinculum linguae eius, et loquebatur recte, Marci septimo [8].

Quoniam, secundum Sanctos [9], quod semel fiebat a Domino nostro Iesu Christo tunc corporaliter, modo etiam fit ab ipso continue spiritualiter; ideo possumus dicere, quod in verbis istis spiritualiter intellectis pro quolibet peccatore tria notantur ad nostram Divisio. instructionem. Primum est lubrica *sceleris circumvolutio;* secundum est dolorosa *cordis contritio;* tertium est perfecta *oris confessio.* Et haec tria habent se per ordinem. Nam non habet efficaciam oris confessio, nisi primo praecedat perfecta cordis contritio; nec cordis contritio esse potest, nisi primo peccati perpetratio viam contritioni praestet. Et per hoc recto ordine proceditur in verbo proposito, eo quod primo notatur lubrica *sceleris circumvolutio,* cum dicit: *Vinculum linguae eius.* Sicut enim lingua materialis nimia nervi contractione, sive alio impedimento ligatur, ne possit vocem formare; sic lingua intellectualis scrutinii peccati delectatione circumvolvitur et enervatur, ut non sufficiat sua peccata recogitare vel recognoscere. Secundo notatur dolorosa *cordis contritio,* cum subdit: *solutum est.* Optime dolor contritionis solvit peccati delectationem, eo quod contraria delectationis culpae contrariis doloris et amaritudinis poenitentiae curantur. Tertio notatur perfecta *oris confessio,* cum subinfert: *et loquebatur recte,* quod fit, quando homo *non declinat cor suum in verba malitiae ad excusandas excusationes in peccatis* [10], sed confitetur humiliter et aperte omnia peccata sua.

Pars I. Sceleris circumvolutio. I. Dicit ergo: *Vinculum linguae eius,* ubi notatur primo *lubrica sceleris circumvolutio.* Sicut enim lingua materialis involvitur et ligatur, ut non possit exire in actum debitum, primo, morbi inflatione; secundo, humoris infrigidatione; tertio, nervi enervatione; sic lingua spiritualis, id est pars superior animae, isto triplici modo ligatur et involvitur, ne possit debito modo moveri in Deum, proximum et in subiectum proprium. Nam primo ligatur *inflatione* mentalis superbiae, ne possit moveri ad honorandum Deum; secundo ligatur *infrigidatione* cordialis invidiae, ne possit moveri ad diligendum proximum; tertio ligatur *enervatione* carnalis lasciviae, ne possit moveri ad ordinandum se ipsum. Subdivisio.

De vinculo superbiae. Primo igitur ligatur *superbus vinculo mentalis superbiae,* ne possit moveri ad honorandum Deum semper; unde Sapientiae decimo septimo [11]: *Persuasum habent iniqui posse dominari nationi sanctae, vinculis tenebrarum et longae noctis compediti.* — *Iniqui,* id est elati et superbi, effigiantes patrem suum diabolum, qui regnat *super omnes filios superbiae; persuasum habent* ab eo, *posse dominari* et praeesse omnibus, *et nationi sanctae; vinculis tenebrarum et longae noctis compediti,* superbiae excaecatione *compediti* et circumvoluti, ne possint

[1] Ex A fol. 135 r. [2] Luc. 14, 11.
[3] Psalm. 118, 71; sequuntur Phil. 2, 8. et II. Reg. 6, 22.
[4] Vers. 3; sequitur Eccli. 7, 19. — Infra *examinationis* videtur ponendum pro *speculationis.*
[5] Vers. 20; sequuntur c. 11, 12. seq. et Prov. 11, 2.
[6] Vers. 4; sequuntur Iob 5, 11. et c. 22, 29.
[7] Ex Vaticana et C D E F. [8] Vers. 35.
[9] Cfr. August., serm. 98. (alias 44. de Verbis Dom.) c. 3. n. 3.
[10] Psalm. 140, 4.
[11] Vers. 2; sequitur Iob 41, 25.

se ad humilitatem inclinare, per quam celsitudo divinae Maiestatis honoratur — nam *magna potentia Dei solius a* solis *humilibus honoratur* [1] — ut tales, qui gigantea magnitudine elati, nolunt humiliari et aliis propter Deum subiecti esse; futurum enim est, ut tales diluvio finalis iudicii suffocentur; parvulos Christus custodit arca humilitatis. Unde tales figurantur per Sedeciam, qui noluit tanquam elatus et arrogans submittere collum iugo divini praecepti, de quo dicitur, quod *rex Babylonis*, id est diabolus, *oculos Sedeciae eruit et vinxit eum compedibus, ut duceretur in Babylonem.*

De vinculis invidiae.

Secundo ligantur *invidi vinculis cordialis invidiae*, ut non possint moveri ad diligendum proximum; unde in Psalmo [2]: *Principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum eius. Dirumpamus vincula eorum et proiiciamus a nobis iugum ipsorum. — Principes sacerdotum convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum eius*, quando, colligati vinculis cordialis invidiae, *consilium inierunt adversus Christum, ut eum morti traderent; et vinctum adduxerunt eum et tradiderunt Pontio Pilato*, secundum quod dicitur Matthaei vigesimo septimo. Unde ne istis vinculis cordialis invidiae circumvolvamur odiendo proximos, qui sunt membra Christi; ideo addidit: *Dirumpamus vincula eorum et proiiciamus a nobis* infernale et diabolicum *iugum ipsorum*, sub quo se subiugaverunt, cum dixerint: *Sanguis eius super nos et super filios nostros.* — Carissimi, non odiamus proximum, Christi membrum; qui *odit* proximum *homicida est* [3], et *sanguis* proximi *super* eum est, clamans ad Deum pro sui vindicta.

De vinculo lasciviae.

Tertio ligantur *lubrici vinculo corporalis lasciviae*, ne possint moveri ad ordinandum et diligendum se ipsos; unde Ecclesiastae septimo [4]: *Inveni amariorem morte mulierem, quae laqueus venatorum est, et sagena cor eius, vincula sunt manus illius.* — Bene dicit: *Inveni amariorem morte mulierem;* nam mors temporaliter occidit corpus, sed nequam mulier corpus et animam aeternaliter, *quae laqueus est venatorum*, id est daemonum. Isto enim muliebri laqueo daemones venati sunt genus humanum in primo parente; nam *a muliere initium factum est peccati. Sagena* infernalis est lubricum *cor eius* ad capiendum lubricos in aquis carnalitatis; *et manus illius*, id est opera, *vincula sunt*, ad trahendum ad lubricitatem peccati. Unde qui non vult illaqueari a daemonibus laqueo carnalis lasciviae, sed vult se ipsum mundum conservare per puritatem pudicitiae, debet, quantum potest, declinare spectacula vanitatum, fugere consortia mulierum, quia, sicut rosa vel lilium, cum frequenter tangitur, incipit marcescere et amittere colorem et odorem; sic castus homo, quando se exponit huiusmodi spectaculis vanitatum et mulierum, ita aliquando tangitur et percutitur cor eius, ut statim incipiat marcescere per immundam cogitationem et amittere colorem et odorem interioris munditiae per consensum ad illam cogitationem.

Pars II. C die contri

II. Secundo in verbo proposito notatur *dolorosa cordis contritio*, cum subdit: *solutum est.* Solvitur enim per contritionem veram vinculum triplicis praedicti peccati, scilicet superbiae, invidiae et luxuriae, triplici dono, quod Deus infundit animae contritae, scilicet dono *humilitatis, caritatis* et *castitatis*, ut tripliciter contraria culpae contrariis gratiae curentur. Nam primo vinculum mentalis *superbiae* solvitur per *timorem* filialis reverentiae, honorantis Deum; secundo vinculum cordialis *invidiae* solvitur per *amorem* universalis benevolentiae, diligentis proximum; tertio vinculum carnalis *lasciviae* solvitur per *decorem* caelestis pudicitiae, ordinantis et decorantis subiectum proprium.

Subdivisi

De timo reverenti

Primo vinculum mentalis superbiae solvitur per *timorem filialis reverentiae*, honorantis Deum; unde Isaiae quinquagesimo secundo [5]: *Solve vincula colli tui, captiva filia Sion. — Sion*, quae interpretatur specula, est anima christiana, quae apta nata est in se ipsa videre Deum, eo quod est speculum et imago divinae essentiae. *Solve*, mansuetudine exteriore et humilitate interiore; *vincula colli tui*, id est cervicosae arrogantiae et rebellantis superbiae, quibus adeo captivata et subiugata eras durissimo imperio diaboli, ut non posses militare sub principe Christo, eo quod *nemo potest duobus dominis*, scilicet Deo et diabolo, contrariis iubentibus *servire.*

De amo benevol tiae.

Secundo vinculum cordialis invidiae solvitur per *amorem universalis benevolentiae*, diligentis proximum; unde Isaiae quinquagesimo octavo [6]: *Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes. — Colligationes impietatis*, id est motus irae et rancoris, quibus intellectus impeditur, ne possit cernere verum, et affectus provocatur ad nocendum proximo; *solve*, per vinculum pacis et concordiae; similiter *fasciculos*, id est prava opera, alios *deprimentes, solve* per condignam satisfactionem. Nam primo debet homo reconciliari et remittere proximo ex corde, deinde, si eum laeserit, per opera satisfacere, quia reconciliatio cordis parum valet sine satisfactione operis, si possibilitas adest.

De dec monditi

Tertio vinculum carnalis lasciviae solvitur per *decorem caelestis munditiae*, pulcrificantis corpus proprium. Et de hoc potest exponi illud Lucae decimo tertio [7]: *Hanc filiam Abrahae, quam alligavit satanas, non oportuit solvi a vinculo isto die sabbati?* quasi dicat: sic. Illa *mulier* habens spiritum

[1] Eccli. 3, 21; sequitur Ier. 39, 7. (cfr. c. 52, 10. seq. et IV. Reg. 25, 7.).
[2] Psalm. 2, 2. seq.; sequitur Matth. 27, 1. seq. et dein v. 25.
[3] Epist. I. Ioan. 3, 15.
[4] Vers. 27; sequitur Eccli. 25, 33.
[5] Vers. 2; sequitur Matth. 6, 24.
[6] Vers. 6.
[7] Vers. 16; sequitur Luc. 13, 11.

immundum, *quae erat inclinata ad terram nec omnino poterat sursum respicere*, significat quemlibet lubricum habentem immundum spiritum luxuriae, ratione cuius tantam habet pronitatem ad malum, ut semper sit *inclinata ad terram*, sapiendo carnalia, et etiam tantam difficultatem ad bonum, ut non possit *sursum respicere*, appetendo spiritualia. Isto enim duplici vinculo, scilicet pronitatis ad malum et difficultatis ad bonum, quae nobis insunt carnis corruptione et spiritus aggravatione, *alligavit eam satanas*, a quo solvitur per Christum in die plenitudinis gratiae tempore Evangelii, in quo plus commendatur castitas mentis quam carnis. Nam castitas non est in carne, sed in mente, et ex corde redundat in corpus; unde melior est castitas mentis quam corporis. Nam si cor fuerit castum, et corpus; non autem si corpus, et cor; quamvis Iudaei tempore Legis crederent, illud esse *dictum antiquis: Non moechaberis* [1], tantum de castitate carnis, sed Dominus ad Legis impletionem addidit, non solum castitatem esse servandam in carne et corpore, sed etiam in cogitatione, affectione et visione, cum subiunxit Matthaei quinto: *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo.*

Duplex vitiositas.

Notandum.

III. Tertio in verbo proposito notatur *perfecta oris confessio*, cum subinfert: *loquebatur recte.* Ille loquitur recte per perfectam confessionem, qui loquitur primo *humiliter* cum opprobrio accusandi se ipsum; secundo, *utiliter* cum proposito emendandi defectum; tertio, *lacrymabiliter* cum desiderio placandi Deum. Nibil valet confiteri et propalare peccatum sine proposito emendandi delictum, quia aliter non potest placare Deum.

Pars III. Oris confessio.

Subdivisio.

Primo loquitur ille recte in confessione, qui loquitur *humiliter* cum opprobrio accusandi se ipsum. Et de hoc potest exponi illud lob decimo [2]: *Taedet animam meam vitae meae, dimittam adversum me eloquium meum, loquar in amaritudine animae meae, dicam Deo: Noli me condemnare.* Verbum potest esse perfecte poenitentis, cui ita displicet peccatum, quod perpetravit, ut potius praeeligat velle, se incurrisse mortem sui corporis quam peccasse mortaliter et amisisse Deum, qui est vita animae [3], et dicat: *Taedet animam meam vitae meae,* et quasi dimisso eloquio corporali prae nimio dolore contritionis, *loquitur in amaritudine animae suae,* reducendo ad memoriam omnes abominationes et scelera perpetrata, quibus ad iracundiam Deum provocavit, ut, sic contritus, possit dicere Deo per veram confessionem: *Noli me condemnare,* quia peccata mea « pavesco et ante te erubesco [4] ».

Loquendum in confessione humiliter.

Secundo ille loquitur recte in confessione, qui loquitur *utiliter* cum proposito emendandi peccatum; unde in Psalmo [5]: *Locutus sum in lingua mea: Notum fac mihi, Domine, finem meum et numerum dierum meorum, quis est, ut sciam, quid desit mihi. — Locutus sum in lingua mea,* propalando peccata mea, in confessione, non signo, vel scripto, sed *lingua mea* et ore proprio; sed ut valeam meos defectus emendare, *notum fac mihi, Domine, finem meum et numerum dierum meorum;* quasi diceret: quia brevis *velut umbra* [6]; *ut sciam, quid desit mihi,* ad corrigendum et satisfaciendum de peccatis. Nihil enim tantum movet peccatorem ad emendandum suos defectus et corrigendum peccata sua quantum notitia et memoria mortis. « Nam facile emendat peccata sua qui cognoscit, se semper moriturum ».

Item, utiliter.

Tertio ille loquitur recte in confessione, qui loquitur *lacrymabiliter* cum proposito placandi Deum. Et de hoc potest intelligi quod dicitur in hodierno Evangelio [7]: *Apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius, et exspuens tetigit linguam eius; et suspiciens in caelum, ingemuit et ait illi: Ephphetha, quod est adaperire. Et statim apertae sunt aures eius, et solutum est vinculum linguae eius, et loquebatur recte.* Glossa exponit sic: « Educit Dominus infirmum *de turba,* cum mentem languidam peccatis visitando illustrat et a consuetae conversationis moribus revocat et ad sequenda praecepta sua provocat; *digitos suos in auriculas mittit,* cum per dona Spiritus sancti aures cordis ad intelligenda et suscipienda verba salutis aperit; *sputum,* quod de Domini capite descendit, divinam sapientiam significat, cuius illapsu humana ignorantia solvitur; *suspiciens in caelum, ingemuit,* ut per hoc doceat thesaurum nostri cordis in caelum erigere, quod per compunctionem et lacrymationem cordis a frivola carnis laetitia purgatur; quia tunc *statim aperiuntur aures,* ad audiendam vocem divinae commonationis, cuius timore solvitur vinculum peccati per contritionem; *et loquitur recte,* sine duplicitate per perfectam confessionem, cuius loquela miro modo Deus misericors placatur ». Et ista expositio quasi tota extrahitur de Glossis. Rogemus etc.

Item, lacrymabiliter.

Sermo II [8].

Dominica undecima post Pentecosten. Sermo fratris Bonaventurae in Capitulo Parisius, de mane.

Apertae sunt aures eius, et solutum est vinculum linguae eius, et loquebatur recte, Marci septimo [9].

---

[1] Matth. 5, 27. et dein sequitur v. 28.

[2] Vers. 1. seq.

[3] Cfr. August., serm. 273. (alias 104. de Diversis) c. 1. n. 1: « Sicut ipsa anima sui corporis vita, sic Deus est ipsius animae vita ».

[4] Cfr. Offic. Def. I. Noct. resp. 3.

[5] Psalm. 38, 5.

[6] Respicitur Iob 14, 2. — Sequitur Hieron., epist. 140. (alias 139.) ad Cyprian. n. 16.

[7] Marc. 7, 33-35. — Sequitur Glossa *ordinaria* ex Beda, III. c. 7. in hunc locum.

[8] Ex A fol. 138 v.

[9] Vers. 35.

Circa genus humanum, quod designatur per
Divisio. istum surdum et mutum, notantur duo sibi impensa per misericordiam Redemptoris, scilicet *legitima dispositio* ad habitum deiformitatis, et *perfecta restitutio* ad usum veritatis. Primum, ibi: *Apertae sunt aures eius*, quae primo erant clausae ad omnem spiritualem auditum; secundum, ibi: *et solutum est vinculum linguae eius, et loquebatur recte;* nam primo erat ligata lingua quantum ad laudem Dei.

I. Quantum ad primum nota, quod per Christi
Pars I. reparationem *aures* mentium humanarum, quae prius erant surdae et obturatae per incircumcisam irreverentiam, per obtusam intelligentiam, per variam concupiscentiam, per obstinatam inobedientiam, *apertae*
Aorium apertio qoadroples. *sunt*, quia factae sunt: *reverentiales* ad reverendum omnipotentialia numina; primi Regum tertio [1]: *Loquere, Domine, quia audit servus tuus.* — *Intelligentiales* ad speculandum sapientialia lumina; Proverbiorum secundo: *Audiat sapientiam auris tua; inclina cor tuum ad cognoscendum prudentiam.* — *Affectuales* ad percipiendum supercaelestia charismata; Proverbiorum octavo: *Beatus homo, qui audit me et qui vigilat ad fores meas quotidie et observat ad postes ostii mei.* — *Obedientiales* ad perficiendum divina decreta; Baruch tertio [2]: *Audi, Israel, mandata vitae, auribus percipe, ut scias prudentiam.*

II. Circa secundum nota, quod ad hoc, quod
Pars II. Loquelae conditione qoatoor. *lingua* hominis *loquatur recte*, oportet, eam loqui: *veraciter* secundum leges inditas; ad Ephesios quarto [3]: *Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo.* — *Rationabiliter* secundum leges aeternas; Isaiae trigesimo secundo: *Stultus fatua loquetur, princeps vero ea quae digna sunt principe, cogitabit.* — *Spiritualiter* secundum leges evangelicas; ad Ephesios quinto: *Loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino.* — *Realiter*, id est utiliter, secundum leges supernas; Sapientiae septimo [4]: *Mihi autem dedit Deus dicere ex sententia et praesumere digna horum quae mihi dantur;* Ecclesiastae ultimo: *Verba sapientium quasi stimuli et quasi clavi in altum defixi, quae per magistrorum consilium data sunt a pastore uno.*

DOMINICA DUODECIMA POST PENTECOSTEN.

Sermo I [5].

Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, Lucae decimo [6].

Quia faciliter rudes et sensibiles homines ducuntur in cognitionem alicuius rei spiritualis, cum circumvelatur exemplorum varietate; ideo Dominus noster, volens istum Iudaeum et etiam populum Iudaicum rudem et sensibilem per visibilia ad invisibilia manuducere, describit in verbo proposito iuxta vocabulorum proprietates primum parentem sub metaphora hominis ab Ierusalem in Iericho descendentis et in latrones incidentis, cum dicit: *Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho* etc. In quo quidem verbo, si diligenter attendantur *Ierusalem* et *Iericho* interpretationes et conditiones et etiam *exspoliatio* facta per latrones, valde eleganter describitur primus parens quantum ad tres conditiones,
Divisio. videlicet quantum ad principium primum suae *creationis*, medium suae *praevaricationis* et ultimum suae *punitionis*. Principium suae creationis fuit status originalis innocentiae; medium praevaricationis, lapsus detestabilis culpae; ultimum punitionis, damnum sive defectus poenalis miseriae. Haec tria se habent per ordinem. Nam *Deus* primo creavit *hominem rectum* [7] quantum ad statum innocentiae; deinde voluntas cadens a rectitudine iustitiae acquisivit defectus poenalitatis et miseriae. Primo ergo in verbo proposito describitur primus parens quantum ad statum *originalis innocentiae*, cum dicit: *Ab Ierusalem*. Per *Ierusalem*, quod interpretatur visio pacis, intelligitur status innocentiae, in quo erat summa concordia et harmonia inter carnem et spiritum primi parentis, licet modo merito sui peccati adversentur ad invicem. Secundo, quantum ad lapsum *detestabilis culpae*, cum subdit: *descendebat in Iericho*. Per *Iericho*, quod interpretatur luna sive defectus, significatur lapsus peccati; nam *peccare* idem est quod *deficere*. Tertio, quantum ad damnum *poenalis miseriae*, cum subinfert: *et incidit in latrones*, id est daemones, *qui despoliaverunt eum*, indumento innocentiae. Et ista divisio habetur ex Glossa [8], quae dicit sic: « *Homo* ille Adam intelligitur, qui a beatitudine caelestis Ierusalem praevaricationis prolapsione ad miserias et defectus huius vitae mutabilis et erroneae descendit ».

I. Primo ergo in verbo proposito per *Ierusa-*
Pars I. I. status innocentiae. *lem* intelligitur status *originalis innocentiae;* et bene, si attendantur eius conditiones et interpretationes. Nam *Ierusalem* locus erat primo *dignitatis* et honorificentiae, quia regalis praesidentiae; secundo, *deliciositatis* et affluentiae, quia emanativus *lacte et melle* [9]; tertio, *securitatis* perfectae, quia custoditus

---

[1] Vers. 9; sequuntur Prov. 2, 2. et c. 8, 34.
[2] Vers. 9.
[3] Vers. 25; sequuntur Isai. 32, 6. 8. et Eph. 5, 19.
[4] Vers. 15; sequitur Eccle. 12, 11.
[5] Ex Vaticana et CDEF.
[6] Vers. 30.
[7] Eccle. 7, 30.
[8] Scilicet *interlineari* apud Lyranum.
[9] Respicitur Exod. 3, 8.

ab Angelis die ac nocte. Et haec tria erant perfectiori modo in statu innocentiae. Nam Adam in statu illo habebat primo *dignitatem* originalis innocentiae; secundo, *deliciositatem* oblectabilis gratiae; tertio, *securitatem* protectionis divinae. Et per haec tria perfecte ordinabatur ad illam beatam Trinitatem. Nam ratione primi ordinabatur ad speciositatem Filii; ratione secundi, ad benignitatem Spiritus sancti; ratione tertii, ad potestatem Patris aeterni.

Dignitas innocentiae.

Primo per *Ierusalem* intelligitur status innocentiae, quia in eo habebat primus homo *dignitatem originalis innocentiae*. Et de hoc potest exponi quod dicitur Ezechielis octavo[1]: *Elevavit me spiritus inter terram et caelum et adduxit me in Ierusalem in visione Dei.* Ad litteram: Deus *elevavit* hominem primum quasi *inter caelum et terram*, quando eum posuit in paradiso. Nam, ut dicit Magister in secundi Sententiarum distinctione decima septima[2], « homo extra paradisum creatus est et postmodum in paradiso positus, ut melius cognosceret Dei beneficium, dum videret se aliunde adductum ». Unde secundum Sanctos paradisus terrestris est locus valde eminens et altus, quasi medium tenens inter hanc vallem miseriae et patriam caelestem, iuxta partem aequinoctialem, ubi est magna temperies temporis, in oriente vergens ad meridiem, et ratione suae altitudinis non conscendunt illuc vapores in aëre elevati, quibus luna dominatur, sed est ibi puritas aëris ac contemperantia caloris, et ideo locus idoneus statui perpetuitatis. Et sicut locus est medius, quia inter caelum et terram, ita cognitio[3] illius status innocentiae quasi medium tenebat inter statum gloriae et statum miseriae. Nam in statu gloriae videtur Deus immediate in maiestate in sui substantia, ita quod nulla est ibi obscuritas; in statu vero miseriae mediante speculo obscuro in aenigmate. « Aenigma enim », secundum beatum Augustinum decimo quinto de Trinitate[4], « est similitudo obscura »; sed in statu innocentiae videbatur mediante speculo claro sine aliqua obscuritate, eo quod nulla erat in anima peccati nebula, sed omnimoda puritas, et nulla rebellio carnis et virium inferiorum ad spiritum, sed omnimoda subiectio; et propter tantam harmoniam et concordiam pacis inter carnem et animam subditur in praedicta auctoritate: *et adduxit me in Ierusalem*, quae interpretatur *visio pacis;* sed propter omnimodam puritatem, ratione cuius mundo oculo rationis videbat Deum sine obscuritate, subinfert quasi antonomastice, quod fuerat *ductus in visione Dei.* Huius amissae innocentiae recuperationem credens fidelis Tobias dicebat, Tobiae decimo tertio[5]: *Beatus ero, si fuerint reliquiae seminis mei ad videndam claritatem Ierusalem*, id est originalis innocentiae, quae fuit in Christo.

Notandum.

Deliciositas gratiae.

Secundo per *Ierusalem* intelligitur status innocentiae, quia in eo habebat primus homo *deliciositatem oblectabilis gratiae.* Et de hoc potest intelligi illud Isaiae trigesimo tertio[6]: *Oculi tui videbunt civitatem Ierusalem opulentam.* — Vere Adam in statu innocentiae erat velut *civitas Ierusalem opulenta, pulcra et decora*, propter abnndantiam gratiarum, et *terribilis ut castrorum acies ordinata*, propter refulgentiam virtutum. Hanc *Ierusalem, quae aedificatur ut civitas, cuius participatio eius in id ipsum*, videns diabolus statim invidit. Unde Bernardus[7]: « Cum videret patrem nostrum omnium hominum aemulus caritate circumdatum et omni virtute vestitum, et hoc accepisse terrenum hominem, quod ipse amiserat per superbiam, invidit insatiabilis homicida »; et Damascenus dicit, quod « Deus fecit hominem innocentem, rectum, virtuosum, sine sollicitudine, sine tristitia, omni virtute decoratum, omnibus donis ornatum ». Nec est intelligendum, quod statim, quando Deus hominem condidit, virtute vestierit et ornaverit; sed quia tunc dispositum fecerit et non longo tempore post ornaverit, quemadmodum maior mundus iste sensibilis prius tempore fuit creatus et post ornatus. Unde sicut esse gratuitum est alterius generis quam esse naturale, sic in diversis temporibus fuit Adae creatio et gratiae superinfusio[8]. Nunquam enim Deus, quantum est de lege communi, alicui adulto infnndit gratiam, nisi sit praeparatio ex parte hominis; et propter hoc non fnit concreata gratia homini, sed dilata, quousque homo quodam modo per actum et[9] usum rationis se disponeret ad suscipiendam gratiam.

Notandum.

Securitas protectionis.

Tertio per *Ierusalem* intelligitur status innocentiae, quia in eo habebat primus homo *securitatem protectionis Dei.* Et de hoc potest intelligi illud Psalmi[10]: *Non commovebitur in aeternum qui habitat in Ierusalem. Montes in circuitu eius, et Dominus in circuitu populi sui.* Vere Adam, existens in statu innocentiae, nunquam commotionem sive dissolutionem sui corporis passus fuisset, non ab *intrinseco,* quia, licet esset compositus ex contrariis, et contrarietas sit causa pugnae, et pugna in composito sit causa dissolutionis; tamen aliter se habent contraria in compositione corporis secundum statum naturae lapsae et secundum statum naturae institutae; secundum enim statum naturae lapsae non solum agunt in aliquod extrinsecum, sed etiam ad invicem mutuo agunt et patiuntur tam in ipsa constitntione quam post constitutum esse. In statu vero innocentiae taliter omnia ista fuerunt comproportionata

---

[1] Vers. 3.

[2] Cap. 4; cfr. Bonav., ibid. dub. II. et III. — Pro sequentibus vide supra pag. 114, serm. 6.

[3] Bonav., II. Sent. d. 23. a. 2. q. 3.

[4] Cap. 9. n. 15. et Enarrat. in Ps. 48. n. 5. [5] Vers. 20.

[6] Vers. 20; deinde sequuntur Cant. 6, 3. et Ps. 121, 3.

[7] Potius auctor libri de Salutaribus Documentis (inter opera August.) c. 60. — Sequitur Damasc., II. de Fide orthod. c. 12.

[8] Cfr. Bonav., II. Sent. d. 29. a. 2. q. 2.

[9] Ita D; alii codices cum Vaticana habent *paratum ad.*

[10] Psalm. 124, 1. seq. — De seqq. cfr. II. Sent. d. 19. a. 2. q. 1. ad 2, deinde ad 1. et 5.

in prima compositione, vel ad tantam concordiam educta, ut mutuo, illo statu manente, non pugnarent. Et ideo illud corpus commoveri sive dissolvi
Notandum. ab intrinseco necesse non erat. Unde, etsi erat mortale et corruptibile et habuit causam corruptionis in se, tamen voluntati subiacebat ex ordine divinae iustitiae, et ideo, nisi voluntas deordinaretur, corpus nunquam corrumperetur, quamvis nunc verum sit quod dicit Philosophus [1], quod omne corruptibile de necessitate corrumpitur, cuius scilicet corruptibilis regimen non subiacet voluntati, sicut corruptibile corpus Adae, sed soli virtuti naturali. Non enim similiter poterat *commoveri* sive laedi ab *extrinseco*, eo quod *montes*, id est Angeli, *et Dominus in circuitu eius*, ad custodiam. Non enim ordo divinae iustitiae talem deordinationem et punitionem in illo statu debebat admittere, quia nulla culpa praecesserat, quamvis modo permittat, innocentem occidi ab impio, eo quod omnis homo merito peccati originalis est mortis debitor. Et propter hoc merito poterat sibi dici a Deo illud secundi Regum decimo nono [2]: *Veni mecum, ut requiescas securus mecum in Ierusalem.*

II. Secundo in verbo proposito describitur sta-
Pars II. De statu culpae. tus *culpae* sub nomine *Iericho*, quod interpretatur defectus, eo quod peccare nihil aliud est quam deficere. Unde primus homo, cum peccavit, bene *descendit in Iericho*, quia ratione sui peccati incurrit
Subdivisio. triplicem defectum: primo, defectum *obscuritatis* et ignorantiae ad cognoscendum verum; secundo, defectum *tepiditatis* et ignaviae ad operandum bonum; tertio, defectum *timiditatis* et inconstantiae ad fugiendum et superandum malum. Et haec tria mala sunt contra tria bona, quae erant in statu innocentiae. Et sicut per illa bona ordinabatur et assimilabatur sacratissimae Trinitati, sic per ista mala deordinatur et efficitur dissimilis. Nam caecitas sive *obscuritas* deordinat et dissimilat eum a claritate sapientiae Filii; *tepiditas*, a benignitate clementiae Spiritus sancti; *timiditas*, ab immobilitate et insuperabilitate potentiae Patris aeterni.

Primo dicitur homo *descendisse in Iericho*, cum
De defectu caecitatis. peccavit, quia incurrit defectum *caecitatis* et ignorantiae ad cognoscendum verum; unde Lucae decimo octavo [3]: *Cum appropinquaret Iericho, caecus quidam sedebat secus viam, mendicans;* Glossa: « *Caecus* significat humanum genus, quod a superna claritate exclusum, damnationis suae patitur tenebras, sed a Domino *appropinquante Iericho* sanatur, quia, dum Verbum Dei infirmitatem et defectum nostrae carnis et mortalitatis suscepit, homo ad cognoscendum divina redit; *sedet iuxta viam*, dum incipit credere in Christum, qui dicit: *Ego sum via et veritas et vita* [4]; *mendicat*, dum rogat »; *et clamat*, ut lumen mereatur accipere.

Secundo dicitur homo *descendisse in Iericho*, De defec tepiditati cum peccavit, quia incurrit defectum *tepiditatis* et ignaviae ad operandum bonum; unde in figura dicitur quarti Regum secundo [5]: *At ille*, scilicet Eliseus, *habitabat in Iericho. Dixerunt quoque viri civitatis ad Eliseum: Ecce, habitatio civitatis huius optima est, sicut tu ipse, domine, perspicis, sed aquae pessimae sunt et terra sterilis.* Sicut isti habitatores Iericho, licet carerent aqua dulci ad bibendum et terra bona ad panem producendum, quae maxime sunt necessaria habitationi hominum, tamen aestimabant habitationem tam defectuosam optimam; sic peccatores existentes in Iericho, id est in defectu peccati, licet habeant penuriam *aquae sapientiae salutaris* et tantam sterilitatem terrae corporalis, ut non valeant ratione tepiditatis et ignaviae educere de ea *panem vitae et intellectus*, quibus nutritur anima; tamen reputant, peccati delectatione absorpti, tam defectuosum statum culpae optimum.

Tertio dicitur homo *descendisse in Iericho*, cum De defec timiditat peccavit, quia incurrit defectum *timiditatis* et inconstantiae ad fugiendum malum; unde in figura dicitur Iosue sexto [6]: *Ceperunt civitatem*, scilicet Iericho, *et interfecerunt omnia, quae erant in ea;* et sequitur: *Imprecatus est Iosue, dicens: Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit et aedificaverit civitatem Iericho.* Quia *omnia contingebant illis in figura* [7], ideo, sicut isti existentes in Iericho non valuerunt resistere prae nimia tepiditate et timiditate, nec fugere, ut non interficerentur, sic peccatores finaliter existentes in statu peccati, ratione cuius tantam timiditatem et inconstantiam incurrunt, ut non valeant fugere malum culpae; et ideo iusto Dei iudicio puniuntur malo infernalis poenae.

III. Tertio in verbo proposito describitur pri- Pars III statu g riae mus parens quantum ad damnum *poenalis miseriae*, cum subinfert: *incidit in latrones*, id est daemones, qui intulerunt ei tria damna. Nam primo *despoliaverunt* eum gratuitis virtutibus; secundo *vulneraverunt* eum in potentiis naturalibus; tertio *debilitaverunt* eum in potentiarum viribus, *cum semivivum reliquerunt.* Sed contra ista tria damna tria bona adhibuit verus *Samaritanus* et custos, Dominus noster Iesus Christus. Nam primo contra *spoliationem* tribuit ornamentum gratiae in incarnatione ad decorandam animam nudam et deformem; secundo, contra *vulnerationem* adhibuit medicamentum misericordiae in passione ad sanandum animam sauciatam et languentem; tertio, contra *debilitationem* contulit vehiculum sive adiutorium potentiae in resurrectione ad roborandam animam caducam et debilem. Et haec

Subdivi

[1] Libr. VI. Topic. c. 3. (c. 6.).
[2] Vers. 33.
[3] Vers. 35. cum Glossa *ordinaria* ex Beda, V. in Luc. c. 76.
[4] Ioan. 14, 6.
[5] Vers. 18. seq.; deinde respicitur Eccli. 15, 3.
[6] Vers. 20. seq. et dein v. 25. seq.
[7] Epist. I. Cor. 10, 11.

omnia eliciuntur ex ipso textu, qui secum portat expositionem. Nam persona indigens et misera est genus humanum, quod in Adam peccante *descendit ab Ierusalem in Iericho*, id est a paradiso in mundum, *et incidit in latrones*, id est potestatem daemonum; *qui spoliaverunt eum*, virtutibus gratuitis; *vulneraverunt*, in potentiis naturalibus et debilitaverunt in potentiarum viribus, *semivivum relinquendo*. Sed persona *transiens* eum durissima fuit legalis iustitia, quae nec misericordiam nec medicinam praestabat; unde Glossa Bedae [1]: « Sacerdos legem Dei nuntiat. Descendit quidem lex in mundum per Moysen et nullam sanitatem contulit homini. Descendit levita, qui typum ostendit Prophetarum, sed hic nullum sanat, quia lex peccata arguit, sed pertransit, cum indulgentiam non largitur ». Persona vero subveniens ex misericordia est Dominus noster Iesus Christus, quia *Samaritanus* custos interpretatur. Hic subvenit humano generi, cum tria remedia contulit contra tria praedicta damna.

Primo, animo vestitor lo incarnatione. Primo, animam nudam et deformem *vestivit* ornamento gratiae in incarnatione contra despoliationem. Et hoc est quod dicitur [2]: *Samaritanus quidam iter faciens venit secus eum, et videns eum, misericordia motus est;* Glossa: « *Samaritanus*, qui custos interpretatur, Dominus est, qui propter nos homo factus, vitae praesentis iter arripuit et venit secus vulneratum, *in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo* »; ex cuius adventu homo in gratiam Dei restituitur.

Secundo, animo sanatur in passione. Secundo, animam sauciatam et languentem *sanavit* medicamento misericordiae in passione contra vulnerationem; unde subditur: *Et appropians, alligavit vulnera eius* [3]; « alligamenta adhibuit », secundum Magistrum in Prologo quarti Sententiarum [4], « quia contra originalis et actualis peccati vulnera Sacramentorum remedia instituit », quae efficaciam habent a passione Christi. Unde sequitur: *infundens oleum*, id est « chrisma Spiritus sancti, *et vinum*, id est calicem suae passionis », secundum quod dicit Glossa; *et imponens illum in iumentum suum*, corporis sui, quia *peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, cuius livore sanati sumus; duxit in stabulum*, Ecclesiae.

Tertio, roboratur in resurrectione. Tertio, animam caducam et debilem *roboravit* in resurrectione aperiendo sensum sacrae Scripturae contra debilitatem; unde subinfert [5]: *Altera die protulit duos denarios;* Glossa: « *Altera die*, id est post suam resurrectionem, quando amplior aeternae lucis splendor quam ante passionem effulsit in mundo, *protulit duos denarios*, id est duo Testamenta, Apostolis, quia ipsis *aperuit sensum, ut intelligerent Scripturas*, ad regendum et adiuvandum populum ». Unde per doctrinam duorum Testamentorum, quae intelligitur in prolatione duorum denariorum, quos *dedit stabulario*, id est praelato, cuius est doctrinam ministrare et explanando supererogare, adiuvantur viatores in aeternam patriam redeuntes. Rogemus etc.

Sermo II [6].

Dominica duodecima post Pentecosten. Sermo fratris Bonaventurae Parisius, in Capitulo de mane.

Beati oculi, qui vident quae vos videtis, Lucae decimo [7].

Divisio. Duo tanguntur, scilicet novae gratiae mira *felicitas*, ibi: *Beati oculi, qui vident;* mirae felicitatis expressa *dignitas*, ibi: *quae vos videtis.*

Pars I. Ratio quadruplex. 1. Dicit ergo: *Beati oculi*, Apostolorum et instorum novae gratiae; et *beati*, inquam, quia: *purificati* divino spectaculo per pietatem theosebiae; Psalmus [8]: *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.* — *Revelati* divino radio per humilitatem disciplinae; Genesis quadragesimo quinto: *En, oculi vestri et oculi fratris mei, Beniamin, vident, quod os meum loquatur ad vos.* — *Recreati* divino consortio per ubertatem devotionis internae; Deuteronomii trigesimo tertio: *Oculus Iacob in terra frumenti et vini, caelique caligabunt rore.* — *Honestati* divino exemplo per austeritatem poenitentiae; Genesis quadragesimo tertio [9]: *Attollens Ioseph oculos*, vir apostolicus, *vidit Beniamin, fratrem suum uterinum*, Christum. *Commota sunt viscera eius* etc.

Obiectum quadruplex. Qui vident experimentaliter: *Maiestatem* condescendentem; Lucae secundo [10]: *Videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis.* — *Claritatem* supersplendentem; Ioannis primo: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.* — *Suavitatem* reficientem; Psalmus: *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus.* — *Sanctitatem* aedificantem; Ecclesiastici quadragesimo tertio [11]: *Vide arcum et benedic eum qui fecit illum; valde speciosus est in splendore suo. Gyravit caelum in circuitu gloriae suae, manus Excelsi aperuerunt illum.*

Pars II. Visio per quadruplex medium. II. *Quae vos videtis:* per *industriam rationis* et fidei assensum; Exodi tertio [12]: *Vadam et videbo*

---

[1] Libr. III. c. 44, in Luc. 10, 31. seq.; cfr. etiam Bonav., tom. VII. pag. 271, nota 6.

[2] Luc. 10, 33; sequitur Glossa *ordinaria* apud Lyranum et Phil. 2, 7.

[3] Luc. 10, 34. cum Glossa *ordinaria* ex Beda, III. in Luc. c. 44.

[4] Cap. 1; sequuntur Glossa *interlinearis* in Luc. 10, 34. et I. Petr. 2, 24.

[5] Luc. 10, 35. — Glossa seq. est *ordinaria* ex Beda, III. in Luc. c. 44, ubi respicitur Luc. 24, 45.

[6] Ex A fol. 139 r. et B fol. 63 v.

[7] Vers. 23.

[8] Psalm. 24, 15; sequuntur Gen. 45, 12. et Deut. 33, 28.

[9] Vers. 29. seq.

[10] Vers. 15; sequuntur Ioan. 1, 14. et Ps. 33, 8.

[11] Vers. 12. seq.

[12] Vers. 3.

visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. — Per *munditiam cordis* et intellectus donum; Matthaei quinto [1]: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* — Per *laetitiam mentis* et fervens desiderium; Ioannis duodecimo: Dixerunt illi gentiles Philippo: *Domine, volumus Iesum videre* [2]. — Per *gratiam Spiritus sancti* et sapientiae gustum; Psalmus [3]: *Vacate et videte, quoniam ego sum Deus* etc.

Dico enim vobis, quod multi, probi et Religiosi, *voluerunt videre quae vos videtis, et non viderunt, et audire quae auditis, et non audierunt* [4]. *Audierunt* autem Apostoli Verbum incarnatum: ipsum corde *sentiendo* summe harmonicum per Scripturarum veritatem; Provèrbiorum octavo: *Beatus homo, qui audit me* etc. — *Odorando* summe aromaticum per contemplationum aviditatem; Ecclesiastici quadragesimo octavo [5]: *Beati sunt, qui te viderunt et in amicitia tua decorati sunt.* — *Degustando* summe mellifluum per unctionum suavitatem; Iob quarto: *Vocem quasi auram lenis audivi.* — *Admirando* summe pulcherrimum per desideriorum multiformitatem; Psalmus: *Audium, quid loquatur in me Dominus Deus.*

Audierunt quatuor modis.

Sermo III [6].

Item, sermo fratris Bonaventurae in domo domini Papae apud Urbem veterem, coram consistorio generali.

Magister, quid faciendo vitam aeternam possidebo [7]?

Quamvis iste legis doctor tentatione proposuerit Domino verba ista, tamen propter responsionem Domini subsecutam ad animarum aedificationem dedit nobis materiam proponendi ea pie et vere. Possumus ergo dicere catholice, quod in verbis istis tria tanguntur: Primum est devota *recognitio* fontalis sapientiae in Verbo incarnato; secundum est necessaria *obligatio* merendi in genere humano; tertium est finalis *aviditas*, quae est et debet esse in cuiuslibet hominis animo. Primum, ibi: *Magister;* secundum, ibi: *quid faciendo;* tertium, ibi: *vitam aeternam possidebo.*

Divisio.

Circa totum nota, quod Dominus Iesus est principalis instructor, magister et doctor, secundum Augustinum [8] et Dionysium, in *caelo* et in *terra.* Ipse enim solus docet Angelos quantum ad novem ordines, bonos homines quantum ad choros omnes iustos sive iustorum animas spirituales, tenens ipse cathedram [9] magisterii sui in *caelo* et in *Ecclesia,* scilicet *triumphanti; sedens* est super *sedem Maiestatis* aeternae. Docet maneriae [10] praemissae: *Seraphim* et Apostolos experiri et contemplari sive sursum extendi ad caritatem sive amorem fontalem; *Cherubim* et Doctores experiri et contemplari sive sursum extendi ad veritatem sive splendorem originalem; *Thronos* et Confessores almos experiri et contemplari sive sursum extendi ad suavitatem sive saporem imperturbabilem; *Dominationes* et Martyres experiri et contemplari sive sursum extendi ad maiestatem inamissibilem; *Principatus* et pastores experiri et contemplari sive sursum extendi ad nobilitatem incomparabilem sive dignitatem sempiternalem; *Potestates* et reges experiri et contemplari et sursum extendi ad victoriositatem et triumphalitatem indenegabilem; *Virtutes* et Virgines experiri et contemplari sive sursum extendi ad fortitudinem indefectibilem; *Archangelos* et praedicatores experiri et contemplari sive sursum extendi ad claritatem honorabilem; *Angelos* Ecclesiae et electos communes. experiri et contemplari sive sursum extendi ad libertatem delectabilem; *homines* et mulieres et pueros salvatos tantum meritis Crucifixi experiri et contemplari et sursum extendi ad securitatem interminabilem. Pro his omnibus et de his omnibus scribitur Isaiae quinquagesimo [11] in persona omnis caelestis militiae simul: *Dominus Deus mane,* supple: aeternitatis beatae, *erigit mihi aurem,* intellectivae et affectivae, *ut audiam,* id est, percipiam realiter, *quasi,* id est vere, *magistrum,* docentem unumquemque ordinem Angelorum et Beatorum omnia supra dicta. E contrario diabolus docet in inferno contraria et deprimit ad contraria.

Christus, magister in caelo.

In *terra* vero sive in *Ecclesia militanti* docet: summos *pontifices,* cardinales et episcopos et praelatos alios, quomodo divino cultui, zelo et honori principaliter intendant et populis sibi commissis verbo, exemplo, suffragio sive oratione incessanter provideant. — *Sacerdotes* et omnes altaris ministros, quomodo Deum prae oculis habeant et castitati et laudi divinae et saluti animarum subserviant. — *Religiosos* et Religiosas, quomodo Ordinem ament, honestatem monstrent, veritatem servent. — *Magistros* et doctores et praedicatores, quomodo divina et aeterna proferant et promoveant et ea quae ad caelestia elevant, doceant. — *Imperatores* et reges et principes terrarum et dominos, quomodo alium esse Dominum universalem cognoscant, iustitiam diligant, misericordiam foveant, sanctitatem colant et pietatem in omnibus ostendant. — *Milites,* quomodo ad caelestem militiam tendant, caelesti militiae vacent et in

Item, in terra.

---

[1] Vers. 8; sequitur Ioan. 12, 21.
[2] Quae sequuntur desunt in B.
[3] Psalm. 45, 11.
[4] Luc. 10, 24; sequitur Prov. 8, 34.
[5] Vers. 11; sequuntur Iob 4, 16. et Psalm. 84, 8.
[6] Ex A fol. 139 v.
[7] Luc. 10, 25.
[8] Libr. de *Magistro,* praesertim c. 11, ubi expresse hac de re agitur, sicut ipse Augustinus, lib. Confess. c. 2. testatur. Quantum ad Dionysium vide de Caelesti Hierarchia, c. 1. § 2.
[9] Cfr. August., in Epist. Ioan. tr. 3. n. 13. — Infra respicitur Matth. 19, 28.
[10] Cfr. Du Cange, Glossarium etc.: *Manevia,* idem videtur quod *manerium, habitatio, mansio.*
[11] Vers. 4. seq.

omnibus ad caeli milites ut ad speculum suum (oculum) habeant. — *Iudices* et notarios et consiliarios, quomodo veritati faveant, falsitatem odio habeant, oculum ad Deum praemittant. — *Mercatores* et artifices, quomodo sint fideles in animo, veraces in verbo, sobrii in lucrando, propitii in eleemosynas faciendo. — *Divites*, ut pro Deo eleemosynas faciant et a Deo recognoscantur. — *Pauperes*, ut patientiam habeant et ad voluntatem Dei attendant. — *Dominos*, ut modeste agant. — *Subditos*, ut fideliter subiaceant. — *Servos*, ut humiliter subministrent. — *Viros*, ut ordinate convivant. — *Uxores*, ut obedienter se habeant. — *Virgines*, ut se mundas custodiant. — *Viduas*, ut devotioni se iungant. — *Medicos*, ut condescendant. — *Infirmos*, ut ad peccata sua et caelestia praemia oculum habeant. — *Sanos*, ut statum suum recognoscant. — De quibus omnibus et pro quibus omnibus scribitur Isaiae quadragesimo octavo [1]: *Ego Dominus Deus tuus, docens te utilia, gubernans te in via, qua ambulas;* et Ioannis tertio: *Rabbi, scimus, quia a Deo venisti magister;* et Matthaei vigesimo secundo: *Magister, scimus, quia verax es et viam Dei in veritate doces* etc.

DOMINICA DECIMA TERTIA POST PENTECOSTEN.

Sermo I [2].

Steterunt a longe et levaverunt vocem, dicentes: Iesu, praeceptor, miserere nostri, Lucae decimo septimo [3].

Quia solent reges et iudices petitiones indiscrete formatas refellere nec effectui [4] mancipare; hinc est, quod isti leprosi, gerentes typum petentium, ne reprehensibiles invenirentur coram Maiestate magni regis et iusti iudicis Iesu Christi, ostenduntur in verbo proposito discrete et prudenter suas petitiones porrexisse. Nam primo in verbo proposito ostenduntur *religiosissimi* quantum ad gestum circumspectionis per distantiam positionis, quia perfusi timore humiliationis; secundo ostenduntur *devotissimi* quantum ad praeconium laudationis, quia invocabant Principium humanae salvationis; tertio ostenduntur *prudentissimi*, quantum ad intentum petitionis, quia versabantur circa defectum propriae infectionis. Primo
Divisio. namque habuerunt *religiosum gestum* circumspectionis per distantiam positionis, quia perfusi erant timore humiliationis. Non enim accesserunt tanquam superbi praesumtuose, sed tanquam humiles reverenter *steterunt a longe*. Secundo habuerunt *devotum praeconium* laudationis, quia invocabant Principium humanae salvationis cum vehementia clamoris; unde *levaverunt vocem*, eximio cum desiderio proferendo: *Iesu*, quod interpretatur salus. Tertio habuerunt *discretum intentum* petitionis, quia versabantur circa defectum propriae infectionis sine verecundia propalationis; et ob hoc subiunxerunt: *miserere nostri*, scilicet quia sumus infecti morbo leprae. Non enim verecundati sunt suum defectum coram omnibus propalare.

Pars I. De gestu religioso.
I. Dicit ergo: *Steterunt a longe;* ubi commendantur quantum ad *religiosum gestum circumspectionis*. Unde illa anima habet religiosum gestum circumspectionis, quae primo stat *humiliter* ad deplorandum commissa peccata; secundo stat *viriliter* ad superandum diabolica tentamenta; tertio stat *perseveranter* ad obtinenda aeterna praemia.

Subdivisio.
Primo illa anima poenitens habet religiosum gestum circumspectionis, quae stat *humiliter* ad deplorandum sua peccata; unde Lucae decimo octavo [5]: *Publicanus, a longe stans, nolebat nec oculos ad caelum levare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori.* Unde Glossa: « *A longe stat,* sicut humilis non audet appropinquare, ut ad eum Deus appropinquet; non aspicit, ut aspiciatur; premit conscientiam, sed spem sublevat, percutit pectus, poenas de se exigit, ut Deus parcat; confitetur, ut Deus ignoscat; ignoscit Deus quod ille agnoscit ». Intellexerat enim ille publicanus illud quod dicitur Ecclesiastici secundo [6]: *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in iustitia et timore.* Hoc modo stabat etiam Maria Magdalena, secundum quod dicitur Lucae septimo: *Stans retro secus pedes eius, lacrymis coepit rigare pedes eius et capillis capitis sui tergebat et osculabatur pedes eius et unguento ungebat. Moraliter* autem ista sex, quae dicuntur de ista peccatrice poenitente, debent esse in quolibet vere poenitente, scilicet *pudor* erubescentiae, quod notatur cum dicit: *Stans retro;* timor reverentiae, ibi: *secus pedes; dolor* poenitentiae, ibi: *et lacrymis coepit rigare; amor* pudicitiae, ibi: *et capillis capitis sui tergebat; ardor* benevolentiae, ibi: *et osculabatur;* et *dulcor* devotionis internae, ibi: *et unguento ungebat.* Gestus religiosus stando humiliter.

Item, stando viriliter.
Secundo illa anima habet religiosum gestum, quae stat *viriliter* ad superanda diabolica tentamenta; unde ad Ephesios sexto [7]: *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli;* et sequitur: *State ergo succincti lumbos vestros in veritate et induti loricam iustitiae.* — Ista *armatura*, qua debemus *indui* ad hoc, ut possimus superare diabolica tentamenta, est memoria passionis Christi;

[1] Vers. 17; sequuntur Ioan. 3, 2. et Matth. 22, 16.
[2] Ex Vaticana et C D E F.
[3] Vers. 12. seq.
[4] Vaticana habet *affectum* et E F *effectum*.
[5] Vers. 13. cum Glossa *ordinaria* apud Lyranum.
[6] Vers. 1; sequitur Luc. 7, 38.
[7] Vers. 11. 14.

quae si ad memoriam affectuose reducatur, statim omnes daemones cum tremore effugantur, secundum quod experientia me docuit pluries. Nam semel, cum diabolus, fortiter me stringens in gutture, vellet strangulare, iam non valens prae nimia strictione gutturis clamare, ut a Fratribus adiutorium impetrarem; incipiebam cum ingenti dolore spiritum exhalare; sed habita dominicae passionis memoria, incepi in me compassione dominicae passionis singultus geminare et ignita suspiria loco vocis ab intimis cordis medullis emittere; quo facto, virtute dominicae passionis ego servus crucis, Bonaventura [1], qui volumen [2] praesens sermonum ad laudem nominis Christi et sanctae crucis honorem compegi, tam crudeli nece profiteor me esse liberatum; fateor enim, secundum quod postea ex revelatione didici, quod exigentibus meis peccatis, quamquam de peccato mortali mihi conscius non essem, hoc mihi evenire divina iustitia permittebat. Sed quia nullus potest istam armaturam dominicae passionis induere, nisi primo carnis luxuriam per carnis continentiam coarctet; ideo sequitur in praedicta auctoritate: *succincti lumbos vestros in veritate*, per refrenationem carnalium desideriorum. Et « quia minus est mala non agere, nisi quisque studeat bonis operibus insudare [3] »; ideo adiungitur: *et induti loricam iustitiae*, scilicet per implementionem divinorum praeceptorum. Unde talis, qui est *praecinctus lumbos suos*, per castitatem, *indutus loricam iustitiae*, per bonam operationem et armatus memoria dominicae passionis per continuam meditationem, redditur diabolo et eius satellitibus *terribilis ut castrorum acies ordinata*.

Notandum.

Tertio illa anima habet religiosum gestum, quae stat *perseveranter* ad obtinendum aeterna praemia; unde Ioannis vigesimo [4]: *Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos. Maria autem stabat ad monumentum foris, plorans.* « Ecce, quod discipulis recedentibus, Maria, Christi amoris igne succensa, ad monumentum perseverabat, quia desideria dilatione non deficiebant, sed potius Maria sui cordis desideriis acquiescebat; et ideo ratione suae perseverantiae meruit primo videre gloriam Christi resurgentis », ut posteris per hoc daretur intelligi, quod nullus potest esse particeps gloriae, nisi perseveret ad monumentum poenitentiae usque ad ultimum finem vitae suae.

Item, stando perseveranter.

II. Secundo in verbo proposito commendantur leprosi quantum ad *devotum praeconium laudationis*, invocando Principium humanae salvationis, quod est Christus Iesus; unde: *levaverunt vocem suam, dicentes: Iesu, praeceptor.* Et bene ille qui *salus* interpretatur, dignus est laudis praeconio. Nam per ipsum tria nobis donantur, in quibus perfecta salus humani generis consistit. Et primum est *remissio* omnium *peccatorum* quantum ad dona veniae; secundum est *infusio charismatum* divinorum quantum ad dona gratiae; tertium est *consummatio* mentalium *desideriorum* quantum ad dona gloriae.

Pars II. De praeconio devoto.

Subdivisio.

Primo Iesus dignus est laudari invocationis praeconio, quia per ipsum tribuitur poenitentibus *remissio* omnium *peccatorum*; unde Actuum secundo [5]: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum.* De hoc similiter dicit Apostolus Paulus primae ad Timotheum primo: *Fidelis sermo et omni acceptione dignus, quod Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* — Vere talis *sermo* est *dignus omni* laude *et acceptione*, cum Filius Dei mira sua benignitate *dignatus est venire in hunc mundum*, per carnis assumtionem, ut hominem perditum morte propria de ore daemonum liberaret et eius vulnera suavi unguento proprii corporis et sanguinis liniret, vel sanaret.

Ratio prim.

Secundo Iesus dignus est laudis praeconio, quia per ipsum tribuitur proficientibus *infusio charismatum* divinorum; unde Ioannis primo [6]: *De plenitudine eius nos omnes accepimus et gratiam pro gratia, quia Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est.* — « Quia Divinitas fuit in Christo-homine, ex quo conceptus est, implevit illum, nullis praecedentibus meritis, omni plenitudine gratiae », secundum Glossam; ideo *de eius plenitudine*, redundante ab ipso capite, *nos*, eius membra, *accepimus*. Nam omnis dulcedo gratiae est per Iesum. Et propter hoc Ecclesia omnes orationes terminat: Per Dominum nostrum Iesum Christum. Et *pro gratia*, quae gratis et sine merito datur, *gratia*, meriti data est, cum in illa proficimus. Unde Glossa: « Gratia simpliciter, quae non est meriti, in inceptione boni datur; sed postea, cum per illam operamur, in bonis consuescimus; tunc datur *gratia pro gratia* priori », *quia Lex*, id est salutis praenuntiatio et praefiguratio sive promissio, *per Moysen*, « servum, *data est, gratia et veritas*, id est salutis adimpletio », *per Iesum Christum facta est.*

Secunda.

Tertio Iesus dignus est praeconio laudationis, quia per ipsum tribuitur perseverantibus *consummatio* mentalium *desideriorum*; unde ad Philippenses tertio [7]: *Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae;* et hoc erit per manifestationem gloriae Christi, in cuius assimilatione et acceptione omnia desideria nostra complebuntur. In nullo enim alio possunt quietari et quiescere humana desideria nisi in Christo

Tertia.

---

[1] Vox *Bonaventura* habetur in solo F.

[2] Ita E; alii cum Vaticana legunt *qui praesens sermonum opusculum.*

[3] Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 13. n. 1. — Sequitur Cant. 6, 3.

[4] Vers. 10. seq. — Sequens locus est Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 25. n. 1, paucis mutatis.

[5] Vers. 38; sequitur I. Tim. 1, 15.

[6] Vers. 16. seq.; sequuntur Glossae *ordinariae* in Ioan. 1, 14. et 20.

[7] Vers. 20. seq.

Iesu. Nam si ab ipso declinaverint, non plena, immo vacua erunt. O Deus, quanta aviditate appetendus est Iesus, unica salus hominum, totum bonum Christianorum, plenum gaudium Beatorum, in quo totaliter habitat plenitudo deificae voluptatis, in quo anima immersa et absorpta, perfecte omnia eius desideria consummantur!

Pars III. De merito petitionis.

III. Tertio in verbo proposito commendantur illi leprosi quantum ad *discretum meritum petitionis*, quia versabantur circa defectum propriae infectionis, cum subinfert: *miserere nostri*. Habebant enim triplicem defectum, ratione cuius interior et exterior homo gravabatur. Nam primo habebant *infirmitatem* corporalis miseriae; secundo habebant *caecitatem* intellectualis ignorantiae; tertio habebant *iniquitatem* affectualis malitiae. Ab isto enim triplici defectu discrete petebant liberari, cum dicebant: *miserere nostri*. Primo, inquam, *miserere nostri* relevando defectum corporalis *miseriae* per collationem exterioris sanitatis; secundo, *miserere nostri* relevando defectum intellectualis *ignorantiae* per illustrationem infallibilis veritatis; tertio, *miserere nostri* relevando defectum affectualis *malitiae* per donationem interioris sanctitatis.

Triplex actus miserendi.

Relevando miseriam corporalem.

Primo, *miserere nostri* relevando *defectum miseriae corporalis* collatione exterioris sanitatis. Hunc defectum in se petebat lob relevari ab amicis, cum dolore eis calamitatem inflictam exponendo, secundum quod dicitur lob decimo nono [1]: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos, amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Dicit enim bis: *Miseremini, miseremini,* ut ostendat, quod misericordia debet esse in affectu interius et in effectu exterius. Sed ubi deficiunt omnes amici mei humani, non deficit verus amicus Christus, secundum quod patet in parabola vulnerati, Lucae decimo [2]: *Samaritanus autem quidam, iter faciens, misericordia motus est et appropians alligavit vulnera eius. — Samaritanus,* qui custos interpretatur, tanquam verus medicus custodit et conservat animas et corpora in perfecta sanitate; *iter faciens,* visitando per condescensionem Maiestatis; *misericordia motus est,* miserando per affectum pietatis et vulnera eius sanando per virtutem Divinitatis. Ipse enim est medicus totius experientiae, qui sanat omnem languorem sine unguento, sine ferro, sine quocumque terreno medicamento, sed tantum solo verbo et suae voluntatis nutu et beneplacito.

Item, ignorantiam intellectualem.

Secundo, *miserere nostri* relevando *defectum intellectualis ignorantiae* illustratione infallibilis veritatis; unde Lucae decimo octavo [3]: *Caecus multo magis clamabat: Fili David, miserere mei. Stans autem Iesus, iussit, illum adduci ad se.* Sicut enim iste caecus non dimittebat propter turbae tumultum et increpationes, quin multo magis clamaret, ut lumen corporale mereretur accipere; sic qui vult a Iesu illuminari spiritualiter, cum tumultus « carnalium vitiorum dissipant cogitationes hominis et perturbant vocem orationis, ne Iesus ad illuminandum venire possit cor hominis, sed iam credens, sentiens, se gravari phantasmate priorum vitiorum et vocem orationis suae impediri, ardentius clamet, quia, dum vehementius insistit orationi, ducitur ad *Iesum stantem* et recipit lumen, eo quod Deus in corde firmo figitur, et sic lux amissa recuperatur », secundum quod dicit Glossa. Ad hoc similiter pertinet quod dicitur Ecclesiastici trigesimo sexto [4]: *Miserere nostri, Deus, et respice nos et ostende nobis lucem miserationum tuarum,* ut ipsa nos dirigat, ne in via morum praecipitio ruamur [5], (et) *adducat* per cognitionem et amorem *ad montem sanctum tuum,* Iesum Christum.

Item, malitiam affectualem.

Tertio, *miserere nostri* relevando *defectum affectualis malitiae* donatione interioris sanctitatis; unde Isaiae quinquagesimo quinto [6]: *Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas et revertatur ad Dominum, et miserebitur eius; et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.* — Quia nullus potest sperare veniam peccatorum, nisi prius dimittat retrahens peccatum, ut possit toto corde redire ad Deum, ideo Propheta in praedicta auctoritate primo hortatur ad desertionem impedimenti retrahentis, cum dicit: *Derelinquat impius viam suam,* id est peccatum operationis, *et vir iniquus cogitationes suas,* id est peccatum cordis. Unde homo non tantum debet relinquere peccatum in opere, sed etiam in corde evitare immundas cogitationes et inordinatas affectiones, ne eis consentiat, eo quod *perversae cogitationes separant a Deo.* Post desertionem impedimenti retrahentis inducit ad apprehensionem complementi expedientis, cum subdit: *et revertatur ad Dominum,* cum timore, *et ad Deum nostrum,* cum amore. Postremo exprimit dulcedinem bonitatis omnem iniquitatem relaxantis, cum subinfert: *et miserebitur eius,* per condonationem omnium delictorum, *quoniam multus est ad ignoscendum,* eo quod tanta est offensa, quae relaxatur, quantus est ipse qui offenditur. Rogemus Dominum etc.

Sermo II [7].

Dominica decima tertia post Pentecosten. Sermo fratris Bonaventurae Parisius in Capitulo de mane.

Abrahae dictae sunt promissiones et semini eius, ad Galatas tertio [8].

---

[1] Vers. 21.
[2] Vers. 33. seq.
[3] Vers. 39. seq. cum Glossa *ordinaria* apud Lyranum.
[4] Vers. 1.
[5] Cfr. Forcellini, Lexicon etc. — Deinde respicitur Ps. 43, 3.
[6] Vers. 7; sequitur Sap. 4, 3.
[7] Ex A fol. 142 v.
[8] Vers. 16.

In his verbis explicat Apostolus duo, scilicet *quibus* hominibus vita aeterna repromittitur, et *quantum* et *quomodo* de vita aeterna multiplicatae sunt promissiones, exprimitur. Divisio.

Circa totum nota, quod qui vult esse de semine Abrahae, cui vita aeterna repromittitur, oportet, quod instar Abrahae Patriarchae sit: *fidelissimus*, quia, ad Galatas tertio [1], *qui ex fide sunt benedicuntur cum fideli Abraham.* — *Humillimus*, secundum illud Genesis decimo octavo, cum Abraham loquendo ad Dominum se reputet *cinerem et pulverem.* — *Obedientissimus* in relinquendo affectus patrios, secundum illud Genesis duodecimo, et immolando sensus proprios [2]. — *Devotissimus*, ut cum *Abraham plantet nemus et ibi invocet nomen Domini Dei aeterni* [3] et adoret Trinitatem in unitate, Genesis decimo octavo. — *Liberalissimus*, ut cum Abraham placeat Angelis hospitio receptis [4]. — *Piissimus*, ut cum Abraham interpellet efficaciter Dominum ex compassione pro salute peccantium, Genesis decimo octavo. Veri sibi conditiones sex.

Sermo III [5].

Item, sermo fratris Bonaventurae editus in domo Praedicatorum Parisius.

Dum iret Iesus in Ierusalem, transibat per mediam Samariam et Galilaeam. Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, Lucae decimo septimo [6].

In verbis his mystice intellectis exprimitur mysterium nostrae salutis, in quibus tria notantur, scilicet *praemium* aeternae beatitudinis per *iter in Ierusalem*, quod significat processum animae in Deum vel in bonum; *meritum* perfectae virtutis, cum dicitur, quod *transibat per mediam Samariam et Galilaeam*, ubi intelligitur duplex vita, scilicet activa et contemplativa; *remedium* humanae infirmitatis, cum subditur, quod *cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi.* Divisio.

Omissis autem primo et secundo, nota, quod secundum Augustinum [7], quod si lepra est haeresis inficiens radicem veritatis, supponitur, quod sit infectiva humorum radicalium materialiter sumta; per quod intelligimus depravationem intentionis. Quoniam autem corpus hominis ex quatuor humoribus constat, scilicet sanguine, cholera, flemmate, melancholia, ex quibus infectis secundum eventum oriuntur quatuor genera leprae [8] generalia correspondentia singulis humoribus infectis, scilicet Tyria, quae est ex corruptione sanguinis; leonina, quae est ex corruptione cholerae; alopecea, quae est ex corruptione flemmatis; elephantina, quae est ex corruptione melancholiae. De membro III. Quatuor genera leprae.

Ex his quatuor humoribus creantur quatuor affectiones animae, scilicet ex sanguine gaudium, ex cholera spes, ex flemmate dolor, ex melancholia timor. Quatuor autem haec genera leprae significata sunt in mysterio per illos *quatuor leprosos, qui erant iuxta introitum portae Samariae*, quarto Regum septimo [9]. Geruntur in mysterio: quando homo inordinatur ex gaudio ad faciendum contra decalogum aliquid delectabile, corrumpitur humor sanguinis et incurrit lepram Tyriam, quam habuit Naaman, quarti Regum quinto. — Quando quis inordinatur ex spe ad faciendum aliquid contra decalogum per praesumtionem impunitatis, corrumpitur humor cholerae, et incurritur lepra leonina, quam habuit in mysterio Ozias, secundi Paralipomenon vigesimo sexto. — Quando quis inordinatur ex dolore ad faciendum aliquid contra decalogum ex affectione malignitatis, corrumpitur humor flemmatis, et incurritur lepra alopecea, quam habuit in mysterio Maria, Numerorum duodecimo [10]. — Quando quis deordinatur ex timore ad faciendum aliquid contra decalogum ex desperatione salutis, tunc corrumpitur humor melancholiae, et incurritur lepra elephantina, quam habuit in mysterio Giezi, quarti Regum quinto. De prima. De secund. De tertia. De quarta.

Prima lepra curatur de facili per humilitatem contemplationis; secunda curatur, de difficili tamen, per veritatem confessionis; tertia curatur per pietatem satisfactionis; quarta curatur per virtutem gratiarum actionis. Haec enim quatuor remedia adhibentur his decem leprosis significantibus omnes praevaricationes decalogi. Nam in hoc Evangelio [11] primae leprae datur curationis remedium, ut dicatur: *Iesu, praeceptor, miserere nostri.* De secunda vero dicitur: *Ite et ostendite vos sacerdotibus.* De tertia vero dicitur, quia, *dum irent*, scilicet satisfacientes, *mundati sunt.* De quarta vero additur, quia *unus autem ex illis, ut vidit, quia mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans Deum.* De harum curatione.

Sermo IV [12].

Unus autem ex illis, ut vidit, quia mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans Deum, et cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens, Lucae decimo septimo [13].

In verbis his tria nota spiritualiter, quae faciunt nos tendere ad nostrum Principium originale, Dominum Divisio.

---

[1] Vers. 9; dein respiciuntur Gen. 18, 27. et c. 12, 1: *Egredere de terra tua* etc.
[2] Respicitur Gen. 22, 2: *Tolle filium tuum unigenitum* etc.
[3] Gen. 21, 33. et dein respicitur 18, 2.
[4] Gen. 18, 2. seqq. et dein v. 22. seqq.
[5] Ex A fol. 142 r. et B fol. 64.
[6] Vers. 11. seq.
[7] Libr. II. Quaestion. Evangel., q. 40. n. 2.
[8] De his quatuor generibus leprae Cfr. L. Beyerlinck, Theatrum vitae humanae, sub titulo *lepra*, et Isidor., IV. Etymol. c. 7. et 8.
[9] Vers. 3; sequuntur c. 5, 1. seqq. et II. Par. 26, 19.
[10] Vers. 10; sequitur IV. Reg. 5, 27.
[11] Luc. 17, 14. seq.
[12] Ex A fol. 142 r. et B fol. 65 r.
[13] Vers. 15. seq.

Iesum, scilicet *excellentia virtutis, intelligentia veritatis* et *affluentia devotionis*. Primum nota in vivifica vita, secundum in recognita gratia, tertium in humili pietate sive theosebia.

Circa totum nota, quod tunc est anima una sive homo *unus*, quando totaliter tendit in *Deum*, in *se ipsum* et in *proximum*.

Primo de triformi tendentia in Deum.

Quod ut fiat, converti debet et tendere per unitatem virtutis primo in *Deum* secundum triformem gradum virtutis; tendere enim debet in Deum et uniri: per *fidei unitatem;* Isaiae quinquagesimo primo [1]: *Unum vocavi eum et benedixi ei et multiplicavi eum; unum*, id est ad unum radium veritatis aeternae. — Per *confidentiae sublimitatem;* Psalmus: *Unam petii a Domino, hanc requiram;* Lucae decimo: *Porro unum est necessarium.* — Per *amoris caritatem;* Canticorum sexto [2]: *Una est columba mea, perfecta mea* etc.; Ioannis decimo septimo: *Ut sint consummati in unum* etc.

De triformi tendentia in se ipsum.

Secundo anima tendit in *se ipsum* tripliciter, scilicet per *humilitatem* simplicem sive profundam, ut scilicet anima intret in suam centralitatem et videat suos defectus et paupertatem et sic concipiat spiritum timoris; Psalmus [3]: *Respice in me et miserere mihi, quia unicus et pauper sum ego.* — Per *virilitatem* strenuam, ut scilicet agat et prosequatur exempla perfecta et ardua; Ecclesiastae septimo: *Virum de mille unum reperi* etc. — Per *longanimitatem* plenam, ut scilicet perseveret in bono et perferat omnia; primae ad Corinthios nono: *Unus accipit bravium.*

De triformi tendentia in proximum.

Tertio tendit anima per unitatem in *proximum*, quod fit, quando ad ipsum ordinatur et vivificatur: in *sensu* id ipsum sentiendo; Actuum quarto [4]: *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una.* — In *affectu* id ipsum volendo; ad Ephesios quarto: *Solliciti, servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* — In *convictu* id ipsum agendo; Psalmus: *Ecce, quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum.*

DOMINICA DECIMA QUARTA POST PENTECOSTEN.

Sermo I [5].

Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius, Matthaei sexto [6].

« Quia comparatione supernorum vilescunt animo omnia, quae habentur in terris », secundum Gregorium [7]; ideo Dominus noster tanquam verus et bonus magister docet discipulos suos rebus omnibus regnum Dei, summum bonum, praeponere in quaerendo, cum dicit in verbo proposito: *Quaerite primum regnum Dei* etc. in quo quidem verbo miro modo ordinate procedit. Nam primo hortatur ad *diligentiam debitae inquisitionis;* secundo exprimit *magnificentiam supernae habitationis;* tertio inducit ad *efficaciam virtuosae operationis.* Ratione primi *rationalis* disponitur ad cognitionem veri; ratione secundi *concupiscibilis* allicitur ad dilectionem boni; ratione tertii *irascibilis* roboratur et regitur ad aggressionem ardui. Primo igitur in verbo proposito *dirigit intellectivam* per studium ordinatae inquisitionis, cum dicit: *Quaerite primum*, scilicet diligenter per fidem, quia sine luce fidei impossibile est, aliquem dirigi ad debite inquirendum. Secundo, *allicit affectivam* per praeeminentiam regiae coronationis, cum subdit: *regnum Dei*, cuius obtentu terreni homines tanti nominis excellentia extolluntur, ut reges regni caelorum nominentur. Tertio, *stabilit effectivam* per exercitium virtuosae operationis, cum subinfert: *et iustitiam eius;* Glossa [8]: « Iustitia regni est omnia, quae docuit Christus, observare ».

Divisio.

Pars I. De diligentia inquisitionis.

I. Dicit ergo: *Quaerite*, ubi primo incitat ad *diligentiam ordinatae inquisitionis.* Ille debita diligentia inquirit, qui quaerit toto conatu, scilicet interiori et exteriori, secundum triplicem virtutem theologicam, et primo, cum *sollicitudine cogitatus* in contemplationibus veris; secundo, cum *aviditate appetitus* in delectationibus puris; tertio, cum *strenuitate effectus* in conversationibus sanctis. Prima inquisitio est potentiae cognitivae per fidem; secunda, potentiae affectivae per caritatem; tertia, potentiae operativae per spem.

Subdivisio.

Quaerendum cum sollicitudine cogitatus.

Primo *quaerite* cum *sollicitudine cogitatus* in contemplationibus veris; unde Sapientiae primo [9]: *In simplicitate cordis quaerite illum, quoniam invenitur ab his qui non tentant illum; apparet autem eis qui fidem habent in illum.* — *Quaerite illum*, scilicet Deum, investigatione continuae meditationis; *in simplicitate cordis*, per puritatem ordinatae affectionis elongando et separando cor ab omnibus terrenis. Nam quot res cor diligit, tot sibi unit et componit, eo quod amor sive humanus, sive divinus, est vis unitiva, secundum beatum Dionysium [10]; quanto enim cor plura et diversa terrena diligit, tanto compositius redditur. Sed cum se elongat et separat ab istis terrenis, ut uni et simplici, cui totum cor sine defectione debetur, adhaereat et uniatur per amorem,

---

[1] Vers. 2; sequuntur Ps. 26, 4. et Luc. 10, 42.
[2] Vers. 8; sequitur Ioan. 17, 23.
[3] Psalm. 24, 16; sequuntur Eccle. 7, 29. et I. Cor. 9, 24.
[4] Vers. 32; sequuntur Eph. 4, 3. et Ps. 132, 1.
[5] Ex Vaticana et C D E F.
[6] Vers. 33.
[7] Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 37. n. 1.
[8] *Ordinaria* apud Lyranum in hunc locum.
[9] Vers. 1. seq.
[10] De Divinis Nominibus, c. 4. § 15.

ex tali unione simplici et pura acquirit corporis simplicitatem et puritatem. A talibus vero *invenitur, qui non tentant illum*, per curiositatem praesumtuosae et temerariae investigationis. Nam praesumtuosus et temerarius *scrutator Maiestatis* [1], qui quasi tenebrositati pedestrium ratiocinationum sic innititur, ut velit figere aspectum in splendoribus aeternis, prae phantastica tenebrositate, quam Sol sapientiae patitur [2], *opprimetur a gloria. Apparet autem eis*, qui fidei adminiculo per excessus contemplationis altius se supra se ipsos elevantes, Deum perspicaciter contemplantur; unde Richardus de Contemplatione, libro primo [3]: « Contemplatio est libera mentis perspicacia in sapientiae spectacula cum admiratione suspensa ».

Item, cum aviditate appetitus.

Secundo *quaerite* cum *aviditate appetitus* in delectationibus puris; unde ad Colossenses tertio [4]: *Quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est, in dextera Dei sedens; quae sursum sunt sapite, non quae super terram*, potiora bona Patris, *quae sursum sunt, ubi Christus est, in dextera Dei sedens*, id est, in quantum illis potioribus bonis et dulcioribus perpetuo fruitur. *Quaerite* per desideria, et haec eadem bona et delectationes, *quae sursum sunt in dextera Dei, sapite*, per elevationem appetitus et gustus cum adhaerentia amoris ad superna; *non quae super terram*, per depressionem affectus ad ista foeda et immunda. Nam istae foedae et terrenae delectationes potius amaricant, quam delectent. Nam ubi credit homo invenire delectamentum, experitur cruciatum, eo quod omnis delectatio in praesenti aspersa est amaritudine. Sed *delectationes*, quae *sunt in dextera* [5] Dei, perfecte delectant, eo quod coniungunt et uniunt animam illi, *ad cuius imaginem et similitudinem facta est*, ex cuius unione amans transformatur in amatum, dum illi per

Notandum.

affectum coniungitur. — Cum ergo, secundum Hugonem, libro de Arrha animae, « tanta vis amoris est, ut talem te esse necesse sit, quale illud est, quod amas, et qui per affectum coniungeris in ipsius similitudine ipsa quodam modo dilectionis societate transformaris »; si anima convertit se super foedum per amorem, transformatur in foeditatem; si supra pulcrum, in pulcritudinem: pulcrum ergo generat delectationem: ergo divina Sapientia generat pulcrum delectationis in eo qui ei per amorem unitur. Et de hoc intelligitur quod dicitur Canticorum tertio [6]: *Surgam et circuibo civitatem; per vicos et plateas quaeram quem diligit anima mea; quaesivi illum, et non inveni; invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem. Num quem diligit anima mea vidistis? Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam, donec* experiar delectationem et dulcedinem eius deificae voluptatis.

Item, cum strenuitate effectus.

Tertio *quaerite* cum *strenuitate effectus* in conversationibus sanctis; unde Proverbiorum secundo [7]: *Si sapientiam invocaveris et inclinaveris cor tuum prudentiae, si quaesieris eam quasi pecuniam et sicut thesauros effoderis illam; tunc intelliges timorem Domini et scientiam Dei invenies. — Si sapientiam invocaveris*, per sanctitatem vitae; nulla melior invocatio sapientiae quam praeparatio habitaculi per sanctitatem; *si inclinaveris cor tuum prudentiae*, per rigorem disciplinae; *si quaesieris eam quasi pecuniam*, cum aviditate concupiscentiae; *et sicut thesauros effoderis illam*, per sollicitudinem diligentiae. Nam sicut qui thesauros fodit terram trahit et foveam in altum facit, sedulus existens, donec inveniat quod quaerit; sic qui desiderat thesaurum sapientiae omne pondus terrenum a se retrahit et foveam humilitatis in se facit nec quiescit, donec inveniat; quia *tunc intelliges, timorem Domini* esse *initium* omnis boni, per quem *declinat omnis* homo *a malo* [8]; *et scientiam Dei invenies*, cuius dictamine dirigitur omnis homo. Augustinus, libro sexto de Confessione: « Pereant omnia, dimittamus haec vana et inania, conferamus nos ad solam inquisitionem veritatis »; ibidem: « Quid cunctamur igitur, relicta spe saeculi, conferre nos totos ad quaerendum Deum et vitam beatam »?

Pars II. I excellenti inhabitati nis.

II. Secundo in verbo proposito exprimit *excellentiam supernae inhabitationis*, cum subdit: *regnum Dei*. Hanc autem inexplicabilem excellentiam supernae inhabitationis, scilicet regni Dei, tria sunt Subdivisio quae aliquo modo de longinquo manifestant. Et primum est *refulgentia divinae claritatis*, ex qua redditur *speciosum* ad intuendum; secundum est *redundantia immensae bonitatis*, ex qua redditur *deliciosum* ad perfruendum; tertium est *carentia temporaneae corruptionis*, ex qua redditur *sempiternum* ad permanendum. Et sic *refulgentia* lucida sapientiae supersplendentis inundabit rationalem in aperta visione; *influentia* placida superabundantis benevolentiae satiabit concupiscibilem in quieta fruitione; et *efficacia* virtuosa potentiae perpetuantis assecurabit irascibilem in firma tentione.

De refulg tia divin claritati

Primo regnum Dei est *speciosum* ad intuendum propter *refulgentiam divinae claritatis*; unde Sapientiae quinto [9]: *Accipient Sancti regnum decoris et diadema speciei de manu Domini*. Sicut caelum ornatur luminaribus, sic regnum Dei refulgentiis spiritualibus et sapientialibus ex praesentia lucis aeternae irradiantis super Beatos, quae *est speciosior sole;*

---

[1] Respicitur Prov. 25, 27.

[2] Verba *quam sol sapientiae patitur* assumta sunt ex codicibus.

[3] Cap. 4.

[4] Vers. 1. seq.

[5] Respicitur Ps. 15, 11; sequitur Gen. 1, 26.

[6] Vers. 2. seqq.

[7] Vers. 3. seqq.

[8] Prov. 15, 27; sequitur August., VI. de Confess. c. 11. n. 19.

[9] Vers. 17; dein respicitur Sap. 7, 29.

sic glorificant dies laetitiae et exsultationis; ad cuius praesentiam micant radii divini splendoris facientes illam supernam habitationem *regnum decoris*. Sed tunc *accipient diadema speciei de manu Domini*, quando, manu divinae potentiae adducti [1], per dotem apertae visionis contemplabuntur Dei unius et trini pulcritudinem, cuius visio omnem animam sui desiderio in eius concupiscentiam trahit, eo quod est sine labore et errore et cum delectatione. Unde Augustinus decimo quinto de Trinitate [2]: « Veritatem sine ulla difficultate videbimus eaque clarissima et certissima perfruemur, nec aliquid quaeremus mente ratiocinante, sed cernemus contemplante ».

De redundantia immensae beatitatis.

Secundo regnum Dei est deliciosum ad perfruendum propter *redundantiam deificae voluptatis;* unde Lucae decimo quarto [3]: *Beatus, qui manducabit panem in regno Dei. — Panis* iste, *qui in regno Dei manducandus* proponitur, *in se habens omne delectamentum et omnis saporis suavitatem*, est Iesus Christus, qui sine fastidii generatione et desiderii continuatione satiat interiorem gustum immensitate Deitatis, exteriorem deliciositate humanitatis. Nam in ipso invenitur redundans plenitudo satietatis. O quam felix, quam illustris, quam sanctus, quam magna aviditate est appetendus ille cibus deificae voluptatis, cibus verarum deliciarum! Solo eius odore Sancti in via utcumque sustentantur, cum inspiramentum eius suavitatis de longinquo venit ad eos, quod est super odorem balsami, fragrantiam thuris ac myrrhae omnisque generis suavia odoramenta, quando per sapientialia desideria in excessu contemplationis introducuntur in regnum Dei; unde Sapientiae sexto [4]: *Concupiscentia sapientiae deducit ad regnum perpetuum.*

De caeculia temporaneae corruptionis.

Tertio regnum Dei est sempiternum ad permanendum propter *carentiam omnimodae contrarietatis;* unde in Psalmo [5]: *Gloriam regni tui dicent et potentiam tuam loquentur, ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam et gloriam magnificentiae regni tui. Regnum tuum*, Domine, *regnum omnium saeculorum. — Gloriam regni tui dicent*, hoc est, quando glorificati quidquid boni habent resolvunt in primum principium. Et ideo Beati sunt in continua laude et glorificatione, quia omne illud, quod accipiunt, in eum solum, qui potest glorificare, resolvunt; nihil enim agetur ibi nisi vacare Dei laudibus; *ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam et gloriam magnificentiae regni tui*, latitudinem capacitatis incoarctabilis, quae non coarctatur multitudine possidentium, quia « tantum gaudent Beati de bono proximi, quantum de bono proprio ». *Regnum tuum*, Domine, *regnum omnium saeculorum*, propter longitudinem aeternitatis interminabilis. Nihil enim habet contraire, et ideo nulla violentia potest sibi fieri. Cum ergo regnum Dei ratione aeternitatis sit omnino intransmutabile et incorruptibile, necesse est, quod non sit in istis inferioribus, sed in superioribus, secundum quod dicit Dominus Ioannis decimo octavo [6]: *Regnum meum non est de hoc mundo;* alioquin esset defectivum, quod absit, eo quod in regno Dei nullus est defectus. — Unde considerare iugiter regnum Dei et aeternitatem multum valet ad spernendam praesentis vanitatis mobilitatem. Notandum.

Pars III. De efficacia virtutosae operationis.

III. Tertio, in verbo proposito *stabilit effectivam* per efficaciam virtuosae operationis, cum subinfert: *et iustitiam eius.* Tria enim sunt, quae faciunt hominem efficaciter operari et inquirere institiam regni Dei. Primum est *simplicitas intentionis* in declinando malum; secundum est *strenuitas operationis* in faciendo bonum; tertium est *studiositas sollicitudinis* in corrigendo erratum. Nam iustitia est declinare malum, facere bonum et corrigere erratum. Subdivisio.

Quaerendum per simplicitatem intentionis.

Primo *quaerite* iustitiam regni per *simplicitatem intentionis* in declinando malum; unde Ecclesiastici decimo septimo [7]: *Poenitentibus autem dedit viam iustitiae et confirmavit deficientes sustinere et destinavit illis sortem veritatis. Convertere ad Dominum et relinque peccata tua. — Poenitentibus, qui relinquunt peccata*, corde et opere, *et convertuntur ad Dominum*, cum puritate conscientiae, *dedit viam iustitiae*, per remissionem culpae; sed quia poenitens de novo conversus in viam institiae deficit, si suae voluntati sive culpae relinquatur; ideo sequitur: *deficientes sustinere*, ingum divini praecepti, *confirmavit*, documento divinorum eloquiorum et exemplo aliorum Sanctorum; *et* talibus *destinavit* et donavit *sortem* aeternae *veritatis* et supernae hereditatis. Et de hoc dicitur similiter Proverbiorum undecimo [8]: *Iustitia simplicis diriget viam eius.*

Item, per strenuitatem operationis.

Secundo *quaerite* regni iustitiam per *strenuitatem operationis* in faciendo bonum; unde Sapientiae decimo [9]: *Iustum deduxit Dominus per vias rectas et ostendit illi regnum Dei et dedit illi scientiam Sanctorum; honestavit illum in laboribus et complevit labores illius. — Viae rectae* sunt divina praecepta, per quae Dominus suaviter *duxit iustum* tendentem ad supernam patriam, *ostendendo illi regnum Dei*, ne torpore ignaviae gravaretur, sed spe et desiderio perveniendi ad regni felicitatem fortiter *de virtute in virtutem* [10] incedat et veniat in viam

---

[1] Cod. C habet *adiuti.*

[2] Cap. 25. n. 45.

[3] Vers. 15; sequitur Sap. 16, 20.

[4] Vers. 21.

[5] Psalm. 144, 11. seqq. — Sequens locus est libr. de Spiritu et anima (inter opera August.), c. 57.

[6] Vers. 36.

[7] Vers. 20. seq.

[8] Vers. 5.

[9] Vers. 10.

[10] Respicitur Ps. 83, 8; sequuntur Isai. 7, 15. et Ps. 36, 27.

mandatorum, ne ruat praecipitio vitiorum; *dedit illi scientiam Sanctorum*, cuius est *eligere bonum et declinare malum; honestavit illum in laboribus* suis *et complevit labores illius*, pro eis piam mercedem reddendo.

Item, per studiositatem sollicitudinis.

Tertio *quaerite* regni iustitiam per *studiositatem sollicitudinis* in corrigendo erratum; unde Ecclesiastici decimo septimo [1]: *Avertere ab iniustitia tua et nimis odito exsecrationem; et cognosce iustitias et iudicia Dei et sta in sorte propositionis et orationis altissimi Dei. — Avertere ab iniustitia tua*, corrigendo proprium erratum et defectum, et si ex officio incumbit, alienum; *et nimis odito exsecrationem*, iniustorum, qui de erratis et defectibus propriis non curant et alienos dissimulant. *Et cognosce iustitias et iudicia Dei*, quam severa sunt in puniendo, quorum timore perterritus, *sta in sorte propositionis et orationis*, devotae coram conspectu *altissimi Dei*, quia tunc adimplebitur illud Isaiae trigesimo secundo [2]: *Ecce, in iustitia regnabit rex, et principes in iudicio praerunt.* Rogemus ergo etc.

Sermo II [3].

Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius, Matthaei sexto [4].

Tria facit in verbis his Dominus. Primo dat occasionem piae sollicitudinis; secundo proponit obiectum summae beatitudinis; tertio docet medium vitae rectitudinis. Primum est irascibilis debilitatae erectivum; secundum est concupiscibilis frigefactae accensivum; tertium est rationalis obtenebratae illuminativum. Primum removet negligentiae tarditatem; secundum excludit mundanae concupiscentiae vanitatem; tertium, malitiae gravitatem.

Divisio.

Pars I.

Tria quaerenda.

I. Quantum ergo ad primum dicit: *Quaerite primum*. Circa quod sciendum est, quod debemus quaerere sollicite: bonum *amissum*, naturae scilicet, quod amisimus per culpae malignitatem; et hoc, ne amittamus vitae incunditatem; Amos quinto [5]: *Quaerite bonum et non malum, ut vivatis. — Bonum occultum*, scilicet Scripturae, quod est clausum nobis per ignorantiae caecitatem; et hoc, ne incurramus stultitiae bestialitatem; Proverbiorum decimo quinto: *Cor sapientis quaerit doctrinam, et os stultorum pascitur imperitia. — Bonum remotum*, quod scilicet est gloriae et a nobis distat per concupiscentiae pronitatem; et hoc, ut consequamur quietis securitatem; Iudicum decimo octavo: *Et tribus Dan quaerebat possessionem sibi* etc.

Debemus autem quaerere ista tria [6]: *totaliter* sive integraliter sine divisione; Ieremiae vigesimo nono [7]: *Quaeretis me et invenietis; cum quaesieritis in toto corde vestro, inveniar a vobis* etc. — *Sinceriter* sive simpliciter sine fictione; Sapientiae primo: *In simplicitate cordis quaerite illum* etc. — *Longanimiter* sive perseveranter sine cessatione; Psalmus: *Quaerite Dominum et confirmamini, quaerite faciem eius semper.*

Itaec quaerenda triplex et modo

II. Quantum ad secundum: *regnum Dei*, quod quidem est quaerendum: sub ratione *honesti*, quia speciosum claritate; Sapientiae quinto [8]: *Accipient regnum decoris et diadema speciei de manu Domini.* — Sub ratione *conservativi*, quia gloriosum felicitate; Psalmus: *Gloriam regni tui dicent.* — Sub ratione *delectantis*, quia deliciosum amoenitate; Lucae vigesimo secundo: *Ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.*

Pars II. Obiectum triplex.

Vel dicas, quod debemus *quaerere regnum Dei*, quod est triplex regnum, scilicet regnum *naturae*, in quo regnat Deus in medio bonitatis; Lucae decimo septimo [9]: *Regnum Dei intra vos est.* — Regnum *Scripturae*, in quo regnat Deus in medio veritatis; Matthaei vigesimo primo: *Auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus eius.* — Regnum *gloriae*, in quo regnat Deus in medio dignitatis; Psalmus: *Regnum tuum, regnum omnium saeculorum* etc.

Vel qd te plex regnu

III. Quantum ad tertium sequitur: *et iustitiam eius*, quae, secundum Glossam [10], est « omnia, quae Christus docuit, observare »; quae quidem est quaerenda: quia *confert vitam* spiritualem; Habacuc secundo [11]: *Iustus autem in fide sua vivet.* — Quia *acquirit amicitiam* caelestem; Iacobi secundo: *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad iustitiam, et* ideo *amicus Dei appellatus est.* — Quia *disponit* ad aeternam *suavitatem*; Isaiae tertio: *Dicite iusto, quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet.*

Pars III. Ratio triplex.

Vel dicas, quia *iustitia*: regni *naturae*, quae est institia caritatis, qua homo non vult facere alteri quod non vult sibi fieri [12], tribuit regnum iucunditatis; Proverbiorum decimo [13]: *Iustitia liberabit a morte.* — Regni *Scripturae*, quae est sobrietatis, disponit ad regnum claritatis; Proverbiorum decimo quinto: *In abundanti iustitia virtus maxima est.* — Regni *gloriae*, quae est felicitatis, tribuit vitam aeternitatis; Proverbiorum vigesimo primo: *Qui sequitur iustitiam et misericordiam inveniet vitam, iustitiam et gloriam.*

Vel aliter.

[1] Vers. 23. seq.
[2] Vers. 1.
[3] Ex A fol. 142 v. et B fol. 65 v.
[4] Vers. 33.
[5] Vers. 14; sequuntur Prov. 15, 14. et Iudic. 18, 1.
[6] Cod. B ita legit: *Vet dicas, quod quaerere Dominum debemus.*
[7] Vers. 13. seq.; sequuntur Sap. 1, 1. et Ps. 104, 4.
[8] Vers. 17; sequuntur Ps. 144, 11. et Luc. 22, 30.
[9] Vers. 21; sequuntur Matth. 21, 43. et Ps. 144, 13.
[10] Scilicet *ordinarium* apud Lyranum in Matth. 6, 33.
[11] Vers. 4; sequuntur Iac. 2, 23. et Isai. 3, 10.
[12] Respicitur Tob. 4, 16. et Matth. 7, 12.
[13] Vers. 2; sequuntur c. 15, 5. et 21, 21.

DOMINICA DECIMA QUINTA POST PENTECOSTEN.

Sermo I [1].

Resedit qui erat mortuus, et coepit loqui; et dedit illum matri suae. Accepit autem omnes timor, et magnificabant Deum, Lucae septimo [2].

Miserator et misericors Dominus noster, ad cuius benignitatem pertinet afflictos et desolatos consolari, videns hodierna die oculo divinae pietatis mulierem viduam dolentem et flentem de morte unigeniti filii sui, ut omnes alios exemplo suo ad pietatem subventionis provocaret, dignatus est eam dulciter alloqui et consolari, cum ei reddidit filium unicum a mortuis resuscitatum, secundum quod dicitur in verbo proposito: *Resedit qui erat mortuus.* In
Divisio. quo quidem verbo primo notatur *stipendiatio peccati* secundum exigentiam ordinis iustitiae; secundo, *suscitatio mortui* quantum ad notitiam approbationis loquelae; tertio, *promotio fidei* quantum ad reverentiam creatricis Sapientiae. Primo ergo in verbo proposito notatur *stipendiatio peccati* secundum exigentiam ordinis iustitiae, cum dicit: *qui erat mortuus.* Ordo enim divinae iustitiae exigit, ut peccatum morte stipendietur; nam *stipendia peccati, mors,* secundum Apostolum [3]. Secundo notatur *suscitatio mortui* quantum ad notitiam approbationis loquelae, cum subdit: *resedit et coepit loqui,* ut eius resuscitatio nota esset assistentibus. Nam vita corporalis dupliciter dignoscitur, scilicet sensu et motu. Tertio notatur *promotio fidei* quantum ad reverentiam creatricis Sapientiae, cum subinfert: *Accepit autem omnes timor, et magnificabant Deum,* qui mortuum hominem, quem creaverat, vivificatum interius in anima et exterius in corpore recreavit. Nam nullum curavit Deus exterius corporaliter, quem primo non curaret interius spiritualiter.

I. Dicit ergo: *qui erat mortuus,* ubi notatur
ars I. De endiatio- peccati. *stipendiatio peccati* secundum exigentiam ordinis iustitiae. Ordo enim divinae iustitiae exigit, ut pec-
ubdivisio. catum triplici poenali stipendio puniatur. Et primum est *poenalitas praesentis miseriae,* humanum genus multipliciter affligentis; secundum est *calamitas mortis naturae* animam a corpore crudeliter separantis; tertium est *acerbitas infernalis gehennae,* animam cum corpore aeternaliter cruciantis.

Primo peccatum stipendiatur *poenalitate praes-*
) poenali- e praesen- miseriae. *sentis miseriae,* humanum genus multipliciter affligentis; unde Ecclesiastici trigesimo [4]: *Melior est mors quam vita amara, et requies aeterna quam languor perseverans.* — Vere *mors melior est quam vita amara,* propter multiplices poenalitates nobis ratione peccati originalis a Deo inflictas, quae nihil aliud est quam languor perseverans. Unde Gregorius: « Quotidianus defectus corruptionis quid est aliud quam quaedam prolixitas mortis »? Et propter hoc dicebat Apostolus secundae ad Corinthios quinto [5]: Quamdin *sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati, eo quod nolumus exspoliari, sed supervestiri, donec absorbeatur quod mortale est a vita.* Sed certe, quamdiu *sumus in hoc* misero *tabernaculo* corporis, *ingemiscimus;* nunc *gravati* paupertate, modo oppressi nuditate, aliquando afflicti siti, saepe cruciati fame. Huius calamitosae vitae poenalitatem considerans, dicebat ille: *Laudavi magis mortuos quam viventes.*

De calamitate mortis naturae.

Secundo peccatum stipendiatur *calamitate mortis naturae* animam a corpore crudeliter separantis; unde Ecclesiastici quadragesimo primo [6]: *Iudicium mortis a Domino omni carni.* Licet mors sit a Deo inflicta tanquam a iusto iudice, tamen origo et immediata causa non est Deus, qui est summe ens et indeficiens, cum mors sit maximus defectus inter omnes defectus poenales, sed libertas arbitrii cadens a stabilitate et perpetuitate iustitiae; unde Sapientiae primo: *Deus mortem non fecit; iustitia enim perpetua est et immortalis;* sed iniustitia acquisitio est mortis. Unde radix et origo mortis est elatio mentis mulieris, cum voluit comparari Deo in sapientia, secundum quod dicitur Ecclesiastici vigesimo quinto: *A muliere initium factum est peccati, et per illam omnes morimur.*

De acerbitate infernalis gehennae.

Tertio peccatum stipendiatur *acerbitate infernalis gehennae* animam cum corpore aeternaliter cruciantis; unde Apocalypsis vigesimo [7]: *Iudicium est de singulis secundum opera ipsorum, et infernus et mors missi sunt in stagnum ignis. Haec est secunda mors,* aeternae damnationis, qua cruciatur homo peccator in igne infernali, quae est valde metuenda et per luctum poenitentiae praecavenda, eo quod, perpetuo dolorosa, non potest declinari ad modicam morulam; unde Iob decimo: *Dimitte me, ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam et non revertar ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine; terram miseriae et tenebrarum, ubi umbra mortis et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.*

Pars II. De suscitatione mortui.

II. Secundo in verbo proposito notatur *suscitatio mortui* quantum ad notitiam approbationis loquelae, cum subdit: *resedit et coepit loqui.* Invenimus

---

[1] Ex Vaticana et C D E F.

[2] Vers. 15. seq.

[3] Rom. 6, 23.

[4] Vers. 17. — Sententia Gregorii est II. Homil. in Evang. homil. 37. n. 1.

[5] Vers. 4. dein sequitur Eccle. 4, 2.

[6] Vers. 5; sequuntur Sap. 1, 13. 15. et Eccli. 25, 33.

[7] Vers. 13. seq.; sequitur Iob 10, 20. seqq.

autem, Dominum resuscitasse triplicem mortuum, scilicet puellam, Lazarum et hunc adolescentem; et cuinslibet horum suscitatio sua approbatione dignoscitur. Nam primo suscitatio *puellae* probatur manducatione; secundo suscitatio *Lazari* probatur ambulatione; tertio suscitatio *adolescentis* probatur locutione. Manducatio respicit actum vegetabilis; ambulatio, actum sensibilis; locutio, actum rationalis.

Subdivisio.

Ut autem triplici probatione ostendatur Dominus dator vitae et salutis animae secundum trinam sui potentiam et virtutem, primo suscitatio *puellae* probatur *manducatione*, quae respicit actum vegetabilis; unde Lucae octavo[1]: *Ipse autem, tenens manum eius, clamavit, dicens: Puella, surge; et reversus est spiritus eius, et surrexit continuo. Et iussit illi dari manducare. Et stupuerunt parentes eius.* — *Ipse autem*, Christus, *tenens manum eius*, ecce, virtutis adiutorium; *clamavit, dicens: Puella, surge*, ecce, maiestatis imperium; *et reversus est spiritus eius*, per intimam coniunctionem; *et surrexit continuo*, per vitalem operationem; nam surgere operatio est viventis. *Iussit illi dari manducare*, quantum ad vitalem manifestationem, ut non phantastica, sed vera suscitatio probaretur. Huiusmodi autem signum verae suscitationis ideo dat sensibus, ut mentes elevet in excelsum admirationis; unde sequitur: *Et stupuerunt parentes eius.*

De probatione resurrectionis primae.

Secundo suscitatio *Lazari* probatur *ambulatione*, quae respicit actum sensibilis; unde Ioannis undecimo[2]: *Iesus voce magna clamavit: Lazare, veni foras. Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes et manus institis.* Unde dicit Glossa: « Sicut potentiae Dei est, quod surgit, sic quod *ligatus* adhuc *prodiit* » et ambulabat. — *Iesus*, in quo caro coniuncta est Verbo aeterno, *voce magna clamavit*, interius operando et exterius excitando: *Lazare, veni foras*, tuis propriis pedibus, ut tua suscitatio innotescat populo, qui circumstat, ut credat, quia *ego* sum *principium* humanae conditionis et reparationis, *qui loquor*[3] tibi. *Et statim prodiit qui fuerat mortuus*, et hoc est quod dicitur secundum Augustinum: « Nemo tanta facilitate excitat dormientem de somno, sicut Christus mortuum revocat de sepulcro ».

Item, de secunda.

Tertio suscitatio *adolescentis* probatur *locutione*, quae respicit actum rationalis; unde in hodierno Evangelio[4]: *Resedit qui erat mortuus, et coepit loqui; et dedit illum matri suae.* Non est dubium, quin iste adolescens suscitatus loqueretur verba laudis divinae, quod non est mortuorum, sed viventium. In quo apparet manifeste, quod vivebat, eo quod vita dignoscitur et per motum et per sensum. Sed quia istum suscitaverat ad matris consolationem, ideo *dedit illum matri suae.* Non enim vacat a mysterio, quod puella in sua suscitatione dicitur *surrexisse*, adolescens ille *resedisse*, Lazarus vero *ligatus manus et pedes prodiisse.* — Nam per puellam mortuam in domo intelligitur peccatum cogitationis; per adolescentem in porta, peccatum operationis; per Lazarum in sepulcro, peccatum consuetudinis. — Et secundum quod peccata sunt graviora, maiores relinquunt sequelas. Ideo qui solum cogitatione peccavit vivificatus continuo surgit, quia parva remanet difficultas; qui vero opere peccavit vivificatus sedet, quia adhuc pronitas remanet; qui autem in consuetudine peccavit vivificatus ligatus est, quia magis habet pronitatem ad malum et difficultatem ad bonum.

De his in bon.

III. Tertio in verbo proposito notatur *laudis amplificatio* quantum ad reverentiam creatricis Sapientiae, cum subinfert: *Accepit autem omnes timor, et magnificabant Deum*[5]. Est enim reverenter magnificandus Deus de opere recreationis, eo quod est primo *declarativum potentiae* in deiectione hostis antiqui; secundo, *manifestativum sapientiae* in relevatione hominis prostrati; tertio, *expressivum misericordiae* in missione Spiritus sancti. Et propter hoc debemus laudare Deum de opere recreationis, quod in reformatione et resuscitatione illius adolescentis significatur, tum quia sua virtuositate potentiae deiecit crudelem tyrannum, tum quia sua sagacitate sapientiae relevavit hominem prostratum, tum quia sua benignitate clementiae misit ad nos Spiritum sanctum.

Para III, laudis amplificatio.

Subdivisi

Primo magnificabant Deum de opere recreationis propter *virtuositatem potentiae* in deiectione hostis antiqui; et hoc est quod dicit beata Virgo Lucae primo[6]: *Magnificat anima mea Dominum;* et sequitur: *Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.* — Virgo gloriosa toto affectu ostendit, se laudare divinam virtutem de beneficio incarnationis, cum dicit: *Magnificat anima mea Dominum;* deinde reddit rationem, cum subdit: *Fecit potentiam in brachio suo*, id est in Filio; *dispersit superbos mente cordis sui*, id est diabolum et eius sequaces, qui *mente cordis sui superbiunt*, in intellectu per praesumtionem et in affectu per ambitionem; vel: *dispersit superbos mente cordis sui*, cum ex definitione consilii sui daemones superbientes deiecit. Ista autem deiectio diabolicae crudelitatis, propter quam tenemur ad magnificationem divinae virtuositatis, fuit figurata in deiectione Aegyptiacae potestatis, secundum quod dicitur Exodi decimo quinto: *Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitudine; dextera tua, Domine, percussit inimicum, et in multitudine gloriae tuae deposuisti adversarios tuos.*

Ratio pri

Secundo magnificabant Deum de opere recreationis propter *sagacitatem sapientiae* in relevatione hominis prostrati; unde in Psalmo[7]: *Magnificate*

Ratio se cunda.

[1] Vers. 54. seqq.
[2] Vers. 33. 43. seq. — Glossa est *interlinearis* in hunc locum.
[3] Respicitur Ioan. 8, 25. — Sequitur August., in Ioan. Evang. tr. 49. n. 9.
[4] Luc. 7, 15.
[5] Luc. 7, 16.
[6] Vers. 46-51; deinde sequitur Exod. 15, 6. seq.
[7] Psalm. 33, 4. seq.

Dominum mecum, et exaltemus nomen eius in id ipsum. Exquisivi Dominum, et exaudivit me et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me. — Propheta David, magnus praeco et ampliator divinae laudis, considerans, quoniam sagaciter divina Sapientia, secundum quod « ordo nostrae salutis et relevationis deposcebat, sua multiformi arte fefellit artem proditoris, inde medelam ferendo, hostis unde laeserat [1] »; ut, sicut de ligno deiecto mortis oriebatur, ita de ligno relevatio vitae resurgeret; invitat omnem hominem ad gratiarum actionem, cum dicit: *Magnificate Dominum mecum*, corde, ore, opere; *et exaltemus nomen eius in id ipsum*, sibi soli honorem et gloriam attribuendo. Post laudis amplificationem adiungit laudandi rationem, dicens in persona sanctorum Patrum: *Exquisivi Dominum*, devota precum instantia petendo, accelerari illud beneficium nostrae relevationis; *et exaudivit me*, aures suae misericordiae ad preces nostrae humilitatis inclinando. *Iusiurandum, quod iuravit ad Abraham, patrem nostrum, daturum se nobis* [2]; cuius donatione et beneficio *ex omnibus tribulationibus*, quibus opprimebar ab Aegyptiaca crudelitate, *eripuit me, transferendo*, de Aegypto peccati, *in regnum Filii dilectionis suae.* De hoc similiter potest intelligi illud Danielis quarto: *Magnifico Regem caeli, quia omnia opera eius vera, et viae eius iudicia.*

Ratio tertia. Tertio magnificabant Deum de opere recreationis propter *benignitatem misericordiae* in missione Spiritus sancti; unde Ecclesiastici quadragesimo tertio [3]: *Glorificate Dominum, quantumcumque potueritis; supervalebit enim adhuc et admirabilis magnificentia eius. Benedicentes Dominum, exaltate illum, quantum potestis; maior enim est omni laude. Exaltantes illum, replebimini virtute, ne laboretis; non enim comprehendetis. Quis videbit eum et narrabit? Et quis magnificabit eum, sicut est ab initio?* — Unde debemus *benedicere* et *exaltare Dominum* iuxta modulum nostrae possibilitatis de tanto beneficio, scilicet de missione Spiritus sancti, quamvis maior sit omni laude humana. Nam sic *exaltantes*, verbo et opere, *replebimini virtute*, Spiritus sancti, *ne laboretis*, curiose scrutando eius inscrutabilem originem; *non enim comprehendetis.* Nam omnes philosophi, magi et Christiani *defecerunt*, eius *scrutantes* originem *scrutinio* « in hoc tertio signo ». Nam *quis videbit eum*, cognoscendo eius originem humana investigatione; *et narrabit et magnificabit eum, sicut est a principio*, penuria humani sermonis? Certe nullus, quia *Spiritus, ubi vult, spirat, et vocem eius audis, sed nescis, unde veniat, aut quo vadat* [4]. Rogemus ergo etc.

Sermo II [5].

Propheta magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitavit plebem suam, Lucae septimo [6].

Commendant in his verbis Christum turbae a tribus: ab *auctoritate doctrinae*, ibi: *Propheta magnus*; a *pietate vitae*, ibi: *surrexit in nobis*; a *virtute efficaciae*, ibi: *et quia Deus* etc. Divisio.

I. Circa primum nota, quod vere dicitur *Propheta magnus* Christus vel aliquis sanctus eius: propter *excellentiam meritorum*; Lucae primo [7]: *Et tu, puer, Propheta Altissimi vocaberis; praeibis enim ante faciem Domini parare vias eius, ad dandam scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum eorum* etc. — Propter *intelligentiam mysteriorum*; Ecclesiastici quadragesimo octavo: *Isaias, Propheta magnus et fidelis in conspectu Dei* etc. *Spiritu magno vidit ultima et consolatus est lugentes in Sion.* — Propter *efficaciam miraculorum*; Ecclesiastici quadragesimo sexto: *Fortis in bello Iesus Nave, successor Moysi in Prophetis, qui fuit magnus secundum nomen suum* etc. Et sequitur, quomodo magna fecit. Pars I. Propheta dicitur magnus propter tria.

II. Circa secundum nota, quod *surrexit* Christus *in nobis*: ad *poenitentiam renovandam*; Ecclesiastici quadragesimo octavo [8]: *Surrexit Elias Propheta quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat.* — Ad *indulgentiam impetrandam*; Proverbiorum ultimo: *De nocte surrexit delictque praedam domesticis suis* etc. — Ad *petulantiam prosternendam*; Ecclesiastici quadragesimo septimo: *Surrexit Nathan Propheta in diebus David, et quasi adeps separatus a carne, sic David a filiis Israel* etc. Pars II. Christus resurgit in nobis ad 3 fines.

Vel *surrexit*: sicut *sol* in firmamento ad universalem illuminationem et inflammationem; sicut *fons* in paradiso ad universalem mundationem vel inundationem et recreationem; sicut *speculum* in universo ad universalem directionem et mundificationem. Aliter.

III. Circa tertium nota, quod *visitavit Deus* in eo *plebem suam*, id est Ecclesiam, ipsam *fecundando* per exempla virtutum; Genesis vigesimo primo [9]: *Visitavit Deus Saram, sicut promiserat, et implevit quae locutus est* etc. — *Illustrando* per documenta veritatum; Lucae primo: *Visitavit nos oriens ex alto illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent* etc. — *Protegendo* per suffragia precum; Genesis ultimo: *Deus visitabit vos, asportate ossa mea vobiscum de loco isto.* Pars III. Visitat Deus ad 3 fines.

---

[1] Cfr. Hymnus ad Matut. in Domin. Pass. stropha 3.

[2] Luc. 1, 73; sequuntur Col. 1, 13. et Dan. 4, 34.

[3] Vers. 32. seqq.; sequitur Ps. 63, 6. — De expressione « in tertio signo » cfr. Exod. 8, 18. et expositionem Lyrani in hunc locum et Magistri l. Sent. d. 2. c. 1. in fine, et Bonav., l. Sent. d. 3. p. 1. q. 4. ad oppositum 2.

[4] Ioan. 3, 8.

[5] Ex A fol. 143 v. et B fol. 66.

[6] Vers. 16.

[7] Vers. 76. seqq.; sequuntur Eccli. 48, 25-27. et c. 46, 1. seqq.

[8] Vers. 1; sequuntur Prov. 31, 15. et Eccli. 47, 4. seqq.

[9] Vers. 1. seq.; sequuntur Luc. 1, 78. et Gen. 50, 24.

Sermo III [1].

Item, sermo fratris Bonaventurae in domo Praedicatorum de Bononia [2].

Propheta magnus surrexit in nobis, Lucae septimo [3].

In his verbis magisterium sive ministerium Domini nostri Iesu commendatur a tribus, et primo, a *veritatis notitia;* secundo, a *potestatis eminentia;* tertio, a *sanctitatis excellentia.* Divisio.

I. Quantum ergo ad primum dicitur *Propheta;* circa quod nota, quod ipsius admiranda notitia ostenditur quantum ad quatuor, quae eum probant Prophetam. Fuit enim Propheta: *intimissimus,* quia cordium cognoscebat occulta; Ecclesiastici. vigesimo quarto [4]: *Penetrabo omnes inferiores partes terrae et inspiciam omnes dormientes et illuminabo omnes sperantes in Domino. Adhuc doctrinam quasi prophetiam effundam. — Expertissimus,* quia ipse praevidebat et praedicebat futura; Ieremiae primo: *Antequam exires de vulva, sanctificavi te et Prophetam in gentibus dedi te. — Elevatissimus,* quia divinae Maiestatis lucide speculabatur arcana; Numerorum duodecimo: *Si quis fuit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. — Penetrantissimus,* quia locorum intuebatur absentiam; quarti Regum quinto [5]: *Dixit Eliseus* Propheta: *Nonne cor meum in praesenti erat, quando reversus est homo de curru suo in occursum tui* etc. Pars I. Praerogativae 4 Christi.

II. Quantum ad secundum dicitur *magnus.* Fuit autem Dominus Iesus magnus: primo respectu *creaturae non unibilis* in daemonum expulsione; Ecclesiastici quadragesimo sexto [6]: *Fuit magnus secundum nomen suum, maximus in salutem electorum Dei, expugnare insurgentes hostes, ut consequeretur hereditatem Israel.* — Secundo, respectu *creaturae unibilis* in mortuorum suscitatione; Ecclesiastici quadragesimo octavo: *Amplificatus est Elias in mirabilibus suis. Et quis potest similiter sic gloriari tibi? Qui sustulisti mortuum ab inferis de sorte mortis in verbo Domini Dei.* — Tertio, respectu *creaturae sensibilis* in animalium subiectione seu mansuetudine; Danielis quarto: *Sensus meus redditus est mihi* etc. — Quarto, respectu *creaturae insensibilis* in naturarum transmutatione; Sapientiae ultimo [7]: *In omnibus magnificasti populum tuum* etc. Et loquitur de hac materia. Foit magnus quadruplici respectu.

III. Quantum ad tertium sequitur: *surrexit in nobis. Surrexit,* inquam, ad nostram laetificationem: per *munditiam castitatis* integerrimae; Ecclesiastici quadragesimo septimo [8]: *Surrexit Nathan Propheta in diebus David; et quasi adeps separatus a carne, sic David a filiis Israel.* — Per *eminentiam paupertatis* altissimae; Matthaei nono: Vocavit Matthaeum Iesus; *et surgens, secutus est eum.* — Per *obedientiam humilitatis* promptissimae; Lucae decimo quinto: *Surgam et ibo ad patrem meum et dicam ei: Pater, fac me sicut unum de mercenariis tuis.* — Per *flammam caritatis* latissimae; Ecclesiastici quadragesimo octavo [9]: *Surrexit Elias Propheta quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat.* Surrexit in nobis ob 4 fines.

Sermo IV [10].

Item, sermo fratris Bonaventurae in domo Fratrum.

Propheta magnus surrexit in nobis, Lucae septimo [11].

In verbis his commendant turbae Christum a tribus, scilicet a *doctrinae claritate* perspicua; ab *efficaciae potestate* mirifica, et a *vitae sanctitate* dignissima. Divisio.

I. et II. Circa primum et secundum nota, quod Dominus Iesus fuit *Propheta magnus* magnitudine septiformi, scilicet magnitudine *auctoritatis* praecellsae ad miracula exhibenda; Psalmus [12]: *Quoniam magnus es tu et faciens mirabilia. — Veritatis* aeternae ad documenta seminanda; Ieremiae decimo: *Magnus es tu, et magnum nomen tuum in fortitudine. Pariter insipientes et fatui probabuntur, doctrina vanitatis eorum lignum est. — Bonitatis* summae ad suffragia impartienda; Psalmus: *Magnus Dominus et laudabilis nimis. — Suavitatis* intimae ad solatia communicanda; Lucae primo [13]: *Erit magnus coram Domino et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suae. — Sanctitatis* praeclarae ad exempla tribuenda; Ecclesiastici quadragesimo sexto: *Fuit magnus secundum nomen suum, maximus in salutem electorum Dei* etc. — *Claritatis* famae ad divina praeconia excitanda; Malachiae primo: *Magnum est nomen meum in gentibus. — Aeternitatis* gloriae ad bona merita retribuenda sive remuneranda; Lucae primo [14]: *Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius, et regnabit in domo Iacob in aeternum.* Pars I. et Magnitudo septiformis.

III. Circa tertium nota, quod *surrexit* Dominus in mundo ad aedificationem septiformiter. Surrexit enim sicut *stella* radiantissima ad illuminandum mundum caecum; *facula* ardentissima ad inflammandum mundum tepidum; *rosa* fragrantissima ad recreandum Pars III. Aedificatio septiformis.

---

[1] Ex A fol. 144 r.

[2] Haec rubrica legitur ad calcem folii nigris exarata literis a prima manu.

[3] Vers. 16.

[4] Vers. 45. seq.; sequuntur Ier. 1, 5. et Num. 12, 6.

[5] Vers. 25. seq.

[6] Vers. 1. seq.; sequuntur c. 48, 4. seq. et Dan. 4, 31.

[7] Cap. 19, 20.

[8] Vers. 1. seq.; sequuntur Matth. 9, 9. et Luc. 15, 18. seq.

[9] Vers. 1.

[10] Ex A fol. 144 v.

[11] Vers. 16.

[12] Psalm. 85, 10; sequuntur Ier. 10, 6. 8. et Ps. 47, 1.

[13] Vers. 15; sequuntur Eccli. 46, 1. seq. et Mal. 1, 11.

[14] Vers. 32.

mundum angustiatum; *regula* ordinatissima ad dirigendum mundum devium; *margarita* pretiosissima ad confortandum mundum debilitatum; *sapientia* aeterna ad pascendum mundum famelicum; *vita* indeficientissima ad suscitandum mundum mortuum propter primum peccatum etc.

DOMINICA DECIMA SEXTA POST PENTECOSTEN.

Sermo I [1].

Ipse vero apprehensum sanavit eum ac dimisit, Lucae decimo quarto [2].

Quia Pharisaeorum indicio et reputatione bos vel asinus ruens in foveam extrahi poterat die Sabbati sine Legis transgressione; hinc est, quod Dominus noster in hodierno Evangelio, per simile efficaciter arguens a minori, ostendit, se multo fortius non solvere Sabbatum in languidi hominis curatione, cum salus hominis praeferenda sit saluti bovis et asini. Unde ad confutationem malignitatis et versutiae [3] Iudaeorum tria dantur nobis intelligi de ipso verbo
Divisio. proposito. Primum est *humilitas* in tangendo et apprehendendo infirmum; secundum est *virtuositas* in curando eius morbum; tertium est *liberalitas* in dimittendo eum abire liberum, ut sic per humilitatem confutet Iudaeorum superbiam, per virtuositatem eorum desidiam, per liberalitatem eorum perfidiam, cum ipsi non dignarentur eum tangere, nec poterant curare, nec vellent liberare. Et quia per ista facta, quae gessit Christus exterius in corpore, docemur, ea fieri interius spiritualiter in anima; ideo per humilem apprehensionem significatur *gratiae infusio;* per efficacem curationem *culpae expiatio;* per liberalem dimissionem *poenae relaxatio*. Unde in verbo proposito primo spiritualiter infirmum apprehendit per gratiae infusionem in incarnatione, quia *nunquam Angelos apprehendit, sed* filios *Abrahae*, secundum quod dicitur ad Hebraeos secundo [4]; secundo eius morbum sanavit per culpae expiationem in passione; tertio dimisit abire liberum per poenae relaxationem in Spiritus sancti missione, quia, *ubi Spiritus Domini, ibi libertas*. Non enim tanquam avarus voluit ab eo exigere pretium redigendo in servitutem Legis veteris Testamenti propter collatum beneficium, sed tanquam liberalis et largus, ut se transferat ad libertatem Evangelii Dei, sic eum liberum abire permisit. Et propter hoc, cum illud esset opus misericordiae et liberalitatis, per illud Sabbatum non solvebatur, sed tantummodo per opus avaritiae et servitutis, quod in eo fieri prohibebatur, secundum quod dicitur Levitici vigesimo tertio: *Omne opus servile non facietis in eo.*

Pars I. De Salvatoris humilitate.

I. Primo igitur in verbo proposito notatur Salvatoris *humilitas* in apprehendendo infirmum per *gratiae infusionem in incarnatione*, cum dicit: *Ipse vero apprehensum*. Apprehendit autem infirmum spiritualiter infundendo suam gratiam tripliciter: primo, Subdivisio.
per *amaritudinem poenitentiae* in detestatione commissi peccati; secundo, per *rectitudinem iustitiae* in adimpletione divini praecepti; tertio, per *fortitudinem patientiae* in toleratione mali inflicti.

Primo apprehendit Dominus infirmum spiritua- Apprehensio infirmi prima.
liter per *amaritudinem poenitentiae* in detestatione commissi peccati; unde Ieremiae trigesimo primo [5]: *Apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Aegypti. — Apprehendi manum eorum*, id est opera, praeveniendo per internam inspirationem; *ut educerem eos*, adiuvando per boni operis prosecutionem; *de terra Aegypti*, id est de statu peccati. *Aegyptus* enim tenebra interpretatur et significat peccatum, ratione cuius ita homo obtenebratur, ut non videat, quid agere debeat, cum non possit dirigi in bonum sine luce gratiae, sed delectatione peccati obtenebratus, ad omnia peccata est pronus.

Secundo apprehendit Dominus infirmum per *re-* Item, secunda.
ctitudinem iustitiae in adimpletione divini praecepti; unde Isaiae quadragesimo secundo [6]: *Ego Dominus vocavi te in iustitia et apprehendi manum tuam et servavi te. — Ego Dominus vocavi te in iustitia*, praecepta ad observandum fideliter imponendo; *et apprehendi manum tuam*, imposita ad complendum opera adiuvando. Nam per *manus* opus intelligitur, sed per *apprehensionem* adiutorium divinum, eo quod tanta est humana fragilitas, quod, nisi a divina potentia adiuvetur, in nullo bono per se potest proficere, sed potius deficere. *Et servavi te*, ad permanendum in eis perseverantiam dando.

Tertio apprehendit Dominus infirmum per *for-* Item, tertia.
titudinem patientiae in toleratione mali inflicti; de quo potest intelligi illud Psalmi [7]: *Apprehende arma et scutum et exsurge in adiutorium mihi. —* Per *arma* designantur virtutes, quibus vitia impugnantur; per *scutum* patientia intelligitur, per quam mala tolerantur illata. Unde tunc Deus *apprehendit arma et scutum*, quando infundit homini virtutes, quibus impugnat vitia et peccata, et patientiam, cum qua tolerat mala illata; sed *exsurgit in adiutorium*, quando *cum tentatione*, vitiorum, *facit proventum*, virtutum. Unde Gregorius [8]: « Nisi misericors Deus cum viribus tentamenta modificet, nullus

[1] Ex Vaticana et C D E F.
[2] Vers. 4.
[3] Ita F; alii codices cum Vaticana legunt *susurrii*.
[4] Vers. 16; sequuntur II. Cor. 3, 17. et Levit. 23, 7.
[5] Vers. 32.
[6] Vers. 6.
[7] Psalm. 34, 2; sequitur I. Cor. 10, 13.
[8] Libr. IX. Moral. c. 46. (alias 25.) n. 71.

est, qui malignorum spirituum insidias non cornens portet ».

Pars II. De Salvatoris virtuositate.

II. Secundo notatur Salvatoris *virtuositas* in curando per *culpae expiationem in passione*, cum subdit: *sanavit eum*. Quia quaelibet Christi actio nostra est instructio [1], ideo per curationes infirmitatum corporum a Christo factas instruimur spiritualiter intelligere curationes vitiorum spirituum. Unde si volumus scientialiter procedere, primo videamus quae accidunt isti morbo hydropisi corporali, quia per hoc devenimus in cognitionem hydropisis spiritualis, id est peccati; et sic, cognito morbo utrinsque hydropisis, melius explicabimus curationes et remedia exhibita a Christo, medico corporum et animarum. Quamvis enim multa accidant morbo hydropisis, principaliter tamen tria sunt eius accidentia. Et primum est *corporis tumor* sive inflatio, per quod intelligitur superbia; secundum, *anhelitus foetor* sive abominatio, per quod intelligitur luxuria; tertium est *sitis ardor* et anhelatio, per quod intelligitur avaritia. Unde tunc Dominus sanavit hydropicum non solum corporaliter, sed etiam spiritualiter, quando sanavit primo *tumorem inflationis* superbiae per timorem humilitatis; secundo, *foetorem abominationis* luxuriae per decorem castitatis; tertio, *ardorem* exitialis *avaritiae* per amorem paupertatis; nt sic anima deordinata et aversa a Trinitate personarum, videlicet a Patris potentia per tumorem superbiae, a Filii sapientia per foetorem luxuriae et a Spiritus sancti clementia per ardorem avaritiae, ordinetur et convertatur ad Patrem per timorem humilitatis, ad Filium per decorem castitatis et ad Spiritum sanctum per amorem paupertatis; et sic, in quo fuerat peccati vel diaboli vestigium, relnceat in eo vestigium Trinitatis.

Subdivisio.

Sanator a tumore inflationis.

Primo sanat Dominus spiritualiter hydropicum a *tumore inflationis* superbiae per timorem humilitatis; et de hoc potest exponi illud Lucae septimo [2]: *Domine, non sum dignus, ut sub tectum meum intres; propter quod et me ipsum non sum dignum arbitratus, ut venirem ad te; sed dic verbo, et sanabitur puer meus;* et sequitur: *Invenerunt servum qui languerat sanum.* — Primo ille centurio, considerando divinae Maiestatis altitudinem, dicit: *Domine, non sum dignus, ut sub tectum meum intres.* Secundo, recognoscendo propriae infirmitatis vilitatem, subdit: *propter quod me ipsum non sum dignum arbitratus, ut venirem ad te;* non enim indignitatis vilitas eum latebat per superbiam, sed nota erat per humilitatem praecipuam. Tertio, profitendo divinae virtutis facilitatem, addit: *sed dic verbo, et sanabitur puer meus,* quasi dicat: cum *apud te non sit impossibile omne verbum* [3], non differt dicere et facere, quia tu es illud *Verbum, per quod facta sunt omnia*, et ille *sermo vivus et efficax, potestate plenus* [4], *qui sanat omnia.* Et quia *iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvabit;* ideo subinfertur quarto caelestis gratiae appropinquatio, sive operatio divinae pietatis ad domum aegroti per morbi curationem, cum sequitur: *Invenerunt servum qui languerat sanum.* Prius pervenit virtutis operatio quam nuntiorum reversio; et hoc est, quia libenter Deus condescendit humilibus. Unde Augustinus [5]: « Altus est Deus, humilias te, et venit ad te; exaltas te, et fugit a te ». Et quamvis aliter humiliaret se Zachaeus, aliter centurio, quia Zachaeus suscipiendo, centurio suscipere non audendo, tamen utroque modo fit divina reverentia. Unde exemplo istorum bene facit qui pro reverentia corpus dominicum frequenter in Sacramento suscipit, et qui reverentia cessat; utrique enim salus datur sicut centurionis servo et ipsi Zachaeo. Unde Ecclesia in susceptione corporis dominici reverentiam centurionis repraesentat in dicto, et devotionem Zachaei in facto, eo quod corpus dominicum debet suscipi centurionica reverentia et Zachaeica devotione.

Dictum triplex.

Notandum.

Item, a foetore abominationis.

Secundo sanat Dominus hydropicum spiritualiter a *foetore abominationis* luxuriae per decorem castitatis; et de hoc potest accipi illud Psalmi [6]: *Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, et non est sanitas in carne mea; afflictus sum et humiliatus sum nimis.* — « Nomine *lumborum*, secundum Gregorium, luxuria designatur », quae generatur et oritur, cum lumbi *implentur illusionibus*, id est turpibus mulierum imaginationibus, immundis cogitationibus et foetidis affectionibus. Unde quemadmodum, quando abundant multi corrupti et melancholici humores in corpore, generant scabiem quandam et impetiginem et aliquando lepram, quae tollunt munditiam corporis; sic, quando abundant immundae cogitationes, inordinatae affectiones, turpes mulierum imaginationes et illusiones in corde, generant quosdam humores corruptos et inordinata desideria in carne. Et quia haec corpus contaminant auferendo sanitatem et munditiam castitatis, ideo dicit: *non est sanitas in carne mea.* Quare? *Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus.* Certe summo studio debet homo amovere a corde istas illusiones, quia ex his luxuria principaliter generatur in corde et ex corde redundat in carnem, secundum illud Matthaei quinto [7]: *Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo.* Ita ex contrariis castitas generatur principaliter in corde et de corde redundat in corpus. Et propter hoc sequitur: *Afflictus sum et humiliatus sum nimis,*

[1] Vide supra pag. 183, notam 7. [2] Vers. 6. 7. 10.
[3] Luc. 1, 37; sequuntur Ioan. 1, 3. et Hebr. 4, 12.
[4] Eccle. 8, 4; ibi Glossa *interlinearis* apud Lyranum: « Suum dicere est suum facere ». — Sequuntur Sap. 16, 12. et Ps. 33, 19.
[5] Serm. 177. in appendice (alias 175. de Tempore) n. 2.
[6] Psalm. 37, 8. seq. — Sequitur Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 13. n. 1.
[7] Vers. 28; sequitur Ps. 37, 9. seq.

rugiebam a gemitu cordis mei. Domine, ante te omne desiderium meum. Bene dicitur: *Afflictus sum,* per carnis mortificationem, quia sine ea castitas fundari non potest, eo quod carnis mortificatio delectationem concupiscentiae, motus et desideria carnis restringit; *et humiliatus sum nimis,* per delicati corporis deiectionem; *rugiebam a gemitu cordis mei,* per compunctionem, quia potest dicere: *Domine, ante te omne desiderium meum,* per perfectam cordis ordinationem.

em, ab ardore avaritiae.

Tertio sanat Dominus spiritualiter hydropicum ab *ardore exitialis avaritiae* per amorem pauperatis; unde in Psalmo [1]: *Commovisti terram et conturbasti eam; sana contritiones eius, quia commota est.* — Per *terram* intelligitur anima terrenis lucris dedita, quae ad modum terreni pulveris per varias cogitationes dispergitur; et quia huiusmodi *contritiones* affligentium cogitationum non possunt sanari, nisi prius amoveantur et confringantur Dei timore, conscindantur et conturbentur peccati dolore et dilatentur Christi amore; ideo inquit Propheta: *Commovisti terram,* constringendo timore per consideriationem divinorum iudiciorum; *conturbasti eam,* conscindendo dolore per deplorationem omnium peccatorum; *sana contritiones eius,* eam dilatando amore per promissionem aeternarum retributionum; *quia commota est,* per compassionem et eleemosynarum largitionem, ut qui aliena rapiebat propria largiatur. Unde Gregorius [2]: « Terrena omnia servando amittimus, largiendo servamus; din enim cum rebus nostris durare non possumus, quia aut nos illas moriendo deseremus, aut illae nos viventes quasi deserunt perenndo. Agendum ergo nobis est, ut res absolute perituras in non perituram mercedem transferamus ».

ura III. De alvatoris liberalitate.

III. Tertio subinfert: *ac dimisit,* ubi notatur Salvatoris *liberalitas* in dimittendo eum abire per *poenae relaxationem* in Spiritus sancti missione; quae

Subdivisio.

relaxatio poenae habet fieri per tria, scilicet per *instantiam devotae supplicationis,* per *vehementiam divinae dilectionis* et per *indulgentiam alienae offensionis.* Ratione primi ordinat ad se ipsum; ratione secundi, ad Deum; ratione tertii, ad proximum.

Propter instantiam supplicationis.

Primo autem fit ista dimissio et relaxatio propter *instantiam devotae supplicationis;* unde in Psalmo [3]. *Dixi: Confitebor, et tu remisisti impietatem peccati mei. Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno,* quasi dicat: cum peccator poenitet et conteritur et proponit dicendo in corde: *Confitebor,* propositum operi mancipando, *et tu,* scilicet Deus et non alius, *remisisti impietatem peccati mei.* Solus enim Deus potest dimittere et delere peccata, licet peccator mediante ministerio sacerdotis absolvatur. *Pro hac,* scilicet misericordia, quae parcit faciliter, *orabit ad te omnis sanctus,* devota precum instantia eam implorando, *in tempore opportuno,* id est tempore et loco. Et de hoc similiter dicitur: *Omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me.*

Propter vehementiam dilectionis.

Secundo fit ista dimissio propter *vehementiam divinae dilectionis;* unde Lucae septimo [4]: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ecce, quod Dominus probat istam mulierem purgatam a peccato per affectum dilectionis, eo quod « ardor divinae dilectionis consumserat in ea peccatorum rubiginem ». Nec est intelligenda ista sententia, ut ille qui plus peccaverat, plus approbaretur; sed ostenditur, quod, quantum est de ratione obligationis, cui plus dimittitur plus obligatur, supposita tamen gratia et rectitudine voluntatis. Nam multi ad magnas gratias tenentur, qui nullas aut paucas reddunt.

Propter indulgentiam offensionis.

Tertio fit ista dimissio propter *indulgentiam alienae offensionis;* Matthaei sexto [5]: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. — Debita* dicuntur peccata, quia faciunt nos debitores eorum quae non possumus solvere. Unde ad eorum veniam impetrandam requiritur haec conditio: *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris;* iustum est. Qui fugit legem clementiae cadit in legem iustitiae; et propter hoc dicitur Matthaei sexto: *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester caelestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Unde Gregorius [6]: « Dominus peccata dimittit per misericordiam, repetit per iustitiam ». Rogemus etc.

Sermo II [7].

Amice, ascende superius, Lucae decimo quarto [8].

Divisio.

In hoc verbo, quod proponitur nobis in humilitatis praemium, tria nota, scilicet humilis *animae* ad Deum dulcis *familiaritas,* ibi: *Amice;* spiritualis *profectus dignitas,* ibi: *ascende;* sempiternalis *gradus sublimitas,* ibi: *superius.*

Pars I. Amicus Dei: ellictor per quatuor.

I. Circa primum nota, quod efficitur quis *amicus* Dei: per *sinceritatem sanctimoniae;* Proverbiorum vigesimo secundo [9]: *Qui diligit cordis munditiam propter gratiam labiorum suorum,* id est intellectus et affectus purgatorum, *habebit amicum regem.* — Per *humilitatem obedientiae;* Ioannis decimo quinto: *Vos amici mei estis, si feceritis quae ego praecipio vobis.* — Per *austeritatem poenitentiae;* Psalmus: *Mihi alienigenae amici facti sunt* etc.

---

[1] Psalm. 59, 4.
[2] Libr. XVIII. Moral. c. 18. n. 28.
[3] Psalm. 31, 5. seq.; sequitur Matth. 18, 32.
[4] Vers. 47. — Sequitur Glossa *ordinaria* (secundum Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 33. n. 4.) in hunc locum.
[5] Vers. 12; sequitur v. 14. (cfr. Marc. 11, 25.).
[6] Libr. XVI. Moral. c. 68. (alias 28.) n. 82, secundum sensum; sed verbotenus in Comment. in Epist. ad Eph. 4, 32. (inter opera Ambrosii).
[7] Ex A fol. 143 v. et B fol. 66 v.
[8] Vers. 10.
[9] Vers. 11; sequuntur Ioan. 15, 14. et Ps. 107, 10. seq.

— Per *longanimitatem patientiae;* Iudith octavo [1]: *Abraham, per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est.*

Pars II. Ascendendum ad quatuor sequendum.

II. Circa secundum nota, quod debemus *ascendere*: ad *conscientiam renovandam* frequenter per sedulitatem confessionis; primi Machabaeorum quarto [2]: *Ecce, contriti sunt inimici nostri; ascendamus nunc mundare sancta et renovare.* — Ad *sapientiam investigandam* ferventer per pietatem meditationis; Isaiae secundo: *Venite et ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis eius.* — Ad *iustitiam prosequendam* diligenter per sanctitatem conversationis; Psalmus: *Quis ascendet in montem Domini? Aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus et mundo corde.* — Ad *victoriam obtinendam* potenter per virtutem dimicationis; Canticorum septimo [3]: *Ascendam in palmam et apprehendam fructus eius.*

Pars III. Quatuor aeternae praerogativae.

III. Circa tertium nota, quod illud *superius* aeternum, ad quod ascendit amicus Dei, est: *gloriosum* in veneratione divinae Maiestatis; Psalmus [4]: *Quoniam Deus magnus Dominus et Rex magnus super omnes deos.* — *Speciosum* in admiratione summae veritatis; Isaiae sexagesimo: *Super te orietur Dominus, et gloria eius in te videbitur.* — *Deliciosum* in refectione aeternae bonitatis; Ecclesiastici vigesimo quarto: *Spiritus meus super mel dulcis, et hereditas mea super mel et favum.* — *Copiosum* in adimpletione humanae voluntatis; tertii Regum undecimo [5]: *Regnabis super omnia, quae desiderat anima tua;* Iudicum primo: *Dedit ei irriguum superius et irriguum inferius.*

Sermo III [6].

Amice, ascende superius, et erit tibi gloria coram simul discumbentibus, Lucae decimo quarto [7].

Divisio.

Tria notantur hic, scilicet Dei aeterni ad humanum genus *clementia* dulcissima, ibi: *Amice; exhortatio* saluberrima, ibi: *ascende superius; exhortationis utilitas* sempiterna, ibi: *et erit tibi gloria* etc.

Aliter.

— Vel alio modo circa virum instum et Deo devotum tria notantur, scilicet *amor* gratiosus, *profectus* virtuosus et *status* gloriosus.

Pars I. Pro tribus mediis fit quis amicus Dei.

I. Circa primum nota, quod efficitur quis *amicus* Dei maxime per tria, scilicet per *contemptum mundanorum;* Iacobi quarto [8]: *Amicitia huius mundi inimica est Dei. Quicumque ergo voluerit amicus esse saeculi huius inimicus Dei constituitur.* — Per *desiderium aeternorum;* Proverbiorum vigesimo septimo: *Unguento et variis odoribus delectatur cor, et bonis amici consiliis anima dulcoratur.* — Per *sustinentiam adversorum;* Lucae duodecimo: *Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab his qui occidunt corpus et post haec non habent amplius, quid faciant.*

Pars II. Ascendendum per tria.

II. Circa secundum nota, quod debemus *ascendere superius:* per *sedulitatem* devotae orationis; primi Regum primo [9]: *Ascendebat vir ille de civitate sua statutis diebus, ut adoraret et sacrificaret Domino exercituum in Silo.* — Per *puritatem* rectae intentionis; Psalmus: *Quis ascendet in montem Domini? Aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus et mundo corde* etc. — Per *sublimitatem* serenae contemplationis; Exodi vigesimo quarto: *Ascenderuntque Moyses et Aaron in montem* ad Dominum etc. *Viderunt que Deum Israel* etc.

Pars III. Gloria triplex.

III. Circa tertium nota, quod sic ascendentibus *erit gloria: inaestimabilis honoris* in conspectu Maiestatis aeternae; Psalmus [10]: *Gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum.* — *Admirabilis decoris* in conspectu claritatis supremae; Psalmus: *Gloriam et magnum decorem impones super eum.* — *Interminabilis iucunditatis* in conspectu bonitatis summae; Ecclesiastici vigesimo tertio: *Gloria magna est sequi Dominum, longitudo enim dierum assumetur ab eo.*

DOMINICA DECIMA SEPTIMA POST PENTECOSTEN.

Sermo I [11].

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex tota mente tua, Matthaei vigesimo secundo [12].

Prothema.

Prothema. *Sicut meridiana lux clara est, et sicut nubes roris in die messis.*

Verba secundo loco proposita legnntur Isaiae decimo octavo, in quibus divinae sapientiae collatio describitur *fervida, lucida, frigida* et *fecunda. Fervida,* inquam, contra tepiditatem negligentiae; *lucida* contra tenebrositatem ignorantiae; *frigida* contra caliditatem concupiscentiae; *fecunda* contra sterilitatem avaritiae. Quod autem sit sine negligentiae tepiditate *fervida,* tangitur, cum praemittitur: *Sicut meridiana lux;* lux enim in meridie maiorem habet fervorem. Contra ignorantiae tenebrositatem *lucida,* notatur, cum sequitur: *clara est.* Contra

[1] Vers. 22.
[2] Vers. 36; sequuntur Isai. 2, 3. et Ps. 23, 3. seq.
[3] Vers. 8.
[4] Psalm. 94, 3; sequuntur Isai. 60, 2. et Eccli. 24, 27.
[5] Vers. 37; sequitur Iudic. 1, 15.
[6] Ex A fol. 144 r.
[7] Vers. 10.
[8] Vers. 4; sequuntur Prov. 27, 9. et Luc. 12, 4.
[9] Vers. 3; sequuntur Ps. 23, 3. seq. et Exod. 24, 9. seqq.
[10] Psalm. 8, 5. seq.; sequuntur Ps. 20, 5. et Eccli. 23, 38.
[11] Ex Vaticana et C D E F.
[12] Vers. 37; cfr. Deut. 6, 5. — Prothema est Isai. 18, 4.

concupiscentiae caliditatem *frigida*, notatur, cum dicitur: *et sicut nubes roris*. Contra avaritiae sterilitatem *fecunda*, notatur, cum subiungitur: *in die messis*. — Cum ergo nostra sit intentio communis de ipsius divinae Sapientiae abysso aliquid baurire velut stillam de stilla in medio proponendum; ante omnia misericors et fontale principium, quod est primum lumen, humiliter imploremus, ut sua benigna condescensione in huiusmodi collatione auferat a nobis *tepiditatem* negligentiae, *tenebrositatem* ignorantiae, *caliditatem* concupiscentiae et *sterilitatem* avaritiae, ut tandem sine omni negligentia fervidi, sine ignorantia lucidi, sine concupiscentia frigidi et sine avaritia fecundi possimus ea proferre in medium, quae sint ad laudem et gloriam etc.

Diliges Dominum Deum tuum etc.

Quoniam bonitatis magnae est se licite communicare malis et inimicis; ideo Dominus noster tanquam bonus doctor voluit communicare doctrinam veritatis etiam malignis Iudaeis, dolose eum interrogantibus, cum ad eorum quaestionem utilitatis, quamvis procederet ex animi dolositate, dedit responsionem veritatis, cum dicit in verbo proposito: *Diliges Dominum Deum tuum* etc. Ubi elegantissimo et miro modo ordinate procedit ordinando totum hominem secundum omnem sui potentiam ad Deum mediante triplici virtute theologica. Nam primo, *regulat concupiscibilem* in summo diligibili imperando actum caritatis; secundo, *elevat irascibilem* in summo honorabili insinuando obiectum Divinitatis; tertio, *illustrat rationalem* in summo intelligibili explicando modum veritatis. Primum habet per caritatem; secundum, per spem; tertium, per fidem. Primo igitur *imperat nobilem actum* caritatis *regulando concupiscibilem*, cum dicit: *Diliges*. Iste actus dilectionis elicitur a concupiscibili potentia. Secundo, *insinuat honorabile obiectum* Divinitatis elevando irascibilem, cum subdit: *Dominum Deum tuum*. Deus enim proprie et principaliter est obiectum caritatis; et haec est ratio, quia dilectio Dei est *primum et maximum mandatum* [1]. Nam proximus et omnis homo non debet diligi nisi propter Deum, aut in Deo ratione divinae imaginis et similitudinis; unde *simile* mandatum reputatur. Si autem aliter diligatur aliquis quam propter Deum aut in Deo, scilicet per affectum cognationis et carnis vel alicuius commodi, non virtus caritatis, sed actus naturalis dici potest. Tertio, *explicat utilem modum* veritatis illustrando rationalem, cum subinfert: *ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex tota mente tua*.

Sermo.

Divisio.

Pars I. De toto caritatis.

I. Dicimus ergo: *Diliges*, ubi *imperat caritatis actum;* iste actus dilectionis est virtutis caritatis ratione incomparabilis praeeminentiae, utilitatis et excellentiae. Primo et principaliter imperatur sub legis praecepto et etiam dicitur *maximum* propter tres rationes. Nam respectu *praeceptorum* habet primitatem virtuositatis in essendo; respectu *virtutum* habet maioritatem dignitatis in merendo; respectu *operum* habet delectabilitatem acceptationis in remunerando. Et sic dat praeceptis vigoris efficaciam, tribuit virtutibus pulcritudinis formam et imponit operibus retributionis mensuram [2]. O virtus deifica, in qua omnia *praecepta* radicaliter fundantur, per quam ceterae *virtutes* ad meritum informantur, et secundum quam cuncta *opera* acceptantur!

Subdivisio.

Primo illud praeceptum dilectionis respectu *praeceptorum* habet *primitatem virtuositatis* in essendo; unde ipsa est quae dat praeceptis vigoris efficaciam, secundum Gregorium [3], qui dicit super illud: *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos:* « Quid est, quod de dilectione quasi de singulari mandato nos admonet, nisi quia omnia praecepta multa sunt et unum? Multa propter diversitatem operis, unum in radice caritatis ». Et propter hoc dicitur in hodierno Evangelio [4]: *In his duobus mandatis universa Lex pendet et Prophetae*, quia ad dilectionem Dei et proximi tanquam ad primarium et radicale fundamentum introducunt. Hoc intelligens, Apostolus dicebat ad Ephesios tertio: *In caritate radicati et fundati* etc. Miseri, qui hoc fundamento carent, quia quidquid *superaedificant*, totum crescit ruinae; unde et opera facta extra caritatem nunquam reviviscunt, cum fuerint sine radice. Et ob hoc dicit Gregorius [5]: « Nec habet aliquid viriditatis ramus, nisi maneat in radice caritatis ».

Quoad respectum praeceptorum.

Secundo ista virtus dilectionis respectu *virtutum* habet *maioritatem dignitatis* in merendo, eo quod virtutibus dat formam; unde primae ad Corinthios decimo tertio [6]: *Maior autem horum est caritas;* ubi Apostolus discurrendo per omnes virtutes, tam politicas quam theologicas, concludit tum ratione *remotionis*, tum ratione *positionis*, quia caritas habet maioritatem. Nam posita caritate, ponitur omne meritorium, et illa remota, removetur omne utile ad salutem. Ipsa certe sola est, quae dat formam meriti. Unde ceterae virtutes sunt informes sine ipsa, quia non habent meritum gratuitum nisi per ipsam. Quemadmodum enim colores perdunt esse formale et pulcrum, discedente luce, et recuperant, ea adveniente; ita virtutes, discedente caritate [7]; et hoc est quod dicitur primae Ioannis secundo: *Qui diligit fratrem suum in lumine manet, qui autem odit fratrem suum in tenebris est.* Hinc est, quod Augustinus dixit: « Habe caritatem, et fac quidquid vis ».

Quoad respectum virtutum.

[1] Respicitur Matth. 22, 38. et 39.

[2] Haec ultima sententia sumta est ex F.

[3] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 27. n. 1. super Ioan. 15, 12.

[4] Matth. 22, 40; sequitur Eph. 3, 17. seq.

[5] Loc. cit.

[6] Vers. 13.

[7] Cfr. Bonav., III. Sent. d. 27. a. 2. q. 1; d. 36. q. 6. et dub. 1; d. 23. a. 2. q. 5. — Sequuntur I. Ioan. 2, 10. seq., et August., in Epist. Ioan. c. 4. tr. 7. n. 8.

Tertio iste actus dilectionis respectu *operum* habet *delectabilitatem acceptationis* in remunerando, eo quod imponit operibus retributionis mensuram; secundum enim caritatem viae mensurabitur gloria patriae, ut, ubi plus de dilectione, ibi plus de beatifica visione, quia magnitudo meriti non consistit in exteriori opere, sed interiori dilectione. Hinc est, quod martyrium, quod est maioris praemii inter omnia, quae facit homo, dicitur esse opus caritatis maius, secundum illud Ioannis decimo quinto [1]: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Rationem huius assignat Apostolus ad Romanos decimo tertio: *Si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo Legis est dilectio*, quasi dicat: si homo deficiat, et cum eo dispensetur ratione necessitatis in aliis mandatis, potest in isto recuperari ratione suae plenitudinis et perfectionis. Gregorius decimo Moralium [2]: « Nimirum, cum una eademque sit caritas, si mentem plene ceperit, hanc ad innumera opera multiformiter accendit »; sed tamen in isto non potest dispensari, eo quod eius defectus et amissio, ut in aliis mandatis, non potest instaurari, quoniam *non est digna ponderatio animae* diligentis.

Qoaad respectum operum.

II. Sequitur: *Dominum Deum tuum;* ubi *insinuat honorabile obiectum* Divinitatis et etiam totius Trinitatis. Non enim vacant a mysterio haec tria vocabula: *Dominum Deum tuum*, eo quod per ipsa manifestatur trinitas divinarum personarum conferentium nobis tria maxima beneficia, per quae ad Dei dilectionem delectabiliter allicimur. Unde *Dominus* dicitur propter conditionem naturalis esse *in creatione; Deus*, propter collationem multiplicis gratiae *in conservatione; tuus*, propter donationem sui ipsius sive hereditatis perpetuae *in glorificatione.* Et sic, appropriate loquendo, per Patris potentiam creamur, per Filii sapientiam conservamur, per Spiritus sancti clementiam glorificamur.

Pars II. De obiecto Divinitatis.

Subdivisio.

Primo *diliges Dominum* propter conditionem *naturalis esse in creatione;* unde Deuteronomii decimo [3]: *Et nunc, quid aliud Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum et ambules in viis eius et diligas eum?* — Quia homo tenetur et obligatur Dominum timere humiliter, obedire fideliter et diligere ferventer ratione beneficii, quod sibi contulit in creatione, cum eius *esse* fecit insignitum divina imagine, ratione cuius ad haec tria adimplenda habet possibilitatem; ideo tanquam ex debito hoc requirit, cum dicit: *Et nunc, quid aliud Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum?* Ecce, timor humilitatis et subiacentiae; *et ambules in viis eius*, ecce, labor fidelis obedientiae in exsecutione mandatorum, quae nomine *viarum* designantur; *et diligas eum*, ecce, fervor sinceritatis [4] et benevolentiae.

Propter creationem.

Secundo *diliges Deum* propter collationem *multiplicis gratiae in conservatione;* unde in Psalmo [5]: *Qui diligitis Dominum odite malum; custodit Dominus animas sanctorum suorum. — Qui diligitis Dominum*, operando bonum per amorem; *odite malum*, declinando peccatum per timorem, quia per Dei amorem et timorem homines sancti efficiuntur et beneficium custodiae et conservationis a Deo merentur. Unde sequitur: *Custodit Dominus animas sanctorum suorum*, multorum beneficiorum collatione. Ad hanc custodiam et conservationem omnium creaturarum servitia et beneficia concurrunt. Angeli enim ministrant ei, caeli dant ei lucem in die, ut operetur, tenebras in nocte, ut quiescat, et temporum utilem vicissitudinem. Aërem fecit Deus, ut praeberet homini utilem calorem et omne genus avium ei ministraret. Aquam fecit, ut sibi potum tribueret, sordes purgaret, arentia irrigaret et diversitatem piscium ad suum usum nutriret. Terram fecit, ut eum portaret, *pane confortaret et vino laetificaret* [6]. Totus mundus servit homini, quia factus est pro homine. Ratione ergo tantorum beneficiorum, *qui diligitis Deum*, hoc probate per exhibitionem bonae operationis, alioquin de ingratitudine arguemini [7].

Propter conservationem.

Tertio *diliges Dominum Deum tuum* propter donationem *hereditatis perpetuae in glorificatione;* unde in Psalmo [8]: *Domine, dilexi decorem domus tuae et locum habitationis gloriae tuae.* — Iste *decor* nihil alind est nisi divina refulgentia, ex qua micant divini radii splendoris facientes caelum empyreum *domum decoris*, propter refulgentiam divinae claritatis; *et locum habitationis gloriae tuae*, propter communicationem gloriae Divinitatis. O quam illustris et speciosus est iste *decor domus tuae*, Deus, et quanto affectu et desiderio diligendus! O quam felix et sanctus est iste *locus habitationis gloriae tuae*, quanta aviditate appetendus, in quo Deus abundantius se ipsum delectabiliter Beatis perpetualiter communicat in eis habitando per gloriam!

Propter hereditatem.

III. Tertio subinfert: *ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex tota mente tua;* ubi explicans *utilem modum veritatis*, miro et ineffabili modo summus Magister, Christus, docuit, qualiter Deus diligendus, in his tribus vocabulis: *corde, anima* et *mente.* Nam homo Deum non potest diligere, nisi ei uniatur; uniri ei non potest, nisi eum cognoscat, habeat et teneat secundum tres nobiles suas potentias, id est intelligentia, voluntate et memoria, in quibus est Dei imago, secundum Augustinum [9]. Cum

Pars III. utili modo veritati

---

[1] Vers. 13; sequitur Rom. 13, 9. seq.
[2] Cap. 6. n. 9. — Sequitur Eccli. 26, 20.
[3] Vers. 12.
[4] Cod. F *sanctitatis;* sed cfr. pag. 421 col. 1.
[5] Psalm. 96, 10. [6] Respicitur Ps. 103, 16.
[7] De praecedentibus cfr. supra pag. 385, col. 1.
[8] Psalm. 25, 8.
[9] Libr. X. de Trin. c. 11. et 12.

vero *cognoscere* sit intelligentiae, *habere* voluntatis, *tenere* memoriae; ideo necessario ad Deum diligendum actus istarum trium potentiarum debent concurrere, quae nomine *cordis*, *animae* et *mentis* designantur; quoniam intelligentia per *cor*, voluntas per *animam* et memoria per *mentem* secundum Augustinum in hoc loco accipitur. Et sic primo est Deus diligendus *fideliter*, ne intelligentia seducatur erroris falsitate; secundo, *sinceriter*, ne voluntas alliciatur carnis voluptate; tertio, *indesinenter*, ne memoria frangatur operis discontinuitate. Et ista divisio traditur a beato Augustino [1], qui hunc locum ita exponit: « *Ex toto corde*, id est intellectu sine errore; *ex tota anima*, id est voluntate sine contradictione; *et ex tota mente*, id est memoria sine oblivione ». Et sic divina dilectio est illuminativa omnium credendorum; aspernativa, carnalium delectationum; et continuativa, bonarum operationum.

divisio.

Primo *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, id est cum *soliditate fidei* in intellectiva, ne seducaris a fallaciis; unde Deuteronomii sexto [2]: *Audi, Israel, Dominus Deus noster Dominus unus est. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde.* — *Audi, Israel*, fideliter credendo corde, ut nulla aequipares disparia ficte imaginando, alios deos esse. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, efficaciter comprobando opere, ut nulla admittas contraria, eo quod nihil aliud debet per affectum cor alligare praeter eum cui totum cor debetur in dilectione. Unde cum aliquid amamus supra Deum, vel praeter Deum, nequaquam *ex toto corde diligimus eum*. Nam sicut intellectus errat in cognoscendo, ita et affectus in diligendo.

eos dilectos ex to corde.

Secundo *diliges Dominum Deum tuum ex tota anima tua*, id est cum *sinceritate animi* in affectiva, ne alliciaris a blanditiis; unde Canticorum quinto [3]: *Anima mea liquefacta est, ut dilectus meus locutus est* mihi. — Tunc *anima liquescit* a Dei mulcentis mellifiua locutione, sicut *cera, quae fluit a facie ignis*, cum *in* eius *meditatione exardescit igne* divini amoris, et tunc resolvitur in aquam devotionis ad inspirationem et immissionem alicuius radii spiritualis — velut glacies, quae resolvitur ad ardorem ignis materialis — quando est in ferventissimo desiderio et amore solis spiritualis, ut totaliter recolligat se ad interiora nec sit dispersa ad exteriora, ne interponatur aliqua nubes aquosa carnalis frigiditatis, sed immediate recipiat immissionem divinorum radiorum totum cor inflammantium.

m, ex tota anima.

Tertio *diliges Dominum Deum tuum ex tota mente tua*, id est cum *sedulitate studii* in affectiva, ne frangaris ab obsequiis; unde Deuteronomii quinto [4] dicit Dominus: *Quis det, talem eos habere mentem, ut timeant me et custodiant universa mandata mea in omni tempore?* — Ecce, Dominus ostendit affectum suae bonitatis, cum optat in nobis, ut per eius timorem filialis reverentiae continue et indesinenter et sine diminutione adimpleamus eius praecepta, ut impleatur in nobis illud Proverbiorum decimo septimo: *Omni tempore diligit qui amicus est*, quia divina dilectio ratione continuitatis debet esse ad modum mortis et inferni, quia quod semel ab eis capitur, nunquam dimittitur; unde in Canticis: *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio.* Rogemus ergo etc.

ca, ex tota mente.

Sermo II [5].

Solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis, ad Ephesios quarto [6].

In verbis his tria facit Apostolus; hortatur enim primo ad *procinctum debitae operationis*, ibi: *Solliciti*; secundo, ad *zelum fraternae dilectionis*, ibi: *servare unitatem Spiritus*; tertio, ad *nexum evangelicae confoederationis*, ibi: *in vinculo pacis*.

Divisio.

I. Circa primum nota, quod *sollicitari* debemus circa tria, scilicet circa divini *cultus promotionem*; iosue vigesimo tertio [7]: *Estote solliciti, ut custodiatis cuncta, quae scripta sunt in volumine Legis Moysi.* — Interni *status conservationem*; Deuteronomii quarto: *Custodi temetipsum et animam tuam sollicite.* — Afflicti *proximi consolationem*; secundae ad Timotheum primo: *Det misericordiam Dominus Onesiphori domui* etc. *Sollicite me quaesivit et invenit.*

Pars I. Solliciari debemus circa tria.

II. Circa secundum nota, quod debemus *servare Spiritus unitatem* ad *Dominum* dupliciter, scilicet per *studium assimilationis* in voluntatis conformatione; primae ad Corinthios sexto [8]: *Qui adhaeret Domino unus spiritus est.* — Per *amplexum crucis* in terribilium aggressione; Canticorum quarto: *Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa; vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum et in uno crine colli tui.*

Para II. Servanda unitas circa Deum dupliciter.

Ad *proximum* dupliciter, scilicet per *benevolentiam* affectionis; Actuum quarto [9]: *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una.* — Per *subventionem* operis; primae ad Corinthios duodecimo: *Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.*

Item, circa proximum.

Ad *animum proprium* dupliciter: per *integritatem* mentis; Canticorum sexto [10]: *Una est columba mea* etc. — Per *captivationem* carnis; Nehemiae quarto: *Una manu sua faciebat opus et altera tenebat gladium.*

Item, circa se ipsum.

[1] Serm. 108. in appendice (alias 53. de Tempore); de Spiritu et anima (inter opera August.), c. 35. Cfr. etiam Innocent. III, serm. 5. in Communi de uno Martyre, et Bonav., tom. VIII. pag. 125, nota 1.

[2] Vers. 4. seq.

[3] Vers. 6; sequuntur Ps. 67, 3. et 38, 4.

[4] Vers. 29; sequuntur Prov. 17, 17. et Cant. 8, 6.

[5] Ex A fol. 145 v. et B fol. 67.

[6] Vers. 3, ex Epistola huius Dominicae.

[7] Vers. 6; sequuntur Deut. 4, 9. et II. Tim. 1, 16. seq.

[8] Vers. 17; sequitur Cant. 4, 9.

[9] Vers. 32; sequitur I. Cor. 12, 26.

[10] Vers. 8; sequitur II. Esdr. 4, 17.

Ad haec requiruntur tria.

Ad hoc autem, quod *unitas Spiritus* possit tribus modis praefatis servari, requiruntur tria, scilicet *contemptus* mundanae prosperitatis; Ecclesiastae septimo [1]: *Virum de mille unum reperi* etc. — *Gustus* supernae suavitatis; Lucae decimo: *Martha, Martha, sollicita es et turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium.* — *Sensus* perfectae humilitatis; Isaiae quinquagesimo primo: *Unum vocavi eum et benedixi ei et multiplicavi eum.*

Pars III. Ad servandum vinculum pacis requiruntur quatuor.

III. Circa tertium nota, quod ad hoc, quod *vinculum pacis* in familia vel congregatione vel societate valeat custodiri, quatuor haec requiruntur, scilicet *promptitudo obedientiae* in honestis obsequiis; ad Romanos decimo quarto [2]: *Quae pacis sunt sectemur, et quae aedificationis sunt in invicem custodiamus.* — *Fortitudo patientiae* in molestiis perferendis; Psalmus: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus.* — *Mansuetudo eloquentiae* in colloquiis; primi Regum vigesimo quinto: *Et dicetis: Sit fratribus meis et tibi pax et domui tuae pax.* — *Dissimulatio displicentiae* in visis vel auditis vel illatis; Matthaei quinto [3]: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.*

Sermo III [4].

Item, sermo fratris Bonaventurae in Conventu Parisius.

Magister, quod est mandatum magnum in Lege? Ait illi Iesus: Diliges Dominum Deum tuum, Matthaei vigesimo secundo [5].

Quamvis ille Legis doctor tentative proposuerit verba prima, propter responsionem tamen Domini subsecutam ad nostram salutem dedit nobis materiam proponendi ea pie et vere. Unde dicere possumus catholice, quod in verbis his duo tanguntur, scilicet *nobilis quaestio* nostrae salutis, et *salutaris determinatio* per os Veritatis. Divisio.

Circa totum nota, quod cum beatus Dionysius dicat libro septimo paragrapho tertia Caelestis Hierarchiae, quod instructor principalis omnium spirituum est ipse Dominus Iesus; et beatus Augustinus dicat in libro, qui inscribitur de Magistro, quod solus Christus est doctor; ideo merito proprie et vere per excellentiam vocatur *magister* principalissimus *Angelorum* in omni hierarchia; *Beatorum,* in omni gloria; *iustorum,* in omni Ecclesia. Ipse enim gloriam suam communicando Angelis et Beatis in caelo empyreo ad plenum et fontaliter, post beatam Mariam, quae omnium hierarchiarum gaudet fluentiis et gratiis, docet in *caelo* et docet in *terra*. Christus tribus est magister.

Docet in caelo Angelos et Beatos multiplicter.

In *caelo* docet *Seraphim* et Apostolos sursum extendi desideraliter per dilectionem fontalis amoris; *Cherubim* et Doctores alios elevari venerabiliter per contemplationem fontalis splendoris; *Thronos* et Confessores praecipuos sursum deliciari suaviter per fruitionem fontalis saporis; *Dominationes* et Martyres inclytos sursum gloriari reverenter per spirituum nobilitatem in aspectu fontalis creationis; *Principatus* et pontifices reverendos sursum radicari honorabiliter per desideriorum fixionem in aspectu fontalis gubernationis; *Potestates* et reges gloriosos sursum tripudiare triumphaliter per laudum reportationem de victoriis in conspectu fontalis conservationis; *Virtutes* et Virgines gratiosas sursum solidari et conservari mirabiliter per votorum adeptionem in conspectu fontalis remunerationis; *Archangelos* et praedicatores evangelicos sursum glorificari coruscanter per revelationem quam habent continuam irradiationis; *Angelos* et ministros Dei electos sursum exhilarari confidenter per visionem, quam percipiunt in conspectu fontalis communicationis; *homines* et mulieres et pueros, qui non ascenderunt ad angelicos graduș, sursum delectari sufficienter per assecurationem, quam habent de meritis crucifixi Salvatoris in aspectu illius summi et universalis Redemptoris. Pro quibus omnibus et de quibus omnibus dicitur Matthaei vigesimo tertio [6]: *Unus est Magister* in caelis, qui est Christus. — E contrario diabolus docet in inferno contraria et deprimit ad contraria.

Item, in terra.

In *terra* vero docuit et docet: universalem *simplicitatem;* Matthaei decimo [7]: *Estote simplices sicut columbae.* — Universalem *puritatem;* Matthaei quinto: *Beati, mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* — Universalem *paupertatem;* Matthaei quinto: *Beati, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum.* — Universalem *sanctitatem;* Lucae duodecimo [8]: *Lucernae ardentes in manibus vestris.* — Universalem *pietatem;* Lucae sexto: *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est.* — Universalem *veritatem;* Ioannis octavo: *Cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.* — Universalem *humilitatem;* Matthaei undecimo [9]: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* — Universalem *sobrietatem;* Ioannis sexto: *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam.* — Universalem *pacem;* Marci nono: *Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos.* — Universalem *serenitatem;* Lucae decimo octavo [10]: Dicebat autem Iesus: *Quoniam oportet semper orare et non deficere.* — Universalem *caritatem;* Matthaei [11]; Lucae vigesimo primo [12]: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.*

---

[1] Vers. 29; sequuntur Luc. 10, 41. seq. et Isai. 51, 2.
[2] Vers. 19; sequuntur Ps. 119, 6. et I. Reg. 25, 6.
[3] Vers. 9.
[4] Ex A fol. 146 v.
[5] Vers. 36. seq. — Cfr. supra pag. 402, serm. 3.
[6] Vers. 8.
[7] Vers. 16; sequuntur c. 5, 8. et 5, 3.
[8] Vers. 35; sequuntur c. 6, 36. et Ioan. 8, 32.
[9] Vers. 29; sequuntur Ioan. 6, 27. et Marc. 9, 49.
[10] Vers. 1.
[11] Ita codex; capitulum et versiculus desunt. Forsasse respicitur c. 22, 37: *Diliges Dominum Deum tuum* etc. — Deinde adhuc excidisse videtur: *Universalem patientiam.*
[12] Vers. 19.

DOMINICA DECIMA OCTAVA POST PENTECOSTEN.

Sermo I [1].

Surge, tolle lectum tuum et vade in domum tuam, Matthaei nono [2].

Introductio. Quoniam, secundum Philosophum [3], « potentiae distinguuntur sive agnoscuntur per actus vel opera »; hinc est, quod Dominus per opus miraculosum supra naturam fecit cognosci suam potentiam Divinitatis dimittendi peccata, cum solo verbo paralyticum perfectae restituit sanitati, dicens in verbo proposito: *Surge, tolle lectum tuum et vade in domum tuam.* Unde tanquam perfectus medicus corporum et animarum in ipso verbo valde artificialiter procedit, eo quod istis tribus vocabulis, scilicet: *Surge, tolle et vade,* perfecta sanitas tam hominis exterioris quantum ad corpus, quam hominis interioris quantum ad spiritum designatur contra tria mala, quae facit paralysis materialis in corpore, et peccatum, quod est paralysis spiritualis in mente. Nam ista infirmitas reddit hominem corporaliter inhabilem ad standum, impotentem ad operandum et impossibilem ad ambulandum. Ita peccatum suo modo aufert animae *rectitudinem status* per culpam, *fortitudinem actus* per iniustitiam et *promptitudinem motus* per negligentiam; sed Dominus contra ista tria mala praecepit tria bona. Nam primo imperat *rectitudinem status* per desertionem culpae, cum dicit: *Surge;* secundo, *fortitudinem actus* per exsecutionem iustitiae, cum subdit: *tolle lectum tuum,* id est iustitiam, per quam in omni opere exsequi incipias; tertio, *promptitudinem motus* per acquisitionem gloriae, cum subiungit: *et vade in domum tuam;* Glossa [4]: « *Domum* ire est ad paradisum redire », eo quod paradisus est propria habitatio hominis, quia ad hoc factus homo fuit.

Divisio.

I. Dicit ergo: *Surge;* ubi imperat *rectitudinem status* per desertionem culpae, quia anima cadit tripliciter, scilicet per *ignorantiam* erroris, *concupiscentiam* carnis et *violentiam* diabolicae tentationis; et ideo ad hoc, ut habeat rectitudinem status deserendo culpam, attendendum est, ut ab his tribus resurgat: et primo a *tenebris ignorantiae* erroris obcaecantis; secundo, ab *illecebris carnalis concupiscentiae* defoedantis; tertio, a *praesidentiis potestatis diabolicae* opprimentis. Primum habet fieri per aspectum veritatis; secundum, per amplexum castitatis; tertium, per exercitium virtutis.

I. De rectitudine status.

Subdivisio.

Surgendum a tenebris erroris.

Primo, qui vult habere *rectitudinem status* debet *surgere* a *tenebris erroris* et ignorantiae obcaecantis, et hoc per aspectum veritatis; et de hoc dicitur Actuum nono [5]: *Surge et ingredere civitatem, et ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Ecce, quod Paulus persequebatur discipulos Christi zelo Legis ductus, credens, *se obsequium praestare Deo;* sed quia hoc non est ex certa scientia, aut ex malitia, sed tenebratur erroris ignorantia; ideo praecipitur *ingredi civitatem,* per quam congregatio fidelium intelligitur, qui sub eodem iure vivendi sunt collecti, ut ab eis instruatur, *quid eum oporteat facere.* Dignum et iustum fuit, ut qui sapientem se tenebat et ducem aliorum se faciebat, *ad manum* sicut caecus *traheretur* et Ananiae in discipulum traderetur. Propterea maxima fuit violentia in convertendo Paulum, qui ex ignorantia et zelo decipiente rectum credebat quidquid faciebat. Unde Gregorius [6]: « Cum virtus vitium creditur, difficiliter emendatur ». Hinc est, quod hi qui sanctitatem appetunt, in errorem lapsi, tardius convertuntur, rectum aestimantes quidquid faciunt, et sicut extolluntur virtute, sic vitio perseverantiam iungunt.

Item, ab illecebris concupiscentiae.

Secundo *surge* ab *illecebris carnalis concupiscentiae* defoedantis, et hoc per amplexum castitatis; unde Lucae decimo quinto [7]: *Surgam et ibo ad patrem meum et dicam ei: Pater, peccavi in caelum et coram te.* Per istum filium prodigum intelligitur homo luxuriosus; unde et *adolescentior* dicitur, eo quod ad vanitates et ad carnalia delectamenta magis intentus; qui erecta cervice petit *portionem substantiae,* volendo uti libero arbitrio, ut non iam secundum imperium divinae voluntatis, sed secundum nutum voluntatis suae incedat. Unde Beda [8]: « Substantia est omne, quod agimus, vivimus et sapimus, cogitamus et loquimur ». Et Seneca: « Erumpit in petulantiam male dispensata libertas ». Et tunc *abiit in regionem longinquam,* perpetrando peccatum; Glossa [9]: *Abiit in regionem longinquam,* « non locum mutando, sed animum. Quanto quis in pravo opere plus delinquit, tanto a Dei similitudine recedit longinquius ». *Adhaesit uni civium,* id est diabolo, eius voluntatem faciendo; et merito recedens a Dei similitudine accedit ad porcorum, id est daemonum, similitudinem, quos continue pascebat, dum carnis voluptates non deserebat. Propterea expendit omnia bona naturalia *vivendo luxuriose, et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci* comedebant, id est, *cupiebat* adinvenire diversa peccata carnis. « *Siliqua,* ut dicit Glossa [10], est quoddam genus leguminis sonoris follibus et vacuis, quod

[1] Ex Vaticana et C D E F.
[2] Vers. 6.
[3] Libr. II. de Anima, text. 33. c. 4.
[4] Scilicet *ordinaria* apud Lyranum in hunc locum.
[5] Vers. 7; sequuntur Ioan. 16, 2. et Act. 9, 8. et 10.
[6] Regula Pastor., p. III. c. 16.
[7] Vers. 18, 12. 13. seqq.
[8] Libr. IV. c. 63. in Luc. — Sequitur Seneca, l. de Benefic. c. 10.
[9] *Ordinaria* ex Beda, IV. c. 63. in Luc. 15, 13.
[10] *Interlinearis* sumta ex Ambros. in Luc. 15, 16.

ventrem magis onerat quam reficit », et significat delectationes vitiorum, quae satiant et delectant exterius corpus et interius animam non reficiunt, immo onerant. *Et nemo illi dabat*, quia nec his omnibus satiabatur et frequenter, ubi credidit invenire delectationes, invenit amaritudines. Sed tandem, videns se in tantis amaritudinibus et miseriis peccatorum prostratum, *revertitur ad se*, per sui considerationem et peccati recognitionem, et *dicit*: *Surgam*, per mali peccati desertionem sive declinationem; *et ibo ad patrem meum*, per boni inceptionem; *et dicam*, per oris confessionem: *Pater, peccavi in caelum*, propter contemptum Maiestatis divinae omnibus praeeminentis, *et coram te*, propter contemptum Veritatis omnia cernentis; ideo *non sum dignus vocari filius tuus*, propter contemptum bonitatis bonos in filios adoptantis, quem Pater astringit per amplexum caritatis et suscipit ad osculum pacis, proferendo stolam interioris puritatis et indnendo vestem exterioris honestatis.

Item, a praesidentiis crudelitatis.

Tertio *surge* a *praesidentiis crudelitatis diabolicae* opprimentis, et hoc per exercitium virtutis; unde Actuum duodecimo [1]: *Surge velociter; et ceciderunt catenae de manibus eius*. Petrus positus in vinculis ferreis ex diabolica suggestione et sub custodia militum, ut interficeretur, significat peccatorem ligatum vinculis diabolicae fraudis et positum sub custodia daemonum ad perdendum morte damnationis aeternae. Hic autem excitatur ad surgendum angelica admonitione, quia per auxilium virtutis Christi confringentis aereas portas diabolicae custodiae, *ceciderunt catenae*, diabolicae fraudis, *de manibus*, malorum operum *eius*. De his similiter dicitur primi Regum vigesimo primo: *Surrexit David et fugit in die illa a facie Saul*. — *Saul* interpretatur abutens et significat diabolum, qui abutitur creaturis Dei; de cuius potestate bonus *David surgit* per auxilium virtutis Christi, *fugiens* ab eius notitia [2].

Pars II. De fortitudine actus.

II. Secundo in verbo proposito imperat *fortitudinem* actus per exsecutionem iustitiae, cum subdit: *tolle lectum tuum*. Ille habet fortitudinem in exsequendo iustitiam, qui tollit primo a Prophetis et Apostolis *documentum instructivum* fidelis intelligentiae; secundo, a Patriarchis et Virginibus *exemplum inflammativum* caritatis et benevolentiae; tertio, a Confessoribus et Martyribus *auxilium confortativum* longanimitatis et patientiae sive perseverantiae. Et haec tria sunt necessaria omni conditioni, sexui et aetati, scilicet *veritas* fidei dans intelligentiam, *caritas* Christi dans benevolentiam et *longanimitas* spei dans perseverantiam; nullus enim adultus est in statu salutis, nisi habeat fidelem intelligentiam in intellectu, caritativam benevolentiam in affectu et longanimem perseverantiam in effectu.

Subdivisio.

Bene ergo ille habet *fortitudinem* in exsequendo iustitiam, qui tollit primo *instructivum documentum* fidelis intelligentiae; et de hoc potest exponi illud Genesis sexto [3]: *Tolles tecum de omnibus escis, quae mandi possunt*. Quoniam omnia, quae *scripta sunt, ad nostrum doctrinam scripta sunt;* ideo ad hoc, ut possimus evadere iracundiam generalis iudicii, exemplo Noe tollentis omnes escas comestibiles et licitas ad conservationem corporis instruimur spiritualiter tollere ex omnibus verbis sacrae Scripturae, quae possunt iuxta facultatem intelligentiae cedere ad conservationem et salutem animarum.

Requirit documenti fidei.

Item, exemplum caritatis.

Secundo, tolle *exemplum inflammativum* caritatis et benevolentiae; unde Genesis vigesimo secundo [4]: *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, et vade in terram visionis atque ibi offeres eum* mihi *in holocaustum super unum montium, quem monstravero tibi*. — Qui enim vult experiri, utrum diligat Deum, *vadat ad terram visionis*, id est, ingrediatur secreta conscientiae, et ibi videbit, quantum diligat Deum. Si enim paratus est exemplo Abrahae *super unum montium*, *quem Deus monstrat*, id est in aliquo perfecto statu Religionis vel poenitentiae, quem Deus docet inspirando, *offerre* quidquid carnale vel temporale potest eum retrahere [5] et ab amore Dei elongare; maxime excludat a se: primo demulcentiam consanguinitatis; propter quod dicitur: *Tolle filium*, quia *qui amat patrem, aut matrem, aut filium, aut fratrem* vel quemcumque attinentem sibi iure propinquitatis supra Christum, *non est eo dignus;* secundo, avaritiam proprietatis; unde subditur: *tuum;* quoniam, nisi quis *renuntiat omnibus, quae possidet, non potest* Christi *esse discipulus* [6]; tertio, illecebram delectabilitatis; unde addit: *quem diligis*. Solent ista tria attrahere et inclinare hominem ad amorem suum et retrahere ab amore divino, quae omnia exemplo Abrahae debet homo spiritualis a se excludere, ut possit acquirere Dei amorem et amicitiam.

Item, auxilium longanimitatis

Tertio, tolle *auxilium confortativum* longanimitatis et patientiae; unde Lucae nono [7]: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me*. — *Si quis vult venire post me*, ecce, postpositio et subiectio voluntatis; et dicit: *vult*, ut libere et sine coactione hoc faciat; *abneget semetipsum*, ecce, captivatio libertatis, ut non secundum se ipsum, sed secundum Deum vivat; *et tollat crucem suam*, ecce, assumtio poenalitatis, et hoc per patientiam; *et sequatur me*, ecce, directio exemplaritatis, qui tandin clypeum patientiae portavit, donec vitam finivit.

Pars III. De promptitudine motus

III. Tertio in verbo proposito imperat *promptitudinem motus* per acquisitionem gloriae, cum adiungit:

---

[1] Vers. 7; sequitur I. Reg. 21, 10.
[2] Fortasse legendum *praesentia*.
[3] Vers. 21; sequitur Rom. 14, 2.
[4] Vers. 2.
[5] Cod. F legit *distrahere;* infra correximus *excludat* pro *excludendo*, ut constructio sit congrua. — Sequitur Matth. 10, 37. (cfr. Luc. 14, 26.).
[6] Luc. 14, 33.
[7] Vers. 23; cfr. Matth. 16, 24.

vade in domum tuam. Ille cum promptitudine acquirit gloriam qui vadit primo *humiliter* ad deplorandum peccata perpetrata; secundo, *indesinenter* ad acquirendum aeterna munera; tertio, *viriliter* ad superandum diabolica tentamenta. Primum fit per oris confessionem; secundum, per terrenitatis despectionem; tertium, per divinae virtutis protectionem.

Subdivisio.

Primo vade *humiliter* ad manifestandum perpetrata peccata, et hoc per oris confessionem; Lucae quinto [1]: *Vade, ostende te sacerdoti.* In hoc mandato instruit Dominus, sacerdotale officium omnibus esse reverendum et ad curationem peccatorum esse necessarium. Unde quamvis Dominus mundet per interiorem contritionem, nihilominus ad sacerdotale officium legat, cum dicit: *Vade, ostende te sacerdoti.*

De humiliter.

Secundo vade *indesinenter* ad acquirendum aeterna munera, et hoc per terrenitatis despectionem; unde Matthaei decimo nono [2]: *Vade, vende* omnia, *quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo.* — *Vade,* per negligentiae exclusionem; *vende* omnia, *quae habes,* per terrenae substantiae despectionem. Bernardus dicit: *Vende,* non conserva vel commuta, « omnia, non partem »; *et da pauperibus,* propter divinae complacentiae acceptationem, non divitibus, quia tunc Deus non acceptaret; *et habebis thesaurum in caelo,* per aeternae gloriae adeptionem.

Secundo indesinenter.

Tertio vade *viriliter* ad superandum diabolica tentamenta, et hoc per divinae virtutis protectionem; unde Iudith octavo [3]: *Vade in pace, et Dominus sit tecum in ultionem inimicorum nostrorum,* quasi dicat: cum insurgant diabolicae tentationes et suggestiones, non metiaris tuas vires nec intuitu fragilitatis remollescas; sed vade viriliter per virtutum exercitationem, quia tunc *Dominus erit tecum, tanquam bellator fortis,* ad auxilium et protector; *in ultionem inimicorum* tuorum, id est daemonum, *faciendo cum* eorum *tentatione proventum* virtutum, *ut possis superare.* Unde Gregorius [4]: « Nisi misericors Deus nostris viribus tentamenta modificet, nullus est, qui malignorum insidias vitare possit ». Rogemus ergo Dominum etc.

Tertio viriliter.

Sermo II [5].

Dominica decima octava post Pentecosten. Sermo fratris Bonaventurae coram populo Lugduni.

Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quae data est vobis in Christo Iesu, quod in omnibus divites facti estis in illo, primae ad Corinthios primo [6].

In verbis his Christianis et servis Dei Apostolus duo proponit, scilicet dulcem et latum *affectum* ex parte sui ad animarum salutem, et salutarem *effectum* ex parte Dei ad earundem benedictionem. Primum, ibi: *Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quae data est vobis in Christo Iesu,* propter conversionem animarum vestrarum ad divinum cultum et christianitatis propositum sanctum et firmum. Secundum, ibi: *quod in omnibus divites facti estis in illo,* propter abundantiam gratiarum caelestium et donorum divinorum incrementum et cumulum.

Divisio.

I. Circa primum nota, quod exemplo Apostoli in Epistolis suis *gratias* debemus *agere semper Deo* de quatuor, scilicet de beneficio *creationis;* fecit enim nos rationales cum Angelis *ad imaginem* [7] et laudem et gloriam suam; ad Ephesios primo [8]: *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo.* — De beneficio *gubernationis;* regit enim nos intra et extra et assistit in tribulationibus; secundae ad Corinthios primo: *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis.* — De beneficio *vocationis;* vocavit enim nos ad fidem et gratiam et posuit in congregatione electorum; Tobiae decimo tertio: *Benedicite Dominum, omnes electi eius.* — De beneficio *redemptionis;* redemit enim nos de manu diaboli et peccati et inferni; ad Colossenses primo [9]: *Gratias agimus Deo et Patri Domini nostri Iesu Christi, semper pro vobis orantes* etc.

Pars I.

Gratiae agendae de quatuor.

II. Circa secundum nota, quod, iuxta illud Apocalypsis tertio [10], homo in aversione a Deo efficitur: *pauper* propter culpam; *miserabilis* propter inertiam; *caecus* propter ignorantiam et *nudus* propter omnis boni carentiam. E contrario in conversione ad Deum fit *(locupletatus)* divitiis quadriformibus, quae sunt in Christo Iesu, relevantibus quadruplicem defectum praemissum, scilicet divitiis *misericordiae,* quibus ditantur peccatores conversi; *sapientiae,* quibus ditantur meditatores sancti et praedicatores Evangelii; *gratiae,* quibus ditantur innocentes et iusti; *gloriae,* quibus ditantur Angeli et comprehensores beati; ut sic, qui est *pauper* per culpam fiat dives de thesauris misericordiae; *caecus* propter ignorantiam fiat dives de thesauris sapientiae; *nudus* propter gratiae absentiam fiat dives de thesauris gratiae; *miser* propter beatitudinis carentiam fiat dives de thesauris gloriae. Sic ergo quatuor damnabiles paupertates, quae sunt in mundo, relevantur per quatuor divitias excellentes, quae sunt in Domino Iesu Christo.

Pars II.

Paupertates quadriformes.

Divitiae quadriformes.

[1] Vers. 14.
[2] Vers. 21. — Locus Bernardi non invenitur; ultima verba sunt ex Glossa *interlineari.*
[3] Vers. 34; sequitur Ier. 20, 11. et 1. Cor. 10, 13.
[4] Libr. IX. Moral. c. 46. n. 71.
[5] Ex A fol. 147 r.
[6] Vers. 1. seq.
[7] Respicitur Gen. 1, 27.
[8] Vers. 3; sequuntur II. Cor. 1, 3. et Tob. 13, 10.
[9] Vers. 3. seq.
[10] Vers. 17.

Si ergo sumus *pauperes* per culpam, convertamur et fiamus divites divitiis misericordiae; ad Ephesios secundo [1]: *Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo* etc. — *Caeci* propter ignorantiam, convertamur et efficiamur divites divitiis sapientiae; ad Ephesios tertio: *Mihi data est gratia haec in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi* etc. — *Nudi* propter gratiae absentiam, convertamur et fiamus divites divitiis gratiae; ad Ephesios primo: *Gratificavit nos in dilecto Filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum secundum divitias gratiae eius* etc. — *Miseri* propter beatitudinis carentiam, convertamur ad aeternitatis desiderium et suspirium, ut efficiamur divites divitiis gloriae; ad Ephesios primo [2]: *Deus det vobis illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis, quae sit spes vocationis eius, et quae divitiae gloriae hereditatis eius in Sanctis.*

Maior explicatio.

Sermo III [3].

Item, sermo fratris Bonaventurae Parisius, in Capitulo Fratrum.

Ascendens Iesus in naviculam, transfretavit et venit in civitatem suam, Matthaei nono [4].

In verbis his moraliter tria notantur, scilicet *recessus a culpa*, *profectus in iustitia*, *ascensus ad gloriam*. Primum nota in *ascensu naviculae;* secundum, in *transfretatione;* tertium, in *civitatis perventione.*

Divisio textus.

Per *mare* intelligitur praesens saeculum iuxta illud Psalmi [5]: *Hoc mare magnum et spatiosum manibus* etc. — Per *naviculam* poenitentia, iuxta illud Actuum vigesimo septimo: *Nisi hi in navi manserint, vos salvi fieri non potestis.* — Per *civitatem* intelligitur vita aeterna, iuxta illud Apocalypsis vigesimo primo: *Civitas illa non eget sole neque luna, ut luceant in ea; nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna eius est Agnus;* et illud Psalmi [6]: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.*

Explicatio terminorum.

Circa primum nota, quod per *mare* intelligitur praesens saeculum, et hoc, quia instar maris est: *procellosum* propter varietatem temporalium eventuum; Isaiae quinquagesimo septimo [7]: *Cor impii quasi mare ferveus* etc. — *Profundum* propter insatiabilitatem concupiscentialium appetituum; Psalmus: *Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis, ipsi viderunt opera Domini et mirabilia eius in profundo.* — *Periculosum* propter multiformitatem impugnationum hostilium; Ecclesiastici quadragesimo tertio: *Qui navigant mare enarrent pericula eius.*

Maris condiciones tres.

Danielis septimo [8] dicitur, quod *quatuor venti cueli pugnabunt in mari magno, et quatuor bestiae grandes ascendebant de mari diversae inter se.* — Isti *quatuor venti* sunt quatuor genera tentationum, et istae *quatuor bestiae* sunt quatuor genera vitiorum; et isti quatuor venti principales habent octo collaterales, ita quod quilibet habet duos. Ventus enim *orientalis* est cervicositas arrogantiae, cuius collaterales sunt duo, scilicet vana gloria in prosperitate, indignatio in adversitate. — Ventus *aquilonaris* est cupiditas avaritiae, cuius collaterales sunt dolositas in acquirendo et impietas in retinendo. — Ventus *septentrionalis* est foeditas impudicitiae, cuius collaterales sunt gulositas et otiositas. Isti tres sunt principaliores in mundo, secundum illud primae Ioannis secundo [9]: *Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum et superbia vitae.* — Ex istis tamen, quando non possunt haberi, consurgit quartus ventus *occidentalis*, qui est calamitas impatientiae, cuius collaterales sunt accidia et diffidentia.

Quatuor venti significant quatuor tentationes.

Similiter per *naviculam* intelligitur *poenitentia*, quia status eius habet: quantum ad *mensuram* modicitatem humilitatis contra cervicositatem arrogantiae; Sapientiae decimo quarto [10]: *Exiguo ligno credunt homines animas suas et transeuntes mare, per ratem liberati sunt.* — Quantum ad *materiam*, agilitatem paupertatis contra cupiditatem avaritiae; Marci octavo: *Et nisi unum panem non habebant secum in nari;* Actuum vigesimo septimo: *Alleviabant navem, iactantes triticum in mare.* — Quantum ad *iuncturam*, integritatem castitatis contra foeditatem impudicitiae; Lucae octavo [11]: *Ascendit in naviculam et discipuli eius et ait ad illos: Transfretemus trans stagnum*, quod est coenosum etc. — Quantum ad *colligantiam*, soliditatem firmitatis contra pusillanimitatem impatientiae; Marci sexto: *Ascendit ad illos in navim, et cessavit ventus.*

Navicula s. poenitentia cuius quatuor condiciones.

Similiter nota, quod *ascenditur navis* quatuor de causis, scilicet ad *mercandum*, et sic a mercatoribus terram pro caelo commutantibus; Iob nono [12]: *Pertransierunt quasi naves poma portantes, sicut aquila volans ad escam.* — Ad *transfretandum*, et sic a viatoribus ad vitam aeternam festinantibus; Proverbiorum ultimo: *Facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum.* — Ad *piscandum*, et sic a praedicatoribus peccatores ad salutem trahentibus; Lucae quinto: *Ascendens in*

Ascenditur navis ob quatuor causas.

[1] Vers. 4. seqq.; sequuntur c. 3, 8. seq. et c. 1, 6. seqq.
[2] Vers. 17. seq.
[3] Ex A fol. 148 r. et B fol. 68.
[4] Vers. 1.
[5] Psalm. 103, 25; sequuntur Act 27, 31. et Apoc. 21, 23.
[6] Psalm. 86, 2.
[7] Vers. 20; sequuntur Ps. 106, 23. seq. et Eccli. 43, 26.
[8] Vers. 2. seq.
[9] Vers. 16. — Verba *Isti tres sunt* etc. usque *consurgit quartus* sumta sunt ex B.
[10] Vers. 5; sequuntur Marc. 8, 14. et Act. 27, 38.
[11] Vers. 22; sequitur Marc. 6, 51.
[12] Vers. 26; sequuntur Prov. 31, 14. et Luc. 5, 3. seq.

unam navim, quae erat Simonis, dixit ad Simonem: Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam. — Ad *recreandum*, et sic a nobilibus spiritu in Deum scandentibus et laetantibus; Marci sexto [1]: *Ascendentes in navim, abierunt in desertum locum seorsum;* Marci tertio iussit, *ut naviculu sibi deserviret propter turbam, ne comprimerent eum.*

Navis agitatur triplici-ter.

Duo autem sunt, quae elevant animam ad hunc transitum, videlicet *scientia* Scripturarum, quae est sicut *Cherubim;* et *affectus* inardescens in amorem divinum, qui est sicut *flammeus gladius atque versatilis* [2], quibus mediantibus pervenitur in sanctam *civitatem* etc.

Elementa duo.

Sciendum autem est, quod haec navicula in aqua posita aliquando agitatur velificationibus sive *flatibus ventorum*, per quod intelligimus afflatus caelestium charismatum; et hoc refertur ad orationem; velum enim expandere est desiderium in oratione dilatare. — Aliquando *motibus remorum*, per quod intelligimus exercitium spiritualium virtutum; et hoc refertur ad operationem; *remigare* enim est totum se labori spirituali exponere. — Aliquando *tractibus hominum*, per quod intelligimus alligationem regularium statutorum, et hoc refertur ad conversationem; *attrahere* enim est violentiam sibi et viribus suis pro sacris moribus et religiosis usibus facere [3].

DOMINICA DECIMA NONA POST PENTECOSTEN.

Sermo I [4].

Rex autem, cum audisset, iratus est, et missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, Matthaei vigesimo secundo [5].

Quoniam bonitati iudicis attestatur, audito consilio, concitari zelo iustitiae, detestari reum [6] in corde et etiam, si possibilitas adest, punire opere; hinc est, quod Dominus noster ad commendationem divinae aequitatis haec tria per ordinem in verbo proposito

Divisio.

insinuat. Et primum est divinae *iustitiae concitatio;* secundum est *culpae detestatio;* tertium est *poenae inflictio.* Unde divina *iustitia* fuit *concitata* in auditu, *culpa detestata* in affectu et *poena inflicta* in effectu. Primum notatur, cum dicitur: *Rex autem, cum audisset;* secundum notatur, cum additur: *iratus est;* tertium, cum adiungitur: *perdidit homicidas illos.*

1. Concitatio iustitiae, subdivisio.

I. Dicit ergo: *Rex, cum audisset,* ubi notatur *concitatio iustitiae* per auditum. Tunc divina iustitia concitatur, cum audit primo *arrogantiam* detestabilis inobedientiae; secundo, *malevolentiam* impietatis et saevitiae; tertio, *demulcentiam* carnalitatis gulae. Ratione primi contemnitur Deus; ratione secundi offenditur proximus; ratione tertii inficitur corpus.

2. Arrogantia inobedientiae.

Primo concitatur divina iustitia, cum audit *arrogantiam* detestabilis inobedientiae, Deum contemnentis; unde Isaiae trigesimo septimo [7]: *Audiat Dominus Deus tuus verba Rabsacis, quem misit rex Assyriorum, dominus suus, ad blasphemandum Deum viventem et exprobrandum sermonibus, quos audivit Dominus Deus tuus.* — Per *Rabsacem, missum a rege Assyriorum ad blasphemandum Deum,* intelligitur malus Christianus, missus a diabolica suggestione ad peccandum, ratione cuius blasphematur et exprobratur Deus. Unde Beda: « Qui tunc caesus est colaphis ludaeorum nunc caeditur blasphemiis falsorum Christianorum », et qui conspuius est salivis infidelium nunc vesanis opprobriis peccatorum exhonoratur. De hoc similiter dicitur Isaiae decimo sexto [8]: *Audivimus superbiam Moab; superbus est valde. Superbia eius et arrogantia eius plus quam fortitudo eius.* Haec dicit Dominus zelo iustitiae concitatus peccatum eius reprobando.

Secundo concitatur Deus, cum audit *malevolentiam* crudelitatis et saevitiae opprimentis proximum; et de hoc dicitur in hodierno Evangelio [9]: *Reliqui tenuerunt servos eius et contumeliis affectos occiderunt. Rex autem, cum audisset, iratus est, et missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos et civitatem illorum succendit.* — *Reliqui* vero non solum contempserunt venire ad fidem, immo *tenuerunt servos suos,* id est Apostolos capiendo et incarcerando, et *afflictos,* vexatione innumerabilium tribulationum, *occiderunt* corporaliter. *Rex autem, cum audisset vocem sanguinis ad se clamantis de terra, iratus est,* secundum Glossam [10], « in ultionem exarsit », *et missis exercitibus suis,* « scilicet Romanis sub Tito et Vespasiano », *perdidit homicidas illos,* id est « Iudaeos » sanctos « persequentes »; *et civitatem illorum succendit,* scilicet « Ierusalem ». Unde satis « apparet, eam fuisse ex toto succensam et funditus destructam, cum sit modo constructa extra portam, ubi Christus crucifixus fuit », cum locus crucifixionis Christi sit *extra portam* [11] civitatis.

De malevolentia crudelitatis.

Tertio concitatur Deus, cum audit *demulcentiam* carnalitatis gulae inficientis proprium subiectum; unde

De demulcentia carnalitatis.

---

[1] Vers. 32; sequitur c. 3, 9.

[2] Respicitur Gen. 3, 24.

[3] Membra divisionis non sunt tractata, sed potius verba textus exponuntur.

[4] Ex Vaticana et C D E F.

[5] Vers. 7.

[6] Substituimus *reum* pro *eum*.

[7] Vers. 4. — Sequitur Beda, IV. in Matth. 26, 67.

[8] Vers. 6.

[9] Matth. 22, 6. seq.; deinde respicitur Gen. 4, 10.

[10] De his Glossis vide pag. 386, notam 2. et 3.

[11] Respicitur Hebr. 13, 12.

in Psalmo [1]: *Tentaverunt Deum, ut peterent escas animabus suis;* et sequitur: *Audivit Dominus et distulit, et ignis accensus est in Iacob, et ira ascendit in Israel.* — Iudaei carnales et gulosi statim, ut passi sunt famem, appetierunt esse *in terra Aegypti super ollas carnium;* nec adhuc sufficit eis peccare peccato gulae concupiscendo carnalia delectamenta Aegypti, immo adhuc *apposuerunt peccare ei* peccato diffidentiae et blasphemiae male loquendo de Deo, quod non posset *parare* eis *mensam in deserto* [2]. Ideo *audivit Dominus* hanc vocem, et displicuit; sed tanquam misericors *distulit, disponens omnia suaviter,* quousque *escae essent in ore ipsorum,* ut experirentur, *nihil impossibile esse apud Deum* [3], et postea iuste punivit eos, cum *ira Dei ascendit super eos.* Vere gulosi, *quorum Deus venter est* [4], tanto impetu ad cibum bestialiter feruntur, ut nihil cogitent de Deo, sed tantummodo, ut possint ventrem implere, *quorum gloria in confusione est,* propter rationis subversionem.

II. Secundo in verbo proposito notatur *detestatio culpae* in affectu, cum subdit: *iratus est.* Tria sunt, quae detestatur Deus et propter quae irascitur. Primum est *elatio superbiae* in praeeminendo; secundum est *negotiatio avaritiae* in acquirendo; tertium est *defoedatio luxuriae* in lasciviendo. Et hoc dicitur plenius Lucae decimo quarto [5]: Nam unus dixit: *Villam emi;* alius dixit: *Iuga boum emi quinque;* tertius respondit: *uxorem duxi;* hoc est dictu: unus, propter *superbiam* principandi; alius, propter *avaritiam* accumulandi; unde per *iuga boum* intelligitur superflua occupatio quinque sensuum circa terrena; tertius, propter *luxuriam* lasciviendi, provocaverunt iram Dei contemnendo venire.

Pars II. Detestatio culpae.

Subdivisio.

Primo irascitur Deus propter *elationem superbiae* in praeeminendo; unde Threnorum secundo [6]: *Confregit in ira furoris sui omne cornu Israel.* — Per *cornu* intelligitur elatio superbiae, quae nisi humilietur interiori inspiratione, aut exteriori praedicatione, aliquando Deus *in ira furoris sui,* ratione effectus, *confringit,* mortis punitione, secundum quod dicitur Exodi decimo quinto: *Misisti iram tuam, quae devoravit eos sicut stipulam.*

Causa divinae irae prima.

Secundo irascitur Deus propter *negotiationem avaritiae* in acquirendo; unde dicitur in Canonica Iacobi [7]: *Aurum et argentum vestrum aeruginavit; et aerugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus. — Aurum et argentum,* male acquisitum generat *aeruginem,* quando relinquit in anima remorsum conscientiae, cuius *testimonium* quamvis avari in vita ista non sentiant, consopiti aviditate pecuniae, tamen post mortem stat iste remorsus conscientiae, qui *aerugo* et *vermis* appellatur, eo quod ad modum vermis mordebit et colaphizabit interius. *Vermis* reservabitur perpetuo, quia *non morietur, et ignis* poenae infernalis, qui nunquam *exstinguetur,* devorabit *carnes* eorum interius et exterius. Et merito duplici poena avari punientur, qui *thesaurizaverunt sibi iram,* corde concupiscendo et opere rapiendo.

Item, secunda.

Tertio irascitur propter *defoedationem luxuriae* in lasciviendo; unde in Psalmo [8]: *Irritaverunt eum in adinventionibus suis, et multiplicata est in eis ruina;* et sequitur: *Iratus est furore Dominus in populum suum et abominatus est hereditatem suam.* — Istae *adinventiones* sunt visio, cogitatio et affectio, quibus committitur peccatum fornicationis in corde, etiamsi non possit expleri opere, secundum illud Matthaei quinto: *Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam moechatus est eam in corde suo.* Quot enim sunt corporis sensus, tot sunt spiracula, per quae intrant aquae concupiscentiarum ad animam; et nisi ab amore carnalitatis discedatur per mortificationem carnis et omnis occasionis remotionem, Deus adeo in iram provocatur, ut eam propter foetorem luxuriae abominetur.

Item, tertia.

III. Tertio in verbo proposito notatur *inflictio poenae* in effectu, cum subinfert: *perdidit homicidas illos, missis exercitibus suis,* « scilicet Romanis sub Tito et Vespasiano imperatoribus [9] », *perdidit homicidas illos,* scilicet « Iudaeos ». Unde per istos imperatores Ierusalem funditus destructa, et Iudaei occisi et dispersi et venditi, triginta pro uno denario; sicut vendiderunt Christum pro triginta denariis. Infligit Deus poenam et perdit quemlibet triplici de causa: primo, propter *deviationem perfidiae,* sive ignorantiae in discernendo; secundo, propter *desperationem veniae* in diffidendo; tertio, propter *defectionem patientiae* in sustinendo. Et primum est contra veritatem; secundum, contra bonitatem; tertium, contra potestatem.

Pars III. Inflictio poenae.

Subdivisio.

Causa prima, cur Deus perdit.

Primo perdit Deus aliquem propter *deviationem perfidiae* sive ignorantiae in discernendo; unde in Epistola Iudae [10] dicitur: *Iesus populum* suum *de terra Aegypti salvans, secundo eos qui non crediderunt, perdidit.* Quia *omnia contingebant illis in figura,* ideo secundum exhibitam veritatem dicamus: *Iesus populum* suum, scilicet Christianum, *salvavit,* consignatione [11] proprii sanguinis; ipse enim verus est Agnus, cuius sanguinis virtute salvantur Christiani; *de terra Aegypti,* id est de statu erroris

[1] Psalm. 77, 18. 21; sequuntur Exod. 16, 3. et Ps. 77, 17.
[2] Psalm. 77, 19; sequuntur Sap. 8, 1. et Ps. 77, 30.
[3] Respicitur Luc. 1, 37. et sequitur Ps. 77, 31.
[4] Phil. 3, 19.
[5] Vers. 18.
[6] Vers. 3: sequitur Exod. 15, 7.
[7] Cap. 5, 3; dein respicitur Isai. 66, 24.
[8] Psalm. 105, 29. 40; sequitur Matth. 5, 28.
[9] Vide pag. 427, notam 10.
[10] Vers. 5; sequitur I. Cor. 10, 11.
[11] Codices et editio habent *configuratione.*

et infidelitatis per aspectum splendoris et veritatis. *Aegyptus* enim tenebra interpretatur et significat statum infidelitatis, in quo homo tenebris erroris deprimitur. — Item, *eos qui non crediderunt, perdidit*, demergendo eos in profundum inferni per aeternam damnationem. Ad confirmationem huius potest adduci illud Ecclesiastici sexto [1]: *Non te extollas in cogitatione animae tuae velut taurus, ne forte elidatur virtus tua per stultitiam, et folia tua comedat et fructus tuos perdat, et relinquaris velut lignum aridum in eremo.*

Secundo perdit Deus aliquem propter *desperationem veniae* in diffidendo; unde in Psalmo [2]: *Fructum eorum de terra perdes et semen eorum a filiis hominum, quoniam declinaverunt in te mala.* — Illi *declinant mala in* Deum, qui desperantes de divina misericordia, non credunt, se posse consequi suorum veniam peccatorum, quorum fructum operationis et laboris Deus perdit. Unde Judas merito *filius perditionis* interpretatur, qui diffidens de divina pietate, *laqueo se suspendit*. Dicitur etiam, *semen eorum perdi a filiis hominum*, eo quod illud peccatum non est inventum ab homine, sed a diabolo, qui illud seminat *in filios diffidentiae* [3]. Propter hoc dicit Augustinus in libro secundo de Anima et spiritu: « Nemo de pietate Dei diffidat, quia maior est Dei misericordia quam nostra miseria ».

m, causa secunda.

Tertio perdit Deus aliquem propter *defectionem patientiae* in sustinendo; unde Iob decimo octavo [4]: *Quare reputati sumus ut iumenta et sorduimus coram vobis? Qui perdis animam tuam in furore tuo.* — Vere impatiens et furiosus, qui ad quamlibet molestiam sibi illatam vult recalcitrare et rependere vicem, *iumentum* et non homo debet *reputari*, eo quod non regitur discretione rationis, sed fertur bestiali motu sensualitatis; et propter hoc aliquando *sordent* cogitationum malignitate et iudicii temeritate in corde, opprobrii conviciositate in ore, maleficii crudelitate in opere; et tunc *in furore perdit animam suam*. Rogemus ergo Dominum etc.

m, causa tertia.

Sermo II [5].

Dominica decima nona post Pentecosten. Sermo fratris Bonaventurae in Capitulo Parisius.

Renovamini spiritu mentis vestrae et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, ad Ephesios quarto [6].

In verbis his duo facit Apostolus: primo hortatur ad *vetustatis peccati depositionem;* secundo, ad *novitatis Christi assumtionem.*

Divisio.

I. Quantum igitur ad primum dicit: *Renovamini spiritu mentis vestrae.* Debemus autem *renovari* triformiter: primo, secundum gratiam *baptismalem*, quae opponitur vetustati culpae originalis, noviter serviendo renovatis *affectibus;* ad Romanos septimo [7]: *Serviamus in novitate spiritus et non in vetustate litterae;* ad Titum tertio: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti.* — Secundo, secundum gratiam *poenitentialem*, quae opponitur vetustati maculae actualis, noviter sentiendo renovatis *sensibus;* ad Romanos duodecimo: *Reformamini in novitate sensus vestri;* secundae ad Corinthios quarto [8]: *Licet is qui foris est, noster homo corrumpatur; tamen is qui intus est, renovatur de die in diem.* — Tertio, secundum gratiam *finalem*, quae opponitur vetustati poenae gehennalis, noviter vivendo renovatis *moribus;* ad Romanos sexto: *In novitate vitae ambulemus;* Psalmus: *Renovabitur ut aquilae iuventus tua.*

Pars I.

Renovatio triformis.

II. Quantum ad secundum subdit: *et induite novum hominem* etc. Debemus vero *induere Christum, novum hominem*, tripliciter: primo, per *sinceritatem munditiae;* ad Romanos decimo tertio [9]: *Induimini Dominum Iesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis.* — Secundo, per *pietatem benevolentiae;* ad Colossenses tertio: *Induite vos sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiae* etc. — Tertio [10], per *longanimitatem patientiae;* Proverbiorum ultimo: *Fortitudo et decor indumentum eius, et ridebit in die novissimo;* Psalmus: *Ego autem, cum mihi molesti essent, in duebar cilicio.*

Pars II.

Debemus Christum induere tripliciter.

Sermo III [11].

Sermo fratris Bonaventurae in Conventu Perusino.

Nuptiae quidem paratae sunt, sed qui invitati erant non fuerunt digni, Matthaei vigesimo secundo [12].

In verbis his ex ore Altissimi prolatis duo proponuntur, scilicet *Dei* erga genus humanum beatificandum *liberalitas maxima*, in hoc, quod *nuptiae* per eum nobis *paratae sunt;* et *humani generis ingratitudo* nefanda in hoc, quod *qui invitati erant non fuerunt digni.*

Divisio.

Circa totum nota, quod nullus debet se excusare ab invitatione illius aeterni convivii, vel indignum reddere se ad illas aeternas aeterni Sponsi nuptias, pro eo quod nuptiae illae sunt adimplentes omne desiderium naturae humanae. Nam sunt: *gloriosae* fontalitate honoris; Esther secundo [13]: *Iussit*

Nuptiarum praerogativae 4.

[1] Vers. 2. seq.

[2] Psalm. 20, 11; sequuntur Ioan. 17, 12. et Matth. 27, 5.

[3] Respicitur Eph. 2, 2. — Sequitur auctor operis de Spiritu et anima (inter opera August.), lib. II. c. 6.

[4] Vers. 3. seq.

[5] Ex A fol. 149 r. et B fol. 69 v.

[6] Vers. 23. seq.

[7] Vers. 6; sequuntur Tit. 3, 5. et Rom. 12, 2.

[8] Vers. 16; sequuntur Rom. 6, 4. et Ps. 102, 5.

[9] Vers. 14; sequuntur Col. 3, 12. seqq. et Prov. 31, 25.

[10] Codex B tertio loco addit: *per austeritatem poenitentiae; Psalmus* (34, 13.): *Ego autem, cum mihi molesti essent, induebar cilicio.*

[11] Ex A fol. 149 v.

[12] Vers. 8.

[13] Vers. 18.

rex Assuerus, convivium praeparari permagnificum principibus et servis suis pro coniunctione et nuptiis Esther. — *Speciosae* venustate decoris; Apocalypsis decimo nono [1]: *Gaudeamus et exsultemus et demus gloriam ei, quia venerunt nuptiae Agni, et uxor eius praeparavit se.* — *Deliciosae* amoenitate delectationis; Apocalypsis decimo nono: *Beati, qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt.* — *Opulentae* ubertate plenitudinis; Matthaei vigesimo secundo [2]: *Omnia parata sunt; venite ad nuptias.*

Sermo IV [3].

Sermo fratris Bonaventurae populo Assisii.

Renovamini spiritu mentis vestrae et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, ad Ephesios quarto [4].

Duo hic facit Apostolus: primo hortatur ad *vitiorum* universalem *depositionem*, ibi: *Renovamini spiritu mentis vestrae;* secundo, ad *morum* et actuum *Christi assumtionem*, ibi: *et induite novum hominem* etc.

Divisio.

Pars I.

Spiritus renovatur per tria.

I. Circa primum nota, quod *renovatur* quilibet spiritualiter: per omnium *peccatorum detestationem* plenariam; ad Colossenses tertio [5]: *Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem secundum imaginem eius qui creavit illum.* — Per *interiorum* Deo *consecrationem* perfectam; primi Machabaeorum quarto: *Ascendamus nunc mundare sancta et renovare.* — Per *morum ostensionem* mundo praeclaram; primi Machabaeorum duodecimo: *Ionathas misit nos, ut renovaremus amicitiam et societatem secundum pristinum.*

Pars II. Christus induitur per tria.

II. Circa secundum nota, quod *induit* quis *novum hominem*, Christum: per *amoris* totalis *transformationem in* ipsum; ad Romanos decimo tertio [6]: *Induimini Dominum Iesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis.* — Per *veritatis* institialis *aemulationem propter* ipsum; Isaiae quinquagesimo nono: *Iustitia indutus est ut lorica, et galea salutis in capite eius.* — Per *sanctitatis* regularis *operationem iuxta* ipsum; ad Romanos decimo tertio: *Induamur arma lucis. Sicut in die honeste ambulemus.*

Sermo V [7].

Sermo fratris Bonaventurae ad populum Lugdunensem.

Renovamini spiritu mentis vestrae, ad Ephesios quarto [8].

Duo hic facit Apostolus: primo hortatur ad *reformationem interiorum*, cum dicit: *Renovamini;* secundo, ad *sursumactionem desideriorum*, cum subdit: *spiritu mentis vestrae.*

Divisio.

Circa totum nota, quod debemus *renovari* quadriformiter, scilicet sicut *serpens* per *depositionem pellis*, id est omnis *carnalitatis;* ad Colossenses tertio [9]: *Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem secundum imaginem eius qui creavit illum.* — Sicut *cervus* per *depositionem cornuum*, id est omnis *fastuositatis;* Psalmus [10]: *Emittes Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terrae. Sit gloria Domini in saeculum;* et praecedit: *in pulverem suum revertentur.* — Sicut *aquila* per *depositionem plumarum*, id est omnis *vanitatis;* Psalmus [11]: *Replet in bonis desiderium tuum, renovabitur ut aquilae iuventus tua.* — Sicut *phoenix* per *consumtionem sui ipsius*, id est omnis *propriae voluntatis;* secundae ad Corinthios quarto [12]: *Licet is qui foris est, noster homo, corrumpatur, tamen is qui intus est, renovatur de die in diem.*

Renovatio quadruplex.

DOMINICA VIGESIMA POST PENTECOSTEN.

Sermo I [13].

Domine, descende, priusquam moriatur filius meus, Ioannis quarto [14].

Prothema: *Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, Beniamin et Manasse.*

Verba, carissimi, secundo loco proposita, sunt ipsius David, in quibus divinae virtutis superessentialis intelligentia describitur *virtuosa et stabilis* auctoritatis fortitudine, *pretiosa et nobilis* sublimitatis altitudine, *speciosa et delectabilis* claritatis pulcritudine. Quod enim fortitudine auctoritatis sit *stabilis et virtuosa*, tangitur, cum dicitur: *Qui sedes;* altitudine sublimitatis sit *nobilis et pretiosa*, notatur, cum subditur: *super;* pulcritudine claritatis sit *speciosa et delectabilis*, tangitur, cum subiungitur: *Cherubim; Cherubim* enim interpretatur plenitudo scientiae.

Prothema.

---

[1] Vers. 7. et dein v. 9.
[2] Vers. 4.
[3] Ex A fol. 149 v.
[4] Vers. 23. seq.
[5] Vers. 9. seq.; sequuntur I. Mach. 4, 36. et c. 12, 3.
[6] Vers. 14; sequuntur Isai. 59, 17. et Rom. 13, 12. seq.
[7] Ex A fol. 150 r.
[8] Vers. 23.
[9] Vers. 9. 10.
[10] Psalm. 103, 30. 31. et 29.
[11] Psalm. 102, 5.
[12] Vers. 16.
[13] Ex Vaticana et C D E F.
[14] Vers. 49. — Prothema ex C habetur in Ps. 79, 2. seq.

Quia ergo[1] auctoritatis fortitudine *virtuosa et stabilis*, manifestatur *studiosis* sine errore cum rectitudine veritatis; sublimitatis altitudine *pretiosa et nobilis*, manifestatur *fructuosis* sine rancore cum multitudine caritatis; claritatis pulcritudine *speciosa et delectabilis*, manifestatur *gratiosis* cum pulcritudine castitatis. Quod autem caritatis multitudine sine rancore manifestatur *fructuosis*, tangitur, cum dicitur: *munifestare eorum Ephraim;* interpretatur enim *Ephraim* stabilitas et augmentum; veritatis rectitudine sine errore manifestatur *studiosis*, cum sequitur: *Beniamin;* interpretatur enim *Beniamin* filius dexterae vel filius virtutis; castitatis pulcritudine cum pudore manifestatur *gratiosis*, notatur, cum subinngitur: *Manasse;* interpretatur enim *Manasse* obstupescens vel obliviscens et significat illos, in quibus carnis concupiscentia velut oblita stupuit. Cupientes ergo, carissimi, divinum verbum proponere, rogemus omnium bonorum largitorem, ut nos in sui verbi ministerio faciat auctoritatis fortitudine *virtuosos* et stabiles, caritatis multitudine *pretiosos* et nobiles, sanctitatis pulcritudine *gratiosos* et delectabiles, ut tandem stabilibus et virtuosis manifestetur cum rectitudine veritatis, nobilibus et pretiosis manifestetur cum multitudine caritatis, delectabilibus et gratiosis manifestetur cum pulcritudine honestatis sive castitatis animae.

Domine, descende.

Sermo. In isto Evangelio iste regulus, gerens formam praelati, ex cuius regiminis defectu filius, id est subditus eius, infirmatur, ostenditur in verbo proposito ordinate processisse, eo quod in verbo propo-
Divisio. sito primo praemittitur *affectuosa invocatio* excellentis magnificentiae, cum dicitur: *Domine;* secundo additur *discreta insinuatio* imminentis indigentiae, cum subditur: *priusquam moriatur filius meus;* tertio subiungitur *devota petitio* auxiliantis misericordiae, cum subinfertur: *descende.* In primo captat benevolentiam, in secundo manifestat indigentiam, in tertio implorat misericordiam.

1. Dicit ergo: *Domine,* ubi commendat *virtutis*
s 1. Commendatio magnificentiae. *excellentiam* et magnificentiam. Ista autem excellens virtus et magnificentia, quae in hoc vocabulo *Domine* importatur, potest apparere triplici ratione:
bdivisio. primo, ratione *insuperabilis potentiae* in praevalendo; secundo, ratione *inscrutabilis sapientiae* in cognoscendo; tertio, ratione *indicibilis misericordiae* in parcendo; ut sic propter potentiae magnificentiam reddatur terribilis inimicis; propter sapientiae inculentiam, honorabilis domesticis et amicis; propter misericordiae clementiam, desiderabilis miseris et egenis.

Primo istam excellentiam Domini manifestat *vir-*
irtuositas otentiae. *tuositas insuperabilis potentiae* in praevalendo; et de hoc dicitur Esther decimo tertio[2]: *Domine, in ditione tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuae resistere voluntati.* Et ratio est, quia sic Dei voluntati omnis virtus famulatur, ut etiam ex his quae sibi videntur contraria, divinus honor eliciatur, quamvis a malis et peccatoribus hoc non intendatur. Et propter hoc dicebat Psalmus: *Non est similis tui in diis, Domine, et non est secundum opera tua. Omnes gentes, quascumque fecisti, venient et adorabunt coram te, Domine, et glorificabunt nomen tuum in aeternum.*

Secundo istam magnificentiam Domini manife- Profunditas sapientiae. stat *profunditas sapientiae inscrutabilis* in cognoscendo; unde in Psalmo[3]: *Ecce, Domine, tu cognovisti omnia: novissima et antiqua; tu formasti me et posuisti super me manum tuam. Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, et non potero ad eam;* quasi dicat: pro certo tu, *Domine,* habes perfectam scientiam et non potes falli in cognoscendo, eo quod *cognovisti omnia: novissima,* respectu futurorum, *et antiqua,* respectu praeteritorum, cuius dictamine *formasti me,* ut essem quantum ad corpus et spiritum; *et posuisti super me manum tuam,* me confortando, ne redirem in nihilum. Unde Gregorius: « Cuncta in nihilum redirent, nisi divina potentia ea manu teneret ». Et quia ista multiformis sapientia Dei, qua cognoscit praeterita, praesentia et futura, secundum cuius dictamen homo formatur, regitur et gubernatur, non est curiose scrutanda, sed humiliter admiranda; ideo sequitur: *Mirabilis facta est scientia tua ex me, et non potero ad eam.*

Tertio istam magnificentiam Domini manifestat Pietas misericordiae. *pietas indicibilis misericordiae* in parcendo; unde Psalmus[4]: *Miserator et misericors Dominus, longanimis et multum misericors.* — *Dominus* propter benignitatem clementiae est *miserator,* in parcendo faciliter; et ideo non timeas severitatem iustitiae proferentis sententiam. Unde Gregorius: « Novit Dominus mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum ». *Et misericors,* in obliviscendo totaliter; et ideo non timeas immensitatem sapientiae aggravantis culpam; *longanimis,* in exspectando patienter; et ideo, si diu fuisti in peccato, non timeas iudicii severitatem inferentis poenam; *et multum misericors,* in susciplendo clementer; et ideo non timeas altitudinem Maiestatis concitatae ad iram. Unde Augustinus super illud Lucae decimo quinto[5]: *Surgam et ibo ad patrem meum et dicam ei: Pater, peccavi in caelum et coram te* etc.: « Quaecumque necessitas cogat peccatorem ad poenitentiam, non peccati quantitas nec vitae enormitas nec hominis extremitas excludit a venia, si perfecta fuerit immutatio voluntatis; sed in amplissimos sinus caritatis misericordia filios suos prodigos suscipit revertentes ».

---

[1] Supple: intelligentia divinae virtutis.

[2] Vers. 9; sequitur Ps. 85, 8. seq.

[3] Psalm. 138, 5. seq. — Locum Gregorii vide tom. I. pag. 159, nota 2.

[4] Psalm. 102, 8. — Sequens locus est potius Ambrosii, ll. in Luc. n. 33.

[5] Vers. 18. seq. — De loco August. cfr. in Ioan. Evang. tr. 33. n. 8.

Pars II. Insinuatio immanitatis indigentiae. Subdivisio.

II. Sequitur: *priusquam moriatur filius meus;* ubi secundo ostendit *necessitatis indigentiam.* Istam autem indigentiam et necessitatem mortis incurrit homo propter tria: primo, propter *debilitatem potentiae* succumbentis; secundo, propter *caecitatem ignorantiae* deviantis; tertio, propter *poenalitatem miseriae* opprimentis.

Necessitatis mortis ratio prima.

Primo incurrit homo necessitatem mortis propter *debilitatem potentiae* succumbentis; unde Exodi decimo [1]: *Rogate Dominum Deum vestrum, ut auferat a me mortem istam.* Sicut Pharao cognoscens experimentaliter, se non posse resistere tribulationibus a Deo sibi illatis propter debilitatem fragilitatis humanae, sed totaliter succumbere, recurrit ad implorandum suffragium Moysi et Aaron per orationem, ne incurreret mortem corporalem; ita quilibet tribulatus et afflictus, videns experimentaliter, se succumbere nec posse tribulationibus resistere, non debet intuitu fragilitatis remollescere nec in sustinendo suas vires metiri et desperare, sed humiliter per orationem ad suffragia amicorum se convertere, et maxime beatae Virginis. Unde Bernardus in homilia [2]: « Quisquis te conspicis in huius saeculi profluvio magis inter procellas et tempestates fluctuare quam per terram ambulare; respice stellam, voca Mariam. Si iactaris superbiae undis, si fastus, sive avaritia, aut carnis illecebra naviculam mentis concusserit; respice stellam, voca Mariam. Si criminum immanitate turbatus vel conscientiae foeditate confusus, barathro desperationis incipias absorberi; respice ad Mariam; quia ipsa tenente, non cornis; ipsa protegente, non metuis; ipsa duce, non fatigaris; ipsa propitia, pervenis ».

Item, secunda.

Secundo incurrit homo necessitatem mortis propter *caecitatem ignorantiae* deviantis; unde in Psalmo [3]: *Omnem escam abominata est anima eorum, et appropinquaverunt usque ad portas mortis.* — Sicut, quando homo *abominatur omnem cibum*, ut non valeat comedere, de proximo imminet sibi mors, nisi per remedium medicinale adiuvetur; sic anima, quando *abominatur* caelestem *escam* divini verbi, prae nimia delectatione peccati ita absorbetur et obcaecatur, ut tanquam devia et infirma *appropinquet usque ad portas mortis* aeternae, nisi virtute divini verbi sanetur et dulcedine reficiatur et eius lumine dirigatur, ut possit discernere bonum a malo, inter statum culpae et gratiae et differentiam mortis et vitae.

Item, tertia.

Tertio incurrit homo necessitatem mortis propter *poenalitatem miseriae* opprimentis; ad Romanos septimo [4]: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum, Dominum nostrum.* Loquitur Apostolus in persona generis humani et vocat vitam temporalem, in qua opprimitur homo poenalitate multiplicis miseriae, *corpus mortis;* et merito, quia, secundum beatum Gregorium in homilia, « temporalis vita, aeternae comparata, mors est potius dicenda quam vita. Ipse enim quotidianus defectus corruptionis quid est aliud quam quaedam prolixitas mortis »? Ab hac enim poenali vita dicit se liberari per *gratiam Christi* in generali resurrectione.

Pars III. Petitio miseri cordiae.

III. Tertio subiungitur *devota petitio,* cum subinfert: *descende,* ubi implorat pietatis misericordiam. Ergo Deus propter misericordiam pietatis descendit: primo, in carnem ut *virtus potentissima* ad roborandum; secundo, in mentem ut *lux fulgentissima* ad illuminandum; tertio, ad iudicium ut *salus affluentissima* ad glorificandum. Primum est contra debilitatem impotentiae; secundum est contra caecitatem ignorantiae; tertium est contra poenalitatem miseriae.

Subdivisio.

Descensio in carnem.

Primo descendit in *carnem* ut *virtus potentissima* ad roborandum; unde dicitur Exodi tertio [5]: *Descendi in Aegyptum, ut liberem populum meum de manibus Aegyptiorum.* — Tunc *descendit in Aegyptum,* quando poenalitatem humanae miseriae assumsit, ut, patienter sustinendo mala poenae, in nobis deleret mala culpae; et tradendo se manibus Iudaeorum, nos *liberaret de manu Aegyptiorum,* id est daemoniorum; et suscipiendo mortem temporalem, destrueret mortem aeternalem.

Item, in mentem.

Secundo descendit Dominus in *mentem* ut *lux fulgentissima* ad illuminandum; et de hoc dicitur Isaiae sexagesimo quarto [6]: *Utinam dirumperes caelos et descenderes! a facie tua montes defluerent.* — Petiit David, *caelos inclinari* et *montes tangi,* cum dixit: *Domine, inclina caelos tuos et descende; tange montes, et fumigabunt.* Sed Isaias petiit, *caelos dirumpi, et a facie* Christi superbos *deflui;* et tamen uterque Domini descensum desiderabat. *Descendere* enim *Deum* non est divinam similitudinem degradari, sed humanam naturam exaltari. Unde Dominus tunc *caelos,* id est caelestes Angelos, *inclinavit,* cum naturam humanam sibi copulatam super ipsos sublimavit. *Montes* vero *tetigit,* dum carnem habentem defectus humanae naturae assumsit a Patriarchis et regibus, qui ratione sanctitatis et dignitatis per *montes* intelliguntur. Unde, secundum Philosophum [7], « illa se tangunt, quorum ultima sunt simul ». Sed *caelos dirupit,* cum obstaculum, quo prohibebatur genus humanum intrare caelum, removit. *A facie tua,* caelesti, proprietate divini fulgoris insignita, *montes,* id est superbi, *defluent,* id est deserent superbiae altitudinem et sequentur humanitatis assumtae humilitatem. Unde Hieronymus in quadam epistola [8]: « Nisi Christus demonstrasset in vultu ocnlisque aliquod

[1] Vers. 17.
[2] Homil. 2. super *Missus est,* n. 17.
[3] Psalm. 106, 18.
[4] Vers. 24. seq. — Sequitur Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 37. n. 1.
[5] Vers. 8.
[6] Vers. 1; sequitur Ps. 143, 5.
[7] Aristot., V. Physic. text. 22. seqq. (c. 3.) et VI. text. 1.
[8] Epist. 65. (alias 140.) ad Principiam Virg. n. 8.

divinum, nunquam statim secuti enm discipuli fuissent, nec qui ad comprehendendum eum venerant corruissent ». De hoc similiter potest exponi illud Exodi decimo nono[1]: *Totus mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus super eum* tanquam *in igne.* — *Mons Sinai* est quilibet bonus servus Christi, qui debet totus *fumare* interius per dolorosam cordis compunctionem et exterius per lacrymosam oris confessionem merito suorum peccatorum; tunc *descendit Dominus super eum* tanquam *in igne,* ad illuminandum per splendorem veritatis et ad inflammandum per ardorem caritatis.

, ad iu- icium.

Tertio descendit Dominus ad iudicium ut *salus affluentissima* ad glorificandum; et de hoc dicitur primae ad Thessalonicenses quarto[2]: *Ipse Dominus in iussu et in voce Archangeli et in tuba Dei descendet de caelo; et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi.* — *Iste iussus et vox Archangeli et tuba Dei* « nihil aliud est quam vox Filii Dei », secundum Magistrum, quarto Sententiarum distinctione quadragesima tertia[3]; sed nunc *iussus,* nunc *vox Archangeli,* nunc *tuba Dei* vocatur vox Christi propter diversas proprietates, quae in istis tribus vocabulis reperiuntur. Nam vox Christi in die iudicii erit *virtuosa* potestate, et ideo dicitur *iussus,* quasi praeceptum dicet tibi, et in continenti fiet; erit *authentica* auctoritate, et ideo dicitur *vox Archangeli,* id est principis; erit nihilominus *sonora* horribilitate, et ideo *tuba Dei* nuncupatur. Et sic idem multiplici vocabulo exprimitur ad insinuandum illius vocis multiplicem proprietatem et dignitatem. Rogemus ergo etc.

Sermo II[4].

Dominica vigesima. Sermo fratris Bonaventurae in domo Fratrum Praedicatorum Parisius, coram Universitate.

Nolite inebriari vino, in quo est luxuria; sed implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus, ad Ephesios quinto[5].

In his verbis monet Apostolus omnem hominem
Divisio. volentem divinae laudi intendere ad tria, scilicet ad *repellendum impedimentum* mundanae lasciviae, ibi: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria;* ad *acquirendum adiutorium* supercaelicae gratiae, ibi: *sed implemini Spiritu sancto;* ad *depromendum Deo canticum* novae laetitiae, ibi: *loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus.*

Pars I. I. Circa primum nota, quod volentem divinae laudi intendere et studio caelestis sapientiae et exercitio sanctae vitae vacare oportet mundanam lasciviam omnino *fugere.* Ebrietas enim delectationum carnalium quatnor mala haec facit; etenim *tollit memoriam* respectu praeteritorum; tertii Esdrae tertio[6]: *Vinum omnibus hominibus, qui bibunt illud, seducit mentem et non meminit regem nec magistratum.* — *Pervertit intelligentiam* respectu praesentium; Isaiae vigesimo octavo: *Sacerdos et propheta nescierunt prae ebrietate, absorpti sunt a vino, erraverunt in ebrietate et nescierunt videntem, ignoraverunt iudicium.* — *Obnubilat providentiam* respectu futurorum; Lucae vigesimo primo: *Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate.* — *Perturbat sapientiam* respectu aeternorum; Psalmus 7: *Turbati sunt et moti sunt sicut ebrius, et omnis sapientia eorum devorata est.*

Ebrietatis delectationum mala quatuor.

Pars II. II. Qui vult ergo pervenire ad Spiritum, in quo est omnis sapientia et sancta vita, oportet, eum vitare *vinum* delectationis mundi lasciviae, in quo est luxuria. Qui vero vitat ebrietatem vini disponit se ad plenitudinem Spiritus sancti, ad quam invitat Apostolus, cum subdit: *sed implemini Spiritu sancto;* qui quidem cum sit unus in se, est tamen multiformis in operatione, *superexcellenter* residens in capite Christo, *abundanter* in corde vel in corpore mystico, *sufficienter* et pro modulo uniuscuiusque in quolibet viro insto.

Residet Spiritus S. tripliciter.

Pars III. Decem effectus Spiritus S. III. Ascendunt autem effectus Spiritus sancti, quo impleri debemus, ad denarium numerum propter regimen actionum et contemplationum spiritualium perfecte exsequendum inxta numerum mandatorum et iuxta decem differentias psalmorum denario hoc Spiritu decantandorum. Est igitur primus spiritus *compunctionis* amarae, in quo cantandi sunt Psalmi poenitentiales, ut septem illi noti[8]. — Secundus spiritus *compassionis* intimae, in quo cantandi sunt Psalmi passionales, ut: *Deus, Deus meus, respice in me*[9], et similes. — Tertius spiritus *congratulationis* benignae, in quo cantandi sunt Psalmi victoriales, ut: *Exaltabo te, Domine,* et similes. — Quartus spiritus *fortitudinis* inconcussae, in quo cantandi sunt Psalmi confortativi, ut: *Dominus illuminatio mea,* et similes. — Quintus spiritus *rectitudinis* indeflexae, in quo cantandi sunt Psalmi directivi, ut: *Beati immaculati*[10], et similes. — Sextus spiritus *mansuetudinis* gratiosae, in quo cantandi sunt Psalmi consolatorii, sicut Canticum gradnum[11]. — Septimus

[1] Vers. 18.

[2] Vers. 15.

[3] Cap. 2. De hoc et sequentibus cfr. Bonav., ibi Comment. dub. II.

[4] Ex A fol. 151 v. Concordat sermo cod. Tuderlini n. 111. fol. 75 v.; qui quidem est multo diffusior, additis locis Scripturae et explicationibus, sed videtur ab alia manu auctus fuisse, praesertim quia tertia pars, ubi de decantandis psalmis agitur, diverso modo exponitur. Concludit, ceteris omissis, post explicationem *noni spiritus.*

[5] Vers. 18. seq. Ex Epistola huius Dominicae.

[6] Vers. 18. 21; sequuntur Isai. 28, 7. et Luc. 21, 34.

[7] Psalm. 106, 27. [8] In fine Breviarii Romani.

[9] Psalm. 24; sequuntur Ps. 29. et 26.

[10] Psalm. 118.

[11] Scilicet Ps. 119-133; sequuntur Ps. 78. et 93.

spiritus *distinctionis* ansterae, in quo cantandi sunt Psalmi exprimentes divina iudicia, ut: *Deus, venerunt gentes*, et: *Deus ultionum*, et huiusmodi. — Octavus spiritus *discretionis* providae, in quo cantandi sunt Psalmi continentes divina mysteria, ut: *Dixit Dominus* [1], et: *In exitu*, et huiusmodi. — Nonus spiritus *devotionis* sanctae, in quo cantandi sunt Psalmi continentes divina charismata, ut: *Quam dilecta*, et huiusmodi. — Decimus spiritus *exaltationis* divinae, in quo cantandi sunt Psalmi continentes divina praeconia, ut: *Confitemini* [2], *Cantate* [3], et huiusmodi.

Cum itaque decem sint gradus spiritnum, per quos gradus homo tanquam *decima drachma perdita* [4] virtute illius *solis, qui per decem lineas descendit*, ascendit usque ad Deum, ita quod primus ordo compunctionis et poenitentiae competit homini tanquam decimae drachmae perditae, reliqui vero novem ordinibus Angelorum; propterea David Propheta, has *ascensiones in corde suo disponens* [5], quadam mira harmonia spiritualique melodia Psalmos composuit et decantavit in his decem spiritibus tanquam in *psalterio decachordo*. Omnes enim Psalmi, sicut in his spiritibus sunt editi, ita necessario sunt decantandi a nobis. Sicut tamen non est idoneus ad decachordum harmonice tangendum Deo qui non habet exercitium, ut faciliter et concorditer transeat ad sonos diversarum chordarum; sic nec Psalmi recte decantantur ab eo qui non habet spiritum ad transeundum ab uno spiritu praedictorum in alium.

Plura de his decem gradibus Spiritnum.

Sunt itaque Psalmi depromendi a nobis iuxta formam Apostoli: *voce* per vociferationem modestam; Psalmus [6]: *Cantate ei canticum novum, bene psallite ei in vociferatione.* — *Spiritu* per meditationem intentam; Psalmus: *Et lingua mea meditabitur iustitiam tuam, tota die laudem tuam.* — *Mente* per excessivam anagogiam; Psalmus: *Praevenerunt principes coniuncti psallentibus. Ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessu.*

Tres modi depromendi Psalmos.

Sermo III [7].

Sermo fratris Bonaventurae Fratribus de Barcinone.

Implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus, gratias agentes Deo et Patri, ad Ephesios quinto [8].

In verbis his tria facit Apostolus: primo hortatur ad recipiendum *divinum inspirationem*, per quam homo interius reformatur; secundo, ad *fructiferam collocutionem*, per quam proximus aedificatur; tertio, ad *sanctam operationem*, per quam homo totus a Deo acceptatur. Primum, ibi: *Implemini Spiritu sancto;* secundum, ibi: *loquentes vobismetipsis* etc.; tertium, ibi: *gratias agentes Deo et Patri.*

Divisio.

I. Circa primum nota, quod totis viribus nos disponere et praeparare debemus ad *inspirationem divinum*, quia ipsa est quae *illustrat* ad cognitionem veritatis; loannis decimo sexto [9]: *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vobis omnem veritatem.* — *Inflammat* ad amorem bonitatis; Sapientiae duodecimo: *O quam bonus et suavis est, Domine, Spiritus tuus in omnibus.* — *Roborat* ad perpessionem adversitatis; Isaiae undecimo: *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis.*

Pars I. Tres effectus inspirationis divinae.

II. Circa secundum nota, quod debemus loqui verba *aedificatoria* incipientium; secundae ad Corinthios duodecimo [10]: *Omnia loquimur, carissimi, propter vestram aedificationem;* primae Petri quarto: *Si quis loquitur, quasi sermones Dei.* — Verba *consolatoria* tristium; Zachariae primo: *Respondit Dominus Angelo, qui loquebatur in me verba bona, verba consolatoria.* — Verba *commonitoria* delinquentium; ad Titum secundo [11]: *Loquere quae decent sanam doctrinam* etc.

Pars II. Utendum verbis triplicibus.

III. Circa tertium nota, quod *gratias* debemus *agere Deo:* quod nos a peccatorum nexibus *liberavit;* secundi Machabaeorum primo [12]: *De magnis periculis a Deo liberati, magnifice gratias agimus ipsi* etc. — Quod nos in gratia *confortavit;* primae ad Timotheum primo: *Gratias ago ei qui me confortavit, Christo Iesu Domino nostro.* — Quod nobis vitam aeternam *praeparavit;* secundae ad Corinthios nono: *Gratias ago super inenarrabili dono eius.*

Pars III. Gratiae agendae pro tribus bonefciis.

Sermo IV [13].

Sermo fratris Bonaventurae Fratribus Parisiensibus in Capitulo.

Videte, quomodo caute ambuletis, ad Ephesios quinto [14].

In verbis his hortatur Apostolus ad prudentiam vitae secundum Evangelium; quod nt fiat, primo inducit ad *vigilantiam* et attentionem; secundo, ad *sapientiam* et discretionem. Primum, ibi: *Videte;* secundum, ibi: *quomodo caute ambuletis.*

Divisio.

Circa totum nota, quod illi comprobantur *ambulare* sive vivere in hoc mundo *caute* coram Deo, hominibus et Angelis, qui ambulant: per viam *simplicitatis* et innocentiae Deum habendo prae oculis

Viae caute ambulandi septem.

---

[1] Psalm. 109; sequuntur Ps. 113. et 83.
[2] Cfr. Psalm. 104. 105. et 135.
[3] Cfr. Ps. 95. 97. et 149.
[4] Respicitur Luc. 15, 8. seq. et dein Isai. 38, 8.
[5] Psalm. 83, 6; et dein alludítur ad Ps. 143, 9.
[6] Psalm. 32, 3; sequuntur Ps. 34, 28. et 67, 26. 28.
[7] Ex A fol. 151 v. — Cod. hic et infra scribit *Barchilona.*
[8] Vers. 18. seq.
[9] Vers. 13; sequuntur Sap. 12, 1. et Isai. 11, 2.
[10] Vers. 19; sequuntur I. Petr. 4, 11. et Zach. 1, 13.
[11] Vers. 1. seq.
[12] Vers. 11; sequuntur I. Tim. 1, 12. et II. Cor. 9, 15.
[13] Ex A fol. 152 r.
[14] Vers. 15.

solum et nemini nocendo; Genesis quinto [1]: *Ambulavit Henoch cum Deo* etc. — Per viam *pietatis* et devotionis internae caelestia semper ruminando et semper circa divina versando; Genesis decimo septimo: *Ego Deus omnipotens; ambula coram me et esto perfectus;* Genesis quadragesimo octavo: *Deus, in cuius conspectu ambulaverunt patres mei, Abraham et Isaac* etc. — Per viam *puritatis* et sanctimoniae custodiendo animam et corpus in cogitationibus et sermonibus et moribus et consortiis castis; Apocalypsis tertio [2]: *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt;* Psalmus: *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.* — Per viam *pacis* et concordiae cum omnibus communicando, disconvenientes reconciliando et omnes ad pacem trahendo; Malachiae secundo: *In pace et in aequitate ambulavit mecum et multos avertit ab iniquitate.* — Per viam *austeritatis* et poenitentiae coercendo corpus (observando praeceptа) [3] Evangelii, et exercitando ipsum (corpus vigiliis,) orationibus et huiusmodi; (Isaiae vigesimo 4): *Sicut ambulavit servus meus Isaias nudus et discalceatus* — Per viam *veritatis* et sapientiae zelando in se et in aliis institiam Evangelii; Genesis sexto: *Noe vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis; cum Deo ambulavit.* — Per viam *humilitatis* et patientiae in omnibus se annihilando et omnia propter Deum supportando, considerans semper, quod cum toto hoc vix evadit homo, iuxta Psalmum: *In via hac, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi.*

Sermo V [5].

Sermo Bonaventurae Fratribus de Meldis.

Credidit homo sermoni, quem dixit ei Iesus, et ibat, Ioannis quarto [6].

Verbum est Evangelistae Ioannis reguli devoti perfectionem aliis in exemplum proponentis. Ostendit autem ipsius perfectionem: primo, quantum ad *fidei* sive intelligentiae *rectitudinem;* secundo, quantum ad verae *obedientiae promptitudinem.* Primum, ibi: *Credidit homo sermoni, quem dixit ei Iesus;* secundum, ibi: *et ibat.* Divisio.

Quantum ad totum nota, quod exemplo huius reguli debemus *fidei* sive intelligentiae *rectitudinem* et *obedientiae* Evangelii *promptitudinem* conari habere propter quatuor bona, quae inde proveniunt omnibus. Primum est abdicatio inficientis *maculae;* Ioannis undecimo [7]: *Ego sum resurrectio et vita; qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet.* — Secundum est fortitudo proficientis *iustitiae;* Ioannis decimo quarto: *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera, quae ego facio, et ipse faciet.* — Tertium est plenitudo reficientis *gratiae;* Ioannis undecimo: *Omnis, qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum.* — Quartum est altitudo perficientis *gloriae;* Ioannis decimo quarto [8]: *Creditis in Deum, et in me credite. In domo Patris mei mansiones multae sunt.* Quatuor bona fidei rectae.

Sermo VI [9].

Sermo Bonaventurae Fratribus de Barcinone.

Implemini Spiritu sancto, ad Ephesios quinto [10].

Hortatur Apostolus ad *mentis perfectionem* spiritualem et *gratiae consolationem* desiderabilem. Primum, ibi: *Implemini;* secundum, ibi: *Spiritu sancto.* Divisio.

Circa totum nota, quod debemus merito disponi, ut *impleamur Spiritu sancto,* id est Spiritu *evangelicae humilitatis,* sine quo nullum *sacrificium,* nullam orationem Deus acceptat; Danielis tertio [11]: *In animo contrito et spiritu humilitatis suscipiamur.* — Spiritu *supercaelicae veritatis,* sine quo nullum *documentum,* nullum consilium Deus approbat; Ioannis decimo sexto: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* — Spiritu *angelicae honestatis,* sine quo nullum *desiderium,* nullum actum Deus prospectat; ad Romanos octavo: *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei.* — Spiritu *christianae pietatis,* sine quo nullum *caritatis obsequium,* nullum fraternitatis officium Deus remunerat; ad Galatas ultimo [12]: *Qui seminat in spiritu de spiritu metet vitam aeternam;* Sapientiae duodecimo: *O quam bonus et suavis est, Domine, Spiritus tuus in omnibus* nobis! Isaiae undecimo: *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus scientiae et pietatis.* Spiritus quadruplex.

DOMINICA VIGESIMA PRIMA POST PENTECOSTEN.

Sermo I [13].

Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Nonne ergo oportuit, et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum? Matthaei decimo octavo [14].

Prothema. *Ecce, intelliget servus meus, exaltabitur et sublimis erit valde.* Prothema.

---

[1] Vers. 22; sequuntur c. 17, 1. et 48, 15.
[2] Vers. 4; sequuntur Ps. 100, 6. et Mal. 2, 6.
[3] Hic et infra sunt lacunae in codice.
[4] Vers. 3; sequuntur Gen. 6, 9. et Ps. 141, 4.
[5] Ex A fol. 152 v. [6] Vers. 50.
[7] Vers. 25; sequuntur c. 14, 12. et 11, 26.
[8] Vers 1. seq.
[9] Ex A fol. 152 v. [10] Vers. 18.
[11] Vers. 39; sequuntur Ioan. 16, 13. et Rom. 8, 16.
[12] Cap. 6, 8; sequuntur Sap. 12, 1. et Isai. 11, 2.
[13] Ex Vaticana et C D E F.
[14] Vers. 32. seq. — Prothema ex C habetur Isai. 52, 13.

In verbis secundo loco propositis, sumtis de Isaiae quinquagesimo secundo, describuntur tria, quae debent esse in officio praedicationis. Et primum est *sanctitas meriti*, secundum est *veritas fidei*, tertium est *auctoritas officii*. *Sanctitas* ergo *meriti* notatur, cum dicitur: *servus meus; veritas fidei* notatur, cum subditur: *intelliget; auctoritas officii*, cum subinfertur: *exaltabitur et sublimis erit*. Cum igitur, carissimi, licet haec omnia deficiant in me, aliqua proponam dicere ad meam exercitationem (?); idcirco volo habere recursum ad Deum, quatenus ipse mihi dignetur largiri, ut possim aliqua conferre in medium, quae sint ad laudem et gloriam sui nominis benedicti et nostrarum animarum consolationem. Amen.

Serve nequam etc.

Quoniam malignitatis est denegare alteri quod
Sermo. sibi petit exhiberi, hinc est, quod Dominus noster istum servum nolentem sui conservi misereri, qui ad suam petitionem meruit totius debiti condonationem, dure reprehendit in verbo proposito, cum dicit: *Serve nequam* etc.; ubi discrete procedit. Nam
Divisio. primo *increpat perpetratam nequitiam* malignae operationis; secundo *explicat exhibitam misericordiam* benignae propitiationis; tertio *indicat debitam indulgentiam* alienae offensionis. Primum fuit in proximi suffocatione; secundum, in debiti condonatione; tertium, in exempli ostensione. Primo ergo cavenda est perpetratio delicti, quia reprehenditur, cum dicit: *Serve nequam;* secundo petenda est relaxatio debiti, quia conceditur, cum subdit: *omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me;* tertio remittenda est offensio proximi, quod indicitur, cum subinfertur: *Nonne ergo oportuit, et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?*

I. Primo igitur in verbo proposito *increpat per-*
Pars I. Increpatio perpetratae nequitiae. *petratam nequitiam* malignae operationis, et hoc in proximi suffocatione, cum dicit: *Serve nequam*. Incurrit aliquis istam nequitiam, propter quam increpatur,
Subdivisio. triplici de causa: primo, propter *malitiam* pravae cogitationis in corde; secundo, propter *fraudulentiam* deceptoriae locutionis in ore; tertio, propter *saevitiam* alienae offensionis in opere.

Primo dicitur aliquis *nequam* et increpatur pro-
De malitia in corde. pter *malitiam pravae cogitationis* in corde; unde Ecclesiastici vigesimo octavo [1]: *In hominem similem sibi non habet misericordiam et de peccatis suis deprecatur? Ipse, cum caro sit, reservat iram et propitiationem petit a Deo?* — Magna enim nequitia hominis, qui, petens peccati misericordiam, denegat fratri suo; immo, quod malignius est, *cor nequam gravabitur in doloribus*, quandoque cogitationis malignitate, indicii falsitate et suspicationis temeritate, cum propter livorem invidiae contabescit, affligitur et tristatur de proximi prosperitate. Et propter hoc dicebat Dominus Matthaei decimo quinto: Ab intus *de corde* hominum procedunt *cogitationes malae*, ira, nequitia et dolus. Et de hoc similiter potest exponi illud Matthaei sexto [2]: *Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* — Nomine *oculi* accipitur hic intentio voluntatis, quae *si nequam fuerit*, id est corrupta, totum, quod procedit inde, vitiatum est et malum, sicut rami et fructus mali iudicantur, qui procedunt ex vitiata radice.

Secundo increpatur quis et dicitur *nequam* ali-
De fraudulentia in ore. quando propter *fraudulentiam deceptoriae locutionis* in ore; unde in Psalmo [3]: *Firmaverunt sibi sermonem nequam. Narraverunt, ut absconderent laqueos. — Firmaverunt sibi sermonem nequam*, per detractionis et infamationis assuetudinem. Unde aliqui tantum assuescunt quotidie detractioni et infamationi et ita firmant propositum in eis, ut vitium vertatur in naturam. *Narraverunt*, per mutuae voluntatis insinuationem, *ut absconderent laqueos;* quod fit, quando alios sub simulatione zeli iustitiae et spiritus sanctitatis vitae per fraudulentiam et dolum infamant, laedunt et damnificant. Et quia innocentes frequenter incidunt in istos laqueos, ideo dicitur Ecclesiastici vigesimo octavo [4]: *Beatus, qui tectus est a lingua nequam.* — Sed certe, horribile est et omni abomina-
Contra infamatores. tione dignum, quod isti murmuratores, detractores et infamatores, qui scimt *abscondere* istos *laqueos* fraudulentiae et doli, ut alios venentur et capiant nequiter per famae denigrationem, personae laesionem et rerum damnificationem, sunt hodie communiter in amicitia magnatum et praelatorum. Unde talibus praelatis, qui eos libenter audiunt et recipiunt, dicitur Ecclesiastici vigesimo octavo: *Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire et ori tuo facito ostia et seras.* — Et ratio est, quia praelati, qui
Ratio. libenter recipiunt a dextris adulatores et a sinistris detractores, murmuratores et infamatores, etiam zelo iustitiae ducti, frequenter persequuntur bonos, laedunt innoxios et damnificant instos, *arbitrantes, se obsequium praestare Deo*, exemplo Sauli, qui etiam zelo iustitiae ignoranter persequebatur veros Apostolos, credentis, *se obsequium praestare Deo.*

Tertio dicitur aliquis *nequam* et increpatur pro-
De saevitia in opere. pter *saevitiam alienae offensionis* in opere; et de hoc dicitur Isaiae primo [5]: *Vae genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis! Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt Sanctum Israel. — Vae genti peccatrici*, se ipsam in mente nequiter deordinando; *populo gravi iniquitate*, alios in opere crudeliter laedendo. Et bene *gravatur* homo *iniquitate*, quando peccat deordinando se ipsum et postea addit peccare in proximum, laedendo eum. Et propter hoc dicit Augustinus: « Nullus malus laedit alium in persona, nisi prius laedatur

[1] Vers. 4. seq.; sequuntur Eccli. 3, 29. et Matth. 15, 19.
[2] Vers. 23.
[3] Psalm. 63, 6.
[4] Vers. 23; sequuntur v. 28. et Ioan. 16, 2.
[5] Vers. 4. — Sequitur August., Enarrat. in Ps. 7. n. 17.

in conscientia ». *Semini nequam*, in vitiis et peccatis nascendo et crescendo; *filiis sceleratis*, diabolum imitando. *Dereliquerunt Dominum*, ab ipso se avertendo; *blasphemaverunt Sanctum Israel*, ad illicita se convertendo. Unde tunc aliquis *blasphemat* et vituperat *Sanctum Israel*, id est Christum, quando ad eius iniuriam peccata et illicita perpetrat.

II. Secundo in verbo proposito *explicat exhibitam misericordiam* divinae propitiationis, et hoc in debiti condonatione, cum subdit: *omne debitum dimisi tibi*. Propitiatur Deus alicui ratione suae misericordiae et dimittit debitum: primo, propter *vehementiam dolorosae contritionis;* secundo, propter *diligentiam purae confessionis;* tertio, propter *aequipollentiam condignae satisfactionis*. Primum est in affectu, secundum est in affatu, tertium est in effectu.

Primo propitiatur Deus et dimittit debitum propter *vehementiam dolorosae contritionis* in affectu; de hoc enim potest accipi illud Psalmi [1]: *Tribulationes cordis mei multiplicatae sunt, de necessitatibus meis erue me. Vide humilitatem meam et laborem meum et dimitte universa delicta mea*, inquit Propheta in persona viri contriti. — *Tribulationes cordis mei multiplicatae sunt*, per dolorosam cordis contritionem secundum peccatorum maiorem vel minorem cognitionem; *de necessitatibus meis*, scilicet bonorum spiritualium; *erue me*, per charismatum divinorum infusionem. Vel aliter: *de necessitatibus meis*, scilicet difficultatis ad bonum et pronitatis ad malum, quas incurrit homo merito primae praevaricationis; *erue me*, per adinvantis gratiae infusionem. *Vide humilitatem meam*, per oris confessionem me ipsum accusando et peccatum proprium aggravando, contra aliquos, qui propter superbiam in confessione se ipsos iustificant, propria peccata alleviant et aliena gravant; *et laborem meum*, quantum ad operis satisfactionem; *et* tunc et non aliter *dimitte universa delicta mea*, per benignam condonationem.

Secundo propitiatur Deus et dimittit delicta propter *diligentiam purae confessionis* in affatu. Huic convenit quod dicit Psalmus [2]: *Delictum meum cognitum tibi feci et iniustitiam meam non abscondi. Dixi: Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei.* — Loquitur Propheta in persona confitentis sua peccata Deo, cum dicit: *Delictum meum cognitum tibi feci*, scilicet quod erat occultum, tuo vicario, scilicet sacerdoti, manifestando; *et iniustitiam meam non abscondi*, peccata mea dimidiando, vel alleviando. Nam illi *abscondunt iniustitias* et peccata sua, qui, ne videantur multum peccatores, nolunt dicere omnia peccata sua uni sacerdoti, sed aliqua uni, aliqua alteri; et ita per circumstantias peccata alleviant, ut quasi se potius laudent et excusent, quam vituperent et accusent. Quod maximum peccatum desiderabat a se removeri bonus David, cum dicebat [3]: *Non declines cor meum in verba malitiae ad excusandas excusationes in peccatis.* Et quia, licet mediante ministerio sacerdotis peccata remittantur, et quia solus Deus est, qui effective potest dimittere peccata; ideo sequitur: *Dixi: Confitebor*, id est, statim, ut proposui confiteri, etiamsi desit tempus et locus, ut homo non possit recurrere ad confessionem, eo quod in sola contritione remittuntur peccata, secundum beatum Augustinum. In tali casu *tu, Deus*, et non alius, *remisisti impietatem peccati mei*. Unde statim, cum homo proponit confiteri, antequam confiteatur, Deus dimittit peccata. Unde ad confessionem contritus non tenetur propter deletionem peccati, sed tantum propter obligationem praecepti.

Tertio propitiatur Deus et dimittit delictum propter *aequipollentiam condignae satisfactionis* in effectu; unde in Psalmo [4]: *Beati, quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu eius dolus. — Beati, quorum remissae sunt iniquitates*, per veniae condonationem; *et quorum tecta sunt peccata*, per offensae satisfactionem. Unde dicuntur peccata *tegi* et non apparere, quando homo secundum offensam condignam satisfactionem reddit, quia, secundum beatum Augustinum, « non dimittuntur peccata, nisi restituantur ablata ». *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum*, propter poenitentiae assumtionem; *nec est in spiritu eius dolus*, propter innocentiae restitutionem. Unde Augustinus: « Poenitentia est res optima, quae omnes defectus ducit ad perfectum ».

III. Tertio in verbo proposito *indicat debitam indulgentiam*, et hoc in exemplorum exhibitione, cum subinfert: *Nonne ergo oportuit, et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?* Tenetur autem homo alteri misereri tripliciter: primo, ex consideratione *suscepti beneficii;* secundo, ex consideratione *divini exempli;* tertio, ex consideratione *aeterni supplicii*.

Primo tenetur quilibet misereri alteri et dimittere offensam ratione *suscepti beneficii;* et de hoc dicitur in hodierno Evangelio [5]: *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Nonne ergo oportuit, et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum? Et iratus dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum.* Quia detestabile est alteri denegare crudeliter beneficium, quod sibi recognoscit misericorditer exhibitum; propter hoc dignum et instum

ars II. hibitio sericor- diae.

Subdivisio.

II-itum di- mittur pro- r contri- onem.

Item, propter confes- sionem.

Item, propter satisfactionem.

Pars III. Debitum indulgentiae.

Subdivisio.

Propter susceptionem beneficiorum.

[1] Psalm. 24, 17. seq.
[2] Psalm. 31, 5.
[3] Psalm. 140, 4. — Verba infra Augustino ascripta sunt potius Gratiani, C. *Si cui etiam* (30.), de Poenitentia, d. 1. Cfr. Bonav., tom. IV. pag. 423, nota 11.
[4] Psalm. 31, 1. seq. — Sequentes loci Augustini habentur Epist. 153. (alias 54.) ad Macedon. c. 6. n. 20. et III. Hypognost. (inter opera August.) c. 9. n. 17.
[5] Matth. 18, 32. seqq.

fuit, ut ille qui notuit alteri misereri ex consideratione suscepti beneficii in condonatione delicti, increpetur et vituperetur et tanquam indignus suscepto beneficio exspolietur. Unde merito Deus quod exhiberat per misericordiam repetit per iustitiam. Et hoc est quod dicit Ambrosius super illud ad Ephesios quarto [1]: *Estote invicem* etc.: « Si enim Dominus per Filium suum servorum misertus est, quanto magis servi ipsi invicem sui debent misereri et donare, si alter in alterum peccet! Haec praecepta sunt eius qui miseratus est; qui, si in his contemptus fuerit, sine dubio sententiam per iustitiam revocabit, quam per misericordiam dederat ».

Secundo tenetur quilibet misereri et dimittere alteri ex consideratione *divini exempli;* et hoc est quod dicitur ad Ephesios quarto [2]: *Estote invicem misericordes, benigni, condonantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis.* — Apostolus, ut facilius alliciat ad condonandum invicem offensam, inducit quoddam rationabile motivum, scilicet divinum exemplum misericordiae clementer condonantis delicta, cum dicit: *Estote misericordes,* non prorumpendo in iram interius in animo; *benigni,* non irrogando iniuriam exterius in verbo; *condonantes invicem,* non assumendo vindictas celeriter in facto; *sicut et Deus in Christo donavit vobis;* quasi diceret: hoc debetis facere propter exemplum divinae misericordiae ratione passionis Christi clementer condonantis.

Propter divinum exemplum.

Tertio tenetur quilibet misereri et dimittere alteri ex consideratione *aeterni supplicii;* unde Iacobi secundo [3]: *Iudicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam.* Tota illa iudicialis sententia et iudicii discussio erit secundum exhibita opera misericordiae, quae est in condonatione alienae offensae. Et hoc est quod dicitur Lucae sexto: *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est. Nolite iudicare, et non iudicabimini; nolite condemnare, et non condemnabimini. — Nolite iudicare,* proximos in saeculo affligentes; *et non iudicabimini,* in futuro iudicio sententiam evadentes; *nolite condemnare,* innoxios opprimentes; *et non condemnabimini,* ab aeterno iudice gloriam obtinentes; et *beati,* qui volunt esse *misericordes* aliis, secundum quod Deus *misericors est* eis. *In quo enim iudicio alios iudicaut* et damnant, ipsi iudicabuntur et damnabuntur. Rogemus etc.

Propter aeternum supplicium.

Sermo II [4].

Sermo magistri Bonaventurae.

Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Nonne ergo oportuit, et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum? Et iratus dominus eius tradidit eum tortoribus, Matthaei decimo octavo [5].

Introduc

Omnia illa bona caelestia, fratres mei, sub comparatione istorum bonorum terrenorum intelligi habent, nec aliter possunt intelligi. In cuius signum Dominus frequenter de regno suo loquebatur turbis in figuris et parabolis. In Evangelio ergo hodierno recitatur parabola de quodam rege, qui posuit rationem cum servis suis ad similitudinem Regis aeterni, qui est *sapientissimus, benignissimus, districtissimus. Sagacitas* divinae Sapientiae consistit in rerum de nihilo creatione; *benignitas,* in rerum creatarum conservatione; sed *severitas* eius iustitiae apparebit in extremo examine, in operum nostrorum discussione. Ista tria notantur in Evangelio hodierno. Nam eius *sapientia* notatur in hoc, quod prudenter *rationem cum servis suis posuit* [6]; *benignitas* eius in hoc, quod servo supplicanti sibi *omne debitum dimisit; severitas* iustitiae in hoc, quod servum *nolentem* misereri conservi sui crudeliter punivit. Ex istis tribus concludit Dominus in fine huius Evangelii: *Sic et Pater meus caelestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* — His praelibatis, possumus in verbis propositis tria notare: primo, erga servum nequam *largitas divini beneficii.* Hoc tangitur, cum dicit: *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me.* Secundo notatur *opportunitas divini exempli,* cum subdit: *Nonne oportuit, et te misereri conservi tui?* quasi dicat: oportebat. Tertio notatur *praeclaritas divini exempli,* cum subdit: *sicut et ego tui misertus sum.* Ex istis tribus potest quilibet homo perpendere in corde suo, si est *bonus* servus, vel *nequam;* si est bonus servus, est in via salutis; si nequam, in via damnationis. Et quia « privationes cognoscuntur per habitus [7] », videamus, qui est servus *bonus,* ut videamus, *qui* est servus *nequam.*

Divisio. D tribus qua tatibus se boni et ma

Nota, quod *servus bonus* dicitur tripliciter: quando est *gratus* de divinis beneficiis, quando est *obediens* divinis praeceptis et quando est *configuratus* divinis exemplis; econtra servus *nequam* est qui est *ingratus* de Dei beneficio, *non obediens* divino mandato, *non configuratus* divino exemplo.

Pars I. Primo, de boni servi triplici gra titudine.

I. Circa primum nota, quod *servus bonus* dicitur *gratus de Dei beneficio* tripliciter: primo, quando *recognoscit* beneficium sibi gratis a Deo impensum; secundo, quando *recompensat* gratuitae dilectionis affectum; tertio, quando *multiplicat* talentum sibi a Deo commissum. Econtra *servus nequam* est qui ista tria bona non facit.

---

[1] Vers. 32. — Sententia Ambrosii est in Comment. ad Eph. 4, 32. (inter opera Ambrosii).

[2] Vers. 32.

[3] Vers. 13; sequuntur Luc. 6, 36. seq. et Matth. 7, 2.

[4] Sumtus est ex codice Parisiensi biblioth. Nationalis n. 14952, ubi inscribitur: *Sermo magistri bonaventure. Dominica XXII;* sed in Missali Romano textus sumtus est ex Evangelio Dominicae XXI.

[5] Vers. 32. seqq.

[6] Matth. 18, 24. 25; et infra v. 35.

[7] Aristotelicum principium, verbotenus apud Averroem in III. de Anima, text. 25; cfr. Bonav., tom. III. pag. 802, nota 8.

quodo in quinquenalio.

De primo dicit Isaias quinquagesimo secundo [1]: *Ecce, intelliget servus meus, exaltabitur et elevabitur et sublimis erit valde.* — Dicit primo: *intelliget*, hoc est, plenam intelligentiam a Deo accipiet; quando enim homo cognoscit humiliter propriam infirmitatem suam, eo quod nihil boni habet a se ipso, immo a Deo habet, quidquid boni habet, a se tantum peccata sua; tunc accipit plenam intelligentiam divinae bonitatis. Et tunc *elevatur*, per gratiae Dei affluentiam, *et sublimis erit*, per visionis Dei plenariam fruitionem.

servo increato.

Econtra de *servis malis* dicitur in Iob vigesimo primo [2]: *Qui dixerunt Deo: Recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus. Quis est Omnipotens, ut serviamus ei? Et quid nobis prodest, si oraverimus illum?* — O insani homines, qui sic dicunt! Non est maior insania quam *recedere a Deo*, in quo est tota dulcedo, qui *neminem vult perire*, sed omnes, quantum est de se, cupit salvare. Tales sunt insipientes et vecordes, sine corde; ideoque rei facti sunt in cogitationibus suis; mali sunt servi isti.

ditudo in compensando.

Secundo est *servus bonus*, qui *recompensat* gratuitae dilectionis affectum. Talis servus erat David, qui dicebat [3] de se ipso: *O Domine, quia ego servus tuus; ego servus tuus et filius ancillae tuae.* Bis dicit: *ego servus tuus:* primo, *servus tuus, ad imaginem* et similitudinem tuam *creatus;* item, *servus tuus*, quia *pretioso sanguine tuo redemptus; et filius ancillae tuae*, matris Ecclesiae, in qua per baptismum, vel per poenitentiam sum iustificatus; vel *filius ancillae tuae*, Virginis Mariae, quae de se ipsa ait: *Ecce, ancilla Domini* [4], per quam tibi credo esse reconciliatus. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi?* [5] Ad *imaginem suam* me creavit, *sanguine suo pretioso* redemit, iustificavit, quando *corpus meum* fragile *corpori claritatis suae configurabit;* si in me fecerit. Quid ei possum pro tot et tantis *retribuere?* Certe illud quod subditur: *Calicem salutaris accipiam*, hoc est, me ipsum totum suo servitio impendam. Non plus possum dare ei quam me ipsum. Utinam quilibet nostrum diceret illud quod dicebat Tobias innior Angelo Raphaeli, quem putabat esse hominem: *Azaria, frater, si me ipsum tradam tibi servum, non ero condignus providentiae tuae!* O Domine Deus! si me ipsum tibi servum tradam, non sum dignus gratiae tuae. Ideo dicebat beatus Anselmus [6]: « O Domine, quia me fecisti, debeo amori tuo me ipsum totum; quia me redemisti, debeo me ipsum totum; quia tantum promittis, debeo me ipsum totum, immo tantum debeo amori tuo plus quam me ipsum, quantum tu maior es me, pro quo dedisti te ipsum ».

De servo ingrato.

Econtra de *servo nequam* in Ecclesiastici trigesimo tertio [7]: *Servo malevolo tortura et compedes*, quando *ligatus manibus et pedibus* proiicietur *in tenebras exteriores*, quia ista non cognoscit.

Gratitudo in multiplicando talentum.

Tertio est *servus bonus*, qui *multiplicat* sibi talentum a Deo commissum; de hoc Matthaei vigesimo quinto [8]: *Homo quidam, peregre proficiscens, vocavit servos suos et unì dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum.* — Per ista *talenta* intelligo Dei dona, quae dat Deus servis suis, ita quod per *unum talentum* intelligo timoris filialis donum, quo sicut boni filii debemus Deum Patrem timere; *duo talenta* sunt duo legis praecepta: amor Dei et proximi; *quinque talenta* quinque dona, quae possunt comprehendi ad modum quinque sensuum corporis: visus, gustus, auditus, odoratus et tactus, ut, sicut mediantibus quinque sensibus corporis videmus haec corporalia, ita spiritualiter videamus per eosdem bona illa aeterna. Fidelis et *bonus* est ille *servus*, qui ista quinque talenta multiplicat.

De servo ingrato.

Econtra de *servo nequam* dicitur in Lucae decimo nono [9]: *Domine, ecce*, pecunia *tua, quam habui repositam in sudario. Timui enim te, quia homo austerus es.* Cui Dominus: *De ore tuo te iudico, serve nequam* etc. Ex quibus verbis duo colliguntur: humana *nequitia servi*, cum dicit: *De ore tuo te iudico, serve nequam;* et *superabundans misericordia Dei*, cum subdit: *Omni habenti dabitur, et abundabit.* Tanta est Dei misericordia, quod non solum de bonis hominibus facit bonos, sed de malis bonos. Nullus est ita malus, quod non faciat Deus bonum, nisi sit in malitia obstinatus.

Pars II. De boni servi obedientia pura.

II. Secundo est *servus bonus*, qui est *obediens divinis praeceptis*, et hoc triplici obedientia: *pura, prompta, perfecta.* — *Pura* est obedientia, quae non quaerit temporale *lucrum* nec corporale *solatium* nec *honorem* privatum. Talis servus fuit Moyses, quia in educendo populum Israel de Aegypto non quaesivit *temporale lucrum* nec *carnis solatium* nec *honorem privatum.* — Econtra multi sunt *infideles*, qui ista quaerunt, quidam, *temporale lucrum*, ut avari et cupidi; alii, *carnis solatium*, ut gulosi et luxuriosi; alii, *honorem privatum*, ut superbi et elati. De talibus ait Apostolus ad Philippenses tertio [10]: *Multi ambulant, quos saepe dicebam vobis, nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est*, quod gulosos et voluptuosos; *et gloria in confusione ipsorum*, quod superbos; hi *qui terrena sapiunt*, quod avaros.

De servo inobediente.

Item, de obedientia prompta.

Est alia obedientia *prompta*, quae nec habet aliquid *falsitatis* admixtum nec *imbecillitatis* nec *tarditatis*. Talis fuit obedientia Samuelis, qui in puerilia

[1] Vers. 13.
[2] Vers. 14. seq.; infra respiciuntur Matth. 18, 14. et II. Petr. 3, 9.
[3] Psalm. 115, 16; dein respiciuntur Gen. 1, 27. et I. Petr. 1, 19.
[4] Luc. 1, 38.
[5] Psalm. 115, 13; respicitur Phil. 3, 21. et sequitur Tob. 9, 1. seq.
[6] Meditatio 11. in fine.
[7] Vers. 28; deinde respiciuntur Matth. 22, 13. et 25, 30.
[8] Vers. 14. seq.
[9] Vers. 20-22; et infra v. 26.
[10] Vers. 18. seq.

De servo inobediente.

incepit servire Domino [1]. — Aliquorum est obedientia *tarda* et *imbecillis*, qui de die in diem procrastinant venire ad Dominum, deliciose viventes in iuventute, exspectantes facere poenitentiam in senectute, ignorantes quod dicit Sapiens [2]: *Qui delicate a puerilia nutrit servum suum postea sentiet eum contumacem.* — Quidam servus fuit, qui rogavit dominum suum, ut ter leniter eum moneret, si male faceret, et post trinam monitionem, si in malo perseveraret, acrius verberaret. Prima vice, secunda et tertia dominus leniter corripuit servum suum, et cum videret, eum in malo obstinatum, crudeliter verberavit eum usque ad sanguinis effusionem. Ita diabolus non statim verberat peccatores, donec crudelius verberabit in inferno. Econtra de bono servo dicitur in Threnis [3]: *Bonum est viro, cum portaverit iugum*, scilicet poenitentiae, *ab adolescentia sua.*

Item, de obedientia perfecta duplíciter.

Est alia obedientia *perfecta*, et ista consistit in duobus: in *mandatorum Dei impletione* et in *consiliorum erogatione.* Propter primum dicitur in Matthaei decimo nono [4]: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Propter secundum dixit Dominus cuidam inveni volenti se sequi: *Unum*, ait, *tibi deest: Vade, quaecumque habes vende et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo; et veni, sequere me* etc.

Pars III. De boni servi conformitate cum Christo triplici.

III. Tertio, carissimi, est *bonus servus*, qui est *configuratus divinis exemplis*, et hoc, ut Christum imitetur quoad tria: quoad *profectum virtutis*, quoad *exemplum humilitatis*, quoad *egressum libertatis.*

De prima.

Primo, quoad *profectum virtutis.* Talis servus fuit Caleb, cui Dominus testimonium perhibet [5]: *Servum meum Caleb, qui plenus alio spiritu, secutus est me, inducam in terram hanc.* Dicit: *Servum meum introducam in terram* promissionis; alios non introduxit, quia murmuraverunt contra Dominum. Unde nullus murmurator regnum caelorum intrare potest; soli homines virtuosi et humiles ipsum introeunt.

De secunda.

Secundo, ad *exemplum humilitatis*, sicut Dominus discipulis suis post ablutionem pedum suorum dicebat [6]: *Amen, amen, dico vobis: Non est servus maior domino suo.* Et beatus Gregorius Papa [7], ut virtutem humilitatis commendaret, in principio epistolarum suarum ita scripsit: « Gregorius episcopus, servus servorum Dei » etc.

De tertia.

Item, quoad *egressum libertatis*, exemplo Pauli Apostoli, qui dicebat primae ad Corinthios nono [8] de se ipso: *Cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci.* Sicut maxima servitus est servire diabolo, ita maxima libertas est servire Deo; quia ei « servire est regnare ». Quod nobis etc.

Sermo III [9].

Dominica vigesima prima. Sermo Bonaventurae Fratribus, Parisius in Capitulo.

Assimilatum est regnum caelorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis, Matthaei decimo octavo [10].

Divisio.

Invitat hic Dominus ad pietatem et benignitatem fraternam sub metaphora *similitudinis congruentis* et *examinis deterrentis*; quorum primum repraesentat aliquid, quod legitur in Ecclesia; secundum vero id quod agetur in disceptatione extrema.

Pars I.

I. Circa primum nota, quod *rex* iste est Dei Filius sive tota Trinitas; *regnum* vero *caelorum* ipsi caelesti Regi conforme nihil aliud est quam deiformitas impressa animae rationali, per quam superfertur omnibus rebus creatis et in caelo figitur, stabilitur et collocatur; et ista deiformitas fit in anima per triplicem influentiam regis in regnum suum, scilicet per influentiam *informantem*, et hoc fuit in hominis conditione; Matthaei decimo tertio [11]: *Simile factum est regnum caelorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo.* — Per influentiam *restaurantem*, et hoc fuit in hominis reformatione; Matthaei vigesimo secundo: *Simile factum est regnum caelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.* — Per influentiam *remunerantem*, et hoc erit in hominis glorificatione, et de illa habetur hic.

Triplex influentia.

Pars II.

II. Circa secundum nota, quod *Rex* ille *regum et Dominus dominantium* [12] ponet rationem et requiret de quatuor, scilicet de *muneribus collatis* quantum ad naturam, quantum ad industriam, quantum ad veniam, quantum ad gratiam; sive quia contulit nobis: *mundum* ad speculum, *Angelos* ad ministerium, *Filium* proprium in pretium, *Spiritum sanctum* in pignus hereditarium; sive quia contulit nobis: *elementa* ad corpus perficiendum, *elementata* ad sustentandum, *caelestia* ad considerandum et conservandum, *supercaelestia* ad possidendum. De hoc habetur ad Romanos decimo quarto [13]: *Unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo.*

Ratio regi ritur prim de muneribus collatis

Secundo, de sermonibus prolatis.

— De *sermonibus prolatis*, scilicet si fuerint veri, utiles, honesti, benigni; et de hoc habetur Matthaei duodecimo [14]: *Dico autem vobis, quod omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii.* — De *operibus perpetratis*, scilicet si fuerint iusta, discreta, temperata, fortia; et de hoc habetur Lucae decimo sexto: *Redde rationem villicationis tuae; iam enim non poteris*

Tertio, de operibus perpetratis.

[1] Libr. I. Reg. 1, 24. seqq.
[2] Prov. 29, 21.
[3] Cap. 3, 27.
[4] Vers. 17; sequitur Marc. 10, 21.
[5] Num. 14, 24. [6] Ioan. 13, 16.
[7] Cfr. S. Gregorii vita, auctore Ioan. Diacono, lib. II. c. 1.
[8] Vers. 19. — Sequitur Glossa Lombardi et *interlinearis* in Rom. 1, 1; cfr. Ambros., Exhortat. virginit. c. 1 n. 3.

[9] Ex A fol. 153 r. et B fol. 69, qui tamen partes tres coniungit dicens: « Circa totum nota »; unde passim in verbis differt.
[10] Vers. 23.
[11] Vers. 24; sequitur c. 22, 2.
[12] Apoc. 19, 16.
[13] Vers. 12.
[14] Vers. 36; sequitur Luc. 16, 2.

villicare. — De *temporibus expensis,* scilicet si mane fuit in exaltatione divina; meridies, in aedificatione fraterna; sero, in compunctione interna; nox, in contemplatione superna; et de hoc habetur primae Petri quarto [1]: *Qui reddent rationem ei qui paratus est iudicare vivos et mortuos.*

misericordia tripliciter exhibenda.

Quoniam autem non sufficimus ad reddendam rationem secundum institiam, et necesse est, ut petamus misericordiam, sciendum est, quod, ut fiat nobis misericordia, debet hic quilibet misericordiam: primo, *sibi ipsi;* Ecclesiastici trigesimo [2]: *Miserere animae tuae, placens Deo* etc.; ad Romanos secundo: *An ignoras, quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit?* — Secundo, *fratri iniurianti;* Lucae sexto: *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est.* — Tertio, *pauperi indigenti;* Iob trigesimo primo [3]: *Ab infantia mea crevit mecum miseratio et de utero matris meae egressa est mecum.* — Quarto, *domestico morienti* (?); Iob sexto: *Qui tollit ab amico suo misericordiam timorem Domini derelinquit.*

DOMINICA VIGESIMA SECUNDA POST PENTECOSTEN.

Sermo I [4].

Magister, scimus, quia verax es et viam Dei in veritate doces, Matthaei vigesimo secundo [5].

Prothema. *Disciplina tua, ipsa me docebit.*

Prothema.

Quia solet interior homo corrumpi sive per *amorum suavitatem* respectu concupiscibilis, sive per *honorum vanitatem* respectu irascibilis, sive per *verorum sublimitatem* respectu rationalis; idcirco iure religiosi cuinslibet integritas sufficienter describitur in verbis secundo loco propositis et quantum ad reformationem concupiscibilis per *nominis congruitatem,* et quantum ad humiliationem irascibilis per *muneris proprietatem,* et quantum ad illustrationem rationalis per *operis strenuitatem. Nominis* ergo *congruitas* quantum ad reformationem concupiscibilis, ne contingat, ipsam obliquari, tangitur, cum praemittitur: *Disciplina; muneris proprietas* ad humiliationem irascibilis, ne contingat, ipsam elevari, tangitur, cum sequitur: *tua; operis strenuitas* ad illustrationem rationalis, ne contingat, ipsam obfuscari, tangitur, cum dicitur: *ipsa me docebit.* Ut ergo, carissimi, nostri sermonis propositio ad Dei laudem cunctis audientibus placeat et placendo cum mentis salute proficiat; deprecemur omnium bonorum largitorem, ut ipse sua gratia et pietate ad laudem et honorem Virginis, gloriosae suae Matris faciat nos *reformatos* in concupiscibili, *humiliatos* in irascibili et *illuminatos* in rationali, ut sic reformati in affectu, humiliati in effectu et illuminati in intellectu, possimus aliqua proferre in medium, quae sint ad laudem et gloriam Domini nostri Iesu Christi et consolationem animarum nostrarum. Amen.

Magister, scimus, quia verax es etc.

Sermo.

Quia maiori laudi attestatur non solum commendari ab amicis, verum etiam ab inimicis; ideo non debet nos movere, quod in Evangelio miseri ludaei ipsam Veritatem, Dominum nostrum, ore confitentes, non tamen corde diligentes, extollant, cum dicunt in verbo proposito: *Magister, scimus, quia verax es* etc. In quo quidem verbo extollunt et commendant Christum: primo, ab *officii dignitate;* secundo, a *dicti soliditate;* tertio, a *documenti utilitate.* Ratione primi est humiliter *reverendus;* ratione secundi, firmiter *credendus;* ratione tertii, sinceriter *diligendus.* Primo, inquam, extollunt et commendant eum a venerabili *dignitate officii,* cum dicunt: *Magister;* secundo, a credibili *soliditate dicti,* cum subdunt: *scimus, quia verax es;* tertio, ab amabili *utilitate documenti,* cum subinferunt: *et viam Dei in veritate doces.*

Divisio.

Pars I. A dignitate officii revereendos.

I. Dicunt ergo ludaei: *Magister,* ubi primo commendatur Christus a *dignitate officii,* propter quam est humiliter *reverendus.* Ista dignitas venerabilis officii Dei nostri apparet propter tria, quae excellenti modo habet in ipso. Nam primo habet *luculentiam claritatis scientiae* in cognoscendo infallibiliter; secundo, *efficaciam virtuositatis facundiae* in exprimendo utiliter; tertio, *eminentiam sanctitatis vitae* in merendo salubriter. Et haec tria sunt necessaria cuilibet docenti et praedicanti, scilicet scientia regulans, facundia exprimens et vita utrumque confirmans. Nam docere sive praedicare sine scientia regulante est periculosum, sine facundia exprimente est infructuosum et sine vita utrumque confirmante est ignominiosum.

Subdivisio.

Christus reverendus ob infallibilem scientiam.

Primo igitur Christus tanquam excellens magister ratione *dignitatis officii* est humiliter reverendus, quia habet *luculentiam claritatis* in cognoscendo *infallibiliter,* ratione cuius per excellentiam dicitur de ipso Matthaei vigesimo tertio [6]: *Nec vocemini magistri super terram; quia magister vester unus est, Christus.* Unde nullus debet *vocari* et dici *magister* nisi solus Christus. Et ratio est, quia nullus potest docere, res esse scibiles alteri, nisi sit *immutabilitas* ex parte scibilis, *certitudo* sive infallibilitas ex parte scientis [7]. « Omne enim, quod scitur, secundum Philosophum [8], necessarium est in se sine

Ratio 1.

[1] Vers. 5.
[2] Vers. 24; sequuntur Rom. 2, 4. et Luc. 6, 36.
[3] Vers. 18; sequitur c. 6, 14.
[4] Ex Vaticana et C D E F.
[5] Vers. 16. — Prothema ex C habetur Ps. 17, 35.
[6] Vers. 9. seq.
[7] Cfr. Bonav., tom. V. de Scientia Christi, q. 4. in conclusione, et Sermo *Christus unus omnium Magister,* n. 7. 9.
[8] Aristot., I. Poster. c. 2. et c. ult., VI. Ethic. c. 3. 6. et I. Phys. text. 1.

mutabilitate, et certum est ipsi scienti. Tunc enim scimus, cum causam arbitramur cognoscere, propter quam res est, et scimus, quoniam ipsius est causa, et quoniam impossibile est aliter se habere ». Ex parte enim creaturae cuiuscumque non est immutabilitas. Unde cum res habeant esse in proprio genere et humana mente et in aeterna ratione [1], et earum *esse* sit mutabile primo et secundo modo, eo quod omne creatum vertibile, et immutabilitas solum sit in Filio Dei, qui est ars et ratio omnium viventium; necessario sequitur, quod res scibiles nullo modo habeant immutabilitatem, nisi prout sunt in Verbo aeterno: ergo nullus potest docere nec etiam facere, res fore scibiles vere, nisi adsit Filius Dei. — Secundo ad hoc, ut aliquis possit docere, requiritur *certitudo* et infallibilitas ex parte scientis, quae non potest esse ex ea luce, quae potest obfuscari; et talis est lux intelligentiae creatae. Et hoc est quod dicit Augustinus [2]: « Nam, sicut terra, nisi luce illustrata, videri non potest; sic quae in disciplinis traduntur, quae quisquis intelligit verissima esse nulla dubitatione concedit, credendum est, ea non posse intelligi, nisi a Christo, sole spirituali illustrentur ». — Merito igitur soli Christo et non alii attribuenda est auctoritas officii, ut singulariter *unus Magister* dicatur, eo quod ipse est fontale principium et origo cuiuslibet scientiae humanae. Unde sicut unus est sol, tamen multos radios emittit; sic ab uno Magistro, Christo, sole spirituali, multiformes et diversae scientiae procedunt; et quemadmodum multiplices et distincti rivuli ab uno fonte egrediuntur, unus tamen est fons, qui in tot rivulos sine sui defectibilitate (se) multiplicat; sic ab uno fonte aeterno, ab uno Magistro, Christo, sine sui defectibilitate egrediuntur rivuli diversarum scientiarum.

Secundo Christus habet *virtuositatem facundiae* in exprimendo *utiliter*, sicut patuit in ratione, quam fecit legisperitis Matthaei vigesimo secundo [3]: *Interrogavit eum unus ex eis, legis doctor, tentans eum: Magister, quod est mandatum magnum in Lege? Ait illi Iesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et in tota anima tua et in tota mente tua.* — Miseri Iudaei ipsam veritatem confitentes nec tamen eam diligentes, veniunt ad eum et interrogant, non desiderio addiscendi, sed studio tentandi; et quia quaestionem bonam proponebant; quamvis eorum malitia non exigeret, rationem veram audire meruerunt: *Diliges Dominum Deum tuum* etc. Quod exponit sic Augustinus [4]: « *Ex toto corde tuo*, id est intellectu sine errore, *ex tota anima tua*, id est voluntate sine contradictione, *ex tota mente tua*, id est memoria sine oblivione ».

Notandum.

Ratio 2.

Soli Christo competit auctoritas magistri.

Item, ob virtuosam facundiam.

Tertio Christus habuit *eminentiam sanctitatis vitae* in merendo, vel aedificando *salubriter*; de hoc dicitur Ioannis decimo tertio [5]: *Si ego, Dominus et Magister, lavi pedes vestros, et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.* Magna humilitas est ministrare superiori, maior pari, sed maxima et perfecta inferiori: ergo Dominus noster ad hoc voluit sumere infirmitatem humani *generis*, ut in ea doceret exemplum omnimodae perfectionis, omnis institiae et perfectae humilitatis, quando voluit ministrare inferiori lavando pedes rusticorum et piscatorum. Unde Augustinus: « Habemus humilitatis exemplum, superbiae medicamentum; erubescat ergo membrum esse superbum, cum caput sit humile ». Et quia illud exemplum dignum est imitatione, ideo dicitur Lucae sexto [6]: *Perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius.*

Item, ob omnimodam sanctitatem.

II. Secundo in verbo proposito commendatur Christus a *dicti soliditate*, propter quam est firmiter *credendus*, cum subdit: *quia verax es.* Est igitur Christus firmiter credendus ratione suae veritatis triplici de causa: primo, quia habet veritatem *purae intentionis* in cordis cogitatione; secundo, quia habet veritatem *rectae locutionis* in oris eruditione; tertio, quia habet veritatem *honestae conversationis* in operis ostensione.

Pars II. A dicti solidi tate credendus.

Subdivisio

Primo credendum est Christo, quia habet veritatem *purae intentionis* in cordis cogitatione; unde Proverbiorum octavo [7]: *Veritatem meditabitur guttur meum, et labia mea detestabuntur impium.* — *Guttur meum*, non materialis carnis, cum ad illud non pertineat meditari, sed scrutinii spiritualis; *meditabitur veritatem*, per simplicitatem intentionis, rectitudinem cogitationis et puritatem affectionis, relinquendo omnem falsitatem vitiositatis et deceptionis, ut sit cor rectum et bene ordinatum; *et labia mea detestabuntur impium*, per rectitudinem veri; qua rectitudine zeli carent illi qui accipiendo personas maxima peccata illorum quos carnaliter et private diligunt, non detestantur, immo excusant et alleviant, sed minima peccata aliorum, qui eis displicent, incusant et aggravant. Quod magnum, immo maximum peccatum perversitatis iustus David profitetur non esse in se, cum dicit [8]: *Iustitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem et salutare tuum dixi.*

Christus credendus o veritatem intentionis

Secundo credendum est Christo, quia habet veritatem *rectae locutionis* in oris eruditione; et hoc testatur ipsa Veritas Ioannis octavo [9]: *Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* inquit ipse Christus. —

Item, ab rectam

[1] Vide Bonav., tom. V. Breviloq. Prolog. § 3. n. 2, et August., VI. de Trin. c. 10. n. 11.
[2] Libr. I. Soliloq. c. 8. n. 15.
[3] Vers. 35-37.
[4] Vide supra pag. 421, notam 1.
[5] Vers. 14. seq. — Sequitur August., serm. 304. (alius 37. de Diversis) c. 3. n. 3.
[6] Vers. 40. [7] Vers. 7.
[8] Psalm. 39, 11.
[9] Vers. 46.

Quis ex vobis arguet me de peccato? quasi diceret: nullus, propter immunitatem culpae totalis et honestatem vitae et perfectionem scientiae. Nam sine peccato (est) conceptus, quia sine virili semine, sed Spiritus sancti virtute; sine peccato natus, quia sanctitate gratiae repletus; sine peccato conversatus, eo quod *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius*[1]. *Si veritatem dico vobis,* propter plenitudinem scientiae, qua non possum fallere nec falli; *quare non creditis mihi* per intellectus captivationem? quasi diceret: cum praedicatio alicuius non debeat contemni nisi ratione multitudinis culpae, aut ratione debonestatis vitae, aut ratione simplicitatis ignorantiae. Cum ergo ego habeam immunitatem culpae, perfectionem vitae et plenitudinem scientiae; deberetis credere, quia *in hoc natus sum et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati,* secundum illud Ioannis decimo octavo; contra aliquos, qui malunt studere carnali amicitiae et magnatibus placere quam assistere veritati et iustitiae, ad hoc ut eleventur et honorentur, cum certe gloriosius sit deiici cum veritate, quam magnificari cum falsitate.

Tertio credendum est Christo propter veritatem *honestae conversationis* in operis ostensione; unde Ioannis decimo quarto[2]: *Ego sum via et veritas et vita.* — Quia, secundum Bernardum, « ardere est parum, lucere vanum, sed utrumque perfectum »; ideo Christus, in quo est omnimoda perfectio, inquit: *Ego sum via,* in exemplo per honestatem vitae; *et veritas,* in documento per claritatem sapientiae; *et vita,* in praemio per aeternitatem gloriae. Et sic est Christus *via,* per quam vis ire per exemplum vitae; *et veritas,* quam vis invenire per documentum doctrinae; *et vita,* in qua vis manere per praemium gloriae; et ita exponit beatus Augustinus[3], qui super hunc locum ita dicit: « Christus est *via* ad gradiendum, *veritas* ad inveniendum et *vita* ad permanendum ».

ra III, ob veitem constationis.

III. Dicit ergo: *Magister, scimus, quia verax es;* et sequitur: *et viam Dei in veritate doces;* ubi tertio Christus commendatur ab *utilitate dicti,* propter quam sinceriter est *diligendus.* Unde Christus sinceriter est diligendus ratione utilitatis istius documenti propter triplicem rationem, eo quod docet: primo, *veraciter* respectu credendorum; secundo, *delectabiliter* respectu promissorum; tertio, *efficaciter* respectu operandorum. Per primum excluditur erroris falsitas; per secundum, orbis volubilitas; per tertium, cordis tepiditas.

ra III, istius diendes a ti utilitate.

Tripartitio.

Primo docet Christus *veraciter* respectu credendorum contra erroris falsitatem; de hoc dicitur in Psalmo[4]: *Dirige me in veritate tua et doce me, quia tu es Deus, salvator meus, et te sustinui tota die.* — Fidelis Propheta David inquit in persona veri poenitentis: *Dirige me,* per omnis erroris amotionem. Nam ille bene dirigitur, qui omnem errorem tam intellectus in credendo quam affectus in diligendo et etiam effectus in operando a se excludit; *in veritate tua,* per divini splendoris infusionem, ut, amota pravitate erroris devii, introducatur habitus virtutis fidei; unde divina veritas nihil aliud est quam divinus splendor fidei; *et doce me,* praedicationis sive lectionis eruditionem; *quia tu es Deus,* creando per potentiam, et ideo admirandus humiliter; *salvator meus,* redimendo per clementiam, et ideo diligendus sinceriter; *et te sustinui,* serviendo per obedientiam diligenter; *tota die,* continuando per perseverantiam finaliter. Hoc autem perfectum documentum commendat sanctus David, cum dicebat[5]: *Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum.*

Secundo docet *delectabiliter* respectu promissorum contra orbis volubilitatem sive delectabilitatem; et de hoc dicitur Matthaei quinto[6]: *Aperiens os suum, docebat eos, dicens: Beati, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum.* — Audiant reverenter clerici et praelati, qui se discipulos Christi gloriantur, unde christiana doctrina sumat exordium; auscultent diligenter Religiosi sive Evangelii professores, quale sit evangelicae perfectionis fundamentum. *Beati,* inquit, *pauperes spiritu;* et propter hoc paupertas, quae ab omnibus saeculariter viventibus cum timore fugitur, a viris perfectis cum honore vel amore suscipitur et debet suscipi, eo quod tanquam primarium *fundamentum* evangelicae doctrinae in praesenti perficit et consummat; propter quod dicit: *Beati, pauperes spiritu;* et tanquam perfectum *complementum* christianae vitae in futuro magnificat; ideo subdit: *quoniam ipsorum est regnum caelorum.* O sacratissima virtus et omni laude dignissima paupertas! quis tibi valeat dignas gratiarum laudes impendere, quae solo tuo commercio terrenos et miseros homines ad tantam honoris excellentiam extollis, ut eos heredes regni caelorum institues? Exponitur tamen hoc verbum: *Beati, pauperes spiritu,* dupliciter: primo, nihil se reputare; et sic *pauperes spiritu* sunt veri humiles, qui non habent inflatum spiritum, sed quasi nihil in spiritualibus se esse reputant. Vel secundo: *pauperes spiritu,* id est voluntarie, non coacte, qui renuntiaverunt rebus mundanis, non coacti necessitate, sed ducti voluntate, ut, amota avaritia, quae *est radix omnium malorum*[7], inseratur paupertas, quae est primarium fundamentum omnis boni. Ratione huius veri documenti convenit Christo illud Malachiae secundo: *Lex veritatis fuit in ore eius.*

Item, delectabiliter.

Notandum.

Laudes paupertatis.

Duplex expositio.

istius diendus, ia docet raciter.

[1] I. Petr. 2, 22; sequitur Ioan. 18, 37.

[2] Vers. 6. — Sequitur Bernard., serm. in Nativ. Ioan. Bapt. n. 3.

[3] Serm. 142. (alias 54. de Verbis Domini) n. 1: « *Ego sum,* inquit, *via et veritas et vita,* tanquam diceret: Qua vis ire? *Ego sum via.* Quo vis ire? *Ego sum veritas.* Ubi vis permanere? *Ego sum vita* ». Cfr. etiam in Ioan. Evang. tr. 69. n 1. seqq.

[4] Psalm. 24, 5.

[5] Psalm. 93, 12.

[6] Vers. 2. seq.

[7] Epist. I. Tim. 6, 10; sequitur Malach. 2, 6.

Item, efficaciter. Tertio docet *efficaciter* respectu operandorum contra cordis tepiditatem; propter quod dicitur in Psalmo [1]: *Docebit mites vias suas.* — *Viae* Domini sunt bonae operationes, quas Christus in hoc mundo corporaliter exercuit, quae nomine *viarum* appellantur, eo quod, sicut per viam graditur homo ad propriam civitatem, sic per bonam operationem perducitur homo ad caelestem patriam. Has vias *docet* Dominus *mites*, interius neminem despiciendo, et *humiles*, exterius neminem offendendo, juxta suum testimonium, Matthaei undecimo: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde*, quando suo exemplo eruditurus ad bene operandum. Nam « omnis Christi actio est nostra instructio [2] ». Rogemus ergo Dominum etc.

Sermo II [3].

Item, sermo Bonaventurae Fratribus de Lugduno, in Capitulo.

Confidimus in Domino Iesu, *quia qui coepit in vobis opus bonum perficiet usque in diem Christi Iesu*, ad Philippenses primo [4].

Duo facit in his verbis Apostolus, primo *ostendit* Divisio. se viscerosum Mediatorem inter populum et Deum; secundo, concupiscit et *repromittit* finem bonum recipientibus et tenentibus Evangelium.

I. Circa primum nota, quod *confidere* in Domino Iesu possunt tria genera hominum, scilicet *pauperes* Pars I. De 3 hominum generibus. voluntaria devotione; Isaiae decimo quarto [5]: *In ipso sperabunt pauperes populi eius.* — *Simplices* pura intentione; Psalmus: *In Domino confido* etc. — *Honesti* sancta affectione; Psalmus: *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion* etc.

II. Circa secundum nota, quod opus bonum, Pars II. De 3 operibus bonis. quod ad vitam perficitur, est triplex, scilicet opus sanctae *devotionis;* Ioannis sexto [6]: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille.* — Opus dignae *compassionis;* Matthaei vigesimo sexto: *Opus bonum operata est in me.* — Opus evangelicae *conversationis;* secundi Paralipomenon trigesimo primo: *Operatus est Ezechias bonum et rectum et verum coram Domino Deo suo.*

Sermo III [7].

Dominica vigesima secunda post Pentecosten. Sermo fratris Bonaventurae coram Universitate Parisiensi in domo Praedicatorum, Parisius.

Magister, scimus, quia verax es et viam Dei in veritate doces, Matthaei vigesimo secundo [8].

Licet illi malitiose protulerint verba haec, tamen nos pie et vere possumus in eis intelligere, Christum commendari a tribus, scilicet ab aeternae *sapientiae* Divisio. *fontalitate*, a sanctae *vitae aequitate* et a rectae *doctrinae puritate*. Primum nota ibi: *Magister;* secundum, ibi: *scimus, quia verax es;* tertium, ibi: *et viam Dei in veritate doces.*

Circa totum nota, quod vere et proprie Dominus Iesus vocatur *Magister*. Ipse enim solus est doctor in caelo et in terra. Nam ipse docet totam Ecclesiam triumphantem in *caelis* et totam Ecclesiam militantem in *terris* [9].

Docet enim in *caelis:* quomodo *Seraphim* et Io caelis docet omnes hierarchias. Apostoli ferantur in eum ut in fornacem amoris; *Cherubim* et Doctores ferantur in eum ut in fontem lucis; *Throni* et Confessores almi ferantur in eum ut in pelagum voluptatis; *Dominationes* et Martyres inclyti ferantur in eum ut in Dominatorem et Creatorem universitatis; *Principatus* et Pontifices Summi et alii praelati ferantur in eum ut in Gubernatorem machinae mundialis; *Potestates* et Patriarchae et reges mundi ferantur in eum ut in Remuneratorem creaturae rationalis; *Virtutes* et Virgines ferantur in eum ut in Conservatorem creaturae caelestis et subcaelestis; *Archangeli* et Prophetae et praedicatores ferantur in eum ut in Revelatorem consiliorum suorum et aeternarum voluntatum; *Angeli* et ceteri speciales servi Dei ferantur in eum ut in Distributorem donorum et bonorum suorum; illi qui constituunt *decimam drachmam* [10] et salvati sunt solum meritis Crucifixi, ferantur in eum ut in specialem Redemptorem. De quibus omnibus et pro quibus omnibus potest ipse merito dicere toti supra dictae caelesti militiae: *Vos vocatis me Magister et Domine, et bene dicitis; sum etenim;* et iterum: *Ego Dominus et Magister vester.*

Similiter potest dici *Magister* caelorum, quia De multiplici modo docendi in caelo. effective *fervidus* in Seraphim et Apostolis; et *lampidus* in Cherubim et Doctoribus; *solidus* in Thronis et Confessoribus; *vividus* in Dominationibus et Martyribus; *validus* in Virtutibus et Virginibus; *honorificus* in Potestatibus et mundi rectoribus; *providus* in Principatibus et pontificibus et pastoribus; *secretus* in Archangelis et Prophetis et praedicatoribus; *officiosus* in Angelis et electis communibus.

Io terra docet quadrupliciter et 40 documentis. Io *terra* vero sive in Ecclesia militanti docet animas instorum: *declarando* de caelo, *inspirando* angelico ministerio, *irradiando* per se ipsum proprio dono, *praedicando* in Evangelio haec, scilicet primo, quomodo honores, divitias et delicias saeculi fugiant ut impedimenta certa aeternae salutis; secundo, quomodo prosperis non arrideant, blandis non condelectentur, laetis non congratulentur; tertio, quomodo

[1] Psalm. 24, 9; sequitur Matth. 11, 29.
[2] Vide supra pag. 183, notam 7.
[3] Ex A fol. 153 v.
[4] Vers. 6; Vulgata: *Confidens hoc ipsum, quia* etc.
[5] Vers. 32; sequuntur Ps. 10, 1. et 124, 1.
[6] Vers. 29; sequuntur Matth. 26, 10. et II. Par. 31, 20.
[7] Ex A fol. 154 r.
[8] Vers. 16.
[9] Pro his et sequentibus cfr. supra pag. 402, sermo 3.
[10] Respicitur Luc. 15, 8. seq.; sequuntur Ioan. 13, 13. et dein v. 14.

a cupiditate non trahantur et ab adversitate non deterreantur; quarto, quomodo studeant latere et odium saecularium detractionum habere et ad orationis usum se convertere; quinto, quomodo studeant semper cogitare, quomodo ad Deum possint pervenire, mundum derelinquere, scandala evadere, veram pacem invenire et semper cor sursum habere; sexto, quomodo admirentur caecitatem diligentium saeculum et quomodo vere omnia ista caduca contemnant; septimo, quomodo derideant huius mundi gloriam et sollicitudinem arguant, et quam stultum sit in his quae transeunt confidere, advertant; octavo, quomodo habeant cor suave, vultum pium, oculum serenum, habitum compositum, actum ordinatum, consilium caelicum, verbum fructuosum, consortium honestum, exemplum praeclarum; nono, quomodo habeant cor pietate plenum, humilitate praeditum, compassivum animum, (id est) gestent in pectore totum mundum et omnem statum et praecipue Christum crucifixum; decimo, quomodo quotidie ruminent caelum cum desiderio, infernum cum suspirio, purgatorium cum suffragio, terram considerationis speculo, mare compassionis oculo, se ipsum emendationis et perfectionis zelo, proximum amoris et pacis et caritatis spectaculo. — Pro quibus et de quibus doctrinis omnibus potest omnis anima sic edocta exclamare ad eum, dicens [1]: *Rabbi, scimus, quia a Deo venisti Magister;* Matthaei vigesimo tertio: *Unus est Magister vester, qui in caelis est* etc.; Isaiae quinquagesimo: *Dominus* Deus meus *mane erigit mihi aurem, ut audiam* eum *quasi magistrum.*

Sermo IV [2].

Item, sermo fratris Bonaventurae in Conventu Fratrum Parisius, de mane in Capitulo.

Magister, scimus, quia verax es et viam Dei in veritate doces, Matthaei vigesimo secundo [3].

Quamvis illi tentative sive simulatorie proposuerint Deo verba haec, nos tamen sic et catholice possumus dicere, quod commendatur in verbis his
Divisio. divina Veritas *in se,* primo; et *in suo effectu,* secundo. Primum, ibi: *Magister, scimus, quia verax es;* secundum, ibi: *et viam Dei in veritate doces.* Sed quoniam scrutinium ex Veritate in se est arcanum omnino, ideo, eo dimisso, convolandum est ad veritatem Dei in suis *effectibus,* cum dicitur: *et viam Dei* etc.

Circa quod nota, quod triplex est via, scilicet
lex via. *a Deo,* secundum quod est principium omnium effectivum, et hoc secundum condescensionem gratiarum salvificantium, et secundum hoc dicitur fons gratiae; lob trigesimo octavo [4]: *Per quam viam spargitur lux, dividitur aestus super terram? — Secundum Deum,* secundum quod est exemplar omnium, et hoc secundum operationem virtutum exercitantium, et secundum hoc dicitur forma iustitiae; Psalmus: *Viam iustificationum tuarum instrue me, et exercebor in mirabilibus tuis. — Ad Deum,* secundum quod est finis omnium, et hoc secundum considerationem theoriarum sursum agentium, et secundum hoc dicitur finis vel consummatio vitae; Psalmus: *Notas mihi fecisti vias vitae, adimplebis me laetitia cum vultu tuo.*

Prima via, scilicet fontis gratiae, habet quadrivium perveniendi; de quo Proverbiorum trigesimo [5]: *Tria sunt difficilia mihi, et quartum penitus ignoro;* et ista quatuor sunt haec, scilicet *via aquilae in caelo* quantum ad ascensionem, quia tunc *volavit super pennas ventorum; via colubri supra petram* quantum ad resurrectionem, quia tunc deposuit mortalitatis vetustatem in sepulcro; *via navis in medio mari* quantum ad passionem, quia tunc sustinuit discrimina mortis; *via viri in adolescentia,* secundum veram litteram, quantum ad incarnationem, quae penitus ignoratur. Quae singula et omnia considerata ducunt ad fontem gratiae et fecerunt nobis fontem gloriae (?). De via a Deo quadruplici.

Secunda via, scilicet formae iustitiae, similiter habet quadrivium perveniendi. Est enim et esse debet *arcta* per rigorem austeritatis; Matthaei septimo [6]: *Quam angusta porta et arcta via est, quae ducit ad vitam;* Psalmus: *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras. — Munda* per nitorem integritatis; Psalmus: *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat. — Recta* per celsitudinem paupertatis; Psalmus [7]: *Deduxit eos in viam rectam, ut irent in civitatem habitationis. — Pacifica* per mansuetudinem humilitatis; Proverbiorum tertio: *Viae eius viae pulcrae, et omnes semitae illius pacificae.* De via secundum Deum quadruplici.

Tertia via, scilicet consummationis vitae, habet quadrivium suum, scilicet comprehensionem *latitudinis* divinae benevolentiae; *longitudinis* divinae persistentiae; *sublimitatis* divinae potentiae; *profunditatis* divinae sapientiae, iuxta formam Apostoli ad Ephesios tertio [8]: *Ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quae sit latitudo et longitudo et sublimitas et profundum.* De via ad Deum quadruplici.

Sermo V [9].

Item, sermo fratris Bonaventurae in Capitulo Parisiensi.

Dixit Iesus discipulis Pharisaeorum et Herodianis: *Cuius est imago haec et superscriptio?* Matthaei vigesimo secundo [10].

---

[1] Ioan. 3, 2; sequuntur Matth. 23, 8. seq. et Isai. 50, 4.
[2] Ex A fol. 155 r. et B fol. 71 v.
[3] Vers. 16.
[4] Vers. 24; sequuntur Ps. 118, 27. et 13, 11.
[5] Vers. 18. seq.; sequuntur Ps. 17, 10. et Prov. 30, 19.
[6] Vers. 14; sequuntur Ps. 16, 4. et 100, 6.
[7] Psalm. 106, 7; sequitur Prov. 3, 17.
[8] Vers. 18.
[9] Ex A fol. 156 r. et B fol. 70 v. Convenit etiam sermo in codice bibliothecae Parisiensis Nationalis n. 3573.
[10] Vers. 20.

Divisio.

In verbis his duo facit Dominus circa genus humanum: primo requirit in eo conservationem dignitatis *naturae;* secundo, conservationem dignitatis *gratiae.* Per primum, quia *imago* est similitudo rei interior, dirigit ad animae spiritualem nobilitatem attendendam; per secundum vero, quia *superscriptio* est circumiacens figuratio, mittit ad vitae commendabilem venustatem ostendendam.

Pars I. De imagine duplici.

I. Quantum ergo ad primum dicitur: *Cuius est imago haec?* Circa quod nota, quod duplex est imago, scilicet *naturae,* et haec attenditur secundum *potentius naturales;* Genesis primo [1]: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram;* (et) *gratiae,* et haec attenditur secundum *habitus virtuales;* primae ad Corinthios decimo quinto: *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem caelestis.* Secundum ergo imaginem, quam habemus, illius filii comprobamur. Si enim habemus imaginem Dei in *esse* moris, probamur filii Dei per habitus virtuales et eorum actus; si habemus imaginem diaboli sive antichristi, de quo Apocalypsis decimo quarto [2], comprobamur filii eius. — Si ergo sumus filii Dei, assimilamur ei: per *splendorem sapientiae* quoad rationalem; secundae ad Corinthios tertio [3]: *Nos vero omnes, revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem tanquam a Domini Spiritu.* — Per *ardorem benevolentiae* quoad concupiscibilem; ad Romanos octavo: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* etc. *Nam quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* — Per *vigorem confidentiae* quoad irascibilem; ad Colossenses tertio: *Induentes novum eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem eius qui creavit illum.*

Assimilatio triplex ad Deum.

Si autem sumus filii diaboli, assimilamur ei: per *caliginem ignorantiae;* Psalmus [4]: *Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* — Per *amaritudinem melancholiae* sive malitiae; Apocalypsis decimo quarto: *Si quis adoraverit bestiam et imaginem eius* etc. — Per *moestitudinem diffidentiae;* Sapientiae decimo quarto: *Cito sibi rapti filii fecit imaginem;* Psalmus [5]: *Verumtamen in imagine pertransit homo, sed et frustra conturbatur.*

Item, triplex ad diabolum.

II. Quantum ad secundum sequitur: *et superscriptio.* Circa quod nota, quod superscriptio habentis imaginem Dei est *rigor disciplinae* in conversatione; qui quidem rigor consistit in crucifixione exterioris hominis et configuratione ad vitam et mortem Christi. Qui quidem habet et portat secum humilitatem habitationis, acerbitatem compunctionis, integritatem castitatis, celsitudinem paupertatis, latitudinem caritatis, rectitudinem simplicitatis, affectum clementiae, zelum iustitiae, firmitatem constantiae, instantiam in orando, vigiliam in meditando, excedentiam in exsultando; de qua superscriptione Lucae vigesimo tertio [6]: *Erat autem et superscriptio scripta super eum litteris Graecis et Latinis et Hebraicis;* et Apocalypsis septimo: *Vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi.*

Pars II. De superscriptione imaginis Dei in multiplici rigore disciplinae.

Item, imanis diaboli in multiplici libidine conversationi.

Superscriptio autem habentis imaginem diaboli est libido lasciviae in conversatione. Quae quidem libido habet et portat secum fastum, delectationem, luxum, divitias, frigiditatem, dolositatem, protervitatem, favorem malorum, inconstantiam, vagationem, pigritationem, miseriam; de qua superscriptione Apocalypsis decimo quarto [7]: *Si quis acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua, et hic bibet de vino irae Dei.*

Sermo VI [8].

Cuius est imago haec et superscriptio? Matthaei vigesimo secundo [9].

Introducti

Labente homine aliquo genere mortalis peccati, tria contingunt: *Deus privatur animae dominio, obfuscatur imago, perditur similitudo,* sive deletur nominis christiani impositio. Et haec tanguntur in verbo thematis proposito. — *Deus privatur animae dominio,* et hoc dico quantum ad gratiam, non quantum ad potentiam; et hoc notatur ibi: *Cuius est imago?* quasi dicat: *mea* fuit, quia eam condidi; *mea,* quia proprio sanguine redemi; sed nunc *cuius est?* quasi dicat: non est mea. — Et nota, quod, licet homo peccans de manu misericordiae Dei excidat, non tamen potest evadere iustitiam Dei.

Secundo *obscuratur imago;* unde subdit: *haec imago;* quasi diceret: non est talis, ut eam feci. Ego enim feci claram ut speculum; Sapientiae septimo [10]: *Candor est lucis aeternae et speculum sine macula Dei maiestatis et imago bonitatis illius.* — Ipsa enim gratia est *candor lucis aeternae,* id est, procedens a luce aeterna; et candidam facit animam per *fidei* cognitionem; fide enim illuminat gratia *rationalem* ad credendum Deo summe vero. Ipsa etiam est *speculum sine macula Dei maiestatis,* per *spem;* per spem enim confortat *irascibilem,* ut adhaereat Deo summe arduo. Est etiam gratia *imago bonitatis illius* per *caritatem;* caritas enim inflammat voluntatem, ut diligat Deum bonum. Haec imago, heu! modo denigrata est ad modum carbonis; Threnorum quarto: *Denigrata est super carbones facies eorum.* De qua nigratione dicit Augustinus decimo

[1] Vers. 26; sequitur I. Cor. 15, 49.
[2] Respicitur v. 11.
[3] Vers. 18; sequuntur Rom. 8, 28. seq. et Col. 3, 10.
[4] Psalm. 72, 20; sequuntur Apoc. 14, 9. et Sap. 14, 15.
[5] Psalm. 38, 6.
[6] Vers. 38; sequitur Apoc. 7, 2.
[7] Vers. 9. seq.
[8] Ex codice bibliothecae Basileensis B. X. 4. fol. 23 huius collectionis et fol. 36 totius voluminis. Fol. 14 r. in superiore margine habetur Rubrica: *Sermones sancti Bonaventurae Ordinis Minorum.*
[9] Vers. 20.
[10] Vers. 26; sequitur Threu. 4, 8.

quarto de Trinitate, capite decimo sexto [1]: « Peccando *iustitiam et sanctitatem veritatis* amisit. Propter quod haec imago deformis et decolor facta est ».

Tertio *perditur similitudo*, et hoc notatur (verbis): *Cuius est superscriptio?* quasi dicat: deleta est superscriptio *virtutum*, et facta superscriptio *vitiorum* vel peccatorum; vel dicit, quod tertio deletur *nominis christiani* impositio. Unde subinfert: *et superscriptio*, quasi dicat: nomen meum in baptismo ei inscripseram, quia a Christo dicimur Christiani; sed illud deletur per peccatum, quia, liret peccator obtineat nominis vocem, tamen perdit rem; Apocalypsis tertio [2]: *Nomen habes, quod vivas, et mortuus es.* Et hoc patet etiam in beato Hieronymo, qui de se ipso scribit, quod cum semel, semotis libris divinis, Ciceronem legisset, ductus fuit ad iudicium Dei; a quo cum iudex quaereret, quis esset, respondit: Christianus sum. Cui iudex: « Mentiris, inquit, Ciceronianus es, non Christianus ». Unde patet, quod quo homo magis occupatur, eius ei nomen imponitur. Unde qui vacat luxuriae, *luxuriosus* dicitur, et sic de aliis vitiis; non Christianus.

Dicit ergo: *Cuius est imago haec* etc., quasi Sermo. dicat: antea fuit mea, sed modo non est. Sed quare est et fuit *tua*, Domine? Certe, quia a me *facta*, a me *depicta* et a me *illuminanda;* est ergo proprie mea. Quod non contingit in materiali imagine aliqua, ut habeat eundem factorem, eundem pictorem, eundem illuminatorem, quia lapicida secat, pictor colorat, sol illuminat; et ideo qui imaginem materialem uni magistro ascriberet alii derogaret. Sed imago animae non habet nisi unum magistrum propriissime Divisio. proprium, qui eam *fecit* in creatione, *depinxit* in passione, *illuminabit* in aeterna remuneratione. Vel dic, quod est triplex imago: « creationis, recreationis et glorificationis [3] », quarum consistit prima in potentiis naturalibus; secunda, in gratuitis virtutibus; tertia, in gloriosis dotibus.

rs I. De imagine a in creatione. I. Primo ergo dico, quod imago animae est Domini, quia eam *fecit* vel sculpsit *in creatione;* Genesis primo [4]: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Similitudo consistit in gratuitis, imago in naturalibus potentiis, scilicet memoria, intelligentia et voluntate; quia, sicut in divinis Pater est generans, Filius genitus, Spiritus sanctus ab utroque procedens; ita in anima *memoria* per exhibitionem cognoscibilis est gignitiva; *intelligentia* per receptionem eiusdem est formabilis et generabilis; *voluntas* vero sive dilectio per notitiam boni ex illa est processalis sive emanabilis ad sibi uniendum quod placet iam cognitum [5].

Habes igitur in imagine creationis *memoriam*, De memoria. ex qua possis meminisse, beneficia scilicet naturae, quae consistunt in bonis naturae et in bonis fortunae, ut laudes Deum de bonis externis, sicut sole, luna, stellis et quatuor elementis, quae omnia Deus ad bonum condidit et tibi utilia fecit; et de bonis internis, quia Deus te vestivit virtutibus, fide illuminando rationalem, spe confortando irascibilem, caritate inflammando concupiscibilem; quia tibi corpus dedit et animam inspiravit, ut corpore delecteris in sensibilibus, anima in intellectualibus. Qui enim omnia ista beneficia semper in memoria volveret Deum semper laudaret.

Habes secundo in imagine creationis *intelligen-* De intelligentia. *tiam*, ex qua possis intelligere divina mysteria, *praeterita*, *praesentia* et *futura*. — *Praeterita*, sicut mysteria incarnationis, passionis et resurrectionis; *praesentia*, sicut sunt septem Sacramenta; *futura*, sicut sunt mysteria finalis iudicii. Et hoc est quod optat Moyses in cantico Deuteronomii [6]: *Utinam saperent et intelligerent ac novissima providerent!* — *Saperes* praeterita, *intelligeres* praesentia, *providerent* novissima sive futura. Ostendit etiam Seneca in tractatu Quatuor Virtutum: « Si prudens est animus tuus, tribus temporibus dispensetur: praesentia ordina, futura praevide, praeterita recordare ». Praesentia tempora ordina, ut utiliter expendas; futura praevide, ne inutiliter ea transeas; praeterita recordare, ut de male expensis temporibus doleas.

Habes tertio in imagine creationis *voluntatem*, De voluntate. qua valeas perficere Dei obsequia; Psalmus [7]: *Qui timet Dominum in mandatis eius volet nimis.* — Si *nimis volet qui timet*, quantam volet qui amat! siquidem amor volentior est quam potentior. Anima autem, cui impressa est haec imago, a suo Opifice fabricata est quasi triplici instrumento, sicut dicitur Isaiae quadragesimo quarto: *Faber ferrarius lima operatus est; in prunis et in malleis formavit illud.* — *Faber ferrarius* est ipse Deus, qui stabilitatem ferream dat rebus omnibus, quia, secundum Gregorium, « si Deus ad momentum manum suam fabricatoriam rebus subtraheret, omnia in nihilum tenderent ». Ille *faber formavit illud*, id est animam, *in malleis, lima et prunis. In malleis*, id est in potentia Patris, quae ita malleavit animam et confirmavit, ut a nulla creatura possit cogi ad bonum vel ad malum [8]; habet enim « liberum arbitrium,

---

[1] Num. 22, ubi respicitur Eph. 4, 24.

[2] Vers. 1. — Sequitur Hieron., epist. 22. ad Eustoch. n. 30.

[3] Cfr. Glossa *ordinaria* apud Lyranum in Ps. 4, 6. et apud Petr. Lomb. in hunc locum.

[4] Vers. 26.

[5] De hac imagine cfr. Bonav., tom. I. d. 3. p. II. q. 1-3. et tom. II. d. 16. a. 1.

[6] Cap. 32, 29. — Sequitur liber de Quatuor Virtutibus (inter opera spuria Senecae, ed. Basil. 1529, pag. 684), c. de Prudentia.

[7] Psalm. 111, 1; sequuntur Isai. 44, 12. et Gregor., XVI. Moral. c. 37. n. 45.

[8] Vide Bonav., tom. II. d. 25. q. 4. seq. — Sententia Bernardi collecta est ex iis quae habet idem in libro de Gratia et libero arbitrio, c. 3. n. 7, c. 4. n. 9, c. 9. n. 28, c. 14. n. 36. Cfr. Bonav., tom. II. pag. 115, nota 6.

quod sub Deo est potentissimum », secundum Bernardum. Unde diabolus non potest te ad peccatum cogere, sed suadere; et ideo « debilis est hostis, qui non vincit nisi volentem [1] ». In *lima* figuratur Filii sapientia, qua animam ita limavit et clarificavit, ut diabolus nullis fallaciis eam posset seducere; Proverbiorum primo: *Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.* In *prunis*, id est incendio caritatis Spiritus sancti, quo ita animam accendit, ut omnis creaturae delectatio eam movere non possit; « gustato enim spiritu, desipit omnis caro », secundum Gregorium [2].

Excellentia animae. — Ecce igitur, anima ita nobiliter facta, tam potentiosa, tam sapientiosa, tam amorosa. Sed heu! *homo, cum in honore esset, non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis* [3]; et ideo factus est *infirmus* contra potentiam; Psalmus [4]: *Infirmata est in paupertate,* id est peccato, quia *miseros facit populos peccatum, virtus mea; caeca* facta est contra sapientiam; Sapientiae secundo: *Excaecavit illos malitia eorum;* contra mellifluam (caritatem) Spiritus sancti facta est *carnalis* per concupiscentiam; Apostolus [5]: *Caro concupiscit adversus spiritum.* — *Leva* igitur *oculos tuos,* o misera anima, et *vide, ubi prostrata sis!* in quantam impotentiam, in quantam insipientiam, in quantam malam concupiscentiam, et defle gratiae Christi absentiam cum Anna, matre Tobiae, de qua dicitur Tobiae decimo: *Flebat igitur mater eius irremediabilibus lacrymis atque dicebat: Heu, heu me! fili mi, ut quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostrae, solatium vitae nostrae?* — *Mater* Dei est anima, quae concipit in boni propositi inspiratione, parit in exsecutione. Iste *filius* a nobis *peregrinari* permittitur, cum per peccatum nostrum gratia sua nobis subtrahitur, et tunc anima peccatrix merito illacrymatur *heu me! fili* [6] etc. *Baculum senectutis,* sustentationem (adiuvantem) impotentiam, *lumen* excludens ignorantiam, et *solatium vitae nostrae,* exstinguens omnem carnalem concupiscentiam. Et sic patet de imagine facta in creatione.

Hortatio.

II. Secundo est imago Dei, quia ab eo *depicta in passione;* de quo potest intelligi illud Ecclesiastici decimo septimo [7]: *Deus creavit de terra hominem et secundum imaginem suam fecit illum et iterum convertit illum in ipsum et secundum se vestivit illum virtute.* In hac auctoritate proponuntur homini duo: *infirmitas,* quam habet ex parte carnis, ut, si possit exlolli ex dignitate, humilietur ex infirmitate. Infirmitas tangitur, cum dicitur: *Deus creavit de terra hominem et iterum convertit illum in ipsam,* scilicet in morte. Ecce, infirmitas. — *Dignitas* notatur, cum dicitur: *secundum imaginem suam fecit illum et vestivit illum secundum se virtute.* Imago materialis *vestiri* dicitur, cum coloratur, et quanto melius fuerit colorata, tanto melius dicitur *vestita;* similiter imago animae dicitur *vestita,* quae fuerit sanguine Christi colorata; et hoc est quod dicit: *vestivit secundum se,* id est, coloravit cum eodem colore, quo vestimentum corporis sui coloratum fuit in passione. De ista pictura sive coloratione dicitur Ieremiae vigesimo secundo [8]: *Aperit fenestras et facit laquearia cedrina pingitque sinopide.* — *Aperit fenestras,* cum aperiri permisit quinque vulnerum plagas; *facit laquearia cedrina,* propter crucis protectiva suffragia; sicut enim laquear protegit caput a pulveribus, ita crucis suffragium mentes nostras a diaboli tentationibus; *pingit sinopide,* id est glorioso sanguine; sinopis [9] enim etymologizatur *sanguis.*

Pars II. De imagine depicta a Christo in passione.

De infirmitate animae.

De eius dignitate.

De sculpta et depicta anima simul.

Et de utraque imagine tam sculpta quam depicta, quod eam Deus primo sculpserit et postea depinxerit, dicitur Ecclesiastici trigesimo octavo [10]: *Omnis faber et architectus, qui noctem tanquam diem transigit, qui sculpit signacula sculptilia, et assiduitas eius variat picturam; cor suum dabit in similitudinem picturae.* — *Omnis faber,* id est perfectus faber; *omne* enim, signum perfectionis, requirit quatuor, ad minus tria appropriata (?). *Omnis* ergo *faber et architectus,* id est Deus, Trinitate personarum perfectus; *faber,* inquam, quantum ad corpus; *architectus,* quantum ad animam rationalem; *qui noctem tanquam diem transigit,* quia non indiget requie, operatur enim sine labore; ille *sculpit signacula sculptilia,* quando, creans animam, imprimit ei memoriam, intelligentiam et voluntatem, quibus mediantibus anima fit imago sua. *Assiduitas* istius fabri, id est sollicitudo, quam habet circa animam, *variat picturam,* cum efficacia sanguinis colorat eam; et ut ista sollicitudo melius exprimatur, ideo subiungitur: *cor suum dabit in similitudinem picturae. Cor suum in similitudinem picturae dedit,* quando latus cordis aperiri lancea permisit et sangnine emanante pinxit. Iste color nobilissimus est, qui supereminet omnibus coloribus, sicut dicitur Iob vigesimo octavo [11]: *Non dabitur obrizum aurum pro ea,* scilicet pictura ista, *nec appendetur argentum in commutatione eius. Non conferetur tinctis Indiae coloribus.* De ista etiam tinctura istius picturae dicit Dominus Ieremiae duodecimo: *Nunquid avis discolor hereditas mea mihi? Nunquid avis tincta per totum?* quasi dicat: ita vere ego effundens meum sanguinem pretiosum *tinxi eam per totum.* De ista

[1] Gregor., V. Moral. c. 22. n. 43; cfr. supra pag. 209, nota 1. — Sequitur Prov. 1, 17.

[2] Potius sec. Bernardum, epist. 111. n. 3. Cfr. tamen Gregor., V. Moral. c. 1. n. 1. et XXVII. c. 16. n. 32. Vide etiam Bonav., tom. VII. pag. 62, notam 2.

[3] Psalm. 48, 12.

[4] Psalm. 30, 11; sequuntur Prov. 14, 31. et Sap. 2, 21.

[5] Gal. 5, 17; sequuntur Ier. 3, 2. et Tob. 10, 4.

[6] Cfr. Bonav., tom. VIII. opusculum De quinque Festivitatibus.

[7] Vers. 1. seq.

[8] Vers. 14.

[9] Cfr. Forcellini, Lexicon etc.

[10] Vers. 28.

[11] Vers. 15. seq.; sequitur Ier. 12, 9.

etiam pictura dicit Ambrosius bonum verbum Hexaëmeron libro sexto [1]: « Pictus es, o homo, et pictus es a Domino Deo tuo. Bonum habes artificem atque pictorem; noli bonam delere picturam, non fuco, sed veritate fulgentem, non cera expressam, sed gratia »; post pauca: « Noli tollere pictnram Dei et picturam meretricis assumere ».

III. Tertio dico, quod imago animae est Dei, quia ab eo *illuminanda in aeterna remuneratione;* unde secundae ad Corinthios tertio [2]: *Nos omnes, revelata facie gloriam Dei speculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem. — Nos revelata facie,* id est expedita ratione, quod fit in mortalis corporis depositione et cognitionis aenigmaticae evacuatione; *gloriam Dei,* ut dicit Glossa: « Gloriosum Dominum », *speculantes; in eandem imaginem transformamur;* Glossa: « Utique imaginem Dei vult intelligi, *eandem* dicens, istam ipsam scilicet, id est, quam speculamur » ; et hoc *a claritate in claritatem; a claritate,* picturae hic habitae et coloralionis; *in claritatem,* habendae illuminationis. O quanta refulgentia erit, quando claritas solis aeterni illuminabit animas glorificatas, quas hic efficacia sanguinis Christi depinxit! sicut figuratum est primi Machabaeorum sexto [3]: *Refulsit sol in clypeos aureos et aereos, resplenduerunt montes ab eis.* — Duplex *clypeus* nobis a Deo datus est, quos ad honorem suum portare debemus: primus est *anima,* secundus est *caro* nostra; primus dicitur *aureus* propter aureum sanguinem Iesu Christi, quo depictus est; secundus dicitur *aereus* propter constantiam tribulationis, quam perpessus est. Sed in utroque *sol refulget,* quia propter redundantiam gloriae animarum erit refulgentia corporum glorificandorum. Et hoc intelligendum est Augustinum sensisse, de Spiritu et anima, cum dicitur, quod « sensus vertetur in rationem », in quantum scilicet sua remuneratio et gaudium a ratione emanabit. Istud Augustinus dicit adhuc manifestius ad Dioscorum in Epistola quinquagesima sexta: « Tam potenti natura Deus fecit animam, ut ex eius plenissima beatitudine redundet in corpus, non beatitudo, quae intelligentis et fruentis est, sed plenitudo sanitatis, id est incorruptionis vigor »; et tunc ab ista refulgentia mentis caeli *resplendebunt,* id est, Angeli gaudebunt. Sed scitis, quod excellens gaudium occultari non potest, nisi erumpat in gaudium vel inbilum et canticum, quibus plenum erit regnum caelorum, iuxta verbum Domini ad Iob, trigesimo octavo [4], dicens: *Concentum caeli quis dormire faciet?* quasi dicat: nullus poterit, quia *irascibilis* tanta possidebit Deum adhaesione et tentione, *rationalis* tanta illustrabitur Dei cognitione, et *concupiscibilis* tanta replebitur Dei dilectione, quod ora corporalia non poterunt cessare a Dei laude. — Hoc dico secundum opinionem illorum qui diciint, laudem *vocalem* debere esse in caelo [5]. Et de isto cantico et laude dicitur Isaiae sexto: *Clamabant alter ad alterum et dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum. Sanctus* primo, quia imaginem beatarum animarum sculpsit in creatione; *sanctus* secundo, quia eam depinxit in passione; *sanctus* tertio, quia eam illuminavit in aeterna remuneratione. Rogemus etc.

Notandum.

Ill. De ande illuminanda in aeterna ione.

Duplex clypeus.

Notandum.

Collatio.

Resume, si placet, auctoritatem principalem, scilicet: *Nos, revelata facie gloriam Dei speculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem. — Nos revelata facie;* Glossa [6]: id est « expedita ratione », illa *speculantes,* id est « in speculo » fidei et creaturarum; *gloriam Domini,* Glossa: id est « gloriosum Dominum » ; *in eandem imaginem transformamur;* Glossa: « Utique imaginem Dei vult intelligi, *eandem* dicens » ; et *transformamur a claritate in claritatem;* Glossa: « A claritate fidei, ubi filii Dei sumus, *in claritatem* speciei, ubi *similes ei erimus, cum videbimus eum, sicuti est* ». — Haec est imago *gloriae,* quae consistit in triplici dote, ut scilicet transformemur in potentiam Patris per potentem *tentionem* et indissolubilem; in sapientiam Filii per manifestam *cognitionem;* in benevolentiam Spiritus sancti per ardentissimam et perfectissimam *caritatem* sive dilectionem. Et nota, sicut praetactum est, prima imago est quasi *sculpta,* secunda quasi *colorata,* sed haec tertia est quasi *sole irradiata.* De cuius solis irradiatione dicitur Ecclesiastici quadragesimo tertio [7]: *Tripliciter sol exurens montes. — Sol* iste significat Deum, qui *montes,* id est Beatorum mentes, *tripliciter exurit,* cum evacuat fidem per apertae visionis cognitionem; spem, per inamissibilis possessionis tentionem, et cum perficit caritatem viae per caritatem gloriae. — Attendite, carissimi, quanta resplendentia erit, cum ille sol aeternus, qui *lucem inhabitat inaccessibilem,* resplendebit in utramque imaginem: imaginem naturae et imaginem gratiae; sicut signatum est primi Machabaeorum sexto [8]: *Refulsit sol in clypeos aureos et aereos, resplenduerunt montes ab eis;* per *clypeos aereos* figurantur partes imaginis naturae; per *aureos,* partes imaginis gratiae. In istos *sol refulget,* cum eas Deus triplici dote ditat; et tunc *montes ab eis resplendent,* quia Beatorum mentes mirabiliter et ineffabiliter fulgebunt.

Triplex dos.

Notandum.

[1] Cap. 8. n. 47.

[2] Vers. 18. — Duae sequentes Glossae sunt *interlinearis* apud Lyranum et Glossa Lombardi in hunc locum, ex Augusl., XV. de Trinit. c. 8. n. 14.

[3] Vers. 39. — Duo sequentes loci sunt Augusl., de Spiritu et anima (inter opera Augusl.), c. 12, et Epist. 118. (alias 56.) n. 14.

[4] Vers. 37.

[5] Cfr. Bonav., II. Sent. d. 2. p. II. dub. 1. et IV. d. 49. p. II. sect. 1. a. 3. q. 1. — Sequitur Isai. 6, 3.

[6] Scilicet Petri Lombardi, ubi etiam sequentes Glossae inveniuntur sec. Augusl., XV. de Trin. c. 8. n. 14.

[7] Vers. 4; sequitur l. Tim. 6, 16.

[8] Vers. 39.

DOMINICA VIGESIMA TERTIA POST PENTECOSTEN.

Sermo I [1].

Confide, filia, fides tua te salvam fecit, Matthaei nono [2].

Prothema. *Quam pulcri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis!*

Religiosae cuiuslibet animae excellentia et causatur et colligitur ex *honestatis pulcritudine* et ex *veritatis promptitudine* et ex *caritatis magnitudine.* Unde in verbis ultimo propositis, quae sumuntur ex Canticorum septimo, quantum ad excellentiam cuiuslibet animae christianae, quae filia summi principis, Christi, dicitur, tangitur primo *honestatis pulcritudo,* cum dicitur: *Quam pulcri;* secundo, *veritatis promptitudo,* cum sequitur: *gressus in calceamentis;* per *pedes* praedicatores et doctores intelliguntur, per *calceamenta* Scripturae testimonia significantur; sicut enim calceamenta muniunt pedes, ita Scripturarum testimonia praedicatores et doctores; unde dicitur ad Ephesios ultimo [3]: *Calceati pedes in praeparatione Evangelii pacis.* Tertio, *caritatis magnitudo* subiungitur, ibi: *filia principis.* Anima cuiuslibet fidelis Christiani *filia* est summi *principis* per imitationem *paupertatis* contra avaritiam; per imitationem *castitatis* vel calceamenti [4] contra concupiscentiam; et per imitationem *obedientiae* sive humilitatis contra superbiam. Honestatis *pulcritudo* obnubilat (?) sive deformat conferentem (?); veritatis *promptitudo* ducit negligentem; caritatis *magnitudo* arguit odientem; et idcirco in principio nostri sermonis prece petendus est Deus, ut sua gratia et pietate in hac praesente collatione participem me faciat pulcritudinis (honestatis) in opere, promptitudinis veritatis in ore et magnitudinis caritatis in corde, ut tandem possim aliquid dicere, quod sit ad laudem et gloriam Iesu Christi benedicti et consolationem cuiuslibet audientis.

Confide, filia etc.

Quia consuetudo boni medici est ad confortationem infirmi acceptatae medicinae efficaciam multipliciter extollendo praedicare; hinc est, quod Dominus noster Iesus Christus, medicus corporum et animarum, ad confortationem istius mulieris infirmae, appetentis ab ipso sanari, dignatus est efficaciam spiritualis medicinae, scilicet fidei curantis omnem languorem, utiliter praeostendere, cum dicit in verbo proposito: *Confide, filia* etc.; ubi primo notatur *divina dignatio* gratuitae adoptionis, cum dicit: *Filia;* secundo, *pia compassio* virtuosae animationis, cum additur: *confide;* tertio, *necessaria instructio* suae curationis, cum subiungitur: *fides tua te salvam fecit.*

Sermo.

Divisio.

I. Dicit ergo: *Filia,* ubi primo notatur *divina dignatio* gratuitae adoptionis; dignatur enim Dominus gratis adoptare quamlibet animam in filiam propter tria, ratione quorum habet assimilari beatae Trinitati. Primum est *splendor caelestis intelligentiae;* secundum est *decor castitatis* et munditiae; tertium est *timor humilitatis* et reverentiae.

Pars I. Divina dignatio adoptionis.

Subdivisio.

Primo adoptat Deus animam in filiam propter *splendorem caelestis intelligentiae*; unde dicitur in Psalmo [5]: *Audi, filia, et vide et inclina aurem tuam et obliviscere populum tuum et domum patris tui; et concupiscet rex decorem tuum.* — Loquitur Propheta in persona Patris aeterni cuilibet animae in eius nomine credenti, cum dicit: *Filia,* per adoptionis benevolentiam; *audi,* per mansuetudinis reverentiam; *et vide,* per cordis intelligentiam; *et inclina aurem tuam,* per operis diligentiam; *et obliviscere populum tuum,* id est carnales parentes, maxime quando sunt viae Dei parentes contrarii; *et domum patris tui,* temporalis opulentiae; et merito, quia ista duo, scilicet inordinatus amor carnalium parentum et deordinatus ardor temporalium rerum, consueverunt elongare animam a Deo; quia sine dubio tunc Christus, *rex,* per honoris excellentiam, *concupiscet,* per acceptionis complacentiam, *decorem tuum,* quod est per fidei formatae refulgentiam. O deifica virtus fidei et omni acceptione dignal certe, quibus te laudibus efferam, nescio. Tu enim pro certo es, quae indignos servos in tantum excessive exaltas, ut Dei filios efficias, iuxta illud Ioannis primo [6]: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.*

De splendore totius gentilitatis.

Laus fidei.

Secundo adoptat Deus animam in filiam propter *decorem castitatis* et munditiae; et de hoc dicitur in Psalmo [7]: *Omnis gloria eius filiae regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus;* quasi dicat: *Omnis gloria,* id est perfecta gloria per virtutis existentiam, non vana per pomposita tis iactantiam, cuiuslibet animae christianae, quae est *filia Regis* aeterni, debet esse non *de foris* respectu generositatis carnalis, aut pulcritudinis corporalis vel ornatus exterioris, sed *ab intus,* per cordis ordinationem perfectam; *in fimbriis aureis,* quantum ad triplicem virtutem theologicam, fidei scilicet in credendo veraciter, spei in exspectando firmiter et caritatis in diligendo ferventer. Et bene virtutes theologicae *fimbriis aureis* assimilantur, quia, sicut illae sunt in perfectum ornamentum totius vestimenti materialis, sic illae virtutes sunt ornamentum et complementum cuiuslibet virtutis sive indumenti spiritualis.

De decore castitatis.

[1] Ex Vaticana et C D E F.
[2] Vers. 22. — Prothema ex C habetur Cant. 7, 1.
[3] Cap. 6, 15. — Textus infra est corruptus.
[4] *Calceamenta* infra pag. 451 col. 1. dicuntur esse exempla Sanctorum.
[5] Psalm. 44, 11. 12.
[6] Vers. 12.
[7] Psalm. 44, 14.

Circumamicta varietatibus, quantum ad virtutum cardinalium quadriformem differentiam, scilicet prudentiae in eligendo vera, iustitiae in operando bona, temperantiae in reprimendo illicita, et fortitudinis in sustinendo mala.

Tertio adoptat Deus animam in filiam propter timorem humilitatis. *timorem humilitatis* et reverentiae; unde dicitur Canticorum septimo [1]: *Quam pulcri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis.* — Iste *princeps* regum terrae est Christus Iesus, cuius *filia* dicitur quaelibet anima propter timorem humilitatis et subiacentiae; *pedes* autem eius sunt potentia intellectiva, amativa et operativa; sed *gressus* dicuntur cogitationes, affectiones et operationes, quibus animus graditur et procedit; postremo per « *calceamenta*, quae fiunt de pellibus morticinis, intelliguntur exempla Sanctorum [2] », qui dormierunt. Unde tunc dicuntur *pulcri gressus* cuiuslibet animae *in calceamentis*, quando quasi calceata et informata exemplis Sanctorum provocatur ad pie cogitandum, recte loquendum et bene operandum; et talibus itineribus pervenitur ad salutem. Dicit igitur: *Filia.*

II. De compassione. II. Sequitur: *confide*, ubi secundo notatur *pia compassio* virtuosae animationis ex pietate compassionis. Animabat enim istam Dominus noster Iesus Christus, dicendo ei: *confide*, primo scilicet in *Filii sapientia*, ut illumineris ab errore infidelitatis et ignorantiae; secundo, in *Spiritus sancti clementia*, ut purgeris a foetore deformitatis culpae; tertio, in *Patris potentia*, ut saneris a languore poenalitatis miseriae. Et haec tria necessario sic se habent per ordinem; nam nullus sanatur ab infirmitate poenae, nisi qui primo illuminatur ab infidelitate ignorantiae et secundo purgatur a foeditate culpae.

Primo ergo dicit: *confide* in *Filii sapientia*, ut illumineris ab errore infidelitatis et ignorantiae; et de hoc dicitur Sapientiae tertio [3]: *Qui confidunt in illum intelligent veritatem; et fideles in dilectione acquiescent illi, quoniam donum et pax est electis eius*, inquit Spiritus sanctus. — *Qui confidunt in illum*, scilicet Deum, per spei fiduciam in exspectando certitudinaliter; *intelligent veritatem*, per fidei luculentiam in credendo fideliter; *et fideles in dilectione*, per caritatis benevolentiam in amando filialiter; *acquiescent illi*, per operis efficaciam in serviendo liberaliter; *quoniam donum et pax est electis Dei*, per remunerationis abundantiam in recipiendo delectabiliter. Huic convenit quod dicebat Psalmus: *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion; non commovebitur in aeternum qui habitat in Ierusalem.*

Secundo *confide* in *Spiritus sancti clementia*, ut purgeris a foetore deformitatis culpae; unde dicitur ad Philippenses primo [4]: *Confidens* in Domino, *quia qui coepit in vobis opus bonum perficiet usque in diem Christi Iesu*; quasi dicat Apostolus: non diffido intuitu meae fragilitatis, immo confido in Domino considerationе divinae virtutis, *quia qui coepit in* nobis *bonum* propositum per aspirationem gratiae *praevenientis; opus bonum perficiet*, per remotionem culpae inficientis, ratione cuius nullum opus est bonum in genere gratuiti nec remuneratione dignum in conspectu Dei; *perficiet usque in diem Christi Iesu*, per adiutorium gratiae *subsequentis*. Unde tanta est humana fragilitas, quod nequaquam potest per se in aliquod bonum opus meritorium exire, nisi divina gratia humana vota inspiret praeveniendo et prosequatur adiuvando.

Tertio *confide* in *Patris potentia*, ut saneris a languore poenalitatis miseriae; et de hoc potest accipi illud Psalmi [5]: *Ad te, Domine, levavi animam meam; Deus meus, in te confido, non erubescam. Neque irrideant me inimici mei, etenim universi, qui sustinent te, non confundentur. Confundantur omnes iniqua agentes supervacue. Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me.* — Inquit Propheta: *Ad te, Domine, levavi animam meam*, per mentis devotionem; *Deus meus, in te confido*, quantum ad petitionis exauditionem; *non erubescam*, propter subventionis denegationem. *Neque irrideant me inimici mei*, id est daemones, per impatientiae furentis demonstrationem; *etenim universi, qui sustinent te*, per tribulationis tolerationem; *non confundentur*, per desperationis illaqueationem; immo *confundentur*, per tentationis superationem, *omnes* daemones; *iniqua agentes supervacue*, per suggestionis immissionem. Unde Ambrosius [6]: Daemonum infestatio velut latronum obsidet multitudo, qui per omnes vias supplantatores invisi animarum laqueos tendunt. Diabolus nititur *revocare* quasi tendendo laqueum a posteriori, voluptatem praeteritam ad mentem reducendo; nititur etiam *impedire* quasi tendendo laqueum ab anteriori, futurorum prosperitatem et delectabilitatem promittendo; nititur *inficere* tendendo laqueum a dexteris, vanitatem mundi offerendo; nititur etiam *capere* tendendo laqueum a sinistris, austeritatem poenitentiae ostendendo, ut in his omnibus tanquam per laqueos capiat; quos laqueos potest anima evadere, cum tota devotione ad Deum se convertit ore humiliter supplicando: *Vias tuas*, divinorum praeceptorum; *Domine*, qui es Veritas; *demonstra mihi*, per septiformis sapientiae donationem; *ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam, quid acceptum sit apud te* [7] omni tempore; *et semitas tuas*, tam consiliorum quam exemplorum; *edoce me*, per multiformis gratiae infusionem. Unde

Item, in Patris potentia.

[1] Vers. 1.
[2] Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 22. n. 9.
[3] Vers. 9; sequitur Ps. 124, 1.
[4] Vers. 6.
[5] Psalm. 24, 1. seqq.
[6] Cfr. IV. in Luc. n. 10. et serm. 14. in Ps. 118. n. 35. seqq. Vide etiam Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 16. n. 1: « Maligni spiritus iter nostrum quasi quidam latrunculi obsident », et August., Enarrat. in Ps. 141. n. 9.
[7] Sap. 9, 10.

Gregorius [1]: « Nisi misericors Deus nostris viribus tentamenta modificet, nullus est, qui malignorum insidias evitare possit ». Dicit ergo: *Filia, confide.*

III. Sequitur tertio: *fides tua te salvam fecit,* ubi notatur *necessaria instructio* suae curationis. Ad hoc autem, ut aliquis salvetur, instruitur, ut necessario fides sua sit primo *solida* in credendo vera fideliter; secundo, *devota* in exspectando promissa certitudinaliter; tertio, *magna* in operando ardua viriliter.

Pars III. De necessaria instructione.

Subdivisio.

Primo debet esse fides *solida* in credendo vera fideliter; et de hoc dicitur Actuum decimo quinto [2]: *Nihil discrevit inter nos et illos, fide purificans corda eorum,* quasi dicat Apostolus: *Non est acceptio personarum apud Deum,* et hoc est *nihil discernere,* quia nullam distinctionem fecit *inter nos* Iudaeos *et illos* gentiles, immo *purificat corda* omnium credentium ab omni tenebrositate infidelitatis et deformitate vitiositatis, et hoc *fidei* formatae credulitate, *quae operatur* per dilectionem; *quia non est distinctio Iudaei et Graeci,* sed in omnibus beneplacitum est illi. Unde Gregorius [3] super illud Iob: *Qui irrigat aquis universa:* « *Universa* Deus *aquis irrigat,* qui dono sancti Spiritus ex omni genere hominum ad suam cognitionem vocat. Cum divites sibi subiicit, pauperes non repellit; cum fortes humiliat, venire ad se debiles non recusat; cum nobiles colligit, simul et ignobiles apprehendit; cum sapientes suscipit, imperitorum stultitiam non contemnit ».

Fides sit solida.

Secundo debet esse fides *devota* in exspectando promissa certitudinaliter; unde dicitur ad Hebraeos undecimo [4]: *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* — Dicitur *fides substantia rerum sperandarum,* quia, sicut fundamentum ratione suae fortitudinis sustentat fabricam materialem, sic in fidei substantia et soliditate collocatur et sustentatur aedificium spirituale; et quemadmodum corpus non potest sustentari sine anima quantum ad *esse* naturae, ita nec anima sine fide quantum ad *esse* gratiae, quoniam *sine fide impossibile est placere Deo;* et propter hoc dicitur Habacuc secundo: *Iustus autem in fide sua vivet.* Et propter hoc fides dicitur *substantia* sive *hypostasis,* quia ratione suae soliditatis sustentat et ratione suae virtuositatis conservat. Dicitur nihilominus fides *argumentum non apparentium,* quia, sicut argumentum arguit mentem et illuminat ad hoc, ut homo consentiat probatae conclusioni, ita fides illuminat mentem ad assentiendum in omnibus primae Veritati. Unde sicut mens dirigitur per argumentum et caput per oculum, ita anima per fidei habitum.

Sit devota.

Tertio debet esse fides *magna* in operando ardua viriliter; ideo dicitur ad Hebraeos undecimo [5]: Sancti *per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones.* — Unde Sancti *vicerunt regna,* caelestia per fidem confirmantem affectum in passionis sive tribulationis toleratione; et merito, quia *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei;* et *operati sunt iustitiam,* per fidem calcantem mundum terrenitatis despectione. Nisi enim terrena substantia despiciatur, nunquam *iustitiam operatur;* unde primae Ioannis quinto: *Haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra.* Et Augustinus [6] dicit: « Qui veram fidem habet de Christo non quaerit in his miseriis fieri dives ». Insuper, *adepti sunt repromissiones,* per fidem remmerantem in deiformitatis gloriae assimilatione. Rogemus etc. [7]

Sit magna.

Sermo II [8].

Item, sermo fratris Bonaventurae Fratribus Parisius, in Capitulo.

Confide, filia, fides tua te salvam fecit, Matthaei nono [9].

In his verbis spiritualiter intellectis duo facit clemens Salvator noster: primo, *dat fiduciam* infallibilem reconciliationis; secundo, *relaxat iniuriam* universalis offensionis.

Divisio.

I. Circa primum nota, quod *confidere* vere debemus nt filii de Dei indenegabili *misericordia:* propter *pretium redemptionis* effusum; Ioannis decimo sexto [10]: *Confidite, ego vici mundum;* Marci sexto: *Confidite, ego sum; nolite timere.* — Propter *donum sanctificationis* infusum; Ieremiae decimo septimo: *Benedictus vir, qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia eius. Et erit quasi lignum, quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas.* — Propter *lavacrum regenerationis* superinfusum; Matthaei nono: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.*

Pars I. Confidendum de Dei misericordia ob tres rationes.

De Dei *iustitia* inobligabili: per *fidelitatem animi* quoad Deum; Sapientiae tertio [11]: *Qui confidunt in illo intelligent veritatem, et fideles in dilectione acquiescent illi, quoniam donum et pax est electis eius.* — Per *securitatem iudicii* quoad proprium animum; Isaiae quadragesimo: *Qui sperant*

Item, de Dei iustitia per tria.

---

[1] Libr. XXIX. Moral. c. 22. n. 46.

[2] Vers. 9; deinde Gal. 5, 6; Rom. 2, 11. et c. 10, 12.

[3] Libr. VI. Moral. c. 16. n. 21, ubi tractat super Iob 5, 10.

[4] Vers. 1; sequuntur v. 6. et Habac. 2, 4.

[5] Vers. 33; sequuntur Act. 14, 21. et 1. Ioan. 5, 4.

[6] Secundum sensum occurrit Enarrat. in Ps. 68. serm. 2. n. 14. et serm. 36. (alias 212. de Tempore) per totum.

[7] Cod. E addit *Explicit;* et F *Expliciunt sermones compilati per Bonaventuram ordinis fratrum.* — Nam pro Dominica XXIV. in Vaticana tres sermones habentur, qui sunt fratris Conradi de Saxonia, et alius, qui incipit: *Cum videritis abominationem desolationis* etc., et qui certe non spectat ad S. Bonaventuram.

[8] Ex A fol. 135 r. et B fol. 72.

[9] Vers. 22.

[10] Vers. 33; sequuntur Marc. 6, 50. et Ier. 17, 7. 8. ac Matth. 9, 2.

[11] Vers. 9; sequitur Isai. 40, 31.

in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilae, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient. — Per *liberalitatem beneficii* quoad proximum; Tobiae quarto [1]: *Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.*

rs II. Fi- es salvat r quatuor. II. Circa secundum nota, quod *fides salvat* hominem per *remissionem* universalium *peccaminum;* Actuum decimo quinto [2]: *Fide purificans corda eorum.* — Per *immissionem* sapientialium *luminum;* Lucae decimo octavo: *Respice; fides tua te salvum fecit. Et confestim vidit.* — Per *infusionem* spiritualium *charismatum;* ad Hebraeos decimo: *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala et abluti corpus aqua munda.* — Per *directionem* irreprehensibilium *operum;* Habacuc secundo: *Justus in fide sua vivit.*

Sermo III [3].

Sermo fratris Bonaventurae Fratribus in Capitulo Lugdunensi.

Cum electa esset turba, intravit et tenuit manum eius, Matthaei nono [4].

In verbis his mystice intellectis tria notantur necessaria peccatori. Primum est *expulsio culpae,* ibi: *Cum electa esset turba;* secundum est *infusio gratiae,* ibi: *intravit;* tertium est *exercitatio iustitiae,* ibi: *et tenuit manum eius.*

ra I. Ex- ulsio col- pae. I. Circa primum nota, quod ad hoc, quod Deus iustificet hominem et *intret* ad animam et dirigat vitam, oportet *eiicere* de homine *turbam:* inordinatarum *affectionum;* Ioannis quinto [5]: *Iesus enim declinavit a turba constituta in loco.* — Indisciplinatarum *locutionum;* Matthaei decimo quarto: *Dimissa turba, ascendit in montem solus orare.* — Superfluarum *curiositatum* sive occupationum; Exodi vigesimo tertio: *Non sequeris turbam ad faciendum malum.*

II. Secundo nota, quod, sic electa turba, *intrat* animam: *virtutum* et gratiarum redundantia; Apocalypsis tertio [6]: *Intrabo ad illum et coenabo cum illo, et ipse mecum.* — *Scriptiurarum* intelligentia; Sapientiae octavo: *Intrans in domum meam, conquiescam cum illa* etc. — *Aeternorum* memoria; Sapientiae decimo: *Intravit in animam servi Dei* etc.

ars II. Infusio gratiae.

III. Circa tertium nota, quod *tenet* Deus *manum* talis animae reddendo vitam eius religiosam: per *morum elegantiam;* Psalmus [7]: *Tenebit me dextera tua.* — Per *exemplorum fragrantiam;* Canticorum tertio: *Inveni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam* etc. — Per *meritorum excellentiam;* Psalmus: *Tenuisti manum dexteram meam et in voluntate tua deduxisti me et cum gloria suscepisti me.*

Pars III. Exercitatio fortitudinis.

Sermo IV [8].

Item, sermo fratris Bonaventurae Fratribus de Vienna(?).

Gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt, ad Philippenses tertio [9].

In verbis his allegat Apostolus opprobrium iniquorum, quod habet tria annexa, scilicet *memoriam dignitatis amissae, verecundiam iniquitatis commissae* et *miseriam poenalitatis inflictae.* Secundum quae tria primo ponitur *dignitas commendabilis,* ibi: *Gloria;* secundo, *poenalitas vituperabilis,* ibi: *in confusione ipsorum;* tertio, *fatuitas exsecrabilis,* ibi: *qui terrena sapiunt.* Divisio.

Pars I. Dignitas hominis est in tribus.

I. Circa primum nota, quod *gloria* hominis vera et non vana est in tribus: in *attestatione puritatis;* secundae ad Corinthios primo [10]: *Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae.* — In *ostensione honestatis* extrinsecae; Isaiae trigesimo quinto: *Gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron.* — In *visione Maiestatis* aeternae; Ecclesiastici quadragesimo secundo: *Et quis satiabitur, videns gloriam eius?*

Pars II. Confusio eius ex tribus.

II. Circa secundum nota, quod vera *confusio* accidit homini ex tribus, scilicet ex *respectu duplicitatis* in anima; Ieremiae undecimo [11]: *Secundum numerum viarum Ierusalem posuisti aras confusionis.* — Ex *defectu sanctitatis* in vita; Osee decimo: *Confusio Ephraim capiet, et confundetur Israel in voluntate sua.* — Ex *descensu acerbitatis* ad terram; Psalmus: *Confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.*

Pars III. Fatuitas terrenorum in tribus classibus.

III. Circa tertium nota, quod *terrena sapientes* sunt proprie: *ambitiosi* appetentes sublimia; Barnch tertio [12]: *Quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam;* Matthaei decimo sexto: *Vade post me, satana, scandalum es mihi, quia non sapis ea quae Dei sunt, sed ea quae hominum;* ad Romanos undecimo: *Noli altum sapere, sed time.* — *Curiosi* perscrutantes profunda; ad Romanos duodecimo [13]: *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* — *Otiosi* negligentes utilia; Deuteronomii trigesimo secundo: *Utinam saperent et intelligerent ac novissima providerent!*

---

[1] Vers. 12.

[2] Vers. 9; sequuntur Luc. 18, 42. seq. et Hebr. 10, 22. ac Habac. 2, 4.

[3] Ex A fol. 135 v. — De eodem themate tribuitur Bonaventurae alius et diversus sermo aliquanto diffusior, impressus in Supplemento Bonelli tom. III col. 614.

[4] Vers. 25.

[5] Vers. 13; sequuntur Matth. 14, 23. et Exod. 23, 2.

[6] Vers. 20; sequuntur Sap. 8, 16. et c. 10, 16.

[7] Psalm. 138, 10; sequuntur Cant. 3, 4. et Ps. 72, 24.

[8] Ex A fol. 136 r.

[9] Vers. 19.

[10] Vers. 12; sequuntur Isai. 35, 2. et Eccli. 42, 26.

[11] Vers. 13; sequuntur Osee 10, 6. et Ps. 52, 6.

[12] Vers. 28; sequuntur Matth. 16, 23. et Rom. 11, 20.

[13] Vers. 3; sequitur Deut. 32, 29.

DOMINICA VIGESIMA QUARTA POST PENTECOSTEN.

Sermo I [1].

Item, sermo fratris Bonaventurae in domo Praedicatorum Parisius, coram Universitate.

Cum videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit intelligat, Matthaei vigesimo quarto [2].

In verbis his ad aedificationem fidelium Dominus duo facit: primo *exprimit tempus persecutionis* et tribulationis, quod futurum est in diebus detestandi et abominabilis antichristi; secundo *inducit ad cautelam* perpetuam omnem electum Dei et omnem filium Evangelii. Primum, ibi: *Cum videritis abominationem desolationis* etc.; secundum, ibi: *qui legit intelligat.* Divisio.

Circa auctoritatem totam nota, quod qui vult tempora tribulationis tam antichristi quam saeculi profani, carnis et diaboli praevenire et contra eos se praemunire, oportet, eum secundum hanc Dei admonitionem ad septem libros et legem scripturarum eorum vitam suam componere et ordinare in cultu et veneratione ipsorum et speculatione. — Primus liber est vitae sive *praedestinationis* aeternae, in quo sunt scripta nomina electorum et formae sive exemplaria omnium rationum viventium [3]; et iste liber est admirandus, venerandus, desiderandus et suspirandus; ad Philippenses quarto [4]: *Quorum nomina sunt in libro vitae.* — Secundus est *humanae in Christo naturae,* in quo sunt scripta stigmata clavorum et passionum et omnia genera exemplorum et meritorum; et iste liber est imaginandus, invisceran dus et sicut speculum semper prae oculis habendus; Isaiae octavo: *Sume tibi librum grandem* etc. — Tertius est *Virginis gloriosae,* caelorum reginae et Angelorum dominae, in quo sunt scripta exempla et morum et perfectionum; et iste liber est in devotione et imitatione et commendatione habendus; Matthaei primo: *Liber generationis Iesu Christi* etc. — Quartus liber est *beatae patriae* sive beatitudinis sempiternae, in quo scriptae sunt dispositiones hierarchiarum et differentiae dignitatum et praemiorum; et iste liber est contemplandus, recogitandus et in pectore fabricandus; Psalmus [5]: *In libro tuo omnes scribentur;* Psalmus: *In capite libri scriptum est de me* etc., dicit Christus-homo. — Quintus est *totius mundi creaturae,* in quo sunt scripta vestigia scalaria aeternorum; et iste liber est totus totaliter in Creatoris potentiam, sapientiam et bonitatem referendus; Isaiae vigesimo nono: *Erit vobis visio omnium sicut verba libri signati* etc. — Sextus liber est *sacrae Scripturae,* in quo sunt praecepta scripta seu documenta praeceptorum et inhibitionum; et iste est amandus, ruminandus, audiendus, obediendus et in mente portandus; Baruch quarto [6]: *Hic liber mandatorum Dei et lex, quae est in aeternum; omnes, qui tenent eam, pervenient ad vitam.* — Septimus est *conscientiae propriae,* in quo sunt scriptae notae peccatorum et profectus meritorum; et iste liber est examinandus ingiter et a vitiorum defectibus corrigendus et in meritis colendus et conservandus; Danielis septimo: *Iudicium sedit, et libri aperti sunt* etc. Septem libri.

Sermo II [7].

Item, sermo fratris Bonaventurae in Capitulo Fratrum.

Cum videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit intelligat; tunc qui in Iudaea sunt fugiant ad montes, Matthaei vigesimo quarto [8].

In verbis his duo facit Dominus: primo invitat ad *pericula praevidenda;* secundo, ad *eadem praecavenda.* Primum, ibi: *Cum videritis;* secundum, ibi: *tunc qui in Iudaea sunt* etc. Divisio.

Circa primum nota: quia multi multa dixerunt et, ut aliis non credatur de cetero, occasionem dederunt, supersedendum puto; de cautela vero et remedio proloquendum [9]. Quoad primum.

II. Circa secundum ergo nota, quod duplex est *fuga,* scilicet *vituperabilis;* et haec est reproborum, qui fugiunt a Deo placato ad Deum iratum; et haec est triplex: prima est ex *infirmitate,* qua fugiunt aliqui exempla virtutis; Matthaei vigesimo sexto [10]: *Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt.* — Secunda est ex *stoliditate,* qua fugiunt aliqui documenta veritatis; Ionae primo: *Surrexit Ionas, ut fugeret in Tharsis a facie Domini.* Exemplum de duobus philosophis contra documenta Antonii [11], qui conversi sunt. — Tertia est ex *malignitate,* qua fugiunt aliqui medicamenta salutis; Proverbiorum decimo nono [12]: *Qui affligit patrem et fugat matrem ignominiosus est et infelix.* Pars II. De fuga vituperabili triplici.

---

[1] Ex A fol. 136 v. — Vide supra pag. 452, notam 7. Quod ille sermo in Vat. incerti auctoris non sit Bonaventurae, testatur etiam ed. Sermonum, Basileae an. 1502, fol. I v.

[2] Vers. 15, ubi respicitur Dan. 9, 27.

[3] Vide August., lib. 83 Qq. q. 46

[4] Vers. 3; sequuntur Isai. 8, 1. et Matth. 1, 1. seqq.

[5] Psalm. 138, 15; sequuntur Ps. 39, 8. seq. et Isai. 29, 11.

[6] Vers. 1; sequitur Dan. 7, 10. seq.

[7] Ex A fol. 137 r. et B fol. 72 v.

[8] Vers. 15. seq.

[9] Auctor alludit ad illius aetatis nimia de futuro vaticinia.

[10] Vers. 56; sequitur Ionae 1, 3.

[11] Libr. IV. de Vitis Patrum, c. 55; cfr. etiam l. c. 44. seqq.

[12] Vers. 26.

Commendabilis, et haec est electorum, qui « fu-
em, de mmenda- i triplici. giunt a Deo irato ad Deum placatum [1] »; et haec est fuga a peccati *occasione,* qua fugiunt exemplo Ioseph fuga expedita; Genesis trigesimo nono [2]: *Relicto in manu eius pallio, fugit et egressus est foras.* — A peccati *suggestione,* qua fugiunt fuga victoriosa; primi Regum vigesimo primo: *Surrexit itaque David et fugit in die illa a facie Saul.* — A peccati *perpetratione,* qua fugiunt fuga accelerata; Ecclesiastici vigesimo primo: *Quasi a facie colubri fuge peccata.* Exemplum de columba alba, in arbore amoena audivit de terra serpentem.

Fugiendum ergo ad montes concurrentes et de-
o sit fu- endum. centes in unum *montem* summum, Christum Iesum; ad *montes,* inquam, excelsae *perfectionis;* Ioannis sexto [3]: *Subiit in montem Iesus et ibi sedebat cum discipulis suis;* Genesis vigesimo secundo: Relictis pueris et asino, ascendit verticem montis etc. — Ferventis *orationis;* Lucae sexto [4]: *Exiit* Iesus *in montem orare et erat pernoctans in oratione Dei.* — Serenae *contemplationis;* Exodi vigesimo quarto: *Ascende ad me in montem et esto ibi. Erat autem species gloriae Domini quasi ignis ardens super verticem montis in conspectu filiorum Israel.*

Sermo III [5].

Item, sermo fratris Bonaventurae Fratribus de Assisio.

Qui legit intelligat, Matthaei vigesimo quarto [6].

Duo facit Dominus in his verbis: primo *solliciDivisio. tat cognitivam* ad speculationem intentam et arduam de futuris, cum dicit: *Qui legit;* secundo *incitat affectivam* ad degustationem et applicationem devotam et plenam super aeternis, ibi: *intelligat.*

rs I. De- odum in iplici li- bro. I. Circa primum nota, quod debemus legere in triplici libro: *conscientiae* per explorationem defectuum et profectuum; Danielis septimo [7]: *Iudicium sedit, et libri aperti sunt.* — *Scripturae* per investigationem divinarum voluntatum; Baruch quarto: *Hic* est *liber mandatorum Dei et lex, quae est in aeternum* etc. — *Naturae* sive creaturae per contemplationem et recognitionem aeternorum vestigiorum; Isaiae trigesimo quarto: *Requirite diligenter in libro Domini et legite.*

rs II. De iplici le- di modo. II. Circa secundum nota, quod applicare debemus intellectum et affectum legendo in libris dictis: per *studium meditationis* vigilantis; Iosue primo [8]: *Meditaberis in volumine Legis diebus ac noctibus; tunc diriges viam tuam et intelliges eam.* — Per *usum devotionis* sursum agentis; tertii Regum tertio: *Ecce, dedi tibi cor sapiens et intelligens.* — Per *exercitium considerationis* castificantis; Danielis primo: *Danieli dedit Deus intelligentiam omnium visionum et somniorum.*

Sermo IV [9].

Sermo fratris Bonaventurae Fratribus de Masticone.

Ambuletis digne Deo, per omnia placentes, ad Colossenses primo [10].

Duo facit Apostolus in his verbis: primo, *invi-* Divisio. *tat* ad sollicitam interiorum *reformationem,* cum dicit: *Ambuletis digne Deo;* secundo, *excitat* ad evangelicam morum et actuum *compositionem,* ibi: *per omnia placentes.*

Pars I. De triplici ratione digne ambulandi. I. Circa primum nota, quod *ambulat* quis *digne Deo* per tria, scilicet per *usum orationis* devotae; Baruch quinto [11]: *Ambulet Israel diligenter in honorem Dei;* idem: *Ambula per viam ad splendorem eius contra lumen eius.* — Per *studium* caelestis *sapientiae;* ad Ephesios quinto: *Ambulate, non quasi insipientes, sed ut sapientes, et implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus.* — Per *exercitium* spiritualis *gratiae;* Psalmus [12]: *Ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquisivi.*

Pars II. De triplici exercitio. II. Circa secundum nota, quod *placet* quis hominibus per tria, scilicet per *speculum* laudabilis *vitae;* primae ad Corinthios decimo [13]: Placete, *sicut et ego per omnia omnibus placeo.* — Per *verbum aedificationis* et gratiae; ad Romanos decimo quarto: *Qui in hoc servit Christo placet Deo et probatus est hominibus.* — Per *aspectum pietatis* et clementiae; Sapientiae quarto: *Placens Deo factus est dilectus* etc.

Sermo V [14].

Item, sermo fratris Bonaventurae Fratribus de Portiuncula.

Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine, ad Colossenses primo [15].

In verbis his duo facit Apostolus: primo osten- Divisio. dit *redemptionis beneficium* ab omnibus recognoscendum et pro eo a singulis praecordialiter regratiandum, cum dicit: *Gratias agentes Deo Patri;* secundo, omnibus participabilem ipsius *beneficii* singularem *fructum,* ibi: *qui dignos nos fecit* etc.

---

[1] August., Enarrat. in Ps. 74. n. 10.
[2] Vers. 12; sequuntur I. Reg. 21, 10. et Eccli. 21, 2.
[3] Vers. 3; deinde respicitur Gen. 22, 5.
[4] Vers. 12; sequuntur Exod. 24, 12. et dein v. 17.
[5] Ex A fol. 137 v.
[6] Vers. 15.
[7] Vers. 10; sequuntur Baruch 4, 1. et Isai. 34, 16.
[8] Vers. 8; sequuntur III. Reg. 3, 12. et Dan. 1, 17.
[9] Ex A fol. 138 r.
[10] Vers. 10, ex Epistola huius Dominicae.
[11] Vers. 7; sequuntur c. 4, 2. et Eph. 5, 15. 16. 18. 19.
[12] Psalm. 118, 45.
[13] Vers. 33; sequuntur Rom. 14, 18. et Sap. 4, 10.
[14] Ex A fol. 138 r.
[15] Vers. 12.

Circa totum nota, quod grati debemus esse *Deo Patri*, quia ipse per Filium nos redemit et illuminavit, paravit et donavit nobis hereditatem aeternam praeclaram, cuius participatio seu *sors* est in octo illuminationibus amorosis seu splendoribus aeterne radiativis. Octo illuminationes amorose.

Habemus namque in ea participare aeterne lumen divinae *Maiestatis;* Psalmus [1]: *In lumine tuo videbimus lumen. Domine, in lumine vultus tui ambulabunt;* Isaiae sexagesimo: *Tunc videbis et affluES, et mirabitur et dilatabitur cor tuum* etc. — *Assumtae* in Christo *humanitatis;* Apocalypsis vigesimo primo [2]: *Civitas* illa *non eget sole neque luna, ut luceant in ea; nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna eius est Agnus.* — Venerabilis *Virginis Matris;* Apocalypsis duodecimo: *Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim.* — *Angelicae claritatis;* Iob trigesimo octavo: *Ubi eras, cum me laudarent simul astra matutina, et iubilarent omnes filii Dei?* — Sanctarum *animarum speciositatis;* Psalmus [3]: *In splendoribus Sanctorum* etc. — Glorificatorum *corporum venustatis;* Matthaei decimo tertio: *Iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* — *Caelorum* et luminarium caelestium *varietatis;* Isaiae trigesimo: *Erit lux lunae sicut lux solis, et lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum* etc. — *Elementorum* pulcriformis *renovationis* et novitatis; Apocalypsis decimo octavo [4]: *Terra illuminata est a gloria eius. Inclina cor tuum ad cognoscendum prudentiam.*

Sermo VI [5].

In omni opere bono fructificantes et crescentes in scientia Dei [6].

(Prothema). *Pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est et fructificat et crescit,* ad Colossenses primo.

In verbis ultimo propositis loquitur Apostolus de verbo evangelicae veritatis, de quo duo dicuntur hic: primum enim proponitur evangelicae veritatis *diffusio* per orbem; secundo subiungitur ipsius *fructificatio* et augmentum. Primum, ibi: *Pervenit ad vos* etc.; secundum, ibi: *fructificat et crescit. Pervenit,* id est, per praedicationem venit; *ad vos et in universo mundo,* Evangelium; sed *fructificat et crescit,* ad profectum credentium. — *Diffusum* est igitur Evangelium per praedicationem; *fructificat,* per bonorum operum exsecutionem; sed *crescit,* per ampliorem scientiae cognitionem. — De Evangelii *diffusione* per praedicatores in Psalmo [7]: *In omnem terram exivit sonus eorum* etc. — De Evangelii *fructificatione* per bonorum operum exsecutionem in Glossa: *fructificat,* « id est, fructificare facit per bona opera »; Matthaei decimo tertio: Semen, quod *cecidit in terram bonam,* aliud attulit *fructum centesimum,* aliud *sexagesimum,* alind *trigesimum.* — De Evangelii *augmentatione* per maiorem veritatis cognitionem in Glossa [8]: « *Crescit,* id est, crescere facit augmentatio scientiae ». Ut autem aliquis crescat in scientia Dei, tria requiruntur, videlicet *fervor desiderii* et pia supplicatio, *frequentia studii* et ingis meditatio, *sanctitas animi* et audiendi continuatio. — De primo dicitur tertii Regum tertio [9]: *Apparuit Dominus Salomoni per somnium nocte, dicens: Postula,* inquit, a me, *quod vis, ut dem tibi. Et ait Salomon: Dabis servo tuo cor docile* et intelligens, *ut populum tuum iudicare possit. Et dixit Dominus Salomoni: Quia postulasti tibi sapientiam, feci tibi secundum sermones tuos et dedi tibi cor sapiens et intelligens in tantum, ut nullus ante te similis tui fuerit nec post te surrecturus sit.* — De secundo dicitur Ecclesiastae primo [10]: *Qui addit scientiam addit et laborem;* Glossa: *Qui addit scientiam,* in scientia crescendo, *addit et laborem,* in addiscendo. Glossa [11]: « Sapiens dolet, tantum latere sapientiam nec ita praebere semen quacrentibus, ut lumen visui, sed per tormenta quaedam et intolerandum laborem ingi meditatione et studio pervenire ». — De tertio, Proverbiorum primo [12]: *Audiens sapiens sapientior erit;* Glossa: « Ostendit, neminem tam sapientem in hac vita, qui non possit sapientior esse, etiam dictis minorum. Audivit regina Saba Salomonem, minor maiorem, et sapientior rediit; audivit Moyses socerum multo inferiorem, et sapientior factus est ». Quisquis ergo voluerit *fructificare* et *crescere* in praedicatione evangelicae veritatis, *oret humiliter* cum fervore desiderii, *meditetur iugiter* cum frequentia studii, *audiat libenter* cum puritate animi. Rogemus ergo etc. Prothema.

Sermo. In omni opere etc.

Sanctus Apostolus, tanquam pius pater et sollicitus magister, desiderans, suos discipulos spirituales esse perfectos, non cessat orare, ut proficiant in operibus activae et contemplativae, ut tandem perveniant ad perfectionem vitae, sicut dicit Hugo de Arca Noe [13]: Sermo.

[1] Psalm. 35, 9; sequuntur Ps. 88, 16. et Isai. 60, 5.
[2] Vers. 23; sequuntur c. 12, 1. et Iob 38, 4. 7.
[3] Psalm. 109, 3; sequuntur Matth. 13, 43. et Isai. 30, 26.
[4] Vers. 4; deinde sequitur Prov. 2, 2.
[5] Hunc sermonem sumsimus ex cod. 1464 bibliothecae civitatis Trecensis, qui est saec. XIII. et habet non paucos sermones expresso nomine Bonaventurae tributos. Hic sermo ibi habetur fol. 6 r. col. 1, ubi in margine superiore hoc nomen adhuc satis distingui potest, licet quaedam litterae sint deletae. In tabula codicis de eodem sermone annotatur fol. 2: *Optimus sermo de fructu spiritus etc. In omni opere etc.*
[6] Coloss. 1, 10, ex Epistola huius Dominicae. — Prothema habetur ibid. v. 6.
[7] Psalm. 18, 5; sequuntur Glossa in Coloss. 1, 6. apud Petr. Lombardum et Matth. 13, 8.
[8] Apud Petr. Lombardum in hunc locum.
[9] Vers. 5. 6. 9. 11. 12.
[10] Vers. 18.
[11] Scilicet *ordinaria* apud Lyranum in hunc locum.
[12] Vers. 5; sequitur Glossa *ordinaria* in hunc locum, ubi respiciuntur III. Reg. 10, 1. seqq. et Exod. 18, 17. seqq.
[13] Scilicet de Arca Noe morali, IV. c. 2.

« Nemo subito perfectus fit, sed proficiendo quisque ad perfectionem tendit, qui, quamdiu adhuc habet in quo proficere possit, nondum ad summam perfectionem pervenit ». Proficiendum est igitur in operibus activae et contemplativae, usquequo perveniamus ad perfectionem vitae; quia, sicut dicit Augustinus de Civitate Dei [1], « ex illis tribus vitae generibus: actuoso, otioso et ex utroque composito, quamvis salva fide quisque possit in quolibet eorum vitam ducere et ad sempiterna praemia pervenire; interest tamen, quid amore teneat veritatis, quid officio caritatis impendat. Nec sic quisque debet esse otiosus, ut in eodem otio utilitatem non cogitet proximi, nec sic actuosus, ut contemplationem non requirat Dei ». Haec sunt illa duo, quae tanguntur in verbis propositis, scilicet *officium caritatis* et *amor veritatis*. Primum, ibi: *In omni opere;* secundum, ibi: *et crescentes. Caritatis officium* respicit utilitatem proximi et pertinet ad activam; *amor veritatis*, scientiam Dei et pertinet ad contemplativam; et est ordinatus processus, ut homo primo se in operibus fructuosis exerceat, antequam *in scientia Dei crescat.* Isidorus de Summo Bono [2]: « Non proficit facere bonum, nisi correctum fuerit malum; nec poterit quisquam ad contemplationis arcem proficere, nisi prius se studuerit in bonis operibus exercere ».

Divisio.

I. *In omni opere bono fructificantes;* ecce, *caritatis officium* fructuosorum operum, exercitium, quod respicit utilitatem proximi et pertinet ad activam. Homo enim fructificare tenetur ad modum arboris. Unde Innocentius [3]: « Quid est enim homo secundum formam nisi quaedam arbor inversa, cuius radices sunt crines; truncus, caput cum collo; stipes, pectus cum alvo; rami sunt ilia cum tibiis; frondes sunt digiti cum auriculis ». Homo ergo ad modum arboris tenetur fructificare. Ut autem in bono opere fructificemus, tria requiruntur: *continuatio sanctae operationis, rectitudo intentionis, declinatio ab operibus malis.*

I. Offensa caritatis.

Subdivisio.

Illi ergo in *bono opere fructificant* qui bene operari inchoantes, finaliter perseverant. Ad hoc autem facit quod dicitur Ioannis decimo quinto [4]: *Posui vos, ut eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat. — Posui vos,* Apostolos, *ut eatis,* in universum mundum ad praedicandum; Marci ultimo: *Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae. Et fructum afferatis,* infideles ad fidem convertendo; Ecclesiastici trigesimo nono: *Florete flores et fructificate. Quasi Libanus odorem suavitatis habete.* Sequitur: *et fructus vester maneat,* in bonis operibus perseverando. Unde Hugo, ubi supra [5]: « Inchoata virtus non prodest, nisi ad finem perducatur ». Quisquis ergo virtutem inchoat quasi quendam bonitatis in se fructum format; quisquis autem virtutem incipit et deserit, velut fructus immaturus ante tempus cadit. Sapientiae quarto [6] dicitur: *Fructus eorum inconsummati et inutiles et acerbi ad manducandum et ad nihilum apti.* Haec est prima conditio, *continuatio operationis,* quae valet ad fructum boni operis.

Continuatio sanctae operationis.

De rectitudine intentionis.

Sed quia dicitur in Canticis [7], in Glossa super illud: *Videamus, si floruit vinea, si flores fructus parturiunt;* Glossa: « Mirum non est, si quis bona inchoet, sed valde mirabile est, si intentione recta in bono opere perseveret »; ideoque ad fructum boni operis requiritur *rectitudo intentionis.* Illi ergo in *bono opere fructum* faciunt, qui solum gloriam Domini intendunt; Ecclesiastici vigesimo quarto [8]: *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, et flores mei fructus honoris et honestatis. — Ego quasi vitis,* in qua sunt palmites bonae operationis, *fructificavi suavitatem odoris;* ille enim *fructificat suavitatem odoris,* cuius fama absentibus et longe positis innotescit. Sequitur: *et flores mei fructus honoris et honestatis;* in flore tria sunt: spes fructus, species et odor, quae tria per similitudinem in bono opere invenimus. Sicut in flore futurus fructus *promittitur,* ita in bono opere futurum retributionis praemium exspectatur tertium; sicut flos per speciem fulget et per odorem demulcet, ita bonum opus per *speciem* fulget, quando laudabile est praesentibus; et per *odorem* demulcet, quando innotescit absentibus. *Et flores* etc. *Fructus honoris* sunt, quia ad honorem Dei; *et honestatis,* quia ad honestatem proximi. Ille enim in bono opere fructus facit, qui honorem et aedificationem proximi intendit; unde Hugo, ubi supra [9]: « Fructus boni operis est virtus occulta rectae intentionis. Quisquis vacuus a virtute bonum opus in oculis hominum foris exhibet, velut arbor est, quae sine fructu floret ». — Illi ergo in bono opere fructum faciunt, qui solum gloriam Domini intendunt.

Declinatio ab operibus malis.

Tertia conditio est *declinatio ab operibus malis.* Illi in bono opere fructificant, qui bene operantes, vitia declinant; in Psalmo [10]: *Ego sicut oliva fructifera in domo Dei* etc. Fructus olivae, oleum; oleum autem habet *lucilitatem, suavitatem* et *pinguedinem;* quia *lucidum,* valet ad illuminandum; quia *suave,* valet ad curandum; quia *pingue,* valet ad reficiendum. Ita dicit Hieronymus: « Oleum olivae surgit ex amaritudine radicis in pabulum luminis, in refectionem esurientis et in medicinam vulneris ». — Ad modum olivae debent praelati fructificare, ut sit in eis lumen eruditionis, pinguedo devotionis et medicina

Declinatio ab operibus malis.

Ad praelatos.

[1] Libr. XIX. c. 19.

[2] Scilicet Sententiarum libr. II. c. 7. n. 7; de secunda parte cfr. etiam Gregor., VI. Moral. c. 37. n. 59.

[3] Libr. I. de Contemptu mundi, c. 9.

[4] Vers. 16; sequuntur Marc. 16, 15. et Eccli. 39, 19. 17. 18.

[5] Libr. III. de Arca Noe morali, c. 13.

[6] Vers. 5; Vulgata legit: *Confringentur rami inconsummati, et fructus illorum inutiles* etc.

[7] Cap. 7, 12. cum Glossa *ordinaria* apud Lyranum.

[8] Vers. 23. [9] Libr. III. de Arca Noe morali, c. 12.

[10] Psalm. 51, 10. — Sequitur auctor Comment. in Marc. 1, 4. (inter opera Hieronymi).

curationis. Ieremiae undecimo [1] dicitur: *Olivam uberem, puleram, fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum: olivam,* ratione fructificationis; *uberem,* ratione devotionis; *puleram,* ratione eruditionis; *fructiferam,* ratione operationis; *speciosam,* ratione conversationis. Sed hodie impletum est illud Habacuc tertio: *Mentietur opus olivae;* ideoque in bono opere non fructificant, quia ad opera infructuosa declinant, cum tamen dicatur ludicum nono: *Ierunt ligna, ut ungerent super se regem, dixeruntque olivae: Impera nobis. Quae respondit: Nunquid possum desercre pinguedinem meam? — Ligna* silvae sunt opera infructuosa; praelatus est *oliva,* quae *pinguedinem* suae devotionis non debet *desercre* propter laborem infructuosae operationis; pinguedo devotionis quandoque remittitur, quandoque exstinguitur. De Maximis Theologiae [2] dicitur: « Omne opus meritorium in homine aut progrediendo proficit, aut tependo languescit, aut cessando deficit ». Commentator dicit: « Fervor caritatis per veniale remittitur, per mortale exstinguitur ». Ideo qui in bono opere volunt fructificare tenentur vitia declinare; Ecclesiastici trigesimo quarto [3]: *Quid prodest baptizari a mortuo et iterum tangere mortuum?* Sic et homo in peccatis iciunans et iterum eadem faciens.

Septem impedimenta fructificationis. De primo impedimento.

Sicut sunt septem impedimenta fructus temporalis, sic sunt septem impedimenta fructus spiritualis. — Primum impedimentum est *locusta*, de qua dicitur Exodi decimo in Glossa [4]: « Locusta plus quam cetera animalia frugibus nocet ». Secundum Strabum « locusta est animal volatile dente noxium ». Haec est *superbia,* quae semper ad alta volare intendit; propter quod dicitur Ecclesiastici sexto [5]: *Non te extollas in cogitatione animae tuae velut taurus, ne forte elidatur virtus tua per stultitiam, et folia tua comedat et fructus tuos perdat, et relinquaris velut lignum aridum in eremo. — Non te extollas in cogitatione animae tuae,* id est in secreto cogitationis tuae, *velut taurus;* sic enim se extollebat illa locusta lucifer; Isaiae decimo quarto: *In caelum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum* etc. Taurus enim est animal cervicosum. Talis est superbus, cervicose se gerens in facto et in verbo et in incessu et risu. Unde Gregorius in Moralibus: « Cunctis superbia apud se tumentibus inest clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in laetitia, furor in tristitia, inhonestas in actione, honestas in imagine, elatio in incessu, rancor in responsione. Mens eorum semper est ad irrogandas contumelias valida, ad tolerandas infirma, ad obediendum pigra, ad lacessendos alios importuna ». *Non te extollas* ergo *in cogitatione animae tuae.* Sequitur: *ne forte elidatur virtus tua;* et enarrat quatuor mala, quae facit superbia: *elidit* virtutem mentis, *comedit folia* locutionis, *perdit fructum* boni operis et *efficit defectum* gratiae humectantis. *Ne forte elidatur virtus tua,* Glossa [6]: « Deus inspector est cordium, qui cum cervicosam animae virtutem inspexerit, *virtutem* eius *elidit* ». Sic enim *virtus in infirmitate perficitur* [7] et in elatione eliditur; unde dicebat Iudith: *Allide virtutem illorum in virtute tua.* Haec est enim superbia, quae virtutem primi angeli et primi hominis elisit. Unde Innocentius: « O superba praesumtio, o praesumtuosa superbia! quae non solum angelos Deo parificare voluit, sed homines praesumsit deificare, et quos erexit depressit, et quos exaltavit humiliavit ». Sequitur: *et folia tua comedat et fructus tuos perdat.* Ecce, comestio locutionis et perditio operationis. Isidorus de Summo Bono [8]: « Sicut superbia est origo omnium criminum, ita ruina est omnium virtutum; prima in conflictu, postrema in recessu ». Sicut enim vermis, qui de ligno nascitur, *folia comedit et perdit fructus;* sic est de verme superbiae, *perdit fructus,* boni operis, *et comedit folia,* locutionis. Sequitur: *et relinquaris velut lignum aridum in eremo. Lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, fructum dabit in tempore suo* [9], sed *lignum aridum* propter defectum gratiae humectantis sine spe fructus *relinquitur in eremo.* Istum defectum facit superbia, sicut dicit Gregorius in Moralibus: « Superbia ut vitiorum radix, nequaquam unius virtutis exstinctione contenta, contra omnia membra animae se erigit et quasi generalis ac pestifer morbus corpus omne corrumpit ». Sic ergo apparet, qualiter locusta superbiae fructum spiritualem impedit et corrumpit.

Quatuor mala superbiae.

De secundo

Sequitur secundum impedimentum, videlicet « *bruchus,* id est fetus locustae », sicut dicitur in Glossa Exodi decimo [10], « quia iacens in uno loco radicitus fructus evellit »; hic est enim bruchus *gulae,* qui fructum boni operis consumit. De primo guloso dicitur Genesis tertio [11]: *Quia audisti vocem uxoris tuae et comedisti de ligno, ex quo praeceperam tibi, ne comederes; maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitae*

---

[1] Vers. 16; sequuntur Habac. 3, 17. et Iudic. 9, 8. seq.

[2] Alanus ab insulis, Theolog. Regulae regula 85. (ed. Migne, Patrol. Lat. tom. 210. col. 664), ubi etiam sequens locus commentatoris invenitur.

[3] Vers. 30; Vulgata: *Qui baptizatur a mortuo et iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius?*

[4] Scilicet *ordinarii* apud Lyranum in Exod. 10, 4, ex Gregor., XXXI. Moral. c. 23. n. 47. — Sequitur Glossa Strabi in hunc locum sec. August., Serm. 8. de decem Plagis et Praeceptis, c. 8. n. 9.

[5] Vers. 2. seq.; sequuntur Isai. 14, 13. seq. et Gregor., XXXIV. Moral. c. 23. (alias 20.) n. 52.

[6] Scilicet *ordinarii* apud Lyranum in hunc locum.

[7] Epist. II. Cor. 12, 9; sequuntur Iudith 9, 11, et Innocent. III, II. de Contemptu mundi, c. 32.

[8] Libr. II. c. 38. n. 7.

[9] Psalm. 1, 3. — Sequitur Gregor., XXXIV. Moral. c. 23. (alias 18.) n. 48.

[10] Est potius Glossa *ordinarii* apud Lyranum in loc. 1, 4.

[11] Vers. 17. seqq. — Sequens locus est August., XI. de Gen. ad litt. c. 38. n. 51.

tuae. Spinas et tribulos germinabit tibi, donec revertaris in terram, de qua sumtus es. Quod exponens Augustinus super Genesis undecimo, (ait): « Hos esse labores humani generis, quis ignorat » ? — Dicitur: *Quia audisti vocem uxoris tuae,* ei consentiendo in peccatum; *et comedisti de ligno,* transgrediendo meum praeceptum; *maledicta terra in opere tuo,* non afferendo fructum; et subinngit quatuor poenas

ae quaterrae. terrae: infructuositatem, cum dicit: *maledicta;* laboris continuitatem, cum dicit: *in laboribus* etc.; superfluorum et noxiorum multiplicitatem, cum dicit: *Spinas et tribulos germinabit tibi* etc.; mortis poenalitatem, cum dicit: *donec revertaris* etc. — *Quia audisti vocem* etc., ei consentiendo in peccatum; *mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi* [1]. Verum dixit Secundus [2] philosophus: « Mulier est hominis confusio, contubernalis bestia, continua sollicitudo, indesinens pugna, quotidianum damnum, domus tempestas, solitudinis impedimentum, viri continentis naufragium, pondus gravissimum », apis insatiabilis, humanum mancipium. Unde Chrysostomus super Matthaeum [3]: « Quid est mulier nisi amicitiae inimica, ineffugabilis poena, necessarium malum, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum », falx satanae, rosa foetens, dulce venenum, semper prompta in sibi contrarium ? Sequitur: *dedit mihi de ligno, et comedi.* Illud erat *lignum scientiae boni et mali* [4], de quo Augustinus, octavo super Genesim: « Arborem istam non fuisse cibo noxiam, sed malum fuisse hominem, praecepti transgressorem. Oportebat enim, ut homo, sub Domino suo positus, ab aliquo prohiberetur, ut ei promerendi Dominum suum virtus esset ipsa obedientia, quam possum verissime dicere solam esse virtutem omni creaturae rationali agenti sub potestate; primumque esse et maximum vitium tumoris ad ruinam sua potestate velle uti, cuius vitii nomen est inobedientia. Arbor itaque illa non erat mala, sed appellata est *scientiae* dignoscendi bonum et malum, quia, si post prohibitionem homo ex illa ederet, per experimentum poenae disceret, quid interesset inter obedientiae bonum et inobedientiae malum. Verum non de fructu vel de pomo, quod ex illa nascitur, sed ex ipsa re nomen impositum est, quae fuerat subsecutura ». Ideo subiungitur: *Maledicta terra in opere tuo. Maledicta terra,* id est caro terrena gulosi, cui dicitur Deuteronomii vigesimo octavo [5]: *Maledictus fructus ventris tui et fructus terrae tuae.* Sequitur: *Spinas et tribulos germinabit tibi,* id est, incendia vitiorum inflammabit; unde Isidorus: « Ebrietas perturbationem gignit mentis, furorem cordis, flammam libidinis, mentem ita alienat, ut, ubi sit, nesciat », et omnia membra debilitat. — *Bruchus* igitur *gulae* fructus boni operis consumit et exterminat; in Psalmo [6] dicitur: *Fructum eorum de terra perdes, et semen eorum a filiis hominum.*

De tertio impedimento.

Tertium impedimentum est *eruca,* quidam vermis, qui consumit frondes olerum, et dicitur ab *erodo, erodis,* quia totum consumit et comedit. Haec est eruca *luxuriae,* quia, sicut dicit Innocentius [7], « omnem aetatem corrumpit, omnem sexum confundit, omnem ordinem dissolvit, omnem gradum pervertit. Invadit enim senes et invenes, mares et feminas, prudentes et simplices, superiores et inferiores, ad extremum etiam sacerdotes, qui nocte Venerem amplexantur et mane Virginem venerantur. Turpe dictu, turpissimum actu ». Luxuria igitur fructum boni operis consumit; Sapientiae tertio [8]: *Sapientiam et disciplinam qui abiicit infelix est; et vacua est spes illorum, et labores sine fructu. — Sapientiam,* recti dogmatis; *et disciplinam,* sanctae conversationis; *qui abiicit,* per lasciviam carnis, *infelix est,* id est, expers erit aeternae felicitatis; *et vacua est spes illorum,* commutando aeterna pro terrenis, *et labores sine fructu,* propter inhonestatem operis. *Sapientiam* etc. Tales sunt luxuriosi; Proverbiorum primo [9]: *Sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt,* tanquam eis exosam; in Ecclesiastico: *Verbum sapiens audivit luxuriosus, et displicebit illi.* Sequitur: *et vacua est spes illorum;* Glossa: « Credendo, temporalia fore aeterna, et peccata impunita ». De primo, Sapientiae secundo [10]: *Venite, fruamur bonis, quae sunt. — Frui* autem non est proprie nisi aeternis, et voluntas delectata propter se conquiescit. Credunt igitur illi, « temporalia fore aeterna ». Sequitur in Glossa: « et peccata impunita »; Ecclesiastici vigesimo tertio [11]: *Omnis homo, qui transgreditur lectum suum, contemnens in animam suam et dicens: Quis me videt? Tenebrae circumdant me, et parietes cooperiunt me, et nemo circumspicit me, quem vereor? Delictorum meorum non memorabitur Altissimus. Vacua est spes illorum, et labores sine fructu.* Sicut dicit Bernardus, « luxuria est sitis ebria, amaritudo aeterna, lucem odit, tenebras appetit, totam hominis depraedatur mentem. Haec est, qua imaginatio torpet, ratio obtenebratur, intellectus confunditur ». Merito ergo *labores sine fructu.* — Haec est ergo *eruca luxuriae,* quae fructum boni operis consumit.

---

[1] Gen. 3, 12.

[2] Ut dicit Maximus Confessor, Loci communes, serm. 29. de mulieribus (ed. Migne, Patr. Graeca, tom. 91. col. 911), paucis mutatis.

[3] Opus imperfect. (inter opera Chrysost.), homil. 32. post medium.

[4] Gen. 2, 9. — Sequitur August., VIII. de Gen. ad litt. c. 6. n. 12.

[5] Vers. 18. — Sequens locus est Isidor., II. Sent. c. 43. n. 1. seq.

[6] Psalm. 20, 10.

[7] Papa III, II. de Contemptu mundi, c. 22.

[8] Vers. 11.

[9] Vers. 7; sequuntur Eccli. 21, 18. et Glossa *interlinearis* in Sap. 3, 11.

[10] Vers. 6.

[11] Vers. 25. seq. — De loco S. Bernardo attributo vide Hieron., I. Comment. in Osee c. 4. v. 10. seqq.

Quartum impedimentum est *arefactio*. Terra
De quarto. diu arefacta non potest ferre fructum. Talis enim est *accidia* operationis bonae, quae reddit hominem aridum humore gratiae; Osee nono [1]: *Radix eorum exsiccata est, fructum nequaquam facient.* — *Radix* enim fructificantium sive fructuose operantium habet profunditatem, vivacitatem et humiditatem et firmitatem. *Profunda* est per constantiam perseverantiae; *humida* est per infusionem gratiae; *vivax* est per desiderium institiae; *firma* et stabilis est per spem gloriae. Sed econtra *radix* accidiosorum *exsiccata est* ab humore gratiae, a desiderio institiae, a spe gloriae et constantia perseverantiae. Accidia enim est, quae magna aggredi pavescit, bona incepta fastidit. Haec est, quae clericum arcet a studio, claustralem a claustro excludit, vitia nutrit, virtutes excludit, parit gulam, nutrit luxuriam, detractiones seminat, iurgia provocat. Ideo sequitur: *fructum nequaquam facient,* bonae scilicet operationis; Proverbiorum decimo octavo [2]: *Pigrum deiicit timor,* Glossa: « a bono opere »; et vigesimo sexto: *Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo;* Glossa: « Multi, cum verba exhortationis audiunt, dicunt, se velle viam institiae ingredi; sed a satana retrahuntur, ne proficiant, sicque se excusando in *lectulo* corporis sui *sicut ostium in cardine* vertuntur ». *Desideria occidunt pigrum; noluerunt enim quidquam manus eius operari* [3]. Hoc est quartum impedimentum.

Sequitur de quinto impedimento. Quintum im-
De quinto. pedimentum est *rubigo,* quae facit putrescere segetes; *delit aerugini fructus eorum* [4]. Haec est *avaritia,* quae rubiginat avarorum mentes; Iacobi ultimo: *Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quae advenient vobis. Divitiae vestrae putrefactae sunt, et vestimenta vestra a tineis comesta sunt. Aurum et argentum vestrum aeruginavit, et aerugo eorum in testimonium vobis erit.* — *Agite nunc, divites;* divites « in pecunia », pauperes in gratia; *agite,* poenitentiae fructuosa opera; *nunc,* ante tempus iudicii, quando non licebit operari; in Ecclesiaste [5]: *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus nec ratio nec sapientia nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas. Plorate,* fletu contritionis, *ululantes,* clamore affectionis, pro *miseriis vestris, quae advenient,* in futuro, quia hic gaudetis in vanis. *Divitiae vestrae putrefactae sunt,* quia nimis eas conservastis; *vestimenta vestra a tineis comesta sunt;* vestiunt pretiosis, ut cibum tineis praeparent, et imaginem Dei, pauperem, nudum dimittunt. *Aurum et argentum vestrum aeruginavit,* propter diuturnam incarcerationem iam periit vel defecit. *Et aerugo eorum,* id est auri et argenti; *erit vobis,* id est contra vos, *in testimonium,* peccati et nequitiae; Glossa: « *Aerugo* pecuniae vertitur in testimonium nequitiae et augmentum poenae ». Ista aerugo avaritiae tollit fructum operationis bonae; Amos sexto [6]: *Convertistis in amaritudinem iudicium et fructum iustitiae in absinthium.* — *In absinthium fructum iustitiae convertunt* qui pro iustitia munera accipiunt. Tales enim sunt avari. Unde dicit Innocentius: « Avarus ad petendum promptus, ad dandum tardus, ad negandum frontosus. Patientibus non compatitur nec miseris miseretur; offendit Deum, proximum et se ipsum. Nam Deo detinet debita, proximo denegat necessaria, sibi subtrahit opportuna. Deo ingratus, proximo impius, sibi crudelis ». *Qui enim sibi crudelis est, quomodo erit alii bonus* [7]? — Hoc est ergo quintum impedimentum.

Sequitur sextum impedimentum, quod est *De sexto.*
pruina; in Psalmo [8] dicitur: *Occidit moros eorum in pruina.* — « Pruina est », sicut dicit Isidorus, « matutini temporis frigus; unde pruinae nomen accepit, quia sicut ignis urit », vel ab urendo dicitur; nihil enim amplius urit quam *invidia.* Haec est, quae possessorem suum vexat et infestat, primo sibi nocet, quam alterum vulneret. Propterea dicitur ad Galatas quinto [9]: *Non efficiamur inanis gloriae cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes;* Glossa Ambrosii: « Huic », id est invido, « vultus tumax, torvus aspectus, pallor in facie, tremor in labiis, stridor in dentibus, verba rabida et effrenata convicia, manus ad violentiam prompta, et, si a gladio interim fuerit vacua, odio tamen furiatae mentis est armata ». Haec est ergo uredo et pruina invidiae, quae consumptiva est operationis bonae; Proverbiorum decimo quarto [10]: *Vita carnium, sanitas cordis; putredo ossium, invidia; interlinearis:* « Bonorum operum ». *Ossa* enim per invidiam *putrescere* est opera robusta per invidiam perire. — Hoc est ergo sextum impedimentum.

Sequitur septimum, quod est *ignis;* in Psalmo [11]: *De septimo.*
Tradidit possessionem eorum igni. — Hic est *ignis iracundiae usque ad* consumptionem *devorans;* de quo dicitur Ecclesiastici vigesimo octavo [12]: *Certamen festinatum incendit ignem, et lis festinans effundit sanguinem, et lingua testificans adducit mortem.* — *Certamen festinatum,* id est, cito prorumpens in opprobria et convicia; *incendit ignem,* furoris et

[1] Vers. 16.
[2] Vers. 8; dein sequuntur Glossa *ordinaria* in hunc locum, c. 26, 14. et Glossa *ordinaria* in v. 13.
[3] Prov. 21, 25.
[4] Psalm. 77, 46; sequitur lac. 5, 1-3. cum Glossa *interlineari* apud Lyranum.
[5] Cap. 9, 10. — Sequitur Glossa *ordinaria* in lac. 5, apud Lyranum.
[6] Vers. 13. — Sequitur Innocent. III, II. de Contemptu mundi, c. 13. et c. 12.
[7] Eccli. 14, 5. et Prov. 11, 17.
[8] Psalm. 77, 47. — Sequitur Isidor., XIII. Etymolog. c. 10. n. 8.
[9] Vers. 26. — Sequitur Glossa *ordinaria* apud Lyranum, sanata verum non ex Ambrosio, sed ex Cypriano, de Zelo et livore c. 8.
[10] Vers. 30.
[11] Psalm. 77, 48; dein respicitur Iob 31, 12.
[12] Vers. 13; sequitur lac. 3, 5. seq.

iracundiae; Iacobi tertio: *Ecce, quantus ignis quam magnam silvam incendit! Et lingua* nostra *ignis est.* Sequitur: *et iis festinans effundit sanguinem,* ad litteram, de verbis ad verbera prorumpens; *et lingua testificans,* id est attestans defectibus aliorum, *adducit mortem.* Frequenter accidit, quod, quando aliquis contentiose alicui defectus suos improperat, incurrit mortem. Exemplum est de quadraginta duobus pueris, qui occisi sunt, quia improperaverunt Eliseo suam calvitiem [1].

Conclusio. *Fructus* talium *sunt inutiles et acerbi ad manducandum et ad nihilum apti.* Qui igitur *in bonis operibus fructificare* voluerit in inceptis debet constanter perseverare, sui Creatoris principaliter gloriam intendere et impedimenta fructus spiritualis vivaciter declinare. Tunc enim poterit *in scientia Dei crescere,* de qua crescentia diximus in prothemate [2], qui sic *fructificaverit in bono opere,* fructu arboris pulcherrimae, fructu Virginis gloriosae. Propterea dicit Bernardus super Canticum [3]: « Festinemus, filii, ad locum tutiorem, ad pastum suaviorem, ad agrum uberiorem. Festinemus, ut habitemus sine metu, abundemus sine defectu, epulemur sine fastidio ». Quod nobis praestare dignetur etc.

Explicit Sermo.

[1] Respicitur IV. Reg. 2, 23. seq.
[2] Hinc videtur, prothema esse loco secundae partis.
[3] Serm. 33. n. 4.

S. BONAVENTURAE

SERMONES DE SANCTIS

DE SANCTO ANDREA APOSTOLO (30 Nov.).

Sermo I [1].

Lignum vitae, desiderium veniens, Proverbiorum decimo tertio [2].

(Prothema). *Lingua placabilis, lignum vitae*, Proverbiorum decimo quinto.

Sicut Dominus in prima conditione mundi, quando condidit hominem et posuit eum in paradiso, diversa lignorum genera in paradiso produxit: quaedam ad continuandam vitam, quaedam ad perpetuandam, ut *lignum vitae* [3]; ita Deus (dedit) homini quasdam doctrinas ad ordinem vitae hominis, quasdam doctrinas ad acquirendum vitam aeternam; et haec est sacra scientia; et ideo omnes aliae isti famulantur, et ista omnibus aliis antecellit. Et ideo de ista scientia, quae est *lingua placabilis*, dicit: *Lingua placabilis, lignum vitae*. Et videte, quod, sicut non potest aliquis accipere doctrinam ab aliquo, nisi intelligat linguam suam, sic nec nos istam scientiam accipere possumus, nisi intelligamus linguam eius. Lingua eius est Spiritus sanctus, per quem ipsa sacra scientia intelligitur. Proba luculenter. Locuti sunt pastores et piscatores in scientia ista et fecerunt libros. Unde habuerunt auctoritatem loquendi? Nisi quia loquebantur a Spiritu sancto, non video, unde. Et ideo dicit Petrus in Canonica sua [4], quod *Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines;* Psalmus: *Lingua mea calamus scribae velociter scribentis*, Spiritus sancti, supple. Et quomodo poterimus intelligere linguam istam? Non potest homo intelligere eam, nisi Spiritus sanctus *loquatur ad cor eius*. Nihil facimus nos praedicatores et doctores extra clamantes, nisi ipse interius operetur in corde per gratiam suam [5]. Ut igitur possimus istam linguam intelligere et audire, rogabimus Spiritum sanctum, ut iuvet nos per gratiam suam, me ad loquendum, vos ad audiendum etc.

Lignum vitae, desiderium veniens.

Et ideo istud assumsimus ad laudem praesentis solemnitatis, pro eo quod hic insinuatur mirabili quadam insinuatione passio sancti Andreae, et hoc quantum ad tria, scilicet quantum ad *passionis modum* vel patiendi modum; quantum ad hoc fuit *acerba* passio ipsius; et hoc, propter diuturnam suspensionem in cruce; et hoc notatur, cum dicitur: *Lignum*. Fuit etiam *salvifica* quantum ad *fructum;* propter quod subdit: *vitae*. Fuit etiam *desiderata* quantum ad *patientis affectum;* propter quod subdit: *desiderium veniens. Acerba* fuit passio sancti Andreae, quia crucifixoria; *salvifica*, quia vivificativa; *desiderabilis*, quia multum affectata et desiderata; et hoc, quia anima eius erat tota ab amore Christi absorpta. Sermo. Divisio.

1. Est attendendum, quod inter patiendi *modum* et patientis *affectum* interponit passionis *fructum*, quia modus patiendi erat de se horribilis, nisi ipsum faceret desiderabilem consideratio fructus passionis. Crux enim, etsi de se esset horribilis et maxime ante passionem Christi, est tamen multum desideranda, quia ipsa est *vivificativa*. Desiderabat igitur beatus Andreas crucem non propter crucem, sed quia sciebat, ibi se invenire fructum, scilicet vitam aeternam. Hanc desideravit beatus Andreas et hanc in cruce invenit [6]. Unde et in ipso impletum est illud Pars 1. De modo patiendi.

[1] Continetur in cod. Parisiensi S fol. 303 r., in quo quidem est anonymus, sed alius optimae notae codex, scilicet Trecensis 1464 fol. 60 v., eundem exhibet contractum et Bonaventurae inscriptum, omissis tamen prothemate et collatione. Cfr. Ratio etc., pag. 305; nota 2. Sermo iste est « reportatus ».

[2] Vers. 12. — Prothema habetur ibid. c. 15, 4.

[3] Respicitur Gen. 2, 9.

[4] Epist. II. c. 1, 21; sequitur Ps. 44, 2. et respicitur Osee 2, 14.

[5] Cfr. Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 30. n. 3.

[6] Vide Surium, Vitae Sanctorum, die 30 Nov. § 10. et 12.

Psalmi[1]: *Desiderium animae eius tribuisti ei.* Et quod fuit illud desiderium, statim subditur: *Vitam petiit a te, et tribuisti ei longitudinem dierum in saeculum et in saeculum saeculi.* — In hoc dedit Dominus illi *desiderium cordis sui*, quia dedit illi vitam aeternam, quam desiderabat, et eo modo, quo desiderabat eam habere, quia per crucem. Hic est debitus modus veniendi ad vitam. Omnes petunt et desiderant vitam aeternam; non invenitur aliquis ita flagitiosus, qui non dicat, se desiderare et petere illam. Sed tamen non debito modo petunt aut desiderant eam mali, quia cum flagitiis suis, cum foeditatibus peccatorum suorum volunt habere eam. Non est ista via ad vitam aeternam, carissimi, sed per pontem Christi: per crucem, per pugnam et victoriam inimicorum. Perfectus igitur athleta Christi, beatus Andreas, non vult venire ad vitam desideratam nisi per pugnam, per crucem; et ideo vitam aeternam desiderans, desiderabat crucem, quia sciebat, quod crux erat sibi *lignum vitae*, lignum dans ei vitam et perdncens ipsum ad vitam. Unde Aegeae dixit, cum[2] vidit, comminari sibi patibulum crucis: « Ego, si crucis patibulum expavescerem, crucis gloriam non praedicarem ». — Et unde illam non expavescebat? Certe hoc erat, quia mysterium crucis attendebat.

Omnes desiderant vitam aeternam.

Sed crux est lignum vitae.

Crux enim exterius apparet horribilis, sed interius desiderabilis, quia, exterius tantum considerata, apparet lignum mortis; sed interius considerantí mysterium crucis apparet *lignum vitae* per ipsum, qui in ea pependit. Cum enim sit fons vitae, vitam tribuit infundendo *gratiam;* ad Romanos[3]: *Stipendia peccati, mors; gratia autem Dei, vita aeterna.* — Item, ipse fons vitae vitam tribuit imprimendo *iustitiam;* Sapientiae quinto: *Iusti autem in perpetuum vivent* etc. — Item, vitam tribuit inspirando *sapientiam*, quia *sapientia filiis suis vitam inspirat.* — Sed certum est, quod omnis praevaricatio legis divinae impugnat et viam gratiae et iustitiae et sapientiae: ergo omnis praevaricatio est *lignum mortis;* propter quod dicitur in Genesis secundo[4]: *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris;* sed non, quia lignum hanc haberet efficaciam, sed propter praecepti divini praevaricationem et propter inobedientiam. Si igitur lignum praevaricationis et inobedientiae est lignum mortis, lignum subiectionis, humilitatis et obedientiae est lignum vitae; et est lignum vitae, quia est lignum vivificantis *gratiae*, vivificantis *iustitiae* et vivificantis *sapientiae.* Et hoc est *lignum crucis;* quapropter lignum crucis est maxime desiderabile; et hoc est mysterium crucis.

Pars II. De passionis fructu.

De ligno mortis.

Subdivisio.

Quod autem crux sit lignum *vivificantis gratiae*, hoc patet, quia hoc ligno *complantamur* Christo[5] per irrigium gratiae *baptismalis;* Psalmus de viro isto sic plantato: *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Aqua haec est affluentia gratiae sacramentalis, vel aquae hae sunt sacramentalium gratiarum affluentia, inter quas gratia baptismalis obtinet principatum, quia per eam mundamur et Christo complantamur; ad Galatas dicit Apostolus: *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Baptisma enim habet virtutem conferendi gratiam a virtute et efficacia passionis Christi; unde Apostolus[6]: *Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati.* — Omnes igitur, qui baptizati estis, esse debetis crucifixi; et ideo beatus Andreas tanquam verissimus Christianus desiderabat crucifigi; et erat totum desiderium suum ad crucem, quia sciebat, lignum crucis esse vivificantis gratiae. — Iterum est lignum *vivificantis gratiae*, quo *renovamur* Christo per irriguum gratiae *poenitentialis;* Iob[7]: *Lignum habet spem; si praecisum fuerit, rursum virescit, et rami eius pullulant.* Quod est illud lignum, quod habet efficaciam reducendi hominem a siccitate ad viriditatem, a morte ad vitam? Hoc est lignum crucis Christi. Quare passus est Filius Dei pro hominibus, non pro angelis? Quia homo susceptibilis est poenitentiae, non angelus[8]. Homo enim est illud lignum, quod ad humorem aqnae, hoc est poenitentialis gratiae, germinat. — Quia igitur crux est lignum vivificantis gratiae, et nos, qui toties per peccata nostra mortui sumus, istud lignum desideremus, poenitentiam agamus et cum Christo patiamur. *Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini,* dicit Petrus; et hoc attendens beatus Andreas, non tantum desiderabat ferre continue crucem poenitentiae, sed etiam ligno crucis affigi, ut Christo assimilaretur. Et nos miseri, tot pleni peccatis, quid poterimus dicere? Nisi poenitentiam agamus, non video, quomodo poterimus in iudicio respondere.

De ligno vivificantis gratiae quadripliciter. Primo, quia Christo complantamur.

Secundo, quia Christo renovamur.

Hortatio.

Est etiam lignum *vivificantis gratiae*, quo *perpetuamur* cum Christo per irriguum gratiae *finalis;* Ieremiae decimo septimo[9]: *Et erit quasi lignum, quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas; et in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum.* — Homo per gratiam finalem *transplantatur*, scilicet de paradiso terrestri ad caelestem; et *ad humorem mittit radices suas* etc. Vides, quomodo exit de mortali peccato; *mittit*

Tertio, qui cum Christo perpetuamur.

[1] Psalm. 20, 3; Vulgata legit: *Desiderium cordis eius* etc. — Sequitur v. 5.

[2] Hic locus est corruptus; pro verbis *Aegeae dixit, cum* codex inepte habere videtur *Ezechieli.* — De verbis S. Andreae cfr. Surius, loc. cit. § 4.

[3] Cap. 6, 23; sequuntur Sap. 3, 16. et Eccli. 4, 12.

[4] Vers. 17.

[5] Respicitur Rom. 6, 5; sequuntur Ps. 1, 3. et Gal. 3, 27.

[6] Rom. 6, 6. [7] Cap. 14, 7.

[8] Cfr. Bonav., II. Sent. d. 7. p. I. a. 1. q. 1. et d. 23. a. 3. q. 2. — Sequitur I. Petr. 4, 1.

[9] Vers. 8; sequitur II. Tim. 2, 11.

radices suas ad humorem gratiae; et illam potest perdere et *desinere facere fructum*. Sed cum erit in gloria et ad illam deductus erit per irriguum finalis gratiae; tunc *mittit radices suas ad humorem* gloriae *et non desinet facere fructum;* et hoc totum facit in nobis crux. Unde est lignum vivificantis gratiae; unde Apostolus: *Fidelis sermo; nam si commortui sumus, et convivemus*, scilicet in gloria; *si commortui sumus*, cum Christo in poenitentia, in cruce poenitentiae. Carissime, vis tu esse cum Christo in gloria? Non refugias pati pro eo, non refugias crucem; hoc sciebat beatus Andreas, et ideo ad crucem

rto, quia aristo fe- adsmor. toto desiderio anhelabat. — Est iterum crux *vivificantis gratiae*, qua *fecundamur* a Christo per irriguum gratiae *universalis;* in Ezechiele [1] de isto irriguo: *Pluviae benedictionis erunt*. Hae *pluviae* sunt affluentia gratiarum, per quas anima fidelis se in virtutibus exercet et fert fructus spirituales, non carnales; *fructus autem Spiritus est caritas, gaudium, pax, patientia* etc. Si vis igitur fructificare spiritualiter, necesse est, te mori carnaliter; in Ioanne exemplum de Christo: *Nisi granum frumenti, cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*. Si igitur volumus habere fructum ligni vitae cum Christo, qui mortuus est et crucifixus, debemus cum ipso crucifigi, ut possimus spiritualem fructum facere.

bis qua- s simul. De his quatuor simul dicitur in Genesis secundo [2]: *Produxit Dominus Deus de humo omne lignum pulcrum visu et ad vescendum suave. Lignum etiam vitae in medio paradisi lignumque scientiae boni et mali. Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita.* Quod est *lignum vitae in medio paradisi*, hoc est in medio Ecclesiae Christi crux Christi vel Christus cruci affixus, qui

eferter am cru- igno vi- *dat* per suam crucem *vitam mundo*. Minoris autem utilitatis erat illud lignum vitae, quod erat in medio paradisi, quam lignum crucis, quia illud lignum tantum poterat continuare vitam in hominibus dispositis, hoc est in homine, quamdiu servaret innocentiam suam; non dabat vitam; istud autem crucis dat vitam, conservat et continuat. Item, illud lignum irrigat flumen materiale; sed istud fluenta gratiae. Dicitur, quod *fluvius* iste *inde dividitur in quatuor capita*, et nominantur ibi, quae quatuor flumina possent aptari quatuor gratiis, de quibus locutus fui. Sed nimis longum esset hoc pertractare. — Quia igitur beatus Andreas cognoscebat virtutes et mysterium crucis et sciebat, istud esse lignum vitae; ideo sitiebat et desiderabat crucem. Unde poterat dicere: *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum*, quasi dicat: non sitio lignum, sed fontem vitae, Christum, qui pependit in ligno. Et quod sic discrete desideraret Andreas lignum crucis propter ipsum Crucifixum, apparet ex verbis suis. Dicebat enim: « Salve, crux pretiosa, quae in corpore Christi dedicata es et ex membris eius tanquam margaritis ornata! Contentus et gaudens venio ad te, et tu exsultans suscipias me, discipulum eius, qui pependit in te. O bona crux, quae decorem et pulcritudinem de membris Domini accepisti [3] » etc. Ecce, quid movebat eum ad crucem: amor Crucifixi; ita desiderabat crucem, quasi videret exemplum in cruce; propter quod totus ferebatur ad crucem. Si igitur nos, qui debemus esse fideles, per fidem nostram scimus virtutem crucis, quare non currimus ad crucem? Quomodo ita eam derelinquimus et de ipsa non curamus, nec solum crucem, sed etiam Crucifixum? De quo conqueritur Dominus, per Ieremiam [4] dicens: *Duo mala fecit populus meus: Me dereliquerunt, fontem aquae vivae, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatus, quae continere non valent aquas.*

Notandum.

Carissimi, qui vult invenire Dominum invenit eum in cruce; et ideo, qui derelinquit crucem, et Dominum [5]; et qui desiderio fervet ad crucem et ad Dominum invenit ibi eum; nec invenit vacuum, sed cum fluentis gratiarum, de quibus dictum est. Anima vero, quae sequitur delectationes suas et quaerit delectationes carnis suae, quae non facit nisi comedere et bibere et lascivire, ipsa *fodit sibi cisternas dissipatas, non valentes continere aquas*, id est fluenta gratiarum. Carissimi, nullus est ita fatuus, qui, si sciret, esse venenum in aliquo cibo quantumcumque delectabili et pretioso de se, quod libenter ex eo comederet. Et tamen delectantur multi in eis, in quibus est venenum spirituale, animam spiritualiter intoxicans. In omnibus enim delectationibus prohibitis est laqueus, venenum et aculeus mortis; in Ecclesiaste [6] dicit Sapiens: *Inveni amariorem morte mulierem, quae laqueus venatorum est.* Melius esset, quod gladius alicuius interficeret hominem corporaliter, quam ipsius neci consentiendo illis se interficeret spiritualiter.

Hortatio.

dlicatio S. An- reum. Secundo crux est lignum *vivificantis iustitiae;* de quo Sapiens [7]: *Benedictum lignum, per quod fit iustitia.* — Hoc est lignum crucis, quod induxit benedictionem et vitam, sicut e contrario lignum praevaricationis maledictionem et mortem. Christus enim in cruce suspensus fuit seu tulit maledictionem, *quia maledictus est omnis, qui pendet in ligno;* et hoc, ut a maledicto nos liberaret. Unde sua maledictione convertit nostram maledictionem in benedictionem. Sicut enim serpens, suggerendo primis parentibus esum ligni vetiti, (id est) delectationes inordinatas, cui ipsi consenserunt, interfecit nos spiritualiter [8]; sic

De ligno vivificantis iustitiae quadrupliciter.

[1] Cap. 34, 26; sequuntur Gal. 5, 22. et Ioan. 12, 24. seq.
[2] Vers. 9. seqq.; deinde respicitur Ioan. 6, 33. et sequitur Ps. 41, 2.
[3] Surius, loc. cit. § 10.
[4] Cap. 2, 13.
[5] Supple *derelinquit*.
[6] Cap. 7, 27.
[7] Sap. 14, 7; sequitur Gal. 3, 13. (cfr. Deut. 21, 23.).
[8] Respicitur Gen. 3, 4. seqq.

Christus poenam peccatorum nostrorum portando vivificavit nos et ad vitam reduxit. *Ipse* enim, ut dicit Petrus [1], *peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiæ vivamus.*

Quadruplex inordinatus appetitus.

Et sicut (patet) [2], in peccato est praevaricatione primorum parentum quadruplex fuit inordinatus appetitus, scilicet appetitus *excellendi*, cum dixit serpens: *Nequaquam moriemini, sed eritis sicut dii, scientes bonum et malum.* O perversissime satan! qui nesciebat nisi superbiam docere, ut caderent primi parentes per superbiam sicut et ipse. — Secundus inordinatus appetitus fuit appetitus *delectandi; vidit lignum pulcrum aspectu gustuque delectabile* etc. — Ad hos duos appetitus secutus est appetitus *usurpandi* alienum, quando *tulit de ligno et comedit deditque viro suo;* et iste est appetitus avaritiae; primus, superbiae; secundus, gulae. — Et ad haec tria secutus est appetitus *malignandi;* quando *viderunt se nudos et fecerunt sibi perizomata*, se excusaverunt et culpam in alium refudernnt. Appetitus enim malignandi in hoc ostenditur, quod *abscondit se Adam*, defendit se et culpam refudit in alium ex

Hi sont ubique.

malignitate. — Isti quatuor appetitus sunt in quatuor partibus mundi, quibus crucifiguntur multi; et de istis oritur mors, sicut etiam in parentibus, et fere omnes per istos appetitus moriuntur spiritualiter. Propter appetitum excellendi et dominandi damnatur angelus et homo; propter appetitum delectandi *deletu est omnis caro a facie terrae* [3] in diluvio; propter appetitum alienum usurpandi *submersus est Pharao et exercitus eius*, quando sequebatur filios Israel per mare, quos Dominus vocabat ad servitium suum; propter appetitum malignandi mortui sunt filii Israel in deserto et non intraverunt in terram promissionis, sed ibi prostrati sunt [4], quia peccatores pessimi et ingrati. Iste igitur quadruplex appetitus inductivus mortis fuit in ligno praevaricationis.

Quatuor virtutes bis oppositae.

Quia igitur crux est arbor vivificantis institiae, habet quatuor virtutes contrarias illis quatuor appetitibus et defectibus, quae sunt: *humilitas, paupertas, austeritas* et *benignitas*. Profundissimam humilitatem habuit crux, quae (figuratur) in stipite; rigidissimam austeritatem, in transverso vel lato crucis, in quo fuit totaliter distentus, ut omnia ossa dinumerabilia (essent); altissimam paupertatem, quae in ligno erecto; et benignitatem misericordiae, ex omni parte.

Humilitas.

Propter primum dicitur in Ezechiele [5] in designatione profundissimae *humilitatis: Scient omnia ligna regionis, quia ego Dominus humiliavi lignum sublime et exaltavi lignum humile.* Istud est lignum crucis, in quo tanta relucet humilitas, ut nullus possit nisi caecus dubitare, quod oportet se humiliare; Apostolus: *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen, quod est super omne nomen* etc. In hoc volnit contra superbiam atterrendam inveniri in ostensionem profundissimae humilitatis. « Est magna humilitas in subiiciendo se *superiori;* maior, non praeferendo se, sed subiiciendo *pari;* maxima et summa, subiiciendo se *inferiori* ». Matthaei tertio [6] super illud: *Sic decet, nos implere omnem iustitiam*, dicit Glossa: id est « perfectam humilitatem » ; et hoc, quando tradidit semetipsum in manus perversorum peccatorum et sustinuit patienter quidquid voluerunt facere de eo. Et nos, quid debemus facere? Oportet nosmetipsos exinanire et humiliare, si tanta Maiestas se exinanivit et humiliavit; unde ipsemet dicit [7]: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me.* Hoc sciebat Andreas, primus vocatus a Domino [8] ad sequendum ipsum, quia adduxit et fratrem suum Petrum; et ideo istum beatum Andream voluit honorare dando illi quod aliis parabat, scilicet crucem portare post ipsum; et sic lignum vitae est crux, quo ligno liberantur ab appetitu excellendi per profundissimam humilitatem.

Austeritas.

Secundo est lignum vitae, quo liberamur a pentantia carnis per rigidissimam *austeritatem poenae.* In libro Sapientiae [9] dicitur de Sapientia aeterna, quod *sanavit per contemptibile lignum nationes* etc. Quare venit diluvium aquarum super terram? Certe, quia *omnis caro corruperat viam suam*, sequendo delectationes carnis in peccatis carnalibus. Et ideo volnit Christus in cruce summam austeritatem ostendere et docere. — *Magna* est austeritas in fuga delectabilium; *maior*, in sustinentia poenarum; *maxima*, in sustinentia tribulationum, quae inducunt mortem. Hanc austeritatem volnit Christus sustinere, ut ostenderet et doceret nos, quomodo possemus carnis petulantiam vincere. Aliqui enim non faciunt maiorem vim de Christo suspenso in patibulo pro ipsis quam de uno latrone. Videmus ipsum totum perforatum et cruciatum, et nihil voluimus pro eo facere?

Notandum.

Paupertas.

Tertio crux Christi est lignum vivificantis institiae, quia liberat nos a naufragio avaritiae per altissimam Christi *paupertatem;* Sapientiae decimo quarto [10]: *Exiguo ligno* committunt *homines animas suas;* non anro aut argento, quia deprimit suo pondere, lignum autem elevat sua agilitate; et ideo non de auro faciunt naves, sed de ligno. Sic et appetitus auri et argenti inordinatus est occasio naufragandi; ad Timotheum: *Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem et in laqueum diaboli et desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt homines*

[1] Epist. 1. c. 2, 24; sequitur Gen. 3, 4. seqq.
[2] Supplevimus *patet*, ut constructio sit congrua.
[3] Respiciuntur Gen. 6, 7. et c. 7, 23. et dein Exod. 15, 4.
[4] Respiciuntur Num. 14, 23. et Deut. 1, 35. seqq.
[5] Cap. 17, 24; sequitur Phil. 2, 8. seqq.
[6] Vers. 15. — Haec et praecedens Glossa est *ordinaria* in hunc locum.
[7] Matth. 16, 24.
[8] Respicitur Ioan. 1, 40. seqq.
[9] Cap. 4, 14. et c. 10, 4; sequitur Gen. 6, 12.
[10] Vers. 5; sequitur 1. Tim. 6, 9.

in interitum et perditionem. Sicut igitur homo, qui appenderet et ligaret molam collo suo et proiceret se in mare, parum diligeret vitam suam corporalem; sic qui aurum diligit parum videtur diligere vitam suam spiritualem. Carissimi, Pharao submersus est, quia sequebatur filios Israel ex cupiditate. Unde cupiditas hominem spiritualiter submergit, et e contrario agilitas paupertatis pervenire facit ad portum salutis. Propter quod Apostolus ad Galatas [1] dicit: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi* etc. — Quare in sola cruce gloriabatur Paulus? Certe, quia sola crux prodest ad habendam vitam aeternam; *divitiae* enim *non proderunt in die ultionis*, dicit Sapiens [2]. — Haec igitur altissima paupertas, quae relucet in cruce, liberat nos a naufragio avaritiae. *Alta* est paupertas, quae habetur in patientia; *altior*, quae est in complacentia; *altissima*, quae est cum gloria, quando homo inde gloriatur nec vellet aliud habere. *Alta* est, quae est contenta modico; *altior*, quae est contenta minimo; *altissima*, quae nihil penitus habet. Talem paupertatem habuit Christus: nihil habuit penitus, nec *ubi caput suum reclinaret*; in cruce caput eius pendebat, et *extra portam passus est* et nudus. — Et hoc considerans beatus Andreas [3], volens imitari Magistrum suum, vestimenta sua dedit quaestionariis et ad crucem pervenit nudus. Ad istam crucem nudam debemus aspirare nudi, maxime omnis, qui vult esse perfectus. Hieronymus ad quandam mulierem [4]: « Si vis esse perfecta et primum obtinere fastigium dignitatis, fac quod fecerunt Apostoli: *Vade, vende* omnia, *quae habes*, ut nudam crucem nuda sequaris ». Nunquid insaniebat Hieronymus? Neque enim Christus insanivit, qui hoc fecit, forma et exemplar omnium perfectorum.

us pauertatis.

plicatio S. Andream.

Collatio.

Lignum vitae, desiderium veniens [5].

(Prothema secundum). *Ego veni, ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es*, Danielis nono.

Verbum est Angeli ad Danielem, qui venerat ad revelandum ei mysteria; in quo datur intelligi, quod maxima dispositio ad percipiendum arcana Scripturarum est desiderium; unde Sapiens [6]: *Auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam*, id est bonus auditor, *pars pro toto*. Et sicut videmus, quod (desiderium) materiam unit cum forma, quia appetit et desiderat perfici per formam; sic desiderium est illud potissimum, quod unit animam rationalem cum sapientia; et vix accidit, quod aliquis perveniat ad magnam scientiam sine magno desiderio. Non habeo vobis magna dicere, tamen quae dicuntur de Deo semper sunt magna, secundum Augustinum de Doctrina christiana [7]. Ideo rogabimus Dominum, quod det nobis ita fervens desiderium ad verbum suum, ut percipere mereamur verbi mysterium arcanum.

Lignum vitae, desiderium veniens.

Repetitio.

Dictum fuit, quod hic explicatur passio beati Andreae et quantum ad *modum* passionis et quantum ad *fructum* et quantum ad patientis *desiderium*. Dictum etiam fuit, quod crux *desiderata* fuit ab eo, quia lignum vitae; et quod hoc esset verum, monstrabatur per hoc, quod est vivificantis *gratiae*, vivificantis *iustitiae* et vivificantis *sapientiae*. De primo dictum fuit et de secundo aliquantulum; aliquid tamen adhuc restat de secundo. Dictum enim fuit, quod in ligno praevaricationis fuit quadruplex appetitus inordinatus, propter quod fuit lignum *mortis;* et quod crux Christi habuit quatnor contraria illis appetitibus, propter quod est lignum *vitae*. Et dictum est de tribus. Dictum enim est, qualiter in cruce lucet *humilitas* profundissima, *paupertas* altissima et *austeritas* rigidissima. — Nunc dicendum est de quarto, qualiter scilicet relucet in cruce *benignitas* summa, quae non minus relucet ibi quam cetera. In cuius designatione dicitur in Ecclesiastico [8]: *Nonne a ligno indulcata est aqua amara?* quasi dicat: immo. Tangit historiam, quam habemus in Exodo, quomodo filii Israel, quando venerunt in Mara, invenerunt ibi *aquas amaras*, quas non *poterant bibere*. Et clamabat populus ad Dominum pro aquis, et *ostendit* Moysi famulo suo *lignum, quod* praecepit mittere *in aquas;* et per illud dulcoratae sunt et sanatae. Non video aliam rationem secundum litteram, quare per *lignum* fuerunt dulcoratae; sed voluit hic Spiritus sanctus secretum mysterium ostendere. Per hoc enim lignum intelligitur *lignum crucis*, per quam crucem et benignitatem Christi in cruce ostensam omnis malignitas et amaritudo malitiae tollitur. Cum enim ostenditur *benignitas* Christi, quod scilicet pro peccatoribus et etiam pro crucifixoribus suis passus est et pro eis oravit pacem; debet omnis amaritudo malitiae indulcorari. Quis enim non concipiat dulcorem benignitatis erga proximum, qui audiat Christi benignitatem? Sic igitur crux Christi liberat nos a veneno malitiae per benignissimam suam liberalitatem. — *Magna* liberalitas est dare sua; *maior* liberalitas est dare se ipsum ad impendenda obsequia; sed *summa* liberalitas est dare se ipsum ad perferenda supplicia. Sic fecit Christus. Et quare? Ut nos doceret benignitatem; Ioannes in Canonica [9]:

Continuatur de quarto secundi membri.

Laus benignitatis.

[1] Cap. 6, 14.
[2] Prov. 11, 4; sequuntur Matth. 8, 20. et Hebr. 13, 12.
[3] Vide Surium, loc. cit. § 4, et Abdiam, lib. de Historia certaminis apostolici.
[4] Epist. 120. (alias 150.) ad Hedibiam, c. 1, ubi allegatur Matth. 19, 21.
[5] Prov. 13, 12. — Prothema est Dan. 9, 23.
[6] Eccli. 3, 31.
[7] Libr. IV. c. 18. n. 35. 37. et c. 19. n. 38.
[8] Cap. 38, 5; deinde respicitur Exod. 15, 23. seqq.
[9] Scilicet Epist. I. c. 5, 10.

Applicatio ad S. Andream.

In hoc est caritas Dei, *non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos.* — Hac benignitate fuit repletus beatus Andreas, « quem dilexit Dominus in odorem suavitatis [1] », dum penderet in cruce; et ideo desiderabat crucem. Sic igitur crux est lignum vivificantis *iustitiae*, quia vivificat per quatuor iam dicta; et *gaudium est iusto facere iustitiam* [2]. Omnis ergo vir perfecte iustus perfecte delectatur in cruce et in ipsa quadruplici virtute. Illo ergo ligno *delectemur*. Ergo verum est quod dicitur in Proverbiis [3]: *Lignum vitae, fructus iusti.*

De his quatuor virtutibus triplicatis et 12 fructibus.

Hae sunt virtutes evangelicae, quas non docuerunt philosophi, sed Christus et discipuli eius; et quaelibet triplicatur, quia non solum est profunda humilitas, sed profundior et profundissima; et sic de aliis; et sic sunt *duodecim fructus*, quos ferebat *lignum vitae per singulos menses*, secundum quod dicitur in Apocalypsi [4]. Ligni delectatio est in fructu isto multiplici et bona et desideranda; et *desiderium, si compleatur, delectat animam.* Delectatio est in complemento desiderii; ideo, (quia) Christus fuit exemplar iustitiae, desideravit crucem; unde dicit: *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar;* et istud idem desideravit beatus Andreas; unde poterat illud [5] dicere: *Cupio dissolvi et esse cum Christo.* Ipse enim in cruce pendens docebat populum [6], unam manum habens ad populum, alteram ad Deum. Unde dicebat: « Non me patiaris, Domine, deponi de cruce, donec recipias spiritum meum »; in quo apparet satis, quod non patiebatur invitus, sed cum desiderio et delectatione patiebatur. Sic et nos debemus desiderare, ut simus iusti; unde Sapiens [7]: *Desiderium iustorum omne bonum est.* — Carissime, omne bonum est in Christo; regula iustitiae Christus est; si tu concordes Christo, iustus es; si discordes, non es iustus. Sed timeo, ne multi magis concordent Aegeae quam Andreae. Aegeas erat inimicus crucis Christi; sic et multi sunt hodie, de quibus Apostolus: *Inimici crucis Christi*, scilicet propter malignitatem; *quorum Deus venter est*, propter carnalitatem; *et gloria in confusione ipsorum*, propter ambitionem; *qui terrena sapiunt*, propter cupiditatem, *quae est radix omnium malorum* et maxime adversatur cruci Christi.

De S. Andrea.

Hortatio.

De ligno vivificantis sapientiae.

Tertio videndum est, quomodo lignum crucis est lignum *vivificantis sapientiae.* Et istud mysterium crucis magis est occultum quam praedicta; Apostolus primae ad Corinthios primo [8]: *Nos praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Quomodo igitur tu dicis, quod in cruce sit *sapientia?* Hoc mysterium fuit revelatum beato Ioanni in Apocalypsi. Unde dicit: *Ostendit mihi* Angelus *fluvium aquae vitae, procedentem de sede Dei et Agni; et ex utraque parte fluminis lignum vitae, afferens fructus duodecim per menses singulos.* — *Fluvius* iste *procedens de sede Dei et Agni* Spiritus sanctus est, qui procedit a Patre et Filio. *Lignum vitae ex utraque parte fluminis* est Verbum incarnatum, quod est increatum secundum aeternam generationem et creatum sive factum secundum temporalem, et tamen in persona idem. Verbum *increatum* est origo omnium creaturarum; *dixit enim, et facta sunt*, id est, Filium genuit, in quo omnia sunt creata et per quem. Sed Verbum *incarnatum* temporaliter est origo reparationis omnium; et utraque opera irrigantur per virtutem Spiritus sancti. Ista enim conservantur, scilicet creata, et illa meliorantur, scilicet opera reparata; et consequens est, quod a Verbo aeterno, quod est principium essentiarum, fluunt duodecim vitae ordinatae, scilicet vegetabilis, sensibilis, rationalis, vita angelica, archangelica; et sic de aliis novem ordinibus [9]. Et sicut istae vitae, illi duodecim gradus, emanant a Verbo, quod est fons vitae; sic etiam duodecim immissiones manant ab ipso animas vivificantes, quae per Verbum vivificantur. Istae duodecim immissiones sunt tres virtutes theologicae, quatuor cardinales, quinque sensus spirituales, quibus elevatur (anima) ad contemplandum summe pulcrum, ad gustandum summe dulce, ad olfaciendum summe suave, ad audiendum summe harmonicum, ad complexandum summe lene et delectabile.

Duodecim vitae creatae.

Duodecim immissiones.

Quia ergo Verbum *increatum* est origo omnium pullulationum naturalium, Verbum *incarnatum*, omnium pullulationum gratuitarum; ideo dicitur in Apocalypsi [10], quod *ex utraque parte fluminis erat lignum vitae, afferens fructus duodecim per menses singulos.* Quia Verbum increatum est origo duodecim vitarum naturalium ordinatarum, Verbum incarnatum est origo immissionum spiritualium; et hoc est *lignum vitae*, in quo consistit *sapientia* et *origo* universi esse. Quia igitur Verbum increatum et incarnatum est Verbum sapientiae, et illud coniunctum cruci; ideo crux est fons sapientiae, quia continet in se Christum, fontem sapientiae, thesaurum sapientiae et scientiae, quia *in Christo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi*, secundum Apostolum [11]. Et ut hoc magis clareat, liceat nobis *notificare* sapientiam christianam sic. Sapientia est habitus nobilissimus mentis, quo sublevatur anima rationalis ad *comprehendendum alta*, ad *speculandum arcana*, ad *degustandum suavia*, ad

Notificatio sapientiae quadruplex.

---

[1] Est antiph. 2. ad 2. Noct. ex officio huius Sancti.
[2] Prov. 21, 15, ubi Vulgata *iudicium* pro *iustitiam*.
[3] Cap. 11, 30.
[4] Cap. 22, 2; sequuntur Prov. 13, 19. et Luc. 22, 15.
[5] Phil. 1, 23; Vulgata: *desiderium habens dissolvi* etc.
[6] Cfr. Surius, loc. cit. § 10. et 12, et Abdias, loc. cit.
[7] Prov. 11, 23; sequuntur Phil. 3, 18. seq. et I. Tim. 6, 10.
[8] Vers. 23; sequuntur Apoc. 22, 1. seq. et Ps. 32, 9.
[9] Cod. Trecensis addit: *virtualem, potestativam, principativam, dominativam, thronicam, cherubicam, seraphicam;* quod saepius in sermonibus de Tempore habetur.
[10] Cap. 22, 2.
[11] Col. 2, 3.

complexandum aeterna. Apostolus [1] hoc videtur innuere, cum dicit: *Ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quae sit latitudo et longitudo et sublimitas et profundum, scire etiam supereminentem scientiae caritatem Christi* etc. Si igitur haec est vera definitio sapientiae, et lignum crucis est lignum, per quod deducimur ad comprehendendum alta, ad speculandum arcana etc.; lignum crucis est lignum sapientiae, et ideo summe amandum est. Et hoc habetur in Apocalypsi: *Beati, qui lavant stolas suas in sanguine Agni, ut sit potestas eorum in ligno vitae, et* sic *per portas intrent in civitatem.* — Non habet aliquis *potestatem in ligno vitae* nisi per sapientiam, nec habet sapientiam, nisi *lavet stolam suam in sanguine Agni*, nec potest *lavare stolam suam in sanguine Agni*, nisi sanguis fluat de cruce, quia aliunde non fluit. Ordinatum fuit antiquitus, quod pontifex non intrabat sancta sanctorum, nisi *aspersisset septies sanguinem contra velum* [2]. — Quid significat ingressus pontificis ad sancta sanctorum ad videndum arcam nisi contemplationem illorum bonorum aeternorum? ad quam non potest homo venire, nisi *lavet stolam suam in sanguine Agni* per veram fidem et compassionem et frequentem dominicae passionis memoriam, sicut faciebat Apostolus, qui dicebat: *Non enim iudicavi, me scire aliquid inter vos nisi Iesum Christum, et hunc crucifixum.*

ificatio prima.

Item, secundo sapientia est nobilissimus habitus mentis, quo sublevamur ad *speculandum arcana.* Dicitur in Genesi [3], quod *Dominus collocavit ante paradisum ad custodiendam viam ligni vitae Cherubim et flammeum gladium.* — Per *Cherubim* intelligitur scientia et cognitio Scripturae, et per *flammeum gladium* intelligitur zelus Legis. Et ista duo fuerunt in cruce, quia per passionem Christi in cruce reserata sunt occulta; unde et tunc *velum templi scissum est in duo,* secundum quod dicitur in Marco. Et peccata etiam nostra sunt purgata, in quo intelligitur zelus Legis; ideo dicitur in Apocalypsi: *Dignus es, Domine, accipere librum et aperire septem signacula eius, quoniam occisus es et redemisti nos Deo in sanguine tuo* etc. — *Agnus* enim *occisus* in cruce reseravit occulta Scripturarum mysteria. Unde et crux ab Isaia dicitur *clavis David;* Isaiae vigesimo secundo [4]: *Et dabo clavem domus David super humerum eius, et aperiet, et non erit qui claudat; et claudet, et non erit qui aperiat;* et hoc est: per ipsam intratur ad profunda mysteriorum Dei. Videte, Ioannes Evangelista fuit repletus sapientia. Quare? Quia *stabat iuxta crucem Iesu cum Maria, Matre eius.* Et nos similiter, si volumus ad arcana sapientiae attingere, oportet, nos crucem amare. Hieronymus contra Iovinianum [5] dicit, quod Plato, ut provocaret discipulos suos ad sapientiam, posuit se Athenis in quodam viculo minus bono et minus sano loco, ut, corpore suo facto infirmo, firmior esset animus eius ad capiendum sapientiam.

m, secunda.

Tertio sapientia est nobilissimus habitus mentis, quo sublevamur ad *degustandum suavia;* in Apocalypsi [6]: *Vincenti dabo edere de ligno vitae.* Quare dicit hoc? Quia per pugnam venitur ad victoriam, per victoriam ad pacem; et sic quies est via ad sapientiam, quae facit sentire et degustare suavitatem illam aeternam; in Canticis: *Sub umbra illius quem desideraveram, sedi, et fructus eius dulcis gutturi meo.* Per crucem enim totum vincitur, ut fiat quies in anima; et sic disponit ad degustanda suavia; in Canticis: *Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur;* et post: *Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.* — Primo est Sponsus animae fideli *fasciculus myrrhae* per crucis et poenitentiae amaritudinem, et deinde fit *botrus cypri* inebrians suavitate. Oportet prius sentire crucis amaritudinem, quam inebretur homo degustando divinam suavitatem.

Item, tertia.

Est tandem sapientia habitus nobilissimus mentis, quo introducimur ad possidendum et *comprehendendum aeterna.* In Proverbiis [7] dicitur de sapientia: *Pretiosior est cunctis opibus, et omnia, quae desiderantur, huic non valent comparari,* quia, supple, deducit ad possessionem aeternam. Sed ad hanc possessionem non potest homo pervenire nisi per crucem; secundae ad Corinthios quarto: *Quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quae videntur, sed quae non videntur.* Christus intravit in gloriam suam ad aeternitatem per crucem; Lucae vigesimo quarto: *Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?*

Item, quarta.

Ad istam sapientiam oportet nos aspirare; non desideremus scientiam humanam, quam super bonos videmus habere malos homines, sed sapientiam christianam. Ad istam vocat nos Christus, Sapientia aeterna, in Ecclesiastico [8] dicens: *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris.* Hoc dicit, in quantum est origo omnium *creaturarum,* quae sunt per mundum; ipse enim *extendit palmites suos usque ad mare, et usque ad flumen propagines eius.* Sequitur: *Ego mater pulcrae dilectionis et timoris;* hoc dicit, in quantum est origo *iustitiae; in me gratia omnis viae et veritatis,* in quantum est origo *sapientiae* in nobis; et ideo subdit: *Transite ad me, omnes, qui concupiscitis me,* ad me crucifixum pro vobis, ad crucem meam; *et a generationibus*

Conclusio.

[1] Eph. 3, 18. seq.; sequitur Apoc. 22, 14.
[2] Respiciur Lev. 4, 17; sequitur I. Cor. 2, 2.
[3] Cap. 3, 23. seq.; sequuntur Marc. 15, 38. et Apoc. 5, 5. 9.
[4] Vers. 22; deinde respicitur Ioan. 19, 25.
[5] Libr. II. n. 9.
[6] Cap. 2, 7; sequuntur Cant. 2, 3. et c. 1, 12. seq.
[7] Cap. 3, 15; sequuntur II. Cor. 4, 17. seq. et Luc. 24, 26.
[8] Cap. 24, 23; sequuntur Ps. 79, 12. et Eccli. 24, 24. seqq.

meis implemini, hoc est a plenitudine gratiae, quasi dicat: gustate sapientiam, imitamini institiam. *Spiritus enim meus super mel dulcis;* ideo gustate; *et hereditas mea super mel et favum*, quam promitto meis imitatoribus; ideo imitamini et *ad me transite;* quod nobis concedat ipse Christus, qui ad hoc nos invitat. Amen.

Sermo II [1].

Vestigia eius secutus est pes meus, lob vigesimo tertio [2].

(Prothema). *Rogavit Ruth, ut spicas colligeret, sequens messorum vestigia* [3].

Prothema. Verbum istud secundo propositum scribitur in Ruth, in quo datur praedicatoribus forma et modus praedicandi, quomodo scilicet sit praedicandum. Per *messores* enim magni praedicatores, sicut fuit sanctus Andreas et alii Apostoli, intelliguntur. Unde Dominus in Ioanne [4]: *Ego misi vos metere quod vos non laborastis. Videte regiones, quia albae sunt iam ad messem.* Apostoli ergo et alii magni praedicatores sunt messores. Messores etiam sunt moderni praedicatores, qui habent specialem praerogativam; sed alii pauperculi, qui parum habent de scientia, intelliguntur per *Ruth*, qui *colligunt* post illos *spicas* et sequuntur eos. Sed homo, qui parum habet de sanctitate ad dandum exemplum et parum de scientia ad illuminandum, debet sequi Apostolos et alios magnos praedicatores. Sed hoc facere aliquo modo est in nobis, sed bene facere in gratia Dei; ideo in principio rogemus etc.

Vestigia eius secutus est pes meus.

Sermo. Sicut dictum est, verbum istud scribitur in lob, et lob dixit hoc de se. Sed si recte attendatur, potest adaptari sancto Andreae. Si enim intelligamus, qualiter Deus aeternus, invisibilis, qui non habet membra, habet *vestigia;* intelligendum est, qualiter habet vestigia et qualiter sequenda sunt vestigia eius. Deus enim aeternus non habet corpus nisi in persona Verbi ex tempore incarnati, sed in se invisibilis manens, describitur per figuras et metaphoras membrorum humanorum, non quod illa habeat, sed quia (quod habet) habet istis figuris respondere. Unde, sicut et dicitur habere pedes, non quod habeat eos ad gradiendum, sed sicut pedibus corporalibus sustentatur homo, sic sua virtute omnia sustentantur; unde dicitur ad Hebraeos [5]: *Qui cum sit splendor gloriae eius et figura substantiae eius portansque omnia verbo virtutis suae.* Unde eius *pes*, id est virtus sustentativa omnium, calceatus est in incarnatione. Iste *pes*, Christus, Verbum aeternum, *omnia portans*, duplex vestigium imprimit in creaturis sive ante incarnationem, sive post. In quantum enim est Dei *sapientia*, imprimit vestigium *veritatis;* sed in quantum est Dei *virtus*, imprimit vestigium *virtutis* et sanctitatis, quia dicitur de Christo, quod est *Dei virtus et Dei sapientia*, primae ad Corinthios primo; est enim *sapientia* divinorum et *virtus* sustentans omnia. Et iuxta hoc duplex vestigium dedit nobis duplicem potentiam, scilicet intellectivam et affectivam, unam in veritate, aliam in virtute. Et haec est duplex perfectio animae rationalis secundum duplicem vitam, *activam* scilicet et *contemplativam*. Vita activa est, in qua proficit homo in virtute; contemplativa, in qua proficit in contemplatione. Et hoc duplex vestigium habuit Sanctus iste; unde dicitur in proposito: *Vestigia eius secutus est pes meus.*

1. De vestigio virtutis. Pars 1. De vestigio virtutis.

1. De vestigio *virtutis*, quod habuit Sanctus iste, (dicitur) primae Petri secundo [6]: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius.* In istis vestigiis ponendus est pes *affectionis*, *veritatis* et *contemplationis*. Pes autem *affectionis* ad hoc, quod sequatur vestigium virtutis, debet esse *circumcisus, inoffensus* et *stabilitus*. Et his tribus modis Sanctus iste secutus est vestiginm virtutis pede affectionis. Habuit enim pedem affectionis *circumcisum* per pudicitiam; *inoffensum*, per innocentiam; sed *stabilitum*, per patientiam. Subdivisio.

Unde primo potest dicere: *Vestigia eius secutus est pes meus; eius*, id est Christi; *secutus est* enim eum primo pede *mundato per pudicitiam;* et ideo potest ei convenire illud Canticorum [7]: *Lavi pedes meos; quomodo inquinabo illos? — Lavi*, per pudicitiam affectum meum; *quomodo inquinabo* illum? quia alicui sancto viro, qui diu servavit munditiam, valde est sibi difficile ad aliquam immunditiam declinare; et ideo dicit: *quomodo inquinabo illos* etc. *Lavi*, per pudicitiam; *quomodo inquinabo illos*, per luxuriam, quia difficile est hoc viro iusto; et hoc, quando affectio est munda, quia, sicut dicitur in Ioanne, *qui lotus est non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus;* scilicet, qui habet munditiam exterius in carne debet lavare *pedes*, id est affectum. Aliqui enim sunt, qui non faciunt malum exterius, sed sola cogitatione machinantur. De pede circumcisso.

Sed *qualiter* sunt affectiones istae lavandae? In lob [8] dicitur: *Quis mihi tribuat, ut sim iuxta menses pristinos? Sicut fui in diebus adolescentiae meae, quando secreto Deus erat in tabernaculo meo, quando lavabam pedes meos butyro, et petra fundebat mihi rivos olei.* — Quid est hoc, quod dicit, quod *lavabat pedes butyro*? Hoc non intelligitur de butyro materiali, quia butyrum potius Qualiter affectiones lavandae sint.

[1] Ex cod. Hilariensi n. 36. saec. XIII. fol. 3 v. In codice exhibetur sub titulo *Collatio de sancto Andrea Fratris Bonaventure.*
[2] Vers. 11.
[3] Ruth 2, 7.
[4] Cap. 4, 38. et dein v. 35.
[5] Cap. 1, 3; deinde respicitur I. Cor. 1, 24.
[6] Vers. 21.
[7] Cap. 5, 3; sequitur Ioan. 13, 10.
[8] Cap. 29, 2. 4. 6.

sordidat, quam lavet pedes; ideo etiam sequitur: *et petra fundebat rivos olei;* et ideo intelligendum est hoc de butyro et de petra spirituali. In Ecclesia tota die recitatur hoc tempore: *Ecce, Virgo concipiet et pariet filium* [1]; et sequitur: *Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum.* Et
Quaestio. quare dicit: *Butyrum et mel comedet,* quia non (?) omnis homo haec comedit? Quare etiam dicit: *ut sciat reprobare malum et eligere bonum,* quia butyrum et mel non est causa discretionis huius? — Unde
Responsio. sciendum, quod *butyrum et mel* significant Divinitatem et humanitatem Christi; per *mel* enim Divinitas intelligitur, per *butyrum* humanitas, quod ab inferiori parte venit, scilicet de nutrimento terrae, sed *mel* Divinitatis desursum, quia mel est de rore caelesti. Unde *butyro pedes lavare* est affectionem de adipe pinguedinis caritatis mundare; de hoc ad Hebraeos [2]: *Sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi.* Et ideo debet homo cogitare, quod Christus voluit aspergi sanguine proprio propter eum mundandum, ut a peccato abstineat, quod non nisi per aspersionem sanguinis Christi mundatur. Et ille valde est crudelis, qui, hoc attendens, peccare non dimittit. Sed Sanctus iste habuit mundam affectionem, quia effusionem sanguinis Christi in memoria habuit.

De pede offenso.

Item, *secutus est* pede *inoffenso per innocentiam;* Proverbiorum [3]: *Fili, custodi legem* meam *atque consilium* meum; et sequitur: *Tunc ambulabis fiduciáliter in via tua, et pes tuus non impinget.* — Haec est innocentia, custodire *legem* Dei, quia creaturae rationali impressa est, ut scilicet quod *tibi fieri non vis alii ne feceris;* sed *consilium* Domini superadditur, ut scilicet quod *tibi fieri vis, hoc alii facias.* Et qui haec duo custodit non offendit, quia, quando aliquis offendit proximum, offendit et Deum, quia Deus praecepit, quod proximus non offendatur. Unde qui offendit proximum transgreditur mandatum et in hoc Deum offendit. Unde etiam Sanlus in hoc, quod Christianos persequebatur, Christum persequebatur [4]. Et ideo laboremus, ut nullum offendamus, sed omnibus bene faciamus. Dicit enim Gregorius: « Quod bona voluntas est nemini velle nocere, sed inxta vires et etiam supra vires prodesse velle »; et dicit hoc super Evangelium hodiernum in homilia. Et hoc modo Sanctus iste *secutus est vestigia* Christi, quia ita innocens erat, quod dicebant de ipso [5]: « Innocens huius sanguis sine causa damnatur »; unde in Psalmo [6]: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Hoc enim est de magna misericordia Dei, quod homo potest esse in hac vita, quod non offendat proximum. Et ideo quilibet laboret ad hoc, ut non offendat proximum et maxime ex certa malitia, quia, si fieret ex ignorantia, hoc aliquo modo esset excusabile. Et est valde mirabile: si vadit homo per viam, ubi sunt lapides, bene cavet, ne offendat (pedes) materiales et corruptibiles, et non vult servare ab offensione pedes incorruptibiles, scilicet ipsam affectionem.

De pede stabilito.

Item, *secutus est* Sanctus iste *vestigia* Christi pede *stabilito per patientiam,* ut sibi convenire possit illud Psalmi [7]: *Statuit supra petram pedes meos et direxit gressus meos.* — Haec *petra* Christus est, supra quam Petrus, frater Andreae, stabilitus est, et sanctus Andreas similiter. In cuius rei figuram uterque eorum cruci affixus est; unde dixit Dominus ad Petrum [8]: « Venio Romam iterum crucifigi ». Et Sanctus iste, quando stabilivit cor suum ad passionem tolerandam, tunc stabilitus est *supra petram.* Unde dicit Petrus [9]: *Christo in carne passo, et vos eadem cogitatione armamini;* quia *recogitate eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes.* — Hoc bene cogitavit
De S. Andrea. Sanctus iste; quia non timuit crucem, sed etiam in ipsa pati desideravit. Unde ipse dixit Aegeae [10]: « Ego si crucis patibulum expavescerem, crucis gloriam
Hortatio. non praedicarem ». — Et in hoc conveniat praedicator, ut non expavescat crucem Christi, quia non debet expavescere qui eam praedicat. Et nos omnes crucis gloriam praedicamus, et tamen omnes ignominiam crucis expavescimus. Et ratio huius est, quia sumus superficiales Christiani, quia in crnce non consideramus nisi quod exterius est, scilicet poenalitates et passiones, et id quod intus est, non attendimus. Intus enim est Christus, ad cuius imaginem factus est homo [11]; et ibi debet recogitare, quod Christus hanc pro nobis sustinuit et vult, quod nos eam sustineamus. Haec crux est ornata membris Domini, et ideo, si hactenus habuit homo horrorem sustinendi crucem, iam non horreat, quia in ea est fructus dulcissimus. Sed pauci sunt, qui crucem
Notaodom. velint sustinere; et ratio huius est, quia amaritudinem crucis Christi non portamus in corde, sicut fecit Sanctus iste. Talis enim, qui haberet amaritudinem crucis Christi in corde, deberet velle, quod

---

[1] Isai. 7, 14. seq. — Infra fortasse legendum: quia non omnis homo sapiens, qui haec comedit.

[2] Cap. 9, 14.

[3] Cap. 3, 21. 23; sequuntur Tob. 4, 16. et Matth. 7, 12. (cfr. Luc. 6, 31.).

[4] Respicitur Act. 9, 4. — Sequitur Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 5. n. 3.

[5] Ita Breviar. Roman. in festo S. Andreae, respons. 4. Cfr. Surius, loc. cit. § 9, ubi legitur: « Iustus homo et amicus Dei quid fecit, ut ducatur ad crucem »? Et § 10. dicitur, « iniusto iudicio sanctum virum hoc pati ». — Apud Abdiam vero (loc. cit.) habetur: « Iustus homo et amicus Dei et doctor bonus ducitur immerito ad mortem ».

[6] Psalm. 90, 11. seq.

[7] Psalm. 39, 3.

[8] Cfr. Surius, loc. cit. die 29 Iun. § 4.

[9] Epist. I. c. 4, 1; sequitur Hebr. 12, 3.

[10] Cfr. Surius, die 30 Nov. § 4.

[11] Respicitur Gen. 1, 27.

totus mundus erueret ei oculos pro veritate, quae Christus est. Et ideo semper habenda est patientia, quia praemium in tribulatione augetur, et patientia in tribulatione necessaria est.

Pars II. De vestigio veritatis.

II. Sed est aliud vestigium, quod impressit Dominus, scilicet vestigium *veritatis;* et hoc impressit, in quantum est *Sapientia* Dei Patris. De hoc in Iob [1]: *Forsitan vestigia Dei comprehendes?* et in Psalmo: *Mirabilis facta est scientia tua ex me.* Et licet esset ita investigabilis Dei sapientia, tamen Christus fecit se imitabilem in doctrina veritatis, in qua Sanctus iste *secutus est vestigium eius* pede *directo*, pede *munito* et pede *accelerato;* et hoc totum in doctrina veritatis. Secutus est pede *recto* ad verum discernendum, pede *munito* ad verum defensandum et pede *accelerato* ad verum divulgandum per mundum. Sic et nos vestigium veritatis sequi deberemus.

Subdivisio.

De pede recto.

Pes enim cogitationis debet sequi veritatem, et oportet, quod sit *rectus*, quia, sicut dicit Anselmus [2], « veritas est rectitudo sola mente perceptibilis ». Et ideo oportet, quod pes sit rectus. De hoc in Ezechiele [3]: *Quatuor facies uni et quatuor pennae uni; pedes eorum, pedes recti.* — Per *animalia oculata*, quae habent alas et facies multas, intelliguntur *contemplativi*, qui debent habere intentionem rectam, fundatam supra veram fidem. Et quando talis non quaerit aliud nisi veritatem doctrinae, tunc recte ambulat, quia oculus aquilae semper tendit in lucem, unde vanitas amoris facit claudicare; unde ad Hebraeos [4]: *Gressus rectos facite pedibus vestris, ut non claudicans quis erret.* — *Rectos facite gressus*, scilicet per illuminationem veritatis; unde in Luca: *Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* — Et haec est illuminatio fidei; et bonum est loqui de fide. Una ratio est, quae movet me ad loquendum de fide, quia, quando homo audit aliquid loqui de fide et adhibet credulitatem, ex hoc meretur; et etiam, quando *fundamentum* stabilitum est, tunc facile est *superaedificare* [5]. Et ideo quilibet debet *captivare intellectum* suum ad credendum mysteria fidei, ut perficiatur illa summa veritate; et qui non adhibet intellectum circa cognitionem horum, ut in eis perficiatur, adulter est; quia beatitudo est gaudium de veritate visa.

Loquitur de fide ob duas rationes.

De pede munito.

Item, secutus est pede *munito* ad verum defendendum; ad Ephesios [6]: *Induti loricam iustitiae et calceati pedes in praeparatione Evangelii pacis.* Sed dictum est Moysi: *Solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim, in quo stas, terra sancta est.* Hic dicitur Moysi, quod debet *solvere calceamentum*, et Apostolus dicit: *calceati pedes;* ideo sciendum, quod pes affectionis debet esse *discalceatus* ab istis temporalibus, sed pes considerationis, scilicet pes intellectus, debet esse *calceatus* per ea quae sunt defensiva fidei christianae, quam praedicamus; unde dicitur in Deuteronomio: *Benedictus in filiis Aser; sit placens fratribus suis et tingat in oleo pedem suum. Ferrum et aes calceamentum eius.* — *Tingat in oleo*, id est, debet habere intelligentiam instructam per unctionem, quia, sicut dicit Ioannes in Canonica [7], *unctio docet de omnibus.* Per *ferrum*, quod est durum et forte inter alia metalla, intelligitur auctoritas divinarum Scripturarum, quae sunt stabiles; sed per *aes* sonorum ratiocinationes doctorum intelliguntur, ut scilicet intellectus habeat auctoritates et eloquentiam ad fidei defensionem. — Sic habuit Sanctus iste contra Aegeam. Et ideo, quia Aegeas non potuit suae eloquentiae resistere, usus est contra ipsum potentia; sed tamen propter hoc diabolus tenuit ipsum. Et ideo habenda sunt arma, ut pugnemus pro fide Christi, per quam habetur hereditas aeterni regni.

Notandum.

S. Audreas.

De pede accelerato.

Item, secutus est pede *accelerato* ad verum divulgandum, quia *in omnem terram exivit sonus eorum* [8], quia pedes eius cucurrerunt usque ad Graeciam; et nos ad unum milliare nolumus ire ad praedicandam fidem Christi.

DE SANCTO NICOLAO (6 Dec.).

Sermo [9].

Prothema.

Thesaurus desiderabilis et oleum in habitaculo iusti, Proverbiorum vigesimo primo [10].

(Prothema). *Constituit eum super excelsum terram, ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petra oleumque de saxo durissimo*, Deuteronomii trigesimo secundo.

Inter beneficia, quae largitus est Deus, duo sunt, in quibus fulcitur et confirmatur homo in vita spirituali. Unum consistit in consideratione *exemplorum sanctorum Patrum;* aliud est *documentum Scripturarum.* Ista duo tangit Moyses in verbis propositis; et quantum ad primum dicit: *ut comederet fructus agrorum*, qui sunt fructus, videlicet exempla, virorum probatorum in bonis operibus

[1] Cap. 11, 7; sequitur Ps. 138, 6.
[2] Dialog. de Verit. c. 11. (alias 12.).
[3] Cap. 1, 6. seq. et dein respicitur v. 18.
[4] Cap. 12, 13; sequitur Luc. 1, 79.
[5] Respicitur I. Cor. 3, 10. et deinde II. Cor. 10, 5.
[6] Cap. 6, 14. seq.; sequuntur Exod. 3, 5. et Deut. 33, 24. seq.
[7] Epist. I. c. 2, 27.
[8] Psalm. 18, 5.
[9] Sumtus est ex codd. biblioth. Vaticanae n. 1262. pag. 74 et Parisiensi biblioth. National. n. 16500. fol. 146, qui inscribitur *frater Bona Aventura de beato Nicolao*, sed, omisso prothemate, valde contrahit sermonem. De codice Vaticano, qui eandem habet inscriptionem, cfr. *Ratio novae collectionis* etc. pag. 296.
[10] Vers. 20. — Prothema habetur Deut. 32, 13.

exercitatorum, exempla virorum iustorum; unde Isaac[1], quando benedixit Iacob, filium suum, dixit: *Ecce, odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus;* ecce, *fructus agrorum.* Sed istis adiunguntur *documenta Scripturarum,* intelligentia spiritualis Scripturae, quae se habet ad modum *mellis* et *olei;* propter quod subditur: *ut sugeret mel de petra oleumque de saxo durissimo.* Documentum sacrae Scripturae se habet ad modum mellis et olei quantum ad duplicem sensum, qui in ea reperitur, scilicet *tropologicum* et *anagogicum,* per quae informamur et instruimur quantum ad duplicem vitam, activam scilicet et contemplativam: per *tropologicum* sensum in vita activa, quae docet, quid sit agendum et non agendum; per sensum *anagogicum* informamur quantum ad vitam contemplativam, quae docet, quid sit sperandum et exspectandum; et ista consideratio elevat animam ad caelestia et aeterna contemplanda. Per *oleum* igitur et *mel* intelliguntur duo sensus sacrae Scripturae, qui sunt dicti, per quos informamur in vita activa et contemplativa. Per *oleum* vita activa, quae consistit circa opera misericordiae, convenienter intelligitur; per *mel* dulcedo vitae contemplativae; *ut sugeret mel de petra oleumque de saxo durissimo.* — Nusquam legitur in Scriptura, quod totus populus Israel acceperat *mel de petra vel oleum de saxo.* Bene legitur, quod accepit *aquam de petra.* In Numeris[2] legitur, quod Moyses ex mandato Domini *percussit petram virga, bis* scilicet, et fluxerunt *aquae largissimae, ita ut populus biberet et iumenta;* sed non invenitur in Scriptura, quod *oleum* accepit *de saxo vel mel de petra.* Ideo istud oportet spiritualiter intelligere, ex quo ad litteram non legitur esse factum. *Saxum durissimum* ipsa littera sacrae Scripturae, quae, quantum est de se, nihil habet vitae, nihil dulcedinis spiritualis, nihil refectionis internae, sed quando Spiritus sanctus accedit ad litteram dando spiritualem litterae intelligentiam, tunc dat *mel et oleum de petra et saxo durissimo.* Et de isto melle et oleo pascitur *populus* Dei, quae sugit de littera sacrae Scripturae per donum Spiritus sancti. — Carissimi, non est humanae virtutis aut potentiae *educere mel de petra et oleum de saxo durissimo,* spiritualem aedificationem intelligentiae de littera et historia Scripturae, sed Spiritus sanctus hoc potest facere, qui, *ubi vult, spirat,* Ioannis tertio. Ideo in principio ipse invocandus est, ut educat nobis *mel de petra et oleum de saxo durissimo,* hoc est intelligentiam de littera spiritualem, et det nobis aliquam melleam dulcedinem ibi reperire in consolationem spiritualem, scilicet in verbis sacrae Scripturae, ad honorem sui nominis et commendationem beati Nicolai, id est ad consolationem animarum nostrarum.

Doplex scripturae sensus.

otandum.

Thesaurus desiderabilis et oleum etc.

Et licet convenire possint ista verba cuilibet Sancto, tamen specialiter beato Nicolao per quandam praerogativam; et in verbis propositis Spiritus sanctus ostendit eum commendabilem a duobus, scilicet a *praeclaritate meritorum,* cum dicitur: *Thesaurus desiderabilis;* et a *plenitudine* et copia *gratiarum,* quod notatur in *oleo,* cum dicitur: *et oleum in habitaculo iusti.* Quantum ad primum dicitur hic *thesaurus desiderabilis;* et ad litteram verum est, quod secundum ista temporalia sive in istis dives fuit et abundavit; unde et thesaurum habuit, et etiam oleum de eius ossibus emanavit[3]. Et sic Spiritus sanctus, scilicet ista duo, quae dicuntur in verbis propositis, operatus est.

Sermo.

Divisio.

I. Quantum ad primum debemus intelligere, quod triplex est *thesaurus,* scilicet *exterior,* qui est thesaurus *possessionis terrenae;* et thesaurus *interior,* qui est *sanctificationis internae* et intrinsecae; et thesaurus *superior,* qui est *contemplationis arcanae.* — Primus thesaurus est *valoris permodici;* unde Salomon in Proverbiis[4]: *Melius est parum cum timore Domini quam thesauri magni et insatiabiles.* Quare? Quia divitiae vel thesauri temporales *modici valoris* sunt et *magni periculi;* unde Salomon in Ecclesiaste: *Est et alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole, divitiae conservatae in malum domini sui. Pereunt enim in afflictione pessima. Periculosus* est iste thesaurus, quia occasio est mortis aeternae; *perierunt in afflictione pessima.*

Pars I. Praeclaritas meritorum. Triplex thesaurus.

De thesauro exteriore.

Est thesaurus *sanctificationis* intrinsecae et internae, et hic est *valoris magni;* in Proverbiis[5] dixit aeterna Sapientia, Filius Dei: *In viis iustitiae ambulo, in medio semitarum iudicii, ut ditem diligentes me et thesauros eorum repleam,* non pecunia, sed gratia. Bona est ista repletio; et Apostolus[6] dicit: *Propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis,* scilicet in donis gratiae et virtutibus; primae ad Corinthios primo: *In omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo et in omni scientia* etc., *ut nihil vobis desit in ulla gratia.* Est igitur valoris magni, quia non solum valet in praesenti, sed in futuro ad habendam vitam aeternam; in Proverbiis dicitur: *Nil proderunt thesauri impietatis; iustitia vero liberabit a morte.* Ecce, quantum producibilis thesaurus gratiae, qui liberat ab aeterna morte, quae vere mors est.

Item, de interiore.

Alius est thesaurus *contemplationis arcanae,* qui est *valoris immensi;* in libro Sapientiae[7]: *Quam sine fictione didici, sine invidia communico et honestatem illius non abscondo. Infinitus enim thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt participes facti sunt amicitiae Dei.* Iste thesaurus est valoris immensi et multimodae utilitatis; unde in eodem libro

Item, de superiore.

---

[1] Gen. 27, 27.
[2] Cap. 20, 11; sequitur Ioan. 3, 8.
[3] Surius, loc. cit. § 20.
[4] Cap. 15, 16; sequitur Eccle. 5, 12. seq.
[5] Cap. 8, 20. seq.
[6] Epist. II. Cor. 8, 9; sequuntur Epist. I. c. 1, 5. seqq. et Prov. 10, 2.
[7] Cap. 7, 13. seq.; sequitur v. 11.

dicitur: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*, cum Sapientia sive cum contemplatione aeternae Sapientiae; *et innumerabilis honestas per manus illius*, ubi *attingitur honestas* pro abundantia et opulentia. Ista opulentia opulenti et divites sunt Angeli. Quanto enim plus replentur illi illuminationibus aeternis, tanto ditiores sunt. — Hic triplex thesaurus fuit *in habitaculo* viri iusti, beati Nicolai, quia fuit *dives;* ecce, primus thesaurus; *sanctus*, ecce, secundus; et *sapiens*, ecce, tertius. Quae tria de difficili simul reperiuntur. In his consistit *praeclaritas meritorum* beati Nicolai, de qua dictum fuit a principio. Nicolaus.

Primus thesaurus, quia valoris est *permodici* et magni periculi, est *permutandus;* secundus, quia est valoris *magni* et multimodi commodi, est diligenter *servandus;* tertius, quia est valoris *immensi*, est *desiderandus* et appetendus. In *permutatione* primi thesauri est perfecta *iustitia;* in custodia secundi, perfecta *gratia;* in adeptione tertii, aeternae beatitudinis perfecta *consummatio*. Quid sit faciendum de his tribus thesauris.

Primus, dico, thesaurus *permutandus;* et ideo Apostolus primae ad Timotheum sexto [1]: *Divitibus huius saeculi praecipe non sublime sapere neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui praestat nobis omnia abunde ad fruendum; bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.* — Videte, non dicit *consule*, sed *praecipe, ut non confidant in incerto divitiarum*, in thesauris suis materialibus, sed potius illos *communicent* et acquirant sibi videlicet thesaurum verum; hoc est, quod vocat Apostolus *fundamentum bonum, ut apprehendant veram vitam.* Iste igitur thesaurus permutandus est communicando sua, facile tribuendo. Primus est permutandus.

Sed *qualiter* debet fieri istius thesauri permutatio? Beatus Nicolaus docet nos; vellem, ut omnes aspicerent ad beatum Nicolaum. Docet enim nos, quod debet iste thesaurus materialis permutari permutatione *pura, pia* et *perfecta*. — *Pura* per *declinationem cupiditatis*, quia cupiditas inquinat animam et facit eam impuram, quia cupiditas ipsa inclinat cor ad pecuniam et thesaurum et iungit sive unit per amorem, ex quo inficitur et fit impura. Gregorius [2]: « Sic anima ista terrena possideat, ut a se cupiditatem abiciat ». Ideo Sapiens in Ecclesiastico [3]: *Beatus dives, qui inventus est sine macula et qui post aurum non abiit nec speravit in pecunia et thesauris. Quis est hic, et laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua. — Beatus dives, qui inventus est sine macula*, scilicet cupiditatis, quae inficit et maculat animam, quia cor applicat et inclinat ad ista temporalia; *qui inventus est sine macula*, hoc est, qui pecunias aut divitias non amavit, aut concupivit. Ubi invenimus eum? Ecce, beatus Nicolaus, qui *dives* fuit et *sine macula* cupiditatis, *inventus est.* Quare? Quia *post aurum non abiit*, immo aurum proiecit, ac si esset lapis, in domum pauperis. Sciebat enim, scriptum esse in Proverbiis: *Qui congregat thesauros lingua mendacii vanus et excors est.* Exemplum in Giezi [4], Iuda et Anania: Giezi, *lingua mendacii*, qui vendidit Spiritus sancti donum; similiter Iudas, qui vendidit Dei Filium, thesaurum inaestimabilem et ineffabilem vel impretiabilem pro *triginta denariis* dedit; et Ananias retinuit partem pretii agri et mentitus est de pretio illo. Et isti tres percussi sunt: primus percussus est lepra, secundus suspensus crepuit medius, tertius mortuus est per sententiam Petri; et omnes isti in damnationis interitum descenderunt, non fuerunt beati. Quare? Quia *abierunt post aurum.* Ideo Nicolaus *post aurum non abiit*, sed proiecit illud, ut esset beatus et *mirabilia faceret in vita sua*, secundum quod dicitur in Ecclesiastico: *Quis est hic, et laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua.* — Quem igitur sequimur? Istos, qui vadunt *post aurum* et in fine descendunt in aeternae mortis interitum, aut beatum Nicolaum? Certe, beatum Nicolaum, si sapientes sumus. Quare igitur, miser avare, *aurum* sequeris, ut in infernum praecipiteris et forte nunquam quod cupies consequaris? Magna caecitas est! Haec permutatio requirit tria. Primo, ut permutatio sit pura. S. Nicolaus. Hortatio.

Item, permutandus est iste thesaurus permutatione *pia;* et hoc per *largitionem* piam *eleemosynarum*. In Evangelio Lucae, duodecimo [5] dicitur: *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt; thesaurum non deficientem in caelis*, scilicet per eleemosynarum largitionem, per istius materialis thesauri distributionem, ut pro isto thesauro habeatis alium in caelo. Melius consilium est ergo Domini, quod thesaurus materialis distribuatur et in eleemosynas pauperibus erogetur. Hoc consilium non seguiter servavit beatus Nicolaus, non tantum ad vitam corporalem proximi servandam et sustentandam, sed ad infamiam proximi et mortem spiritualem cavendam, ne puellae illae nobilibus ortae natalibus lupanari infamiae macularentur [6]. — O quot et quanti sunt hodie, qui bona non sua, sed proximorum, (immo) Christi, dispergunt ad virgines corrumpendas et defloradas! Miseri homines! Iste fuit landabilis, qui virginum, exsecratus stuprum earum, diffamationi occurrit et obviavit. Praedicti autem sunt vituperabiles et reprehendendi. — Quare id fecit beatus Nicolaus? Sciebat Secunda, ut sit pia. S. Nicolaus. Increpatio. Admonitio.

[1] Vers. 17. seqq.

[2] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 36. n. 1. sec. sensum.

[3] Cap. 31, 8. seq.; sequitur Prov. 21, 6.

[4] Respicitur IV. Reg. 5, 21. seqq. et dein Matth. 26, 15. et Act. 5, 2. seqq.

[5] Vers. 33.

[6] Cfr. Mone, Hymni Lat. III. pag. 450. n. 1088. (Troparium) stropha 7: « Hic patrem filiarum — Stupro tractantem, — Mente patria — Miseratus est. — Condoluit auri pondo — Formae virginum — Quod clam intulit — Noctis tempore ».

quod dixit Raphael Tobiae, duodecimo capite [1]: *Bona est oratio cum ieiunio et eleemosyna magis quam thesauros auri recondere; quoniam eleemosyna a morte liberat et ipsa est, quae purgat peccata et facit invenire misericordiam et vitam aeternam;* propterea non condidit vel abscondit thesaurum suum, sed potius illum in eleemosynas pias erogavit. Ita debent facere divites exemplo beati Nicolai. Duram enim sententiam profert beatus Iacobus [2] contra divites: *Agite nunc, divites, plorate, ululantes in miseriis vestris, quae advenient vobis; divitiae vestrae putrefactae sunt, et vestimenta vestra a tineis comesta sunt. Aurum et argentum vestrum aeruginavit, et aerugo eorum in testimonium vobis erit et manducabit carnes vestras sicut ignis;* et postea: *Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus.* Sicut enim homo pius et misericors largiendo eleemosynas *thesaurizat sibi thesauros in caelo*, sic avari et tenaces denegando *thesaurizant sibi iram Dei in diebus novissimis*, quando dicet eis iratus: *Esurivi, et non dedistis mihi manducare* etc.; et postea sententiam proferet contra ipsos duram: *Discedite, maledicti* etc. — Exemplum de sole: si dedisset Dominus soli animam intellectivam et radios ad mundum illuminandum, et ipse clauderet radios suos, ne illuminaret mundum, propter quod Deus fecit illum; nonne esset dignus poena? Certe sic; ita dico tibi: si Dominus dedit tibi multa bona temporalia, quae tibi pro te et multis aliis sufficiunt; si claudis ea et includis et non elargiris aliis, certe dignus es poena, non pertransibis sine magna poena.

Exemplum de sole.

Item, tertio permutandus est iste thesaurus permutatione *perfecta*; et hoc per *abrenuntiationem* perfectam omnium *facultatum*. Dicitur in Matthaeo [3]: *Si vis esse perfectus, vade, vende* omnia, *quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum* indeficientem *in caelo et veni, sequere me.* Quis dixit hoc? Sapientia aeterna, *Angelus magni consilii* [4], *Filius Dei*, qui non dat nisi consilium sanum et utile; et qui hoc facit *thesaurum sibi in caelo* acquirit, quia qui dat thesaurum materialem rerum huius mundi in caelo sibi thesaurizat; unde Dominus in Evangelio: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi aerugo et tinea demolitur, sed* potius *thesaurizate vobis in caelo, ubi neque aerugo neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt nec furantur.* Hoc audivit beatus Nicolaus, quia, quando utroque parente orbatus est, semper animo suo revolvebat illud Evangelii: *Qui non renuntiat omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus.* Unde non solum voluit temporalia spernere et suppeditare et ea in eleemosynas erogare, sed omnibus pro Christo abrenuntiare, ut posset esse perfectus cum Christo. Haec enim est doctrina Christi, ut habitum est, quia dixit in Evangelio: *Si vis esse perfectus, vade, vende* omnia, *quae habes, et da pauperibus et veni, sequere me*, pauperem, nudus nudum. Haec est etiam doctrina Pauli [5], qui docebat: *Haec omnia arbitratus sum ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* Et ideo beatus Nicolaus, doctrina et exemplo Pauli informatus, haec omnia velut *stercora* proiecit. — Si quis autem non putat esse *stercora*, sed pretiosa, adversatur sacrae doctrinae. Unde Apostolus primae ad Timotheum sexto [6]: *Si quis aliter docet, et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, et ei quae secundum pietatem est doctrinae; superbus est, nihil sciens, sed languens circa quaestiones et pugnas verborum, existimantium, quaestum esse pietatem. Est quaestus magnus pietas cum sufficientia. Nihil intulimus in hunc mundum; haud dubium, quod nec auferre quid possumus.* Ideo *pietas cum sufficientia* magnae divitiae sunt homini mortali. — Non oportet, quod se oneret thesauris istis temporalibus; ideo thesaurus iste exterior permutandus est in meliorem, ut dictum est. Et licet in se modici valoris, maximi tamen valoris est ei qui bene scit eo uti secundum Deum. Bene tamen uteris isto thesauro, si illum spernis et contemnis; et melius, si ex misericordia et compassione proximis illum largiris; optime, si pro Christo totum dimittis.

Admonitio.

Conclusio.

Tertio, ut perfecta.

Nicolaus.

Secundus est thesaurus *sanctificationis interae*; et iste est *custodiendus* diligenter, quia est *valoris magni*; et *magnae securitatis* est habere talem thesaurum; et ideo cum summa cura est quaerendus ab eo qui non habet, et, cum habetur, cum summa diligentia est servandus. In cuius figura dicitur in libri tertii Regum septimo [7], quod *intulit Salomon quae sanctificaverat David, pater suus, argentum et aurum et vasa, reposuitque in thesauris domus Domini*, id est dona gratiarum et virtutum, quae sanctum faciunt hominem et sunt custodienda in conscientia et corde proprio. Quod fieri debet [8] cum liquore, sicut de pretioso balsamo et huiusmodi; et iste amittitur *effusione;* thesaurus autem siccorum, videlicet bladi vel vestimentorum, (amittitur) *subreptione;* metallorum, *aerugine*. Sic et thesaurus spiritualium bonorum amittitur tripliciter — amittitur enim thesaurus mentis nostrae, nisi diligenter illum custodiamus —: *effunditur* per voluptatem lasciviae, *surripitur* per vanitatem superbiae, *consumitur* per pigritiam accidiae.

Secundus est custodiendus.

Iste amittitur tripliciter.

Et ideo custodiendus est iste thesaurus *diligenter*, et propterea cavendum [9], primo scilicet, ne

Primo est custodiendus, ne effundatur.

---

[1] Vers. 18.
[2] Cap. 5, 1. seqq.; sequuntur Matth. 6, 20. et 25, 42. 41.
[3] Cap. 19, 21.
[4] Isai. 9, 6, secundum Septuaginta; sequuntur Matth. 6, 19. et inferius Luc. 14, 33.
[5] Phil. 3, 8.
[6] Vers. 3. seqq.
[7] Vers. 51.
[8] Locus in originali corruptus est, quem, prout licuit, correximus.
[9] Supplevimus *cavendum*.

effundatur thesaurus cordis nostri per *voluptatem lasciviae;* quod cito fit, nisi caveas, quia, secundum Apostolum [1], nos *habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.* Corda et corpora nostra *vasa fictilia* sunt, et si franguntur per voluptatem et lasciviam, totus thesaurus gratiae in corde contentus effunditur. Ideo in omnimoda integritate debet cor et corpus custodiri, ne per corruptionem et fractionem istorum gratia Spiritus sancti effundatur, sicut balsamum effunditur, fracto vase; et ideo cum magna sollicitudine et diligentia est uterque custodiendus. Hinc dicit Apostolus primae ad Thessalonicenses quarto [2]: *Ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione et honore:* et *interius* per abstinentiam et sobrietatem, ne corrumpatur, aut frangatur cor per aliquid intrinsecus, quia Spiritus sanctus docet, quod per sobrietatem gratia custoditur. Sic eam custodivit beatus Nicolaus [3], quia a puericia abstinere incepit, quarta et sexta feria semel bibens mammas. Item, *exterius* occasionem peccati fugiendo, sicut fecit beatus Nicolaus [4], qui mulieres quasi pestem fugiebat. — Utinam sic facerent iuvenes nostri moderni, non ita frequentarent spectacula nec per villam ambularent, ut viderent mulieres pulcras et paratas! Quantae insaniae esset vas balsamo puro plenum portare in platea et exponere illud, ut quilibet posset percutere illud cum lapide et frangere! Qui sic faceret insanus iudicaretur. Ita insanus debet indicari qui corpus et sensus suos exponit ad videndum mulieres et spectacula, ut a qualibet pulcra muliere cor suum percutiatur, et si videat illam ad concupiscendum, frangatur, et balsamum gratiae, quod intus erat, effundatur. Semper, quoties vidisti mulierem aut mulieres ad concupiscendum eas, toties letale vulnus in corde tuo habuisti, et vide, si securum est ire ad spectacula et ibi mulieres respicere. — Et inde beatus Nicolaus fugiebat spectacula et frequentabat ecclesiae limina, secundum quod cantatur de ipso [5]: « Ecclesiae sanctae frequentare limina » etc. Ita vellem, quod facerent iuvenes moderni, et si habeant duces et magistros, quod ab eis ducerentur ad ecclesiam et ad sermones, non ad spectacula, sicut ducunt multi. — « Non audeo ducere clericum meum ad sermones, ne audiat sermones et velit intrare ». Quid dicis miser? Non audes ducere clericum tuum ad sermonem, ne ibi concipiat Spiritum sanctum, et audes ipsum ducere per vicos et plateas ad spectacula, ubi perdat Spiritum sanctum et innocentiam suam? Quae maior dementia et insania est? Custodiamus igitur thesaurum istum, munditiam cordis nostri, ne per voluptatem lasciviae effundatur; quia dicitur Apocalypsis decimo sexto [6]: *Beatus, qui vigilat et custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, et videant turpitudinem eius.* Quicumque perdit munditiam conscientiae et innocentiae perdit vestimenta sua, et apparet Deo et Angelis nuditas eius. Custodiendus est ergo thesaurus iste diligenter et sollicite, ne *effundatur.*

Thesaurus custodiendus interius.

Item, exterius.

Hortatio.

S. Nicolaus.

Item, custodiendus est *occulte,* ne *surripiatur* per *vanitatem arrogantiae* vel superbiae; ideo dicitur in Evangelio Matthaei, decimo tertio [7]: *Simile est regnum caelorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo abscondit, et prae gaudio illius vadit et vendit universa, quae habet, et emit agrum illum.* Ibi Gregorius [8]: « Notandum, quod thesaurus absconditur, ut servetur »; et subdit: « Depraedari ergo desiderat qui thesaurum publice portat in via ». — Carissimi, nos ambulamus per silvas et nemora, ubi sunt raptores et latrones; caute debemus ambulare et humiliter, non arroganter aut superbe, ne sic bona nostra nobis surripiant; quia dicit Gregorius [9]: « Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi pulverem ante faciem venti portat, et unde aliquid ferre cernitur, inde deterius excaecatur ». — Non sic fecit beatus Nicolaus, sed thesaurum istum, pront poterat, abscondebat. Unde, quando fecit illud opus nobile, de nocte facere voluit, in secreto et in silentio noctis, ut inde soli conspectui divino se placere velle ostenderet [10]. Item, quando deprehensus fuit a viro illo, qui eum agnovit per umbras, praecepit ei, quod, quamdiu mortales caperet auras, nunquam diceret, Nicolaum huius rei fuisse auctorem. Ipse etiam rogabat Dominum in orationibus suis, ut despecta [11] laude humana, soli Deo placeret. Est igitur thesaurus iste occulte servandus, ne per vanitatem arrogantiae aut superbiae *surripiatur.*

Secundo, ne surripiatur.

Admonitio.

S. Nicolaus.

Sed movetur quaestio de hoc, quia Dominus dicit in Evangelio [12]: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est;* ergo non oportet bona sua occultare, sed bonum est propalare ea et ostendere. — Ad quod solvit Gregorius [13], dicens: « Sic opus sit in publico, quatenus intentio maneat in occulto ». Potest ergo opus fieri in aperto, intentione occultata, et pro tanto opus dicitur occultum, quantumcumque appareat, quando de opere illo in aperto facto soli Deo placere intendit. Scitis, quid est? Inter perfectos potest bonum ostendere opera

Quaestio.

Solutio.

---

[1] Epist. II. Cor. 4, 7.

[2] Vers. 4.

[3] Mone, loc. cit. stropha 4: « Mox infans mundus — Semel mammas suxit — Bis in Sabbato — In quarto atque — Sexto die vacans — Abstinentiae ».

[4] Surius, loc. cit. § 3.

[5] Mone, loc. cit. stropha 5: « Hic iuvenis — Florens limina — Frequentavit Ecclesiae — Spiritui — Corpus nobile — Subiiciendo sedule ».

[6] Vers. 15.

[7] Vers. 44.

[8] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 11. n. 1.

[9] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 7. n. 4.

[10] De his quae hic et in sequentibus narrantur, vide Surium die 6 Dec. § 6.

[11] Codex pro *despecta* videtur habere *unica.*

[12] Matth. 5, 16.

[13] Loc. supra nota 8. cit.

sua, quia, quidquid faciat, comparatione aliorum meliorum nihil esse reputat. Videt enim alium sanctiorem se, devotiorem se, promptiorem se, et ideo inter tales non est periculum ostendere bona sua, quia non habet occasionem arrogantiae aut superbiae. Sed, quando est inter alios, qui non sunt tales, sed sunt mali, aut imperfecti, tunc periculum est, quia ille opus illud exstinguit detractione, alius adulatione; et ideo bonum est esse inter perfectos in
Exemplum. bona societate. — Exemplum de quodam, qui consulebat quendam sanctum virum, si eligeret coenobium, aut vitam solitariam; et ipse noluit ei respondere verba, cum praevideret mores eius, et quod forte vellet calumniari verba sua, et dixit ei: Vade, affer mihi vas plenum carbonibus vivis; et fecit. Tunc ille sanctus accepit carbonem vivum, magis inflammatum et accensum et posnit illum seorsum in terra, et alios dimisit in vase et exspectavit primum, et carbo ille exstinctus est. Quae enim est causa, nisi quia non erat cum aliis? Si enim cum aliis fuisset, fuisset ab eis fomentatus. Sic est de homine solitario, qui citius exstinguitur quam in bona societate; et sic respondit ei.

Item, iste thesaurus custodiendus est *indefesse,*
Tertio, ne consumatur. ne *consumatur* per *pigritiam* et malignitatem *accidiae,* ne consumatur vita Spiritus sancti, quae est in homine grato, per torporem accidiae et frigus, sed conservetur per gandium et amorem spiritualem. Oportet ad custodiendum thesaurum istum ab accidia cavere, quia, sicut vermis nocet ligno et illud comedit et corrumpit, sic accidia viro iusto; accidia enim tollit totum bonum spirituale, quod est in homine. Non fuit piger et accidiosus beatus Nicolaus, sed cum summo studio et vigilantia intendebat spiritualibus. Ante omnes surgebat Nicolaus. Primus veniebat ad ecclesiam, et ideo omnibus est praepositus et superpositus. — Quid facit miser homo accidiosus et piger? Excitet se ad bonum et gaudeat in laudibus Dei et in his delectetur, non torpeat in lecto, quando debet divinas laudes decantare. Legitur [1], quod Isboseth dormiebat in meridie in strato suo, et venerunt latrones et occiderunt ipsum. Quid (hoc) significat, nisi quod homo, qui non exsultat in laudibus Dei pro loco et tempore, sed torpet et dormit in lecto pigritiae suae, spiritualiter occiditur? Est igitur thesaurus iste custodiendus, ne per torporem accidiae consumatur.

Est tertius thesaurus, qui est *contemplationis*
Thesaurus contemplationis arcanae. *arcanae;* et iste est *ferventer appetendus* et desiderandus; Proverbiorum secundo [2]: *Si quaesieris* sapientiam *quasi pecuniam et sicut thesauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini,* quod est summa sapientia. — *Sicut thesauros effoderis.* Isti quaerentes istas venas terrae, unde sumitur aurum et argentum, cum summo studio quaerunt venas huius terrae; et quam multum laborant et multas expensas faciunt et nihil inveniunt! Sic et cum summo studio quaerenda est sapientia, et invenietur. Unde dicit Sapiens: *tunc intelliges timorem Domini.* Studium est illud quod facit hominem venire ad sapientiam. Et quid est studium? Tullius [3] dicit: « Studium est vehemens applicatio animi ad aliquid agendum ». Cum summa voluntate debet desiderare studium inveniendi sapientiam qui vult ad illam pervenire. Debet enim homo habere desiderium *sublime,* Subdivisio. ut magnificet Deum; desiderium *humile,* ut cognoscat se ipsum; desiderium *liberale,* ut doceat proximum.

De primo dicitur Isaiae quadragesimo quinto [4]: De desiderio sublimi. *Haec dicit Dominus christo meo, Cyro, cuius apprehendi dexteram, ut subiiciam ante faciem eius gentes et dorsa regum vertam;* et postea: *Et dabo tibi thesauros absconditos et arcana secretorum, ut scias, quia ego Dominus* etc. — *Cyrus* iste Christum designat, quia sola fides christiana facit Deum intelligere esse Deum verum et hominem verum; sola fides christiana facit sentire vere de divina bonitate et misericordia et potentia et sapientia; sola fides Christi facit intelligere et sentire, quod Christus Dei Filius ex misericordia venit, ut per suam misericordiam et gratiam liberaret populum suum et ipsum bonis spiritualibus ditaret. Populo igitur christiano *dat thesauros absconditos.* Ubi sunt isti thesauri? In Christo; unde Apostolus ad Colossenses secundo [5] dicit de Christo: *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi.* Hic est liber sapientiae aeternae in Christo. Iste liber unitus est carni, quando factus est homo; et ideo sapientiam istam non dat Deus nisi Christianis, qui fidem habent de incarnatione eius, quia alii non recipiunt. Desideret igitur homo sapientiam istam desiderio *sublimi,* ut magnificet Creatorem suum, eius potentiam, sapientiam et bonitatem, et Dominus dabit illi istam sapientiam. — Carissime, addiscis tu, ut de scientia Hortatio. tua magnifices Deum? Bonum est desiderium tuum et sublime, et tu es homo angelicus, quia et hoc faciunt Angeli, quantum possunt. Si autem addiscis, ut istud corpus infirmum ditetur et honoretur et delicate vivat et nutriatur; non est sublime desiderium, cum non quaeris sapientiam angelicam, *sed terrenam et animalem,* Iacobi tertio [6]; Psalmus: *Qui producit ventos de thesauris suis. — Venti producti de thesauris* Domini sunt animae et Angeli producti de nihilo, quod potest solus Deus. Non sunt per traductionem ut corpora [7], et comparantur *ventis,* quia sunt agiles et fiunt sapientes desiderando Creatorem suum, a quo facti sunt.

---

[1] Libr. II. Reg. 4, 7. [2] Vers. 4. 5.
[3] *Cfr.* I. Invent. c. 25: Studium est animi assidua et vehemens ad aliquam rem applicatio, magna cum voluntate occupatio, ut philosophiae, poeticae, geometriae, litterarum.
[4] Vers. 1. 3. [5] Vers. 3.
[6] Respicitur Iac. 3, 15; immediate sequitur Ps. 134, 7.
[7] *Cfr.* Bonav., II. Sent. d. 18. a. 2. q. 3. ad 2; d. 31. a. 2. q. 1.

Item, debes desiderare istam sapientiam sive
De desiderio humili. thesaurum contemplationis divinae vel arcanae desiderio *humili*, ut cognoscas te ipsum, quia multitudo sapientiae divinae descendit ad corda humilia, sicut aqua descendit ad valles [1], quia homo ad veram copiam aquarum sapientiae salutaris non potest pertingere, nisi se humiliet quadam abyssali humilitate. Quare fides est fundamentum sapientiae christianae, nisi quia humiliet et *captivet intellectum in obsequium* fidei *Christi*? Propter quod Salomon dicit in
S. Nicolaus. Proverbiis [2]: *Ubi humilitas, ibi sapientia.* — Bene se humiliavit beatus Nicolaus, et ideo thesauro sapientiae repletus et ditatus fuit. « Quale nomen habes »? dixit illi episcopus. « Vocor, dixit ipse columbina simplicitate, Nicolaus, servus vestrae sanctitatis ». Nunquam permittet Dominus, hominem humilem errare; sed homiuem, qui magnificat se et reputat, *se aliquid esse, cum nihil sit* [3], permittit aliquoties errare.

Item, debet homo desiderare istam sapientiam,
De desiderio liberali. istum thesaurum, desiderio *liberali*, ut scilicet libenter illud communicet et doceat proximum; in Matthaeo [4]: *Bonus homo de bono thesauro* cordis sui *profert bonum;* scilicet bonam doctrinam et exhortationem ad proximum. « Bonum enim est sui ipsius diffusivum [5] ». Sicut enim lux diffundit et multiplicat candorem, ita bonus homo de bono thesauro cordis
Ratio. sui diffundit et profert doctrinam. — Et quare hoc facit? Quia scit dictum a Sapiente: *Sapientia absconsa et thesaurus invisus, quae utilitas in utrisque?* Et alibi dicit: *Melior est* homo, *qui celat insipientiam suam, quam homo, qui abscondit sapientiam suam.* Unde Dominus in Matthaeo [6]: *Ideo omnis scriba doctus in regno caelorum*, in Ecclesia militante, *similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera. — Paterfamilias* non abscondit frumenta, nec permittit, mori fame familiam suam; de crudelitate argueretur; sic nec homo, qui habet thesaurum sapientiae divinae, debet illum abscondere, sed proferre ad aedificationem proximorum et doctrinam. Nisi enim fideliter doceat, arguetur et reprehendetur. *Qui enim abscondit frumenta maledicetur in populis.* Contra aliquos negligentes circa proximorum aedificationem dicit Bernardus [7]: « Utinam ita vel sic vigiles essent ad curam, quantum alacres concurrunt ad cathedram »! Qui igitur tale habet desiderium ad sapientiam divinam, in hac intentione addiscet eam, ut magnificet Deum, cognoscat se ipsum, doceat proximum; talis meretur divinam sapientiam, thesaurum contemplationis arcanae. — Sic igitur, ut visum est, beatus Nicolaus habuit Conclusio. thesaurum exteriorem, et illum permutavit et interiorem promeruit et superiorem desideravit tripliciter, ut dictum est, et desiderio *humili* et desiderio *sublimi* et *liberali*; et ideo in fine Deum videre promeruit, ad quam visionem nos perducat Christus Dominus noster. Amen [8].

DE SANCTO STEPHANO MARTYRE (26 Dec.).

Sermo I [9].

Stephanus plenus gratia et fortitudine, faciebat prodigia et signa magna in populo, Actuum sexto [10].

(Prothema). *Dominus misit me Iesus* ad te, *ut videas et implearis Spiritu sancto,* Actuum nono.

Verba ultima sunt Ananiae ad Saulum, qui postea
Prothema. factus est Paulus et Doctor gentium; et missus est Ananias ad Saulum, ut per eius ministerium videret et impleretur Spiritu sancto. Hoc (est) ministerium, ad quod ordinatur sermo divinus, scilicet ut audiens videat et impleatur Spiritu sancto. Omnis auditor verbi Dei, qui vult esse instar Pauli, debet sermonem audire, ut videat et impleatur Spiritu sancto, quia sermo Dei *illuminat* intellectum; Psalmus [11]: *Declaratio sermonum tuorum illuminat et intellectum dat parvulis.* Item, *inflammat* affectum; Psalmus: *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Et ideo, quando homo in auditu verbi Dei non illustratur nec inflammatur, tunc frustra audit. Sed felix est qui illustratur et inflammatur in auditu verbi Dei, quia inchoatio meriti est in illustratione intellectus, et consummatio praemii est in inflammatione affectus. Sed ista non contingunt in sermone, nisi fiat sermo per linguam Spiritus sancti, de qua Psalmus [12]: *Lingua mea calamus;* sequitur: *Diffusa est gratia in labiis tuis,* id est per sermonem in auditoribus. In principio igitur etc.

Stephanus plenus gratia etc.

Consuetudo magnorum est alios in magnis festis Sermo. vocare ad convivium, et si hoc fiat ad ostensionem caritatis, laudabile (est); et ideo Christus noluit solus esse in convivio iucunditatis; vocavit familiares, amicos (et) servos, ut participes essent gaudii. Christus in nativitate fecit convivium nuptiale. *In sole posuit*

---

[1] Respicitur Ps. 103, 10; dein alluditur ad II. Cor. 10, 5.
[2] Cap. 11, 2. — Sequitur Surius, loc. cit. § 9.
[3] Respicitur Gal. 6, 3. [4] Cap. 12, 35.
[5] Vide Bonav., I. Sent. pag. 344, notam 11. — Sequitur Eccli. 20, 32. et dein v. 33.
[6] Cap. 13, 52; sequitur Prov. 11, 26.
[7] Serm. 77. in Cant. n. 2.
[8] Pars II. deest, quam fortasse tractavit in collatione.

[9] Ex cod. Parisiensi biblioth. Nationalis n. 16499. membr. saec. 13. fol. 310 r., de quo cfr. Haurèau tom. 5. pag. 450. In illo codice sermo tribuitur S. Bonaventurae. Integer cum suo schemate impressus est a P. Fideli a Fanna, *Ratio novae Collect.* pag. 143-159.
[10] Vers. 8; Prothema est Act. 9, 17.
[11] Psalm. 118, 130. et deinde v. 140.
[12] Psalm. 44, 2. 3.

tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo [1] etc., scilicet quando per indissolubilem formam processit de utero virginali; et tunc invitavit ad nuptias milites suos. Habuit autem milites parvulos, qui infantili aetate pro ipso sunt passi, ut Innocentes; habuit etiam militem iuvenem, qui in flore iuventutis est passus; habuit iterum militem senem, scilicet Ioannem, qui centenarius in dolium est missus; et omnes illi fuerunt innocentes et Martyres. Beatus Stephanus Martyr fuit *affectu* et *effectu;* Ioannes, *affectu,* non *effectu,* quia non ex martyrio est mortuus; Innocentes autem fuerunt Martyres *effectu tantum,* quia non habuerunt usum liberi arbitrii. Istos vocavit Dominus specialiter ad nuptias suas; modo autem vocat omnes sine *acceptione personarum* [2]. Istos milites fecit Dominus sedere in convivio suo secundum ordinem; magis enim est esse Martyrem affectu et effectu quam affectu tantum. Ideo beatus Stephanus immediate fuit positus post diem Nativitatis Domini; Ioannes tertio loco, quia fuit Martyr affectu, et plus est esse Martyrem affectu quam effectu; Innocentes effectu tantum, quia non habuerunt usum liberi arbitrii, et ideo quarto loco posuit Innocentes, et postea beatum Thomam moderni temporis, qui fuit renovatio martyrii. Unde vere impletum est illud Ioannis primo [3]: *Verbum caro factum est et habitavit in nobis* etc. Segnitur: *De plenitudine eius nos omnes accepimus,* scilicet infantes, iuvenes et senes; quidquid enim gratiae est in nobis, totum est a Verbo incarnato.

Stephanus habuit gratiam *excellentem, stabilem* et *efficacem.* Habuit gratiam *excellentem,* ideo dicitur: *Stephanus plenus gratia;* et quia cum gratia habuit *fortitudinem,* ideo dicit: *et fortitudine;* et quia cum hoc plenus fuit bona *operatione,* ideo subdit: *faciebat* etc. Unde commendatur in verbis istis a tribus: primo, a *plenitudine supernorum charismatum,* cum dicit: *Stephanus plenus gratia,* influentia a Deo accepta. Secundo commendatur a *multitudine internarum virtutum,* cum dicit: *et fortitudine.* Tertio, a *magnitudine externarum operationum,* cum dicit: *faciebat* etc. Secundnm hoc primo commendatur in comparatione ad *Deum;* secundo, in comparatione ad *se ipsum;* tertio, in comparatione ad *proximum,* refundendo gratiam acceptam in proximum. Secundum hoc commendatur quoad virtutes *susceptivas, custoditivas, communicativas.*

Divisio principalis.

I. Sed *plenitudinem gratiae* non habuit ex se, sed ab illo qui erat *Verbum plenum gratiae* [4], scilicet a Christo; unde Apostolus: *Lex per Moysen data est, gratia autem et veritas per Christum facta est.* Et quamvis gratia non sit ex meritis nostris, immo sit donum Dei, ut dicit Apostolus ad Ephesios secundo [5]: *Gratia Dei salvati estis;* oportet tamen, quod homo primo se disponat ad susceptionem gratiae. Disponitur autem homo ad gratiam *humiliatione* mentis sub Iesu, *elevatione* mentis ad Iesum, *configuratione* mentis cum Iesu et *stabilitate* mentis apud Iesum. — Primo, dico, disponitur ad gratiam *humiliatione* mentis sub Iesu per *reverentiae profunditatem,* qua ad gratiam praeparamur. Secundo disponitur ad gratiam *elevatione* mentis ad Iesum per *fiduciae sublimitatem,* qua in gratia promovemur. Tertio, *configuratione* mentis cum Iesu per *benevolentiae latitudinem,* qua in gratia proficimus. Quarto, *stabilitate* mentis apud Iesum per *perseverantiae longanimitatem,* qua in gratia perseveramus. Et hoc est quod dicit Apostolus ad Ephesios tertio [6]: *In caritate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quae sit longitudo, latitudo, sublimitas et profundum.*

Subdivisio 1o & membra.

Expositio.

Primo ergo disponimur ad gratiam *humiliatione* mentis sub Iesu per *reverentiae profunditatem,* qua ad gratiam praeparamur; unde Ecclesiastici trigesimo secundo [7]: *Audi tacens, et pro reverentia accedet tibi bona gratia. — Audi tacens,* simpliciter credendo et humiliter obtemperando. Hoc fecit beatus Stephanus, et ideo electus est ab Apostolis tanquam ille qui dignus est aliis ministrare; Actuum sexto: *Elegerunt* Apostoli *Stephanum, virum plenum fide et Spiritu sancto; plenum fide,* operante per dilectionem, quia *captivavit intellectum suum in obsequium Christi* et voluit succedere in ministerio viduarum, quia credebat, quod gratia impleretur propter humilitatem, iuxta illud Psalmi [8]: *Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum;* sequitur: *Quia misericordiam et veritatem diligit Deus.* Aliter enim quam per humilitatem non venit homo ad gratiam, quia dicit Iacobus: *Superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam.* Et ideo Christus, qui est fontale principium gratiae, *exinanivit semetipsum* [9]. Propter hoc dicitur in Ecclesiastico: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Gratia Dei non requiescit nisi super humiles; ideo Bernardus super Cantica [10]: « In veritate comperi, nil tantum valere ad gratiam Dei acquirendam, conservandam et recuperandam, sicut si omni tempore inveniaris *non altum sapere, sed timere. Beatus homo qui semper est pavidus.* Time, cum gratia tibi arriserit; time, cum gratia abierit; time, cum gratia denuo revertetur ». Hoc est donum, scilicet gratia, quae Deo debet attribui, quia ipse est fontale principium et origo totius gratiae; et: *Flumina revertuntur ad locum,*

Primo, de humiliatione mentis sub Iesu.

Pars I. De plenitudine gratiae.

[1] Psalm. 18, 6.
[2] Respicitur Rom. 2, 11.
[3] Vers. 14. et deinde v. 16.
[4] Respicitur Ioan. 1, 14; sequitur ibid. v. 17.
[5] Vers. 5.
[6] Vers. 17. seq.
[7] Vers. 9; sequitur Act. 6, 5. et deinde respicitur II. Cor. 10, 5.
[8] Psalm. 83, 11. 12; sequitur Iac. 4, 6.
[9] Respicitur Phil. 2, 7; sequitur Eccli. 3, 20.
[10] Serm. 54. n. 9, ubi citantur Rom. 11, 20. et Prov. 28, 14.

unde exeunt [1], et ideo Christo gratia est attribuenda.

Secundo, de elevatione mentis ad Iesum.

Secundo disponimur ad gratiae plenitudinem *elevatione* mentis ad Iesum per *fiduciae sublimitatem*, qua in gratia promovemur; unde ad Hebraeos quarto [2]: *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* — *Thronus gratiae* est beata Virgo, in qua Assuerus, rex mansuetus, requievit; vel *thronus gratiae* est humanitas Christi, quia Christus ad hoc est humanatus, ut gratiam in nos diffundat; ad Romanos secundo [3]: *Iustificati ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem et accessum habemus per fidem in gratiam istam, in qua stamus et gloriamur in spe gloriae filiorum Dei.* Et alibi: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub Lege* etc. Sed ubi quaerendum? Modo non est in praesepio. Beatus Stephanus, *cum esset plenus Spiritu sancto, intendens in caelum, vidit Iesum stantem a dextris virtutis Dei*; quaerebat gratiam, ubi fuit. Radius perpendicularis, quando cadit recte super obiectum, revertitur in suum originale principium; sic gratia, quae a Deo descendit in beatum Stephanum, ipsum redruxit in summ principium, quia recognovit, se habere gratiam a Deo. Si igitur volumus habere gratiae plenitudinem, oportet, quod *cum fiducia adeamus* Deum. Et propter hoc dicit beatus Petrus [4]: *Succincti lumbos mentis vestrae, sobrii perfecte sperate in eam quae offertur vobis gratiam.* — *Lumbi* sunt, in quibus est seminarium generationis et delectationis omnis generaliter. Originale autem principium germinationis et generationis est memoria cum intelligentia; originale autem principium delectationis est voluntas. Debemus igitur voluntatem et memoriam sursum levare et *succingere* operationes et affectiones nostras *sperando in gratiam Dei*, et debet esse tota spes nostra in Christo. Apostolus ad Colossenses tertio [5]: *Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt sapite, quae sursum sunt quaerite.* Sed de quibusdam dicitur Ecclesiastici vigesimo [6]: *Gratiae fatuorum effundentur.* — *Fatui* sunt, qui spretis superioribus, convertunt se ad ista terrena; Psalmus: *Oculos suos statuerunt declinare in terram*; afficiuntur perversa affectione; aliquando per verba indecentia, vel per iocos impudicos perdunt propter ineptas laetitias quidquid tempore isto lucrati sunt.

Tertio, de configuratione mentis cum Iesu.

Tertio disponimur ad plenitudinem gratiae *configuratione* mentis cum Iesu per *benevolentiae latitudinem*, qua in gratia proficimus; unde Apostolus secundae ad Corinthios decimo tertio [7]: *Gratia Domini nostri Iesu Christi et caritas Dei et communicatio Spiritus sancti sit cum omnibus vobis. Amen.* Coniungit autem *gratiam Dei* cum *communicatione Spiritus sancti*, quia illa anima plena est gratia, quae configuratur Christo in communicatione bonorum Spiritus sancti. Dens est fontale principium gratiae et dat, sed non recipit, quia suum est *dare*. Oportet igitur, qui plenus est gratia, quod sit liberalis, communicando aliis quod habet gratiae; unde beatus Petrus: *Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei.* Angeli sunt deiformes, quia charismata gratiarum, quae a Christo recipiunt, in corpus Ecclesiae mysticum refundunt. O quanta liberalitas et benevolentia fuit in beato Stephano, qui gratiam receptam a Deo in alios ipsum lapidantes refudit! Unde dicitur Actuum sexto [8], quod *intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli.* Simus igitur et nos imitatores non daemonum, sed Angelorum; in facie enim invidorum nihil est claritatis, quia bonum in aliis non vident, sed malum. Contra tales dicit Apostolus secundae ad Corinthios sexto: *Adiuvantes exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* — Ille *in vacuum recipit gratiam*, qui nihil gratiae in alios refundit. Gratia assimilatur fonti, qui, si aquam non refundit, perdit rationem fontis; unde non est gratia sicut cisterna, sed sicut fons. Quidquid igitur habes datum, sive sit facundia, sive aliquod bonum, semper debes in alium refundere.

Quarto, de stabilitione mentis apud Iesum.

Quarto disponimur ad plenitudinem gratiae *stabilitione* mentis apud Iesum per *perseverantiae longanimitatem*, per quam in gratia perpetuamur. Christus ipse ab aeterno promittit (?), *Christus heri, et hodie, ipse et in saecula. Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci. Optimum est enim gratia stabilire cor* [9]. Sed quomodo possimus in *gratia stabiliri*, docet Apostolus ad Titum secundo: *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos, ut abnegantes impietatem et carnalia desideria, sobrie et pie et caste vivamus in hoc saeculo, exspectantes beatam spem et adventum Iudicis.* Debes sequi viam, quae apparet; sed in Christo apparuit gratia: debemus igitur sequi viam Christi, non perturbationes mundanas, si volumus in *gratia stabiliri*, quia dicit Anselmus [10]: « Cor, quod in aeternitate fixum non est, omni mutabilitate mutabilius

---

[1] Eccle. 1, 7.

[2] Vers. 16, et deinde respicitur Esth. 5, 2. seqq.

[3] Vers. 1. 2; sequitur Gal. 4, 4. et respicitur Act. 7, 55.

[4] Epist. I. c. 1, 13. — Infra post *generaliter* excidit aliquid, ut *In mente*.

[5] Vers. 1. seq.

[6] Vers. 13; sequitur Ps. 16, 11.

[7] Vers. 13; sequitur I. Petr. 4, 10.

[8] Vers. 15; sequitur II. Cor. 6, 1.

[9] Hebr. 13, 8. 9; sequitur Tit. 2, 11-13; Vulgata: *et saecularia desideria, sobrie et iuste et pie vivamus... et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi.*

[10] Cfr. Libr. de Concord. et Praescient. cum lib. arb., c. 5, et homil. 3, ubi haec verba sec. sensum occurrunt. — Vide tamen supra pag. 263, notam 8.

est ». Cor mundanis intentum non est aptum ad susceptionem gratiae; et propter hoc dicit Apostolus ad Hebraeos duodecimo [1]: *Confidentes, ne quis vestrum desit gratiae Dei, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat;* sequitur: *Ne quis* inter vos *fornicator, aut profanus Esau, qui propter unam escam perdidit primogenita sua.* Similiter propter unam delectationem perdidit homo regnum caelorum. — Audivi a quodam, quod non esset magnum habere gratiam, quia latro quandoque habet gratiam; sed cum videt tempus optimum ad male faciendum, perdit gratiam. Sed *stabiliri* in gratia magnum est. — Per duo stabilitur homo in gratia: unum est *centrum*, aliud est *circumferentia*. Centrum, immo natura centralis est firma; similiter ultimum caelum, quod est empyreum, est immobile. Et secundum hoc sunt duo principia, per quae homo stabilitur in gratia: unum est, quod habeat oculum ad aeternitatem *praemii;* aliud est, quod habeat oculum ad aeternitatem *supplicii*. Per primum stabilitur, ut faciat bonum; per secundum, ut non faciat malum. — Habeamus igitur oculos Stephani, ut exemplo eius intueamur in caelum. Patet modo, quomodo commendatur beatus Stephanus a *plenitudine gratiae.*

Exemplum.

Ab principia stabilientia.

II. Et quoniam gratia est influentia revocans animam in simplicitatem primam; et quanto aliquid est simplicius, tanto est virtuosius, et quanto virtuosius, tanto est fortius: ideo, quia beatus Stephanus plenus fuit gratia, ideo cum hoc plenus fuit *fortitudine.* Fuit autem fortis ad *bella*, ad *itinera*, ad *pericula* et ad *exercitia.* Fortis fuit ad *bella hostilium tentationum*, ad *itinera virtuosorum profectuum*, ad *pericula mundialium adversitatum*, ad *exercitia multiformium meritorum.*

Pars II. De operatione virtutum.

Fortis ad quatuor.

Primo, dico, fuit fortis ad *bella hostilium tentationum* per armaturam *fidei;* unde significatur per Iosue Ecclesiastici quadragesimo septimo [2]: *Fortis in bello Iesus Nave, successor Moysi in Prophetis, qui fuit magnus secundum nomen suum* in fide et *maximus in salutem electorum Dei.* Moyses reliquit successorem Iosue, ut esset dux primus; similiter Christus reliquit beatum Stephanum post (se) ipsum. Sequitur in Iosue, quod Iosue superavit Iericho et inimicos suos magis fide quam potentia, et dictum est ei, ut faceret septem circuitus circa muros Iericho, et in septimo circuitu ceciderunt muri. Diabolus inclinat nos ad superbiam, qui est *draco habens septem capita,* quae sunt superbia, avaritia etc., quae debemus vincere resistendo per fidem; unde primae Petri quinto [3]: *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret; cui resistite fortes in fide.* Debemus igitur facere septem circuitus, ut vincamus diabolum. Si tentat te de *superbia*, facias circuitum et videas, quomodo cecidit diabolus propter superbiam suam; unde dicit Dominus Lucae decimo: *Videbam satanam sicut fulgur de caelo cadentem.* Si incipias *invidere*, facias circuitum et vide, quomodo Cain prostratus est [4]; melius est pati cum Abel iusto, quam cum Cain excruciari in inferno. Similiter, si diabolus dicat tibi: iniuria est tibi facta, *irascaris;* vide Pharaonem, qui submersus est in mari rubro. Similiter, si tentaris de *accidia*, quod bonum est esse otiosum; fac circuitum et vide, quomodo Isboseth, qui dormiebat in die, a latrunculis interfectus est. Si vis *opulentari*, in quo vitio diabolus virtutem praetendit. Cogitat homo, quod multa bona faciet, et non daret unam eleemosynam; fac circuitum, et vide divitem, qui dixit [5]: *Anima* mea, *habes multa bona posita in annos plurimos.* Et dictum est ei: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te.* Si tentaris de *gula*, vide divitem epulonem, qui est in inferno, et Lazarum, qui nunc est in caelo. Si tentaris de *luxuria*, cogita, quod non solum in futuro, sed in praesenti hominem reddit despicabilem et hominibus odiosum, et teneas castitatem. Sic faciendo septem circuitus, debes vincere per fidem, quia *sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam*, et *adepti sunt repromissiones* [6].

Contra 7 peccata capitalia.

Oportet igitur pugnare cum diabolo, vel esse servus diaboli. Philisthaei Samsonem, amissa fortitudine sua, *fecerunt* eum *molere* [7]. Philisthiim interpretantur *lingentes sanguinem*, et significant delectationes carnales, quae non sunt nisi circulationes. Hodie comedit homo, et cras vult comedere, et delectationes carnales faciunt hominem circuire molam; et propter hoc dicit Isaias: *Vae! qui potentes estis ad bibendum vinum et viri fortes ad miscendam ebrietatem. — Quidam de synagoga surrexerunt, disputantes cum Stephano, et non poterant resistere sapientiae et Spiritui, qui loquebatur*, quia circumseptus fuit armatura Dei. Unde Augustinus [8]: « Procul dubio munimine regio circumseptus, nullatenus potuit ab adversariis superari »; et philosophus dicit: « Talia dedimus tibi arma, quae nisi prius abiecisses, invictus fuisses ».

Non pugnans fit similis Samsoni.

Stephanus circumseptus armatura Dei.

Secundo fuit fortis beatus Stephanus ad *itinera virtuosorum profectuum* per armaturam *spei;* unde Ecclesiastici quadragesimo sexto [9]: *Dedit Dominus fortitudinem Caleb, ut ascenderet in excelsum terrae*

Fortis ad itinera per spem.

[1] Vers. 15. 16; Vulgata: *Contemplantes, ne quis desit gratiae Dei... germinans impediat... profanus ut Esau, qui... vendidit primitiva sua.*

[2] Vers. 1. 2; deinde respiciuntur Ios. 6, 1. seqq. et Apoc. 12, 3.

[3] Vers. 8. 9; sequitur Luc. 10, 18.

[4] Gen. 4, 12; inferius respiciuntur Exod. 14, 21. seqq. et II. Reg. 4, 7.

[5] Luc. 12, 19. 20; post respicitur c. 16, 19. seqq.

[6] Hebr. 11, 33.

[7] Respicitur Iudic. 16, 21; sequuntur Isai. 5, 22. et Act. 6, 9.

[8] Potius Fulgentius, serm. 3. de S. Stephano, n. 2. — Sequitur Boeth., I. De consolat. philos. prosa 2.

[9] Vers. 11.

locum. Spes enim est cibus, in cuius *fortitudine Elias ambulavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus* [1]. Isaiae quadragesimo: *Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem* suam, *assument pennas ut*

Notandum. *aquilae* et volabunt etc. — Spes facit hominem fortem; spe lucri vadunt homines ultra mare; unde, si tollas spem, cessabit fortitudo. Sed si spes temporalium hominem facit fortem, multo plus spes aeternorum, quia dicit Apostolus secundae ad Corinthios quarto [2]: *Id quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, aeternum gloriae pondus operatur in nobis*, scilicet, *quod oculus non vidit, nec au-*

Improbantur multi. *ris audivit, nec in cor hominis ascendit*. — Sed de multis conqueritur Dominus per Ieremiam [3]: *Factus*, inquit, *est cursus eorum malus, et fortitudo eorum dissimilis*. Fortes sunt ad vitia et debiles ad virtutes.

Tertio fuit beatus Stephanus fortis ad *pericula*

Fortis ad pericula per caritatem. *mundialium adversitatum* per solatium *caritatis*; unde significatur per Gedeonem, cui dixit Angelus [4]: *Dominus tecum, virorum fortissime; in hac fortitudine liberabis populum de manu Madian*. Et praecepit ei Angelus, ut cum ceteris viris accederet ad castra *Madian*, et acciperent *tubas* et lagunculas et *lampades* coruscantes in manibus, et quod complouderent *lagunculas* et sonarent tubas, et remanerent lampades coruscantes; et tunc fugerent eorum inimici. — *Tubae in manibus* est praedicatio veritatis; *lagunculae confractae* sunt sancti Martyres; *lampades coruscantes* sunt miracula Sanctorum, quae remanent post ipsorum martyrium; vel *lampades coruscantes* possunt dici caritativae affe-

S. Stephanus. ctiones, quae manent, destructis corporibus. — Unde, confracto corpore beati Stephani, remansit caritativa affectio eius, per quam conversus est Saulus, quia *fortis est ut mors dilectio* [5] etc. Et propter hoc dicit Apostolus: *Quis nos separabit a caritate Christi? Tribulatio?* Et in Canticis dicitur: *Lampades eius, lampades ignis atque flammarum. Aquae multae non potuerunt exstinguere caritatem*. — Sed

Improbantur multi. econtra multi sunt fortes per odium aequitatis, non per amorem caritatis; de quibus in libro Sapientiae [6]: *Opprimamus virum pauperem, non misereamur viduae* etc.

Quarto fuit fortis ad *exercitia multiformium*

Fortis ad exercitia per virtutes cardinales. *meritorum* per habitum quadriformium *virtutum cardinalium*; quod figuratur in secundi libri Regum vigesimo secundo [7], ubi dicitur: *Deus, qui accinxit me fortitudine et complanavit perfectam viam meam*. Non enim est *fortitudo* sine habitu trium

Septem virtutes. virtutum cardinalium, scilicet sine temperantia, iustitia et prudentia, et sine habitu trium theologicarum, scilicet fidei, spei et caritatis. Quod figuratur Figurator. in Canticis [8], ubi dicitur, quod *lectum Salomonis sexaginta fortes ambiunt*; in quo figuratur et fortitudo, quae habet annexionem ad tres virtutes alias cardinales et theologicas, quae faciunt senarium numerum, quae virtutes sex reductae per denarium, qui est consummatio [9] decalogi, faciunt numerum sexagenarium. Et hoc est quod dicit, quod *sexaginta fortes ambiunt lectum Salomonis*, quia *fortitudo* requirit alias sex virtutes, quae reductae per numerum denarium, resultant in numerum sexagenarium. Rogabimus Dominum etc.

Collatio [10].

Stephanus plenus gratia etc.

Dictum est, quod beatus Stephanus commendatur Repetitio. in verbis istis primo, quantum ad *plenitudinem supernorum charismatum*; secundo, quantum ad *multitudinem internarum virtutum*; tertio, quantum ad *magnitudinem* et fortitudinem *extrinsecarum operationum*. De primis duobus dictum est.

III. Restat dicere modo de tertio, scilicet de Pars III. De exercitio operationum. *magnitudine extrinsecarum operationum*, quod tangitur, cum dicit: *faciebat* etc. Manifestatur autem substantia per virtutem, virtus per operationem; unde Dominus Ioannis quinto [11]: *Opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me*. Multa bona fecerunt multi, qui tamen postea sunt damnati; unde in Matthaei septimo: *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus et in nomine tuo daemonia eiecimus et in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Et dicet Dominus: *Nunquam novi vos; discedite a me qui operamini iniquitatem*. — Sapientia chri- Opinio philosophorum et aspicienti christiana. stiana aliud dicit de operibus virtutum et aliud philosophi; philosophi dicunt secundum exteriorem intellectum [12], et nisi sane intelligantur, ducunt in errorem. Dicunt: boni sumus, quia bona facimus; sed certe bonum non est meritorum, nisi sit gratia informatum. Bonum facimus, ergo boni sumus; verum est de virtute *consuetudinali*, quae est habitus politicus; vera autem bonitas est, quia, si boni sumus, bona facimus; unde Genesis quarto [13]: *Respexit Dominus ad Abel et munera eius; ad Cain vero et ad munera illius non respexit*. Ex bona virtute procedit bona operatio, et ex virtute mirabili procedit operatio mirabilis et prodigiosa. — Beatus S. Stephanos admirandos progressus quatuor. Stephanus commendatur, quia fecit signa et prodigia, quia mirabilis fuit in se et in sanctitate sua.

[1] Libr. III. Reg. 19, 8; sequitur Isai. 40, 31.
[2] Vers. 17; sequitur I. Cor. 2, 9.
[3] Cap. 23, 10.
[4] Iudic. 6, 12. 14. seqq.; dein c. 7, 16. seqq.
[5] Cant. 8, 6; sequuntur Rom. 8, 35. et Cant. 8, 6. 7.
[6] Cap. 2, 10; Vulgata: *Opprimamus pauperem iustum et non parcamus viduae*.
[7] Vers. 33.
[8] Cap. 3, 7; codex habet: *quod figurabatur in libro Regum*.
[9] Codex habet *conservatio*.
[10] In cod. legitur: *Collatio Bone aventure*, qui titulus, a prima manu exaratus, est immediate post praemissum sermonem.
[11] Vers. 36; sequitur Matth. 7, 22. seq.
[12] Cfr. Bonav., II. Sent. d. 49. a. 1. q. 2. ad 1.
[13] Vers. 4. seq.

Ad hoc autem, quod homo sit dignus admiratione, oportet, quod sit mirae *virtutis*, mirae *veritatis*, mirae *sanctitatis* et miri *amoris;* sed ista fuerunt in beato Stephano: ergo fuit dignus admiratione; quod probant opera sua; quia, quando opera procedunt, secundum quod debent, tunc verum testimonium dant de homine.

opter mi-
im virtu-
m dupli-
citer.

Primo, dico, beatus Stephanus fuit *mirae virtutis*. Sed quid est esse mirae virtutis? Certe, quando est *sublimitas operis* et *humilitas cordis,* hoc est, quando homo sentit, quod de se non facit ea quae facit, sed per virtutem divinitus acceptam. Unde in Ioannis decimo quarto [1] dicit Dominus: *Qui credit in me opera, quae ego facio, et ipse faciet et maiora horum faciet, quia ego ad Patrem vado* etc. Oportet igitur humiliari, quia, *si forte superbirent homines et dicerent: Manus nostra haec (fecit),* non facerent quae fecerunt. Et propter hoc dicit Augustinus [2]: « Miranda actio cum elatione non elevat, sed gravat »; et Dominus in Lucae decimo septimo [3]: *Cum omnia* bene *feceritis, dicite: servi inutiles sumus;* vult, quod totum Domino attribuamus et nihil nobis. Unde tres pueri [4] in camino ignis magnificentiam et gloriam Deo attribuebant et se deprimebant. —

. Stepha-
nus.

Talis etiam fuit beatus Stephanus, quia fuit magnarum operationum et parvi sensus; et hoc docet fides christiana. Philosophi, cum magna agerent, tamen non pervenerunt ad magnum Deum, quia Deus elegit humiles, ut totum Deo attribuerent. — Talis fuit beatus Stephanus, et ideo magna operatus est; unde significatur in Ecclesiastici quadragesimo octavo [5] per Eliseum, de quo dicitur: *In vita sua fecit mvnstra et in morte mirabilia operatus est.* Ad memoriam beati Stephani sex mortui sunt resuscitati, praeter quos in vita sua suscitavit [6]. — In translatione sua ultima legitur, quod Theodosius imperator Romanus habuit filiam possessam a daemone, qui dixit, quod nunquam exiret nisi per beatum Stephanum, qui fuit in civitate Constantinopoli; et dixerunt illi, quod ponerent puellam in navi. Et dixit daemon: Faciam, pericliteri navem. Tunc illi, timentes periculum, non audebant ipsam ponere in navi; et tunc misit imperator ad patriarcham Constantinopolitanum, rogans, ut daret ei corpus beati Stephani. Qui respondit: Libenter, dummodo reddatis nobis corpus beati Laurentii; et tunc impetravit imperator a Papa, ut pro corpore beati Stephani redderent corpus beati Laurentii. Et cum apportatum est corpus beati Stephani, voluerunt ipsum ponere in tumbam beati Laurentii. Et dixit Papa, quod non poneret manum in removendo corpus beati Laurentii, sed quod ipsi accederent et sumerent corpus. Cum aperuissent sepulcrum et vellent accipere corpus beati Laurentii, facti sunt omnes caeci. Tunc fecerunt votum beato Laurentio, quod corpus eius non removerent, et redditus est eis visus. Postea, cum vellent ponere corpus beati Stephani intra, corpus beati Laurentii secessit et dedit locum beato Stephano [7]. Fuit igitur mirabilis virtutis.

Miracula,
quae fecit.

ius trans-
latio.

Secundo fuit *mirabilis veritatis.* Ille autem est mirabilis veritatis, in cuius opere simul concurrunt *claritas exempli* exterioris et *simplicitas oculi* interioris. Opus enim veritatis est *opus claritatis;* unde Ioannis tertio [8]: *Qui male agit odit lucem;* sequitur: *Qui bene agit venit ad lucem, ut manifestentur opera eius, quoniam in Deo facta sunt.* Et propter hoc dicit Dominus Apostolis Matthaei quinto [9]: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est. Hypocritae* autem faciunt opera sua, *ut videantur ab hominibus,* et ideo evanescunt. — Et propter hoc cum claritate operis oportet, quod adsit *simplicitas oculi;* ideo dicit Dominus: *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Debes facere bonum in occulto quantum ad te, sed in publico quantum ad aedificationem proximi. Beatus Stephanus magnae fuit veritatis, ergo et magnae virtutis. — Quaedam fuit mulier nomine Petronia, quae diu fuerat afflicta aegritudine et omnia, quae habebat, expenderat in medicinis. Et narrat Augustinus in libro de Civitate Dei [10], quod invenit quendam Iudaeum magicis artibus imbutum, qui consuluit ei, quod faceret cingulum de capillis suis et poneret anulum quendam in cingulo et portaret ad renes, et sic curaretur. Et cum non posset curari, audivit, quod beatus Stephanus multa miracula faceret; multum devota cogitavit ire ad templum beati Stephani. Et cum iret in via, vidit, anulum illum iacere in terra, et statim cogitavit, quod ruptus esset cingulus, et quod anulus esset fractus; respexit et vidit anulum integrum. Hoc autem fecit beatus Stephanus, qui voluit, quod sine omni superstitione intraret templum, et hoc potuit veritas fidei. — Sed multi in superstitione sua efficiuntur stulti. Audivi de quodam, qui volnit esse expertus in alchymia, factus est stultus; unde ista curiosa non sunt dicenda pueris, quia animae puerorum seducuntur, sicut puer efficitur strabo, quando lucerna est ex adverso [11].

Propter mi-
ram verita-
tem dupli-
citer.

Claritas
exempli.

Simplicitas
oculi.

Exempla.

Contra su-
perstitio-
nem.

[1] Vers. 12; sequitur Deut. 32, 27; Vulgata: *Ne forte superbirent hostes eorum et dicerent: Manus nostra excelsa, et non Dominus, fecit haec omnia.*

[2] Potius Gregor., i. Homil. in Evang. homil. 7. n. 4.

[3] Vers. 10; Vulgata: *Cum feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite* etc.

[4] Respicitur Dan. 3, 24. seqq. [5] Vers. 15.

[6] August., XXII. de Civ. Dei, n. 15-19. et serm. 324. (alias 23. de Diversis).

[7] Cfr. Acta Sanctorum, tom. II. Augusti pag. 528, n. 41. seqq. et pag. 530, n. 46.

[8] Vers. 20. seq.; Vulgata: *Omnis enim, qui male agit, odit lucem et non venit ad lucem, ut non arguantur opera eius. Qui autem facit veritatem venit ad lucem, ut manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.*

[9] Vers. 16; sequitur c. 6, 5. et deinde v. 1.

[10] Libr. XXII. c. 8. n. 21.

[11] Vide supra pag. 209, notam 8.

Tertio fuit beatus Stephanus mirabilis virtutis, quia *mirabilis* fuit *sanctitatis*. Mirabilis sanctitatis est in cuius opere simul concurrunt *puritas innocentiae* et *austeritas vitae;* sed beatus Stephanus habuit *puritatem innocentiae;* quia innocens est qui in omnibus divinae legi consentit et facit quae divina lex praecepit, quia *non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur* [1]. — Oportet igitur habere puritatem innocentiae, et cum hoc requiritur *austeritas vitae;* et secundum hoc dicit Ioannes Baptista: *Facite fructus dignos poenitentiae. Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur.* Christus asperrimam duxit vitam, similiter Ioannes Baptista et omnes Sancti, similiter et beatus Stephanus, et ideo mirabilis fuit sanctitatis. — Unde multa miracula fecit. Unde etiam narrat Augustinus [2], quod contigit (in) Cappadocia, quod homo habebat septem filios et tres filias. Mortuus est pater; filii autem, non reverentes matrem, iniuriati sunt ei; mulier impatiens maledixit eis, et pro peccato commisso filii eius agitabantur continuo tremore. Postea duo ex illis, scilicet unus filius et una filia, verecundati exierunt propriam terram et die Paschatis venerunt in ecclesiam beati Stephani, in qua celebrabat beatus Augustinus, et visi sunt toti populo ita trepidare. Accessit filius ad altare et ibi coepit obdormire, et cum evigilatus est, non trepidabat. Hoc videns populus, cantabat laudes Domino. Tunc beatus Augustinus iussit, ipsum reservari usque in crastinum, et quaesivit ab eo, si causam sciret infirmitatis suae. Et cum dixisset ei causam, narravit beatus Augustinus miraculum toti populo et secundo, maledictionem propter peccatum inflictam. Beatus Stephanus, qui fuit innocens et tamen valde poenitens, fecit propitiari peccatis alienis. Fuit igitur mirabilis sanctitatis.

Propter miram sanctitatem dupliciter.

Puritas innocentiae.

Austeritas vitae.

Miracula S. Stephani.

Quarto fuit *miri amoris*. Mirabilis autem amor est, in quo simul concurrunt *rigor severitatis* et *dulcor benignitatis*. Tales fuerunt Sancti, qui habuerunt zelum cum pietate Dei; Psalmus [3]: *Exultabunt Sancti in gloria, laetabuntur in cubilibus suis. Exaltationes Dei in gutture eorum et gladii ancipites in manibus eorum. Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Ad alligandos reges eorum in compedibus et nobiles eorum in manicis ferreis.* Talis fuit Moyses [4], Elias et Mathathias, qui inulti sunt iniurias Dei. — Sed oportet, quod iudicium concomitetur *pietas*, quia *iudicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam* [5]. Sed in beato Stephano fuit magna benignitas, quia *positis genibus orabat dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum; non enim sciunt, quid faciunt;* et in Matthaeo [6]: *Estote perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est, qui solem suum oriri facit super iustos et iniustos;* item, in eodem: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos* etc. Mirabilis enim caritatis fuit beatus Stephanus, quia cum zelo habuit maximam compassionem, et in hoc imitator fuit Christi, qui, cum apprehenderetur a Iudaeis, *sanavit auriculam* servi [7]. Hoc etiam docet fides christiana et beatus Stephanus lapidatus.

Propter miram amorem dupliciter.

Rigor severitatis.

Dulcor benignitatis.

Schema praecedentis sermonis [8].

In festo beati Stephani Protomartyris sermo fratris Bonaventurae editus Parisius, in domo Fratrum Minorum coram Universitate.

Stephanus autem plenus gratia et fortitudine faciebat prodigia et signa magna in populo, Actuum sexto [9].

Commendatur in verbis his beatus Stephanus a dono excellenti per *plenitudinem* supernorum *charismatum,* dum dicitur: *plenus gratia;* a dono stabili per *vigorationem* internarum *virtutum,* dum dicitur: *plenus fortitudine;* a dono efficaci per *magnitudinem* extrinsecarum *virtutum operationum,* dum dicitur, quia *faciebat signa magna et prodigia in populo.*

Pars I. Dispositio quadruplex.

I. Circa primum nota, quod dispositus fuerat beatus Stephanus a plenitudine *gratiae:* per *humiliationem* mentis *sub* Iesu ex reverentiae profunditate, qua fuit ad gratiam praeparatus, secundum illud Ecclesiastici trigesimo secundo [10]: *Audi tacens, et pro reverentia accedet tibi bona gratia.* — Per *elevationem* mentis *in* Iesum ex fiduciae stabilitate, qua fuit in gratia promotus, secundum illud ad Hebraeos quarto: *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiae eius* etc. — Per *configurationem* mentis *cum* Iesu ex benevolentiae sanctitate, qua fuit in gratia fructuosus, secundum illud Sapientiae quarto: *Gratia Dei est in Sanctos eius* etc. — Per *stabilitionem* mentis *post* Iesum ex perseverantiae longanimitate, qua fuit in gratia consummatus, secundum illud ad Hebraeos ultimo [11]: *Optimum est gratia stabilire cor.*

Pars II. Fortitudo; quatuor.

II. Circa secundum nota, quod *plenus* fuit *fortitudine*, id est omni genere fortitudinis, quia fortis: ad *bella* tentationum hostilium per *fidei* armaturam; Ecclesiastici quadragesimo sexto [12]: *Fortis in bello Iesus Nave, qui fuit magnus* etc. — Ad *itinera* virtuosorum profectuum per *spei* firmaturam; Ecclesiastici quadragesimo sexto: *Dedit Dominus Caleb*

[1] Rom. 2, 13; sequitur Luc. 3, 8. 9.
[2] Loc. cit., libr. XXII. de Civ. Dei, c. 8. n. 22.
[3] Psalm. 149, 5. seqq.
[4] Alluditur ad Exod. 32, 18. seqq.; III. Reg. 19, 10. 14. et 1. Mach. 2, 1. seqq.
[5] Iac. 2, 13; sequuntur Act. 7, 59. et Luc. 23, 34.
[6] Cap. 5, 48. et dein v. 45. et 44.
[7] Respicitur Luc. 22, 51.
[8] Ex A fol. 69 v.
[9] Vers. 8.
[10] Vers. 9; sequuntur Hebr. 4, 16. et Sap. 4, 15.
[11] Vers. 9. [12] Vers. 1; sequitur v. 11.

fortitudinem etc. — Ad *pericula* afflictionum mundialium per *caritatis* laetitiam; ludicum sexto [1]: *Vade in hac fortitudine tua et liberabis Israel de manu Madian.* — Ad *exercitia* meritorum multiformium per *bonitatis* diligentiam; Canticorum quarto [2]: *Omnis armatura fortium; et ad bella doctissimi.*

ars III. Datur mirabilie.

III. Circa tertium nota, quod *fecit signa et prodigia in populo*, quia homo fuit: mirabilis *virtutis* per nobilitatem animi et sublimitatem meriti; Ecclesiastici quadragesimo octavo [3]: *Eliseus in vita sua fecit monstra* etc. — Mirabilis *veritatis* per simplicitatem oculi et claritatem ingenii; Ioannis sexto: *Illi ergo homines, cum vidissent, quod fecerat signum.* — Mirabilis *sanctitatis* propter puritatem innocentiae et austeritatem vitae; Ioannis tertio: *Qui accepit eius testimonium signavit, quia Deus verax est.* — Mirabilis *amoris* per dulcorem pietatis et flammam caritatis geminae; secundae ad Corinthios primo [4]: *Qui confirmat nos vobiscum in Christo et qui unxit nos, Deus.*

Sermo II [5].

Posuisti, Domine, in capite eius coronam de lapide pretioso, Psalmus [6].

Verbum istud, quod sumtum est de Psalmo, generaliter intellectum, potest assumi in laudem cuiuslibet Martyris; sed cuiusdam specialis privilegii praerogativa appropriari potest in laudem Protomartyris Stephani. In quo exprimitur, eius praemium sive stipendium gloriae militiae eius esse magnificum; et

Divisio.

hoc a triplici conditione, scilicet ab *auctoritate dantis;* et hoc notatur, cum dicitur: *Posuisti, Domine;* secundo, ab *idoneitate recipientis,* et hoc implicatur, cum subiungitur: *in capite eius;* tertio, a *magnitudine mercedis,* et hoc explicatur, cum subinfertur: *coronam de lapide pretioso.* Et haec tria magnificant illud praemium et extollunt, scilicet quod magnum sit et *pretiosum in se,* et quod datur *ei qui dignus est,* et quod datur *ab eo cuius est dare* et alios praemiare; et ideo dicit: *Posuisti, Domine,* quasi dicat: tu *posuisti,* qui habes potestatem et auctoritatem, et ita *collocasti,* ut nemo possit deponere. Tu ergo, *Domine, posuisti,* non per ministrum, sed per te ipsum, ut gloriosius et accep-

Pars I. De auctoritate dantis, qui coronam praeparavit praedestinando.

tabilius sit praemium de manu tua.

I. *Tu, Domine, posuisti coronam,* qui eam *praeparasti* in aeterna *praedestinatione.* Nam praedestinatio est praeparatio gratiae et gloriae; de qua dicitur Isaiae sexagesimo quarto [7]: *Oculus non vidit, Deus, absque te quae praeparasti exspectantibus te.* Hanc specialiori modo coronam Dominus Stephano praeparavit, quia aliis praeparavit, antequam essent; isti autem, et antequam esset et tanquam Protomartyri et primo inter Martyres, coronam Deus praeparavit, quasi prae aliis et ante alios paravit; et ideo bene ei competit illud Isaiae sexagesimo secundo: *Eris corona gloriae in manu Domini et diadema regni in manu Dei tui.* — Peroptime dicit: *Eris corona gloriae,* ut significatio vocabuli alludat rei. Stephanus enim *corona* interpretatur, ut sic nominetur secundum aeternum Dei propositum, et ille dicatur *corona,* cui Deus praeparavit coronam. Et recte dicit *in manu Dei,* ut per manum intelligatur divinae virtutis adiutorium. Sic enim Dominus coronam praeparat, ut nunquam sine eius manu ad eam perveniant. Ipse ergo in capite Protomartyris Stephani coronam manu sua imposuit, sicut ab aeterno praevidit.

Item, qui eam reparavit redimendo.

Tu etiam posuisti, qui *reparasti* in ipsius *redemptione.* Hanc enim coronam, quam Deus ab aeterno se daturum praeviderat, merito transgressionis protoplasti omnis homo perdiderat, quia *in* illo uno *omnes* alii *peccaverant* [8]. Ideo poterant omnes homines lugere et dicere illud quod dicitur in Threnorum quinto: *Cecidit corona capitis nostri, vae nobis, quia peccavimus.* Miseratus igitur Deus nostram inopiam, quoniam eramus tanquam *pupilli* et *absque patre* et privati hereditate, coronam, quam prius paraverat, comparavit non modico pretio, sed pretio superexcellenti et indicibili. Portavit enim Dominus gloriae coronam ignominiae, ut servum ignominiosum faceret gloriosum; unde Ioannis decimo nono [9]: *Exivit Iesus portans coronam spineam et purpureum vestimentum.* Et bene dicit *exivit,* ut notetur, ignominiosam coronam non portasse in occulto, sed in aperto, quia per illam ignominiosam omnibus emit gloriosam coronam; sed quamvis pro omnibus emerit quantum ad sufficientiam, pro solis imitatoribus emit quantum ad efficaciam, inter quos principatum tenet beatus Stephanus, qui fuit primus et praecipuus Domini imitator. Sicut ergo sibi Dominus emit per se ipsum, ita etiam imposuit.

Item, qui eam promisit vocando.

Tu imposuisti, qui *promisisti* in eius *vocatione.* Cum enim Dominus vocat ad gratiam, tunc promittit gloriam, quia gratia pignus est gloriae; unde ad Ephesios primo [10]: *Credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis*

---

[1] Vers. 14.
[2] Vers. 4. et dein c. 3, 8.
[3] Vers. 15; sequuntur Ioan. 6, 14. et c. 3, 33.
[4] Vers. 21.
[5] Hic sermo habetur in bibliotheca regia *Monachii,* cod. Lat. 7776. fol. 230 r.; *Assisii,* in sacri Conventus biblioth. n. 58. iuxta antiquam numerationem; *Tuderti,* cod. n. 482. fol. 86 r., qui duobus aliis est melior et aliquoties auctor. Hi tres codd. attingunt saec. XIII. Inveniuntur quidem ibi sine nomine auctoris, ut multi alii Bonaventuriani sermones, qui ibidem sunt; recte tamen S. Doctori tribuuntur, tum propter indolem et stilum ipsius, tum quia hoc festantur duo seqq. schemata, sumta ex cod. A bibliothecae Ambrosianae, quae quasi exhibent eiusdem schema, licet alium textum Scripturae pro themate habeant. Defectus sermonis tribuendi sunt « reportatori ».
[6] Psalm. 20, 4.
[7] Vers. 4; sequitur c. 62, 3.
[8] Respicitur Rom. 5, 12; sequuntur Thren. 5, 16. et v. 3.
[9] Vers. 5.
[10] Vers. 13. seq.

nostrae. Hoc *Spiritu sancto signatus* fuit beatus Stephanus in eius vocatione; Actuum sexto [1]: *Elegerunt* Apostoli *Stephanum, virum plenum fide et Spiritu sancto* etc.; unde et ei Dominus specialiter repromisit; et ideo recte de ipso potest exponi quod dicitur Apocalypsis secundo: *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae.* Fidelis Dominus in promittendo gloriam; ideo non promittit nisi fideli, ideo secure dicit: *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi* etc., certus, quod ego, qui promitto, nescio fallere, et ideo, sicut promitto, ita impono.

Tu *posuisti*, qui *custodisti* in *tentatione;* quamdiu enim homo tentatur, est in periculo naufragandi; et ideo Dominus coronam gloriae nobis reservat et custodit in tuto. Et hoc maxime fecit beato Stephano; unde recte potuit ipse dicere quod dicit Apostolus secundae ad Timotheum ultimo [2]: *Reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex* etc. Hoc verbum potuit dicere beatus Stephanus; sciebat enim, sibi *coronam esse repositam,* quam sibi Dominus ex speciali signo amoris in passione monstraverat; Actuum septimo: *Ecce, video caelos apertos et Filium hominis stantem a dextris Dei.* Beatus, cui coronam Dominus reposuit in caelo! ille enim securus pugnat in proelio. Et bene dicit: *Reposita est mihi;* custodit enim Dominus coronam nobis, sicut mater parvulo custodit rem pretiosam, ne proiiciat in lutum; quam ad tempus subtrahit, non ut auferat, sed ne homo perdat. Et ideo dicitur Proverbiorum vigesimo tertio: *Praebe, fili mi, cor tuum mihi,* quia non tantum conservat praemium, verum etiam bonum affectum, quo conservato, corona conservatur, et quo perdito, corona perditur, sicut dicitur in Psalmo [3]: *Scuto bonae voluntatis tuae coronasti nos,* quia bona voluntas tanquam scutum conservat coronam. — Tu igitur, Domine, habes auctoritatem ponendi, qui hanc coronam praeparasti, qui comparasti, qui promisisti, qui custodisti beato Stephano. In hoc ergo, quod dicitur: *Posuisti, Domine,* notatur *auctoritas dantis.* Sed nota hoc quod subiungitur: *in capite eius;* in quo possumus considerare *idoneitatem suscipientis.*

Ideo, qui eum custodivit in tentatione.

Conclusio.

II. *Posuisti* ergo, *Domine, in capite eius.* Cuius *eius? Tripliciter:* eius, id est cuiuslibet Sancti *generaliter* et cuiuslibet Martyris *specialiter* et *proprie* eius, scilicet beati Stephani Protomartyris. In eius enim capite specialiter fuit *idoneitas* ad coronam; quod enim maxime facit dignum corona est strenuitas militiae. Strenuus autem miles indicatur a quadruplici conditione: primo, quia *magnanimus* in aggrediendo; secundo, quia *patiens* in sustinendo; tertio, quia *constans* in perseverando; quarto, quia *magnificus* in triumphando.

Pars II. De idoneitate recipientis.

Strenui militis 4 conditiones.

Primo igitur, quia *magnanimus in aggrediendo.* Hoc enim competit bono militi, ut non sit corde pavidus, sed per omnia fidens in Domino [4]. Talis recte fuit Stephanus, qui primus inter omnes milites Christi se morti exposuit, in quo miro modo eius fortitudinis magnanimitas commendatur. Et ideo recte de ipso dicitur in Actuum sexto capitulo: *Stephanus autem plenus gratia et fortitudine.* Hoc reddidit eum idoneum ad coronam; et hoc significatum est primi Machabaeorum decimo: *Scripsit rex Alexander Ionathae: Audivimus de te, quod vir potens sis viribus, et aptus es, ut sis amicus noster.* In hoc notatur magnanimitas, quae eum idoneum faciebat ad magna; ideo sequitur: *Misit ei purpuram et coronam auream; et quae nostra sunt sentias nobiscum,* quasi dicat: non sentit quae sunt gloriae, qui timet aggredi ea quae sunt poenae, secundum quod ipse Dominus dixit filiis Zebedaei Matthaei vigesimo [5]: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?*

Conditio prima.

Secundo, quia *patiens* fuit *in sustinendo;* non enim esset potens et bonus miles, nisi bene adversarii ictus susciperet; et talis fuit Protomartyr Stephanus, secundum quod dicitur Actuum septimo [6]: *Lapidabant Stephanum invocantem et dicentem: Domine Iesu, suscipe spiritum meum.* Non recalcitrabat, non comminabatur, non petebat vindictam, sed patientiae coronam desiderabat et petebat; et hoc est quod ipsum reddidit dignum corona, secundum quod dicitur Iacobi primo: *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae.* — Optime dicit: *cum probatus fuerit;* nam vir patiens in tribulatione probatur sicut bonum aurum in igne, sed impatiens reprobatur sicut malum argentum. Et de talibus Ieremiae sexto: *Frustra conflavit conflator; malitiae enim eorum non sunt consumtae. Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit illos.*

Secunda.

Tertio, quia *constans in perseverando;* non enim bonus miles est qui bene incipit, sed fugit de proelio. Beatus autem Stephanus in bona confessione perseveravit et propter hanc occisus fuit et vitam finivit in bello, sicut in Actibus legitur; et hoc reddidit eum idoneum ad coronam; haec enim dispositio est, sine qua nemo potest coronari; ideo potuit recte beato Stephano in agone posito dici: *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam,* Apocalypsis tertio [7]; quasi dicat: si non tenueris, non habebis, quia non qui coeperit, sed *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit,* sicut dicit Veritas Matthaei vigesimo quarto. Qui ergo incipiunt bene agere et postmodum desistunt non possunt ad coronam pervenire. Unde Bernardus: « Prorsus absque

Tertia.

[1] Vers. 5; sequitur Apoc. 2, 10.
[2] Vers. 8; sequuntur Act. 7, 56. et Prov. 23, 26.
[3] Psalm. 5, 13.
[4] Respicitur II. Cor. 1, 9; sequuntur Act. 6, 8. et 1. Mach. 10, 17. seqq.
[5] Vers. 22.
[6] Vers. 59; sequuntur Iac. 1, 12. et Ier. 6, 29. seq.
[7] Vers. 11; sequuntur Matth. 24, 13. et Bernard., epist. 129. n. 2.

perseverantia nec qui pugnat victoriam, nec victor palmam consequitur. Vigor virium, virtutum consummatio est; nutrix ad meritum, mediatrix ad praemium. Soror est patientiae, constantiae filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimitatis vinculum, propugnaculum sanctitatis. Tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo ».

Additio quarta. Quarto, quia *magnificus in triumphando;* est enim magnificentia rerum magnarum et excellentium praeclara consummatio. Hanc habuit beatus Stephanus, qui victoriosissime consummavit et consummando triumphavit, quia pro suis persecutoribus exoravit; Actuum septimo [1]: *Positis autem genibus, clamavit voce magna, dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum* etc. O peroptimum genus victoriae! vincere adversarium per beneficia. Illi eum occiderunt hoc modo, et ipse orando eos vivificabat Deo; unde merito precum suarum, ut dicit Augustinus [2], Paulum lucratus est, et qui fuerat eius occisor postmodum factus est doctor. Et hoc perfecte praeparavit eum ad coronam, quia orando pro adversariis coronam adversando diabolo abstulit et suam fecit. Unde bene de eo potest exponi quod dicitur primi Paralipomenon vigesimo [3]: *Tulit David coronam Melchom de capite eius* et posuit eam in capite suo. — Quis, oro, est *David, manu fortis,* nisi Stephanus *plenus gratia et fortitudine* [4]? Quis est *Melchom,* qui interpretatur *rex eorum,* nisi diabolus, qui est *rex super universos filios superbiae,* Iob quadragesimo primo. Huius coronam beatus Stephanus abstulit, quando orando pro his, in quibus diabolus gloriabatur, ipsos convertit ad Christum, qui fuerunt ei in coronam, secundum quod dicitur Proverbiorum decimo septimo: *Corona senum, filii filiorum,* quia non tantum erant ei in gloriam et coronam qui per ipsum conversi sunt, sed etiam qui per Paulum. *Posuisti* ergo, *Domine, in capite eius coronam,* scilicet gloriosi militis Stephani, qui ob suam strenuitatem idoneus fuit ad coronam.

Pars III. magnitudo mercedis. III. *Posuisti,* inquam, *coronam de lapide pretioso.* Hic notatur *magnitudo mercedis* in nomine coronae. Illud enim gloriosum praemium, quamvis nullo vocabulo possit sufficienter exprimi, convenienter tamen exprimitur nomine *coronae.* In corona enim nobili quatuor ista considero, scilicet quod habet *pretiositatem* in materia, *venustatem* in forma, *dignitatem* in adiacentia, *interminabilitatem* in figura; et in his quatuor comprehenditur omne desiderabile. Omnis enim, qui desiderat, aut desiderat bonum, quod *ditat,* et ita pretiosum; aut bonum, quod *delectat,* et ita speciosum; aut bonum, quod *exaltat,* et hoc est honorabile; aut bonum, quod *durat,* et hoc est interminabile.

Corona 4 praerogativae. Prima ergo merces beatitudinis aeternae, quae est corona Sanctorum, est ornamentum *pretiosum;* et hoc bene innuitur Proverbiorum decimo quarto [5], ubi dicitur: *Corona sapientium, divitiae eorum* etc. Non tantum corona illa est dives, sed ipsae *divitiae,* quoniam vere ditat hominem divitiis salutis, quae non sunt aurum et argentum, sed, sicut dicitur Isaiae trigesimo tertio, *divitiae salutis, sapientia et scientia; timor Domini, ipse est thesaurus eius;* et haec sunt verae divitiae, quia, sicut dicitur Proverbiorum tertio, *sapientia est pretiosior cunctis opibus, et omnia, quae desiderantur, huic non valent comparari.* Unde Augustinus [6]: « Desiderari potest, suspirari omnino potest; digne dici et enuntiari non potest »; acquiri potest, aestimari non potest. Gregorius dicit: « Considerate, quod vilius [7], cum emitur, quod carius, cum possidetur ». Hoc praemium desiderabile assecutus est beatus Stephanus.

Pretiositas in materia.

Est etiam ornamentum *speciosum,* quod decorat; et ideo recte dicitur corona; Isaiae sexagesimo primo [8]: *Indumento iustitiae circumdedit me;* hoc dicere potest beatus Stephanus et quilibet Beatus quantum ad statum meriti sive gratiae; *quasi sponsum decoratum corona,* quantum ad statum praemii sive gloriae. Vere supernum praemium est speciosum; unde Ioannes in Apocalypsis vigesimo primo, describens illius supernae civitatis speciositatem dicit: *Ostendit mihi civitatem sanctam Ierusalem descendentem de caelo a Deo, habentem claritatem Dei; et lumen eius simile lapidi pretioso.* Vere ergo decorum praemium, quia luminosum; et iste decor summe delectabit aspectum. Unde Augustinus [9]: « Cum pervenerimus ad te, o lumen aeternum et desiderabilem spiritum, erit nobis delectabiliter impressa ex visione tua satietas simul et desiderium. Sed longe abest a desiderio satietas et longe a satietate fastidium; nam sitientes satiabimur et satiati sitiemus », secundum illud Ecclesiastici vigesimo quarto: *Qui edunt me adhuc esurient, et qui bibunt me adhuc sitient.*

Venustas in forma.

Dignitas in adiacentia. Est etiam merces illa ornamentum *honorabile,* sicut corona imponitur capiti regis ad honorem et gloriam. Ideo dicitur in Psalmo [10]: *Gloria et honore coronasti eum,* Domine. Et bene dicit: *coronasti gloria et honore;* nam honor est ista corona, et corona est ibi gloria et vera gloria et verus honor. Unde Augustinus: « Vera ibi gloria erit, ubi laudantis

[1] Vers. 60.

[2] Serm. 332. (alias 4. de Sanctis) c. 3. n. 3. et c. 4. n. 4; serm. 331. (alias 6. inter Vignerianos); serm. 315. (alias 93. de Diversis) c. 5. n. 7. et serm. 149. (alias 26. de Diversis) c. 16. n. 17.

[3] Vers. 2; Vulgata continuat: *fecitque sibi inde diadema.*

[4] Act. 6, 8; sequuntur Iob 41, 25. et Prov. 17, 6.

[5] Vers. 24; sequuntur Isai. 33, 6. et Prov. 3, 15.

[6] Serm. 236. (alias 88. de Diversis) n. 3. — Sequens locus Gregorii habetur I. Homil. in Evang. homil. 5. n. 3.

[7] Supple: regno caelorum.

[8] Vers. 10; sequitur Apoc. 21, 10. seq.

[9] Potius Gregor., XVIII. Moral. c. 54. n. 91. — Sequitur Eccli. 24, 29.

[10] Psalm. 8, 6. — Sequitur August., XXII. de Civ. Dei, c. 30. n. 1.

nec errore quisquam nec adulatione laudabitur; verus honor, qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno; sed nec ad eam ambiet ullus indignus, ubi nullus permittetur esse nisi dignus ». Est etiam honorabilis non solum ratione gloriae, sed etiam omnipotentiae, quia omnipotentes erunt voluntatis suae omnes Beati; et ideo subditur: *et constituisti eum super opera manuum tuarum.*

Est denique ornamentum *incorruptibile*, quod nunquam deficiet; et ideo recte dicitur corona; primae Petri quinto [1]: *Seniores, pascite qui in vobis est gregem Dei, et cum apparuerit Princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriae coronam.* Et hoc debet facere coronam illam singulariter desiderabilem; unde Augustinus: « Quaecumque temporaliter transeuntia habent per diversitatem creaturae error (?) appetit infidelium. Haec eadem veriora in aeternum permanentia in Creatore omnium inventura est pietas filiorum »; et iterum: « Nihil hac gloriosius, nihil pulcrius, nihil securius, nihil hac abundantia copiosius; nec adversabitur caro spiritui, sed vivent ibi cum omni tranquillitate securi ».

Non sic in hoc mundo; quamvis enim aliquo modo secundum iudicium hominum reperiatur corona *pretiosa, speciosa* et *honorabilis*, tamen secundum nullius iudicium reperitur *incorruptibilis*. — Corona *pretiositatis* terrenae certum est, quod est *transitoria*, quia *transit mundus et concupiscentia eius* etc., primae Ioannis secundo [2], et post hanc vitam perditur, secundum quod dicitur in Iob vigesimo septimo: *Dives, cum dormierit, nihil secum auferet;* unde per Isaiam dicitur, vigesimo tertio, de Tyro, civitate opulenta: *Ducent*, inquit, *eam pedes sui longe ad peregrinandum. Quis cogitavit hoc super Tyrum quondam coronatam, cuius negotiatores, principes, institores eius, inclyti terrae? Dominus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret superbiam omnis gloriae et ad ignominiam deduceret universos inclytos terrae.* — Corona etiam *decoris* terreni est *momentanea*, quia decor carnis similis est decori floris; unde in persona carnalium dicitur Sapientiae secundo [3]: *Coronemus nos rosis, antequam marcescant.* Certum est, quod marcescunt. — Est etiam corona *honoris* terreni *caduca;* leremiae decimo tertio: *Dic regi et dominatrici: Humiliamini, sedete, quoniam descendit de capite vestro corona gloriae vestrae.* Erit enim, cum dicetur: *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum*, Apocalypsis decimo octavo. — Et quia omnis corona mundi est instabilis et caduca et perducit ad ignominiam, ideo dicitur Isaiae vigesimo octavo [4]: *Vae coronae superbiae, ebriis Ephraim!* hoc dicitur quantum ad coronam opulentiae et pretiositatis; *et flori decidenti*, hoc dicitur quantum ad coronam decoris; et *gloriae exsultationis eius*, et hoc, quantum ad coronam honoris; et quantum ad omnia subiungitur: *Pedibus conculcabitur corona superbiae ebriorum Ephraim.*

Et ideo sola caelestis corona est desideranda, quam beatus Stephanus assecutus est hodie, et quilibet homo potest assequi, licet non ita nobiliter. « Regnum enim caelorum tantum valet quantum habes », ait Gregorius [5].

Coronam igitur *pretiositatis* acquiramus per terrenorum abdicationem; coronam *venustatis*, per vigilantiae circumspectionem; coronam *honoris*, per nostri abiectionem; coronam *incorruptionis*, per carnis mortificationem. — Coronam igitur *pretiositatis* acquiramus per *terrenorum abdicationem;* secundae ad Timotheum secundo [6]: *Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus, ut ei placeat, cui se probavit;* et post: *Nam et qui certat in agone non coronabitur, nisi legitime certaverit* etc. Legitime certat qui totus est cum Deo, non qui divisus etc. — Coronam *venustatis* per *vigilantiae circumspectionem.* Qui enim in praesenti turpitudinem, in futuro videbit pulcritudinem; Proverbiorum vigesimo septimo: *Diligenter agnosce vultum pecoris tui tuosque greges considera. Non enim habebis iugiter potestatem, sed corona tribuetur* tibi — scilicet cum doctoribus, qui non tantum in se, sed etiam in aliis circumspiciunt — dabitur corona pulcra et luminosa de stellis, de qua Apocalypsis duodecimo: *Signum magnum apparuit in caelo: mulier amicta sole et luna sub pedibus eius et in capite eius corona stellarum duodecim.* Haec est corona doctorum, quia *qui ad iustitiam erudiunt multos quasi stellae in perpetuas aeternitates fulgebunt*, ut dicitur Danielis duodecimo [7]. — Coronam *honoris* acquiramus per *nostri abiectionem; qui* enim *se humiliat exaltabitur*, Lucae decimo quarto [8]; unde Isaiae sexagesimo primo: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me, ad annuntiandum mansuetis misit me;* et post: *ut darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu moeroris.* — Tria tangit, quae faciunt hominem in humilitate praecipuum; primum est *vilis habitus*, quod notatur in *cinere;* secundum est *exterior luctus*, et tertium est *spiritus moestus*, quia *moeror in corde viri humiliabit eum*, Proverbiorum duodecimo [9]. — Coronam *incorruptionis* per *carnis mortificationem;* primae ad Corinthios nono: *Omnis, qui in agone contendit* etc.; *et illi quidem, ut coronam corruptibilem accipiant,*

Interminabilitas in figura.

De bis simul.

Contrarium valet de corona mundana.

Corona pretiositatis terrenae.

Corona decoris terreni.

Corona honoris terreni.

Coelestis.

Modus acquirendi coronam caelestem.

Primo, coronam pretiositatis.

Secundo, coronam venustatis.

Tertio, coronam honoris.

Quarto, coronam incorruptionis.

---

[1] Vers. 1. seqq. — Primum Augustini locum non invenimus; pro secundo loco *Milleloquium* (ed. Ioan. Colleril) tom. II. pag. 571 citat serm. 13. de Die iudicii.

[2] Vers. 17; sequuntur Iob 27, 19. et Isai. 23. 7. seqq.

[3] Vers. 8; sequuntur Ier. 13, 18. et Apoc. 18, 7.

[4] Vers. 1. et dein v. 4. 3.

[5] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 5. n. 2.

[6] Vers. 4. seq.; sequuntur Prov. 27, 23. seq. et Apoc. 12, 1.

[7] Vers. 3.

[8] Vers. 11; sequuntur Isai. 61, 1. et dein v. 3.

[9] Vers. 25; sequitur I. Cor. 9, 25. seqq.

nos autem incorruptum. Et post subditur immediate: *Ego igitur sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aëri verberans; sed castigo corpus meum et in servitutem redigo. Qui enim seminat in carne sua de carne et metet corruptionem, qui autem seminat in spiritu de spiritu metet* incorruptionem, ad Galatas ultimo [1]. Et ideo odienda est vita carnalis et animalis, ut conservetur ad futuram gloriam, in qua non morietur, quia *Christus est* ei *vivere;* ad Colossenses tertio: *Cum Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria;* cui est omnis honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

Sermo III [2].

Item, sermo Bonaventurae editus Parisiis coram Universitate in domo Praedicatorum, quando festum beati Stephani venit in Dominica.

Audivimus de te, quod vir potens sis viribus; et misit ei purpuram et coronam auream, primi Machabaeorum decimo [3].

Verba sunt regis Alexandri ad Ionatham strenuum, id est Christi, regis aeterni, ad beatum Stephanum, in quibus ostenditur stupendum militiae eius magnificum ab *auctoritate donantis,* ab *idoneitate recipientis,* a *dignitate mercedis.* Haec enim tria magnificant et extollunt praemium, scilicet quando magnum est et pretiosum in se, quando datur ei qui dignus est, quando datur ab eo cuius est praemiare. Primum notatur ibi: *misit ei;* secundum, ibi: *Audivimus de te, quod vir potens sis viribus;* tertium, ibi: *coronam auream.* Divisio.

I. Circa primum nota, quod *misit* Christus, rex aeternus, militi suo, Protomartyri Stephano, et dedit coronam *gloriosam* sive bonorificam, quam praeparavit sibi in aeterna praedestinatione; Isaiae sexagesimo secundo [4]: *Eris corona gloriae in manu Domini;* hoc dicitur, quia praevisus fuit coronari secundum nomen suum. — Coronam *speciosam,* quam comparavit sibi in pia redemptione; Isaiae sexagesimo primo: *Tanquam sponsam coronavit me corona.* — Coronam *pretiosam,* quam repromisit sibi in sua vocatione; Proverbiorum decimo quarto [5]: *Corona sapientium, divitiae eorum,* spirituales. — Coronam *incorruptam* sive sempiternam, quam custodivit sibi in multifaria tentatione; Apocalypsis secundo: *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae.* Ars I. Corona quadruplex.

II. Circa secundum nota, quod *dignum corona* reddiderunt beatum Stephanum, scilicet quia fuit: *magnanimus* in aggrediendo; non enim fuit corde pavido, sed *per omnia confidens in Domino* [6]; primi Machabaeorum secundo [7]: *Iudas Machabaeus fortis viribus a iuventute sua sit vobis princeps militiae.* — *Patientissimus* in sustinendo; non enim fuit vilis, sed per omnia virilis; Iacobi primo: *Beatus, qui suffert tentationem, quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae.* — *Constantissimus* in perseverando; non enim fuit arundo, sed columna firma; Apocalypsis tertio: *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* — *Magnificus* in triumphando; non enim succubuit, sed superavit; primi Paralipomenon vigesimo [8]: *Tulit David coronam Melchom de capite eius* et posuit eam in capite suo etc. Ars II. Dignitas quadruplex.

Sermo IV [9].

Item, sermo fratris Bonaventurae coram Universitate Parisius, in domo Minorum.

Corona aurea super mitram eius, gloria honoris et opus fortitudinis, Ecclesiastici quadragesimo quinto [10].

Verba haec leguntur de Simone pontifice, Oniae magni filio, secundum litteram, et possunt secundum veritatem melius exponi de Protomartyre Stephano, Christi, magni Pontificis, primogenito Martyre sive filio. In quibus tria notantur, scilicet *pulcriformitas gloriae* ipsum sempiternaliter promovens, cum dicitur: *Corona aurea super mitram eius; luciformitas sapientiae* ipsum sempiternaliter attollens, cum subditur: *gloria honoris; gratiositas vitae* ipsum sempiternaliter subvehens, cum additur: *opus fortitudinis.* Divisio.

Circa totum nota, quod magnitudo mercedis beati Stephani designatur in nomine *coronae aureae,* in qua sunt quatuor, scilicet *pretiositas materiae, venustas formae, dignitas adiacentiae, interminabilitas figurae.* In quibus quatuor comprehenditur omne desiderabile. Omnis enim, qui desiderat, aut desiderat bonum, quod *ditat,* et ita *pretiosum;* bonum, quod *delectat,* et ita *speciosum;* bonum, quod *exaltat,* et ita *honorificum;* bonum, quod *durat,* et ita *infinitum.* Coronae 4 conditiones.

Est ergo beatitudinis corona aeternae in beato Stephano: sicut vere ornamentum *pretiosum,* quod *ditat;* Proverbiorum decimo quarto [11]: *Corona sapientium, divitiae eorum.* — Ornamentum *speciosum,* quod *decorat;* Isaiae sexagesimo primo: *Tanquam sponsam decoravit me corona.* — Ornamentum *honorificum,* quod *exaltat;* Psalmus [12]: *Gloria et* Eaedem in corona S. Stephani.

[1] Cap. 6, 8; sequuntur Phil. 1, 21. et Col. 3, 4.
[2] Ex A fol. 70 r.
[3] Vers. 19. seq.
[4] Vers. 3; sequitur c. 61, 10; Vulgata: *Quasi sponsum decoratum corona et quasi sponsam ornatam monilibus suis.*
[5] Vers. 24; sequitur Apoc. 2, 10.
[6] Libr. II. Mach. 7, 40.
[7] Vers. 66; sequuntur Iac. 1, 12. et Apoc. 3, 11.
[8] Vers. 2. — Deest pars III.
[9] Ex A fol. 70 v.
[10] Vers. 14. — Codex citat caput 50; capite 45. proprie sermo est de Aaron, non de Simone.
[11] Vers. 24; sequitur Isai. 61, 10; cfr. supra nota 4.
[12] Psalm. 8, 5.

honore coronasti eum, Domine etc. — Ornamentum *perpetuum*, quod *semper durat;* primae Petri ultimo [1]: *Cum apparuerit Princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriae coronam.*

Sermo V [2].

Item, sermo fratris Bonaventurae Fratribus de Lugduno.

Libavit de sanguine uvae, effudit odorem dicinum excelso principi, Ecclesiastici quinquagesimo [3].

Describitur in verbis istis beatus Stephanus: ut
Divisio. in suo *martyrio inclytus* et gloriosus et ut in suo *praeconio* mundo *odoriferus* et gratiosus. Primum, ibi: *Libavit de sanguine uvae;* secundum, ibi: *effudit* etc.

Notandum ergo, quod beatus Stephanus in suo
Odor martyrii Stephani quadruplex. *martyrio* fama et gratia effudit odorem: *lilii* albescentis propter virginitatis candorem; Canticorum secundo [4]: *Ego flos campi et lilium convallium. — Rosae* vernantis per sanguinis passionem; Ecclesiastici quinquagesimo: *Quasi flos rosarum in diebus vernis. — Unguenti* fragrantis per sanctitatis conversationem; Ioannis duodecimo: *Domus impleta est ex odore unguenti. — Incensi* ardentis per orationis virtutem et pietatem; Ecclesiastici quinquagesimo [5]: *Quasi thus redolens in diebus aestatis et* quasi *thus ardens in igne.*

Sermo VI [6].

Item, sermo fratris Bonaventurae coram populo apud Lugdunum, in festo beati Stephani.

Tulit David coronam Melchom et posuit eam in capite suo, primi Paralipomenon vigesimo [7].

Beatus Stephanus, velut alter *David* manu fortis et aspectu desiderabilis, describitur in his verbis
Divisio dupliciter, scilicet ut triformis *hostis* victoriosissimus *triumphator* et ut aeterni *bravii* felicissimus *comprehensor*. Primum, ibi: *Tulit David coronam Melchom*, per quem significantur mundus, caro, daemonia. Secundum, ibi: *et posuit eam in capite suo.*

Circa totum nota, quod beatus Stephanus acqui-
S. Stephani corona quadruplex. sivit et promeruit sibi coronam: *pretiositatis* aeternae per terrenorum abdicationem perfectam; secundae ad Timotheum secundo [8]: *Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus* etc. *Non coronatur, nisi legitime certaverit. — Venustatis* supremae per sensuum circumspectionem attentam; Proverbiorum vigesimo septimo: *Diligenter agnosce vultum pecoris tui; sed corona tribuetur in generationem et generationem. — Honorabilitatis* summae per ambitionum captivitatem profundam; Isaiae sexagesimo primo: *Spiritus Domini super me* etc., *ut darem eis coronam pro cinere. — Incorruptibilitatis* sine fine per motuum mortificationem plenariam; primae ad Corinthios nono [9]: *Illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.*

Sermo VII [10].

Item, sermo fratris Bonaventurae coram populo apud Lugdunum, in festo beati Stephani.

Cum esset Stephanus *plenus Spiritu sancto, intendens in caelum, vidit gloriam Dei et Iesum stantem a dextris Dei*, Actuum septimo [11].

Secundum quatuor sui nominis interpretationes commendatur in verbis his beatus Stephanus, primo Divisio.
a *plenitudine* supercaelici doni, cum dicitur: *plenus Spiritu sancto*, et pro tanto Stephanus interpretatur *regula* [12]; secundo, a *celsitudine* intenti desiderii, cum dicitur: *intendens in caelum*, et pro tanto interpretatur *speculans;* tertio, a *dulcedine* interni animi, cum dicitur, quod *vidit gloriam Dei*, et pro tanto interpretatur *coronatus;* quarto, a *rectitudine* evangelici zeli, cum dicitur, quod *vidit Iesum stantem a dextris Dei*, virtutis Dei; et pro tanto interpretatur *veridicans.*

I. Quantum ad primum nota, quod *plenitudo* Pars I. Plenitudo fidei consistit in duobus.
fidei per Spiritum sanctum consistit: in *aspectu veritatis* aeternae; Actuum sexto [13]: *Considerate ergo ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto et sapientia, quos constituamus super hoc opus. Elegerunt Stephanum, virum plenum fide et Spiritu sancto. — In affectu pietatis* evangelicae; Actuum undecimo: *Barnabas hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino, quia erat vir bonus et plenus Spiritu sancto et fide.*

II. Circa secundum nota, quod *celsitudo desi-* Pars II. Item, celsitudo desiderii.
derii consistit: in luminosis *contubibus;* Actuum decimo sexto [14]: *Quaedam mulier colens Deum audivit; cuius Dominus aperuit cor intendere his quae dicebantur a Paulo. — In amorosis excessibus;* Iob vigesimo nono: *Intenti tacebant ad consilium meum; et os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum.*

---

[1] Cap. 5, 4.
[2] Ex A fol. 71 r.
[3] Vers. 16. seq.
[4] Vers. 1; sequuntur Eccli. 50, 8 et Ioan. 12, 3.
[5] Vers. 8. seq.
[6] Ex A fol. 71 v.
[7] Vers. 2; Vulgata: *Tulit David coronam Melchom feclique sibi inde diadema.*
[8] Vers. 4. seq.; sequuntur Prov. 27, 23. seq. et Isai. 61, 1. 3.
[9] Vers. 25.
[10] Ex A fol. 71 v. et B fol. 92 r.
[11] Vers. 55.
[12] Cfr. Isidor., VII. Etymolog. c. 11. n. 3.
[13] Vers. 3. 5; sequitur c. 11, 23. seq.
[14] Vers. 14; sequitur Iob 29, 21. 23.

Pars III. tem, dulcedo animi.

III. Circa tertium nota, quod *dulcedo animi* consistit: in *conciliatione* inclinationis intrinsecae, quae consistit in perfectione intellectus per sapientiam Verbi et perfectione affectus per gratiam Spiritus sancti; Ezechielis primo [1]: *Aperti sunt caeli, et vidi visiones Dei.* — In *expugnatione* impugnationis extrinsecae, quae consistit in perfectione convictus, quod homo omnia sustineat, et perfectione status, quod omnes diligat; Ecclesiastici quadragesimo tertio: *Species caeli, in visione gloriae.*

Pars IV. tem, rectitudo zeli.

IV. Circa quartum nota, quod *rectitudo zeli* consistit: in *discretione* scrutinii; Ecclesiastae decimo [2]: *Cor sapientis, in dextera eius.* — In *distinctione* iudicii; Iob trigesimo: *Ad dexteram orientis calamitates meae illico surrexerunt.*

Sermo VIII [3].

Item, sermo fratris Bonaventurae coram rege et filiis et consiliariis in die sancti Stephani.

Quasi flos rosarum in diebus vernis, Ecclesiastici quinquagesimo [4].

Describitur his verbis beatus Stephanus duplici- Divisio. citer, scilicet ut mirabiliter *gratiosus* ante conspectum Dei et hominum, ibi: *Quasi flos rosarum;* ut mirabiliter *fructuosus* in principio Ecclesiae fidelium, ibi: *in diebus vernis.* Fuit autem acceptus per omnia ut *flos rosae* in vita, et utilis in Ecclesia primitiva quasi *in diebus vernis* sua doctrina et passione.

Quinque praerogatiae rosae et Stephani.

Circa totum nota, quod beatus Stephanus fuit amabilis in conspectu Dei et Angelorum et hominum. Fuit enim sicut rosa florum *principalissima* per nobilitatem praedicationis evangelicae; unde Actuum sexto [5]: *Non poterant resistere sapientiae et spiritui, qui loquebatur.* — Rosa florum *formosissima* per gratiositatem conversationis angelicae; unde Actuum sexto: *Viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli* splendentis inter illos. — Rosa florum *fragrantissima* per suavitatem magnificae famae; unde Actuum sexto: *Elegerunt* Apostoli *Stephanum virum plenum fide et Spiritu sancto.* — Rosa florum *vernantissima* per incunditatem animae in ipsa passione; unde Actuum septimo [6]: *Lapidabant Stephanum invocantem et dicentem: Domine Iesu,* quasi totus vernaret gloriae laetitia et Iesu recordatione in ipsa lapidatione. — Rosa florum *efficacissima* per virtutem miraculorum gratiae; unde Actuum sexto: *Plenus gratia et fortitudine faciebat prodigia et signa magna in populo.*

Sermo IX [7].

Item, sermo fratris Bonaventurae de beato Stephano in Urbeveteri, praesente curia Romana ibidem.

Quasi plantatio rosae in Iericho, Ecclesiastici vigesimo quarto [8].

In verbis his describit Sapiens vitam, praedicationem et passionem beati Stephani dupliciter, scili- Divisio. cet ut Deo et omnibus electis Dei per omnia sive singulariter *gratiosam* et complacentem et ut universali Ecclesiae et omni animae devotae mirabiliter *fructuosam* et utilem. Primum, ibi: *Quasi plantatio rosae;* secundum, ibi: *in Iericho.*

Septem praerogativae rosae et S. Stephani.

Fuit autem beatus Stephanus sicut quaedam plantatio rosea in hoc mundo; nam ad similitudinem rosae fuit omnium florum: *pulcherrimus affectu* sanctae conversationis; Canticorum secundo [9]: *Ego flos campi et lilium convallium; flos campi* dicitur rosa. — *Fulgidissimus intellectu* summae eruditionis; Ecclesiastici quinquagesimo: *quasi flos rosarum in diebus vernis.* — *Fragrantissimus caelibatu* laudandae operationis; Ecclesiastici trigesimo nono [10]: *Quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate; florete, flores, quasi lilium et date odorem.* — *Vernantissimus cruciatu* voluntariae passionis; quarti Esdrae secundo: *Paravi tibi montes immensos septem habentes rosam et lilium, in quibus gaudio implebo filios tuos.* — *Virtuosissimus effectu* sanctae orationis; quarti Esdrae nono: *Et profectus sum, sicut dixit mihi, in campum, qui vocatur Ardath, et sedi ibi in floribus. Et de herbis agri manducavi, et facta est escu earum mihi in saturitatem.* — *Mundissimus candidatu* virginalis pudoris; Canticorum sexto [11], secundum aliam litteram: *Sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum* etc. — *Primogenitus primatu* sui sanguinis aspersionis; quarti Esdrae quinto: *Ex omnibus floribus orbis elegisti tibi lilium unum.*

Sermo X [12].

Item, sermo fratris Bonaventurae in Conventu Lugduni Minorum Fratrum in die sancti Stephani.

Princeps ea quae digna sunt principe, cogitabit, Isaiae trigesimo secundo [13].

---

[1] Vers. 1; sequitur Eccli. 43, 1.
[2] Vers. 2; sequitur Iob 30, 12. — In tertio membro A paululum differt.
[3] Ex A fol. 72 r.
[4] Vers. 8.
[5] Vers. 10; sequuntur v. 13. et v. 3.
[6] Vers. 58; sequitur c. 6, 8.
[7] Ex A fol. 73 v.
[8] Vers. 18.
[9] Vers. 1; sequitur Eccli. 50, 8.
[10] Vers. 17. 19; sequuntur IV. Esdr. 2, 18. 19. et dein c. 9, 26.
[11] Vide Breviar. Romanum., respons. 1. ad Matutin. in festo Assumt. B. M. V. et in Translat. almae Domus B. M. V. (die 10 Dec.). — Sequitur IV. Esdr. 5, 24.
[12] Ex A fol. 73 r.
[13] Vers. 8.

Describitur hic princeps sive primogenitus Mar-
Divisio. tyrum dupliciter, scilicet ut exterioris *mundi subactor victoriosus* et ut interioris *animi conservator plenarius*. Primum, ibi: *Princeps;* secundum, ibi: *ea quae sunt digna principe, cogitabit.*

Per 4 virtutes S. Stephanus fuit triumphator.
Circa totum nota, quod in beato Stephano fuerunt quatuor, quae fecerunt eum mundi dominatorem sive triumphatorem victoriosum et sui animi conservatorem plenarium, scilicet: *fidei pietas* ad concipiendum sacra desideria; Ecclesiastae decimo[1]: *Beata terra, cuius rex nobilis est, et cuius principes vescuntur in tempore suo. — Virtutis magnanimitas* ad destruendum pestifera vitia; Ecclesiastici quadragesimo quinto: *In bonitate et alacritate animae suae placuit Phinees Deo, ideo statuit illi principatum sanctorum et gentis suae. — Sapientiae perspicacitas* ad discernendum vera; Ecclesiastici quadragesimo nono[2]: *Ioseph, qui natus est homo, princeps fratrum, firmamentum gentis. — Vitae claritas* ad exhibendum exempla lucida; primi Machabaeorum nono: *Suscepit Ionathas tempore illo principatum et surrexit loco Iudae, fratris sui.*

Sermo XI[3].

Item, sermo fratris Bonaventurae in festo sancti Stephani coram Fratribus in Conventu Parisiensi, quando festum istud fuit in Dominica.

Cum esset Stephanus *plenus Spiritu sancto, intendens in caelum, vidit gloriam Dei et Iesum stantem a dextris Dei*, Actuum septimo[4].

In verbis his commendatur beatus Stephanus a
Divisio. tribus, sive describitur tripliciter, scilicet: ut divinis *charismatibus repletus*, ut supernis *consolationibus suspensus* et ut aeternis *claritatibus admissus*. Primum, ibi: *Cum esset* Stephanus *plenus Spiritu sancto;* secundum, ibi: *intendens in caelum;* tertium, ibi: *vidit gloriam Dei et Iesum stantem a dextris Dei.*

I. Circa primum nota, quod beatus Stephanus
Pars 1. Sex effectus Spiritus S. in S. Stephano.
fuit *plenus Spiritu sancto*, id est gratia Spiritus sancti *irradiante* ipsum quantum ad intellectivam; Ioannis decimo sexto[5]: *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. — Dirigente* ipsum quantum ad intentivam; Psalmus: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. — Suavificante* ipsum quantum ad affectivam; Sapientiae duodecimo: *O quam bonus et suavis est, Domine, Spiritus tuus in omnibus. — Constantificante* ipsum quantum ad optativam; Ioannis decimo quarto[6]: *Alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis. — Fecundante* ipsum quantum ad interpretativam; Matthaei decimo: *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. — Consummante* ipsum quantum ad operativam; Psalmus: *Spiritu principali confirma me.*

Pars II. Sex consolationes ex infinito caeli.
II. Circa secundum nota, quod beatus Stephanus *intendebat in caelum* merito, quia ibi habebat suum *desiderium;* ad Philippenses tertio[7]: *Nostra conversatio in caelis est; unde etiam Salvatorem exspectamus, Dominum nostrum Iesum Christum.* — Ibi habebat suum *praepositum;* Iob decimo sexto: *Ecce, in caelo* est *testis meus et conscius meus in excelsis.* — Ibi thesaurizaverat *omne suum;* Matthaei sexto: *Thesaurizate vobis thesaurum in caelo.* — Inde sperabat omne *solatium;* Deuteronomii vigesimo sexto[8]: *Respice,* Domine, *de sanctuario tuo et de excelso caelorum habitaculo.* — Inde exspectabat agonis *tropaeum;* Threnorum tertio: *Conteres eos sub caelis, Domine.* — Ibi sciebat esse suae angustiae *praemium;* secundae ad Corinthios quinto: *Scimus, quoniam, si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in caelis.*

Sermo XII[9].

Item, sermo fratris Bonaventurae in festo sancti Stephani, apud Assisium.

Video caelos apertos et Filium hominis stantem a dextris Dei, Actuum septimo[10].

In verbis his beatus Stephanus primo ostendit
Divisio.
suae *revelationis consolationem* mirificam; secundo, exprimit suae *affectionis finem* sive intentionem suavificam; tertio, explicat suae *tribulationis relevationem* magnificam. Primum, ibi: *Video caelos apertos;* secundum, ibi: *et Filium hominis;* tertium, ibi: *stantem a dextris Dei.*

Pars 1. Caeli aperti ad effectus ser.
I. Circa primum nota, quod beatus Stephanus *vidit caelos apertos,* non reseratione caelorum[11], sed revelatione interiorum. *Vidit,* inquam, *caelos apertos:* ad supernae *dispensationis operationem;* Ioannis primo[12]: *Videbitis caelum apertum et Angelos Dei ascendentes et descendentes super Filium hominis.* — Ad divinae *praesentiae manifestationem;* Matthaei tertio: *Et ecce, aperti sunt ei caeli, et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam et venientem super se.* — Ad internae *claritatis* suae *testificationem;* Marci primo: *Statim ascendens de*

---

[1] Vers. 17; sequitur Eccli. 45, 28. 29. 30.
[2] Vers. 17; sequitur I. Mach. 9, 31.
[3] Ex A fol. 73 r.
[4] Vers. 55.
[5] Vers. 13; sequuntur Psalm. 142, 10. et Sap. 12, 1.
[6] Vers. 16. seq.; sequuntur Matth. 10, 20. et Ps. 50, 13.
[7] Vers. 20; sequuntur Iob 16, 20. et Matth. 6, 20.
[8] Vers. 15; sequuntur Thren. 3, 66. et II. Cor. 5, 1.
[9] Ex A fol. 73 v. et B fol. 182.
[10] Vers. 56.
[11] Cod. B habet *resolutione elementorum.*
[12] Vers. 51; sequuntur Matth. 3, 16. et Marc. 1, 10.

aqua, vidit caelos apertos. — Ad suae *afflictionis consolationem;* Ezechielis primo [1]: *Cum essem iuxta fluvium Chobar, aperti sunt caeli, et vidi visiones Dei.* — Ad paratae sibi *gloriae attestationem;* Lucae tertio: *Iesu baptizato et orante, apertum est caelum.* — Ad *miseriae* persequentium se *denotationem* [2]; Genesis septimo: *Cataractae caeli apertae sunt, et facta est pluvia super terram* etc.

II. Circa secundum nota, quod beatus Stephanus
Pars II. Visiones sex Stephani. in sua passione *vidit Filium hominis*, Iesum, tanquam: sui animi *desiderium;* Lucae decimo septimo [3]: *Venient dies, quando desideretis videre unum diem Filii hominis;* Matthaei vigesimo sexto: *Videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et venientem in nubibus caeli.* — Sui cordis *solatium;* Matthaei decimo sexto: *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, et tunc reddet unicuique secundum opera eius.* — Sui propositi *gubernaculum;* Ioannis tertio [4]: *Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, Filius hominis, qui est in caelo.* — Sui certaminis *propugnaculum;* Lucae vigesimo primo: *Vigilate itaque, ut digni habeamini fugere ista omnia, quae futura sunt, et stare ante Filium hominis.* — Sui laboris *triumphum;* Matthaei vigesimo quinto: *Cum venerit Filius hominis in maiestate sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suae.* — Sui meriti *praemium;* Lucae vigesimo primo [5]: *Videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et maiestate.*

Sermo XIII [6].

Item, sermo fratris Bonaventurae Fratribus de Lugduno.

Domine Iesu, suscipe spiritum meum, Actum septimo [7].

Verba sunt gloriosi Protomartyris Stephani ad Christum, in agone martyrii constituti; in quibus
Divisio. primo invocat sui *solatii* amorosum *obiectum;* secundo, explicat sui *desiderii* necessarium *beneplacitum.* Primum facit, cum dicit: *Domine Iesu;* secundum, cum subdit: *suscipe spiritum meum.*

I. Circa primum nota, quod beatus Stephanus
Pars I. Invocatio sequitur. *invocabat Dominum Iesum* in tanta afflictione: tanquam *electissimum* sibi de matris utero; Habacuc tertio [8]: *Ego autem in Domino gaudebo et exsultabo in Deo, Iesu meo.* — Tanquam *amatissimum* sibi et suo animo; Actuum primo: *Hic Iesus, qui assumtus est a vobis in caelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in caelum.* — Tanquam *pulcherrimum* sibi et suae mentis oculo; Marci ultimo: *Dominus quidem Iesus, postquam locutus est eis, assumtus est in caelum et sedet a dextris Dei.* — Tanquam *praecordialissimum* sibi et suo suspirio; Lucae vigesimo tertio [9]: *Iesus* autem, *voce magna clamans, ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* — Tanquam *sapientissimum* sibi et studio suo; ad Philippenses tertio: *Existimo, omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi, Domini mei.* — Tanquam *nobilissimum* sibi et suo praemio; Apocalypsis ultimo: *Ego Iesus misi Angelum meum testificari vobis haec in ecclesiis.* — Tanquam *sollicitissimum* de se et de suo suffragio; Actuum septimo [10]: *Vidit Iesum stantem a dextris Dei.*

II. Circa secundum nota, quod accepit Dominus
Pars II. De spiritu S. Stephani praedicantur septem. Iesus *spiritum* beati Stephani pro eo lapidati merito tanquam spiritum: a se potenter *creatum;* Genesis secundo [11]: *Inspiravit in faciem eius spiraculum vitae.* — A se prudenter *gubernatum;* Numerorum undecimo: *Quis tribuat, ut omnis populus prophetet, et det eis Dominus spiritum suum?* — A se clementer *recreatum;* Iob decimo: *Visitatio tua custodivit spiritum meum.* — A se misericorditer *sanctificatum;* Psalmus [12]: *Spiritum rectum innova in visceribus meis.* — In se singulariter *iactatum;* Psalmus: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum; redemisti me, Domine, Deus veritatis.* — A se specialiter *electum* et promotum; Tobiae tertio: *Praecipe, in pace recipi spiritum meum.* — Propter se amarissime *angustiatum;* Psalmus [13]: *In deficiendo ex me spiritum meum, et tu cognovisti semitas meas.*

Sermo XIV [14].

Item, sermo fratris Bonaventurae de beato Stephano coram Fratribus Conventus Senonensis in Inventione, quando ibat vocatus a Papa Urbano.

Quis est hic? et laudabimus eum; fecit enim mirabilia in vita sua, Ecclesiastici trigesimo primo [15].

In verbis his Sapiens divino Spiritu elevatus de-
Divisio. scribit beatum Stephanum ut *admirabilem* in *exemplis,* ut *spectabilem* in *gratiis* et ut *venerabilem* in *miraculis.* Primum, ibi: *Quis est hic?* quasi dicat:

---

[1] Vers. 1; sequitur Luc. 3, 21.
[2] Cod. B legit: *ad nostrae miseriae confusionem;* sequitur Gen. 7, 11. seq.
[3] Vers. 22; sequuntur Matth. 26, 64. et c. 16, 27.
[4] Vers. 13; sequuntur Luc. 21, 36. et Matth. 25, 31.
[5] Vers. 27. — Deest pars III.
[6] Ex A fol. 74 r.
[7] Vers. 58.
[8] Vers. 18; sequuntur Act. 1, 11. et Marc. 16, 19.
[9] Vers. 46; sequuntur Phil. 3, 8. et Apoc. 22, 16.
[10] Vers. 55.
[11] Vers. 7; sequuntur Num. 11, 29. et Iob 10, 12.
[12] Psalm. 50, 12; sequuntur Ps. 30, 5. et Tob. 3, 6.
[13] Psalm. 141, 3.
[14] Ex A fol. 74 v. — Post *Inventione,* supple: S. Stephani, quod festum celebratur 3 Augusti.
[15] Vers. 9.

magnus in vita; secundum, ibi: *et laudabimus eum*, tanquam praecellentem in divina gratia et privilegiatum praerogativa; tertium, ibi: *fecit enim mirabilia in vita sua.*

Pars I. Septem qualitates S. Stephani.

I. Circa primum nota, quod si quaeritur, *quis* fuerit, *qualis* fuerit beatus Stephanus *in vita*, dicimus, quod fuit invenis: *religione ornatus;* unde Actum sexto [1]: *Considerate viros ex vobis boni testimonii* etc.; *et elegerunt Stephanum plenum fide et Spiritu sancto. — Conversatione mansuetus;* unde Actum sexto: *Viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli* splendentem inter illos. — *Aemulatione fervidus;* unde Actum sexto: *Non poterant resistere sapientiae et spiritui, qui loquebatur. — Devotione pius;* unde Actum septimo [2]: *Cum esset plenus Spiritu sancto, intendens in caelum, vidit gloriam Dei. — Condescensione affectuosus;* unde Actum septimo: *Positis genibus, clamavit voce magna, dicens: Domine Iesu, ne statuas illis hoc peccatum. — Sanctitudine mundus;* unde Actum sexto, factus est minister caritatis ab Apostolis. — *Opinione praeclarus,* quia Actum sexto [3]: *Faciebat prodigia et signa magna in populo.*

Pars II. Septem eius privilegia.

II. Circa secundum nota, quod beati Stephani privilegia gratiae sive laudes sunt hae: prima est, quod valde invenis, id est decem et octo annorum vel circiter, fuit ab Apostolis *diaconus ordinatus* [4]; secunda est, quod ab eisdem *minister caritatis* viduarum Ecclesiae fuit electus et eis praelatus; tertia est, quod in sua quasi adolescentia *praedicator facundus* novae gratiae fuit et praedicando mirabilia faciebat in populo, ita quod nullus *sapientiae et spiritui eius resistere poterat* [5]; quarta est, quod de fide disputans, omnes in concilio convicit et eis in vultu angelico et virgo *mundissimus apparuit;* quinta est, quod in tribulatione pro Christo positus, *vidit caelos apertos et Iesum stantem,* paratum ad auxilium, cuius visione mira *suavitate refectus* fuit; sexta est, quod a beato Luca *plenus fide et Spiritu sancto, gratia et fortitudine* fuisse describitur et *primogenitus* Christi *inter Martyres* et vexillifer Martyrum est effectus; septima est, quod tantae *benignitatis* et pietatis et caritatis fuit, quod pro ipsis persecutoribus inter ipsa tormenta oravit, pro cuius etiam oratione Saulus conversus fuit, secundum Augustinum [6].

Pars III. Duodecim eius miracula.

III. Circa tertium nota, quod mirabilia, quae fecit beatus Stephanus, sunt haec, absque illis quae fecit, quando praedicabat in populo: primo *suscitavit* sex *mortuos,* ut refert beatus Augustinus vigesimo secundo libro [7] de Civitate Dei; secundo, *flores,* positi in Africa super altare eius et inde portati et super infirmos positi, omnem languorem curabant, sicut refert Augustinus ibidem [8]; tertio, *punni* altaris eius, super infirmos positi, multis exstiterunt ad sanitatem perfectam, ut dicit Augustinus ibidem; quarto, *flores* de altari eius sumti et mulieris caecae oculis suppositi, statim lumen perfectum ei restituerunt, ut dicit Augustinus ibidem; quinto, *flores* de altari eius accepti et capiti cuiusdam aegroti nobilissimi, infidelis existentis et dormientis, suppositi, cum evigilasset, statim petiit baptismum, ut dicit Augustinus ibidem [9], et dicit, quod ille, donec vixit, habuit in ore verbum illud Stephani: *Domine Iesu, suscipe spiritum meum;* sexto, cuidam mulieri matrifamilias, longo langnore detentae, cunti ad memoriam suam perfectam sanitatem restituit, cadente ante eam in via zona capillatia cum annulo, habente sub gemma lapidem inventum in renibus bovis, suis nodis firmatissima, quam propter sanitatem habendam ad consilium unius Iudaei portabat, sicut refert Augustinus ibidem; septimo, duobus, fratri scilicet et sorori, trementibus membris omnibus ex maledictione matris, quae, ab eis vexata, decem omnes filios maledixit, et omnes eandem infirmitatem incurrerunt, perfectam sanitatem restituit in praesentia Augustini et populi, in quadam ecclesia sua apud Hipponem; octavo, dum corpus eius Romam transferretur de Ierosolyma et de Constantinopoli, dum in sepulcro beati Laurentii poneretur, a corpore Laurentii, placide dato loco exceptum fuit [10]; nono, corpus eius inventum fuit a presbytero Luciano in loculo pleno rubentibus et vernantibus rosis recentibus [11]; decimo, ad fragrantiam corporis eius inventi septuaginta a diversis infirmitatibus liberati sunt et aër serenatus est valde; undecimo, dum corpus eius Constantinopolim de Ierusalem in navi deferretur, statim ibidem auditi sunt hymni angelici et suavissimus odor fragravit, et daemones clamaverunt, se vexari [12]; duodecimo, filia Theodosii imperatoris daemoniaca valde ad tactum sepulcri est sanata et perpetuo [13].

---

[1] Vers. 3. 5; sequuntur v. 15. et v. 10.

[2] Vers. 55; sequuntur v. 59. et dein respicitur c. 6, 5. seq.

[3] Vers. 8.

[4] Respicitur Act. 6, 6.

[5] Respicitur Act. 6, 10; sequitur c. 7, 55.

[6] Vide supra pag. 487, notam 2.

[7] Cap. 8. n. 15-19. et serm. 324. (alias 23. de Diversis).

[8] Libr. XXII. de Civ. Dei, n. 10. et 13. — Ibidem n. 16. seq. et n. 10. occurrunt etiam duo sequentia miracula.

[9] Num. 13. — Duo sequentia miracula leguntur ibid. n. 21. et 22.

[10] Vide supra pag. 483, notam 7.

[11] Epist. Luciani de Revelatione corporis S. Stephani (Migne, Patrol. Lat. tom. 41. c. 811). Sequens miraculum invenitur ibid. n. 8. et August., XXII. de Civ. Dei, n. 20.

[12] Epist. Anastasii de Scriptura translationis S. Stephani, n. 3. seq. (Migne, tom. cit. c. 819 seq.).

[13] Cfr. Acta Sanctorum, tom. II. Augusti pag. 528 n. 41. et pag. 530 n. 46.

DE SANCTO IOANNE EVANGELISTA (27 Dec.).

Sermo I [1].

In festo beati Ioannis Evangelistae. Sermo fratris Bonaventurae editus Parisius coram Universitate, in domo Fratrum Minorum.

Puer Israel, et dilexi eum, Osee undecimo [2].

Verbum istud, licet ad litteram scribatur de populo Israelitico, colente idola in Aegypto et propterea *puero*, *dilecto* tamen in Patriarchis, spiritualiter tamen potest assumi de beato Ioanne et ad commendationem eius exponi, qui pecnliariter a Domino est *dilectus* et *puer* fuit per carnis munditiam, *Israel* vero per contemplationis excellentiam. Et secundum hoc possumus dicere, quod tangnntur in hoc verbo quae ipsum ceteris Apostolis speciali privilegio praeDivisio. ferunt, scilicet virgineae *castitatis integritas* in nomine *pueri* puri, cum dicitur *puer* a puritate; supercaelicae *contemplationis limpiditas* in nomine *Israelis* sereni, cum dicitur: *Israel*, vir videns Deum; praecipuae *familiaritatis* Christi *gratiositas* in nomine *dilectionis Dei*, cum dicitur: *dilectus Dei.*

I. Fuit autem beatus Ioannes *puer* vere et verPars I. Quarae S. Ioannis praerogativae. rus: ratione *humilitatis obedientiae;* primi Regnm tertio [3]: *Puer Samuel ministrabat Domino coram Heli* etc. — Ratione *sinceritatis benevolentiae;* Genesis trigesimo septimo: *Ioseph, cum sexdecim esset annorum, pascebat gregem cum fratribus suis, adhuc puer.* — Ratione *gratiositatis innocentiae;* Isaiae quadragesimo secundo, secundum aliam litteram: *Ecce, puer meus electus, quem elegi* etc. — Ratione *honestatis sanctimoniae;* Proverbiorum vigesimo [4]: *Ex studiis suis intelligitur puer, si munda et recta sint opera eius.*

II. Fuit vere *Israel* beatus Ioannes: propter *perPars II. Item, aliae quatuor. spicacitatem intelligentiae* in cognoscendo; Isaiae nono [5]: *Verbum misit Dominus in Iacob, et cecidit in Israel.* — Propter *agilitatem animae* in sursum agendo; Genesis trigesimo secundo: *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel.* — Propter *caeliformitatem eloquentiae* in erudiendo; Osee decimo quarto: *Israel germinabit quasi lilium, et erumpet radix eius ut Libani.* — Propter *suavitatem conscientiae* in experiendo; Amos quarto [6]: *Praeparare in occursum Dei tui, Israel.*

III. Fuit etiam beatus Ioannes *dilectus* a Christo Pars III. Specialiter dilectus ob 4 rationes. in speciali: propter ingenitae *benignitatis aspectum;* Malachiae primo [7]: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui;* Genesis quadragesimo quarto: *Non potest puer relinquere patrem suum. Pater vero tenere diligit eum.* — Propter intemeratae *virginitatis speculum;* Ioannis decimo tertio: *Erat recumbens unus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus.* — Propter religiosae *pietatis studium;* Ecclesiastici quadragesimo quinto [8]: *Dilectus Deo et hominibus, cuius memoria in benedictione est* etc. — Propter magnae *probitatis* in tenera aetate *indicium;* primi Regum decimo octavo: *Diligebat Ionathas David quasi animam suam* etc. [9]

Sermo II [10].

Item, sermo fratris Bonaventurae Parisius.

Amicus sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi, Ioannis tertio [11].

Licet Baptista sacer haec verba protulerit de se ipso, tamen possunt exponi merito de beato Ioanne Evangelista, qui inter ceteros fuit specialis amicus et dilectus Christi Sponsi, in quibus commendatur a tribus signanter et eleganter, scilicet a *praerogativa* Divisio. peculiaris *gratiae*, ibi: *Amicus sponsi;* ab *excellentia* specialis *sapientiae*, ibi: *qui stat et audit eum;* ab *affluentia* spiritualis *laetitiae*, ibi: *gaudio gaudet propter vocem sponsi.* Sed quis est iste Sponsus, et quae est eius sponsa? Respondeo: Christus est *Sponsus* habens quadruplicem sponsam, scilicet humanam naturam, sanctam Scripturam, animam contemplativam, Ierusalem supernam. Super quas innititur quadruplex intellectus sanctae Scripturae, scilicet litteralis, allegoricus, moralis, anagogicus.

I. Commendatur ergo Ioannes a *praerogativa* Pars I. Gratiae praerogativae quatuor. *gratiae* in nomine *amici.* Fecerunt autem eum *amicum Sponsi* haec quatuor, scilicet *fidei sinceritas;*

[1] Ex A fol. 76 r. et B fol. 93 v. — Primo loco ponendus esset sermo ille, quem S. Bonav. habuit « in scholis Parisiis, quando incepit Ioannem »; cum autem idem iam impressus sit ut *prooemium* in Comment. in Ioannem, tom. VI. pag. 239 seqq., lectorem remittimus ad illum locum. Ibi in nota 4. habetur etiam schema sermonis ex A sumtum. Praeterea habetur ut *sermo* in multis aliis codd., quorum ibidem duo, scil. Basilecnsis et Tudertinus, in Prolegomenis istius tomi (pag. XXI-XXII) recensentur. Cfr. P. Fidelis a Fanna, *Ratio novae collectionis* etc. pag. 132 seqq., ubi tum ipse sermo a Bonaventura scriptus esse suo schemate, tum idem ab aliis satis diffuse reportatus invenitur impressus.

[2] Vers. 1.

[3] Vers. 1; sequuntur Gen. 37, 2. et Isai. 42, 1. sec. Septuaginta; Vulgata: *Ecce, servus meus, suscipiam eum, electus meus.*

[4] Vers. 11.

[5] Vers. 8; sequuntur Gen. 32, 28. et Osee 14, 6.

[6] Vers. 12.

[7] Vers. 2. 3; sequuntur Gen. 44, 22. 20. et Ioan. 13, 23.

[8] Vers. 1; sequitur I. Reg. 18, 3.

[9] In ultima divisione B parum convenit.

[10] Ex A fol. 76 v.

[11] Vers. 29.

lacobi secundo [1]: *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad iustitiam, et* ideo *amicus Dei appellatus est.* — *Animi puritas;* Sapientiae septimo: *In animas sanctas se transfert, amicos Dei et prophetas constituit:* Proverbiorum vigesimo secundo: *Qui diligit cordis munditiam propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem.* — *Obsequii humilitas;* Ioannis decimo quinto [2]: *Vos amici mei estis, si feceritis quae ego praecipio vobis.* — *Contubernii familiaritas;* Iob trigesimo sexto: *Annuntiat de ea amico suo, quod possessio eius sit, et ad eum possit ascendere.*

Pars II. Sponsi vox quadruplex.

II. *Auditoit* vero beatus Ioannes *vocem Sponsi: argumentis* mala, et ideo cessit mundo; Iob ultimo [3]: *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te. Idcirco ipse me reprehendo et ago poenitentiam in favilla et cinere.* — *Instrumentis* ad bona, et ideo haesit Christo; Proverbiorum quarto: *Audite, filii, disciplinam patris* vestri. — *Deterrentis* per supplicia, et ideo vadefecit inferno; Iob vigesimo sexto: *Et cum vix parvam stillam sermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?* — *Attrahentis* per promissa, et ideo intendit paradiso; Iob quarto [4]: *Vocem* eius *quasi auram lenis audivi;* Canticorum secundo: *Vox enim tua dulcis, et facies tua decora.*

Pars III. Gaudium S. Ioannis quadruplex.

III. Fuit etiam beatus Ioannes *gaudio gavisus* in quatuor, scilicet in *iniquitatum* mundialium *deploratione;* Proverbiorum decimo quarto [5]: *Cor, quod novit amaritudinem animae suae, in gaudio eius non miscebitur extraneus.* — In *adversitatum* temporalium *perpessione;* Iacobi primo: *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis;* secundae ad Corinthios septimo: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* — In *charismatum* caelestium *perceptione;* ad Romanos decimo quarto [6]: *Non est regnum Dei esca et potus, sed iustitia et pax et gaudium in Spiritu sancto.* — In *suavitatum* supernaturalium *possessione;* ad Galatas quinto: *Fructus autem Spiritus gaudium* etc.

Sermo III [7].

Item, sermo fratris Bonaventurae Parisius.

Erat recumbens unus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus, Ioannis decimo tertio [8].

Divisio.

In verbis his commendatur beatus Ioannes in comparatione ad Christum dupliciter: sub ratione *amici,* quia praedilectus a Christo amico; sub ratione *magistri,* quia praeelectus a Christo magistro. Primum, ibi: *Recumbens erat in sinu Iesu,* quod fuit signum dilectionis praecipuae; secundum, ibi: *unus ex discipulis eius, quem diligebat Iesus,* quod est signum gratificationis expressae.

Pars I. Quatuor indicia dilectionis Christi.

I. Circa primum nota, quod colligimus beatum Ioannem dilectum a Christo ex quatuor, scilicet ex *exhibitione* familiaris *contubernii* et solatii; quam dilectionem Christi et Ioannis ostendit fuisse *iucundam;* Canticorum ultimo [9]: *Quae est ista quae ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* — Ex *commissione* singularis *thesauri;* quam dilectionem Christi et Ioannis ostendit fuisse *sincerum;* Ioannis decimo nono: *Cum vidisset Iesus Matrem et discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri suae: Mulier, ecce, filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce, mater tua.* — Ex *apertione* spiritualis *mysterii;* quam dilectionem Christi et Ioannis ostendit fuisse *veram;* Ioannis vigesimo primo: *Dixit discipulus ille, quem diligebat Iesus, Petro: Dominus est.* — Ex *custoditione* sempiternalis *patrocinii;* quam dilectionem Christi et Ioannis ostendit fuisse *perpetuam;* Sapientiae quarto [10]: *Placens Deo factus est dilectus et vivens inter peccatores translatus est* etc. — Per primum sibi Evangelii fluenta influxit; per secundum Matrem dilectam sibi commisit; per tertium Apocalypsim ei revelavit; per quartum non permisit, eum supplicio mori.

Pars II. Quatuor indicia, quod fuerit vera Christi discipula.

II. Circa secundum nota, quod beatum Ioannem ostenderunt *praecipuum* et verum *discipulum* Christi quatuor, scilicet sollicita *amotio impedimentorum* salutis; Lucae decimo quarto [11]: *Omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus.* — Fervida *dilectio condiscipulorum* fraternitatis; Ioannis decimo tertio: *In hoc cognoscent omnes, quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* — Perfecta *observatio mandatorum* Divinitatis; Ioannis octavo: *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis.* — Sedula *praedicatio documentorum* veritatis; Ioannis decimo quinto [12]: *In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis et efficiamini mei discipuli.*

Sermo IV [13].

Item, sermo fratris Bonaventurae Parisius.

Hic est discipulus ille, quem diligebat Iesus, Ioannis ultimo [14].

[1] Vers. 23; sequuntur Sap. 7, 27. et Prov. 22, 11.
[2] Vers. 14; sequitur Iob 36, 33.
[3] Cap. 42, 5. seq.; sequuntur Prov. 4, 1. et Iob 26, 14.
[4] Vers. 16; sequitur Cant. 2, 14.
[5] Vers. 10; sequuntur Iac. 1, 2. et II. Cor. 7, 4.
[6] Vers. 17; sequitur Gal. 5, 22.
[7] Ex A fol. 77 v. et B fol. 94 v.
[8] Vers. 23.
[9] Cap. 8, 5; sequuntur Ioan. 19, 26. seq. et c. 21, 7.
[10] Vers. 10.
[11] Vers. 33; sequuntur Ioan. 13, 35. et c. 8, 31.
[12] Vers. 8.
[13] Ex A fol. 78 r.
[14] Cap. 21, 24. 7.

Divisio.

In hoc verbo describitur beatus Ioannes dupliciter, scilicet ut *spectabilis* in doctrina vel disciplina caelestis studii et ut *venerabilis* ex praerogativa familiaritatis Filii Dei. Primum, ibi: *Hic est discipulus ille;* secundum, ibi: *quem diligebat Iesus.*

Tamor probat, S. Ioannem esse verum Christi sepulcrum.

Circa primum nota, quod beatum Ioannem effecerunt Christi verum et probatum discipulum quatuor, scilicet *contemptus* mundialium consolationum; Lucae decimo quarto [1]: *Si quis venit ad me et non odit patrem suum* etc., *non potest meus esse discipulus.* — *Affectus* caelestium unctionum; Ioannis decimo tertio: *Erat recumbens unus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus.* — *Zelus* salvandarum animarum; Ioannis decimo quinto: *In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis et efficiamini mei discipuli.* — *Profectus* salutarium virtutum; Matthaei decimo [2]: *Sufficit discipulo, ut sit sicut magister eius. Perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius.*

Sermo V [3].

Item, sermo fratris Bonaventurae apud Assisium.

Hic est discipulus ille, quem diligebat Iesus, Ioannis ultimo [4].

Divisio.

Describitur beatus Ioannes ut *vita* et fama *praeclarus* et ut *gratia* et praerogativa *privilegiatus.* Primum, ibi: *Hic est discipulus ille;* secundum, ibi: *quem diligebat Iesus.*

Verum S. Ioannis praerogativae.

Notandum circa haec omnia, quod beatus Ioannes fuit *vita et fama praeclarus,* quia *discipulus:* affectionum puritate *mirabilis;* Ioannis decimo tertio [5]: *Erat recumbens unus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus.* — Virtutum fecunditate *venerabilis;* Ioannis ultimo: *Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his et scripsit haec* etc. — Exemplorum claritate *spectabilis;* Matthaei decimo: *Sufficit discipulo, ut sit sicut magister eius. Perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius.* — Morum gratiositate *amabilis;* Ioannis decimo octavo [6]: *Discipulus autem ille erat notus pontifici* etc. — Actuum strenuitate *laudabilis;* Ioannis decimo octavo: *Discipulus autem ille introivit cum Iesu in atrium pontificis.* — Documentorum nobilitate *singularis;* Ioannis decimo quinto [7]: *In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis et efficiamini mei discipuli.* — Contemplationum subtilitate *peculiaris;* Ioannis ultimo: *Dixit discipulus ille, quem diligebat Iesus, Petro: Dominus est.* — Compassionum pietate *praecordialis;* Ioannis decimo tertio: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* — Orationum sedulitate *caelestis;* Ioannis decimo nono [8]: *Cum vidisset ergo Iesus iuxta crucem Matrem et discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri suae* etc.

Sermo VI [9].

Item, sermo fratris Bonaventurae apud Assisium.

Dilectus Deo et hominibus, cuius memoria in benedictione est, Ecclesiastici quadragesimo quinto [10].

Divisio.

Describitur in verbis his beatus Ioannes ut *universaliter gratificatus* et approbatus in caelo et in terra et ut *singulariter commendatus* et celebratus a tota Ecclesia. Primum, ibi: *Dilectus Deo et hominibus;* secundum, ibi: *cuius memoria in benedictione est.*

Septem rationes, quare S. Ioannes dilectus fuerit.

Fuit autem beatus Ioannes merito *dilectus Deo et hominibus,* dum viveret: propter *caeliformes natores* puritatis virgineae; Osee undecimo [11]: *Puer Israel, et dilexi eum.* — Propter *luciformes fulgores* claritatis intelligentiae; Ioannis decimo quarto: *Ego diligam eum et manifestabo ei me ipsum.* — Propter *pulciformes decores* sanctitatis vitae; Marci decimo: *Iesus autem, intuitus eum, dilexit eum.* — Propter *multiformes ardores* salutis fraternae; Ecclesiastici quadragesimo sexto [12]: *Dilectus a Domino Deo suo Samuel, propheta Domini, renovavit imperium* etc. — Propter *christiformes amores* suavitatis internae; secundi Regum duodecimo: *Vocavit nomen eius Salomon, et Dominus dilexit eum. Et vocavit nomen eius: Amabilis Domino, eo quod diligeret eum Dominus.* — Propter *altiformes ordines* contemplationis supercaelicae; Genesis trigesimo septimo: *Israel autem diligebat Ioseph super omnes filios suos.* Sequitur ibi, quomodo vidit per somnium etc. — Propter *deiformes dispositiones* interioris conscientiae; primi Regum decimo octavo: *Dilexit Ionathas David quasi animam suam* etc.

Sermo VII [13].

Item, sermo Bonaventurae apud Lugdunum.

Aquila grandis magnarum alarum, Ezechielis decimo septimo [14].

---

[1] Vers. 26; sequuntur Ioan. 13, 23. et c. 15, 8.

[2] Vers. 25. et dein Luc. 6, 40. — Secundum membrum divisionis deest.

[3] Ex A fol. 78 r.

[4] Vers. 24. et 7.

[5] Vers. 23; sequuntur Ioan. 21, 24; Matth. 10, 25. et Luc. 6, 40.

[6] Vers. 15, ubi etiam habetur sequens locus.

[7] Vers. 8; sequuntur c. 21, 7. et c. 13, 35.

[8] Vers. 26.

[9] Ex A fol. 78 v.

[10] Vers. 1.

[11] Vers. 1; sequuntur Ioan. 14, 21. et Marc. 10, 21.

[12] Vers. 16; sequuntur II. Reg. 12, 24. 25; Gen. 37, 3. 5. segq. et I. Reg. 18, 1.

[13] Ex A fol. 78 v.

[14] Vers. 3.

Describitur in verbis his beatus Ioannes duplici- Divisio.
ter ex persona Prophetae: ut *praecellentissimus contemplatione* et doctrina et ut *ornatissimus sanctitate* et vita. Propter primum dicitur: *Aquila grandis;* propter secundum dicitur: *alarum magnarum.*

Propter *speculationem* caelestium perspicacem; Rationes quatuor.
unde ipse dicit Apocalypsis vigesimo primo [1]: *Ostendit mihi civitatem sanctam Ierusalem, descendentem de caelo a Deo, habentem claritatem Dei;* Proverbiorum trigesimo: *Viam aquilae in caelo.* — Propter *attractionem* Christi fragrantiarum suavem; unde ipse dicit in Legenda [2]: « Odor tuus in me concupiscentias excitavit aeternas »; Matthaei vigesimo quarto [3]: *Ubicunque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilae.* — Propter *ascensionem* desideriorum sublimem; unde potest dici de eo illud Psalmi [4]: *Beatus vir, cuius est auxilium abs te; ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco, quem posuit;* Isaiae quadragesimo: *Assument pennas sicut aquilae* etc. — Propter *renovationem* iugem; unde potest ei illud Psalmi dici: *Renovabitur ut aquilae iuventus tua.*

Sermo VIII [5].

Item, sermo fratris Bonaventurae apud Montempessulanum.

Quasi flos rosarum in diebus vernis et quasi lilia, quae sunt in transitu aquae, et quasi thus redolens in diebus aestatis, Ecclesiastici quinquagesimo [6].

Sapiens divinitus praeventus commendat in ver- Divisio.
bis his sub typo alterius [7] beatum Ioannem a tribus, scilicet a *puleriformi sanctitate,* cum dicit: *Quasi flos rosarum in diebus vernis;* a *multiformi castitate,* cum addit: *et quasi lilia, quae sunt in transitu aquae;* a *deiformi caritate,* cum subdit: *et quasi thus redolens in diebus aestatis.*

Circa totum nota, quod beatus Ioannes fuit in Quadruplex S. Ioannis laudatio.
mundo isto sicut: *rosa fragrantissima* propter sanctitatem et famam; Canticorum secundo [8]: *Ego flos campi et lilium convallium.* — *Stella radiantissima* propter puritatem et munditiam; Apocalypsis ultimo: *Ego sum radix et genus David, stella splendida et matutina.* — *Fucula ardentissima* propter veritatem et doctrinam; Ecclesiastici quadragesimo octavo: *Surrexit Elias propheta quasi ignis, et verbum ipsius quasi fucula ardebat.* — *Margarita virtuosissima* propter miraculorum claritatem et gratiam; Matthaei decimo tertio [9]: *Inventa una pretiosa margarita* etc.; Proverbiorum vigesimo quinto: *Inauris aurea et margaritum fulgens.*

Sermo IX [10].

Item, sermo fratris Bonaventurae ad Fratres Lugdunenses in Capitulo.

Israel germinabit sicut lilium, Osee ultimo [11].

Describitur nobis his verbis beatus Ioannes tri- Divisio.
pliciter, scilicet ut supercaelesti *refulgentia praeditus* quantum ad intellectum, cum dicitur: *Israel,* id est intelligens Deum; ut multiformi *gratia fecundatus* quantum ad affectum, cum dicitur: *germinabit;* ut salutari *elegantia decoratus* quantum ad convictum, cum dicitur: *sicut lilium.*

Fuit autem beatus Ioannes in hoc mundo *sicut* S. Ioannes fuit lilium ob 4 rationes.
lilium: propter *virorem pietatis* et devotionis continuae; Ecclesiastici quinquagesimo [12]: *Quasi lilia, quae sunt in transitu aquae, et quasi thus* etc. — Propter *candorem puritatis* et sanctitudinis virgineae; Canticorum secundo: *Ego flos campi et lilium convallium.* — Propter *odorem celebritatis* doctrinae et famae; Ecclesiastici trigesimo nono: *Florete, flores, quasi lilium et date odorem.* — Propter *ruborem caritatis geminae* excessivae; tertii Regum septimo [13]: *Quasi lilii flores et lucernas desuper aureas.*

Sermo X [14].

Item, sermo fratris Bonaventurae in domo Praedicatorum de Lugduno.

Sapientia hominis lucet in vultu eius, Ecclesiastae octavo [15].

Describitur in verbis his beatus Ioannes ut *cluri-* Divisio.
tate luciformis intelligentiae *insignitus* et ut *sanctitate* deiformis vitae *prueclarus.* Primum, ibi: *Sapientia hominis;* secundum, ibi: *lucet in vultu eius.*

Circa totum nota, quod quadruplex sapientia Quadrupl. S. Ioann. sapientia
relucebat in facie beati Ioannis, scilicet sapientia *pietatis theosebiae* sursum agentis venerabiliter; Ecclesiastae secundo [16]: *Sapientis oculi in capite eius, stultus in tenebris ambulat.* — *Puritatis sanctimoniae* serenantis supersplendenter; Proverbiorum octavo: *Ego sapientia habito in consilio et eruditis intersum cogitationibus.* — *Veritatis aeternae* animantis salubriter; Proverbiorum decimo: *In labiis sapientis invenitur sapientia.* — *Caritatis fraternae*

---

[1] Vers. 10. seq.; sequitur Prov. 30, 19.
[2] Cfr. Abdias, loc. cit. lib. 5.
[3] Vers. 28.
[4] Psalm. 83, 6; sequuntur Isai. 40, 31. et Ps. 102, 5.
[5] Ex A fol. 79 r.
[6] Vers. 8.
[7] Scilicet Simonis Oniae, sacerdotis magni.
[8] Vers. 1; sequuntur Apoc. 22, 16. et Eccli. 18, 1.
[9] Vers. 46; sequitur Prov. 25, 12.
[10] Ex A fol. 79 r.
[11] Vers. 6.
[12] Vers. 8; sequuntur Cant. 2, 1. et Eccli. 39, 19.
[13] Vers. 49.
[14] Ex A fol. 79 r.
[15] Vers. 1.
[16] Vers. 14; sequuntur Prov. 8, 12. et c. 10, 13.

dilatantis universaliter; Ecclesiastae decimo [1]: *Cor sapientis in dextera eius, et cor stulti in sinistra illius.*

Sermo XI [2].

Item, sermo Bonaventurae in domo Fratrum Arelatensium.

In facie prudentis lucet sapientia, Proverbiorum decimo septimo [3].

In verbis propositis describitur beatus Ioannes Divisio. ut *luminibus* supercaelestis clàritatis *praeditus* et ut *conversationibus* luciformis sanctitatis *probatus* sive conspicuus. Primum, ibi: *In facie prudentis;* secundum, ibi: *lucet sapientia.*

Circa totum nota, quod in facie beati Ioannis S. virtutes Ioannis. lucebat et luxit: divina *reverentia* per pietatem theosebiae; Proverbiorum quarto [4]: *Instorum semita quasi lux splendens* etc. — Divina *sanctimonia* per sinceritatem munditiae; ad Philippenses secundo: *Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.* — Divina *gratia* per simplicitatem innocentiae; Iob vigesimo nono: *Lux vultus mei non cadebat in terram.* — Divina *sapientia* per veritatem doctrinae; Ecclesiastae octavo [5]: *Sapientia hominis lucet in vultu eius.* — Divina *iustitia* per sanctitatem vitae; Matthaei quinto: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant* etc. — Divina *gloria* per amoenitatem conscientiae; Ecclesiastici ultimo [6]: *In sapientia eius luxit anima mea.*

Sermo XII [7].

Item, sermo Bonaventurae ad Fratres Lugduni.

Ignis in altari semper ardebit, Levitici sexto [8].

In his verbis mysticis describitur beatus Ioannes Divisio. tripliciter, scilicet ut *cognitione sapientiae* supercaelicae *fulgidus* ad modum *ignis-lucis;* ut *pulcritudine vitae ornatus* ad modum *altaris;* ut *caritate succensus* ad modum *ardoris.*

Circa totum nota, quod in beato Ioanne *arsit* S. Ioannis alius quadrupliciter. *ignis* quadrupliciter, scilicet ignis zeli: divini *amoris* per devotiones assiduas; Lucae duodecimo [9]: *Ignem veni mittere in terram* etc. — Divini *honoris* per venerationes supercaelicas; Threnorum primo: *De excelso misit ignem in ossibus meis et erudivit me.* — Divini *luminis* per contemplationes lucidissimas; Ecclesiastici quinquagesimo: *Quasi ignis effulgens et thus ardens in igne.* — Supernae *salutis* per eruditiones salutiferas sive salutificas; Ecclesiastici quadragesimo octavo [10]: *Surrexit Elias propheta quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat.*

Sermo XIII [11].

Item, sermo fratris Bonaventurae Parisius.

Erit quasi oliva gloria eius, et odor eius ut Libani, Osee ultimo [12].

In verbis his describitur vita beati Ioannis: ut Divisio. semper virentissima *elegantia sanctitatis* omnimodae, cum dicitur: *Erit quasi oliva gloria eius,* id est honorificentia et decor vitae ipsius; ut semper fragrantissima *redolentia suavitatis famae,* cum subditur: *et odor eius ut Libani,* id est incensi fragrantis.

Habuit autem beatus Ioannes in vita sua sicut S. Ioannes comparatur olivae quadrupliciter. oliva: *amara* in radicibus propter mortificationem in sensibus; Iob decimo quinto [13]: *Quasi oliva proiciens florem suum,* id est sensuum delectationem. — *Aspera* in corticibus propter austeritatem in temporalibus; ad Romanos undecimo: *Tu autem, cum oleaster esses, insertus es in illis et socius radicis et pinguedinis olivae factus es.* — *Amoena* in frondibus propter venustatem in eruditionibus; Ecclesiastici quinquagesimo: *Quasi oliva pullulans* etc.; Ieremiae undecimo [14]: *Olivam uberem, pulcram, fructiferam* etc. — *Gratiosa* in fructibus propter claritatem in aedificationibus; Psalmus: *Ego autem, sicut oliva fructifera in domo Dei* etc.

Sermo XIV [15].

Item, sermo fratris Bonaventurae coram populo Lugduni in ecclesia sancti Nicetii.

Dilectus Deo et hominibus, cuius memoria in benedictione est. Similem illum fecit in gloria Sanctorum, Ecclesiastici quadragesimo quinto [16].

(Prothema). Speculanti mihi, quomodo dilectus Prothema. Dei Apostolus et Evangelista electus, beatus Ioannes, fuit in universali Ecclesia et in toto orbe sicut *lilium vernans* [17], ratione virginitatis integerrimae quantum ad subiectum; *rosa coruscans,* ratione caritatis ardentissimae quantum ad affectum; *aurora rutilans,*

---

[1] Vers. 2.
[2] Ex A fol. 79 v.
[3] Vers. 24.
[4] Vers. 18; sequuntur Phil. 2, 15. et Iob 29, 24.
[5] Vers. 1; sequitur Matth. 5, 16.
[6] Cap. 51, 26. De hac lectione vide *Biblia Maxima* in hunc locum; Vulgata habet: *Insipientiam eius luxi.*
[7] Ex A fol. 79 v.
[8] Vers. 12.
[9] Vers. 49; sequuntur Thren. 1, 13. et Eccli. 50, 9.
[10] Vers. 1.
[11] Ex A fol. 80 r.
[12] Vers. 7.
[13] Vers. 33; sequuntur Rom. 11, 17. et Eccli. 50, 11.
[14] Vers. 16; sequitur Ps. 51, 8.
[15] Ex A fol. 80 v. et cod. Tudert. n. 165. fol. 134 v., qui solus habet sequens prothema et addit plures locos S. Scripturae.
[16] Vers. 1. 2.
[17] In membris divisionis alluditur ad Cant. 2, 2; Eccli. 50, 8; Cant. 6, 9. et c. 5, 13.

ratione claritatis serenissimae quantum ad intellectum; *areola aromaticans*, ratione sanctitatis celeberrimae quantum ad convictum; videtur, quod eius memoria sit omnibus nobis veneranda devote, commendanda magnifice, contemplanda attente, imitanda pro posse. Et ideo in principio sermonis de eo invocabimus Dominum Iesum, qui ipsius animam semper illuminavit et recreavit, ut ipse hodie nos illuminet et delectet meritis suae Matris, quibus mediantibus, possimus de isto sacro et sancto Evangelista suo aliquid dicere etc.

Dilectus Deo etc.

In verbis his Sapiens aeternae lucis radio perlustratus describit beatum Ioannem tripliciter, scilicet ut universaliter *acceptatum* propter signa sancta, quae dedit; propter quae dicitur: *Dilectus Deo et hominibus*; ut universaliter *commendatum* propter exempla digna, quae reliquit; propter quae dicitur: *cuius memoria in benedictione est*; ut universaliter *clarificatum* propter miranda multa, quae fecit; propter quae dicitur: *similem illum fecit in gloria Sanctorum.*

Sermo. Divisio.

I. Fuit autem beatus Ioannes *dilectus* a Christo specialiter propter illa *signa*, quae dabat, scilicet propter minoris *aetatis suffragium*; Osee undecimo [1]: *Puer Israel, et dilexi eum*, supple: propter hoc flexus ad eum. — Propter ingenitae *mansuetudinis aspectum*; Ioannis decimo tertio: *Erat recumbens unus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus*, propter ingenitae mansuetudinis signaculum. — Propter intemeratae *virginitatis speculum*; secundi Regum primo: *Sicut mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam*, hoc est eadem castitate et immaculata affectione. — Propter religiosae *maturitatis exemplum*; Marci decimo [2]: *Iesus autem, intuitus eum, dilexit eum*, scilicet Ioannem, propter causam praedictam. — Propter magnae *probitatis indicium*; secundi Regum duodecimo: *Vocavit nomen eius: Amabilis Domino, eo quod diligeret eum Dominus*, Ioannem scilicet, propter probitatis magnae indicium. — Propter mirandae *innocentiae cultum*; Malachiae primo: *Dilexi Iacob, Esau autem odio habui*; Iacob, Ioannes, in quo est omnis gratia habitans (?) — Propter perfectae *arduitatis aggressum* in adolescentiae ipsius flore; Ioannis ultimo [3]: *Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem*; Hieronymus: « Diligebat autem eum Iesus, quoniam specialis praerogativa castitatis ampliori dilectione fecerat dignum, quia virgo electus ab eo virgo in aevum permansit ». — Propter continuae *pietatis* sive devotionis *usum*; Ioannis decimo quarto [4]: *Et ego diligam eum et manifestabo ei me ipsum.* Bernardus: « Manifestum signum dilectionis Dei est devotionis caelestis usus ». — Propter sedulae *caritatis exercitium* sive studium; Ecclesiastici quadragesimo sexto [5]: *Dilectus a Domino Deo suo Samuel, propheta Domini.* Gregorius: « Deus maxime diligit exercentes se in studio caritatis et amoris ipsius ».

Pars I. S. Ioannes acceptus propter 9 signa sancta.

II. *Exempla* vero, quae beatus Ioannes mundo edidit, propter quae *memoria eius est in benedictione*, sunt haec, scilicet universalis animi *simplicitas* sive sinceritas in intentione; universalis *humilitas* in reputatione et repraesentatione; universalis *castitas* in mente et in corpore; universalis *pietas* in devotione et compassione; universalis *caritas* in affectione et ostensione; universalis *sanctitas* in conversatione et repraesentatione [6]; universalis *veritas* in praedicatione et actione; universalis *tranquillitas* in corde et facie; universalis *suavitas* in contemplatione et meditatione.

Pars II. Item, commendatus propter 9 exempla sancta.

III. *Clarificatus* autem fuit beatus Ioannes dupliciter, scilicet in *privilegiis* et in *miraculis*.

Pars III. Item, clarificatus propter privilegia et miracula. Privilegia.

Privilegia vero sua sunt haec: nam septemdecim annorum *factus* fuit *Apostolus*; natus enim fuerat decimo quarto anno post nativitatem Christi; *virgo* integerrimus est a Deo *conservatus*; potiore *dulcedine* internae unctionis continentiae fuit *superfusus*, quia a carnali voluptate in nuptiis voluntarie fuit retractus, secundum Hieronymum [7]; ideo postea et Christi odorem semper in se specialiter fragrare sensit; ab ipso Domino Iesu familiarius fuit *dilectus*; ad suscitationem puellae, Marci quinto [8], et in transfiguratione, Matthaei decimo septimo, et in tormento (?) passionis, Matthaei vigesimo sexto, fuit familiarius et specialiter assumtus et electus; *super pectus Domini in coena recubuit* [9]; dum coenaret Dominus, ei revelavit proditorem, tanquam ei qui amplius affligebatur et cui magis compatiebatur; de cruce « *Matrem* suam virginem ei virgini *commendavit* [10] »; tripliciter doctrinae *gratia* exstitit *sublimatus*; nam fecit Evangelium, Apocalypsim et Epistolas [11]; in ferventis olei dolium missus *illaesus exivit*; *sine tormento* vel dolore de mundo divina ordinatione *migravit* [12]; pro eo in morte *Dominus* personaliter cum Apostolis *venit*; ut pie creditur, in *corpore* Dominus

---

[1] Vers. 1; sequuntur Ioan. 13, 23. et II. Reg. 1, 26.

[2] Vers. 21; sequuntur II. Reg. 12, 25. et Malach. 1, 2. 3.

[3] Cap. 21, 20. — Sequens locus Hieronymo ascriptus alibi attribuitur Bedae; de quo cfr. Bonav., III. Sent. pag. 706, nota 8. et tom. VI. pag. 529, nota 1. Vide tamen Hieron., I. adversus Iovinian. n. 26, ubi locus ille sec. sensum occurrit.

[4] Vers. 21. — De Bernardo cfr. serm. 20. in Cant. n. 7.

[5] Vers. 16. — Locus Gregorii habetur sec. sensum I. Homil. in Evang. homil. 9. n. 6.

[6] Cod. Tudert. habet *exhibitione*.

[7] Ita in Prologo in Evangelium secundum Ioannem, de quo vide tom. VI. pag. 243, nota 2. et pag. 245, nota 1. 2.

[8] Vers. 37; respiciuntur Matth. 17, 1. sequ. et c. 26, 37.

[9] Ioan. 21, 20; deinde respiciuntur c. 13, 25. sequ. et c. 19, 26, 27.

[10] Hieron., epist. 127. (alias 16.) ad Principiam, n. 5.

[11] De hoc et sequenti facio vide Hieron., I. advers. Iovinianum n. 26.

[12] Hieron., de Viris illustribus, c. 9.

eum *glorificavit* [1]; de sepulcro eius *manna scaturivit* [2]; in hora mortis locum sepulcri *lux maxima* de caelo *occupavit* et sic *defunctum rapuit*.

Miracula autem, quibus beatus Ioannes floruit, quibus factus est similis gloriosis et magnificis Sanctis sunt haec: nam in vita *suscitavit viduam Drusianam* coram omni populo; *suscitavit filium* unius viduae *defunctum* coram omni populo; *suscitavit duos iuvenes mortuos* de veneno coram omni populo; *bibit venenum* et nullam laesionem incurrit coram omni populo; *templum Dianae* Ephesorum et imaginem eius penitus *comminuit; mutavit in aurum* silvestres frondium virgas littoreaque *saxa* in gemmas; *gemmarum fragmenta* in propriam reformavit naturam; *philosophos* cum discipulis et familiis ad Christum convertit et baptizavit, qui ei in vita sua ecclesiam eius nomine construxerunt [3]. Similiter totam *Asiam convertit* et eis ecclesias et episcopos ordinavit [4]; regi Eduardo [5] Angliae, a quo in specie peregrini eleemosynam annulum accepit, tanquam suo devoto de ultra mare per militem suum remisit; iuvenem pulcrum et ferocem convertit et cuidam episcopo commendavit, quem requirens inter latrones, reduxit et pertectum factum episcopum ordinavit; haeresiarcham Cerinthum cum suis mirabiliter confutavit [6], quem etiam apud balneas inveniens sive supervenientem videns, dixit: « Fugiamus hinc, ne et balneae ipsae corrumpant nos, in quibus lavatur vel lavari vult Cerinthus, veritatis inimicus », Glossa super secundam Ioannis; locum, in quo scripsit Evangelium, a ventis et pluviis contutavit oratione, ab hora, qua incepit, usque hodie etc. [7]

Iracola.

DE SANCTA AGNETE VIRGINE ET MARTYRE (21 Ian.).

Sermo I [8].

Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea, Canticorum primo [9].

Non sine causa canticum amoris dicitur Canticum canticorum, pro eo, quod materia, de qua est, et virtus, a qua formatur ipsum canticum, et finis, ad quem est, transcendit et materiam et originem et finem omnium canticorum. Tantae nobilitatis est virtus caritatis, ut qui habet caritatem habeat et Deum, nec est aliquod praemium nec meritum nisi diligere Deum, ut dicit Augustinus [10] super illud: *Mihi adhaerere Deo bonum est*. Amor caritatis tantae sublimitatis est, ut de misero faciat beatum et de simplici sapientem, quemadmodum de aetate iuvencula transit in canitiem. Agnes ista, cuius solemnitatem modo celebramus, inter alias Virgines, quae sponsae Christi fuerunt, est praecipue commendabilis; ideo verbum de ipsa competenter dicitur, quod de laude sponsae dicitur. Quamquam iuvencula fuit aetate, animo tamen fuit cana, gratia caritatis tota repleta fuit. Cum *odore* istius Virginis *currere* debemus; multae virgines eam secutae sunt. In principio rogabimus Dominum etc.

Equitatui meo etc.

Othema.

Verbum istud ad laudem sponsae Domini potest trahi in laudem cuiuslibet animae perfectae, quae habet in se praerogativas, quae sponsae competunt; inter quas Agnes merito connumeratur. Sponsus sponsam laudat a duobus: a virtutis *manifestatione* et a virtutis *origine*. *Manifestatio* virtutis est in assecutione triumphi; *origo* autem virtutis est in possessione divini doni sive habitus. Assecutio eius triumphi, scilicet de diabolo, mundo et carne, notatur, cum dicit: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te*. Origo totius sanctitatis et bonitatis est possessio Spiritus sancti, quae nominatur, cum dicit: *amica mea*. Totaliter ab amico suo, id est a Sponso suo, possessa fuit beata Agnes et possidens, quia, quod habet aliquis hoc modo, scilicet per amorem, habetur (etiam ab alio), sicut etiam est in amore corporali.

Sermo. Divisio.

I. Modo dico, quod *triumphus* gloriosae Virginis explicatur nobis, cum dicit: *Equitatui meo* etc. Per *equitatum Pharaonis* significatur exercitus fidelium, qui, prostrato Pharaone, pervenit ad terram promissionis. Cui *equitatui* assimilatur Ecclesia et ista Virgo gloriosa propter multiplicitatem *praerogativarum*. Recte exercitui Pharaonis assimilant sponsam et propter consimile *bellum* et propter consimile *robur* et propter consimile *praesidium* et propter consimilem *triumphum*.

Pars I. Manifestatio virtutis S. Agnetis sive assecutio triomphi.

Subdivisio.

[1] Vide Bonav., tom. VI. pag. 529, notam 5. et 6.

[2] Vide Abdiam, loc. cit. lib. 4, ubi, paucis exceptis, omnia hic relata mirabilia invenies.

[3] De his quae narrantur in hoc membro vide Abdiam, loc. cit. — Quae sequuntur sumsimus ex cod. Tudertino.

[4] Hieron., de Viris illustribus, c. 9.

[5] Cfr. Breviar. Roman. in festo S. Eduardi (24 Oct.), lect. 6.

[6] Hieron., de Viris illustribus, c. 9. — Sequitur Glossa *ordinaria* in II. Ioan. v. 11.

[7] Pro festo S. Ioannis Ev. adhuc alius sermo inscriptus Bonaventurae de themate: *Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem* (Prov. 22, 11.), habetur in *Supplemento Bonelli* (tom. III. col. 741 seqq.) et magis contracte in editionibus an. 1479 (Zwollis) atque an. 1491 et etiam in cod. biblioth. Basileensis (sign. B X. 4). Divisio sermonis variaeque sententiae insinuare possent Bonaventuram ut auctorem; ast expositio, quae de sola tertia parte, scil. *amicitia divina*, tractat, ita deviat a stilo et modo Bonaventurae consueto, ut hunc sermonem recipiendum non esse opinati simus.

[8] Ex cod. Trecensi n. 951. fol. 53 r., ubi tribuitur S. Bonaventurae. Textus est vitiose reportatus.

[9] Vers. 8.

[10] Cfr. Enarrat. in Ps. 149. n. 4; tr. 10. in Epist. Ioan. n. 5; lib. de Divers. Quaestion. qu. 54. et lib. de Spiritu et anima (inter opera August.), c. 16. — Sequitur Ps. 72, 27.

Respicite: initium Sapientiae accipitur de historia [1]. Salomon non loquebatur sicut fatuus, propter consimile in plebe Israelitica. Propter consimile *bellum* comparatur ista Virgo exercitui Pharaonis. Compellebatur populus Israeliticus in Aegypto ad vile opus, affligebat eos Pharao in *opere luti et lateris* [2]; et praefectus urbis compellebat beatam Agnetem ad vile opus, ut consecraretur daemonibus et incurvaretur ad accipiendum filium suum, vel quod cogeretur ire ad prostibulum. Vile opus erat spirituaiiter fornicari, vel corporaliter corrumpi. Istud *bellum* vicit beata Agnes non absque confusione multorum. — Vile est igitur, quod illi qui sunt illustrati et viriles et moribus caelestes esse deberent, vinculntur a carne et superstitionibus mentalibus, vel fornicationibus corporalibus subiiciuntur. Et ista Virgo ita servavit castitatem et fidei integritatem. Utinam adverteret istud creatura rationalis, quotiescumque mens tentaretur ad fornicationem carnis, vel ad curiositates mentis! Utinam fidem haberemus prae oculis, quam in baptismo suscepimus!

Primo, propter consimile bellum.

Contra peccatores.

Secundo, propter consimile robur deplex.

Secundo attenditur similitudo istius Virginis ad *equitatum Pharaonis* quantum ad *robur*. Robur populi Israelitici fuit, ut per omnia *superarent* et non superarentur; flagellaverunt per virtutem Dei Aegyptios in virga Moysi. *Virga* virtutis *Dei* [3], per quam Moyses flagellavit Aegyptios, fuit in manu Agnetis. Unde virtute divinitus ei concessa radiabat tanta lux super ipsam, quam nullus hominum sustiuere potuit aspectus. Filii autem tenebrarum, quos illuminare non potuit, quia claudebant virtutes aspectivas, terrebantur, et qui pleni fuerunt libidine restringebantur [4]. — Item, in populo Israelitico fuit virtus *percutiendi primogenita* [5] Aegypti; et beata Agnes interfecit filium primogenitum praefecti. Nunquid igitur non similis fuit populo Israelitico quantum ad robur? Haec est virtus Spiritus sancti, qua supervestitur [6] quisque, protegitur et defenditur, dummodo non abiiciat eum. Isto Spiritu induti fuerunt Apostoli et omnes, qui superaverunt Pharaonem, id est diabolum; et beata Agnes semper armata fuit ista armatura; Apostolus: *Induimini arma lucis*. Si quaeritis de ista armatura, quae sit; haec est armatura: *Induere Dominum* nostrum *Jesum Christum*. Haec est *virga virtutis* [7], in qua superamus hostem.

Tertio, propter consimile praesidiom.

Tertio beata Agnes assimilatur *equitatui Pharaonis* propter consimile *praesidium*. Quando populus Israelis fugiebat a facie Pharaonis, tunc Angelus Domini posuit se in medio inter filios Israel et Aegyptios [8]. Istud fuit praesidium angelicum, et quamquam unus Angelus apparuit, tamen plures fuerunt, sicut, quando latrunculi volnerunt interficere Eliseum, erant *montes pleni equorum* et hominum armatorum. Similiter fuit Angelus deputatus ad custodiam huius Virginis, quando fuit ante tribunal et fuit in prostibulo. Quando volunt ad nos appropinquare Aegyptii, tunc Angelus ponit se in medio. Nullus dicat, quod tentatio sit violenta; habemus bonos adiutores, scilicet Angelos Dei; Psalmus [9]: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Super aspidem et basiliscum ambulabis et conculcabis leonem et draconem*, id est, in tentatione, qua tentat, ut *aspis* et ut *leo*, praevalebis. Et quare? Quia Angeli adsunt nobis. Legitur de beato Sebastiano [10], quod fuit quaedam mulier nuta accidentaliter, non surda, quia a casu habuit guttur clausum; quae vidit, quod Angelus tenebat librum coram Sebastiano, et beatus Sebastianus recitavit, sicut continebatur in libro. Angeli sunt nobiscum; et legitur, quod Angelus ligavit Asmodaeum [11]; genus est daemoniorum.

Quarto beata Agnes assimilatur *equitatui Pharaonis* quantum ad consimile *tropaeum*. Filii Israel, submersis adversariis suis, intraverunt terram promissionis per mare rubrum [12]; et beata Agnes per mare rubrum, id est per medias flammas et seditiosos populos, proprio sanguine rubricata et baptizata, intravit in terram viventium. Dicit Gregorius [13]: « Quid inter haec nos barbati et senes dicimus, qui Virgines per ferrum ire ad caelum videmus »? Beata Agnes dixit ad tyrannum [14]: « Noli me contemnere, ut putes, me te velle habere mihi propitium », ut sacrificem idolis tuis. Unde hoc, quod ista Virgo talis et tantae virtutis et fortitudinis fuit, ut esset victoriosa et effectuosa in desideriis suis? Vae nobis! Quando cogito de ista Virgine, reputo me infelicem et similes mihi. Si possem arcam meam replere lapidibus pretiosis, et replerem eam stercoribus, essem bene miser. Possum concipere affectiones sanctas, suaves, caelestes et pretiosas; et habeo affectiones viles, vanas et dissipatas, in quibus nihil est de pulcritudine nec de speciositate. Vere digni sunt inferno qui tantam gratiam spreverunt. Sumamus exemplum de Agnete.

Quarto, propter consimile tropaeum.

II. Vocat eam *amicam* Agnus Agnetem. *Venerunt nuptiae Agni, et uxor eius praeparavit se* [15]. Videatis; oportet, quod omnes simus *amici* ad hoc, quod intremus ad nuptias istas. Accipiamus formam amicitiae ab Agnete. Grandis sermo est de amore. Sumus sicut ligna viridia, quibus non cohaeret ignis de facili. Qui loquitur de amore hominibus dispositis

Pars II. Origo virtutis sive possessio Spiritos S. in martyrae.

[1] Locus corruptus, saltem obscurus.
[2] Respicitur Exod. 1, 14.
[3] Respicitur Exod. 4, 17. seqq. et c. 7, 17. seqq.
[4] Hoc et seq. factum est apud Surium de hoc festo § 8. 9.
[5] Respicitur Exod. 11, 5. et c. 12, 29.
[6] Respicitur Luc. 24, 49. — Sequitur Rom. 13, 12. 14.
[7] Respicitur Ps. 109, 2.
[8] Respicitur Exod. 14, 19. seq. et dein IV. Reg. 6, 17.
[9] Psalm. 90, 11. 13.
[10] Surius, in festo B. Sebastiani (20 Ian.) § 15.
[11] Respicitur Tob. 8, 3.
[12] Respicitur Exod. 14, 22. seqq.
[13] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 11. n. 3.
[14] Surius, in festo S. Agnetis (21 Ian.) § 6.
[15] Apoc. 19, 7.

ad amorem, statim accenduntur [1]; sed quando homo humiditatibus et phantasmatibus est innixus, tunc non potest adhaerere ignis amoris. Divina virtus tamen multum potest. Dico autem, quod beata Agnes singulari modo *amica* fuit propter quatuor: primo, propter *pudicitiae puritatem;* secundo, propter *obedientiae promptitudinem;* tertio, propter *sapientiae perfruitionem;* quarto, propter *perseverantiae perennitatem.* Sine istis perfecta amicitia non habetur ad Sponsum. Pudicitia amicitiam *inchoat,* obedientia *promovet,* sapientia *consummat,* perseverantia *conservat,* ut *funiculis* his *difficile rumpatur* [2].

abdivisio.

Primo, dico, beata Agnes singulari modo fuit *amica* propter *pudicitiae puritatem;* unde in Canticis [3]: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* — *Spinae* sunt deformes et pungitivae et parum valent nisi ad comburendum in igne; sed *lilium* est candens et pulcrum, varietate colorum distinctum quantum ad folium, est odoriferum et in medio est rubicundum ad maiorem decorem et odorem. Per *lilium* integritas pudicitiae designatur, quae animam reddit pulcram et fama odoriferam. Virginitas enim a terra redolet usque in caelum; *dum rex esset in cubili suo, nardus mea odorem dedit.* Virgo gloriosa integritate virginitatis suae Sponsum caelestem ad se traxit, ut non solum spiritualiter, sed corporaliter ad ipsam descenderet. Et de qualibet anima, quae est *templum Spiritus sancti* [4], verum est, quod odor suavitatis eius Ecclesiam triumphantem et militantem venustat et per complacentiam, quam habet in mente divina, trahit Sponsum caelestem ad se, ut tota Trinitas descendat in sponsam Christi. Amor iste Spiritus sancti informativus est castitatis. « Mel, inquit sponsa, et lac ex eius ore suscepi, et sanguis eius ornavit genas meas ». —

rimo, propter pudicitiae puritatem.

Horiatio.

Quando cogitat homo, quod Christus sparsit sanguinem suum pro nobis et purificavit nos ab immunditia, quomodo potest tunc homo inclinari ad aliquod foedum? Quando cogitat anima, quod est *templum Spiritus sancti* facta, quando *Spiritus* sanctus *super mel dulcis* [5] illabitur animae, quomodo potest tunc cogitare aliquod foedum? Quomodo *conculcabit sanguinem Testamenti?*

Beata Agnes non fuit spina plena punctionibus et carnalibus desideriis, sed fuit pulcra, odorifera, Spiritu sancto repleta; ideo fuit sicut *lilium inter spinas.* Petebatur ad matrimonium. Aliquid est, si resistat quis fornicationi et si non velit consentire matrimonio. *Tota pulcra es, amica mea,* et *macula non est in te* [6]. — Secundum exponit primum; quia fuit *sine macula,* ideo fuit *amica.* Non fuit in ea macula, nec quantum ad sensum nec quantum ad cor nec quantum ad mentem nec quantum ad phantasma nec quantum ad imaginabilia nec quantum ad exteriora signa. Ideo fuit *tota pulcra.* Qui castus est in carne, corde, imaginatione et in exteriori conversatione est totus candens. — Magna virtus est castitas. Sponsus aeternus non potest amare nisi animam castam. Non sine causa clamant Seraphim: *Sanctus, sanctus, sanctus.* Non clamant *magnus, sapiens* aut *iustus.* Quare *Seraphim* magis clamant: *Sanctus, sanctus, sanctus,* quam alii Angeli? Dicit Dionysius [7], quod *sanctus* idem est quod *purus.* Qui intraret ad intellectum, non vellet plus, inquinari corpus, quam vellet intrare flammam ignis. Nihil prima (?) approximatione potest approximare ad Deum, nisi sit purum; et nihil ita coniungit Deo sicut amor puritatis; et quia beata Virgo summe fuit pura, ideo specialiter et singulariter a Deo dilecta fuit. Et etiam, quia Deus est actus purus, ideo de omni proprietate et de potentia et de sapientia et de bonitate habet in summa excellentia; ideo qui approximat Deo puritatem aemulari debet; et quia Seraphim immediatissime Deo sunt coniuncti, ideo ipsi laudant in Deo puritatem, clamantes: *Sanctus, sanctus, sanctus.* Vellet anima sancta (potius) per centum annos retrahi a fruitione Dei, quam semel inquinari. Non pro nihilo dicitur: *Lectum Salomonis ambiunt sexaginta fortes* [8]. Dicitur in Isaia: *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Quare rubrum est vestimentum tuum?* Videns Christus, quod Ecclesiam non potuit mundam facere nisi sanguine suo virgineo, fudit sanguinem suum. Quia voluit Ecclesiam redimere, lavare, refocillare sanguine suo; amemus sanguinem Christi, *in quo sanctificati sumus;* dato [9], quod homo consensit in aliquod immundum. — Sed beata Agnes casta fuit. Unde dicit ei Dominus: *Ecce, tu pulcra es, amica mea, ecce, tu pulcra es,* id est, *pulcra es* in carne et mente; pulcra es carne; pulcrior, mente; pulcherrima, fide.

Laus castitatis.

Notandum.

S. Agnes.

Secundo dicitur beata Agnes *amica* propter *obedientiae promptitudinem.* Unde dicit ei Dominus [10]: *Surge, propera, amica mea, formosa mea, columba mea, in foraminibus petrae, in caverna maceriae.* — Quid est *surgere* et quid *properare? Surgere* est, quando partes corporis sunt appropinquantes ad terram, et homo erigit se ad superiora. Dico, quod lex divina praecipit, quod discedamus a sceleribus et faciamus quae sunt voluntatis Dei. Quando aliquis est in peccato mortali, non obedit

Secundo, propter obedientiae promptitudinem.

. Agnes fuit cta pulcra.

[1] Cfr. Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 34. n. 11.

[2] Respicitur Eccle. 4, 12: *Funiculus triplex difficile rumpitur.*

[3] Cap. 2, 2; sequitur c. 4, 11.

[4] Respicitur 1. Cor. 6, 19. — Sequens locus est apud Surium, loc. cit. § 3, ubi alluditur ad Cant. 4, 11.

[5] Eccli. 24, 27; sequitur Hebr. 10, 29.

[6] Cant. 4, 7; sequitur Isai. 6, 3.

[7] De Divin. Nominibus, c. 12: « Sanctitas est ab omni scelere libera et omnino perfecta et omni ex parte immaculata puritas ».

[8] Cant. 3, 7; sequuntur Isai. 63, 1. seq. et Hebr. 10, 10.

[9] Ita subsituimus pro *dator est.* — Sequitur Cant. 1, 14.

[10] Cant. 2, 10. 14.

Deo, nisi poeniteat; et non poenitet, nisi (ut) sit instus; et non est instus, nisi sit conservatio iustitiae et surgat a praeceptis ad consilia. Dicit igitur: *Surge,* id est, elonga te a peccato et occasione peccatorum et imple praecepta et consilia, *ut probes, quae sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta* [1]. Dices, quomodo implebo consilia, quando sum senex? Ideo dicit: *propera. In odorem unguentorum tuorum currimus.* Qui non est (aptus) hodie, cras minus aptus erit. *Formosa mea;* quando aliquis universaliter, celeriter, virtuose, simpliciter et strenue obedit et nihil omittit de circumstantiis, tunc habet formositatem et speciositatem. — Sed unde obedientia? Ex hoc, quod anima tua est *columba nidificans in foraminibus petrae.* Quando summam obedientiam habet? In memoria passionis Christi. Quando cogito, quod pro nobis habuit manus et pedes confixos et latus, ut Ecclesiam redimeret de latere suo; infelix sum, si nolo tunc obedire Deo. Agnes reliquit patrem et matrem et omnia pro Christo. — Non est creatura ita hebes, quin in plena obedientia obediat Deo, excepta creatura rationali, quae deberet esse summe parata ad obediendum Deo. Unde tanta superbia in nobis, quod praeferimus voluntatem nostram voluntati divinae? Dei Filius, *qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo* [2], *sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens; et factus est obediens* Patri *usque ad mortem,* intravit *in cavernam maceriae.* — Cogita hoc, et obediens eris, et sic amicus. Unde Dominus: *Vos amici mei estis, si feceritis quae ego praecipio vobis.* Maxime amicus Dei est qui observat omnia beneplacita Dei. Talibus dicit Dominus: *Comedite, amici, et bibite et inebriamini.* Sed econtra: *Si quis non vult operari, nec manducet* [3]. Omnis mensa impleta est ex manu Domini; Psalmus: *Oculi omnium in te sperant, Domine, et tu das escam illorum in tempore opportuno.* Quomodo audes comedere panem patris, si non vis ei obedire? Ad confusionem nostram comedimus, quia *convertetur* nobis *in fel aspidum.* Dicit Dei Filius [4]: *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* « Amicitia est idem velle et idem nolle ». Non est decens, quod Deus velit male tecum; oportet, quod salvatur amicitia, quae est inter te et Deum; aut quod tu velis bona. *Cognoscat mundus, quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Deus statim fecit mundum uno verbo, sed refecit eum cum magna fatigatione, ut daret nobis exemplum obedientiae. Nullus est amicus Dei, nisi velit obedire. Genus humanum, quia noluit obedire Deo, quod fuit immortale, cecidit in mortem, et quod fuit opulentissimum, cecidit in egestatem.

Difficultas solvitur.

Origo obedientiae ex memoria passionis Christi.

Reprobatio inobedientiae.

Admonitio.

Tertio fuit beata Agnes *amica* propter *sapientiae perfruitionem.* Dices forte: poteris tu bene supersedere de eius sapientia, ne velis eam vestire plumis alienis. — Dicit Ambrosius [5], quod nullus est magister ita contemplativus et exercitativus, qui magis proprie respondisset. Si fuisset discipula Dionysii et audisset hierarchicas dispositiones et habuisset excessus mentales sicut Paulus; satis bene respondit. Nullus est amicus Dei sine sapientia; unde in libro Sapientiae [6]: *Per nationes in animas sanctas se transfert* et *amicos Dei et Prophetas constituit. Neminem diligit Deus, nisi eum qui cum sapientia inhabitat.* Et ideo beata Agnes fuit amica propter sapientiae perfruitionem. *Pulcra es, amica mea,* et *suavis et decora sicut Ierusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata.* Dicit: *sicut Ierusalem.* Quae similitudo est hic? — Dixerunt aliqui, quod anima disponebatur ad beatitudinem, quando in ipsa describebatur universum *esse.* Dicitur in Apocalypsi: *Scribam super eum nomen Dei mei et nomen civitatis Dei mei novae Ierusalem,* id est caelestis hierarchiae, *et nomen meum novum. Nomen meum novum,* id est nomen Christi; unde in Ioanne [7]: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum.*

Tertio, propter sapientiae perfruitionem.

Notandum.

Impossibile est, animam esse beatam, nisi fiat in ea ista triplex descriptio, hic scilicet per *gratiam* et in futuro per *gloriam;* in gratia *sapientiali* propinquissima est anima descriptioni aeternae per *gustum.* Per gustum enim accedit ad illuminationem et per illuminationem accedit ad aeternam stabilitatem. Suavis enim est gustui; Psalmus [8]: *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus;* et in Ecclesiastico: *Transite ad me, omnes, qui concupiscitis me.* Anima tristis et moerens non habet delectationes in se, sed quando gustat, *quam suavis est Dominus,* retrahit se ab exterioribus occupationibus; tunc intrat in cor suum et disponit se tanquam oculus unus (?) ad aeternos splendores; tunc fit *decora* et rapitur in splendorem aeternum. — Si anima videret istud pulcrum pulcherrimum, omnes chordae de mundo non retraherent ipsam ab ipso; et tunc stabilitur anima et sic stabilitur sicut Ierusalem; Psalmus [9]: *Lauda, Ierusalem, Dominum* etc., *quoniam confortavit seras portarum tuarum.* Tunc est impossibile, quod impugnetur; Apostolus: *Quis nos separabit a caritate Christi? An gladius, an persecutio, an mors* etc. *Audite,* inquit, *audientes me, et comedite bonum.* Omnes suavitates corporales non sunt nisi excoriationes et corruptiones bonorum spiritualium. — Agnes, ubi delectaris? Certe in Domino nostro Iesu Christo. *Ecce, tu pulcra es, amica mea; ecce, tu pulcra es.* Nos sumus sicut Ierusalem combusta et dissipata;

Triplex descriptio in anima.

Notandum.

S. Agnes.

Deploratio.

[1] Rom. 12, 2; sequitur Cant. 1, 3.
[2] Phil. 2, 6. seqq.; sequuntur Ioan. 15, 14. et Cant. 5, 1.
[3] Epist. II. Thess. 3, 10; sequuntur Ps. 144, 15. et Iob 20, 14.
[4] Ioan. 14, 31. — Sequitur Sallust., Catilina c. 20.
[5] Cfr. l. de Virginibus, c. 2. n. 8. et c. 4. n. 17. seqq., ubi loquitur de sapientia huius Virginis.
[6] Cap. 7, 27. seq.; sequuntur Cant. 6, 3. et Apoc. 3, 12.
[7] Cap. 17, 3. [8] Psalm. 33, 8; sequitur Eccli. 24, 26.
[9] Psalm. 147, 1. seq.; sequuntur Rom. 8, 35. et Isai. 55, 2.

Ieremias [1]: *Quomodo, Ierusalem, prostrata es?* Qui habet hierarchicas ascensiones non potest audire nec videre nec gustare nisi dilectum, sicut Agnes, quae *ascensiones in corde suo disposuit.* Per sensum tactus sursum fuit attracta et dilecto unita. — Sed impletur in nobis hodie quod dicitur [2] de filiis Israel, qui habebant cibum optimi saporis, et tamen nauseabat sapor eos et desiderabant *pepones, allia* et huiusmodi, quae comederant in Aegypto. Sanctissimum Sacramentum altaris proposuit nobis in cibum, et si anima susciperet istum cibum cum devotione, posset videre mirabilem Dei potentiam, pulcritudinem et bonitatem. Hoc Sacramentum venustat decorem Ecclesiae; quidquid significatur in veteri Lege impletur in isto Sacramento.

Improbatur indevotio ga sacha-ristiam.

Ultima conditio, quare beata Agnes fuit *amica* Christi, est propter *perseverantiae perennitatem;* unde in Proverbiis [3]: *Omni tempore diligit qui amicus est. Qui perseveraverit usque ad mortem hic salvus erit.* In Canticis [4] dicitur: *Surge, amica mea, formosa mea. Iam enim hiems transiit, imber abiit et recessit. — Surge, amica mea,* scilicet, quando anima egredietur de corpore. *Veni de Libano, veni, coronaberis. Iam hiems transiit,* id est difficultas ad bene operandum; *imber abiit,* id est pronitas, quae est ad delicias carnales, quasi dicat: iam non est tempus tentationum, neque est vacandum deliciis carnalibus. *Flores apparuerunt,* scilicet Martyrum. Virgines sunt flores candidi, et Martyres sunt flores rosarum; *circumdabant eam flores rosarum* [5]. — Tu, beata Agnes, es flos candidus et rubicundus; ideo voluit Dominus, quod esses rubicunda sanguine proprio et *varietate* supervestita [6], sicut « capillis fuit tecta », quasi dicat Dominus: Volo te transplantare. Quid tibi cum mundo? Volo, quod habeas ruborem patientiae cum candore pudicitiae; sicut dicitur in Canticis: *Dilectus meus candidus et rubicundus.* Filius Virginis in cruce est rubicundus.

Sarto, propter perseverantiae perennitatem.

Locutio ad Agnetem.

Coniunctio Christi et Agnetis est coniunctio Sponsi et sponsae. Agnes Virgo fuit et Martyr. Sicut perseverantia in bono porta est paradisi, ita perseverantia in malo est porta inferni; si perseveras in bono, in morte pulsas ad portam paradisi. Si essent duo hospitia, unum simile paradiso, aliud simile inferno, et diceretur nobis: in isto recipient vos ministri sicut in paradiso et in alio sicut in inferno; circumspecti essemus, quod non iremus ad malam domum, sed ad domum, ubi essent opes excellentiae et honoris [7]. — Dicit aliquis: Volo vitam, ibo ad contrarium terminum, sed poenitebo. Loqueris, ac si tempus haberes in bursa. Cyprianus [8] exponit, quod in qualibet petitione orationis dominicae petitur perseverantia. Si desistas a cursu, perditus es; unum est. Quia non cito profertur sententia, ideo filii hominum absque ullo timore perpetrant mala, peccant homines et implentur corda eorum malitia. Dicit Dominus: *Ecce, amica mea.* Videamus, si es amicus. Si perseverantiam habes in bono proposito. — Propter oblationem Agnetis Christus multa bona fecit Ecclesiae. Conversa est filia imperatoris et purgata a lepra [9], et data est pax Ecclesiae tempore Silvestri, qui post ipsam fuit. Habent Virgines virtutem nos castificandi; ideo debemus ad ipsas recurrere et implorare ipsarum auxilium. Rogemus Dominum etc.

Ipsa porta inf. et inferni.

Obiectio solvitur.

S. Agnetis fructus pro Ecclesia.

Sermo II [10].

Ecce, tu pulcra es, amica mea. Ecce, tu pulcra es, oculi tui columbarum etc., Canticorum primo [11].

(Prothema). *Quaeramus domino nostro regi adolescentulum virginem, et stet coram rege et foveat eum in sinu suo et calefaciat dominum nostrum regem,* tertii Regum primo.

Prothema.

Ad litteram est verbum servorum David regis; spiritualiter est verbum Angelorum et praedicatorum, qui ea quae concipiunt et vident in luce aeterna, vel meditantur, ea nobis annuntiant et proponunt et curam habent de grege Domini tanquam boni servi, qualiter grex Domini nutriatur et pascatur spiritualiter et reducatur in illam *civitatem* supernam, *Ierusalem caelestem* [12]. Et inter illa quae Angeli boni sive praedicatores dicunt, dicunt, quod *quaerant domino suo regi adolescentulam virginem* etc., id est animam *incorruptam, prudentem* et sensatam et *amorosam* et *contemplativam.* Talem, quando quaesierunt, invenerunt Virginem, scilicet gloriosam. Et post ipsam adductae sunt regi aliae Virgines ad exemplum ipsius, beata Agnes et aliae. Unde et merito pro beata Agnete et aliis utimur verbo proposito. Ista autem Virgo inventa fuit in Ecclesia Dei et proposita aliis in exemplum, quia *incorrupta* fuit et sancta, quia *prudens* et sensata, quia *amorosa,* quia *contemplativa; et calefecit Dominum nostrum Regem,* quia fuit excessivae caritatis. — De ista Virgine debemus cogitare;

[1] Cap. 3, 2; Vulgata: *Vide, ubi non prostrata sis;* sequitur Ps. 83, 6.

[2] Num. 11, 5. — Inferius pro *decorem Ecclesiae* forte legendum *decore Ecclesiam.*

[3] Cap. 17, 17; sequitur Matth. 10, 22.

[4] Cap. 2, 10. seqq.

[5] Vide supra pag. 491, notam 11.

[6] Respicitur Ps. 44, 9; sequuntur Surius, loc. cit. § 8. et Cant. 5, 10.

[7] Respicitur Prov. 8, 18.

[8] Libr. de Oratione dominica; ita sensisse S. Cyprianum, expresse testatur S. August., de Correptione et gratia, c. 6. n. 10. et de Dono perseverantiae, c. 2. n. 4. et c. 21. n. 55. — Sed in textu pro *in qualibet petitione* potius legendum est *in prima petitione.*

[9] Surius, loc. cit. § 15. seq.

[10] Ex cod. Parisiensi n. 16499. fol. 300, de quo cfr. Hauréau, *Notices et Extraits* etc., tom. V. pag. 144-154. Praeter sermones in dicto cod. Bonaventurae ascriptos sunt ibi alii anonymi, eidem tamen S. Doctori tribuendi, inter quos etiam sequens sermo iam indole et sententiis suis Bonaventuram insinuat.

[11] Vers. 14. — Prothema habetur III. Reg. 1, 2.

[12] Respicitur Hebr. 12, 22.

et hoc est valde utile nobis. Ipsa namque fuit incorrupta et sancta, prudens et sensata, ut apparet ex verbis suis; fuit etiam amorosa, quia excessivae caritatis; fuit etiam contemplativa. Et hoc considerare et attendere est utile nobis et ad elidendam *superbiam* nostram. Quid de nobis ipsis praesumimus et nihil facimus, videntes istam iuvenculam tam durum martyrium pro Deo sustinuisse? Et etiam ad excitandam nostram *pigritiam* ad (faciendum) bonum pro Deo. Quis fecit hoc, quod scilicet in tali aetate martyrium passa est, ita prudens et sensata erat et ita prudenter respondebat et ita firma in fide? Certe, hoc fecit gratia Spiritus sancti; et illa nobis non denegabitur a Deo, si nos disponamus ad eam. Si enim eam imitati fuerimus, bene quidem; sin autem, ipsa stabit in iudicio contra nos et dicere poterit: ego iuvencula ita et ita fui, et vos senes et barbati, qui tantum fuistis in saeculo, nihil fecistis. Dicamus igitur: *Pater noster*, quod Deus det nobis invenire talem virginem non solum in libris et quaternis, sed etiam in conscientiis nostris per imitationem, ita quod sit ad eius gloriam et nostram aedificationem et salutem.

Ecce, tu pulcra es, amica mea etc.

Certum est, quod verbum istud est verbum Sermo. Sponsi ad sponsam suam, quamlibet sanctam et fidelem animam, et specialiter potest esse verbum Christi ad sponsam suam Agnetem. Et in verbo isto com- Divisio mendat eam a quatnor, scilicet a sanctitate et *speciositate conversationis*, cum dicit: *Ecce, tu pulcra es;* et a *sinceritate affectionis*, cum dicit: *amica mea*, mihi, supple, spiritualiter et sincero affectu copulata; tertio commendat eam a *serenitate contemplationis*, cum repetit: *Ecce, tu pulcra;* quarto, a *simplicitate intentionis*, cum dicit: *oculi tui columbarum.* Si haec habet anima, iam est Christo conformis et configurata Sponso suo Christo. Et videte, quod anima ista sancta et devota, cui loquitur Sponsus in Canticis, aliquando vocatur *soror*, aliquando vocatur *filia*, aliquando vocatur *sponsa*, aliquando *amica*. Et re vera aliter non est eius amica, nisi sit soror et filia et sponsa. Vocatur igitur primo *soror*. Et si aliae Virgines habuerunt hanc dignitatem, ut essent et dicerentur sorores Christi; recte beata Agnes hanc habuit. Quae enim melius soror Agni quam Agnes vel Agna? Debemus autem intelligere, quod anima sancta dicitur *soror* Christi propter *innocentiae conformitatem; filia*, propter *promptitudinis obedientiam; sponsa*, propter *cohaerentiae indissolubilitatem; amica*, propter *benevolentiae pulcritudinem.*

Pars I. Agnes vocatur soror per innocentiae conformitatem.

1. Et gloriosa Agnes, quare sic nominata? Quia *soror* Agni vere fuit, vere ipsi conformis et similis fuit per *innocentiae conformitatem*. Propter quod dicit ipse Christus in Canticorum ultimo [1]: *Soror nostra parva et ubera non habet. Quid facienus sorori nostrae in die, quando alloquenda est?* Et respondet: *Si murus est, aedificemus super eum propugnacula argentea; si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.* Videte: innocentia in hoc consistit, quod anima, quae vult habere veram innocentiam, in nullo omittat aut transgrediatur aliquid, quod sit praeceptum in lege divina. Unde ista anima, quae nihil omittit agendorum et quae nihil committit aut perpetrat vitandorum, talis anima est, quae conformat et configurat se legibus divinis. Omnes autem leges divinae ad unam legem divinam reducuntur, scilicet ad legem dilectionis. Nam secundum Apostolum: *Plenitudo legis est dilectio*, ad Romanos decimo tertio [2]. *Finis praecepti est caritas de corde puro, et conscientia bona et fide non ficta.*

Tria requiruntur ad hoc.

Illa igitur anima innocens est, quae habet in se illa tria, scilicet cordis *puritatem*, conscientiae *bonitatem*, et fidei *firmitatem*. Haec est soror Agni sine macula, qui Legem implevit. Sic fuit innocens beata Agnes, quia habuit *caritatem de corde puro;* et ideo dicit Dominus de ea: *Soror nostra parva* est *et ubera non habet*, verba scilicet carnalis aut mundialis consolationis; et ex quo talis est, ergo *caritatem de puro corde* habet. — Iterum habuit *conscientiam bonam et fidem non fictam;* quod apparuit, quando petebatur a filio praefecti primo in coniugium suum, in maritale connubium, postmodum ad idolorum cultum. Ibi apparuit, quomodo *fidem veram, non fictam* habebat *et conscientiam bonam*. Propter quod dicit Dominus de ea: *Quid facienus sorori nostrae in die, quando alloquenda est?* supple: a praefecto et eius filio, quando petebat eam. *Si murus est, aedificemus super eum propugnacula argentea.* — Per *murum* intelligo fidem eius fundatam firmiter *super fundamenta Apostolorum* [3], hoc est super duodecim articulos fidei catholicae, editos a duodecim Apostolis [4]. Igitur super hunc murum *aedificavit* Christus *propugnacula argentea*, quia dedit fidem disertissimam et potentem se defendere contra omnes fidei inimicos et adversarios. « Infantia computabatur in annis, sed erat senectus mentis immensa; corpore iuvencula, sed animo cana ». Ita sapienter respondebat, sicut si fuisset doctrix theologiae. Non fuit sua fides ficta, sed vera et firma. — Sed quid super *ostium* responsum est? *Si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis. Ostium*, per quod intratur ad Deum, et per quod venit Deus ad nos et intrat, conscientia sana est et recta. Et ideo dicit Dominus *compingendum tabulis cedrinis*, quae sunt inputribiles, per quod intelligo *conscientiae bonitatem*, quae nihil habet corruptionis, non habet vermem corrodentem. Talem murum et tale ostium habuit beata Agnes; et ideo ipsamet de hoc gloriatur ibidem: *Ego murus, et ubera mea sicut turris* [5]. Ipsa enim habuit *caritatem*

[1] Cap. 8, 8. seq.
[2] Vers. 10; sequitur I. Tim. 1, 5.
[3] Respicitur Eph. 2, 20.
[4] Ivo Carnot., serm. 23. de Symbolo Apostolorum; cfr. Bonav., tom. III. pag. 535. — Sequitur Surius, loc. cit. § 1.
[5] Cant. 8, 10.

de corde puro, conscientia bona et fide non ficta; et ideo vocatur a Christo *soror* propter innocentiae conformitatem. Et bene dicitur Agnes vel Agna, quia soror Agni. Nec verecundatur Agnus habere talem sororem, sed delectatur sua sorore. Utinam animae nostrae sic sint configuratae Agno secundum istam innocentiam, ut velit Christus eas vocare sorores!

II. Secundo vocatur anima sancta *filia;* et hoc propter *obedientiae promptitudinem;* Canticorum septimo [1]: *Quam pulcri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis! — Gressus in calceamentis nihil aliud significant* quam promptitudinem ad obediendum. Quando homines prompti sunt ad hoc, quod non timent nec lapides nec spinas quasi *ferrum et aes*, sic *calceamentum* eorum. Et hoc fit, quando nec propter difficultatem rei faciendae nec propter laborem dimittunt obedire Deo. De ista obedientia dicitur in Psalmo: *Audi, filia, et vide et inclina aurem tuam et obliviscere populum tuum et domum patris tui.* Potissime vult Deus, quod sibi obediamus in tribus, quae tanguntur in adducta auctoritate, ad quae non potest homo attingere, nisi *sit calceatus ferro et aere,* ut nec difficultatem nec laborem timeat; *et intingat in oleo pedem suum,* id est, gratiam habeat. — Revocat nos a *pompositate mundi;* et in hoc vult nos sibi obedire; et hoc est, quod dicitur hic: *Audi, filia, et vide et inclina aurem tuam* etc. *Et obliviscere populum tuum*, hoc est omnem *pompositatem;* quia homines plus volunt honorari circa suos quam inter extraneos; ibi non curant. A quo retrahit, cum dicit: *et obliviscere.* — Item, retrahit nos a *cupiditate* et vult, quod nos obliviscamur omnem cupiditatem; quod tangit, cum dicit: *et domum patris tui.* — Item, omnem *carnalitatem* in hoc, quod dicit: *patris tui;* quasi dicat: non cures de mundi pompositate, de bonorum temporalium multitudine nec de carnali affectione; et tunc eris bene obediens. Sic obedivit Filius Dei Patri suo, ut fieret pauper, humilis et afflictus: contra pompositatem humilis, contra cupiditatem pauper, contra carnalitatem afflictus. Si igitur vis, quod anima tua sit *filia principis,* et quod *pulcri sint in calceamentis gressus tui;* oportet, quod *obliviscaris populum tuum et domum patris tui.* — Et nunquid non audivit beata Agnes istud verbum? Immo; filia enim erat nobilium parentum, unigenita et pulcherrima et debebat hereditare in tota hereditate parentum suorum et etiam debebat semen in domo patris sui conservare, quia unigenita erat. Quid fecit? Omnia contempsit propter Deum, et honorem mundanum et paternam hereditatem despexit, etiam illum qui eam petebat in coniugium, quia erat adhuc nobilior illo genere, qui et multa praesentavit ei, quae ab ea velut stercora recusata sunt [2]. Et dixit: « Discede a me, pabulum mortis, fomes peccati, nutrimentum facinoris, quia iam ab alio amatore praeventa sum ».

Senserat iam maiora et meliora bona, gratia Spiritus sancti edocta et inspirata; et ideo illa quae sibi offerebantur, contemnebat. — Quid igitur dicemus, quando videmus hominem toto desiderio aspirare ad istas iucunditates mundi, anhelare ad divitias et prosperitates, non curantem de bonis spiritualibus et aeternis? Certe, tales non sunt filii Dei vel *filii liberae* [3], sed *filii ancillae,* quaerentes *prudentiam, quae de terra est. Audi* igitur, *filia, et vide* etc., et noli esse filia diaboli, sed filia Dei, filia Iesu Christi. — Ali- qui mirantur de ista Virgine, quomodo ita prudenter loquebatur et respondebat; sed adhuc plus miror, quomodo omnia ita contemnebat *et arbitrabatur ut stercora.* Certum est, quod « magno pondere fixa erat » in fide et dilectione Dei « a Spiritu sancto ».

III. Tertio dicitur anima sancta *sponsa* Christi; et hoc propter *cohaerentiae indissolubilitatem,* quia matrimonium est vinculum indissolubile inter sponsum et sponsam. Ideo convenit ei illud quod Sponsus dicit Canticorum quarto [4]: *Hortus conclusus, soror mea, sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Emissiones tuae, paradisus, malorum punicorum cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo, nardus et crocus* etc. — Quid vult dicere? Vinculum indissolubile, quod est inter sponsum et sponsam, non habet esse inter animam et Christum, nisi concurrant tria, scilicet *incorruptio vitae* et *munditia conscientiae* et *odor bonae famae. Hortus conclusus, soror mea, sponsa,* quantum ad vitae incorruptionem; *fons signatus,* quantum ad conscientiae munditiam; *emissiones tuae, paradisus,* quantum ad bonam famam. — Hortus iste plenus est, amoenus et floridus, et significat talis hortus animam bonae vitae, conscientiae purae et bonae famae, quasi repletam bonarum virtutum odoribus. Quando enim homo malus est vel habet mala in se permixta bonis, tunc non est homo sicut hortus, sed sicut *vinea hominis stulti, quae tota repleta est urticis et malis herbis.* Sed quando in eo nihil est mali et multa bona, tunc est homo *hortus conclusus,* quantum ad *vitam incorruptam; fons signatus,* quantum ad *mundam conscientiam,* quia, sicut aqua fontis de intimo terrae erumpit, de ignoto et inviso loco, sic munditia conscientiae ab intimo venit, quam solus Deus videt et rimatur; quando enim conscientia hominis pura est et munda in oculis divinae Maiestatis, tunc non est homo temeratus aut maculatus per aliquam immunditiam supervenientem. Sed quando cum bona vita et munda conscientia est *honestas famae et bonus odor,* tunc *emissiones* hominis sunt sicut *paradisus.*

Ratio, quare despexit oblata.

B. Agnes.

Pars III. Vocatur sponsa propter cohaerentiae indissolubilitatem.

Requiruntur tria ad hoc.

---

[1] Vers. 1; sequuntur Deut. 33, 25. 24. et Ps. 44, 11.

[2] Respicitur Phil. 3, 8. — De his et seqq. Surius, loc. cit. § 2. seq.

[3] Gal. 4, 31. — Infra respicitur Baruch 3, 23; Breviarii Rom. Antiph. ad Magnificat in II. Vesp. festi S. Luciae.

[4] Vers. 12-14; sequitur Prov. 24, 30.

Boni odores.

Inde veniunt boni odores. Merito possunt tales dicere [1]: *Christi bonus odor sumus.* Ecce, beata Agnes ubique reliquit bonum odorem suum. Tantus fuit odor, qui exivit de ista beata Virgine, quod locum foeditatis, ipsum lupanar, fecit ecclesiam [2]. Quia enim ipsa habuit *vitam incorruptam*, ideo Dominus voluit eam honestare et decorare veste pulcherrima et Angelorum manibus parata, immo etiam densitate capillorum suorum, « ut melius viderctur eorum fimbriis quam vestibus tecta ». Quia *conscientiam* habuit *mundam* et impollutam, ideo locus ille, qui erat ante immundum prostibulum, repletus est immenso lumine, et « quicumque ingrediebatur melior regrediebatur ». *Odor ille* primo « interfecit filium praefecti, qui non dedit honorem Deo, sed veniebat insultaturus puellae ». Ideo habuit diabolus potestatem in eum et suffocavit eum. Sed ista beata Virgo suo bono odore suscitavit eum et de portis inferni revocavit eum ad vitam, et qui prius fuerat blasphemus et immundus, coepit nomen Domini praedicare. Odor suus mortuos vivificabat. — Fuit igitur *sponsa* Christi propter inseparabilitatem cohaerentiae cum Christo; unde et dicebat [3]: « Anulo suo subarrhavit me » Dominus Iesus Christus *et tanquam sponsam decoravit me corona.* Credo, quod ideo Dominus ita cito voluit eam accipere, ut eam sibi illibatam coniungeret et conservaret.

Improbatur homines careales diversi.

Mirum est, quod aliqui sunt iam senes et barbati, et est eis difficile servare castitatem. Videant istam puellam ita fortem et firmam, ut nec donis nec precibus neque minis flecti posset. — Aliqui sunt, qui volunt servare famam suam, sed non vitam, quia in occulto faciunt mala, et videtur sibi, quod non laedatur fama sua. Sed scitis, quod est lepra occultata ad tempus, (quae) postea inficit totum hominem et interius et exterius. Et licet in occulto male vivas, tamen tu es infectus ita, quod foetor tuus pervenit usque ad nares Dei et curiae caelestis. — Aliqui sunt, qui volunt habere *vitam* mundam, nullo modo facerent aliquid inhonestum; sed non curant, quod habeant mundam *conscientiam*, immo habent cor et conscientiam apertam et patulam ad omnes cogitationes malas et omnes imagines; quaecumque vero venit, statim recipitur, nulla repellitur. Et deberet homo malam cogitationem et malam imaginem transverberare et dicere: ad quid venis, quid quaeris in domo ista? Non est hic locus tuus. Non deberet cor aperire talibus imaginibus, sed angelicis et bonis imaginibus. Debet enim homo dicere intra se: quomodo inquinarem cor meum; nullo modo facerem. Nec facit qui vult inseparabiliter cohaerere Christo sicut sponsa sponso suo, non sicut concubina fornicatori.

Horiatio.

Pars IV. Vocatur amica propter pulcritudinem benevolentiae.

IV. Quarto habet anima sancta nomen et rationem *amicae;* et sicut dixi, dicitur *amica* propter *pulcritudinem benevolentiae;* Canticorum quinto [4]: *Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore et cincinni mei guttis noctium.* Nihil est, quod aperiat cor nostrum Deo, nisi benevolentia et desiderium fervens ad ipsum; Psalmus: *Os meum aperui et attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam.* Benevolentia ergo aperit cor nostrum ad susceptionem Spiritus sancti. Et unde habet hanc plenitudinem benevolentiae? A Christo capite. *Aperi* ergo *mihi*, dicit Christus, per desiderium, *et attrahas spiritum* et sis amica mea, *quia caput meum plenum est rore et cincinni mei guttis noctium.* — In quo innuit, quod una est gratia, quam habemus a capite nostro Christo; quod notatur, cum dicit: *caput meum plenum est rore.* Sed multa sunt charismata, dona scilicet et virtutes Spiritus sancti; et haec sunt *guttae noctium*, quasi dicat: per *caput* immittam rorem gratiae, et per *cincinnos* immittam dona omnium charismatum spiritualium. Tali animae configuratae Christo per gratiam et per habitus virtutum et donorum dicit Christus: *Ecce, tu pulcra es, oculi tui columbarum.*

Requiritur ad hoc benevolentia quadruplex.

Et videte: ad hoc, quod plenitudo benevolentiae sit in nobis, necesse est, quod sit benevolentia *conglutinans* per devotionem, *corroborans* per aemulationem, *purificans* per munditiam et incorruptionem, *pulcrificans*, per contemplationem. De primo notandum, quod principalis ratio amoris est, quod est unitivus [5]. Inde est, quod Canticum canticorum, quod est canticum amoris, incipit ab unione: *Osculetur me osculo oris sui* etc. Unitio causat *corroborationem;* unitio et corroboratio *purificationem*, et haec tria causant *pulcrificationem.*

De prima

Primo igitur dicitur anima sancta *amica* Christi propter plenitudinem benevolentiae *coadunantis per devotionem;* Canticorum secundo [6]: *Surge, propera, amica mea, sponsa mea, et veni, columba mea in foraminibus petrae, in caverna maceriae.* Alloquitur Christus animam fidelem, sponsam suam, specialiter beatam Agnetem, quod *surgat et properet et veniat in foramina petrae et in cavernam maceriae.* Quae sunt ista? *Petra erat Christus,* dicit Apostolus [7]. Plagae Christi sunt *foramina petrae, et caverna maceriae,* Agni vulnera. Invitat ergo eam, ut ista visitet et de istis cogitet et ibi immoretur. Istud bene faciebat beata Agnes; unde ipsa dicebat: « Sanguis eius ornavit genas meas ». O beata Virgo! nbi accepisti et hausisti sanguinem istum? Agni nomen saepe recolendo, passionem et plagas Christi. Ibi morabatur, de his meditabatur et deosculabatur vulnera eius ex devotione. Et ex hoc dicit genas suas ornatas. Devotio enim ita facit, quod recolligit animam,

---

[1] Epist. II. Cor. 2, 15.
[2] Surius, loc. cit. § 9. 8. 10.
[3] Surius, loc. cit. § 3. — Dein respicitur Isai. 61, 10.
[4] Vers. 2; sequuntur Ps. 118, 131. et infra Cant. 4, 14.
[5] Vide Bonav., I. Sent. d. 10. dub. 1. et 4; sequitur Cant. 1, 1.
[6] Vers. 10. 14.
[7] Epist. I. Cor. 10, 4; infra respicitur Cant. 4, 9. — Sequitur Surius, loc. cit. § 3.

sicut ignis comburens diversa ligna colligit ea in cineres. In plagis Christi commorabatur et requiescebat beata Virgo, sic a Christo excitata et vocata; unde dicebat ibidem ei Christus [1]: *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis et facies tua decora. — Ostende mihi faciem tuam,* superiorem portionem rationis, in qua relucet imago mea et similitudo [2], in qua etiam est devotio sive vivificatio devotionis. Sic fecit beata Agnes.

Cura invocatos. — Et tu miser, quid facis? Tu, de quo cogitas? Et mane et vespere deberes cogitare de passione et plagis Christi, quantum pro te sustinuit, et tu non cogitas nisi de truffis. *Sonet vox tua in auribus meis,* vox scilicet laudis, qua laudatur Deus in Ecclesia et de die et de nocte. *Surge* ergo, noli dormire, cum debes Deum laudare, sicut faciunt illi qui dormiunt tota nocte. *Propera* et vade ad Agnum, Christum, cogitando de plagis eius et de sanguine eius effuso pro te. Mihi videtur, quod homo, qui non emollitur sanguine Christi, durior est lapide. Ipse *mortuus est propter peccata* tua [3]; et tu ex hoc non emolliris ad compassionem, devotionem et poenitentiam? Durior es lapide.

Secunda. Secundo dicitur *amica* propter plenitudinem benevolentiae *corroborantis per aemulationem.* Ita dicit Sponsus in Canticorum primo [4]: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea.* Legitur in Exodo, quod in exitu filiorum Israel de Aegypto *respexit Dominus super castra Aegyptiorum, et subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum.* Qui non respicit per quandam aemulationem *super currus Pharaonis,* hoc est diaboli, omne malum et in se et in alio detestando, non est amicus Dei. Non enim ferventer et bene diligit bonum qui non odit malum, et qui non vult pro posse suo exterminare omne malum et in se et in alio. Et anima illa, quae hoc facit, est amica Dei; et haec aemulatio reddit animam fortissimam; Canticorum ultimo [5]: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio;* quia, sicut *infernus* nemini peccatori parcit, sic nec aemulatio alicui malo parcit, sed omne malum detestatur et exterminat; Canticorum primo: *Pulchrae sunt genae tuae sicut turturis.* — « *Turtur* nunquam dimittit comparem suum, et si comparem illum amittat, nunquam alii iungitur ». In quo significatur sollicitudo et fervens amor, quam debet habere anima fidelis ad Sponsum suum, sicut ipsemet habet ad sponsam suam, quia zelotype diligit eam. Ipse enim est *Deus zelotes* [6].

Tertia. Tertio vocatur *amica* propter plenitudinem benevolentiae *purificantis per incorruptionem;* Canticorum secundo [7]: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Anima corrumpitur et immunda efficitur per *petulantiam* carnis; lasciva est *impatiens.* Diabolus enim mundus non est, licet petulantiam carnis non habeat, quia habet *impatientiam.* Utrumque igitur oportet habere: et munditiam contra petulantiam et patientiam contra impatientiam. Et hoc notatur in lilio. Nam *lilium* habet candorem munditiae et levitatem patientiae. *Spina* autem habet contrarium, quia est nigra sive obscura et pungens; et significat homines immundos et contentiosos sive impatientes. Deberent tales proiici in ignem, ut comburerentur. — Beata Agnes habuit carnis et animae munditiam sive castitatis candorem, ut dictum est, et etiam patientiae levitatem; unde nec per ignem nec per gladium trahi potuit ad impatientiam nec per prostibuli immunditiam potuit foedari nec corrumpi. Bene erat conformis Sponso suo, Agno, qui fuit mundus et patiens. — Sed videte, quod aliqui volunt configurari Christo nascenti per munditiam, non autem Christo patienti et morienti per patientiam; volunt ei assimilari, ut portatur in brachiis Matris, non ut pependit in patibulo crucis. Agnus natus ex Virgine reddit me castam, patiens in cruce reddit me, id est reddere debet, patientem. S. Agnes. Contra quosdam.

Tandem *amica* dicitur fidelis anima, specialiter beata Agnes, propter plenitudinem benevolentiae *pulcrificantis per contemplationem;* Canticorum quarto [8]: *Tota pulcra es, amica mea, tota pulcra es, et macula non est in te.* Anima contemplativa, quae Deum videt in contemplatione, tota pulcrificatur. Et num potuit ista beata Virgo ita iuvencula et illibata pertingere et pervenire ad contemplationem Dei? Certe sic. Videte: creditis vos, quod homo per scientias istas ascendat in contemplationem Dei? Certe, sine divini luminis illustratione non potest. — Unde sicut de nocte candelae multae accensae non possunt tibi ostendere solem, sed unus radius solis tibi ostendit eum; sic nec istae scientiae ostendunt tibi verum Solem; sed una irradiatio et illustratio ipsius. Hoc radio fuit illustrata beata Agnes, et posuit eam Christus in Ecclesia sua quasi unum magnum lumen vel luminare ab ipso illuminatum. Unde potest ei dicere: *Ecce, tu pulcra es, amica mea, ecce, tu pulcra es,* quia tu es tota pulcrificata per illustrationes et splendores illos, quos tu percepisti in contemplatione. De quarta. Notanda similitudo.

Contemplatio autem habet quatuor, quia est *serena, secreta, excelsa* et *iucunda.* Et tantum habet anima de pulcritudine, quantum habet de illuminatione et irradiatione divinae sapientiae. — Dico igitur, quod anima pulcrificatur per contuitum contemplationis *serenae,* considerando ista exteriora cum Quatuor conditiones contemplationis. De prima.

---

[1] Cant. 2, 14.
[2] Cfr. Bonav., l. Sent. d. 3. p. II. a. 1. q. 1. et 2.
[3] Respicitur I. Petr. 3, 18.
[4] Vers. 8. — Cfr. sermo praecedens. — Sequitur Exod. 14, 24. seq.
[5] Cap. 8, 6; vide Collation. in Hexaëm. collat. 2. n. 18. — Sequitur c. 1, 9.
[6] Respicitur Exod. 20, 5.
[7] Vers. 2.
[8] Vers. 7; sequitur c. 1, 14.

quadam serenitate, ut per ea ascendat in suum Creatorem; unde in Canticis [1] dicitur: *Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* Anima enim sancta in contemplatione serena considerans exteriora secundum statum legis naturae, Legis scriptae, legis gratiae et secundum statum finalem, sic *progreditur* et sic diversimode nominatur, quia, quantum ad statum legis naturae considerans exteriora, dicitur *quasi aurora consurgens;* quantum ad statum Legis scriptae, dicitur *pulcra ut luna;* quantum ad statum legis gratiae, dicitur *electa ut sol;* quantum ad statum finalem, dicitur *terribilis ut castrorum acies ordinata.*

De conditione secunda.

Alia est pulcrificatio animae per contemplationem *arcanam* considerando interiora sua, et quando est ad interiora collecta. Unde in Canticis [2] dicit Sponsus de ista pulcritudine: *Pulcra es, amica mea, suavis et decora sicut Ierusalem;* in qua sunt novem ordines Angelorum, et ipsa habet novem genera habituum: gratiam, virtutes, dona, beatitudines etc. — Item, nunc exercet se in actu primi ordinis Angelorum, modo in secundo et usque ad ultimum. Qui est exercitatus in psalterio, statim, cum traditur ei, potest illud tangere musice; qui non est, tradas ei, nescit eo uti; sic est de istis.

De tertia.

Tertio dicitur amica pulcra contemplatione *excelsa,* quando fertur superius per contemplationem in illa caelestia et aeterna bona; in Canticis [3]: *Quam pulcra es et quam decora, carissima in deliciis! Statura tua assimilata est palmae* etc. Et est mirabile de palma respectu aliarum arborum, quod aliae arbores sunt pyramidales, grossae circa radicem et graciles supra; sed palma grossior est circa ramos quam circa radicem. Sic anima, secundum quod altius fertur per contemplationem, tanto est virtuosior. O quantae pulcritudinis est anima, quae de foris est ascendens in ipsum per contemplationem istam excelsam. Quanto enim spiritus nobilior est corpore, tanto speculum repraesentans illam artem aeternam pulcrius est omni alio speculo et omni pulcritudine corporali.

De quarta.

Quarta est pulcritudo contemplationis *iucundae;* et haec est consummatio, quia iam est extra omnia alia et extra se. Tunc sublevatur in quandam admirationem et iucundam exsultationem; Canticorum quarto [4]: *Quam pulcrae sunt mammae tuae, soror mea, sponsa* mea! *Pulcriora sunt ubera tua vino, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* Quando enim anima iam *introducitur in* illa *cellaria* Dei, divinarum scilicet iucunditatum, adeo impletur et inebriatur, quod omnes sensus eius quasi absorbentur et retunduntur: visus, a claritate immensa; gustus, a dulcedine; ita quod anima tota absorbetur ab illo gaudio [5]. Ad istud nullus potest pervenire nisi per virtutem orationis; Psalmus [6]: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo;* et in Canticis: *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.* Oportet ergo, quod homo, qui sic per contemplationem in Deum vult ascendere, quod mortificet se ipsum et sit in continua oratione.

Quia igitur beata Agnes erat tota mortificata in se ipsa per omnium carnalium rerum et desideriorum ablicationem; quia etiam erat continue in devota oratione: ideo erat sublevata sic in contemplatione, in qua delectabatur et iucundabatur, in qua etiam pulcrificabatur ex aspectu luminis superni. Unde et merito poterat ei dicere Sponsus eius Christus: *Ecce, tu pulcra es, amica mea* etc. *Pulcra,* non ad oculum corporalem, sed spiritualem. Ad hanc pulcritudinem perducat nos Christus, Sponsus animarum. Amen.

DE SANCTO VINCENTIO MARTYRE (22 Ian.).

Sermo [7].

Similis factus est leoni in operibus suis, et sicut catulus leonis rugiens in venatione etc., primi Machabaeorum tertio [8].

Introductio.

Verbum istud dictum fuit in laudem strenuissimi militis, Indae Machabaei, in tempore Legis Indaicae, qui inter ceteros milites gloriosam laudem obtinuit propter victoriam; et potest comparari beato Vincentio, qui in tempore gratiae propter victoriam suam obtinuit laudem. Et commendatur a virtute animi quantum ad duo, quia virtus animi in duobus consistit: in *agendo* et *sustinendo.* Unde ille qui virtuose operatur et virtuose triumphat, debet dici *virtuosus.* Ideo primo commendatur beatus Vincentius ab *operibus,* cum dicitur: *Similis factus est leoni;* secundo, a *virtutis strenuitate* et stabilitate in constantia, cum dicit: *catulus leonis rugiens in venatione.* Et licet leo propter atrocitatem et rapacitatem insinuet nobis adversarium nostrum, de quo dicitur primae Petri quinto [9]: *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens* etc.; tamen nobis designat istum gloriosum Martyrem Vincentium. Et nota, quod leo habet *magnanimitatem in aggrediendo, viriliatem in progressu* vel progrediendo et *virtuositatem in perficiendo* vel assequendo. Et quia ista tria

---

[1] Cap. 6, 9.
[2] Cap. 6, 3.
[3] Cap. 7, 6. seq.
[4] Vers. 10; deinde respicitur c. 1, 3.
[5] Cfr. Itinerar. mentis in Deum, Prologus n. 4. et c. 7. n. 6.
[6] Psalm. 140, 2; sequitur Cant. 4, 11.
[7] Ex eodem codice ut sermo praecedens fol. 302 r. Schema huius sermonis invenitur etiam in cod. biblioth. Monac. n. 8739. fol. 118 v., ubi 29 schemata sermonum S. Bonaventurae recensentur.
[8] Vers. 4. [9] Vers. 8.

habuit beatus Vincentius, ideo *similis factus est leoni*. Et hoc primo propter *magnanimitatem* in expugnatione adversantium; secundo, propter *virilitatem* in perpessione difficilium; tertio, propter *virtuositatem* in assecutione palmarum.

Divisio.

Pars I. Magnanimitas in expugnatione adversantium.

I. Primo, propter *magnanimitatem* in expugnatione adversantium; et propter hoc scribitur in Proverbiis [1]: *Leo, fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum.* Natura leonis est, ut nullum timeat et ab omnibus timeatur; et sicut leo occurrit bestiae ad devorandum, sic peccata occurrunt nobis ad occidendum et devorandum. Contra istas bestias pugnavit beatus Vincentius; et hoc nobis significatur in Apocalypsi: *Draco ille* id est *serpens antiquus*, id est diabolus, habebat *septem capita*, scilicet septem capitalia vitia, quibus impugnat diabolus mundum; contra quem pugnavit beatus Vincentius. Primum caput vel prima fera est superbia; secunda, invidia; tertia, iracundia; quarta, accidia; quinta, avaritia; sexta, gula; septima, luxuria. Haec sunt septem capita diaboli, quibus nos intendit devorare et sibi incorporare. Superbia appetit sublimitatem; invidia, praeclaritatem; iracundia, victoriam; accidia, otium; avaritia, abundantiam; gula, satietatem vel saturitatem; luxuria, delectationem. Iste serpens occultis utitur insidiis; et ideo, si quis ad modum ovis se habeat, statim devorabitur. Ideo oportet, nos habere faciem leoninam et virtutem leoninam; ideo dicitur: *Leo, fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum.* Fortitudo enim animat ad vincendum. Et sciendum, quod debemus habere fortitudinem triplicem, scilicet *fidei*, *spei* et *caritatis*, ad hoc, ut possimus ista superare.

Hortatio.

2. Vincendos contra capita draconis.

Fortitudo triplex.

Et notandum, quod *fides* docet nos tria *considerare*: primo *supplicia* peccatorum, propter quae in inferno ardebimus; secundo, *deformitates*, quas propter peccata incurrimus; tertio, *virtutes*, quas propter peccata perdidimus. Et ex hoc triplex formido magna debet surgere: prima, ex timore et horrore *suppliciorum*; secunda, ex horrore *deformitatum*; tertia, ex amore *virtutum*. Haec tria habuit beatus Vincentius; ideo fuit sicut *leo fortissimus*, quia, istis armatus, *ad nullius* angustiae nec tribulationis *pavebat occursum*. — Nos [2] videmus, quod placet homini sublimitas, quam appetit superbia; praeclaritas, quam appetit invidia; victoria, quam appetit iracundia; otium, quod appetit accidia; abundantia, quam appetit avaritia; saturitas, quam appetit gula; delectatio, quam appetit luxuria. — Sed videamus, quae sequuntur ad haec omnia. Ad superbiam sequitur aeterna deiectio; ad invidiam, obtenebratio; ad iracundiam, aeterna perturbatio; ad accidiam, aeterna tabefactio; ad avaritiam, sempiterna egestas; ad gulam, sempiterna esuries; ad luxuriam, sempiterna inflammatio et horror sempiternus. Si ergo diabolus, qui est crudelis bestia, dicat tibi: bona est sublimitas; bonum est, quod tu sis super alios, et sic de aliis vitiis; tu debes dicere: non est. Si tu vis honorari, in aeternum deiectus eris; si vis praeclarus esse, obtenebratus eris; si victoriosus existere, in aeternum perturbaberis; si otiosus, tabefactus eris; si delectabilis, aeternaliter cruciaberis. — Haec est prima facies leonis, et quia multi non habent faciem leoninam, ideo cadunt in superbiam, invidiam etc. Et ob hoc deiiciuntur in infernum, ubi dira tormenta patiuntur. Ideo dicitur in Apocalypsi [3]: *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum* etc. Haec est prima consideratio fidei, quam debemus considerare.

Fortitudo dei ex triplici consideratione.

Considerationis suppliciorum.

Hortatio.

Secunda consideratio fidei est considerare *deformitatem*, quam incurrimus per peccatum, et ista deformitas non potest explicari nisi sub metaphora. *Superbia* enim facit hominem daemoniacum, quia, sicut daemoniacus non habet potestatem sui, sic neque superbus. *Invidia* facit hominem leprosum, quia, sicut lepra inficit hominem, sic actus invidiae infectorius est et inficit. *Ira* facit hominem febricitantem, quia ira est accensio sanguinis circa cor, ex quo febris oritur et provenit. *Accidia* reddit hominem paralyticum, quia sicut homo paralyticus inutilis est propter pigritiam. *Avaritia* reddit hominem hydropicum, quia semper sitit divitias nec unquam potest satiari. *Gula* reddit hominem cruentatum et sanguifluum [4]. Quid est ergo hoc, vel quid potest esse, quod homo sit daemoniacus, leprosus et febricitans, paralyticus, hydropicus, inflatus et cruentatus, cum hoc est horribile, immo horribilissimum et absurdum audire? — Si ergo istae infirmitates timentur in corpore, ergo multo fortius in anima horrendae sunt. Si aliquis apportaret mihi febrem, ego fugerem, quam citius possem; vel aliquam istarum infirmitatum. Et tu, miser homo, quid facis? Quomodo una sola hora audes tu morari in istis pessimis et mortalissimis infirmitatibus? Quia, si in corpore timentur, multo fortius in anima debent timeri.

Considerationis deformitatum.

Tertia consideratio fidei est, quando considerat *virtutes*, quas amisit. Superbus enim amittit humilitatem; invidus, laetitiam; iracundus, mansuetudinem; accidiosus, strenuitatem, scilicet in opere; avarus, liberalitatem; gulosus, sobrietatem; luxuriosus, castitatem. Istis enim indumentis, scilicet humilitate, laetitia, mansuetudine etc., debet indui anima. Vis tu igitur, miser homo, assimilari diabolo et indui istis vilibus vestimentis, quae sunt superbia, invidia etc., et spoliari istis gloriosis: humilitate, laetitia, mansuetudine etc.? Qui igitur videt ista, quomodo

Considerationis virtutum.

---

[1] Cap. 30, 30; sequuntur Apoc. 20, 2. et 12, 3.

[2] Praefigendum videtur: Prima consideratio est suppliciorum. Dein ante *homini* substituimus *placet* pro *placrum*.

[3] Cap. 18, 7.

[4] Deest luxuria. Forte legendum: *Gula reddit hominem inflatum, et luxuria reddit hominem cruentatum et sanguifluum.*

habet cor peccandi? Ideo debemus habere faciem leoninam contra ista; et hoc per fidem, quia *haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra*, primae Ioannis quinto [1]. Unde non debemus habere cor leporinum, sed cor viri, id est virtuosum. Haec est prima similitudo leonis.

II. Secunda similitudo leonis est propter *virilitatem in perpessione difficilium;* in Proverbiis [2]: *Fugit impius, nemine persequente; iustus autem quasi leo confidens absque terrore erit.* Carissimi, scitis, quid homo timet et qua ratione timet? Hoc est, quia non habet stabilitatem neque confidentiam. Unde haec est ratio, quia non habet faciem leonis in confidentia. Iste gloriosus Martyr Vincentius habuit faciem leonis, quia habuit confidentiam. — Sed quid est illud quod facit hominem confidentem? Certe, *spes;* ad Romanos octavo: *Quis nos separabit a caritate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius?* O qualis fiduciae, o quantae confidentiae erant illi Apostoli sic dicentes! — Sunt enim septem, quae timet homo, quae tanguntur in ista auctoritate. Timet homo *mundiales insidias*, quae tanguntur, cum dicitur *tribulatio*, quia ex metu tribulationum multi deficiunt; secundo timet *internas angustias*, cum dicit *angustia;* tertio, *exteriores pugnas*, cum dicit *periculum;* quarto, *corporales inedias*, cum dicit *fames;* quinto, *temporales inopias*, cum dicit *nuditas*, scilicet defectus omnium rerum; sexto timet *discriminosa pericula*, cum dicit *persecutiones;* septimum est, quod timet homo, *dolorosa tormenta*, cum dicit *gladius*. Ista non timuit beatus Paulus, ista non timuit beatus Vincentius. Haec omnia non timentur nisi propter ultimum, scilicet propter tormenta. — Propter tormenta non fugit iste bonus leo, Vincentius, sicut patet in Legenda sua [3], quia contra tyrannum loquebatur habentem gladium in manu paratum ad interficiendum. Unde, quando vulneratus fuit et corpus undique laceratum; tunc quaesivit tyrannus ab eo: « Vincenti! Ubi est tuum miserabile corpus »? Et ipse respondit: « In sublime agor »; et postea dixit: « Hoc est quod semper optavi ». Iste fuit bonus leo et fortissimus et audax. Avicenna [4] dicit, quod quando leo est in saltu et videt venatores venientes, tenentes arcum in manibus, ipse declinat et defigit oculos in terram, ne timeat eos; sic iste leo caelestis, beatus Vincentius, respiciebat in caelum, ne timeret ad occursum istorum tyrannorum. Unde sicut fides faciebat eum fortem ad magnanimitatem in expugnatione adversantium, sic spes faciebat eum fortem ad virilitatem in perpessione difficilium.

Pars II. Virilitas in perpessione difficilium.

Fortitudo spei.

Haec est contra septem, quae timentur.

B. Vincentius.

Et nota tres *utilitates spei*. Prima est *remissio culpae* sive peccatorum; secunda est *accumulatio virtutum;* tertia, *(praemium) fortitudinis.* — (Quoad primum nota [5]) si aurum haberet animam et indigeret purgatione, nonne vellet, quod poneretur in igne et quod purgaretur? Certe sic; et tu, homo miser indiges purgatione, quare non ponis te in igne tribulationis et poenitentiae et abstinentiae, ut purgeris? Ideo dicitur Ecclesiastici secundo [6], in principio: *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in iustitia et timore et praepara animam tuam ad tentationem. Deprime cor tuum.* — Secunda utilitas est *accumulatio virtutum*, de qua accumulatione secundae Petri primo: *Ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem.* Hoc est, quod habetis in Evangelio: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Si *granum frumenti* haberet animam et sciret, quodsi poneretur in terra, quod multiplicaretur, libenter vellet poni in terra et mortificari, ut multiplicaretur. Sic beatus Vincentius voluit mortificari et conteri et flagellari, ut multiplicaretur in horreo caelesti. — (Tertia utilitas est *praemium fortitudinis* [7],) attendendo illud quod dicit Apostolus secundae ad Corinthios quarto [8]: *Id enim, quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis.* Et ideo dicit Gregorius: « Consideratio praemii minuit vim flagelli ». Et hoc est quod dicitur in Canonica Petri [9]: *In quo exsultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus, ut probatio vestrae fidei multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, inveniatur in laudem et gloriam et honorem in revelatione Iesu Christi.* Unde si volumus esse participes in regno, et debemus esse consortes in poena, quia, *si compatimur, et conregnabimus* [10]. Si aliquis miles esset in bello et in tempore necessitatis a conflictu et pressura ictuum fugeret et post conflictum rediret et vellet habere honorem et pretium totius belli, certe ipse esset stultus, et (hoc) pro magna temeritate reputaretur. Tu ergo vis habere coronamin caelo, sicut sancti Apostoli et Martyres, de quibus ad Hebraeos undecimo: *Alii distenti sunt,*

Spei utilitas prima.

Secunda.

Tertia.

---

[1] Vers. 4. [2] Cap. 28, 1; sequitur Rom. 8, 35.

[3] Vide Surium in hunc diem, qui sequitur Metaphrasten, § 3. seqq., ubi invenies etiam ea quae infra narrantur.

[4] Apud Avicennam quae hic narrantur non invenimus. Vide tamen Isidor., XII. Etymolog. c. 2. n. 3, ubi dicit: « Septi a venatoribus terram contuentur, quo minus conspectis venabulis terreantur ».

[5] Supplevimus verbum *praemium* et dein *Quoad primum nota*.

[6] Cap. 2, 1. seq.; sequuntur II. Petr. 1, 5. seq. et Ioan. 12, 24. seq.

[7] Addidimus: *Tertia utilitas est praemium fortitudinis.*

[8] Vers. 17. — Sequens Gregorii locus colligitur ex X. Moral. c. 16. n. 32. Cfr. etiam ibid. VI. c. 22. n. 39; VIII. c. 8. n. 14. et IV. c. 13. n. 16.

[9] Epist. I. c. 1, 6. seq.

[10] Respicitur Epist. II. Tim. 2, 12; deinde sequitur Hebr. 11, 35-37.

non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem. Alii vero ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti etc. Isti habuerunt faciem leoninam.

Pars III. Virtuositas in assecutione palmarum.

III. Tertia similitudo leonis propter *virtuositatem in assecutione palmarum*. De leone nostro, Iesu Christo, qui fuit princeps Martyrum [1], qui fuit mortuus et crucifixus pro nobis, dicitur in Apocalypsi: *Ecce, vicit Leo de tribu Iuda aperire librum et solvere septem signacula eius.* Iste beatus Vincentius similis factus est Leoni, qui *aperuit librum.*

Septem regnia promissa.

Et notandum, quod Dominus promittit ei qui vicerit, septem *praemia*. Primum est *aeternitas;* secundum, *corona gloriae;* tertium est *satietas;* quartum, *potentia* vel potestas; quintum, *pulcritudo* sive venustas; sextum, *sapientia;* septimum, *tranquillitas.* — Primum ergo est *aeternitas,* quod significatur Apocalypsis secundo [2]: *Vincenti dabo edere de ligno vitae, quod est in paradiso Dei mei;* in quo notatur aeternitas. — Secundum est gloria sive *corona gloriae;* et hoc significatur, cum dicitur Apocalypsis secundo: *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae,* scilicet aeternae, in qua notatur gloria. — Tertium est *satietas,* quod significatur, cum dicitur Apocalypsis secundo: *Vincenti dabo manna absconditum,* in quo notatur satietas; Sapientiae decimo sexto [3]: *Paratum panem de caelo praestitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem et omnis saporis suavitatem.* — Quartum est *potentia* sive potestas; de quo dicitur Apocalypsis secundo: *Dabo illi,* scilicet vincenti, *potestatem super gentes, et reget eas in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringentur.* — Quintum est venustas sive *pulcritudo;* de qua Apocalypsis tertio: *Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis,* in quo notatur venustas, munditia et pulcritudo. — Sextum est *sapientia;* de qua dicitur Apocalypsis tertio [4]: *Et scribam super eum nomen Dei mei et nomen meum novum;* et hic nihil alind est *habere* istud *nomen novum* quam habere notitiam divinam et humanam. — Septimum est *tranquillitas* aeterna; de qua Apocalypsis: *Dabo ei sedere mecum in throno meo.* — Ista septem non videmus modo; sed quando vicit beatus Vincentius, tunc vidit ea, et apertum est ei caelum, sicut beato Stephano, Actuum septimo [5]. Unde omnia ista assecutus fuit post victoriam; ideo de isto posset dici illud Genesis quadragesimo nono: *Ad praedam ascendisti, fili mi, requiescens accubuisti ut leo.* Ipse *ascendit ad praedam,* quando ascendit ad equuleum — quia positus fuit in equuleo — ad illam aeternitatem, ad illam caelestem gloriam. *Requiescens accubuisti ut leo.* Unde *accubitus?* Scilicet in morte. Unde triumphavit et in aëre et in terra. — O carissimi, quando videbimus eum in gloria, tunc dicemus: quare non sustinuimus sicut iste? O quam miseri sumus; quare non restitimus, ut possimus habere victoriam?

Notandum.

Hortatio.

Caritas dat victoriam.

Haec autem victoriam dat *caritas.* Unde, sicut *fides* faciebat eum fortem propter magnanimitatem in expugnatione adversantium, et *spes,* propter virilitatem in perpessione difficilium; sic *caritas* faciebat ipsum *fortem propter virtuositatem in assecutione palmarum.* Ideo debemus ad eius exemplum habere caritatem. Unde debemus amare *Deum* aeternum, verum et gloriosum, *Christum* crucifixum et *salutem animarum* nostrarum. — Qui non amat *salutem animae* suae non timet nec plagas (?) in corpore? Ego video, quod quando infirmatur aliquis, non audet comedere nisi sana cibaria, non audet bibere vinum, tot patitur abstinentias pro corpore, quod cito deficit et pulverizatur et transit. Quanta ergo debet pati pro anima nunquam moritura! — Item, debemus amare *Christum* crucifixum et eius plagas in corde portare et inspicere, ut animemur ad tormenta sustinenda, quia, sicut dicitur primi Machabaeorum sexto [6], *elephantis ostenderunt sanguinem uvae et mori,* quia, sicut elephas animatur ad bellum, quando videt sanguinem, quia est animal fastidiens sanguinem, sic nos, eius membra, passione ipsius debemus inflammari ad eius amorem. — Debemus etiam amare *Deum* verum, gloriosum, aeternum, qui triumphat in caelis, ut possimus cum ipso triumphare in illa aeterna gloria, ad quam nos perducat qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Tria amanda.

Sains animae.

Christus crucifixus.

Deus gloriosus.

DE SANCTA AGATHA VIRGINE ET MARTYRE (5 Febr.).

Sermo [7].

Fortitudo et decor indumentum eius, et ridebit in die novissimo, Proverbiorum ultimo [8].

Spiritus sanctus in verbis istis de muliere forti scriptis commendat et extollit beatam Agatham: ab *informatione virtutis gratificantis,* ibi: *Fortitudo et decor indumentum eius;* et a *certitudine* sive tentione *salutis beatificantis,* ibi: *et ridebit in die novissimo.*

Divisio.

I. Circa primum nota, quod beata Agatha fuit contra *daemones virtuosa;* habuit enim contra daemones et tyrannos fortitudinem *veritatis* et sapientiae;

Pars I. Contra daemones virtuosa triplici fortitudine.

[1] Vide August., Enarrat. in Ps. 62. n. 3. — Sequitur Apoc. 5, 5. [2] Vers. 7; sequuntur v. 10. et 17.
[3] Vers 20; sequuntur Apoc. 2, 26. seq. et c. 3, 5.
[4] Vers. 12; sequitur v. 21.
[5] Vers. 55; sequitur Gen. 49, 9.
[6] Vers. 34.
[7] Sumtum est hoc schema ex cod. Parisiensi B fol. 104.
[8] Vers. 25.

tertii Esdrae quarto [1]: *Veritas fortior est prae omnibus; et manet et invalescit in aeternum et vivit et obtinet in saecula saeculorum.* — *Caritatis* et benevolentiae; Canticorum ultimo: *Fortis est ut mors dilectio* etc. — *Sinceritatis* et munditiae; Proverbiorum ultimo: *Accinxit fortitudine lumbos suos* etc.

Coram Angelis speciosa in triplici stato.

Coram *Angelis speciosa:* in sua *creatione,* quando accepit imaginem divinae essentiae; Ezechielis decimo sexto [2]: *Dedi coronam decoris in capite tuo.* — In sua *reformatione,* quando accepit similitudinem divinae influentiae; Psalmus: *Concupiscet rex decorem tuum* etc. — In sua *glorificatione,* quando accepit deiformitatem aeternae gloriae; Baruch: *Indue te decore et honore eius, quae a Deo tibi est sempiternae gloriae.*

Inter homines gratiosa triplici praerogativa.

Inter *homines gratiosa:* propter *evidentiam virtutum;* Iob vigesimo nono [3]: *Iustitia indutus sum, et vestivi me sicut vestimento et diademate iudicio meo.* — Propter *sapientiam sermonum;* Ecclesiastici decimo quinto: *In medio ecclesiae aperiet os eius et adimplebit illum* Dominus *spiritu sapientiae et intellectus et stola gloriae vestiet illum.* — Propter *elegantiam morum;* ad Colossenses tertio: *Induite vos sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem et donantes vobismetipsis* etc.

Pars II. De dio novissimo.

II. Quantum ad secundum sequitur: *et videbit in die novissimo.* — Iste *dies novissimus,* licet intelligatur pro die suae glorificationis, potest tamen verus intelligi pro die extremi examinis, qui dicitur *novissimus: dierum terminatione, operum remuneratione,* in quo quidem die *videbit* de *malorum prostratione,* de *bonorum sublimatione.*

DE SANCTO MATHIA APOSTOLO (24 vel 25 Febr.).

Sermo 1 [4].

Tu, Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum, Actuum primo [5].

Introductio.

Describitur hic excellentia beati Mathiae in forma apostolicae electionis, qua electus fuit in Apostolum, non solum secundum humanam approbationem, sed etiam secundum divinam inspirationem, Apostolorum principe approbante et interpellante; quod bene *praedixit Spiritus sanctus per os David* [6] prophetae: *Posui,* inquit, *adiutorium super potentem et exaltavi electum de plebe mea.* — *Potens* iste est Apostolorum princeps, qui et accepit plenitudinem potestatis. *Electus* iste *exaltatus* est Mathias Apostolus, qui dicitur *exaltatus* per *potentis adiutorium,* non mandatum, quia Petrus Mathiam non immisit, non introduci curavit, sed Spiritus sanctus ad interpellationem Petri, quam ipse porrexerat, cum ait: *Tu, Domine, qui* etc. In qua interpellatione tria insinuantur: primum est *invocatio Maiestatis,* cum dicitur: *Tu, Domine;* secundum, *protestatio veritatis,* cum subditur: *qui corda nosti omnium;* tertium, *imploratio pietatis,* cum subinfertur: *ostende quem elegeris.* Nam dominum spectat ad *maiestatem;* notitia, ad *veritatem;* sed gratia eligens, ad *pietatem.* Et recte haec tria simul iunguntur; quia, cum Divinitatis opera sint indivisa [7], potissime relucet Trinitatis vestigium per excellentiam in praelatis. Nam in eis qui rite sunt electi, manifeste apparere debet *auctoritas officii* et *veritas iudicii* et *sanctitas animi.* Primum potest appropriari Patri; secundum, Filio; tertium, Spiritui sancto. Et quoniam Spiritus sanctus reducit nos ad Filium, et Filius ad Patrem; ideo non debet quis eligi ad *auctoritatem officii,* nisi constet, eum habere *veritatem iudicii* et *sanctitatem animi.* Nullus enim ad dignitatem debet eligi nisi dignus; nullus autem est dignus eligi, nisi qui recta et recte eligit per veritatem iudicii; nullus recta et recte eligit, nisi qui iam praeventus est et electus per gratiam Spiritus sancti. — Et iste triplex gradus, quem tangit Petrus, et qui fuit in electione beati Mathiae observatus, debet observari in electione omnium praelatorum, ut primo quis eligatur *per gratiam* Spiritus sancti; secundo, adiutus per gratiam, eligat *iustitiam;* tertio vero, eligens et amans iustitiam eligatur *ad cathedram;* quia, si iste ordo non servatur, est electio inordinata.

Divisio.

Pars I. Gradus primus electio per gratiam non dropliciter

I. Circa primum gradum, quo quis eligitur per *gratiam,* attendendum, quod Deus elegit beatum Mathiam et alios Apostolos electione gratuita gratiam *praeparando,* gratiam *offerendo,* gratiam *infundendo* et gratiam *consummando,* secundum illud ad Romanos octavo [8]: *Quos praedestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit, hos et iustificavit; quos autem iustificavit, illos et glorificavit.*

Primo Deus elegit gratiam praeparando.

Primo ergo elegit gratiam *praeparando* in praedestinatione; ad Ephesios primo [9]: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et*

---

[1] Vers. 35. 38; sequuntur Cant. 8, 6. et Prov. 31, 17.

[2] Vers. 12; sequuntur Ps. 44, 12. et Baruch 5, 1.

[3] Vers. 14; sequuntur Eccli. 15, 5. et Col. 3, 12. seq.

[4] Sumtus est ex cod. Florentino U fol. 97 v. et duobus codd. Tudertinis, scil. n. 168. fol. 15 v., qui multum convenit cum U, sed meliores lectiones praebet, et n. 182. fol. 208 v., qui quidem in expositione partium sermonis est brevior, in distinctione tamen divisionum et subdivisionum bene corrigit duorum illorum confusionem et errores. Textus et divisio generalis omnino similis habetur etiam in cod. Berolinensi N, qui tamen in brevi expositione partium pro more suo valde differt.

[5] Vers. 24.

[6] Act. 1, 16; sequitur Ps. 88, 20.

[7] ita U; in aliis *diversa;* sed cfr. Bonav., I. Sent. d. 2. q. 2. ad 3. et alibi.

[8] Vers. 30.

[9] Vers. 4. 5. 6; sequitur Ioan. 15, 16.

immaculati in conspectu eius in caritate. Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum secundum propositum voluntatis suae, in laudem gloriae gratiae suae. In hoc enim maxime relucet Dei gratia, quod ante fuit praeparata nobis, quam essemus nati; ex quo constat, quod fuit maxima gratia, quae praecessit omnia merita; quam insinuans, dicebat Salvator Ioannis decimo quinto: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos et posui vos, ut eatis* etc., quae quidem praelectio [1] est in proposito divinae praedestinationis, qua electus fuit ab aeterno Mathias, ut introiret in locum Iudae. Unde Ioannis decimo tertio, cum loqueretur ad discipulos, ait: *Non de omnibus vobis dico, ego scio, quos elegerim;* ideo, ad Romanos nono: *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia maior serviet minori;* quia Iudas cecidit de magnitudine apostolatus, iste ascendit de parvitate discipulatus.

Secundo, gratiam offerendo.

Elegit etiam secundo gratiam *offerendo* in vocatione, secundum illud primae ad Corinthios primo [2]: *Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus et ea quae non sunt, ut ea quae sunt, destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu eius.* Hoc autem dicit Apostolus, quia pauperibus et humilibus Deus offert gratiam et illos praecipue eligit et vocat, ut excludat gloriationem humanam; et ideo tales elegit ipsos Apostolos, ut calcaret per humiles homines superbos; hoc est quod dicitur Iacobi secundo: *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide et heredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se?* Ab hoc incepit Christus suam praedicationem, cum dicebat Matthaei quinto: *Beati, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum;* et Lucae decimo quarto [3]: *Exi cito in plateas et vicos civitatis et pauperes ac debiles et caecos et claudos introduc huc* etc. His qui tales sunt, libenter offert Deus gratiam, quam divites fastidiunt, secundum illud Isaiae quadragesimo octavo: *Elegi te in camino paupertatis*, quia de illo et ad illum vocat.

Tertio, gratiam infundendo.

Elegit etiam tertio gratiam *infundendo* in iustificatione, secundum illud Sapientiae quarto [4]: *Gratia Dei et misericordia est in sanctos eius, et respectus in electos illius.* Optime iungit haec tria: *gratiam, misericordiam* et *respectionem* cum electione; quia nullus eligitur ad sanctificationem sive iustificationem, nisi cui datur gratia, et hoc non ex meritis, sed ex divina misericordia, iuxta illud quod dicitur ad Romanos undecimo: *Reliquiae secundum electionem gratiae salvae factae sunt. Si autem gratia, iam non ex operibus; alioquin gratia iam non est gratia.* Haec autem electio sanctificationis ad illos solos se extendit, qui in Christum credunt et diligunt, secundum illud Sapientiae tertio: *Fideles in dilectione acquiescent illi, quoniam donum et pax est electis Dei.* Tales sunt viri christiani, qui induunt Christum, iuxta quod dicitur ad Colossenses tertio [5]: *Induite vos sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem et donantes vobismetipsis* etc., secundum illud Ecclesiastici quadragesimo quinto: *In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum et elegit eum ex omni carne.*

Quarto, gratiam consummando.

Elegit etiam quarto gratiam *consummando*, secundum illud Psalmi [6]: *Beata gens, cuius est Dominus Deus eius, populus, quem elegit in hereditatem sibi.* — Haec *gens* est ila quae per exercitium virtutum pervenit ad contemplandum Deum, iuxta quod rursus dicitur: *Quoniam Iacob elegit sibi Dominus, Israel in possessionem sibi*, quod non intelligitur de Israele secundum carnem, sed secundum spiritum, secundum illud ad Romanos nono: *Non omnes, qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitae, neque qui semen sunt Abrahae, omnes filii, sed in Isaac vocabitur tibi semen; sed qui filii sunt promissionis aestimantur in semine.* Qui autem sunt isti? Iam scimus quoad iam electos, sed non scimus quoad beatificandos; hoc tamen scimus, quod comparatione multitudinis pauci sunt, secundum illud Matthaei vigesimo secundo: *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Multi enim veniunt ad Christum, qui *abeunt retrorsum* [7], sicut fuit Iudas et omnes falsi Christiani, qui Christum peccando produnt. — Propter quod laboremus esse imitatores Mathiae, non Iudae, hoc est, si non cessamus bene operari, secundum illud secundae Petri primo: *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis; hoc enim facientes, non peccabitis aliquando.*

Hortatio.

Pars II. Gradus secundus, electio iustitiae per modum quadruplicem.

II. Circa secundum gradum, quo quis eligit *iustitiam*, attendendum, quod ad perfectionem istius gradus necesse habemus eligere aliquid per modum *motivi;* aliquid, per modum *directivi;* aliquid, per modum *promotivi;* aliquid, per modum *completivi.* Motivum est *caeleste promissum;* directivum est *legale praeceptum;* promotivum est *spirituale consortium;* completivum, *temporale flagellum.*

---

[1] Codex Florentinus habet *potentia* et Tudertinus n. 182. *prior.* — Sequuntur Ioan. 13, 18. et Rom. 9, 11. 12. (cfr. Gen. 25, 23.).

[2] Vers. 26. seqq.; sequuntur Iac. 2, 5. et Matth. 5, 3.

[3] Vers. 21; sequitur Isai. 48, 10.

[4] Vers. 15; sequuntur Rom. 11, 5. seq. et Sap. 3, 9.

[5] Vers. 12; sequitur Eccli. 45, 4.

[6] Psalm. 32, 12. et deinde 134, 4; sequuntur Rom. 9, 6. 7. 9. et Matth. 22, 14.

[7] Respicitur Ioan. 6, 67; et sequitur II. Petr. 1, 10.

Primum per modum nobilitatis est caeleste promissum.

Eligendum est igitur *caeleste promissum* ad desiderandum exemplo Mariae, de qua Lucae decimo [1]: *Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea.* Elegerat enim Dominum in partem suam, qui dixit ad Abraham: *Ego merces tua magna nimis*, et hunc in partem elegerat, ut diceret cum Ieremia, Threnorum tertio: *Pars mea, Dominus, dicit anima mea;* et quia ipse solus est summum bonum, immo omne bonum; ideo *optimam partem elegit*, quia ad sola caelestia inhiabat, secundum consilium Moysis Deuteronomii trigesimo [2]: *Elige* tibi *vitam, ut et tu vivas et semen tuum* post te; hoc est eligere vitam aeternam, quam Dominus promittit. Haec vita, secundum quod ipse dicit, in Deo est, ad quam solum omnis anima iusti debet suspirare et contenta esse tanquam *de optima parte;* unde super illud Psalmi: *Dominus, pars hereditatis meae et calicis mei;* Glossa: « Eligant sibi alii partes, quibus fruantur, venena mortis, scilicet voluptates, ego Dominum meum eligo », et bibo illum; et quoniam clerici, quando recipiunt tonsuram, dicunt praemissum verbum; ideo potest dici illud Iosue vigesimo quarto [3]: *Testes vos estis, quod ipsi elegeritis vobis Dominum, ut serviatis ei;* et post: *Nunc ergo auferte deos alienos de medio vestri,* id est totaliter affectum vestrum in Deum dirigatis; illum enim praecipue colis, quem praecipue amas.

Secundum per modum directivi est legale praeceptum.

Eligendum est etiam *legale praeceptum* ad observandum, iuxta quod dicebat Propheta [4]: *Viam veritatis elegi, iudicia tua non sum oblitus;* et rursus: *Fiat manus tua, ut salvet me, quoniam mandata tua elegi.* Hanc vitam eligunt Christiani, quando se obligant ad observandum legem Iesu Christi; et quando eligunt ipsum in Dominum, eligunt obligari ad eius imperium, secundum illud Deuteronomii vigesimo sexto: *Dominum elegisti hodie, ut sit tibi Deus, et ambules in viis eius et custodias caerimonias illius et mandata atque iudicia et obedias eius imperio.* Unde si apponatur terrenum commodum et divinum mandatum, necesse est praeeligere divinum imperium, ne forte improperet ei Dominus illud Isaiae sexagesimo sexto [5]: *Fecerunt malum in oculis meis et quae nolui elegerunt;* hoc est, quando transgrediuntur divinum mandatum.

Tertium per modum proximitatis est spirituale consortium.

Eligendum est tertio *spirituale consortium* ad cohabitandum; Psalmus [6]: *Elegi abiectus esse in domo Dei mei magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Malebat vir iustus esse *abiectus* inter bonos quam honoratus habitare inter malos, quia bonum consortium valet ad vincendum adversarium; quod notatur secundi Regum decimo, ubi dicitur, quod *Ioab, videns, quod praeparatum esset adversum se proelium et ex adverso et post tergum, elegit* viros fortissimos *ex omnibus electis Israel, et instruxit aciem* contra *Syrum;* et sequitur, quod Syrus fugit *a facie eius;* Matthaei decimo octavo: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo* etc. Exemplum de Abraham, Genesis decimo tertio [7].

Quartum per modum completivi est temporale flagellum.

Eligendum est quarto *temporale flagellum* ad commoriendum; Iob septimo [8]: *Suspendium elegit anima mea, et mortem ossa mea.* Et hoc dicebat ex nimio desiderio patiendi et compatiendi Christo; idem, sexto: *Quis det* mihi, *ut veniat petitio mea, et quod exspecto tribuat mihi Deus? Et qui coepit, ipse me conterat, solvat manum suam et succidat me, et haec mihi sit consolatio, ut, affligens me dolore, non parcat.* In hoc namque apparet *perfectio* et complementum iustitiae, quia haec est summa caritas ponere animam pro Christo; sed ubi necesse est declinare a veritate iustitiae vel subire mortem, *omnes* tenentur in hoc casu mortem subire et magis mori eligere quam peccatis inquinari. Simile dicitur de Moyse ad Hebraeos undecimo: *Fide Moyses, grandis factus, negavit, se esse filium filiae Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei quam temporalis peccati habere iucunditatem.* Et in hoc est consummatio iustitiae; ideo Moyses fuit electus in praelatum populi, quia, sicut dicitur Ioannis decimo [9], *bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Unde nisi (quis) tantae sit iustitiae, ut iniquitati praeeligat mortem, non est idoneus eligi in pastorem, et quia Dominus talem Mathiam vidit, ideo in Apostolum elegit.

Pars III. Gradus tertius, electio ad cathedram, in qua duo anteceduntur.

III. Duobus igitur gradibus praecedentibus, sequi debet tertius, quo quis debet *eligi ad cathedram;* in qua electione duo sunt attendenda, scilicet *officium excellens* et *meritum sufficiens,* id est, ad *quod* debet eligi et *qualis* debet eligi.

Primo, Christus electionis fundamentum.

Circa primum sciendum, quod fundamentum istius electionis Christus est, quia ipse fuit prius electus tanquam primus et summus Pontifex; propterea primae Petri secundo [10]: *Ecce, pono in Sion lapidem summum angularem, electum, pretiosum. — Lapis* iste Christus, qui est pretiosissimus et electissimus; Canticorum quinto: *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus;* quia ipse solus inter perfectos fuit perfectissimus, nullum habens peccatum, secundum illud Ecclesiastae septimo: *Virum de mille unum reperi.* Christus igitur est fundamentum omnis praelationis et electionis et complementum; et ideo omnino [11] praelati recta electio ordinatur ad Christum *venerandum, imitandum, imprimendum, praedicandum.*

Praelatus ordinatur ad quatuor.

[1] Vers. 42; sequuntur Gen. 15, 1. et Thren. 3, 24.
[2] Vers. 19; sequitur Ps. 15, 5. cum Glossa *ordinaria* apud Lyranum, secundum August., Enarrat. in Ps. 15, 5.
[3] Vers. 22. 23.
[4] Psalm. 118, 30. et dein v. 173. et sequitur Deut. 26, 17.
[5] Vers. 4.
[6] Psalm. 83, 11; sequuntur II. Reg. 10, 9. seqq. et Matth. 18, 20.
[7] Vers. 6. seqq.
[8] Vers. 15; sequuntur c. 6, 8. seqq. et Hebr. 11, 24. 25.
[9] Vers. 11.
[10] Vers. 6; sequuntur Cant. 5, 10. et Eccle. 7, 29.
[11] Cod. U habet *omnis.*

Eligitur praelatus primo in Ecclesia ad Christum *venerándum;* secundi Paralipomenon vigesimo nono[1]: *Vos elegit Dominus, ut stetis coram eo et ministretis illi colatisque eum* etc. Hoc autem facere debebant in tabernaculis, in quibus debent Deum praedicare, honorando in compensatione honorationis plebis.

1 Christum neraudam.

Eligitur etiam secundo ad Christum *imitandum,* secundum quod significatum est primi Paralipomenon vigesimo octavo[2]; dixit Dominus ad David: *Salomon, filius tuus, aedificabit domum meam; ipsum enim elegi mihi in filium, et ego ero ei in patrem. Filium* dixit per imitationem, et inferiores duces debent illum summum Ducem imitari; Ioannis duodecimo: *Si quis mihi ministrat, me sequatur* etc.

1 Christum nitandum.

Eligitur tertio ad Christum *imprimendum;* Numerorum decimo septimo[3]: *Quem ex his elegero, germinabit virga eius.* Tunc *virga germinat* et fructum facit, quando per ministerium praelati multi suscipiunt et concipiunt Christum tanquam fructum salutis; ipsi sunt enim sponsi Ecclesiae ad generandos Christianos.

1 Christum mprimendum.

Eligitur quarto ad Christum *praedicandum;* primae Petri secundo[4]: *Vos autem, genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis eius qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum,* scilicet ad praedicandum enm, sicut de beato Paulo dicitur Actuum nono: *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus* etc.; et de ceteris Apostolis.

1 Christum raedicandum.

Circa secundum nota, quod praelatus in Ecclesia debet esse aptus, ut digne possit hoc officium exsequi; et ad hoc est ei necessaria quadruplex excellentia, scilicet *humilitas* in conscientia, *sublimitas* in vita, *claritas* in fama et *sinceritas* in doctrina.

Secundo, raelati debet esse quadruplex xcellentia.

Primo necessaria est *humilitas in conscientia,* quae commendatur in David, de quo in Psalmo[5]: *Elegit David servum suum et sustulit eum de gregibus ovium;* in quo significatum est, quod qui eligitur in praelatum debet esse amator humilitatis, et hoc expressius apparet primi Regum decimo sexto, ubi agitur de reprobatione Saulis etc. Et istud est potissime necessarium, quia eligitur ad Christum honorandum, quod quidem non fit nisi ab humilibus. Ideo, si aliquis, postquam electus fuerit, superbierit, reprobatur, sicut apparet in Saule; unde dicitur secundi Regum sexto, quod *dixit David ad Michol: Ante Dominum, qui elegit me potius quam patrem tuum et quam omnem domum eius, et iudam et vilior fiam plus, quam factus sum, et ero humilis in oculis meis.*

umilitas in onscientia.

Secundo necessaria est *sublimitas in vita,* secundum quod designatur primi Regum decimo[6] in Saul, ubi dicitur: *Certe videtis, quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo,* ubi dicit Gregorius, quod « quemadmodum pastor excedit gregem, tantum vita praelati vitam populi ».

Sublimitas in vita.

Tertio necessaria est *claritas in fama,* iuxta quod dicitur Numerorum decimo sexto[7] de murmure filiorum Core, ubi dicit Moyses: *Mane notum faciet Dominus, qui ad se pertineant, et quos elegerit;* quia nulli debent eligi, nisi qui sunt viri probati et noti per famam; primae ad Timotheum tertio dicitur: *Oportet, episcopum testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt.* Et ratio huius est, quia eligitur ad Christum imprimendum.

Claritas in fama.

Quarto necessaria est *sinceritas in doctrina,* iuxta quod significatum est in Stephano Actuum sexto[8], ubi dicitur, quod *elegerunt Stephanum, virum plenum fide et Spiritu sancto; fide,* ad intelligendum, et *Spiritu sancto,* ad sapiendum, hoc est excellentia doni *scientiae* et doni *sapientiae,* et *scientiae* secundum pietatem et *sapientiae* secundum pietatem; alioquin parum valet quaelibet scientia; Baruch tertio: *Ibi fuerunt gigantes, statura magna, scientes bellum. Non hos elegit Dominus, neque viam disciplinae invenerunt.*

Sinceritas in doctrina.

Sermo II[9].

Posui vos, ut eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat, Ioannis decimo quinto[10].

Introductio.

Sicut in corpore humano quaedam sunt membra principalia, aliis influentia et quaedam non principalia et influentiam ab aliis recipientia; sic in corpore Christi mystico, quod est Ecclesia, *principalia* membra sunt Apostoli et eorum successores curam animarum habentes, qui aliis influere debent; *non principalia* sunt subditi, qui ab illis influentiam recipere debent. Licet autem praedicta verba Domini possint congruere utrisque; tamen *principaliter* de primis membris intelliguntur et *communiter* de aliis. Dicit ergo: *Posui vos* etc., in quibus tria notantur, scilicet *instituentis auctoritas, suscipientium auctoritatem idoneitas, exsecutionis auctoritatis utilitas.* Primum: *Posui vos;* secundum: *ut eatis;* tertium: *et fructus vester maneat.*

Diviso.

I. De primo notandum, quod Dominus *principalia* membra in corpore Ecclesiae *posuit* ad quatuor, scilicet ad *reconciliandum discordes,* ad *informandum rudes,* ad *regendum obedientes,* ad *confirmandum instabiles.* Primum, per devotarum *orationum*

Pars I. Principalium membrorum auctoritas instituta ad quatuor.

---

[1] Vers. 11.
[2] Vers. 6; sequitur Ioan. 12, 26.
[3] Vers. 5.
[4] Vers. 9; sequitur Act. 9, 15.
[5] Psalm. 77, 70; sequuntur I. Reg. 16, 1. et II. Reg. 6, 21. 22.
[6] Vers. 24. — Sequitur Gregor., Regula pastor. p. II. c. 1.
[7] Vers. 1. seqq.; sequitur I. Tim. 3, 7.
[8] Vers. 5; sequitur Baruch 3, 26. 27.
[9] Ex cod. Trecensi; hic sermo est contractus et semel tantum de b. Mathia loquitur.
[10] Vers. 16.

instantiam; secundum, per divini *eloquii doctrinam;* tertium, per pastoralis *curae vigilantiam;* quartum, per sincerae *virtutis constantiam.* — De primo, in Genesi [1]: *Arcum meum ponam in nubibus, et erit signum foederis inter me et inter terram.* Praelatus enim debet esse *mediator* inter Deum et suos subditos; *arcus,* per curvitatem humilitatis, per splendorem sanctae conversationis, per sublimitatem contemplationis. — De secundo, ad Ephesios: *Quosdam quidem posuit in Ecclesia apostolos, quosdam prophetas, alios autem evangelistas, alios autem doctores;* in Marco: *Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae.* — De tertio, Apostolus [2]: *Attendite vobis et universo gregi, in quo posuit vos Spiritus sanctus.* — De quarto, in Evangelio: *Tu, aliquando conversus, confirma fratres tuos;* secundi Paralipomenon tertio: Salomon *columnas posuit duas in vestibulo templi, unam a dextris et unam a sinistris.* — Salomon *pacificus,* Christus; *columnas in templo,* praelatos in Ecclesia; *duas,* per geminam caritatem; *a dextris et a sinistris,* quia tam in prosperitate quam in adversitate debent vacillantes sustentare. De illis qui sic praesunt Ecclesiae, potest bene dici illud quod regina Saba dixit [3] Salomoni: *Deus,* inquit, *quia diligit Israel et vult servare eum in aeternum, idcirco posuit te super eum regem.* — Sic ergo Dominus posuit principalia membra, de quorum numero fecit beatum Mathiam.

Et similiter posuit *non principalia* ad quatuor, scilicet ad *lucendum,* ad *serviendum,* ad *pugnandum,* ad *probandum.* Primum, per *exemplum* sanctae *conversationis;* secundum, per *exercitium* bonae *operationis;* tertium, per *virtutem fortitudinis;* quartum, per *patientiam tribulationis.* — De primo, in Matthaeo [4]: *Neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt;* Genesis primo: *Fecit Deus duo luminaria magna;* per haec significantur praelati; *et stellas,* per has significantur subditi; *et posuit eas in firmamento caeli, ut lucerent super terram,* quod maxime de clericis est intelligendum; nam, secundum Prophetam, *qui ad iustitiam eruditi multos* erunt *quasi stellae in perpetuas aeternitates.* — De secundo: *Posui vos, ut eatis* etc. — De tertio, primo Machabaeorum [5]: *Praecepit Ionathas suis, vigilare et esse in armis paratos ad pugnam tota nocte; et posuit custodias per circuitum castrorum.* — De quarto. *Ionathas, columba veniens,* Christus est. — De quarto, in Threnis: *Posuit me desolatam, tota die moerore confectam;* Apostolus, primae ad Thessalonicenses: *Nemo* vestrum *moveatur pro tribulationibus* meis, quas sustineo. *Ipsi enim scitis,* et praedixi vobis, *quod in hoc positi sumus.* — Sic igitur in hoc, quod dicitur: *Posui vos,* notatur *instituentis auctoritas,* scilicet Dei, qui tam praelatos quam subditos ad quatuor praedicta in Ecclesia posuit.

II. Sequitur de secundo, quoad *idoneitatem recipientium auctoritatem;* et notandum, quod duo faciunt idoneum, scilicet *recessus a malo* et *profectus in bono;* primum: *eatis;* secundum: *fructum afferatis.*

De primo notandum, quod quatuor movent et movere debent ad eundum per *recessum a malo: status inquietudo* et poenalitas, *loci opportunitas* in eundo, *lucis immensitas* et misericordis *Dei pietas.* — De primo, Propheta [6]: Cor *impii, quasi mare fervens, quod quiescere non potest;* Michaeas: *Surgite et ite, quia non habetis hic requiem.* — De secundo, in Evangelio: *Quid hic statis otiosi? Ite et vos in vineam meam;* Psalmus [7]: *Ibunt de virtute in virtutem.* — De tertio, Psalmus: *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua; venientes autem venient cum exsultatione, portantes manipulos suos;* Genesis, de Isaac: *Ibat homo, proficiens atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est.* — De quarto, exemplum in Luca [8] de filio prodigo, qui, sua *substantia dissipata vivendo luxuriose,* pascens porcos famelicus intra se reversus dixit: *Surgam et ibo ad patrem meum; et pater misericordia motus est* super eo. — *Porcos pascit* qui desideriis et voluptatibus carnis satisfacere satagit, qui famelicus divina dulcedine, si revertitur, a Deo benigne recipitur.

De secundo notandum, quod similiter quatuor nos movere debent, ut *proficiendo in bono fructum afferamus,* quae etiam in materiali arbore videmus. Arbor enim propter bonum fructum *diligentius custoditur, pulcrior redditur, carior habetur, excellentius commendatur;* sic nos, si in bono opere fructuosi fuerimus, a Domino *custodiemur,* sicut econtra qui non fructificant tanquam inutiles arbores abscindentur; Ioannes [9]: *Iam securis ad radicem arborum posita est; omnis ergo arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur.* — Secundo, *pulcrior* anima ex bono opere *redditur;* Ieremias: *Olivam uberem, pulcram, fructiferam, speciosam, vocavit Dominus nomen tuum.* — Tertio, ex bono opere *carior* Domino *habetur,* ita quod ipse eam saepe visitat, saepe consolatur; Cantica: *Veniat dilectus meus in hortum suum et comedat fructum pomorum suorum.* — Quarto, ex bono opere anima summe *commendabilis efficitur;* in Proverbiis [10]: *Date ei de fructu manuum suarum,*

Pars II. Secundum idoneitatem per duplicem dispositionem.

Ad recessum a malo movent quatuor.

Primum.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Ad profectum in bono movent quatuor.

Primum.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

De primo.

De secundo.

De tertio.

De quarto.

Item, minus principalia instituta ad quatuor.

De primo.

De secundo et tertio.

De quarto.

[1] Cap. 9, 13; sequuntur Eph. 4, 11. (I. Cor. 12, 28.) et Marc. 16, 15.
[2] Act. 20, 28; sequuntur Luc. 22, 32. et II. Par. 3, 17.
[3] Libr. II. Par. 9, 8.
[4] Cap. 5, 15; sequuntur Gen. 1, 16. seq. et Dan. 12, 3.
[5] Cap. 12, 27; sequuntur Thren. 1, 13. et I. Thess. 3, 3. 4, paucis mutatis.
[6] Isai. 57, 20; sequuntur Mich. 2, 10. et Matth. 20, 6.
[7] Psalm. 83, 7; sequuntur Ps. 125, 7. et Gen. 26, 13.
[8] Cap. 15, 13. seqq.
[9] Sunt verba Ioannis Baptistae Matth. 3. 10; sequuntur Ier. 11, 16. et Cant. 5, 1.
[10] Cap. 31, 31.

et laudent eam in portis opera eius. — Duae enim sunt *portae*, scilicet *egressus* ab hac vita et *ingressus* in vitam aeternam. In his ergo animam sanctam *laudabunt*, id est laudabilem demonstrabunt, *opera eius.*

tem, quæ- ior ad fru- tificandam onditionis

Sed notandum, quod, sicut quatuor exiguntur ad hoc, ut arbor materialis bene fructificet; scilicet *caelestis influentia, loci convenientia, culturae diligentia, irrigationis affluentia:* sic quatuor ad fructificationem spiritualem exiguntur: *gratiae infusio, recta intentio, carnis castigatio, devotionis irriga-*

De prima. *tio.* — De primo; sicut enim ex terra nulla planta generari potest, nisi solis calore procreetur; sic ex humano cordè nullum opus bonum producitur, si *gratia caelestis* non infunditur. Unde necesse est homini semper se humiliare et ad hanc gratiae infusionem se habilitare; Psalmus [1]: *Dominus dabit benignitatem*, id est gratiae infusionem, *et terra nostra dabit fructum suum;* Ecclesiasticus: *Benedictio Dei in mercedem iusti festinat, et in hora veloci pro-*

e secunda. *cessus illius fructificat.* — De secundo; sicut loci convenientia facit arborem fructificare, sic *recta intentio* mentem. Ipsa enim, dum in bonum tendit, cor hominis in bonam terram convertit; in Evangelio: *Semen cecidit in terram bonam* etc. — De ter- De tertia. tio; sicut fructificationi materiali confert culturae diligentia, exstirpando nociva, resecando superflua; sic fructificationi spirituali necessaria est *castigatio corporalis*, amputans noxia et superflua tam in corde quam in ore et opere et in superflua rerum possessione, ut in eleemosynam dispergatur; in Proverbiis [2]: *Qui operatur terram suam saturabitur panibus.* Econtra dicitur ibidem: *Per agrum hominis pigri transivi et per vineam viri stulti; et ecce, totum repleverant urticae, et operuerant superficiem eius spinae.* — De quarto sciendum, quod sine *irriga-* De quarta. *tionis affluentia* fructus arescit et incrementum non recipit, sed evanescit; sic boni operis fructus annullatur, si non per aquas devotionis irrigando nutriatur, nec ad maturitatem perseverantiae finalis pervenit, si eum devotionis lacryma non perfundat, quae de Triplex ori- go lacrymae. fonte ebullit Christi passionis, proximi compassionis, peccati proprii compunctionis. De tali irrigatione leremias: *Erit quasi lignum, quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas* etc., *nec aliquando desinet facere fructum;* Ecclesiastici vigesimo quarto [3]: *Rigabo hortum meum plantationum et inebriabo prati mei fructum.*

DE SANCTO MARCO EVANGELISTA. (25 Apr.).

Sermo I [4].

Sermo fratris Bonaventurae ad sanctum Antonium in festo sancti Marci Evangelistae, in mane. — Eodem (?) die et hora ad Beginas: *Sapientiam sine fictione didici* etc.; quaere in sequenti sermone.

Sanctus in sapientia manet sicut sol [5], Ecclesiastici vigesimo septimo.

(Prothema). *Orietur vobis timentibus nomen*

Prothema. *meum Sol iustitiae,* in Malachia; et valet tantum [6], quod *sol iustitiae,* Dominus Iesus Christus, *orietur* per gratiam in cordibus eorum qui Deum timent et verbum suum reverenter et cum timore audiunt. Et sicut vos videtis, quod sol iste materialis totum mundum illuminat materialiter, sic iste verus Sol iustitiae totum cor hominis et mulieris illuminat spiritualiter per gratiam, quando illuc intrat. Et sicut vos videtis, quod sol vel lumen solis, quando intrat per unam vitream pulcram et bene dispositam et coloratam, tunc illud lumen est ita pulcrum, quod mirum est; quando autem transit per fenestram vitream non ita claram nec ita bene dispositam, non est ita clarum, ut apparet lumen solis; sed ita clarum est in se, transiens per unam fenestram male dispositam, sicut per fenestram bene dispositam: sic (est) verbum Dei, quando transit per os male dispositum ad loquendum linguagium, in quo praedicat, ut ego Gallice, cum verbum Dei eandem habeat virtutem, per quodcumque os transeat. Unde sicut videtis, quod cibus bonus, per quodcumque os transeat, eandem bonitatem retinet in scutella de ligno, sicut argentea, licet magis placeat in scutella argentea; sic, licet ego nesciam bene loqui Gallice, non tamen propter hoc verbum Dei, quod debeo proferre, in se minus valet. Ideo non curetis de hoc, dum tamen me intelligere possitis. Ideo in principio rogabimus Dominum, ut nobis det gratiam suam, mihi dicendi verbum suum et vobis audiendi ad honorem suum et beatissimae Virginis et beati Marci, cuius festum hodie celebratur in sancta Ecclesia; et dicamus *Pater noster* et *Ave Maria.*

Sanctus in sapientia manet etc.

Et valet tantum: Ille qui est *sanctus, manet* etc. Sermo. Et possunt ista verba convenienter exponi de beato Marco; in quibus verbis commendatur beatus Marcus

[1] Psalm. 84, 13; sequuntur Eccli. 11, 24. et Luc. 8, 8.
[2] Cap. 12, 11; sequuntur c. 24, 30. seq. et Ier. 17, 8.
[3] Vers. 42. — Pars III. deficit.
[4] Ex cod. Parisiensi 16484 fol. 216; cfr. P. Fidelis a Fanna, *Ratio novae collectionis* etc. pag. 298. Et notandum, hunc et sequentem sermonem, ut constat ex seq. prothemate, pronuntiatum a S. Bonaventura fuisse *Gallica* lingua, « licet, ut dicit, ego nesciam bene loqui Gallice ». Ex ore igitur praedicatoris exceptus et Latine redditus, textus horum sermonum, non culpa S. Bonaventurae, in codice est valde imperfectus, Gallicismis refertus ac mendosus; sententiae vero non sunt indignae S. Doctore.
[5] Vers. 12. — Prothema habetur Mal. 4, 2.
[6] Codex adhuc addit *in gost.*

Divisio. quantum ad duo: primo, quantum ad *sanctitatem*, cum dicitur: *Sanctus;* secundo, quantum ad *sapientiam*, cum dicitur: *in sapientia manet sicut sol.* — Primo, dico, quantum ad *sanctitatem.* « Sanctitas, ut Explicatio. ait beatus Dionysius [1], est ab omni iniquitate libera puritas ». Istam habuit beatus Marcus, quia ipse fuit liber ab omni macula et etiam fuit secutus viam Domini et mandatorum eius et consiliorum, sicut beatus Petrus docuit eum. Unde secutus fuit mandata Domini, secundum quod beatus Petrus docuerat ipsum. Unde beatus Petrus in tantum dilexit ipsum, quia videbat eum ita tractabilem ad suam doctrinam, quod *filium* vocabat eum. Unde in quadam Epistola [2] dicit: *Salutat vos Marcus, filius meus.* Fuit ergo plenus sanctitate, quia mandata Domini semper fuit secutus et a tam sancto viro edoctus; et fuit tantae sanctitatis, quod fecit sibi amputari pollicem [3], ut ipse fugeret dignitates et honores huius mundi. Unde antequam ipse veniret vel susciperet fidem Evangelii, erat unus magnus patriarcha vel legislator et fecit fieri unum templum mirabiliter pulcrum, in quo orabat et Domino serviebat. Et in hoc possumus clare videre, quod ipse fuit sanctus, quia ita fugiebat honores. — Fuit etiam *sapiens*, quia, postquam venit ad susceptionem Evangelii, fuit Evangelista, quod maius est quam legislator, sicut sol est ante stellas. Unde ista duo bene conveniunt sibi, scilicet sanctitas et sapientia, et ista duo debet habere quilibet Christianus, et de his duobus intendo dicere ad praesens.

I. Primo, de *sanctitate.* Ipse fuit sine macula; Pars I. De sanctitate S. Marci. unde voluit imitari Dominum Iesum Christum, de quo dicitur [4], quod ipse *est candor lucis aeternae et speculum sine macula;* et alibi: *Speciosus forma prae filiis hominum.* Et loquitur ibi magis de pulcritudine spirituali quam corporali; unde in Evangelio de fatuis virginibus, quae non fuerunt pulcrae pulcritudine interiori, dicitur, quod non fuerunt receptae ad nuptias. Unde oportet, quod homo habeat pulcritudinem interius in mente et etiam exterius in exteriori conversatione. Et ista sanctitas, oportet, quod Subdivisio. sit in tribus: primo, in *corde;* secundo, in *conversatione;* tertio oportet, quod sit probata in *tribulatione.*

Primo, dico, in *corde*, non solum extra; nam Primo, sanctitas in corde. pulcritudo, quae est extra solum, ita quod non intra, est sicut pulcritudo, quae est in (mundi) huius sepulcris [5]. Sepulcrum etenim exterius est valde pulcrum et depictum, interius tamen est totum foetore plenum; sic est de sanctitate corporali exteriori vel pulcritudine, et non interiori. Unde talis sanctitas est hypocrisis. Unde sic est de gratia Dei et hypocrisi, suo contrario, sicut de natura et de arte, quae sunt disparata; quia, sicut natura in animali primo format cor interius, deinde format membra exteriora; sic gratia divina primo vivificat cor interius et deinde vivificat exterius opera et membra et sensus. Sed hypocrisis et vana gloria huius mundi totum e contrario facit; primo enim simulat sanctitatem exterius et fingit, opera esse sancta et viva exterius; attamen interius anima est tota mortua. Sed istam sanctitatem e contrario totam debemus habere, scilicet primo in corde; et ista sanctitas duas habet radices, vel duo eam comitantur, scilicet *timor* sanctus et *amor* sanctus. Duplex huius sanctitatis radix.

Primo, sanctus Dei *timor*. Anima, quae modo De radice timoris. est in sancta Ecclesia et quae debet esse in illa superna Ierusalem plantata, debet habere hanc radicem, scilicet sanctum timorem. Unde in Ecclesiastico [6]: *Qui timent Dominum praeparabunt corda sua,* ad faciendam voluntatem Domini; et semper habent timorem Domini, sicut una bona domina, quando multum diligit dominum suum, multum bene se custodit de faciendo rem, quae ei displiceat, et praecipue in conspectu illius; sic totaliter nos debemus facere, coram Domino Iesu Christo habere sanctum timorem, ne faciamus aliquid, scilicet, quod ei displiceat, ut peccatum aliquod, et maxime, quia nihil possumus facere, quin faciamus in conspectu eius. Unde in Isaia: *Dominum autem exercituum ipsum sanctificate* in cordibus vestris. *Ipse* sit *pavor vester, et ipse terror vester.* Debemus ergo habere sanctum timorem de Deo in corde, quia secus nullus potest iustificari. Iste sanctus timor debet esse in omnibus, Hortatio. et praecipue in sacris virginibus, quia Dominus, si videt [7], ex quo est sibi data et desponsata, non vult, quod respiciat ad aliquem alium nisi ad ipsum, quia ipse est ita zelotypus [8] de pulcritudine mulieris, sicut nullus pulcher domicellus unquam posset esse de pulcritudine suae pulcrae mulieris; de pulcritudine, inquam, interiori virtute; nam de exteriori parum curat ipse sine hac; tamen bene placet sibi, ut una cum altera totaliter sibi custodiatur, ita quod non vult, quod respiciat ad aliquem alium nisi ad ipsum, sicut neque sponsus, qui multum est zelotypus de sua pulcra uxore, non potest sustinere, quod alium respiciat nec ab alio respiciatur; sic vult Dominus, quod anima sancta ad nullum alium nisi ad ipsum respiciat. Sic bene fecit Iob, qui dicebat: *Pepigi foedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Habemus ergo, quod sanctus timor et tremor est una de radicibus sanctitatis.

Alia radix est sanctus *amor;* et non potest esse De radice amoris. verus amor sine timore, quia timor praeparat ad

[1] Vide supra pag. 503, notam 7.

[2] Epist. I. c. 5, 13.

[3] Vide Baronium, Annales ecclesiast. tom. I. ad an. Christi 45. n. 46, ubi hoc factum inter fabulas ablegatur. Lege etiam quae ibidem n. 42. seqq. dicuntur ad tollendas de Marci nomine ambiguitates.

[4] Sap. 7, 26; sequuntur Ps. 44, 3. et dein respicitur Matth. 25, 10. seqq.

[5] Respicitur Matth. 23, 27.

[6] Cap. 2, 20; sequitur Isai. 8, 13.

[7] Codex habet *voit.*

[8] Respicitur Exod. 20, 5; sequitur Iob 31, 1.

sanctitatem, et amor perficit sanctitatem. Ideo istae sunt duo radices sanctitatis. Nos ergo debemus habere sanctum amorem, quia nos debemus amare *Deum* de *toto corde* nostro [1]. Et si nos diligamus eum de toto corde nostro et ponamus in eo amando totum cor nostrum, hoc est unum, quod nos faciet ei placere; unde in Ecclesiastici trigesimo: *Miserere animae tuae, placens Deo.* Si nos diligamus Dominum, ipse nos diliget, et si nos placeamus ei hic, quid faciet ipse nobis? Certe, ipse desponsabit animas nostras cum Filio suo sursum in paradiso. Et ideo debemus diligere ipsum *ex toto corde* nostro et totum cor nostrum ei dare et parare; unde Sapiens: *Congrega cor tuum in sanctitate.* Econtra, si faciamus hic aliquid, quod sibi displiceat, non desponsabit animas nostras cum Filio suo, immo eas praecipitabit in infernum tanquam meretrices sibi odiosas. Unde debemus multum cavere, ne faciamus aliquid, quod sibi displiceat. — Et si [2] fecimus quod sibi displiceat, debemus venire ad ipsum et sibi clamare misericordiam de bono corde ad exemplum unius bonae dominae, de qua legimus in libro primo Regum [3], scilicet de Abigail, uxore Nabal. Nabal fuit unus homo multum rudis et *male instructus, qui* multum forefecit contra David et multum offenderat ipsum, ita quod David minatus fuit ipsum ad mortem et ad destruendum eum. Et domina Abigail, domina sapiens et bene edocta, fuit ita sapiens, quod totum regem David pacificavit, quia venit ad regem et flexit genua coram eo et clamavit misericordiam de forefacto, quod dominus suus ei fecerat, et praesentavit ei emendam. Et tunc David, videns eam ita sapientem dominam et humilem, totam remisit offensam et etiam post mortem illius Nabal ipsam duxit in uxorem. Per *Nabal,* qui offendit regem, intelligimus nos corpus, quod multoties offendit regem, scilicet Deum, qui saepe offenditur per istum rusticum, scilicet per corpus, rudem. Per *Abigail* intelligimus nos animam, quae tanquam sapiens domina debet clamare misericordiam ad regem Christum de forefacto corporis et debet ei flexis genibus offerre emendam et cum magna humilitate. Et tunc Dominus statim movetur ad misericordiam et totum indulget misero corpori et post mortem istius Nabal, scilicet corporis, desponsat sibi animam in caelo. Sic ergo debemus eum diligere toto corde nostro et debemus ei clamare misericordiam de forefactis nostris vel nostri corporis, quia spiritus nunquam vult nisi bonum, nisi in quantum corpus ei rusticitatem et villaniam facit. — Qui iam faceret de una re modica duas partes ad dandum uni homini magno, nihil esset, immo totum debet ei metiri et dari. Sic de nostro corde, quod est quid modicum, non debent fieri duae partes, ut unam offeramus Deo et aliam mundo vel diabolo per peccatum; sed totum cor ei debemus dare integraliter.

Figura.

r non dideodum.

Sic ergo habemus, quod sanctitas cordis habet duas radices praedictas, et haec duo nobis significata vel figurata fuerunt in duobus Testamentis, scilicet in veteri et novo. Per vetus enim Testamentum, quod ita incutiebat timorem, quod nulli parcebat, significatur nobis sanctus *timor;* per novum vero Testamentum, quod plenum fuit et est omni dilectione et dulcedine, significatur nobis sanctus *amor* [4]; in quo tantum amorem Dominus nobis ostendit, quod pro nobis fieri homo voluit et mori et relinquere suum corpus nobis in sancto Sacramento altaris. — Et ista duo Testamenta nobis bene figurata fuerunt per id quod dicitur in Isaia [5]: *Duo Seraphim clamabant,* id est duo Testamenta. Haec ergo sunt duae radices sanctitatis cordis, scilicet sanctus timor et sanctus amor; et qui est sine istis est sicut arbor sine radice vel homo sine corde. Sicut enim homo sine corde non habet vitam, sic homo, qui non habet timorem et amorem, non potest habere cordis sanctitatem. Hanc sanctitatem in corde bene habuit beatus Marcus; et hanc debemus habere, si volumus eum imitari.

Repetitio et figura.

Alia figura.

S. Marcus.

Secundo debemus habere sanctitatem in *conversatione;* et ista sanctitas consistit in duobus, vel hanc concomitantur duo, videlicet *puritas* et *obedientia, munditia* et *obedientia.* Unde in Evangelio [6]: *Sint lumbi vestri praecincti et lucernae ardentes in manibus vestris.* Per primum significatur nobis castitas et munditia, per secundum bona opera, quae debemus aliis ostendere et facere per obedientiam.

Secunde, sanctitas in conversatione duplex.

Debemus ergo primo habere *puritatem* et *munditiam,* scilicet puritatem *cordis* et munditiam *corporis.* Haec duo multum placent Deo, et tantum dilexit ipse puritatem et munditiam, quod venit qui Filius Dei erat in uterum Virginis et voluit sanctificare eius uterum et corpus, antequam ibi descenderet. Unde *sanctificavit tabernaculum suum Altissimus* [7], scilicet Filius Dei, et praemisit Spiritum sanctum, ut sanctificaret istud tabernaculum. Unde Angelus dixit ei: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Quod enim ex te nascetur sanctum vocabitur Filius Dei.* — Nos ergo debemus habere *puritatem* intra in corde et *munditiam* et honestatem exterius in conversatione; unde in Apocalypsi: Vestimentum lini candidi datum fuit sponsae Agni. Per illud vestimentum, quod est album exterius, intelligimus nos conversationis

De puritate et munditia.

---

[1] Respicitur Luc. 10, 27; sequitur Eccli. 30, 24.

[2] Adiunximus verbum *si;* pro quo codex habet *ce en arerres.*

[3] Cap. 25. — Infra de verbo *forefecit* cfr. Du Cange, Glossarium etc.: Forefacere, forisfacere idem ac *offendere.*

[4] Vide August., l. de Moribus Eccles. cathol. c. 28. n. 56. et Exposit. quarund. proposition. ex Epist. ad Romanos, proposit. 52.

[5] Cap. 6, 3.

[6] Luc. 12, 35.

[7] Psalm. 45, 4; sequuntur Luc. 1, 35. et Apoc. 19, 8; Vulgata: *Datum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti et candido.* — De sanctificatione B. Mariae cfr. III. Sent. d. 3. a. 1. 2.

honestatem. Pro Deo! respiciatis hic unum verbum; illa inter vos, quae est magis despecta, si sit magis pura et munda, habebit maiorem gratiam, et hanc apud Deum. Et hoc nobis bene significatum fuit in bona et pulcra Esther [1]; quamvis esset paupercula et despecta quantum ad generis nobilitatem, tamen ille rex magnus, Assuerus, propter eius pulcritudinem et conversationem exteriorem puleram accepit eam in uxorem. Sic Dominus noster Iesus Christus faciet, quia illam quae magis despecta est inter alias vel per generis ignobilitatem vel per aliquem defectum corporalem, dum tamen inveniat eam puram virginem et bonam et puram in mente et honestam in exteriori conversatione, accipit eam in uxorem propter
Hortatio. suam puritatem et munditiam. — Et ideo debemus multam caram habere puritatem et munditiam, quia Dominus est multum zelotypus de virginitate et puritate nostra, et ne ad alium quam ad ipsum respiciamus. Credo, quod uxor unius regis, antequam ante faciem unius regis, domini sui, faceret unum peccatum carnis, vel unam villaniam sui corporis cum uno ribaldo, permitteret, sibi membra discindi. Certe sic illa quae est sponsa summi Regis, prius deberet se totam permittere per frusta discindi, (quam) quod unam cogitationem haberet cum consensu vel delectatione de peccato suo cum ribaldo, diabolo de inferno, coram Domino suo, Rege aeterno, Sponso suo. Plus! non puto, quod sit aliqua femina in mundo ita calefacta de peccato carnis vel corporis, quod, si crederet, quod statim, quando rediret, esset ita leprosa, quod caro ei caderet per frusta, quod illuc auderet redire nec accedere. Sed per istud peccatum fit homo et mulier totus leprosus, ita quod, sicut videtis, quod homo propter lepram separatur a societate hominum, sic propter illud peccatum homo et mulier fit ita leprosus, vilis et foetidus, quod separatur a societate Dei et Angelorum. Et ideo non putetis, dilectissimae, esse modicum puritatem et munditiam, quia magni pretii sunt apud Deum. Propter enim ista duo totus mundus fuit semel salvatus. Dominus enim semel totum mundum destruxit per diluvium; sed propter castitatem Noe et mundiüam et suae familiae, quia placuit Deo, fuerunt salvati panci homines, et postea ex ipsis fuit totus mundus reparatus; nec nos modo essemus hic, nisi fuisset illa puritas, munditia et castitas. Oportet ergo, si velimus esse sancti, quod habeamus puritatem et munditiam.

Secundo debemus habere *obedientiam*. Eva, no-
De obedientia. stra prima mater, bene fuit pura et munda, quia adhuc nunquam tacta fuerat a viro suo; sed quia non obedivit divino praecepto, fuit eiecta de paradiso, nec fuit placens Deo sua puritas et munditia, immo fuit miserabiliter punita. Similiter lucifer, primus Angelus, qui, antequam peccaret, fuit nobilior creatura, quam unquam Deus creaverit; sed ex quo Dominus vidit, quod ipse propter suam pulcritudinem obedire noluit, sed superbivit, immo dixit: *Ero similis Altissimo* [2]; statim Dominus ipsum in profundissimum et vilissimum locum inferni praecipitavit; et non putetis, quod immoratus fuerit per unum annum, vel mensem, sed statim in momento, immo in minus quam in momento; et fuit factus turpissimus omnium creaturarum. Sic, quantumcumque tu habeas puritatem et munditiam et etiam corporis et morum pulcritudinem, nisi tu habeas obedientiam, nihil tibi valet. Unde beatus Basilius, qui primus Religionem invenit, dixit, non solum in his quae possimus, sed etiam in his quae non possumus, obedire debemus. Unde qui vobis praeciperet, quod hic statim Montem-Martyrum [3] apportaretis; statim debetis ire et currere et facere quod in vobis est et ampiecti montem inter brachia, ac si deberetis eum totum portare et non vos excusare; sicut ego vidi aliquos, qui se excusabant et (dicebant): « Domine, ego non possum facere et ego nescio ». Si ipsi (non) mentiebantur, excusati erant quantum ad hominem; si tamen mentiebantur, non erant excusati quantum ad Deum, sed magis ligati quam prius. — Sic ergo obedientia est necessaria Religiosis, et sic ista duo sunt necessaria Religioni, et sine quibus Religio esse non potest, scilicet puritas et munditia et prompta obedientia.

Ista duo bene habuit beatus Marcus, quia fuit De S. Marc et D. Virsanctus etc. Et sic fuerunt [4] ista duo praecipue in gine. gloriosissima Virgine Maria, quia Virgo fuit pura et munda; et fuit etiam obediens, quam etiam ut melius servaret obedientiam, voluit Dominus, ut esset desponsata Ioseph et ut ei esset subdita et obediret sicut suo viro. Et ipsemet Dominus tantum dilexit obedientiam, quod voluit eam servare et esse sub obedientia minorum quoad suam Divinitatem. Unde legimus in Evangelio [5], quod *erat subditus illis*, scilicet Filius Dei Virgini Matri et Ioseph. — Quia ergo Hortatio. Filius Dei voluit servare obedientiam, et quod sua Mater eam servaret; ideo debemus (etiam) nos servare obedientiam; et licet omnes, praecipue tamen illi qui ad hoc sunt astricti; quia obedientia est tantae virtutis, quod res, quae in se non valent, facit valere et meritorias esse; levare festucam de terra non est bonum aliquid nec malum, sed tamen, si hoc facias per obedientiam, valet tibi ad meritum paradisi. Unde fac omnia, quaecumque facis, per obedientiam, et omnia sunt tibi meritoria. Quando campana pulsatur ad matutinum, et tu statim surgis: surgere per obedientiam, calceare te, indnere te et ire ad ecclesiam vel (capellam), totum per obedientiam est tibi meritorium; similiter dormire, comedere et breviter omnia, quaecumque facis in Religione, ad quam te Deus vocavit. Si ita prudenter ordinas animum

[1] Esth. c. 2.

[2] Isai. 14, 14.

[3] *Montmartre*, Parisiis. — Supponendum est, sanctum praedicatorem ipsum hanc doctrinam temperasse, secundum ea quae dicit II. Sent. d. 44. a. 3. q. 2. — De S. Basilio cfr. Regulae brevius tract., Interrog. 121. et 138.

[4] Codex legit *furent*.

[5] Luc. 2, 51.

tuum et intentionem tuam, ut omnia per obedientiam facias — et sic debet fieri — omnia tibi sunt ad meritum gaudiorum paradisi, ita quod de isto claustro transibis ad claustrum paradisi, ubi nullam duritiam de cetero senties. Et ideo, qui vult habere sanctitatem debet servare obedientiam, quia vovet et servat Deo obedientiam dando suam propriam voluntatem, quod est maius quam Deo dare centum mille mundos. — Sic ergo *puritas* et *obedientia, munditia* et *obedientia* faciunt sanctitatem in exteriori conversatione. Qui vult esse cum Angelis, oportet, ipsum vivere sicut Angeli; qui cum hominibus, sicut homines; qui vult vivere sicut daemones vel porci, eat cum daemonibus vel porcis. Si ergo tu velis bene conversari cum Religiosis, oportet, te vivere, sicut debent vivere boni Religiosi et Religiosae, videlicet in puritate, munditia et obedientia. Sic habemus, quod sanctitas debet esse primo in *corde*, et quod habet duas comites vel radices; et secundo, in *exteriori conversatione*, quae similiter debet habere duas comites.

Conclusio et hortatio.

Tertio debet *probari* sanctitas *in tribulatione;* et hanc debent similiter duo concomitari, scilicet *veritas* et *patientia.* — Primo *veritas* debet esse in probata sanctitate et in eius probatione inveniri; unde Dominus Christus rogavit pro discipulis, qui adhuc non erant firmi [1]: *Pater, sanctifica eos in veritate;* et ex illa hora, qua ista efficacia orationis incepit ad eos devenire, ita firmi fuerunt in veritate, quod per nullam tribulationem vel persecutionem vel angustiam tacuerunt veritatem nec deviaverunt a veritate, sed semper verbum Dei constanter praedicaverunt. Ideo dicitur: *Sanctifica eos in veritate,* id est in verbi praedicatione et amore; quia *sermo tuus veritas est.* Quando dico veritatem omnibus aliquam, et illa veritas eis placet, bonum est, non tamen haec (veritas) est meritoria multum nec perfecta; in hac enim veritate non consistit meritum; sed quando homo dicit veritatem, et illa in tantum eis displicet, quod audientes inde eum persequuntur, et sustinet inde tribulationem et persecutionem; in hoc iacet veritatis meritum; et haec veritas semper durabit, — licet sit hodie in paucis — unde [2]: *Veritas Domini manet in aeternum.* Et haec est veritas, quam debent praedicatores in Ecclesia sancta praedicare, quae multum displicet multis auditoribus, ita etiam, quod, ut videtis, eam non possunt audire, sed fugiunt et exeunt de ecclesia; unde Psalmus [3]: *Etenim veritatem tuam in ecclesia Sanctorum.* Qui scit veritatem et ipsam pro aliquo dimittit, quin dicat eam, removet a se sanctitatem ut praedicans, vel confitens. — Si enim confitens celet in sua confessione veritatem, fugat a se sanctitatem et removet, quam debebat acquirere per confessionem; et habet maiorem in se quam prius falsitatem. Similiter praedicator pro nullo timore vel amore debet tacere veritatem (pro) loco et tempore. Hanc veritatem bene praedicavit beatus Marcus nec unquam hoc dimisit pro aliquo tormento, quod inde debuerit sustinere. Sic nos debemus facere ad exemplum eius. Sed nos debemus multum bene et sollicite cavere, ne ista veritas veniat de odio, sed de caritate, quia, si veritas, quam dicimus, venit de odio, de gladio, quem Dominus nobis contulerat pro occidendo malos et peccatores quoad peccata sua, nos occidimus bonos et etiam nos ipsos.

Tertio, sanctitas in tribulatione dupliciter probata. Do veritate.

Veritas in praedicatione.

Sem, in confessione.

S. Marcus.

Et ideo, si volumus custodire veritatem, oportet, quod haec veritas sit *probata in tribulatione* postea; secundo oportet, quod sit *probata in patientia* vel per patientiam, sustinendo omnia patienter. Sic Dominus bene custodivit veritatem in patientia et sanctitate, quia oravit pro illis qui ipsum crucifigebant [4]; sic bene habuit patientiam beatus Marcus, quia, ubi trahebatur, ita quod saxa erant tota rubea suo sanguine, ipse semper sustinebat veritatem et confitebatur veritatem Evangelii, quam praedicaverat [5]; et sic fuit bene probata per patientiam sanctitas sua. Similiter beata Agnes, una iuvencula, puella tenera, quae ibat ad martyrium ita gaudenter, quasi ad epulas invitata [6]. Sancta Maria! unde poterat hoc esse, cum omnis creatura timeat mortem et fugiat per naturam, quod sancti Martyres et Virgines tenerae ita currebant ad mortem? Certe hoc erat, quia Spiritus sanctus, magistrorum optimus, suggerebat eis illam lectionem Evangelii [7]: *Gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis;* vel: *Gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in caelis.* — Sic habemus de sanctitate, et pertinet haec sanctitas ad vitam *activam.*

Veritas dupliciter probata.

S. Marcus et Agnes.

II. Sequitur de secundo, scilicet de *sapientia,* quae pertinet ad vitam *contemplativam.* Anima, quae est illuminata sapientia, est similis soli; sol *illuminat, calefacit* et *laetificat.* — Primo *illuminat;* unde in Ecclesiastico [8]: *Sol illuminans per omnia respexit;* sic sapientia illuminat animam ad Deum cognoscendum et laudandum, quia debemus Deum laudare, scilicet anima, quae est illuminata sapientia, debet Deum laudare propter tot bona, quae nobis fecit: quia nos creavit et recreavit etc.; unde Psalmus: *Quam magnificata sunt opera tua, Domine! Delectasti me in factura tua, et in operibus manuum tuarum exsultabo.*

Pars II. De sapientia S. Marci.

Triplex effectus solis et sapientiae.

Primo, illuminat.

Secundo, sol *calefacit;* sic anima illuminata per sapientiam calefit per sanctam meditationem in contemplatione; unde in Ecclesiastici quadragesimo

Secundo, calefacit tripliciter.

---

[1] Ioan. 17, 17.

[2] Psalm. 116, 2. — Infra pro *auditoribus* codex habet *praedicatoribus.*

[3] Psalm. 88, 6.

[4] Respicitur Luc. 23, 34.

[5] Vide Abdiam cit., Histor. divi Marci, et Surium, qui sequitur Metaphrast., in hoc festo, § 7. et 9.

[6] Cfr. Ambros., I. de Virginibus, c. 2. n. 8.

[7] Matth. 5, 12; sequitur Luc. 10, 20.

[8] Cap. 42, 16; sequitur Ps. 91, 6. 5.

tertio [1]: *Tripliciter sol exurens montes:* primo per *dolorem contritionis* et indignationis de malis et peccatis, quae homo fecit. Secundo, per *ardorem compassionis*, quando anima sancta cogitat acerbitatem passionis Christi, Redemptoris sui, tunc tota liquefit in lacrymis; unde in Canticis [2]: *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est.* Debet enim anima tunc liquefieri sicut metallum, quando ponitur in fornace. Sic, quando ardor passionis veri Solis descendit super cor nostrum, debemus toti liquefieri. Et hoc bene significatum fuit de *manna*, de qua legitur, quod quando radius solis descendebat super manna, statim *liquefiebat;* sic etc. Tertio, (per) *amorem fervoris* et desiderii; Psalmus [3]: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum* etc.

Tertio, sol *laetificat;* sic anima sancta illumi-
Tertio, hoc- tificat. nata per sapientiam et calefacta per sanctam meditationem laetificatur et ibi se delectat; unde [4]: *Dulce lumen, et delectabile est oculis videre solem;* sic respicere verum Solem institiae, Dominum nostrum Iesum Christum, est valde *delectabile;* sed econtra delectari in huiusmodi rèbus mundanis et vanis delectationibus nihil aliud est quam lutum amplecti; unde
Conclusio. in Threnis [5]: *Amplexati sunt stercora.* — Sic ergo habemus, quod anima *illuminata* per sapientiam *calefit* et *laetificatur;* et sic habemus de sanctitate et sapientia istius benedicti Evangelistae, beati Marci; et haec sanctitas et sapientia nihil aliud est, quam quoddam initium sanctitatis et sapientiae, quae erit Sanctis in paradiso, quia tunc Sancti *fulgebunt sicut sol in regno Patris mei,* ut dicit Filius Dei; ad istud regnum nos perducat ille qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.

Oremus pro statu Ecclesiae, praecipue pro stu-
Additamentum notabile. dio Parisiensi, quod modo cessat [6], et puto, quod diabolus fecit modo maximam partem suae voluntatis, quando procuravit in cordibus, quod cessaret, quia hoc est unum de maioribus damnis, quod ipse possit facere sanctae Ecclesiae, quia studium Parisius est fons, a quo rivuli exeunt per totum mundum et episcopi et archiepiscopi et alii ecclesiarum rectores; et pro me et pro omnibus istis dicatis ter *Pater noster* et *Ave Maria.* — Duo me moverunt ad huc veniendum, primo quia habebam multam affectionem ad vos, quia audiveram, multa bona dici de vobis. Aliud est, quia volebam, quod mediante divina gratia possem vobis aliquid dicere, unde melius esset vobis de persona mea et meo adventu, et oretis pro nobis; et nos recipimus omnes, quotquot hic estis, in omnibus bonis factis in nostra Religione, postquam nos inde fuimus ministri, et volumus habere partem in vestris orationibus.

Sermo II [7].

Sermo fr. Bonaventurae Minorum ad Beginas in festo sancti Marci Evangelistae.

Sapientiam sine fictione didici et sine invidia communico [8] etc.

(Prothema). *In mansuetudine suscipite insitum* Prothema.
verbum, quod potest salvare animas vestras, Iacobus in sua Epistola.

Utilis est ista monitio; unde primo praemittit *monitionem*, deinde subiungit *rationem: quod potest salvare animas vestras.* Totum vel tota merces hic (inuitur) [9]. Sed sunt multi, qui non multum mite audiunt verbum; alii ita, ut quod per unam aurem intrat per aliam transeat. Ideo in principio rogabimus Dominum, ut non respiciat defectus nostros, et dicamus *Ave Maria.*

Sapientiam sine fictione didici etc.

Sicut scitis, nos facimus festum de beato Marco; Sermo.
et fuit unus de Evangelistis, de quo debemus multum solemnizare; fuit enim discipulus beati Petri Apostoli et clericus specialis, et posuit in uno libro facta, quae audiebat recitari per beatum Petrum et quae viderat et audiverat de Domino, et postea ostendit illum librum beato Petro, qui opus commendavit et statuit, ut in Ecclesia legeretur. Unde eius sapientia sibi a Domino data multum fuit utilis Ecclesiae Dei. Ideo de ipso potest vere dici hoc verbum: *sine fictione didici et sine invidia communico.* Et in verbis istis commendatur a duobus: primo, in *dili-* Divisio generalissima explicatur
gentia disciplinae quantum ad statum discipuli; secundo, in *communicatione doctrinae* quantum ad statum doctoris. Fuit enim humilis discipulus et recta intentione *addiscens* et fuit suae scientiae *communicativus,* non invidus, nec avarus. Non est tanta avaritia, sicut de eo quod dando non diminuitur; quid ergo (quis) amittit in dando? Hanc ergo sapientiam didicit et postmodum docuit, non *sapientiam* mundanam, quae *stultitia est apud Deum* [10]; multi enim sunt sapientes hac sapientia et reputantur, qui tamen in veritate sunt in fine stultitiae insipientes. Hanc non didicit iste nec docuit, quia non est vera

---

[1] Vers. 4.
[2] Cap. 5, 6; infra respicitur Exod. 16, 21.
[3] Psalm. 41, 2.
[4] Eccle. 11, 7.
[5] Cap. 4, 5; sequitur Matth. 13, 43.
[6] Hinc apparet, sermones hos pronuntiatos esse tempore turbulento, quando Gulielmus de Sancto Amore cum ei adhaerentibus S. Pontifici die 2 Oct. 1255 scripserunt, se dissolutionem Universitatis iam inceptam penitus perfecturos esse. Cfr. *Kirchenlexicon,* Herder, ed. 2. tom. XIII. col. 1583.
[7] Ex eodem codice Parisiensi fol. 239 r.; vide supra pag. 519, notam 4.
[8] Sap. 7, 13. — Prothema habetur Iac. 4, 21.
[9] Locus in originali corruptus, et aliquatenus a nobis correctus.
[10] Epist. 1. Cor. 3, 19.

sapientia nec sapida scientia, quia semper ibi quid admixtum; sed in divina sapientia non est nisi pura dulcedo et consolatio. Et dicitur bene *didici*, in praeterito, et *communico*, in praesenti. Hic enim est rectus ordo, quia prius debet homo diligenter discere quam doctor esse vel praedicator; in Ecclesiastico [1]: *Antequam loquaris, disce;* et ibidem: *In multis expertus cogitabit multa, et qui multa didicit enarrabit intellectum.* Bene potest homo esse subtilis et artilius [2], sed non potest cito esse bonus clericus, nisi multa sit expertus; sicut de periculis maris homo non potest esse bene cautus per auditum solum, nec caecus iudicare de coloribus; et qui *multa didicit, enarrabit* prudentiam. Aliter, si non didicit, non bene enarrabit vel docebit; et ideo mirabantur Iudaei de Christo, dicentes [3]: *Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?* Ecce, quam rudes et quam perversi erant; honniti [4] sint ipsi! Ipse non didicerat ab homine, sed a Deo Patre, in quantum erat homo; nam in quantum Deus, omnia sciebat sine discendo (sic); ad Colossenses: *In ipso sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi.* Ideo exceptus erat ab ista regula, quod oporteat, ipsum addiscere prius quam docere. Sed nullus alius excipitur; unde omnis alius debet tacere a doctrina, nisi didicerit, excepto solo Christo, qui venit nos docere et qui scivit tantum in nativitate quantum in morte, licet non fuisset *expertus tot* [5]. Ideo nullus debet praesumere docere, prinsquam addiscat; unde Sapiens: *Si est tibi intellectus, responde proximo* tuo; *sin autem, sit manus tua super os tuum.* Glossa [6] ibi dicit bonum verbum: « Sicut peccatum est scire et proximum non docere, sic nescire et magistrum esse ». Ideo
S. Marcus. beatus Marcus bonus doctor fuit, quia prius didicerat ab alio; non fuit somnium quod docuit, sed a bono magistro auditum. Ideo potuit vere dicere: *Sapientiam sine fictione didici* etc.

Sed qui sapientiam, quam docuit, volnerit habere et de hac bonus clericus esse, oportet, quod habeat cognitionem *Dei, sui* et *proximi.* Aliqui sunt, qui plus curant de aliis rebus quam de se ipsis. Bernardus [7]: « Multi multa sciunt et se ipsos nesciunt ». Augustinus: « Noverim te, noverim me »; qui enim se bene cognosceret multa alia cognosceret; in Ecclesiastico [8]: *Intellige quae sunt proximi tui ex te ipso*, et quomodo debes compati aliis. — Quatuor debemus cognoscere a parte *Dei*, quae facere debemus, et satis esset, si bene faceremus. Haec quatuor ex parte Dei nos spectantia (sunt): primo, eius

Requiritur triplex cognitio.

Pro cognitione Dei requiruntur quatuor.

iusta *iudicia;* secundo, larga eius *beneficia;* tertio, eius sancta *praecepta;* quarto eius salubria *exempla:* eius iudicia, ut eum *timeamus;* larga beneficia, ut eum *diligamus;* eius sancta praecepta, ut ea *faciamus* et impleamus; eius salubria exempla, ut ipsum *imitemur* et ei conformemur.

Divisio specialis.

I. Primo, dico, eius *iudicia*, quae sunt iusta, ut eum *timeamus;* in Deuteronomio [9]: *Congrega ad me populum, ut audiant sermones meos et discant timere me omni tempore, quo vivunt in terra;* dixit Dominus hoc Moysi, licet per se hoc [10] posset; nunquam enim fuit, quin Dominus per alium voluerit regi populum suum. Aliqui exspectant, quod Dominus totum in ipsis faciat, sed non est ita; tunc pro nihilo essent ministri Ecclesiae et praelati et doctores, qui indubitanter sic a Deo sunt et fuerunt ordinati; et totum est ad bonum electorum, sive praelati eorum fuerunt boni, sive mali. — Tria tangit hic, quae debet facere bonus praelatus, scilicet *congregare populum, instruere,* qualiter debet *audire sermones* Domini, et qualiter debet Dominum *timere.* Ad hoc enim debet populus venire ad ecclesiam, scilicet ad audiendum verbum salutis, non ad audiendos rumores vel fabulas; et sic *discat* Dominum *timere,* quamdiu vixerit. Dicitur, quod stultus non credit, donec vidit; sed qui per alium se castigat (?) bene se castigat et pulcre. Dominus modo utitur sua misericordia; aliter solebat esse in antiqua Lege et etiam erit in futuro, quia illa Lex non erat nisi figura futurorum [11]. Multi dicunt modo: *Manda, remanda; manda, remanda; exspecta, reexspecta;* et quando Dominus amplius non potest *exspectare,* eos interficit. Multos vidistis, qui intrabant lectum sani, in crastino inveniebantur ibi mortui. — Tria debemus de Domino cognoscere, propter quae mirabiliter debemus eum timere et esse in timore magno, quamdiu sumus in hac vita, videlicet primo propter immensitatem suae *potentiae,* propter profunditatem suae *sapientiae* et propter inflexibilitatem suae *iustitiae.* Propter immensitatem suae *potentiae*, quae non potest flecti nec superari; *sapientiae,* quae non potest latere; *iustitiae,* cui non potest obstari.

Pars I. De iudiciis divinis, ut timeamus.

Tria officia praelati.

Tria de Deo cognoscenda.

De primo Iob [12]: *Si fortitudo quaeritur, robustissimus est;* in Ecclesiastico: *Rex potens et metuendus nimis.* Si non esset nisi *rex,* deberemus ipsum revereri; sed quia *potens*, debemus eum metuere. Multa sunt genera timoris, sed Dominus vult cordialiter timeri, scilicet per amorem, ne ipsum offendamus; et iste timor est initium sapientiae; unde:

Immensa Dei potentia.

---

[1] Cap. 18, 19. et dein c. 34, 9.

[2] Forte idem est ac *artilus*, artilleux, caillidus, versutus; vel idem ac *atillus*, astutus, expeditus; vel *artista*, magister in artibus; de quibus verbis vide Du Cange, Glossarium.

[3] Ioan. 7, 15; sequitur Col. 2, 3.

[4] Iuxta verbum gallicum *honnir*, dehonorare, vilipendere.

[5] De scientia *experientiae* in Christo cfr. Breviloq. parte IV. c. 6. — Sequitur Eccli. 5, 14.

[6] Scilicet *interlinearis* apud Lyranum.

[7] Meditationes piissimae de cognitione humanae naturae (inter opera Bernardi), c. 1. n. 1. — Sequens locus Augustini verbotenus non invenitur.

[8] Cap. 31, 18.

[9] Cap. 4, 10.

[10] Scil. *congregare.*

[11] Respicitur 1. Cor. 10, 11; sequitur Isai. 28, 10.

[12] Cap. 9, 19; sequuntur Eccli. 1, 8. et v. 16.

Initium sapientiæ est *timor Domini;* et per talem timorem Domini *declinat* omnis *a malo* [1]; in Matthæo: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere* etc. Et [2] nos omnes moriemur; hoc bene scimus. Timeamus ergo illum *qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.* Aliqui timent Dominum multum, quando tonat; bene esset eis, si semper tonaret; sed ita bene potest ipse nos occidere sine tonitruo, sicut cum tonitruo. — Secundo, propter *profunditatem suæ sapientiæ,* quia est sapiens, ita quod nihil ei potest celari; ad Hebræos [3]: *Omnia nuda et aperta sunt oculis eius, ad quem nobis sermo.* Certe transacti sunt mille anni, quod ipse vidit et scivit illud quod tu modo cogitas; Iob: *Ipse solus est, et nemo potest avertere cogitationem eius;* id est, nullus est par sibi, nec potest disturbari nec impediri. Ideo *a facie eius turbatus sum et considerans eum, timore sollicitor.* — Tertio, propter *inflexibilitatem sui iudicii;* Sapiens [4]: *Qui timent Dominum* etc., *dicentes: Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini et non in manus hominum.* — Dominus habet duas manus quasi duas vias, scilicet quæ est a dextris, et quæ a sinistris; vias, quæ sunt a dextris, novit Dominus; de sinistris non curat, scilicet qui fecerunt tot delicta, nisi pœnitentiam prius egerint. Cognati sui dixerunt: *Magister, volumus, ut quodcumque petierimus, facias nobis* etc.; et mater eorum dixit: *Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam et unus ad sinistram in regno tuo.* Et ipse respondit eis: *Nescitis, quid petatis* etc. Quidam Sanctus [5] dicit, quod Dominus erubescebat escondire [6] illam matrem sanctam, licet esset illicitum quod petebat; propter quod non ei, sed filiis respondit. *Omnis, qui petit,* scilicet licitum, *accipit* [7], *et qui quærit invenit;* dicitur *omnis,* quasi dicat: non solum hoc dico discipulis meis, sed omnibus aliis.

Profunda Dei sapientia.

Inflexibilis Dei iustitia.

Sic ergo propter hæc tria capita (timeamus); unde: *Magnus* es tu *fortitudine, iustitia et iudicio.* Non curo de sua iustitia vel veritate, sed potius de sua *misericordia. Congrega ergo* etc. — In die iudicii reddemus rationem de tempore; et ponam me primo; ego enim nescirem bene reddere rationem de omnibus, quæ feci heri. Sed diabolus ita omnia mala scribit, quod nihil omittit nec obliviscitur, sed statim ponit in scripto; malum pudorem possit habere ipse scriptor! Anselmus [8]: « O lignum aridum et inutile, æternis ignibus dignum! quid respondebis in illa die, quando quæretur ratio sermonis et silentii »? Aridum, sine humore devotionis et misericordiæ; melius est, quod homo hic confiteatur. Ideo Psalmus: *Confitebor tibi in directione cordis* mei, *in eo quod didici iudicia iustitiæ tuæ,* id est *pro* eo, quasi dicat: nescio aliam viam evadendi illum horrorem nisi per confessionem. Melius est, quod computem hic in hac vita cum uno solo sacerdote, qui est homo sicut ego, quam etc. Si Dominus statuisset, quod cum Angelo confiteremur, vix ego Angelo tam puro confiterer, qui nescit, quid sit peccatum, nec in se sentit motus peccati. Sed Dominus voluit, quod confiteremur uni homini, qui forefecit [9] aliquid, forte plus quam ego, forte minus; et si non cecidit mortaliter, tamen est in possibilitate cadendi et debet semper esse in timore, dum est in hac vita. Ideo non fugiat homo vel erubescat pro uno modico pudoris; sed timeat homo et fugiat illum pudorem maximum, qui erit in altero sæculo. — Anselmus [10] in libro de Similitudinibus quærit unam demandam, utrum omnes homines sciant omnia nostra peccata in futuro. Arguit sic: Cur ergo confessus sum, si peccata mea videbuntur et scientur? — Respondet, quod nec Magdalena nec Petrus habebunt pudorem in die iudicii nec in paradiso de suis peccatis; sed ista signa erunt eis ad magnum honorem et etiam ad honorem Dei, quia in hoc glorificabitur Dominus et laudabitur in æternum; unde tuum erit gaudium de hoc, quod effugisti periculum, et Dei erit laus et gloria, quia ipsum semper de hoc laudabis; sicut videtis, quod isti milites non erubescunt portare cicatrices vulnerum sibi factorum in torneamento [11], quia sunt signa probitatis, et quod non se munceaverint [12] vel absconderint. Nonne putatis vos, quod Dominus posset facere, quod non apparerent stigmata suæ passionis? Nullus vestrum, ut credo, dubitat, cum bene credatis, quod sit omnipotens; sic et de peccatis electorum. Sed hoc erit ad honorem Dei et electorum, qui ista vicerunt per sanctam confessionem et pœnitentiam et bona opera, et ad faciendum magnum pudorem damnatis, qui confusionem habebunt tunc coram toto mundo de hoc, quod non voluerunt confiteri coram uno solo. Non ergo modicum pudoris obstruat vobis ora confessionis.

Commendatur confessio.

Quæstio incidens Anselmi.

Responsio.

Notandum.

De ratione in iudicio reddenda.

II. Secundum principale est eius *larga beneficia,* ut eum *diligamus;* in Levitico [13]: *Omnis, qui de genere Israel est, manebit in tabernaculis septem diebus, ut discant posteri vestri, quod* quando de *Aegypto* eduxi, duxi *vos in tabernaculis* — ibi erant

Pars II. De beneficiis divinis, ut diligamus.

---

[1] Respiciur Ps. 36, 27; sequitur Matth. 10, 28.

[2] Codex addit *par de;* sequitur Luc. 12, 5.

[3] Cap. 4, 13; sequitur Iob 23, 13.

[4] Eccli. 2, 21. seq.; sequuntur Marc. 10, 35. et Matth. 20, 21.

[5] Vide Bedam, IV. in Matth. 20, 22.

[6] Vide Du Cange, Glossarium etc., secundum quem hoc verbum etiam significat *aliquem re infecta dimittere, repellere* (Gallice: *éconduire*).

[7] Matth. 7, 8.

[8] Meditat. 2. de terrore iudicii. — Sequitur Ps. 118, 7.

[9] Cfr. supra pag. 521, nota 3.

[10] Potius Eadmerus (inter opera Anselmi), c. 60.

[11] Vide Du Cange, Glossarium etc.: *Torneamentum,* ludus militaris, exercitium militare.

[12] Idem est ac *se occultare* iuxta antiquum verbum Gallicum *se muchər,* quod adhuc est in usu in quibusdam partibus Galliæ septentrionalis.

[13] Cap. 23, 42. seq.

plus quam centum mille — nec *sunt attrita vestimenta vestra nec calceamenta*[1], et satis ad comedendum habuerunt; nec adhuc bene credebant in Deum, nec subveniebat eis[2] de eductione de servitute Aegypti. — Per *Aegyptum* significatur status peccati, de quo eduxit nos Dominus ista benedicta praeterita Quadragena. Dominus concedat, quod non redeamus ad illam servitutem; sed *excaecavit* multos *malitia eorum*, ne cognoscant bonitatem sibi factam a Domino, quando eduxit eos de Aegypto, vel tenebris peccati. Peccatum dicitur *tenebra*, quia fit in tenebris; in Ioanne[3]: *Omnis enim, qui male agit, odit lucem; et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem; erant enim eorum mala opera.* Etiam pueri, quando volunt peccare, trahunt se in tenebris, tali ratiuncula, sicut habent, utentes. — Quaesitum fuit a beato Gregorio[4], utrum puer infra septem annos possit peccare mortaliter. — Respondit, quod sic, si malitia suppleat aetatem; quia non possit sic peccare mortaliter, nescio; unde refert Gregorius de quodam puero, qui consueverat maledicere de Deo et blasphemare super genu patris sui vel matris, quando ibi eum tenebant, et alibi, nec eum castigabant; sed ille est valde bene castigatus, quem Deus castigat. Quadam enim die, dum pater teneret eum super genu suum, incepit blasphemare, nec puto, quod haberet adhuc quinque annos perfecte. Et statim rapuit eum diabolus et secum portavit. Bene verum est, quod sunt aliqui ita simplices, quod non auderem dicere, etiam postquam sunt viginti annorum, (quod) peccent mortaliter; ita sunt brutales. Ideo in Deuteronomio[5]: *Memineris diei egressionis tuae de Aegypto omnibus diebus vitae tuae*, per confessionem turpium peccatorum, et quae sic (bene) facere et dicere est inaestimabile; pulcra confessio sit honnita[6], nunquam placuit mihi. Aliqui ita student facere suam confessionem pulceram; hoc non est bonum; secundo, quia ducit ad tenebras inferni; proiicite *eum in tenebras exteriores*[7] et infimas. Ideo cito surgamus a peccato; non enim est ita vile cadere in lutum, sicut ibi diu stare et iacere. *Abiiciamus ergo opera tenebrarum et induamur arma lucis.*

De liberatione a peccato.

Quaestio incidens Gregorii.

Responsio.

De confessione.

III. Tertium est eius *mandata*, ut faciamus; aliter nullus erit salvus. Unde quaesivit ille a Domino[8]: *Magister*, vos praedicatis multum bonum, et credo, quod multum sunt bona et vera quae vos praedicatis; sed *quid faciendo vitam aeternam* habebo? Non dixit ei Dominus: Vade nudus pedes, vel ieiuna in pane et aqua, (sed): *Serva mandata.* Sed qui posset facere consilia, melius esset, ut nihil habere sicut Religiosi. — Audivi loqui de quodam ribaldo de Gravia[9], qui semper consuetus erat, quidquid sibi contingeret, vel de bibendo vel alio retinere unum obolum ad habendum lectum suum ad domum cuiusdam probae mulieris, in qua iacere consueverat. Quadam nocte fuit moratus nimis, ita quod totum fuit plenum; et dictum fuit ei, quando venit: Tu non potes hic esse; tandem tantum fecit, quod dixit domina, quod si vellet solvere unum denarium, quod ipsa iaceret cum sua ancilla; et ipse haberet lectum suum. Dixit, quod non habebat nisi unum obolum, sed quod per fidem suam in crastino redderet sibi alium obolum. Noluit ei credere. Tunc rediit et invenit unum dolium, in quo intravit. Et illa nocte ventus fuit fortis, ita quod domus praedicta fuit concussa, et omnes, qui ibi erant, mortui. Dominus ribaldus, quando exivit de dolio suo et audivit illud, dixit: Domine Deus, benedicta sit paupertas! Si ego habuissem unum obolum plus, quam habui sero, ego modo cum aliis essem mortuus. — Ad plus tenemur nos Religiosi quam alii, quia non debemus habere, nec *velle* habere. Cui putas fieri maius, vel pauperi sano, vel infirmo aegro?

Exemplum de paupertate.

Pars III. De mandatis divinis, ut ea faciamus.

IV. Quarto, eius *exempla* ad nos ei conformandum in *humilitate* et *paupertate*. — *Paupertas* est duplex: *temporalis*, quae, etsi libenter caperet melius, si haberet, tamen securior est divitiis; alia est paupertas *spiritualis*, ut qui dimittunt omnia propter Christum; et haec est melior, sed utraque bona. Dominus non fuit natus in palatio. *Invenietis infantem*[10] *pannis involutum et positum in praesepio* etc. Dixit quidam, videns miracula, quae Dominus faciebat: *Sequar te, quocumque ieris*, cogitans, quod, si posset sic facere, caperet inde bonam pecuniam. Sed Dominus ei dixit: *Vulpes foveas habent et volucres caeli nidos, Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Unde benedicta Domina sua fecit ei unam tunicam. Et dicit (quidam) Sanctus, quod non habuit nisi colum ad sustentandum Regem caeli, terrae et inferni. Sancta Maria! estne hoc sine mysterio, quod Rex caeli et terrae hoc ita vellet? Postea fuit suspensus totus nudus in cruce. Sed una de dominabus, quae erant ibi, proiecit suum capitegium; non habuit, *ubi caput* posset *reclinare*, nec pedes apodiare[11] nec manus. Dixit Pilatus: *Quod scripsi scripsi*, ipsum reprehendentibus. Et verum scripsit, sicut Spiritus sanctus eum faciebat scribere. — Secundo notatur sua *humilitas* in die coenae, quando *lavit (pedes discipulorum)*. Non placebat Petro etc. *Si non lavero te, non habebis*

Pars IV. De exemplis divinis deabos. De paupertate Christi.

De humilitate Christi.

---

[1] Deut. 29, 5; sequitur Sap. 2, 21. — Supra ante *ibi erant* cod. habet adhuc verbum *panation:* De numero filiorum Israel vide Levit. c. 1. et 2, ex quibus patet, numerum hic indicatum esse minus rectum.

[2] Ex Gallico *il me souvient.*

[3] Cap. 3, 20. 19.

[4] Libr. IV. Dialog. c. 18.

[5] Cap. 16, 3.

[6] Vide supra pag. 525, notam 4.

[7] Respicitur Matth. 22, 13; sequitur Rom. 13, 12.

[8] Luc. 10, 25; sequitur Matth. 19, 17.

[9] Secundum Du Cange est *arena*, Gallice *Gravier.*

[10] Luc. 2, 12; sequitur Matth. 8, 19. seq.

[11] Du Cange, Glossarium etc.: *Apodiare*, inniti, fulcire, sustinere. — Sequuntur Ioan. 19, 22. et c. 13, 5. seqq.

partem mecum. Hoc forum [1] non volo; ideo faciatis velle vestrum. *(Domine, non tantum pedes meos, sed et manus et caput).* Quo facto dixit [2]: *Vos vocatis me, Magister* etc., *exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis. — Scietis* vero *postea*, quid *modo facio; discite a me, quia mitis sum et humilis corde;* omnes artes (?) animae sunt in hoc verbo. Hic non invenietis requiem; ego quandoque in somno sum a me.... [3]. *In mundo pressuram habebitis* etc., scilicet corporibus et animabus. Quando corpora erunt glorificata in caelo, (erunt) sicut meridies clara. Et si hoc putridum corpus Deo abbandonaverimus in sancta poenitentia, tale postea recipiemus et gaudium tantum, quod *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum,* quasi diceret Apostolus: Quid vobis dicerem de gaudiis paradisi? *Nec oculus vidit* etc.; ad quod nos perducat Christus. Amen.

Sermo III [4].

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosum? Sagittae potentis acutae cum carbonibus desolatoriis [5].

Introductio.

Quia actor perversitatis terminos divinae Maiestatis invadere non formidat et Deum in membris suis aliquando impugnat et sauciat, Propheta quaerit: *Quid detur tibi,* Domine, ad armaturam, et *quid apponatur tibi,* ad medicinam? Et respondet: *Sagittae potentis* etc. Ad primum est *carbo* et ad secundum *sagittae,* et sunt dogmata veritatis; *carbones,* et (sunt) exempla sanctitatis; primum, ad intellectum; secundum, ad affectum. In his sagittis est *ferrum,* firmitas auctoritatis; *lignum,* rectitudo rationis; *penna,* modestia propositionis; Apostolus: *Vivus est sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti* etc.

Ezechiel [6]: *Similitudo quatuor animalium, aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium et quasi aspectus lampadarum.* — Dominus, sicut facta sua, quae in carne gessit, mirabilibus figuris praesignavit, ita et praecones suorum gestorum mirabiliter praefiguravit. In praedictis autem verbis duDivisio. plex eorum perfectio figuratur, scilicet *virtutis firma stabilitas* et *eiusdem exercitii varia multiformitas.* Secundum notatur, ubi dicit: *Similitudo* etc.; primum, ubi dicitur: *quasi carbonum ignis ardentium* etc.

I. Circa secundum [7] notandum, quod *similitudo et aspectus animalium* talis erat: quodlibet eorum habebat *quatuor facies, quatuor pennas,* scilicet alas, *quatuor manus, quatuor pedes,* et *innumerabiles oculos* [8]. Per haec quinque quina perfectio exercitii virtuosi designatur, quae fuit in quatuor Evangelistis et debet esse in omnibus evangelicis viris, et maxime in praelatis. — Per *facies* varias expedita affectuum multiplicitas; per *alas,* in divina pennata agilitas; per *pedes,* prompta ad obediendum agilitas; per *manus,* fervens desiderium subveniendi; per *oculos,* multiplex vigilantia circumspiciendi.

Pars I. De multiformitate exercitii virtutis.

Exercitii Evangelistis quina perfectio.

De quatuor faciebus explicatio.

De primo notandum, quod in anteriori parte facies erat *hominis; a dextris, facies leonis; a sinistris, facies vituli; desuper, facies aquilae* [9]. Per primum, *clementia* mansuetudinis; per secundum, *rigor* severitatis; per tertium, *condescensus* ad ordinandum temporalia; per quartum, *mentis serenitas* ad contemplandum divina designatur. « *Homo* enim est animal mansuetum natura »; *leo* ferox, indignantis naturae; *vitulus* vultum habet ad terram depressum; *aquila* in altum volare et solem potest limpidius intueri. Bene ergo ponitur antea *facies hominis,* quia *mansuetudo* haberi debet in vultu; sed *facies leonis a dextris,* quia *severitas* debet haberi in promptu; quae enim in dextra sunt promptiora habentur. Haec enim varietas est necessaria, ut nunc, si expedit, sit clementia mansuetudinis ad humiles; nunc, rigor severitatis ad rebelles; nunc descendat ad ordinandum terrena; nunc ascendat ad contemplandum caelestia. *Facies* quippe *vituli* ad terram prona *a sinistris* ponitur, quia per sinistram temporalia designantur. *Facies aquilae, desuper,* per quam caelestium contemplatio figuratur. Hanc affectuum varietatem Apostolus habuit, qui nunc *viscera misericordiae* gessit, nunc severitatem exercuit; modo temporalia disposuit, modo *in tertium caelum raptus fuit* [10]. Primum, cum dicit: *Filioli mei, quos iterum parturio;* secundum, cum illum fornicatorem Corinthii *satanae tradidit;* tertium, cum iubet, *mutuum debitum carnis reddi* [11]; quartum, cum videt *arcana Dei.*

Item, de quatuor pennis.

Sequitur de secundo, de quo dicitur in Ezechiele [12], quod erant *quatuor pennae uni, et quatuor* alteri, scilicet *alae.* Per *anteriorem,* cognitio propriae infirmitatis; per *superiorem,* experientia aeternitatis; per eam quae *a dextris* erat, continentia in prosperitate; per eam quae *a sinistris,* sustinentia in adversitate. De his ibidem dicitur, quod

---

[1] Hic significat *mercedem* vel *pretium;* cfr. Du Cange, *Glossarium* etc. — In 4. parte sententiae sunt abruptae.

[2] Ioan. 13, 13. seqq. et dein Matth. 11, 29.

[3] Quaedam verba interpretari non potuimus. — Sequuntur Ioan. 16, 33. et I. Cor. 2, 9.

[4] Ex cod. Trecensi n. 1464. fol. 40 v.

[5] Psalm. 119, 3. seq.; deinde Hebr. 4, 12.

[6] Cap. 1, 13. — Sermo est potius de hoc textu.

[7] Codex habet *primum;* sed, ut apparet, partes sermonis inversae sunt.

[8] Ezech. 1, 6. seqq.

[9] Ezech. 1, 10. — De sequenti loco cfr. supra pag. 262, nota 2.

[10] Epist. II. Cor. 12, 2; sequuntur Gal. 4, 19. et I. Cor. 8, 5.

[11] Epist. I. Cor. 7, 3; sequitur II. Cor. 12, 4.

[12] Cap. 1, 6.

duae pennae singulorum iungebantur, et duae tegebant corpora eorum. — Iunguntur ergo (cognitio) propriae infirmitatis et experientia aeternitatis; dicitur enim in Psalmo [1]: *Surgite, postquam sederitis* etc. Nisi enim prius homo sederit sella humilitatis per cognitionem propriae infirmitatis, iungere non potest in experientiam aeternitatis. Item, quo plus consurgit in istam, tanto plus cognoscit et illam. — *Duae* vero *tegebant eorum corpora*, quia qui continentiam et sustinentiam habuerit in omnibus tam prosperis quam adversis tutus erit.

Item, de quatuor pedibus.

Sequitur de tertio, scilicet de *pedibus*, de quorum numero, licet non exprimatur, tamen ex aliis colligitur. Nam sicut Sancti [2] dicunt, quia non est insolitum, quod animal quatuor pedes habeat; ideo de hoc quasi consueto non dicitur. Cetera vero omnia, quia mirabilia videntur, evidentius exprimuntur. —

Eorum desiderantia et conditiones.

Per pedes autem *ad obediendum agilitas* designatur, quorum primus, *abnegatio* propriae *voluntatis*; secundus, *consideratio divinae voluntatis;* tertius, *eiusdem exsecutio* irrefragabilis; quartus, diligens *examinatio exsecutionis.*

Item, de quatuor animalibus.

De quarto [3] dicitur in Ezechiele: *Extendit Cherub* — sic vocat spiritum, per quem huius visio ministrabatur, licet proprie Cherubim non mittantur, sed semper assistant — tamen, quia haec visio praefigurabat profundissimam Evangelii scientiam, et Cherub interpretatur *plenitudo scientiae*, dicit: *Extendit Cherub manum* suam *et sumsit ignem, qui erat* in medio *Cherubim, et dedit* viro, *qui indutus erat lineis.* — In quibus verbis notatur fervens *desiderium proximo subveniendi,* quod debet esse in praelatis et aliis viris evangelicis, (et) quod fuit in ipsis Evangelistis. Est ergo prima manus pro ipsis *ardenter zelare;* secunda, pro ipsis *se periculis exponere;* tertia, pro ipsis *adversa tolerare;* quarta, in earum cura et conversione *desudare.* — Et haec quatuor praedictis congruunt faciebus. Secundum *hominis* faciem congruit per clementiam zelare pro animabus; Apostolus [4]: *Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror?* — Secundum *leonis* faciem, fortiter pericula non timere; secundum *vituli* faciem, adversitatis iugo colla per tolerantiam subdere; secundum *aquilae* faciem, curae et conversioni proximorum intendere. Scriptum est enim: *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos et super eos volitans expandit alas suas* etc.

Earum significatio et conditiones.

Congruunt 4 faciebus.

Item, de quatuor oculis.

De quinto in Apocalypsi [5] dicitur, quod *plena* erant *oculis ante et retro,* quia ex omni parte debet esse circumspectus praelatus in vigilia sui et suorum; Apostolus: *Attendite vobis et universo gregi* etc.

Conclusio.

— Sic ergo in praedictis quinque quinaria perfectio notatur, quae est exercitii multiformitas.

Pars I. De virtutis stabilitate contantur duo.

II. Sequitur de primo, quod est circa *virtutis stabilitatem,* quae notatur, cum dicitur: *carbones ignis ardentis et lampadarum;* ubi duo notantur, scilicet *virtutis perfectio* et *perfectionis declaratio;* primum, *carbonum;* secundum, *lampadarum.* — Primum est quadruplex, scilicet *puritas* conscientiae, *rigor* poenitentiae, profunda *humilitas,* perfecta *caritas.* In his enim quilibet evangelicus vir, debet esse stabilis, sicut in praemissis fuit variabilis. — De primo, Psalmus [6]: *Ignis a facie eius exarsit, carbones succensi sunt ab eo.* — *A facie,* id est a flatu; sic enim carbo generatur: subiicitur ignis ligno, flatus igni, demum surgit postea flamma, primo quidem obscura, post hoc pura. Ignis gratiae praevenientis subiicitur ligno humani cordis; huic igni flatus gratiae subsequentis; unde surgit fumus passionum et affectuum sordidorum; quibus evictis, venit conscientiae flamma, primo, propter reatum culpae, obscura; deinde, propter peccati purgationem et ardoris intensionem, pura. Dicit ergo: *Ignis a facie eius* etc.

Primo, quadruplex virtutis perfectio.

De puritate conscientiae.

De rigore poenitentiae.

De secundo, Psalmus [7]: *Prae fulgore in conspectu eius nubes transierunt, grando et carbones ignis.* In his triplex poenitentiae status designatur, scilicet *incipientium, proficientium, perfectorum. Nubes* enim sunt qui de terrenis actibus tanquam vapores super terram per contritionem elevantur; secundo, *(grando,)* qui per poenitentiae rigorem se comprimunt et a fluxibilitate terrenae voluptatis rigescunt et quasi congelantur. *Carbones,* qui iam omnino a mundi deliciis, a carnis illecebris desiccati, adhuc fervore poenitentiae vehementer calescunt et inflammantur. — De tertio, in Tobia: *Cordis eius particulam si super carbones ponas, daemonium extricatur.* Per *piscem* illum diabolus figuratur; *cordis eius particula* est superbia. Circa enim eius lapsum duo notantur, scilicet *desideratum* et *desiderium.* Non peccavit ratione *desiderati,* quia, si perstitisset, desideratum habuisset; sed ratione *desiderii,* in quo superbiendo desideravit. *Cordis* ergo *eius particula* est superbia, quae, *posita super carbones* humilitatis, fugat daemones. *Fel* eius depellit *albuginem ab oculo. Fel* designat eius poenam, quae depellit *albuginem* peccati, scilicet caecitatem. Si enim quisquam recogitat, quomodo pro uno desiderio ille est aeternaliter damnatus, facilius evitat peccata. *Carbo* vero bene humilitatem denotat ratione ignis, qui non uritur nisi in aliena materia; quia humilitas non sua reputat, sed aliena merita. — De quarto, Apostolus [8]: *Si esurit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi; hoc enim faciens carbones ignis,* id est caritatem, *congeres super caput eius,* id est mentem.

De profunda humilitate.

De perfecta caritate

Secundo, quadruplex perfectionis declaratio.

De secundo, quod est *declaratio perfectionis,* quod notatur, ubi dicitur *lampadarum,* notandum,

[1] Psalm. 126, 2; sequitur Ezech. 1, 11.

[2] Eadem habentur etiam in Glossa Hugonis a S. Charo; sed vide quae in hunc locum dicit Cornel. a Lapide.

[3] Pro *quarto* codex habet *tis.* — Sequitur Ezech. 10, 7.

[4] Epist. II. Cor. 11, 29; sequitur Deut. 32, 11.

[5] Cap. 4, 6; deinde Act. 20, 28.

[6] Psalm. 17, 9.

[7] Psalm. 17, 13; sequitur Tob. 6, 8.

[8] Rom. 12, 20.

quod est quadruplex lampas, scilicet *simplicitatis, adversitatis, abdicationis* humanae laudis, *perfectionis operis*. — De primo, Iob [1]: *Deridetur iusti simplicitas, lampas contempta apud cogitationes divitum.* Gregorius: « Quid stultius videtur mundo quam mentem verbis ostendere, nihil callida machinatione simulare, pro iniuriis contumelias non reddere »? — De secunda. De secundo, Genesis [2]: *Cum occubuisset sol, facta est caligo tenebrosa, et apparuit clibanus fumans et lampas ignis transiens inter divisiones illas.* Cum *sol occubuisset*, prosperitatis, *clibanus*, tribulationis, *lampas*, adversitatis, scilicet inter bonos et malos, qui per iumenta et aves figurantur [3]. Adversitas enim hos probat et discernit.

De primo. De tertio. De quarta. De S. Marco.

De tertio, in Evangelio [4]: *Fatuae, acceptis lampadibus, non sumserunt oleum secum; prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.* — De quarto, Cantica: *Lampades eius, lampades ignis atque flammarum; ignis*, propter meritum; *flamma*, propter exemplum. — Huiusmodi autem perfectio in beato Marco clarnit; unde merito in praelatum Ecclesiae assumtus fuit. Sed certe mirum videtur, quod ipse sibi amputasse pollicem dicitur, ut sacerdotio inhabilis haberetur [5]; sed hoc secreta Spiritus sancti suggestione factum creditur, ut nostra temeraria praesumtio refrenetur, vel ob aliquam istarum videlicet causarum, propter quas praelationis onus est fugiendum, donec compellatur quis strictioris auctoritate, vel conscientiae propriae dictamine. — Sunt autem hae causae, scilicet ut quilibet *se reputet insufficientem*, exemplo Moysis [6] dicentis: *Quis sum ego, ut educam* populum, *filios Israel, de Aegypto?* — Item, quia quilibet debet a se *excludere sinistram opinionem* exemplo Danielis [7] et suorum sociorum, quibus, dum rex dona promitteret, ire nolebant, ne dona appetere viderentur. — Item, ut dominicae peregrinationis *vestigia* expressius *imitetur*. Nam, sicut dicitur in Evangelio [8], ipse abscondit se, dum enm populi in regem assumere vellent. — Item, ut manifestius dominica *consilia adimpleat*. Dominus enim ad perfectionis viam ambulandum consuluit, ut, omnibus venditis et pauperibus erogatis, ipsum sequamur. — Item, ut ardentius *insistat orationi;* nam, secundum quod ex dictis beati Gregorii [9] patet, ex conversatione hominum saecularium et colloquio eorum trahitur saepe consuetudo loquendi verba levitatis et vanitatis; propter quod tepidius orationi insistitur, et oratio tardius exauditur. — Item, ut perspicacius *vacet contemplationi;* nam, secundum beatum Gregorium [10], « mens, quae foris ad temporalium curam spargitur, intus a caelestium contemplatione evacuatur ».

Sex causae pro fugienda praelatione.

DE SS. PHILIPPO ET IACOBO APOSTOLIS (1 Maii).

Sermo [11].

Isti sunt duo filii olei, qui assistunt Dominatori universae terrae, Zachariae quarto [12].

(Prothema). *Ego sum via et veritas et vita;*

Prothema. *via*, dirigens operis effectum; *veritas*, docens intel-

De Christo, via. lectum; *vita*, pascens affectum. De primo, in Proverbiis [13]: *Viam sapientiae monstrabo tibi, ducam te per semitas aequitatis, quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, et currens non habebis offendiculum. Viam sapientiae*, quoad praecepta; *semitas aequitatis*, quoad consilia, quae quia ad aggrediendum difficilia videntur, subdit: *quas*

Item, veritate. *cum ingressus fueris* etc. — De secundo, in Evangelio: *Magister, scimus, quia verax es et viam*

Item, vita. *Dei in veritate doces* etc. — De tertio, Ioannes [14]: *Ingredietur et egredietur et pascua inveniet; haec enim est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Iesum Christum.* — Vel sic: *via*, in exemplo; *veritas*, in promisso; *vita*, in praemio. Quia ergo ipse est veritas in promisso et promisit: *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam*, petamus ergo etc.

Isti sunt duo filii olei, qui assistunt Dominatori universae terrae.

Isaias [15], admirans Apostolorum et apostolicorum virorum excellentiam et perfectionem, prorupit in quaestionem: *Qui sunt isti qui ut nubes volant et quasi columbae ad fenestras suas? — Nubes* generatur ex vaporibus ignitis et subtiliatis et elevatis. Apostoli ergo bene *nubes* dicuntur, quia *igniti*, per caritatem; *subtiliati*, per paupertatem voluntariam; *elevati*, per contemplationem. *Qui ut nubes volant, pluendo* imbrem sacri dogmatis; *coruscando* miraculorum signis; *tonando* peccatorum detestationibus et poenarum minis. De his nubibus Iob [16]: *Frumentum desiderat nubes, et nubes spargunt lumen suum, quae lustrant* cuncta *per circuitum,*

Sermo.

---

[1] Iob 12, 4. seq. — Sequitur Gregor., X. Moral. c. 29. n. 48.
[2] Cap. 15, 17.
[3] Alluditur ad Gen. 15, 9. seq.
[4] Matth. 25, 3; sequitur Cant. 8, 6.
[5] Vide supra pag. 520, notam 3.
[6] Exod. 3, 11.
[7] Respicitur Dan. 2, 6. et c. 5, 17.
[8] Respicitur Ioan. 6, 15. et infra Matth. 19, 21.
[9] Libr. III. Dialog. c. 15. et Regula pastor. parte III. c. 14.
[10] Vide lib. V. Moral. c. 31. n. 55. et lib. XV. c. 46. n. 52.
[11] Ex cod. Treecnsi saepe supra citato n. 1464. fol. 41 v. Multae etiam sententiae et phrases insinuant S. Bonaventuram ut auctorem.
[12] Vers. 14. — Prothema habetur Ioan. 14, 6.
[13] Cap. 4, 11. seq.; sequitur Matth. 22, 16.
[14] Cap. 10, 9; et dein c. 17, 3. et c. 14, 13.
[15] Cap. 60, 8.
[16] Cap. 37, 11. seq.

quocumque eas voluntas gubernantis duxerit. — *Frumentum,* id est terra fructifera, scilicet bona mens hominis; *desiderat nubes,* imbrem nubium, scilicet doctrinam; *et nubes spargunt lumen,* id est doctrinam; *quae lustrant* etc. Hoc est quod lob dixit: *volant, quocumque eas voluntas gubernantis duxerit;* in quo perfecta obedientia notatur. Et nota, quod sacerdotium dicitur *nubes,* dicitur et *lumen; imber,* quia fecundat affectum ad bene operandum; *lumen,* quia illustrat intellectum ad recte credendum. *Et quasi columbae ad fenestras suas. Columba* gemitum pro cantu edit et poenitentes designat, qui *ad fenestras suas volant,* dum dominicae passionis et Christi vulnerum memores, ipsum imitando crucem suam bajulant. Praedictae igitur quaestioni Isaiae per verba praedicta Zachariae responderi potest: *Isti sunt* etc.;

Divisio. in quibus Apostoli ex quatuor commendantur, scilicet a *vitae bonitate,* a *sociali amore,* a *gratiae promissione,* ab *apostolatus dignitate.* Primo: *Isti sunt;* secundo: *duo;* tertio: *filii oleï;* quarto: *qui assistunt Dominatori.*

Pars I. De vitae bonitate.

1. De primo ergo dicit: *Isti sunt,* in quo ipsorum *bonitas* notatur; « nam ens et bonum convertuntur [1] »; et quidquid deficit a bono desinit esse; unde Boethius [2] probat, malos nihil esse; et Augustinus dicit super hoc verbo: *sine ipso factum est nihil:* « Peccatum nihil est, et qui peccat nihil fit ». Psalmus [3]: *Deficientes quemadmodum fumus deficient;* lob: *Habitent in tabernaculo illius socii eius qui non est.* Qui enim per peccatum elongatur a Deo, qui vere solus est, deficit ab ente. Et ideo Apostoli habent verum *esse,* et de eis dici potest veraciter: *Isti sunt,*

Effectus & virtutem. quia Deo adhaeserunt. — Et notandum, quod sicut peccatum corrumpit et deducit ab *esse,* ita Dei *timor* reducit ad *esse; fides* dat placens Deo *esse; caritas* dat

De timore. vivificum *esse; iustitia* conservat in *esse.* — De primo, Ecclesiastici primo [4]: *Timor Domini expellit peccatum,* et sic certe ex consequenti reducit ad *esse,* a quo peccatum deduxerat; Ecclesiastes: *Deum time et*

De fide. *mandata eius observa.* — De secundo, Apostolus:

e caritate. *Sine fide impossibile est Deo placere.* — De tertio, Ioannes [5]: *Scimus, quoniam translati sumus de morte*

De iustitia. *ad vitam, quoniam diligimus fratres.* — De quarto: *Iusti in perpetuum vivent.* Et quia his omnibus modis habent *esse* isti Apostoli, bene dicitur: *Isti*

Applicatio ad Apostolos. *sunt.* Haec autem dicta sunt ratione huius verbi *sunt;* sed *qui* (sunt) isti? Scilicet Philippus, qui interpretatur *os lampadis,* in quo designatur sana doctrina; et Iacobus, qui interpretatur *luctator,* in quo designatur bona vita. Iacobus enim ratione sanctae vitae et *iustus* cognominatus est [6] et *frater Domini,* et merito; duxit enim uxorem Domini, scilicet Ecclesiam Ierosolymis, cum ei in episcopum est praefectus, ut secundum Legem Moysi mystice *suscitaret semen* defuncto *fratri.* — Philippus, os lampadis, scilicet Christi; Isaias [7]: *Propter Sion non tacebo et propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor Iustus eius. Splendor* est reverberatio lucis a corpore terso et polito [8]; humanitas Christi fuit talis, a quo Divinitas resplenduit; *et Salvator eius ut lampas accendatur.* Christus, lampas, cuius vitrum, humanitas; oleum, caritas; lumen, Divinitas. Huius os, Philippus per sanctam praedicationem; Ieremias [9]: *Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris.* — Et hi bene coninnguntur, quia in his perfectio bonae vitae figuratur expresse, quae consistit in bona operatione et sancta eruditione. Et hi bene figurantur per *Cherubim,* de quibus ad Moysen est dictum: *Facies duos Cherubim aureos et productiles* obumbrantes propitiatorium *ex utraque parte oraculi.* Apostoli isti erant Cherubim duo, in quibus erat plenitudo scientiae quoad doctrinam credendorum et exemplar operandorum. *Productiles* quoad obediendum; *ex auro,* quoad caritatem. — Zacharias [10]: *Assumsi mihi duas virgas; unam vocavi Decorem et alteram vocavi Funiculum et pavi gregem.* Per has *virgas* isti duo Apostoli bene figurantur. *Unam vocavi Decorem,* propter operationem boni operis; *alteram Funiculum,* propter rectitudinem intentionis; *et pavi gregem;* nisi enim haec duo, quae in his Apostolis erant, in praelatis fuerint, gregem non bene pascere poterunt. — Item, bene figurantur per illud Apocalypsis: *Hi sunt duae olivae et duo candelabra. Olivae,* propter opera pietatis; *candelabra,* propter famam boni operis. Sic ergo in hoc quod dicitur: *Isti sunt,* commendantur a vitae bonitate.

Decorum apta coniunctio et figuratio triplex.

Pars II. De sociali amore.

II. Sequitur de secundo, scilicet *sociali amore,* qui notatur, dum dicitur: *duo.* Unde etiam *Dominus misit binos* et binos *ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus* [11], ad denotandum, quod ipse ad nullum venit, in quo amoris concordia non fuerit. Et licet Tullius [12] dicat, « quod amicorum sit idem velle et idem nolle », tamen plus fuit in istis quibus erat idem *sapere* quoad intellectum; idem *velle,* quoad affectum; idem

[1] Dionysius, de Div. Nomin. c. 5. Vide Bonav., tom. I. pag. 32, notam 2.

[2] Libr. IV. de Consolat. Philos. prosa 2; vide ibid. III. prosa 12, ubi dicit, malum nihil esse. — Sequitur August., in Ioan. Evang. tr. I. n. 13.

[3] Psalm. 36, 20; sequitur Iob 18, 15.

[4] Vers. 27; sequuntur Eccle. 12, 13. et Hebr. 11, 6.

[5] Scilicet Epist. I. c. 3, 14; sequitur Sap. 5, 16.

[6] Secundum Eusebium II. de Histor. Ecclesiast. c. 1. et 23, ubi alludit ad Hegesippum, V. Commentar. et Hieron., de Viris illustribus c. 2; sequuntur Gal. 1, 19. et Deut. 25, 5.

[7] Cap. 62, 1. [8] Cfr. tom. I. pag. 190. dub. 7.

[9] Cap. 15, 19. et Exod. 25, 18. seqq.

[10] Cap. 11, 7; sequitur Apoc. 11, 4.

[11] Luc. 10, 1.

[12] Haec sententia potius sumta est ex Catilinae oratione apud Sallustium c. 20. Secundum sensum habetur etiam apud Ciceron., Orat. pro Plancio, c. 2. et libro de Amicitia passim.

agere, quoad effectum; idem *intendere*, quoad profectum. — Et notandum, quod in hac amoris concordia ad quatuor sunt coniuncti; scilicet ad perhibendum *testimonium* veritatis; ad habendum *societatem* supernae dilectionis; ad impendendum *subsidium* mutuae subventionis; ad obtinendum *efficaciam* divinae exauditionis. Haec enim quadruplex dualitas sanctae coniunctionis facit, quibus singulis perversitatis actor, diabolus, malam dualitatem opponit. — De primo, Apocalypsis [1]: *Dabo duobus testibus meis, et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta.* Non expressit, *quid* daret, ut magna se daturum insinuaret, scilicet *lumen* veritatis in sermone, *discretionem* in opere, *bonam famam* in opinione, *constantiam* in tribulatione. Secundum hoc dicuntur in Evangelio *lux mundi*, *sal terrae*, *lucerna super candelabrum*, *civitas supra montem posita*. De primo, Apostolus [2]: *Vos estis lux mundi in medio nationis pravae et perversae, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo verbum vitae continentes;* Ecclesiasticus: *Ego feci in caelis, ut oriretur lumen indeficiens.* — De secundo: *Vos estis sal terrae;* Iob: *Nunquid poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum?* Philosophus [3]: « Salem non sufficit vis terrea immutare, nisi adiuvet illam calor solis ». Et certe, sic ad virtutem discretionis non sufficit homo nisi gratiae divinae auxilio. Sed de multis hodie dici potest: Lambunt animalia caucem (?): id est bestiales, histriones, adulatores et huiusmodi vivunt de bonis clericorum, et eos lambunt quasi caucem, qui sal terrae (esse) debuerunt [4]. — De tertio: *Nemo lucernam accendit et in obscondito ponit, neque sub modio, sed supra candelabrum* [5]; Psalmus: *Paravi lucernam Christo meo.* — De quarto, Ieremias: *Dedi te in civitatem munitam* etc. In hac *civitate* abundant arma sacrae Scripturae; victualia, charismatum et gratiae; populus, communionis sanctae Ecclesiae; et ideo dicitur bene *munita*.

De secundo, scilicet habenda supernae *dilectionis societate;* Ecclesiastes [6]: *Si dormierint duo* simul, *mutuo fovebuntur; unus quomodo calefiet?* Levitici sexto: *Ignis in altari meo semper ardebit, quem nutriet sacerdos, subiiciens ligna mane per singulos dies.* — De tertio, Ecclesiastes: *Melius est, duos esse simul quam unum; habent enim emolumentum societatis suae.* De hoc emolumento Petrus [7]: *Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei;* Ecclesiastes: *Si quispiam praevaluerit contra unum, duo resistunt ei.* Unde super hoc verbo Apostoli: *Omnes estote unanimes*, Glossa: « Omnis pugna unanimiter aggressa parit victoriam »; dum legitur [8], quod *populus*, (cum) *congregatus est sicut vir unus*, vincit; dum legitur, quod, (cum) fuerit dispersus, est devictus. Unde patet, quod in bona Religionis societate melius implentur praecepta et consilia quam extra sola praecepta. Hoc bene est figuratum in libro Regum [9], dum vaccae *portantes arcam non declinabant, neque ad dextram neque ad sinistram, sed ibant in directum* versus *Bethsames*, id est domum solis. — De quarto, in Matthaeo: *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo.* Hinc legitur, quod erant Apostoli *unanimiter perseverantes in oratione cum mulieribus et Maria, Matre Iesu* etc., cum super eos descendit Spiritus sanctus.

Contra quatuor bonas dualitates praedictas diabolus opposuit quatuor dualitates malas; contra primam, falsitatis, scilicet *detractionis* et *adulationis* in sermone; contra secundam, *odii* et *invidiae;* contra tertiam, *gulae* et *luxuriae* in carne; contra quartam, *hypocrisim* in opere. De primo [10]: *Novissime venerunt duo falsi testes.* — De secundo, Daniel: Erant *duo senes iudices* etc. Isti enim ex odio iustam condemnare volebant, quia in malo eis non consenserat. — De tertio: *Duae sunt filiae sanguisugae, dicentes: Affer, affer.* — De quarto [11]: *Vae peccatori terram ingredienti duabus viis!* scilicet bona operatione et mala intentione.

III. Sequitur de tertio, scilicet de *plenitudine gratiae;* quod notatur per hoc, quod subditur: *filii olei.* — *Oleum* enim designat gratiam, quia *lenit, sanat* et *pascit* et *illuminat*. Sed notandum, quod est multiplex oleum, scilicet *fidei* in intellectu, *caritatis* in affectu, *pietatis* in effectu, humilis *conversationis* in profectu, *quietis* et pacis in convictu, *patientiae* in conflictu [12], *libertatis* in egressu. Et secundum haec ipsi sunt filii multiplicis gratiae. Sed his singulis adversarius *oleum peccati* opponit, per quod ipse *perditionis filios gignit.* — De primo, Ecclesiastes [13]: *Omni tempore sint vestimenta tua candida, et oleum de capite tuo non deficiat*, id est *fidei* de superiori parte rationis. Haec bene dicitur *oleum*, quia lenit tumorem superbiae in intellectu, quem subiicit ad credendum contra argumenta rationis. *Vestimenta*, id

Quadruplex bonus amoris effectus.

De testimonio veritatis.

Quatuor dabuntur.

De lumine.

De discretione.

De bona fama.

De constantia.

De societate dilectionis.

De subsidio dilectionis.

Figura.

De efficacia orationis.

Quatuor malae dualitates.

Pars III. De plenitudine gratiae.

Septem olei differentiae.

Oleum fidei

---

[1] Cap. 11, 3; sequuntur Matth. 5, 14. 13. et v. 15.

[2] Phil. 2, 15. seq.; sequuntur Eccli. 24, 6. et Iob 6, 6.

[3] Vide Aristot., IV. Meteorolog. c. 10, ubi dicit, salem calore concrescere; cfr. ibid. c. 7. 8. 9.

[4] Cfr. Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 17. n. 9, ubi dicitur, quod animalia lambere debeant petram salis, ut meliorentur.

[5] Luc. 11, 33; sequuntur Ps. 131, 17. et Ier. 1, 18.

[6] Cap. 4, 11; sequuntur Lev. 6, 12. et Eccle. 4, 9.

[7] Epist. I. c. 4, 10; sequuntur Eccle. 4, 12. et Phil. 1, 27. cum Glossa *interlineari* apud Lyranum.

[8] Quae hic dicuntur recte colligi possunt ex I. Esdr. 3, 1. seqq. et sequentibus capitulis.

[9] Libr. I. c. 6, 12; sequuntur Matth. 18, 19. et Act. 1, 14.

[10] Matth. 26, 60; sequuntur Dan. 13, 5. seqq. et Prov. 30, 15.

[11] Eccli. 2, 14.

[12] Hoc membrum hic est omissum, infra insinuatum.

[13] Cap. 9, 8.

est conversationis opera. Augustinus in Regula ad Servos Dei [1]: « Io omni motu vestro nihil fiat, quod cuiusquam aspectum offendat, sed quod vestram deceat sanctitatem ». Idem: « Mirum est, nihil vis habere malum nisi te ipsum »; si vestimenta tua lavas saepe, quare non saepe te ipsum lavas? De huius olei filiis, Ioannes [2]: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius;* Ioannes: *Haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra,* id est mundanum et humanum sensum. Econtra est *oleum haereticorum;* Psalmus: *Molliti sunt sermones eius super oleum, et ipsi sunt iacula.* De huius filiis, in cantico Deuteronomii: *Generatio enim perversa est, et infideles filii;* Ieremias [3]: *Filii Memphеos et Taphnes constupraverunt te,* scilicet per adulterium intellectus Scripturae; *Mempheos,* id est
Oleum caritatis. os serpentis. — De secundo, Proverbia: *Thesaurus desiderabilis, et oleum in habitaculo iusti, et imprudens homo dissipabit illud.* — *Thesaurus,* id est *caritas, desiderabilis;* Augustinus: « Habet quidquid patet, quidquid latet in divinis codicibus qui caritatem servat in moribus ». *Et imprudens;* vere sic. Nam, dum tribus taxillis, scilicet superbiae, avaritiae, luxuriae, ludit, oleum, id est thesaurum caritatis, perdit. De huius filiis, Deuteronomium [4]: *Benedictus Aser,* qui interpretatur beatus, *in filiis,* per sacramentalem regenerationem; *sit placens fratribus suis,* id est caelestibus civibus; *et tingat in oleo pedem suum,* id est affectum. *Ferrum et aes, calceamentum eius. Ferrum,* constantia in tribulatione; *aes,* perseverantia in bono opere. De huiusmodi filiis olei, Apostolus: *Imitatores Dei estote sicut filii carissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos et tradidit semetipsum*
contrario. *pro nobis.* Econtra est oleum dolosae *adulationis;* Psalmus: *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.*

De tertio in Luca [5] legitur, quod Samaritanus
Oleum pietatis. semivivi vulneribus *infudit vinum et oleum.* Iob: *Quis mihi tribuat, ut sim iuxta menses pristinos,* scilicet innocentiae, *quando lavabam pedes meos butyro,* id est abundantia gratiae humanitatis Christi. *Et petra fundebat mihi rivos olei;* Apostolus: *Petra autem erat Christus.* De his filiis olei, Ecclesiasticus [6]: *In iudicando esto pupillis ut pater misericors et pro viro matri eorum; et eris tu velut filius Altissimi obediens.* Econtra est oleum cupiditatis; Psalmus: *A fructu frumenti, vini et olei sui multiplicati sunt;* Iacobus: *Iudicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam.* De his filiis, Psalmus [7]: *Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem et quaeritis mendacium?* — De quarto, Oleum humilis conversationis.
Ieremias: *Nolite occidere nos, quia habemus thesauros in agro, frumenti et hordei et olei et mellis. Frumenti,* caritatis in corde; *hordei,* poenitentiae in carne; *olei,* humilitatis in conversatione; *mellis,* patientiae in tribulatione. De his olei filiis, Apostolus: *Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.* In Evangelio [8]: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Contra (eos) qui filii superbiae sunt, Iob: *Ipse est rex super universos filios superbiae.* — De quinto, in libro Regum: *Vende oleum* Oleum quietis et pacis.
et redde creditori tuo; tu autem et filii tui vivite de reliquo. Ex hoc enim acquiritur *pax in convictu,* quod cuilibet quod suum est redditur, et quisque suo est contentus; Apostolus [9]: *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* De his filiis, in Evangelio: *Beati, pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Econtra est oleum discordiae, de qua in Psalmo: *Intravit sicut aqua in interiora eius, et sicut oleum in ossibus eius.* — De sexto, Psalmus [10]: Oleum patientiae.
Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum; in libro Regum: *Abiectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo.* De his filiis, in libro Machabaeorum: *Estote filii potentes et estote parati in mane, ut pugnetis adversus nationes has.* Econtra est oleum dissolutionis; in Proverbiis [11]: *Favus distillans, labia meretricis, et nitidius oleo, guttur eius. Novissima autem illius, amara quasi absinthium.* De his filiis maledictionis: filii, qui dereliquere viam rectam, secuti sunt Balaam ex Bosor, qui docuit filios Israel inebriari vino et fornicari. — De septimo, Isaias [12]: *Auferetur onus* Oleum libertatis.
culpae *de humero tuo et iugum* poenae *de collo tuo, et computrescet iugum a facie olei.* De his filiis, Apostolus: *Ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei. Ipsa creatura,* id est homo, qui communicat cum omni creatura et est omnis creatura [13], sicut et ibi: *Praedicate omni creaturae,* id est soli homini.

---

[1] Cap. 6. Pro sequenti loco Augustini cfr. serm. 29. (alias 3. de Diversis), c. 4. n. 5; serm. 72. (alias 12. de Verbis Domini), c. 4. n. 5; serm. 82. (alias 16. de Verbis Domini), c. 11. n. 14. et serm. 298. (alias 41. de Diversis), c. 3. n. 4.

[2] Cap. 1, 12; sequuntur I. Ioan. 5, 4; Ps. 54, 21. et Deut. 32, 20.

[3] Cap. 2, 16; sequuntur Prov. 21, 20. et August., serm. 350. (alias 39. de Tempore), n. 2.

[4] Cap. 33, 24. seq.; sequuntur Eph. 5, 1. seq. et Ps. 140, 5.

[5] Cap. 10, 34; sequuntur Iob 29, 2. 6. et I. Cor. 10, 4.

[6] Cap. 4, 10. seq.; sequuntur Ps. 4, 7. et Iac. 2, 13.

[7] Psalm. 4, 3; sequuntur Ier. 41, 8. et Rom. 8, 14.

[8] Matth. 11, 29; sequuntur Iob 41, 25. et IV. Reg. 4, 7.

[9] Rom. 13, 8; sequuntur Matth. 5, 9. et Ps. 108, 18.

[10] Psalm. 88, 20; sequuntur II. Reg. 1, 21. et I. Mach. 3, 58.

[11] Cap. 5, 3. seq.; dein quoad Balaam cfr. Apoc. 2, 14.

[12] Cap. 10, 27; sequitur Rom. 8, 21.

[13] Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 29. n. 2; sequitur Marc. 16, 15. — Ultimum membrum divisionis deest.

DE TRANSLATIONE S. FRANCISCI (25 Maii).

Sermo [1].

Amice, ascende superius, Lucae decimo quarto [2].

Verba sunt Domini ad humiliitatem invitantis.

Introductio. Praemisit enim: *Cum vocatus fueris ad nuptias, vade, recumbe in novissimo loco;* et quia beatus Franciscus, *vocatus ad nuptias* Christi in *novissimo loco recubuit,* cum habitum abiectissimum assumsit, cum Ordinem Minorum instituit, quem non aliquo speciali modo Minorum, sed simpliciter et absolute Minorum Fratrum appellavit; Christus ad ipsum bene dicere potuit: *Amice, ascende superius.* — Et in ipso est impletum quod in Psalmo [3] legitur: *Suscitans a terra inopem et de stercore erigens pauperem, ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.* Sed in praemissis verbis tria notantur, scilicet in praesenti vita, *gratia; transitus* ab hac vita, et futurae vitae *gloria.* Primum: *Amice;* secundum: *ascende;* tertium: *superius.*

Pars I. Gratia in praesenti. I. De primo, Sapientiae septimo [4]: *In animas sanctas se transfert, amicos Dei constituit.* Et bene potuit Christus hunc Sanctum vocare *amicum,* quia re vera fuit etiam in hac vita eius amicus *fidelis in commisso* per veram humilitatem; *unanimis in proposito* per puram cordis sinceritatem; amicus *familiaris* in *contubernio* per elevatae mentis serenitatem; amicus *conformis in ornamento* per expressam crucis conformitatem. — De primo, Ecclesiastici sexto: *Amico fideli nulla est comparatio, et non est digna ponderatio auri et argenti contra bonitatem fidei illius.* Re vera hic Sanctus *fidelis* fuit *in commisso,* quia nec fraudem nec negligentiam fecit. Gregorius: « Duo sunt cavenda in opere Dei, fraus et negligentia; fraudem facit maior amor sui; negligentiam, minor amor proximi ». Quia autem hic sibi fuit austerus, proximis propitius, de utraque cavit, et ideo fidelis fuit. Item, fidelis, quia mandatis Domini plenissime obedivit et nihil de bonis Domini sibi attribuit [5]. Fidelis re vera es servus Domini, si de bonis Domini, quae transeunt per te, etsi non sint ex te, nihil contigerit tuis manibus adhaerere. — De secundo, Proverbiorum vigesimo secundo [6]: *Qui diligit cordis munditiam propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem.* Hanc cordis puritatem duo faciunt, scilicet *poenitentia* in afflictione sponte assumta et *patientia* in tribulatione aliunde inflicta. Haec enim sunt duo purgatoria, quae animam purificant; primum est per aquam, secundum est per ignem; Psalmus: *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium.* Et sicut impossibile est, vestem inquinatam mundari, nisi transeat per lavacrum, sic et animam, nisi transeat per poenitentiae et patientiae purgatorium. Et quia *amicus omni tempore diligit,* oportet cordis munditiam semper habere. *Qui* enim *baptizatur a mortuo et iterum tangit, quid proficit lavatio illius?*

Subdivisio.

Fidelis in commisso.

Notandum.

Unanimis in proposito.

Familiaris contubern

De tertio, Ioannis tertio [7]: *Amicus sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Amicus,* Franciscus, *sponsi,* Christi, eius *vocem audivit,* quia multum sibi familiaris per elevatae mentis serenitatem. Unde de ipso illud dici potest: *Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum.* Moyses, raptus de aquis, Franciscus, de mundanae conversationis fluctibus, quem Dominus misit in virga crucis educere populum de Aegypto [8] vitiorum in desertum Religionis Minorum. — De quarto, primi Machabaeorum decimo [9]: *Alexander misit Ionathae purpuram et coronam auream, ut quae nostra sunt sentiat,* inquit, *nobiscum.* Alexander, *allevians tenebras,* Christus; *misit,* Francisco, *purpuram,* passionis suae insignia, dum sibi impressit vulnerum suorum stigmata. Unde hoc apostolicum bene sibi competit: *Stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* — Sic ergo iste amicus Christi fuit *fidelis* in commisso, *unanimis* in proposito, *familiaris* in contubernio, *conformis* in transvivitate.

Conformis ornamen

Pars II Transitus vita.

II. Tali ergo dicitur: *Ascende: per* me, *post* me, *ad* me, *propter* me: per me, pie invocandum per orationem; post me, expresse imitandum per conversationem; ad me, praeclare speculandum per contemplationem; propter me, finaliter comprehendendum per glorificationem. — De primo figuratum est in Genesi [10], ubi *Iacob vidit scalam, cuius* summitas *caelos tangebat,* et *Angelos ascendentes et descendentes.* Christus est *scala* secundum humanitatem *terram tangens,* secundum Deitatem super caelos eminens. Per hanc hic Sanctus ascendit; Canticorum tertio: *Quae est ista quae ascendit per desertum?* poenitentiae; *sicut virgula fumi ex*

Ascendo me.

---

[1] Ex cod. Trecensi n. 1646 4. fol. 67 v., qui multos nostri Doctoris sermones habet, inter quos etiam hic sententiis et loquendi formulis eundem insinuat auctorem. — In Supplemento Bonelli III. col. 688 seqq. duo pro eadem translatione alii sermones impressi sunt, qui sunt etiam in ed. anni 1502, sed pertinent ad Guibertum de Tornaco (Ord. FF. Min.); de quo conferatur Lecoy (La chaire Française etc. pag. 469).

[2] Vers. 10.

[3] Psalm. 112, 6. seq.

[4] Vers. 27; sequuntur Eccli. 6, 15. et Gregor., IX. Moral. c. 34. n. 53, paucis mutatis.

[5] Postea in codice adest lacuna.

[6] Vers. 11; sequuntur Ps. 65, 12; Prov. 17, 17. et Eccli. 34, 30.

[7] Vers. 29; sequuntur Exod. 33, 11. et dein respicitur c. 2, 5. seqq.

[8] Respicitur Exod. 3, 10.

[9] Vers. 18. 20; sequitur Gal. 6, 17.

[10] Cap. 28, 12; sequitur Cant. 3, 6.

aromatibus myrrhae, per contritionem; *thuris*, per devotionem; *et universi pulveris pigmentarii*, per virtutis collectionem. — De secundo figuratum est in libro Regum [1]: *Ascendit Ionathas, manibus et pedibus reptans, et armiger eius post eum.* Per *Ionatham* accipe Christum *manibus et pedibus* crucifixum; eius *armiger*, Franciscus, qui eius arma, scilicet vulnerum stigmata, portavit. — De tertio figuratum est, ubi Dominus legitur dixisse Moysi [2]: *Ascende in montem istum* et contemplare universam *terram*, quam daturus sum populo Israel. *Mons* est Christus, de quo in Daniele: *Lapis abscissus de monte sine manibus* concidentium crevit et *factus est mons magnus.* — De quarto dicitur in Canticis: *Ascendam in palmam et apprehendam fructus eius. Palma* est arbor, cuius truncus in inferiori parte strictus, in superiori amplus; quia Christus secundum humanitatem fuit *minutus paulo minus ab Angelis* [3]; secundum Divinitatem Angelorum et omnium Creator et Dominus. — *Fructus* huius palmae in visione et fruitione consistit. Augustinus [4]: « Visio est tota merces »; Ioannes: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Iesum Christum.*

Item, post me.

Item, ad me.

Item, propter me.

DE S. ANTONIO (13 Iunii).

Sermo [5].

Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum, Psalmus [6].

Introductio.

Verbum istud scribitur in Psalmo et intelligi potest de quolibet viro perfecto et per quandam appropriationem potest convenire beato Antonio, qui pro paupertatis merito hodie exauditus [7] fuit a Christo. Commendatur autem sanctus Antonius in verbis praemissis a tribus, scilicet a *divinae legis impletione*, a *divini nominis invocatione* et a *divini muneris impetratione*. In primo consistit perfectio vitae *activae;* in secundo, *contemplativae;* in tertio, remuneratio *utriusque*. *Impletio* divinae legis notatur, cum dicitur: *Iste pauper;* summa enim evangelicae perfectionis consistit in excellentia paupertatis. *Invocatio* vero divini nominis notatur, cum dicitur: *clamavit;* nulli enim dubium est, quin iste clamor suus duxerit eum ad fontem pietatis. *Impetratio* divini muneris notatur, cum subditur: *et Dominus exaudivit eum*, retribuendo ei scilicet desiderium suae voluntatis.

Divisio.

Pars I. De divinae legis impletione et paupertatem.

1. Quantum igitur ad primum dicitur: *Iste pauper*, quasi dicat, quod sit prae aliis pauperibus specialiter *imitandus* ac singulariter *venerandus*. Cuius scilicet paupertas fuit non tantum sufficiens, sed etiam abundans et perfecta, Deo quidem placens et hominibus peraccepta, ad cuius culmen volenti accedere duo sunt consideranda, scilicet *causa motiva* et *forma perfectiva*. Ad perfectionem autem paupertatis motus fuit beatus Antonius, et moveri debet unusquisque nostrum propter quadruplex motivum: primum est divinum *consilium*, quod est infallibile; secundum est divinum *exemplum*, quod est irreprehensibile [8]; tertium est divinum *patrocinium*, quod est insuperabile; quartum est divinum *promissum*, quod est inaestimabile. Per primum movetur natura *rationalis*, cuius est assentire consiliis; per secundum, natura *sensibilis*, cuius est informari exemplis; per tertium, natura *irascibilis*, cuius est uti patrociniis; per quartum, natura *concupiscibilis*, cuius est excitari *promissis*.

Subdivisio.

Primum igitur, quod debet nos movere ad paupertatem, est divinum *consilium*, *quod est infallibile;* et ideo est ei assentiendum; de quo, Matthaei decimo nono [9]: *Si vis perfectus esse, vade, vende* omnia *quae habes et da pauperibus, et veni, sequere me.* Hoc consilium dedit Dominus adolescenti diviti, qui *omnia* mandata servaverat *a iuventute sua*. Et hoc consilium sanum est, quia divitias habere et amare infructuosum est, secundum illud Ecclesiastae quinto: *Qui amat divitias fructum non capiet ex eis.* Amare vero et non habere est periculosum, secundum quod dicitur primae ad Timotheum sexto [10]: *Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem et in laqueum diaboli et desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas.* Habere vero et non amare est laboriosum, secundum illud Marci decimo: *Quam difficile qui pecunias habent in regnum Dei introibunt!* Et ratio huius est, quia valde laboriosum est pecuniam habere et non amare; ergo nec habere divitias nec amare est utile, secundum et delectabile et actus virtutis

Consilium infallibile.

Primo quadruplex motivum.

---

[1] Libr. I. c. 14, 13.

[2] Deut. 32, 49; sequuntur Dan. 2, 34. seq. et Cant. 7, 8.

[3] Psalm. 8, 6.

[4] Expositio in Ps. 90, 13; sequitur Ioan. 17, 3. — Sermo est mutilus; pars III. indicatur tantum ultimis verbis.

[5] Habetur in cod. biblioth. National. Parisiensis n. 16499. fol. 196 r.; in cod. biblioth. regiae Monacensis n. 23595. fol. 158 r. et contracte in codd. Tudert. n. 168. fol. 74 v. et n. 182. fol. 150 v. Hi codd. sunt valde antiqui, et saltem duo priores saec. XIII, et exceptis paucis transpositionibus et additamentis, bene conveniunt. Non pauca dicta occurrunt etiam in aliis genuinis S. Doctoris scriptis.

[6] Psalm. 33, 7.

[7] Cod. Monacensis habet *exaltatus*.

[8] Haec duo prima membra divisionis ad litteram occurrunt etiam in opusculo de Perfectione vitae ad sorores c. 3.

[9] Vers. 21; sequuntur v. 20. et Eccle. 5, 9. — Vide Bonav., tom. VIII. de Perfectione vitae ad sorores, c. III. n. 9, ubi eadem leguntur.

[10] Vers. 9. seq.; sequitur Marc. 10, 23.

perfectae; et ideo consilium Domini de paupertate est sanum et infallibile. Quod attendens beatus Antonius, secundum Christi consilium in Ordine Minorum voluit mendicare et « nihil sub caelo habere [1] ».

Divinum exemplum.

Secundum motivum est divinum *exemplum, quod est irreprehensibile*, et ideo dignum imitatione; secundae ad Corinthios octavo [2]: *Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.* Ideo Dominus Iesus voluit esse pauper, *cum dives* posset *esse*, ut suo exemplo ceteros ad paupertatem invitaret, et una cum ipso per experientiam scirent, quam bonum est vivere in paupertate. Hanc autem paupertatem Christi fere omnes sitiebant et cognoscebant in Ecclesia primitiva, quoniam nullus aliquid sibi appropriabat, *sed erant illis omnia communia* [3]; nunc autem erat paene oblivioni tradita in Ecclesia Dei, ut paene iam verificatum esset illud Ecclesiastae nono: *Civitas parva, et pauci in ea viri; venit contra eam rex magnus et vallavit eam exstruxitque munitiones per gyrum, et perfecta est obsidio; inventusque est in ea vir pauper et sapiens et liberavit urbem per sapientiam suam, et nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis;* et ideo eam reducit ad memoriam, loquens ad animam christianam, Threnorum tertio: *Recordare paupertatis et transgressionis meae, absinthii et fellis.* Cui respondet anima sancta: *Memoria*, inquit, *memor ero, et tabescet in me anima mea.* — Sed quia ad hanc vocem obsurduerant aures hominum, ideo renovavit Dominus exemplum paupertatis per beatum Franciscum, dans illi suae passionis signaculum in testimonium, ut illi ab omnibus crederetur. Ad cuius exemplum motus fuit beatus Antonius, ut in semita paupertatis esset non solum Francisci, sed etiam Christi imitator egregius.

Francisens et Antonius.

Divinum patrocinium.

Tertium motivum est divinum *patrocinium, quod est insuperabile;* de quo patrocinio manifeste habetur in Psalmo [4]: *Et factus est*, inquit, *refugium pauperi;* pauper autem a divitibus contemnitur; et ideo subditur: *tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor.* Magnum est ergo periculum offendere pauperem, qui talem habet protectorem; propter quod dicitur Proverbiorum decimo quarto: *Qui calumniatur egentem exprobrat Factori eius; honorat autem eum qui miseretur pauperis;* Proverbiorum vigesimo secundo [5]: *Non facias violentiam pauperi, quia pauper est, quia iudicabit Dominus causam eius et configet eos qui confixerunt animum eius.* — Vere *Dominus iudicabit causam* pauperis, immo iudicium causae et sententiam pauperibus tribuit, secundum illud Iob trigesimo sexto: *Non salvat impios et iudicium pauperibus tribuit.* Valde igitur tutum est habere Deum protectorem; et hoc solum, si nihil aliud esset, deberet omnes homines ad paupertatem inducere, sicut beatum Antoninm inclinavit. Considerabat enim, quod nihil poterat sibi accidere sub Dei protectione.

Divinum promissor

Quartum motivum est divinum *promissum, quod est inaestimabile;* et ideo omnes debet attrahere; Matthaei quinto [6]: *Beati, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum;* quod scilicet regnum est *supremum, aeternum, opulentum* et *iucundum*. Et hoc quidem debetur pauperibus, qui omne terrenum recusant. — Debetur, inquam, pauperibus regnum *supremum* propter humilitatem; primi Regum secundo: *Suscitat de pulvere egenum et de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum principibus et solium gloriae teneat. Aeternum*, propter... [7]. *Opulentum*, propter indigentiam, secundum illud Psalmi [8]: *Edent pauperes et saturabuntur.* Regnum vero aeternae *iucunditatis* debetur pauperibus propter anxietatem vitae praesentis, secundum illud Psalmi: *Videant pauperes et laetentur. Quaerite Deum, et vivet anima vestra.* Videant ergo pauperes ista quatuor motiva et laetentur; audiant vero divites et humilientur in egestate sua, quia *divites eguerunt et esurierunt;* Lucae primo [9]: *Esurientes implevit bonis et divites dimisit inanes.* — Haec igitur quatuor praedicta sunt sufficientia ad movendum corda quantumlibet dura; quorum scilicet duo prima, scilicet consilium et exemplum, respiciunt duplicem naturam apprehensivam, duo vero sequentia, scilicet patrocinium et promissum, respiciunt duplicem naturam affectivam. Et ex iis quatuor efficitur paupertatis quadriga [10], per quam erigitur anima ad superna; cuius quadrigae Christus est auriga. Et ideo, visa paupertatis causa motiva, restat videnda *forma perfectiva.*

Conclusio

Secundo quadruplicandilio

Forma autem paupertatis perfectiva, in qua ambulavit *pauper iste*, consurgit ex quadruplici conditione. Ad hoc enim, quod paupertas sit perfecta, necesse est, quod sit *alta* et *profundu*, *lata* et *longa, ut* sic *possit* homo *comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit latitudo et longitudo et sublimitas et profundum* [11]. — Primo debet paupertas esse *alta* ex professionis [12] eminentia; secundae ad Corinthios octavo: *Altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum. Alta* quidem est paupertatis perfectio, in qua nihil possidetur in

Paupertas sit alta.

---

[1] Respicitur Regula FF. Minorum c. 6.

[2] Vers. 9.

[3] Act. 4, 32; sequuntur Eccle. 9, 14. seq. et Thren. 3, 19. seq.

[4] Psalm. 9, 9; sequuntur v. 34. et Prov. 14, 31.

[5] Vers. 22. seq.; sequitur Iob 36, 6.

[6] Vers. 3; sequitur I. Reg. 2, 8.

[7] In codice Parisiensi et Tudert. n. 182. est lacuna quasi duarum linearum.

[8] Psalm. 21, 26; sequuntur Ps. 68, 33. et Ps. 33, 11.

[9] Vers. 53.

[10] Respicitur IV. Reg. 2, 11.

[11] Eph. 3, 18.

[12] Ita cod. Tudert. n. 182; alii legunt *perfectionis*. — Sequitur II. Cor. 8, 2.

speciali, sed omnia in communi; *altior,* in qua nihil in speciali, non tamen omnia, sed aliqua in communi; *altissima* vero, in qua nihil in speciali, nihil in communi. Hanc professi sunt Fratres Minores et beatus Antonius, in quorum Regula [1] dicitur: « Fratres nihil sibi approprient, nec domum nec locum nec aliquam rem »; et ideo in eadem Regula dicit beatus Franciscus: « Haec est illa celsitudo altissimae paupertatis, quae vos, carissimos fratres meos, heredes et reges regni caelorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit ». Hanc paupertatem habuit Christus, secundum illud Matthaei octavo: *Vulpes foveas habent et volucres caeli nidos, Filius autem hominis non habet, ubi caput* suum *reclinet.* Hanc etiam habuerunt Apostoli, in quorum persona dicit Apostolus primae ad Timotheum sexto: *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus.* Praeceperat enim eis Dominus, ut nullam haberent sollicitudinem; Matthaei sexto [2]: *Nolite solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus aut quid bibemus aut quo operiemur? Qui pascit aves et vestit lilia,* vos vestiet et pascet sine sollicitudine, secundum quod dicitur Lucae vigesimo secundo: *Quando misi vos sine sacculo et pera, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil.* Si ergo Dominus inter Iudaeos duros et incredulos discipulos suos pascebat sine sollicitudine, quid mirum, si nunc pascat Fratres Minores, eiusdem perfectionis professores, inter populos iam fideles [3]? — *Profunda* ex subiectionis obedientia, secundum illud Isaiae sexagesimo sexto [4]: *Ad quem autem respiciam nisi ad pauperculum et contritum spiritu et trementem sermones meos?* in quo ostendit Dominus, quod nullam diligit paupertatem, nisi habeat coniunctam humilitatem; paupertas enim superba et Deo et hominibus est odiosa; Ecclesiastici vigesimo quinto: *Tres species odivit anima mea, et aggravor valde animae illorum: Pauperem superbum, divitem mendacem, senem fatuum et insensatum.* Pauper enim superbus est hypocrita; est etiam apostata, immo, ut ita dicam, est quasi quaedam pestilentia; Proverbiorum vigesimo octavo: *Vir pauper, calumnians pauperes, similis est imbri vehementi, in quo paratur fames.* Non talem paupertatem amat Dominus, sed paupertatem humilem, de qua Proverbiorum decimo octavo [5]: *Cum obsecrationibus loquetur pauper, et dives effabitur rigide.* — Talis pauper fuit beatus Antonius, qui in omni genere vilitatis et humilitatis diligentissime fuit exercitatus, secundum quod de eo legitur: « Magis se exercitavit in principio suae conversionis in scutellis lavandis quam in Scripturis perscrutandis ».

Paupertas profunda.

S. Antonius.

Tertio debet esse *lata* ex tribulationis abundantia; Apocalypsis secundo [6]: *Scio tribulationem tuam et paupertatem tuam; sed dives es et blasphemaris ab his qui se dicunt Iudaeos esse, et non sunt, sed sunt synagoga satanae.* Paupertas enim, ubi est abundantia tribulationum, in bona anima parit abundantiam consolationum, secundum quod dicitur secundae ad Corinthios primo: *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra.* Talis anima est dives, quia qui gloriantur in paupertate multo magis in abundantia sunt; et propter hoc Apostolus dicit secundae ad Corinthios sexto: *Sicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes et omnia possidentes.* — Talis fuit beatus Antonius, de quo recte potest intelligi illud Ecclesiastici undecimo [7]: *Est homo marcidus, egens recuperatione, plus deficiens virtute et abundans paupertate; et oculus Dei respexit illum in bono et erexit eum ab humilitate ipsius et exaltavit caput eius, et mirati sunt in illo multi et honoraverunt Deum.* — Quarto debet esse *longa* ex supportationis perseverantia; Psalmus: *Pauper sum ego et in laboribus a iuventute mea. Sum,* dicit, et non *fui,* quia paupertas semper erat ei praesens et continua ad modum cuiusdam aeternitatis et in praeteritum non transibat. Sciebat enim, scriptum esse: *Quoniam non in finem oblivio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem;* propterea Apostolus ad Hebraeos decimo [8]: *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes, vos habere meliorem et manentem substantiam. Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quae magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est.* — Talem paupertatem habuit beatus Antonius, quoniam ab infantia sua usque in finem non destitit esse pauper. Et ideo, quia *usque in finem perseveravit,* remunerationem obtinuit, secundum quod de eo cantatur: « Ecce, vides coronatum quem vidisti minoratum saccoque tectum veteri ». — Haec est igitur paupertas perfecta et excellens, quae habet quadruplicem conditionem praedictam, quae concludit in se totius evangelicae perfectionis summam; et quoniam haec fuit in beato Antonio, ideo recte potest dici de ipso: *Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum,* ubi commendatur a divinae legis impletione.

Paupertas lata.

S. Antonius.

Paupertas longa.

S. Antonius.

Conclusio.

II. Sed ut laudi eius perfectae nihil omnino desit, commendatur etiam a *divini nominis invocatione* per hoc quod subditur: *clamavit.* Divinum enim nomen invocavit clamore *praedicationis, confessionis, orationis* et *exsultationis.* Primus clamor procedere

Pars II. De divini nominis invocatione quadruplici.

[1] Cap. 6; sequuntur Matth. 8, 20. et 1. Tim. 6, 8.
[2] Vers. 31. 25. seqq. et dein Luc. 22, 35. seq.
[3] Vide Bonav., tom. VIII. de Perfectione vitae ad sorores, c. 3. n. 7. in fine, ubi eadem verba occurrunt.
[4] Vers. 2; sequuntur Eccli. 25, 3. seq. et Prov. 28, 3.
[5] Vers. 23. — De sequenti loco vide Surium in hoc festum § 8, ubi dicit de S. Antonio: « Praefectum suum, quem Guardianum dicunt, supplex rogarat, ut magni beneficii loco ipsi permittere vellet ebere coquinae vasa... nulli alii rei aptum et utilem se confitens, cum esset re vera vas electum et Spiritus sancti gratia multifaria ornatum ».
[6] Vers. 9; sequuntur II. Cor. 1, 5. et c. 6, 10.
[7] Vers. 12. seq.; sequuntur Ps. 87, 16. et Ps. 9, 19.
[8] Vers. 34-36; sequitur Matth. 10, 22.

debet ex *zelo* discreto; secundus, ex *iudicio* districto; tertius, ex *desiderio* devoto; quartus, ex *gaudio* divino.

Clamavit igitur beatus Antonius in *praedicatione*
Io praedicatione. *ex zelo discreto;* ad quod hortatur Dominus Isaiae quinquagesimo octavo [1]: *Clama*, inquit, *ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.* Hic autem clamor, qui erat ex zelo discreto, non semper erat increpatorius, sed etiam allicitivus; Ioannis septimo: *Stabat Iesus et clamabat, dicens: Si quis sitit, veniat*
Io confessione. *et bibat.* — Clamavit etiam in *confessione ex iudicio districto;* clamavit, inquam, peccata sua argnendo, et hoc secundum totum, non secnndum partem, sicut ille, de quo dicitur in Psalmo [2]: *Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die.* Debet quoque esse hic clamor ex indicio districto, ut habeat coniunctam contritionem et satisfactionem, secundum illud Ionae tertio: *Homines et iumenta et boves et pecora non gustent quidquam nec pascantur et aquam non bibant; et operiantur saccis homines et iumenta et clament ad Dominum*
In oratione. *in fortitudine.* — Clamavit tertio in *oratione*, secundum quod dicitur de Samuele primi Regum decimo quinto [3]: *Contristatus est Samuel et clamavit ad Dominum tota nocte;* clamavit, inquam, in oratione. Hic autem clamor debet esse *ex desiderio devoto;* Psalmus: *Quoniam in me speravit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognovit nomen meum. Clamabit ad me, et ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum.* — Clamavit quarto in *exsultatione*, et hoc ex *gaudio divino*, exemplo Seraphim, de quibus Isaiae sexto [4] dicitur: *Clamabant alter ad alterum et dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum. Plena est omnis terra gloria eius.* Hic autem clamor est in viris contemplativis et devotis et in hac vita incipit et consummatur in futuro, secundum quod dicitur in Psalmo: *In voce exsultationis et confessionis, sonus epulantis.* Io oratione.

III. Quoniam igitur beatus Antonius habuit in se perfectionem meriti quantum ad *impletionem divinae legis* et *invocationem divini nominis*, ideo *exauditus* fuit per *impetrationem divini muneris;* et ideo decantare potest illud Ecclesiastici quinquagesimo primo [5]: *Laudabo nomen Domini assidue et collaudabo illud in confessione, et exaudita est oratio mea.* Propter hoc de ipso possumus vere cantare illud Psalmi: *Desiderium animae eius tribuisti ei, Domine, et voluntate labiorum eius non fraudasti eum, quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso; coronam*, scilicet aureae et duplicis aureolae, scilicet *praedicationis* et *virginitatis*, quia Domino ab infantia sna servivit; et quoniam ardentissimo desiderio *martyrii* flagravit, possumus de eo cantare [6]: « O beata anima, quam etsi gladius persecntoris non abstulit, palmam tamen martyrii non amisit ». Pars III divini m ris imp tione.

DE NATIVITATE S. IOANNIS BAPTISTAE (24 Innii).

Sermo I [7].

Ecce, elongavi fugiens et mansi in solitudine, Psalmus [8].

(Prothema). *Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini.*

Verba secundo proposita sunt verba beati Ioan-
Prothema. nis, cuius hodie solemnitas in Ecclesia celebratur, quia, cum misissent Iudaei ad Ioannem videre, quis esset, dixit haec verba: *Ego vox* etc. Tetigit in his verbis, quod sit officium praedicatoris; et in his verbis duo tanguntur, scilicet *qualis* debet esse *praedicator*, et *quale* eius *officium*. *Officium* praedicatoris est, quod debet *dirigere* homines ad viam Christi et rectificare *viam Domini* in cordibus auditorum et omnes ponere in recta via. Et hoc significavit in hoc, quod dixit: *dirigite viam Domini*. Sed *qualis* debet esse *praedicator*. Tangit illud, quando praeponit illud: *Ego* sum *vox*, significans, quod praedicator debet esse *vox*, quia, sicut vox tota se offert, sic totum, quod est in praedicatore, praedicet. Sic fuit beatus Ioannes; ipse *totus* praedicabat: *vita* sua tota praedicabat; *esca* sua praedicabat nobis abstinentiam; *locus*, in quo erat, praedicabat; *sermo* etiam praedicabat et etiam *vestimenta*. O utinam essemns tales praedicatores! *Esca* sua praedicabat abstinentiam sive poenitentiam; *esca* enim sua *erat locustae et mel silvestre;* similiter eius *vestimentum*, quia non mollibus et coloratis erat indutus, sed *pilis camelorum*, secundum quod scribitur in Ioanne [9]. Item, *locus*, in quo habitabat, quia in deserto, in solitudine, in loco sterili et infructuoso; erat enim in loco afflictionis et doloris. Item, *sermo* eius; omnia enim verba sua erant bona et de Domino nostro Iesu Christo,

[1] Vers. 1; sequitur Ioan. 7, 37.
[2] Psalm. 31, 3; sequitur Ion. 3, 7-8.
[3] Vers. 11; sequitur Ps. 90, 14. seq.
[4] Vers. 3; sequitur Ps. 41, 1.
[5] Vers. 15; sequitur Ps. 20, 2. seq.
[6] Antiph. Breviarii Romani ad II. Vesper. in festo S. Martini Episc. et Confess. — Hic sermo applicatus est etiam ad festum S. Dominici in cod. biblioth. Basileensis sign. B. IX. 13. fol. 118 v.
[7] Ex cod. biblioth. Parisiensis Nationalis n. 16499. fol. 318 v. Cfr. supra pag. 535, nota 5. Sermo praedicatus est coram scholaribus Universitatis et modo auditoribus his accommodato. Tamen modus *reportandi* eum saepe est defectuosus.
[8] Psalm. 54, 7. — Prothema habetur Ioan. 1, 23. (Isai. 40, 3.).
[9] Potius Matth. 3, 4, cfr. tamen Ioan. 1, 23; dein respiciuntur v. 1. et 2.

et aedificatoria et exhortantia ad bene agendum et malum dimittendum. Et si tales essemus, tunc dicere possemus: *Ego* sum *vox* etc. Et quia in multis deficio, rogabimus Dominum, ut mihi infundat gratiam, per quam possim esse vox Domini etc.

Ecce, elongavi fugiens et mansi in solitudine.

Sermonis introductio. Carissimi, consuetudo est, quod quando pictores volunt aliquos docere ad pingendum, ponunt imagines ante oculos eorum et inxta illas depingunt et assuescunt facere imagines et postea fiunt magistri; sic Dominus coram nobis posuit exemplar bonae vitae et poenitentiae, quando beatum Ioannem Baptistam exhibuit et praesentavit; qui omnibus hominibus est exemplar poenitentiae, quia, in utero matris suae sanctificatus, afflixit (se) poenitentiis, et hoc, ut quilibet ad ipsum aspiciat. Et haec poenitentia beati Ioannis ostenditur in verbis propositis, quando dicitur: *Ecce, elongavi* etc. Quatuor fuerunt in eius poe-
Quatuor requiruntur in poenitentia. nitentia, quae in cuiuslibet poenitentia debent esse. Primum est, quod fuit *tempestiva;* secundum, quod fuit *vera;* tertium, quod fuit *continua;* quartum, quod fuit *poenalis* et laboriosa, non deliciosa. Et haec debent esse in poenitentia cuiuslibet hominis. Dico,
Sit tempestiva. quod fuit *tempestiva*, quia, cum adhuc esset puer, fugit in desertum, non exspectavit usque ad quinquaginta annos. Valde tempestive incepit facere poenitentiam, iuxta consilium Sapientiae [1]: *Ne tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem.* Bene scitis, quando aliquis habet vulnus letale, quanto plus exspectat apponere medicinam, tanto vulnus periculosius, ita quod forte sanari non potest. Quicumque habet peccatum mortale habet vulnus letale. Quare ergo exspectat apponere emplastrum poenitentiae? Pro Deo! *ne tardes converti ad Dominum,* quia *bonum est* homini ferre *iugum Domini ab adolescentia,* ut dicitur in Threnis. Hoc notatur, cum dicit: *Ecce.* Per hoc enim acceleratio poenitentiae
Sit vera. Ioannis notatur. — Item, poenitentia beati Ioannis fuit *vera,* non simulata sicut hypocritarum, qui habent cor sicut foveam plenam peccatis [2]. Peccatum non potest esse cum poenitentia vera. Non sic fecit beatus Ioannes poenitentiam, sed dixit: *Ecce, elongavi*
Sit continua. *fugiens* etc. — Fuit tertio poenitentia beati Ioannis *continua,* non interpolata, sicut aliqui, qui in Quadragesima solum agunt poenitentiam, in aliis temporibus non; sed beatus Ioannes in tota vita sua egit poenitentiam, nunquam vixit nisi in poenitentia; nec aliquando fuit in deliciis; et hoc notatur ibi: *fugiens;* quod cum sit participium praesentis temporis, continuitatem et perseverantiam continuam importat.
Sit poenalis. — Quarto fuit poenitentia beati Ioannis *poenalis* et laboriosa. Vae illi qui est in poenitentia et vult vivere in deliciis! Et hoc significatur ibi: *et mansi in solitudine;* quae est locus laboris et afflictionis; unde fugit voluptates huius mundi et posuit se in deserto solitudinis. Unde iste Ioannes proponit nobis exemplum, quod poenitentia nostra similis debet esse ponenitentiae suae; unde ipse, ponens se in exemplum, potuit dicere illud: *Ecce, elongavi* etc. Videte, quod haec verba possumus exponere ad instructionem nostram; qui fugit mandum describitur in his. — Et
Divisio. fugit beatus Ioannes tria, scilicet *peccatum, mundum* et *pravum consortium.* Carissimi, haec tria a nobis sunt fugienda; et videte, nullus perfectius fugit ista quam beatus Ioannes Baptista.

Pars I. Fugiendum peccatum ob quadruplicem rationem notitiam. Quia animam intoxicat. I. Primo quidem fugit *peccata,* et vere fugienda sunt. Quatuor enim sunt, quae debent nos movere ad fugiendum peccatum. Primum est, quia animam *intoxicat* et corrumpit quemlibet, qui ipsum in se recipit. Peccatum quidem in anima nihil aliud est quam venenum in mensa. Si aliquis sciret, quod propinaretur sibi venenum in cypho ad intoxicandum, ipse pro posse suo, et prout citius posset, mensam, in qua propinaretur venenum, fugeret. Carissimi, hoc facit mensa peccati. Propter Dominum! si vos ita et tantum diligitis vitam corporis, diligatis vitam animae et caveatis, ne corrumpatur per venenum peccati. Quod autem peccatum fugiendum sit quasi venenum, dicitur in Ecclesiastico [3]: *Quasi a facie colubri fuge peccata.* Scitis, quod *coluber* serpens est venenosus, ex cuius morsu homo corrumpitur et intoxicatur. Consimiliter ipsum peccatum morsu suo conscientiam hominis intoxicat et corrumpit et mordet conscientiam hominis per consensum in ipsum, quando consentit in ipsum peccatum et in delectationem peccati. Et scis tu, quando consentis peccato? Quando cogitas de peccato carnis, dico, quod tu tunc consentis in ipsum peccatum, quando tu velles ita esse, sicut cogitas. O quoties contingit talis consensus! Quare fugiendae sunt istae malae cogitationes et affectiones. In Proverbiis habetur, quod peccatum *blande ingreditur et in novissimo mordebit ut coluber; mordet* quidem ad mortem. O si cogitaret homo mortem! Sine dubio non iret ad peccatum, quia scriptum est [4]: *Memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis.* Sed homo ibi cogitat delectationem suam miseram.

Quia eam spoliat. Item, fugiendum est peccatum, quia *animam spoliat* et bonis suis destituit. Multi sunt, qui tantum thesauros suos diligunt, quod nullo modo aliis, nec etiam parentibus aperiret. Sed qui thesauros ostendunt aliis parum inde curant. Quilibet debet habere thesaurum, scilicet munera gratiarum et virtutum; quae Deus nobis dedit in Sacramento baptismi multum bene custodiri debent. Sed scitis, quod facit Similitudo prima. peccatum sicut latrones: sub specie pauperum intrant hospitia et faciunt potiones, unde intoxicant istos divites, et postea, illis in somnis positis, spoliant et

[1] Eccli. 5, 8; sequitur Thren. 3, 27.
[2] Respicitur Matth. 23, 27.
[3] Cap. 21, 2; sequitur Prov. 23, 31. seq.
[4] Eccli. 7, 40.

rapiunt bona domus; sic peccatum facit sicut fur, venit et spoliat omnia bona hominis, ita quod, si haberes tantam gratiam, quantam habuit beata Virgo Maria, vel beatus Ioannes et omnes alii Sancti, unum peccatum mortale totum spoliaret. Videte, propter Deum! quam periculosum est peccatum in conscientia retinere. Tu bene vides, quod omnis sapiens, quantumcumque potest, fugit loca periculosa. In ista via propter latrones... sicut iste, qui *descendebat* de *Ierusalem in Iericho*, qui *incidit in latrones* et ipsum *vulneraverunt* in naturalibus et *spoliaverunt* [1] gratuitis. Oportet, quod tu fugias viam istorum latronum; propter hoc Dominus dicebat: *Tunc qui in Iudaea sunt fugiant in montes*, id est ad poenitentiae statum, quae poenitentia merito appellatur etiam *mons*, eo quod elevat ad caelum et facit hominem propinquum caelo; *qui in Iudaea sunt*, id est in confessione veritatis, sicut tu debes esse. Unde in Luca: *Orantes, vigilate omni tempore, ut digni habeamini fugere ista omnia.* — Praeterea peccatum sicut malus tabernarius ducit hominem ad tabernam, ubi bibit delectationem. Item, multoties audivistis, quod hospites tabernarii clamant ipsis peregrinis currentibus, esse bonum hospitium, et dicunt, quod dabunt bonum vinum; sic peccator clamat vinum suum: o si possent peccatum istud vel illud facere; sicut isti qui vadunt per vicos ad respiciendum meretrices, qui rapiunt animas etiam in Ecclesia beatae Virginis, dehonestant domum beatae Virginis, ubi duxit eos peccatum; et quando ita per peccatum homo est attractus, tunc facit peccatum sicut tabernarius: quando attraxit hospitem, ita computat illi peregrino, quod totum, quidquid habet, dimittit et nihil reportat in bursa sua. Sic quidem facit peccatum; provocat homines ad tabernam suam, ad delectationem vilem et modicam, et in fine homo vacuus totaliter omni bono exit. Pro Deo! videas in conscientia tua, quid invenisti in peccato? Planum est, quod penitus nihil.

Secunda.

Item, ipsum peccatum *animam* spiritualiter *occidit*; homo enim animam per peccatum occidit. Videte, si aliquis homo modo decapitaretur, diceretis, quod impossibile esset, hominem vivere; et propter Deum! quid aliud facit peccatum, nisi auferre homini seu animae fideli caput suum, quod est Deus? Peccatum enim animam a Deo separat; scriptum enim est in Ieremia [2]: *In umbra Hesebon steterunt, de laqueo fugientes.*

Quia sam occidit.

Item, peccatum *ad aeternam damnationem ducit*. Hoc etiam, propter Deum! carissimi, moveat ad fugiendum peccatum. Quis est, qui non libenter fugeret patibulum, ubi deberet suspendi? Nullus est, qui accederet. Quando aliquis debet suspendi, satellites ducunt latronem per funem et ligant manus hominis. Isti satellites sunt diaboli, qui ligant hominis manus et pedes, ita quod nec affectum boni operis nec opus bonum aliquod facere potest; unde: *Ligatis manibus et pedibus* [3], ducunt eum ad infernum, et hoc per funem peccati. Homo quidem existens in peccato mortali non habet manum, unde possit operari, neque pedes, id est affectiones circa bonum; et talis in quadriga peccati ducitur ad *tenebras exteriores*. Propter hoc per Ieremiam dicitur: *Fugite* peccatum *et salvate animas vestras*. Propterea, propter Dominum! carissimi, fugiamus peccatum ad exemplum beati Ioannis.

Quia ad damnationem ducit.

II. Item, fuit exemplum fugiendi *mundum;* ut fugeret mundum, posuit se in solitudine. Erat quidem beatus Ioannes valde magnus et de magno genere, quia fuit filius Zachariae, qui magnus fuit in Lege; actu non cogitavit, quid contingat de domibus et divitiis parentum suorum, neque istis adhaesit, immo dimisit totum et fugit in desertum; unde fuit exemplum fugiendi mundum. Et si hoc bene attenderemus, omnes siquidem pro posse nostro fugeremus mundum. — Videte, *quare* vel propter quod mundus sit fugiendus: primo, tanquam locus *immundus;* secundo, tanquam locus *periculosus;* tertio, tanquam locus *infructuosus;* quarto, tanquam locus *laboriosus*. Talis locus est iste mundus, et hoc attendens, beatus Ioannes statim dimisit mundum. O quam plures, maxime senes, ista incommoda non vident! neque cognoscunt quae cognovit beatus Ioannes, etiam cum esset valde iuvenis, qui nunquam fecerat unum argumentum.

Pars II. Fugiendus mundus.

Ratio motiva quadruplex.

Dico vobis, carissimi, quod fugiendus est mundus, quia est locus foetidus et *immundus*, ut fovea plena fimo et ut fossatum plenum cadaveribus expositum canibus. Vide, propter Deum! si est aër bonus super tale fossatum. Essetne bonum febricitanti, vel sanitatem custodire volenti ibi iacere vel morari? Et quis, propter Deum! extenderet ibi tentorium suum? Talis locus est ipse mundus; fimarius locus est, ubi ponitur fimus, qui congregatus nihil facit nisi foetere; sed quando spargitur, fructum facit. Consimiliter mundus iste et divitiae nihil faciunt congregatae; sed sparsae et distributae, bene fructum magnum faciunt, abrenuntiatae etiam, fructum et utilitatem magnam afferunt. Propter Deum! fuge fimarium istum; si tu diligas vitam tuam, facies sicut homines divites. Ipsi enim, quando infirmantur, vadunt ad sua pulcra maneria et loca, et hoc propter vitam corporalem servandam; ipsi vadunt, ubi aër purissimus est. O quanto plus diligere (debemus) vitam spiritualem quam corporalem! Quod iste mundus sit quasi fimarius, habes per Apostolum, qui dicit: *Omnia* huius mundi *arbitror ut stercora* [4]; Petrus etiam in Canonica sua: *Fugientes eius quae in mundo est concupiscentiae corruptionem.*

Quia est immundus.

---

[1] Respicitur Luc. 10, 30. seqq.; sequuntur Marc. 13, 14. et Luc. 21, 36.

[2] Cap. 48, 45.

[3] Respicitur Matth. 22, 13; sequitur Ier. 48, 6.

[4] Phil. 3, 8; sequitur II. Petr. 1, 4.

Vita est periculosus.

Item, fugiendus est mundus, quia est locus *periculosus*, eo quod, heu! quot in mundo sunt pericula. Vere quasi infinita. Impossibile quidem est, quod homo sit in medio mari, quin sit in maximo periculo, quantumcumque bonam navem habeat. Semper tu, existens in mundo, es in mari periculosissimo et habes navem ita fragilem, scilicet corpus ita miserum. Beatus Antonius eremita, dum esset in cella sua, legitur vidisse in visione quadam, quod totus mundus plenus erat laqueis. Et ad quid est laqueus nisi ad capiendum aves? Psalmus [1]: *Laqueum paraverunt pedibus meis et incurvaverunt* me. Sicut avis capta per pedem satis potest alas movere, sed sursum non potest volare; sic homo miser, qui capitur ab amore mundi, non potest ad divina levari. Clericus, qui debet sursum levari et speculari, ad quid adhibet se nisi ad caelestia, ad quid habet coronam et capillos tonsos; nonne in signum desertionis temporalium? Videtur, quod multi portant malum signum eo scilicet, quod ipsi toto animo istis temporalibus se adhibent; in Ieremia habetis: *In umbra Hesebon steterunt, de laqueo fugientes.* — *Hesebon* est locus tristitiae et moeroris; propter quod Iacobus [2]: *Risus vester in luctum convertatur.* Propter Deum! est gaudium vel solatium in carcere detineri et retrudi? Nunquam carcer fuit locus gaudii. In veritate, mundus est quidam carcer. Primus parens, quando peccavit, eo quod Creatori suo non obedivit, statim captus fuit. Et quomodo? Fuit ipse punitus dure, ita quod retrusus fuit in carcerem; eiectus quidem fuit a paradiso et positus in hoc mundo sicut in carcere. Per Deum! educ de carcere isto animam tuam; dicas illud David in Psalmo: *Educ, Domine, de custodia animam meam.* Propter hoc etiam dicitur: *In umbra Hesebon steterunt* et postea: *de laqueo fugientes.* Quis iste stultus, qui lectum suum faceret in domo ex omni parte accensa? Mundus quidem est sicut domus undique vel ex omni parte accensa. Proba; nonne habes tu in Canonica Ioannis, quod *totus mundus est in maligno positus?* id est in *malo igne*, in igne concupiscentiae. Propter hoc in Ieremia [3] dicitur: *Fugite de medio Babylonis*, id est confusionis. Mundus quidem ipse est *Babylon; fugite* igitur mundum sicut beatus Ioannes.

Quia sterilis.

Item, fugiendus est mundus, quia est locus *sterilis* et infructuosus. Pauca quidem bona sunt in mundo, immo dico vobis, quod bona mundi non sunt nisi sicut bona picta. Audeo dicere, quod maior est differentia inter bona caeli et mundi quam inter ignem verum et pictum ignem. Scitis, quod istae picturae valde cito et quasi statim cadunt; consimiliter et huius mundi bona. Sicut quidem ignis pictus nullius est valoris respectu ignis veri, consimiliter est de bonis huius mundi respectu bonorum caelestium; in Ecclesiaste [4] habetis, quod *qui amat divitias fructum non capiet ex eis.* Propter hoc Apostolus dicit, quod *radix omnium malorum est cupiditas;* et: *Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et in desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt hominem in interitum;* et sequitur: *Tu autem, o homo Dei, haec fuge.* Vide, quid fructificat tibi mundus: *desideria* quidem *nociva;* propter quod in Canticis [5] dicebat sponsa Sponso: *Fuge, dilecte mi, et assimilare capreae hinnuloque cervorum super montes aromatum.* — *Mons aromatum* est status Religionis et patientiae et poenitentiae, id est propter opera bona, ubi conversatio sancta et bona. Fuge ad locum solitudinis, ad locum poenitentiae et Religionis.

Quia poenalis.

Fugiendus est mundus, quia *poenalis* et laboriosus. Hoc, propter Deum! moveat te. Sicut servus dominium et subiectionem mali principis fugit, sic debes tu fugere mundum, quia mundus ponit servos in opus et facit sicut malus dominus, qui nihil pro laboribus remunerat panis vel habitus. Fatuus quidem est qui servit domino, qui non sinit, servos suos laborantes dormire die neque nocte, qui neque dat cibum neque vestes; sed servies illi ad proprios sumptus et nihil inde reportabis nisi damnum proprium et incommodum. Talis dominus est mundus; unde in Ieremia [6] dicitur talibus fatuis: *Servitis diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem.* Carissimi, isti *dii* sunt res mundanae et honores; et bene dicuntur vel vocantur *dii*, quia multi sunt, qui adorant ista temporalia, istas divitias et ista mundana. Nonne dicitur, quod *avaritia est idolorum servitus?* Unde fugienda sunt; propter quod in huius figura habetur in libro Machabaeorum [7]: *Fugit Mathathias et filii eius et reliquerunt quaecumque habebant.* — *Mathathias* erat, qui pugnabat pro legibus divinis. Tales, qui relinquunt omnia, bene fugiunt mundum, qui exspectat servos (?); quare fugiendus est mundus exemplo beati Ioannis. Rogemus etc.

Collatio.

Ecce, elongavi fugiens et mansi in solitudine.
Ego vox etc.

Repetitio prothematis.

Ita dictum est, quod beatus Ioannes dicebat de se ipso; et quare dicebat, se ipsum esse *vocem?* Quia ipse praedicavit *totus;* praedicavit enim eius *vita*, eius *esca*, eius *vestimentum*, eius *habitaculum*, eius *sermo*. Et quia totus praedicavit, totus fuit *vox* Salvatoris; ideo poterat competenter dicere illud de se ipso: *Ego* sum *vox* etc. Hoc autem non possum dicere, immo in multis deficio; ideo rogabimus Dominum, ut det mihi gratiam etc.

---

[1] Psalm. 56, 6.
[2] Iac. 4, 9; sequuntur Ps. 141, 8. et I. Ioan. 5, 19.
[3] Cap. 51, 6.
[4] Cap. 5, 9; sequuntur I. Tim. 6, 10. 9. et v. 11.
[5] Cant. 8, 14. [6] Cap. 16, 13. et dein Eph. 5, 5.
[7] Libr. I. c. 2, 28.

Repetitio sermonis.

Ecce, elongavi etc. Carissimi, sicut hodie dicebam, quatuor tanguntur in verbo proposito de poenitentia beati Ioannis, quia poenitentia eius fuit nobis exemplaris, quam Dominus nobis proponit in exempla, et ostendit nobis quatuor, quae esse debent in poenitentia cuiuslibet hominis, quia fuit *tempestiva, vera*, perseverans et *continua*, fuit etiam *poenalis* et laboriosa. Talis debet esse poenitentia cuiuslibet hominis. In inventute enim debet homo incipere poenitentiam, idcirco *tempestiva*. Item, *vera* debet esse, non simulata, ut homo sit elongatus in veritate a peccato, et peccatum ab homine; propter quod dicitur ibi: *elongavi*. Item, *continua*, propter quod ponitur in participio praesentis temporis, scilicet *fugiens*. Item, *laboriosa*, ideo dicitur: *mansi in solitudine*. Dictum etiam fuit, quod Ioannes agendo poenitentiam fugit tria, *peccatum, mundum* et *pravum consortium*. Haec tria praecipue fugienda sunt. Dictum etiam fuit, quod peccatum fugiendum est propter quatuor mala, quae facit; similiter mundus, propter quatuor. Restat dicere, propter quae pravum *consortium* est fugiendum, et propter quae beatus Ioannes dicebat: *elongavi*.

Pars III. De pravo consortio fugiendo ob 5 rationes.

III. Dico igitur, quod beatus Ioannes fugit *pravum consortium*, quod est valde fugiendum, praecipue ab ipsis scholaribus, qui de diversis partibus mundi sunt hic. Hodie quidem sunt dies mali, si respiciamus can-

Ratio prima.

sas, quas docet Scriptura; videamus eas. — Primo fugiendum est pravum consortium, quia *hominem pervertit* et corrumpit; homo quidem videtur fragilior vitro. Et quare? Accipe vitrum fractum et pone iuxta integrum, sit unum iuxta alterum per centum annos; propter vitrum fractum nunquam frangetur sanum. Sed accipe socium malum et pone iuxta bonum, statim bonus a malo corrumpitur. Quare homo fragilior est vitro! Nonne Psalmus [1]: *Cum perverso perverteris?* Gratias quidem debent multas reddere Domino illi qui fuerunt in societate bona.

Secunda.

Secundo fugiendum est, quia *iustos* et bonos *pervertit;* et hoc ostendit Dominus. Habetis de lucifero, qui fuit sapientissimus, potentissimus, pulcherrimus, nobilissimus inter Angelos, et erat quasi princeps; et tamen Dominus nec suae pulcritudini nec sapientiae nec potentiae nec nobilitati pepercit; immo expulit eum de paradiso [2]. Scitote, quod iusti iudices non debent parcere potestati malorum, quando inveniuntur pervertentes alios. Socii etiam debent talem expellere a sua societate. Bene scitis, quod quando aliquis homo habet dentem putridum in ore, nisi eiiciatur, corrumpit alios; sic malus socius bonos. Ideo dicitur in Proverbiis: *Ne delecteris in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum vita. Fuge ab ea et desere eam; non enim dormiunt, nisi malefecerint, et rapitur somnus ab eis, nisi supplantaverint.* Carissimi, talium verbis non est credendum, licet ipsi habent verba allicitiva. Tu habes de Iuda, qui non dormivit, donec tradidisset Dominum. Tales quidem sunt similes Iudae, quia persequuntur Christum in membris suis.

Tertia.

Tertio fugiendum est malum consortium, quia *pacem* et caritatem fraternam *tollit*. Pravus socius semper turbat totam societatem. « Nihil quidem ita bonum homini sicut pax », secundum Augustinum [3]; ideo in libro Numerorum, *cum* viderent *Moyses et Aaron*, quod populus esset versus in seditionem, et quod *tumultus incresceret, fugerunt Moyses et Aaron ad tabernaculum foederis*. Carissimi, consimiliter fugiendum est a malo consortio et fugiendum ad tabernaculum securitatis et pacis.

Quarta.

Quarto fugiendum est pravum consortium, quia homines bonos *infames reddit*. Crudelis est homo, qui famam negligit; estne hoc rationale? Dico, quod sic. Quare? Accipe pomum odoriferum; proice inter cadavera animalium; nunquam odor pomi sentietur; nonne absorbetur per foetorem cadaverum? Consimiliter est de illo qui vult esse et morari in societate malorum. Item, scriptum est in Tobia [4]: *Cum omnes irent ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat, solus Tobias fugiebat consortia* illorum. Carissimi, (idem) faciendum est ab homine, qui intendit et vult custodire odorem suae famae; non teneat consortia neque familiaritatem malorum; et hoc, ne cum illis vel per illos perdat suam famam. Impossibile enim est, si diligo aliquid, quin anima mea assimiletur ei; sic est, quod si aliquis diligit consortium malum, necesse habet, esse malus cum illis et assimilari eis; et propter ista beatus Ioannes fugit consortia malorum. Propter Deum! moveant vos ista ad fugiendum consortia malorum.

Fugiendum est consortium malum, quia *hominem confundit* et confusum reddit, ita quod non audet levare caput; propter quod dicitur Isaiae quadragesimo octavo [5]: *Egredimini de Babylone, fugite a Chaldaeis.* Et ideo Ioannes dicebat: *Ecce, elongavi fugiens* etc.

Ad quem sit fugiendum.

Sic igitur visum est, *quare* homo debet fugere et *a quo*, quia a *peccato*, a *mundo* et a *malo consortio*. Sed *ad quem* debet homo fugere? Dico, carissimi, quod ad illum, de quo scriptum est in Psalmo [6]: *Deus noster, refugium et virtus*. Propter hoc ad ipsum fugiendum, et in oratione devota recurrere debemus ad Dominum Deum caeli in omnibus necessitatibus nostris. Et quando homo bene (est) cum Deo, tunc non debet timere nec tentationes mundi nec infestationes diaboli. Et quomodo? Sicut puer, quando videt aliquod terribile, statim fugit ad sinum matris; ita homo ad Deum debet fugere. — O quot in mundo

Propter consolationem.

sunt tribulationes et terribilitates! Dico vobis, quanto

---

[1] Psalm. 17, 27.

[2] Respiciur Ezech. 28, 13. 14; sequitur Prov. 4, 14. seqq. et respicitur Matth. 26, 47. et Luc. 22, 47.

[3] Libr. XIX. de Civ. Dei, c. 10; sequitur Num. 16, 42. seq.

[4] Cap. 1, 5.

[5] Vers. 20.

[6] Psalm. 45, 1.

homines sunt altiores, tanto plures habent tribulationes. Dominus quidem in delectationibus ponit sal tribulationis. Fugiamus igitur, carissimi, ad Dominum, sicut fugit beatus Ioannes. Quomodo? Quando diabolus tibi praesentat tribulationem, fuge ad Dominum in oratione devota sicut Psalmista, qui dicebat [1]: *Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi. Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.* Verum est, quod ad hominem potest homo fugere; sed principaliter ad Dominum Deum nostrum, quia nemo potest dare unam stillam boni consilii, nisi ipse Dominus illustret hominem vel mentem hominis; et aliquando aliquis homo simplex dat melius consilium quam aliquis sapientissimus. Sic igitur ad Dominum est fugiendum propter *consolationem*, ut visum est.

Propter securitatem.

Secundo, propter *securitatem*, sicut miles, quando obsidetur ab inimicis, fugit ad castrum tutius, quod habet, et fortius; sic etiam nos ad Dominum fugere debemus propter securitatem, quia *turris fortissima nomen Domini* [2]; Psalmus: *Tu autem, Domine, spes mea; altissimum posuisti refugium tuum*, maxime, quando homo indiget necessariis ad victum, tunc fugit ad castrum munitissimum; sic nos ad Dominum, quia est castrum fortissimum, securissimum et munitissimum. Ideo beatus Ioannes confugit ad ipsum tanquam ad refugium summum et dixit: *Ecce, elongavi fugiens* etc.

Ad instructionem.

Tertio fugiendum est ad Dominum ad habendum *instructionem*, sicut homo, quando est in tenebris, si vult videre, statim currit ad lumen vel lucem, ut eum illuminet: sic et nos ad Dominum fugere debemus, ut scholaris ad magistrum, quia ipse *est lux mundi* [3]. Sed saepe dicitur: *Qui male agit odit lucem.* De talibus conqueritur Dominus dicens: *Fugerunt a me, oblivioni datus sum* illis. Carissimi, faciamus sicut beatus Ioannes, quia cognovit Creatorem suum, ita quod digito ostendebat ipsum [4]. Ipse enim dimisit tenebras et fugit ad lucem; non fuit de illis, de quibus dicit Dominus: *Fugerunt a me* etc. Rogabimus Dominum etc.

Sermo II [5].

Ioannes est nomen eius, Lucae primo [6].

Introductio.

Tantae excellentiae fuit beatissimus Ioannes, ut plene officio nequeat dici linguae. Quis enim sic totus sanctus, sic omni vitae suae tempore conversatus, sic Deo commendatus ut praecursor hic maximus? Unde, sicut apparebit in processu sermonis, non absque rationabili valde causa *Ioannes* toties appellatus fuit. Ergo bene ad eius laudem assumitur, ut dicatur: *Ioannes est nomen eius* [7]. In quo verbo, quamvis parvo, nobis commendabilis ostenditur a duobus: primo, ab *excellentia sanctitatis*, qua ornabatur in anima sive vita; secundo, a *resplendentia honestatis*, qua praedicabatur in fama, ut sic esset *gratiosus*, id est gratia plenus quantum ad se ipsum, sed esset nominatione *famosus* quantum ad proximum. Perfectus enim est bis duobus omnis homo: si fulgeat in *se ipso* per gratiae ornamentum et si resplendeat *proximo* per exemplum. Primo igitur notatur *animae adornatio* (quantum) ad se ipsum, cum dicitur: *Ioannes;* fuit enim ornatus omni gratia; nam Ioannes interpretatur *in quo est gratia.* Secundo notatur *famosa nominatio* quantum ad proximum, cum additur: *est nomen eius.* Dicamus ergo, tractantes omnia simul: *Ioannes est nomen eius.*

Divisio.

Est igitur hic notandum eo modo, quo in superiori sermone dixi, quod sanctus Ioannes primo fuit lux *dotata privilegiis;* secundo, lux *adornata miraculis;* tertio fuit lux *commendata praeconiis;* quarto fuit lux *accumulata meritis.* Quis unquam ut Ioannes tot habuit privilegia, tot habuit in suo ortu miracula, tot habuit laudum praeconia et tot habuit sublimia merita?

Para 1. Privilegia Ioannis septem.

I. Dico, quod Ioannes, praecursor nobilis Domini Salvatoris, fuit a Christo *magnis dotatus privilegiis.* Dignum enim erat valde et conveniebat, ut praenuntius summi Regis magnis polleret privilegiis; ut ex praenuntio probaretur, quantus erat qui nuntius fuerat secuturus. *Non est servus maior domino suo* [8], immo valde semper est minor. Ergo si tantus fuit praecurrens servus, quantus erat futurus subsequens Dominus! Si enim aurora est tam rutilans et tam pulcra, solis nascituri praenuntia, si stella Diana est tam splendida, solis advenientis indicativa, quantae pulcritudinis est solaris substantia! Sunt autem ista praeconis dominici privilegia: primum, ab eodem Angelo, a quo Christus, fuit *annuntiatus;* secundum, ex sanctis et nobilibus parentibus *generatus;* Domini enim fuit propinquus; tertium, in utero *sanctificatus* [9], ut prius esset sanctus quam natus; quartum, a Domina nostra et Domino, cum adhuc esset

---

[1] Psalm. 142, 9. seq.

[2] Prov. 18, 10; sequitur Ps. 90, 9.

[3] Ioan. 8, 12; sequuntur c. 3, 20. et Ps. 30, 12. 13.

[4] Respicitur Ioan. 1, 29.

[5] Quarta huius sermonis pars invenitur in Vaticana ut sermo II. de S. Ioanne Baptista ac etiam in Bonelli Supplemento, tom. III. col. 646 seqq. cum paucis lectionibus variantibus et quodam in fine additamento; item, in editione an. 1479. (Zwollis); denique in cod. Monacensi, cod. Lat. B 438 (in collectione Sermonum de Sanctis, fol. 1. seqq.) et in aliis codd., qui Vaticanae sermones de Sanctis habent. — Attamen in ed. an. 1502. p. II. de Sanctis fol. 52 et in cod. Tudertino n. 177. fol. 100 supplentur etiam tres priores huius sermonis partes. In his duobus, exceptis pluribus variantibus, textus convenit et locumam satis manifestam, quae est in praedictis, explet. Primae sermonis propositiones in praedictis *omnibus* sunt eaedem, et etiam finis praeter illud additamentum, quod in nonnullis deest. Cetcrum etiam in toto et completo sermone manus collectoris passim agnosci potest, ut e. g. quod de *superiore sermone* ante finem introductionis dicit.

[6] Vers. 63.

[7] Quae sequuntur sumta sunt ex cod. Tudertino n. 177. et editione an. 1502. usque ad *Quarto et ultimo.*

[8] Ioan. 13, 16.

[9] Cfr. August., IV. Op. imperf. contra Iulian., c. 134.

in utero, *visitatus;* quintum, natus ab ipsa Domina est *levatus,* brachiis Reginae *astrictus,* eius manibus saepe *lotus,* similiter et *portatus;* sextum, ab eo *Dominus* et *cognitus* et *ostensus* et eius manibus *baptizatus;* septimum, in sua nativitate ab Ecclesia *honoratus.* Festivat enim Ecclesia de eius nativitate, quod de Sanctis aliis non contingit. Nam et de eo dixerat Angelus Lucae primo [1]: *Et multi in nativitate eius gaudebunt.* — Quatuor autem prima privilegia habentur plane Lucae primo [2]; quintum ex eodem loco colligitur, eo quod non sine causa Domina illuc ivit et *mensibus tribus* ibi stetit, quousque cognata sua peperit [3], et praeter hoc aperte in Legenda beati Ioannis dicitur; sextum vero Matthaei tertio conscribitur. Quis ergo ex Sanctis post privilegia Salvatoris et eius beatissimae Matris tot privilegiis ut Ioannes claruit?

Horum prehatio.

II. Secundo fuit magnis in suo ortu *adornatus miraculis,* ut nulli verteretur in dubium, quin esset nobilis praenuntius summi Regis. Fuerunt autem ista miracula: primum, quia *ex matre sterili* natus fuit, sicut dicitur Lucae primo [4]; quae, etsi sterilis non fuisset, tamen tunc naturaliter non concepisset, eo quod vetula esset, et ita ei iam muliebria fieri defecissent, et vir eius similiter esset senex, sicut dicitur Lucae primo. — Secundum miraculum fuit, quod dum pater eius, Angelo annuntiante, non credidit, *usum loquendi penitus amisit,* sicut ibidem legitur Lucae primo. — Tertium miraculum fuit, quod puer super naturam *in utero exsultavit,* Salvatorem Dominum in utero Matris clausum Virginis advenisse *cognovit* et ei, in quantum potuit, *assurrexit officiumque* praecursoris *incepit* et ad salutationem Virginis Verbum divinum in utero portantis *repletus* tam copiosa gratia fuit, quod in matrem redundavit, quam et prophetissam effecit; unde et Lucae primo de hoc dicitur: *Et factum est, ut audivit salutationem Mariae Elisabeth, exsultavit infans in utero eius, et repleta est Spiritu sancto Elisabeth et exclamavit voce magna et dixit: Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Ecce enim, ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo* etc. — Quartum miraculum fuit, quod puer, dum natus fuit, *patri loquelam recuperavit,* sicut dicitur Lucae primo [5]. Nam sicut ibidem legitur, propter ista miracula tam excelsa, tam inusitata tamque miranda claruit undique eius fama, et dicebant: *Quis, putas, puer iste erit? Et* statim *Zacharias repletus est Spiritu sancto* etc.

Pars II. Miracula in eodem quatuor.

III. Tertio Ioannes magnis fuit *sublimatus praeconiis.* Quis unquam tantis laudibus, tam certis praeconiis, tam solidis meritis est laudatus, non a laudatore quocumque, sed potius ab ipsa Veritate, quam vel adulari vel falsum dicere fuit impossibile? Nota ergo breviter, quod commendat eum Salvator dupliciter: primo, *specialiter;* secundo, *generaliter.* — Nam *specialiter* a sex eum commendat: primo, a *constantiae firmitate,* quam viriliter tenuit, Matthaei undecimo [6], quando dicit: *Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam?* quasi dicat: *Arundo,* cum sit concava, debili ligno composita, nulla est stabilitate firmata, sed cedit omni vento pulsata; sed Ioannes non est talis, qui adeo constans fuit, ut moveri non potuerit a perfectione, quam coepit. — Secundo commendat eum a *vestimentorum asperitate,* qua omni tempore usus fuit; unde dicitur Matthaei undecimo, et idem Lucae septimo: *Quid existis videre? Hominem mollibus vestitum?* Non, inquam. *Ecce* enim, *qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.* At Ioannes non cum regibus, sed cum feris et serpentibus, non in palatio, sed habitavit in deserto, in loco utique vili, in loco inhabitabili et in loco sterili. — Tertio commendat eum a *prophetiae sublimitate,* quam assecutus, Deo donante, fuit; unde dicitur Matthaei undecimo [7]: *Quid existis videre? Prophetam? Etiam, dico vobis, et plus quam Prophetam.* Dico vobis: *plus quam Propheta* Ioannes fuit; quia, quem alii futurum aliquando praedixerunt, ipse eum adesse praesentem et signis et verbis et digito demonstravit [8]; Ioannis primo: *Ecce, Agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi!* — Quarto commendat eum ab *officii dignitate* simul et *maxima puritate,* cum dicit Lucae septimo: *Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce, mitto Angelum meum ante faciem tuam.* « Angelus nomen est officii [9] » et munditiam significat, quia mundos ministros Deus requirit; Psalmus [10]: *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.* — Quinto commendat eum a *zelotypa caritate,* quam et in verbis et in factis ostendit; unde dicitur Matthaei undecimo: *Et si vultis recipere,* Ioannes *ipse est Elias;* et de Elia dicitur Ecclesiastici quadragesimo octavo: *Surrexit Elias propheta quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat.* — Sexto commendat eum a *cibi potusque sobrietate,* quam, ut infra patebit, semper immutabiliter observabat; unde dicitur Matthaei undecimo [11]: *Venit Ioannes Baptista, non manducans neque bibens, et dicunt: Daemonium habet,* non quia non

Pars III. Praecordia eiusdem septem.

Commendatur specialiter.

---

[1] Vers. 14.

[2] Vers. 13. 14. 26. 6. 44. 40. 56. Sequitur Matth. 3, 13. et Ioan. 1, 29.

[3] Ita expresse dicit Beda in Luc. 1, 56. sec. sententiam communem; de qua cfr. Cornel. a Lap. in hunc locum.

[4] Vers. 7. 18. 20. 41. seqq.

[5] Vers. 63. 66. seqq.

[6] Vers. 7. 8; sequitur c. 11, 8. et Luc. 7, 25.

[7] Vers. 9.

[8] Cfr. Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 3. n. 3; homil. 6. n. 5. et homil. 7. n. 1. seq. — Sequuntur Ioan. 1, 29. et Luc. 7, 27. (Mai. 3, 1).

[9] August., Enarrat. in Ps. 103. serm. 1. n. 15.

[10] Psalm. 100, 6; sequuntur Matth. 11, 14. et Eccli. 48, 1.

[11] Vers. 18.

manducaret et biberet, sed quia adeo temperate hoc faceret, quasi non faceret. Sic igitur commendatur a Christo in speciali.

mmenda- in gene- i.

Sed quid de eo clamavit in *generali*? Ait enim Matthaei undecimo [1]: *Non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista.* Quid hoc maius, quid sublimius, quid de eo potuit dici amplius? Excluditur tamen ab hac regula homo Christus, quia secundum legem illam communem de muliere per viam concupiscentiae non est natus. Per hoc etiam quod dicit: *inter natos,* masculine et non feminine, Mater Dei excluditur, cui Sanctorum nullus, immo nec Angelorum est comparandus. Multo enim maius fuit, esse Matrem Dei, quam esse praeconem; nam regis mater regina est, sed praeco regis servus est. Ista breviter et valde succincte dixi, ut darem de eis legentibus [2] aliquam materiam praedicandi, ut per haec pauca se ad varia diffundant. Lata enim valde est materia et de nullo Sancto tot habentur authentica testimonia, quae nequeunt esse falsa.

IV. Quarto et ultimo nota, quod beatus Ioannes magnis fuit *dotatus meritis* et per consequens magnis et *gloriosis praemiis;* secundum enim quantitatem meritorum est quantitas praemiorum. Ergo sublimia sunt exhibita praemia in caelo ei qui sublimia merita possidebat in mundo. Quamvis igitur eius altissima merita plene non possimus exprimere lingua, brevitatis tamen causa eius merita ex quatuor possumus ostendere fuisse altissima, scilicet primo ex parte *abundantis gratiae,* quam accepit; secundo, ex parte *humilis conscientiae,* per quam vilia de se sensit; tertio, ex parte *asperae poenitentiae,* quam semper portavit; quarto vero, ex parte *zeli iustitiae,* per quem mori non timuit.

rs IV. Do- tus magnis eritis et praemiis.

Haec pro- natur qua- ripliciter.

Dico primo, quod beatus Ioannes magnorum fuisse meritorum ostenditur ex parte *abundantissimae gratiae,* quam accepit. Ioannes enim, ut dixi, interpretatur *in quo est gratia Dei;* et ut daretur intelligi, quod eius gratia fuerit maxima, a tribus, Spiritu sancto dictante, plenus est appellatus, ut ex *ore trium testium* [3] tam veracium eius meritum probaretur fuisse permaximum. Nam primus impositor nominis, ut de Deo omittam, fuit Angelus, qui Zachariae apparens, ait: *Elisabeth, uxor tua, pariet tibi filium, et vocabis nomen eius Ioannem,* Lucae primo; lege historiam. — Iterum, ut habetur ibidem, cum natus esset puer, *venerunt circumcidere* eum *et vocabant eum nomine patris sui Zachariam.* Quibus obvians mater eius, nesciens, quid dixisset Angelus, dixit ad illos: *Nequaquam, sed vocabitur Ioannes.* — Iterum, dum *innuerent patri eius, quem vellet vocari eum, postulans pugillarem, scripsit, dicens: Ioannes est nomen eius;* et sequitur, quod *mirati sunt universi.* Unde mirati? Quia sic ab Angelo nuntiante, sic a matre concipiente, sic a patre generante puer concorditer est nominatus. Dum ergo toties asserunt, eum esse *Ioannem,* ostendunt, esse in eo plenitudinem gratiae. — Sed nos hodie, fratres mei, in culpa concipimur, in peccatis nascimur, in peccatis nutrimur et in peccatis, ut saepius, morimur. Unde possumus merito gemere, sicut Innocentius [4] dicit, eo quod sit nostra conceptio culpa; nativitas, poena; et vita, mori. Quotidie morimur, quotidie vitam finimus, quotidie ad mortem vadimus nec ad punctum stare possumus. Unde ob tantas nostras miserias mos fuit olim in Thracia [5], ut in nativitatibus hominum flerent, eo quod ad poenas venirent, et in eorum morte gauderent, eo quod mundi mala effugerent.

Primo, ex arte abun- dantis gra- tiae.

Tres tes.

Defectus gratiae in nobis.

Secundo apparet, eum fuisse magnorum meritorum, ex parte *humilis conscientiae,* per quam vilia de se sensit. Si enim, iuxta sententiam Salvatoris [6], quae mentiri non potest, *omnis, qui se humiliat, exaltabitur;* ergo qui se magis humiliat, magis eum Deus exaltat, et qui se maxime humiliat, maxime exaltabitur. Sed beatus Ioannes summe humilis fuit, vilia maxime de se sensit, vilia de se praedicavit, vilia de se quaerentibus semper respondit. Haec omnia probantur Ioannis primo [7] et tertio. Cum enim Ioannes tantus esset, quod crederetur a multis Messias, requisitus a sacerdotibus et levitis, se non esse Christum neque Eliam nec Prophetam, respondit, sed *vocem* se esse dixit, quasi diceret: quid in me erratis? Christus, Dei Verbum, manet in aeternum, sed vox mox deficit, cum auditur. Et post multa, quae humilitatem eius sonant, cum dicerent ei: *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus?* dixit: *Ego baptizo* vos *in aqua; medius autem vestrum stetit quem vos nescitis. Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est, cuius ego non sum dignus, ut solvam eius corrigiam calceamenti.* Et plura addit de sua humilitate tertio eius circa finem. Ergo quia sic in summo humilis fuit, summe exaltari promeruit. — Sed quis hodie humilis cum Ioanne? Quis non superbus cum Herode? Quid hodie est mundus nisi superbia? Unde discordiae, unde guerrae, unde rixae, unde incendia, unde homicidia [8], unde furta, unde adulteria, unde omnia mendacia nisi ex superbia, quae divina parvipendit imperia, divina refugit praemia nec infernalia formidat supplicia? Utinam attenderent miseri, quod eorum gloria est sicut palea igne succensa, quae, ad ictum oculi tota combusta, nec etiam viles cineres derelinquit. Sunt enim sicut aqua defluens, quae prius dissolvitur, quam tangatur. Multum

Secundo, ex parte humi- lis concien- tiae.

Probatio ex Scriptura.

Superbia in nobis.

---

[1] Vers. 11.

[2] Haec a collectoribus sermonum de Sanctis addita esse, non est dubium.

[3] Respicitur Matth. 18, 16; sequuntur Luc. 1, 13. et deinde v. 59. seqq.

[4] Scilicet Papa III, de Contemptu mundi c. 1. quoad sensum.

[5] Herodot., lib. 5. in principio.

[6] Luc. 14, 11.

[7] Vers. 19-36. et c. 3, 23. seqq.

[8] Respicitur Gal. 5, 20. 21.

erigitur et inflatur spuma maris, sed mox evanescit, modico vento tacta. Unde vobis, filii superbiae, tanta de vita fiducia? Nunquid non corpus humanum fragilius est quam vitrum, quia vitrum solo concussu alterius corporis rumpitur, sed hominis corpus modis innumeris frangitur? Sed nunquid confidis in pecunia? Sed ubi mundi divites, ubi principes, ubi reges, qui omnia possederunt? Sic et de potentia, sic et de sapientia est penitus sentiendum. Ergo, fratres, non superbiamus cum diabolo, sed humiles simus cum Christo; non superbiamus cum Herode, sed simus humiles cum Ioanne.

Tertio, ex parte austerae poenitentiae.

Tertio ostenditur fuisse magnorum meritorum ex parte *austerae poenitentiae*, quam omni tempore portavit. Fuit enim austera eius poenitentia ex parte *loci*, ex parte *vestimenti* et ex parte *cibi;* in his enim tribus consistit austeritas poenitentiae. Nam infantulus intravit desertum, ubi est *locus* vilis, locus sterilis, locus inhabitabilis et nullis aptus solatiis, quia ibi nulla societas nisi cum feris. — Item, eius *vestimentum* fuit vilissimum et asperrimum. — Item, *cibus* eius modicus et admirandus, et similiter *potus;* unde dicitur in Matthaei tertio [1]: *Ipse Ioannes* erat *in deserto et habebat vestimentum de pilis camelorum et zonam pelliceam circa lumbos suos. Esca autem eius erat locustae et mel silvestre;* de *potu* eius dicitur Lucae septimo [2]: *Venit Ioannes Baptista, neque manducans panem neque bibens vinum.* Praedictum enim fuerat per Angelum Lucae primo: *Vinum et siceram non bibet.* — Sed quis hodie tale poenitentiam facit? Nos non in deserto, sed in amplis palatiis et lectis spatiosissimis poenitemus. Nostra poenitentia sunt delicatissima vestimenta, non duo paria, sed plurima; non locusta nec panis et aqua, sed fercula varia et vina dulcia et diversa. Vere non vera, sed falsa est nostra poenitentia, immo nec poenitentia est nominanda, ubi nulla sunt aspera, sed dulcia universa. Si enim Ioannes, qui ex utero erat sanctus, qui, ut dicitur [3], actualiter nunquam peccavit, tam asperam poenitentiam faciebat, quid facere deberent peccatores impii, peccatis omnibus pleni? Ipse enim Ioannes praedicaverat: *Facite fructus dignos poenitentiae*, Lucae tertio [4], ubi dicit Gregorius, « quod non debet esse par poenitentia eius qui parum, et eius qui multum peccavit »; ergo secundum mensuram culpae debet esse mensura poenitentiae. Si Ioannes et Elias et omnes sancti Patres in desertis Aegypti tantis se vigiliis et ieiuniis astrinxerunt, tam aspera et inculta vestimenta portaverunt; quid nos pleni peccatis omnibus facere deberemus? Exempla accipe in Paulo, in Antonio, in Macario et in Hilarione, famosissimo monacho, et eorum vitas perlege in Legendis.

Defectus poenitentiae in nobis.

Quarto, ex parte zeli iustitiae.

Quarto Ioannes ostenditur fuisse magnorum meritorum ex parte *zeli iustitiae*, pro qua animam suam posuit; nam quia Herodem de uxore fratris arguit, Herodes ipsum occidit. Non est enim mortuus pro aliquo malo, quod fecerit, sed solum, quia regem arguit [5]; unde dicitur Marci sexto: *Herodes metuebat Ioannem, sciens eum virum iustum et sanctum, et custodiebat eum et audito eo, multa faciebat et libenter eum audiebat.* Dicitur [6] tamen ibi, quod propter Herodiadem, de qua arguebat eum, eum vinculavit et tandem, opportunitate accepta, occidit. Lege Evangelium et narra historiam.

Hodierni imitatores Herodis.

O quot hodie sunt Herodes, qui pauperes premunt, angarias eis imponunt et quandoque occidunt; nec possunt argui sine damno rei et sine periculo corporis proprii. Nam et pessimus Nero [7], nulla habita iusta causa, omnes parentes suos occidit, Senecam, magistrum suum, eligere mortem coegit, matrem per ventrem scindi praecepit et ultimo Apostolos eum arguentes, crudeliter prius afflictos catenis occidi praecepit. Certe multi sunt hodie Christiani et maxime praedones [8], qui, si aliquos capiant, talibus et tam crudelibus poenis macerant, ut pecuniam ab eis extorquant, ut talia nunquam fecerint nec Saraceni. Sed veniat dies illa, quando *mittentur in caminum ignis* [9], ubi in perpetuum sine misericordia torquebuntur, et *ascendet fumus tormentorum eorum in saecula saeculorum*, sicut dicitur Apocalypsis decimo quarto.

DE SANCTIS APOSTOLIS PETRO ET PAULO (29 Iunii).

Sermo I [10].

Isti sunt duo filii olei, qui assistunt Dominatori universae terrae, Zachariae quarto [11].

Divisio.

In his verbis commendantur Apostoli quoad duo, scilicet quoad *meritum perfectae virtutis: Isti sunt duo* etc.; et quoad *officium eximiae dignitatis: qui assistunt Dominatori universae terrae.*

---

[1] Vers. 1. 4. [2] Vers. 33. et deinde c. 1, 15.

[3] Vide hymnum ad Matutin. in festo S. Ioan.:

Ne levi posses maculare vitam
Crimine linguae.

Cfr. Bonav., III. Sent. d. 3. p. 1. a. 2. q. 1. f. 3.

[4] Vers. 8; sequitur Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 20. n. 8.

[5] Respicitur Matth. 14, 3. seqq. et deinde sequitur Marc. 6, 20. 17. seqq.

[6] Quae sequuntur habentur in Supplemento Bonelli, cod. Tudert. et edit. an. 1502.

[7] Vide Sueton., Vi. de 12 Caesaribus.

[8] Ita editio anni 1502; cod. Tudert. et Bonelli *berroarii*, quae vox idem significat secundum Glossarium Du Cange.

[9] Matth. 13, 42; sequitur Apoc. 14, 11.

[10] Ex cod. Trecensi n. 1464. fol. 19. v., ubi in margine ascribitur *bone aventure*. Schema huius sermonis habetur in cod. Monacensi n. 8739. fol. 118. [11] Vers. 14.

1. Ratio primi est, quia *oleo* utimur ad tria, scilicet ad *medicamentum vulneris, nutrimentum luminis, condimentum* sive delectamentum *refectionis.* Unde per oleum bene figuratur *gratia sanans, sapientia illustrans, spiritualis laetitia reficiens* et delectans. Sed quaerit aliquis: quare hoc non est scriptum: *Isti sunt duo filii* gratiae sanantis, sapientiae illustrantis et laetitiae spiritualis, cum scriptum sit: *Isti sunt duo filii olei?* Respondeo: mos est sacrae Scripturae, et maxime veteris Testamenti, per figuras et metaphoras loqui; quia sub una metaphora saepe concluditur quod multis dictionibus non exprimeretur.

Notandum ergo, quod per *oleum gratia* designatur, quae a *peccati vulnere sanat,* a *sorde mundat,* a *servitute liberat.* Haec enim tria peccatum inducit: *vulnus* per offensam, *sordes* per maculam, *servitutem* per sequelam. Oleum gratiae sanat vulnus per contritionem, mundat sordes maculae per confessionem, tollit et relaxat servitutem sequelae per satisfactionem. — De primo, in parabola Samaritani [1], qui *vulneribus semivivi infundit oleum et vinum,* et sic eum curavit a vulnere. Haec enim in *contritione* debent concurrere: *oleum,* id est spes de venia; *vinum,* id est compunctio de culpa. Et hoc modo uterque Apostolorum est curatus; quia uterque eorum, *descendens de Ierusalem in Iericho, in latrones incidens.* Fuerat vulneratus Petrus quidem, dum Christum negavit [2]; Paulus, dum Christi Ecclesiam impugnavit. — De secundo, Ezechiel: *Lavi te aqua,* ab originali peccato, *et emundavi sanguinem tuum ex te,* ab actuali peccato, *et unxi te oleo,* gratia Spiritus sancti. Daniel [3]: *Afferte mihi oleum et smigmata, ut laver; smigma,* circumstantiae peccati. Oportet enim, ut Susanna, *confitens,* cum *oleo* gratiae mundantis *smigmata* peccatorum, scilicet circumstantias, conficiat, illas in *confessione* explicando. — De tertio, Isaias: *Auferetur onus eius de humero tuo et iugum eius de collo tuo, et computrescet iugum a facie olei. Onus et iugum,* difficultas ad bonum et pronitas ad malum; haec enim sunt in sequela peccati; *et computrescet a facie olei,* scilicet gratiae liberantis ab huinsmodi servitute per *satisfactionem,* et maxime per misericordiae opera. — Isti ergo sunt *filii olei* huius triplicis gratiae: per *contritionem* sanantis. *Petrus* quippe, exiens, *flevit amare* [4]; et Paulus: *Domine,* inquit, *quid me* iubes *facere;* ecce, figura contritionis; per *confessionem* Petrus per Evangelistas omnes [5] clamat suum reatum; Paulus in multis suarum Epistolarum locis [6] suum confitetur peccatum; *non sum,* inquit [7], *dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei;* per *satisfactionem;* utriusque enim vita ingis fuit poenitentia.

Est etiam *nutrimentum luminis,* quod habet tres proprietates; quia scilicet *illustrat, impinguat, supernatat,* et propterea per oleum commune designatur *sapientia illustrans, impinguans, elevans;* ad quam triplici via pervenitur: per sacrae Scripturae meditationem, per devotam orationem, per supernorum contemplationem. Et his tribus tres theologicae virtutes respondent; nam sapientia illustrat per *fidem* in Scripturis meditantem; impinguat per *spem* devote orantem; elevat per *caritatem* superna contemplantem. — De primo, Exodi vigesimo septimo [8]: *Praecipe filiis Israel, ut afferant tibi oleum de arboribus olivarum purissimum pilogue contusum, ut ardeat lucerna* in templo meo *semper. De arboribus olivarum,* id est divinarum Scripturarum; et hoc est *purum* in legalibus; *purius,* in propheticis; *purissimum,* in evangelicis, quia *pilo* crucis Christi *contusum,* in quo involuta et mystica legalia et prophetica legalia reserantur. — De secundo, Iob: *Butyro lavabam pedes meos;* id est devotione affectiones meas; *et petra fundebat mihi rivos olei,* id est Christus gratiam sapientiae impinguantis. — De tertio, Cantica: *Oleum effusum nomen tuum. Oleum effusum* supernatat; et sequitur: *Trahe me, post te curremus* etc. — Erant igitur isti *duo filii olei* huius, scilicet triplicis sapientiae: per fidem illustrantis in sancta meditatione; per spem impinguantis in devota oratione; per caritatem elevantis in superna contemplatione; quae omnia palam patent io ipsis. Et si nos in his sequeremur eos, hanc sapientiam possemus adipisci, et fieret quod Ioannes [9] dicit: *Non enim necesse habetis, ut aliquis doceat vos;* ipsa enim *unctio docet vos de omnibus.*

Est etiam oleum delectamentum sive *condimentum refectionis;* per quod spiritualis laetitia designatur; Psalmus [10]: *Ut exhilaret faciem in oleo* etc.; et hoc (est) fulcimentum et complementum aliarum virtutum. Nullum opus sine aliquo gaudio vel delectamento fieri diu potest; Apostolus: *Regnum Dei est iustitia et pax et gaudium in Spiritu sancto.* Post iustitiae exercitium sequitur *pax mentis* et *Spiritus sancti gaudium.* Hoc autem oleum spiritualis laetitiae triplicem habet effectum: quia scilicet reddit homines *fortes* et robustos ad expugnandum tentationes, *fertiles* et vigorosos ad multiplicandum bonas operationes, *alacres* et promptos ad sustinendum tribulationes. — De primo, Deuteronomii trigesimo

Ors I. De triplici peractae virtutis.

Triplex olei significatio.

De oleo sapientiae illustrante, impinguante, superantante.

e gratia anante a plici peccati effectu.

Primum respondet fidei illuminationibus.

anat animae vulnus.

Secundum, spei devotis affectibus.

Tertium, caritatis elevationibus.

avat eius sordes.

Tollit eius servitutem.

De gratia reficiente.

Spiritualis laetitiae triplex effectus.

De primo.

[1] Luc. 10, 34. 30.

[2] Respicitur Matth. 26, 70. et dein Act. 9, 1. seqq.; sequitur Ezech. 16, 9. [3] Cap. 13, 17; sequitur Isai. 10, 27.

[4] Matth. 26, 75; sequuntur Act. 9, 6.

[5] Scilicet Matth. 26, 70. seq.; Marc. 14, 68. seqq.; Luc. 22, 57. seqq. et Ioan. 18, 17. seqq.

[6] Ex. gr. 1. Cor. 15, 9; Gal. 1, 13. et Phil. 3, 6.

[7] Epist. 1. Cor. 15, 9.

[8] Vers. 20; sequuntur Iob 29, 6. et Cant. 1, 2. seq.

[9] Epist. 1. c. 2, 27.

[10] Psalm. 103, 16; sequuntur Rom. 14, 17. et Deut. 33, 24. seq.

tertio: *Benedictus in filiis Aser, sit placens fratribus suis, et tingat in oleo pedem suum, aes et ferrum calceamentum eius.* Per *aes* et *ferrum* fortitudo intelligitur, qua *pedes,* id est affectus, induuntur, si primum *oleo* laetitiae *intingantur;* Esdras [1]: *Gaudium Domini est fortitudo nostra.* Diabolus mirabiliter perterretur, dum Christi athletam iucundum intuetur, et fugit et non audet eum tentationibus invadere. Quod figuratum est in libro Regum, ubi legitur, quod David psallente et ludente in cithara, *refocillabatur* spiritus *Saul,* et daemon cessavit ab infestatione eius; Apostolus: *Gaudete in Domino*
De secundo. *semper* etc. — De secundo, exemplum de parabola virginum in Matthaeo [2], ubi Augustinus dicit, quod *lampades* opera sunt olei spiritualis laetitiae; *fatuae, acceptis lampadibus, non sumserunt oleum secum.* Et sequitur: *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostrae exstinguuntur;* Augustinus: « Quorum facta aliena lande fulciuntur, eadem subtracta, deficiunt ». *Oleum* ergo spiritualis laetitiae facit lampadem boni operis ardentem perseverare. Unde hortatur Dominus: *Cum ieiunas, unge caput tuum* oleo; Salomon [3]: *Omni tempore sint vestimenta tua can-*
De tertio. *dida, et oleum de capite tuo non deficiat.* — De tertio, Psalmus: *Impinguasti in oleo caput meum.* Hoc *oleum* habebant Apostoli, de quibus dicitur in Actibus: *Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati;* Petrus [4]: *Communicantes Christi passionibus, gaudete.* Sic ergo erant *filii olivae* isti duo.

Sed possumus specialiter et magis appropriate
Alia locutionis applicatio, primo ad Petrum. dicere, quod Petrus fuit *filius olivae* sanctitatis, ut esset summus sacerdos ad consecrandum Ecclesiam; Exodi vigesimo nono [5] dictum est Moysi: *Fundes oleum super caput Aaron, atque hoc ritu consecrabitur. Moyses,* Christus, *fudit oleum super caput Aaron,* id est montani, scilicet Petri, qui in monte vidit gloriam Filii hominis; *fudit,* inquam, *oleum super caput eius,* cum ei claves commisit. *Tu es,* inquit, *Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eum, et tibi dabo claves regni caelorum.* In fide etenim Christi Petrus [6], Ecclesia solidata, etsi pericliteatur, non tamen submergetur; unde in Evangelio: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua.* In huius enim figuram dixit Elias mulieri, id est Christus Ecclesiae: *Hydria farinae non deficiet,* id est Sacramentum eucharistiae; *nec lecythus olei minuetur,* id est gratia sancti Spiritus, per quam fit in Ecclesia remissio peccati. Hoc oleum gratiae sanctificantis sacerdotali auctoritate fusum est in Petrum et in Apostolos et per eos in reliquos sacerdotes; Psalmus: *Sicut unguentum in capite,* id est gratia in Christo, *quod descendit in barbam, barbam Aaron,* in Apostolos, *quod descendit in oram vestimenti,* id est in minores Ecclesiae praelatos.

Paulus vero fuit *filius olei,* id est sapientiae il- Secundo, Paulum.
lustrantis, ut esset doctor eximius ad illuminandum Ecclesiam. In huius rei figuram Elias [7], Christus, Sol institiae, unxit *Eliseum, filium Saphat, in Prophetam.* Per Eliseum calvum et magnum zelum habentem intellige Paulum. *Eliseus maledixit pueris* Iudaeorum, *et duo ursi* venerunt et devoraverunt eos. Paulus [8] magno zelo Dei observantias legales reprobavit; et duo ursi, id est Titus et Vespasianus, venerunt et devastaverunt Iudaeos. — Item, ad inssum Elisei *mulier vasa vacua et non pauca* oleo implevit; et Ecclesia ad doctrinam Pauli corda gentilium a divina cognitione vacua gratia Spiritus sancti replevit. Uterque vero fuit *filius olei,* id est laetitiae spiritualis, ut esset pastor fidelissimus ad gubernandam Ecclesiam; Psalmus [9]: *Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae prae consortibus tuis.* — Item: *Inveni David, servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Sustulit eum de gregibus ovium, de post foetantes accepit eum, pascere Iacob, servum suum, et Israel, hereditatem suam.* Sic igitur isti sunt *duo filii olei,* per quod designatur meritum perfectae virtutis.

II. Sequitur: *qui assistunt* etc., ubi describitur Pars II. De officio dignitatis.
officium dignitatis. Et notandum, quod isti Apostoli Domino tribus modis astiterunt, quibus omnes praelati assistere debent, scilicet ut *virtuosi principes,* Triplex assistentia.
regi; ut *sensati assessores,* indici; ut *devoti sacerdotes,* pontifici. *Consulere* enim debent praelati in mansuetudine; *iudicare,* in veritate; pro populo *orare,*
in devotione. — De primo, in libro Regum [10], ubi le- De prima.
gitur: *Dum iniret rex Roboam consilium cum senioribus, qui* servierunt patri eius, dabant consilium mansuetudinis, ut videlicet levaret iugum populi et preces eius audiret; sed, dum cum minoribus deliberaret, dixerunt: *Sic loqueris populo huic: Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei. Ille vos cecidit flagellis; ego autem caedam vos scorpionibus.* Per *Roboam* intellige praelatos Ecclesiae. Isti, si quaerunt consilium a senioribus, qui servierunt patri suo, id est ab Apostolis, datur eis consilium mansuetudinis et humilitatis; Petrus [11]: *Neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Si vero quaerunt consilium a minoribus, id est modernis consiliariis, respondent, tempora mutata esse, non posse (se)

[1] Libr. II. c. 8, 10; sequuntur I. Reg. 16, 23. et Phil. 4, 4.
[2] Cap. 25, 1. seqq.; sequuntur August., epist. 140. (alias 120.), c. 31. n. 75. et Matth. 6, 17. seq.
[3] Eccle. 9, 8; sequuntur Ps. 22, 5. et Act. 5, 41.
[4] Epist. I. c. 4, 13.
[5] Vers. 7; dein per visionem in monte alluditur ad Matth. 17, 1. seqq. et sequitur c. 16, 18. seq.
[6] Fortasse legendum *per Petrum;* sequuntur Luc. 22, 32; III. Reg. 17, 14. et Ps. 132, 2. seq.
[7] Respicitur III. Reg. 19, 16; sequitur IV. Reg. 3, 24.
[8] Respicitur Gal. 2, 11. seqq. et dein IV. Reg. 4, 3.
[9] Psalm. 44, 8; sequuntur Ps. 88, 20. et Ps. 77, 70.
[10] Libr. III. c. 12, 6. seqq. et dein v. 12.
[11] Epist. I. c. 5, 3.

Apostolorum consilia modo sequi; oportere magis cum violentia et rigore quam cum patientia et humilitate Ecclesiam regere. Unde sicut (sub) Roboam accidit schisma, sic et nunc in Ecclesia fiunt seditiones et bella.

Secunda. De secundo, in Esdra [1]: Stent et assistant senes et puberi, donec cesset ira Domini. Debent enim praelati zelum iustitiae et veritatis in iudiciis exercere, ut sic offensam Dei vindicent, qui peccatis hominum irascitur, exemplo Phinees, de quo in Psalmo dicitur: *Stetit Phinees et placavit, et cessavit quassatio;* et exemplo Moysi, qui iram Dei vindicavit in idololatris. Sic et Petrus [2], licet esset mansuetissimus, *Saphiram* et eius maritum *Spiritui sancto mentientes* verbo suae sententiae prostravit; et Paulus Corinthium fornicatorem *in interitum carnis satanae tradidit.* — De tertio, primi Paralipomenon vigesimo octavo [3]: *Ecce,* inquit *David ad Salomonem, divisiones sacerdotum et levitarum in omne ministerium domus Domini assistunt tibi et parati sunt.* Ad hoc enim praecipue ordinantur praelati, ut sint in ministerio divina officia pro populo exsequentes. Apostolus: *Omnis pontifex ex hominibus assumtus pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia.* Debet enim praelatus esse mediator inter Deum et populum exemplo Moysi et Aaron, qui, sumtis thuribulis, *steterunt inter vivos et mortuos,* donec *cessavit plaga* populi. Et beatus Gregorius in libro [4] Dialogorum scribit de quodam bono sacerdote, qui, cum ignis incendium civitatem suam devastaret, se ipsum, licet in grabato, poni fecit contra saevitiam flammarum, et statim ignis retrocessit; sic ipse populum liberavit. Unde summopere expediret Ecclesiae bonos praelatos habere. Hierarcha enim habet magnam in subditos influentiam: malus in corrumpendo; Gregorius: « Praelati tot mortibus digni sunt, quot perditionis exempla ad subditos transmittunt »; bonus in emendando; Apostolus [5]: *Qui bene praesunt presbyteri duplici honore digni habeantur.*

Tertia.

Sermo II [6].

Ecce, nos reliquimus omnia et secuti sumus te, Matthaei decimo nono [7].

Introductio. Quamvis hoc verbum Apostolorum omnium esse possit, principaliter tamen beatissimorum Apostolorum Petri et Pauli existit, eo quod beatus Petrus hoc dixit, et in solemnitatibus Apostoli Pauli sancta Ecclesia illud legit [8]. Sed non desunt qui nobis obiiciunt: quid sancti Apostoli reliquerunt, qui paene nihil habuerunt? « Tales, ut Gregorius dicit, non attendunt, quod Deus in omnibus magis ponderat affectum quam censum ». Nam quidam sunt pauperes voluntate simul et opere, et tales sunt veri pauperes; unde Bernardus dicit: « Paupertas non est virtus, sed amor paupertatis ». Quidam sunt pauperes opere, sed non voluntate, quia nihil habent, sed habere vellent, et tales non sunt veri pauperes, sed potius dicendi sunt divites. Unde dicit philosophus [9], quod non omnis homo, qui non habet, dicendus est pauper, sed ille potius, qui non habet et hoc ipso gaudet. Quidam sunt pauperes voluntate, sed non opere, sicut illi qui habent divitias, sed eas non amant, sed ex eis largas faciunt eleemosynas. Quidam sunt, qui nec voluntate nec opere sunt pauperes, et tales vere sunt divites, eo quod divitias habeant et eas toto affectu diligant. Sancti ergo Apostoli vere pauperes fuerunt, quia et voluntate et opere omnia reliquerunt, non solum quae habuerunt, sed et omnia, quae habere et concupiscere potuerunt. Unde Gregorius [10], loquens de Petro, dicit: « Multum reliquit qui sibi nihil retinuit; multum reliquit qui, quantumlibet parum, quod habuit, totum deseruit. Multum etiam reliquit qui etiam desiderium habendi dimisit ». Et concludit, « quod a sanctis Apostolis tot dimissa sunt, quot a non sequentibus concupisci potuerunt. Nos autem, ut ipse dicit, et habita diligimus et non habita sollicite quaerimus », et ideo pauperes esse non possumus. Dicant ergo sancti Apostoli, dicant et verum dicunt: *Ecce, nos reliquimus omnia.* In quo verbo rerum temporalium derelictio primo ostenditur ut *admirabilis,* eo quod modo insolito omnia reliquerunt; secundo ostenditur ut *universalis,* eo quod nihil penitus sibi servaverunt. Nam primo ostenditur fuisse *admirabilis* ex modo insolito relinquendi, cum dicitur: *Ecce, nos reliquimus omnia. Ecce* enim nota est admirationis ex vi demonstrationis, quam ostendit; illa enim maxime demonstramus, quae in admiratione habemus. Secundo ostenditur fuisse *universalis* ex modo non aliquid reservandi, cum additur: *reliquimus omnia.* Nam Ananias cum uxore sua Saphira, quia de pretio agri, quem vendiderant, fraudaverunt, subita morte exstincti sunt; lege historiam Actuum quinto [11].

Derelictio admirabilis et universalis.

---

[1] Cfr. III. Esdr. 9, 13, ubi Vulgata habet: *Et assistant accepto tempore ex omni loco presbyteri et iudices, usquequo solvant iram Domini negotii huius.* — Sequitur Ps. 105, 30. et respicitur Exod. 32, 19. seqq.

[2] Act. 5, 1. seqq.; sequitur I. Cor. 5, 5.

[3] Vers. 20. seq.; sequuntur Hebr. 5, 1. et Num. 16, 46-48.

[4] Scilicet lib. 2. c. 6. — Sequens locus Gregorii habetur Regula pastor. parte III. c. 4. (alias 28.).

[5] Epist. I. Tim. 5, 17.

[6] Ex Supplemento Bonelli, tom. III. col. 652 seqq., et edit. an. 1502, sermo I. de sanctis Apostolis Petro et Paulo. Habetur etiam in codd. Tudertinis n. 111. fol. 337 r. et n. 177. fol. 105 v.; item, Bruxellis in biblioth. regia n. 1997. saec. XIII. fol. 62 v.; in biblioth. Hispalensi V 127. n. 29. in collectione sermonum de Sanctis, quae incipit fol. 1 v.; denique in saepe citato cod. Monacensi n. 8438. Apparet, sermonem esse contractum et hinc inde ab aliena manu auctum et mutatum.

[7] Vers. 27.

[8] In Missali Romano in festo Convers. S. Pauli (25 Ian.) et infra octav. SS. Apostolorum Petri et Pauli. — Sequuntur Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 5. n. 2. et Bernard., epist. 190.

[9] Seneca, epist. 87.

[10] Loc. cit.

[11] Vers. 1. seqq.

Dicant ergo Apostoli: *Ecce, nos reliquimus omnia.* Sed quae fuerunt haec *omnia*, quae ab eis sunt derelicta? Ad hoc nota, quod tria sunt nobis cum Apostolis relinquenda. Nam debet homo relinquere primo *peccatum*, quo intus anima maculatur; secundo debet relinquere *mundum*, quo foris ad vana pertrahitur; tertio debet relinquere *semetipsum*, ne in superbiam elevetur. Divisio.

I. Dico, quod cum sanctis Apostolis primo *peccatum* est relinquendum, quo homo intus inficitur; nihil enim inficit cor humanum nisi peccatum; unde et dicebat Dominus Matthaei decimo quinto [1]: *Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. Quae autem procedunt de ore de corde exeunt, et ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malae, homicidia, adulteria* etc. Ergo ante omnia relinquenda sunt peccata, ut munda ante omnia sint corda. Sunt autem relinquenda peccata per *cordis contritionem*, per *oris confessionem* et per *operis satisfactionem*. Nam quando sagitta quis est vulneratus, mox ante omnia dolet vulneris; postea medicum advenire facit et illi vulnus detegit; ultimo dictam, quam ei imponit, assumit. Et sic per omnia est in vulnere spirituali faciendum, ut primo homo de vulnere doleat et lacrymas amaras effundat; secundo, ut, medicum animae advocans, vulnus illi confitendo aperiat; tertio vero, ut poenitentiam, quam imponit, assumat. Nullum enim est tam enorme delictum, quod poenitentia non purgetur et tribus eius iam dictis partibus non mundetur. Nam *contritio* est sicut medicina digestiva, maturativa et divisiva; *confessio*, sicut medicina expulsiva; sed *satisfactio*, sicut medicina reparativa et ad statum pristinum reductiva. Unde Augustinus [2] dicit: Quaecumque necessitas peccatorem ad poenitentiam cogat, neque criminis quantitas neque temporis brevitas nec vitae enormitas neque ultimae horae extremitas excludit a venia, si perfecta eius fuerit mutatio voluntatis; sed in amplissimos sinus mater caritas filios prodigos suscipit revertentes. Ergo, fratres, exemplo sanctorum Apostolorum, qui primo dimiserunt vitia omnia tam spiritualia quam carnalia, dimittamus et nos vana omnia, omnia animae inimica, omnia nos a Deo separantia, vera vita. Nam de hac peccatorum derelictione Proverbiorum vigesimo octavo [3] dicitur: *Qui abscondit scelera sua non dirigetur; qui autem confessus fuerit et reliquerit ea misericordiam consequetur.* « Sicut enim impossibile est, vulnus curari vel sanari posse, si teneatur absconditum; sic peccatum, si non sacerdoti fuerit confessum » [4]; Bernardus [5]. *Confitere* peccatum tuum, *ne abscondas;* quia « si operam medicantis exspectas, necesse est, ut vulnus detegas tuum ». Exemplum Petri, qui post negationem poenituit et *amarissime flevit* [6]. Item, Pauli, qui post multa mala, quae Christianis intulit, valde multa tormenta portavit. Impossibile est enim homini post peccatum posse caeleste suscipere regnum, nisi poeniteat post delictum. Sed obstinatus trahendus est ad infernum, ubi *erit fletus et stridor dentium* [6], non per annum vel per millia annorum, sed per infinita saecula saeculorum. Pars I. Relinquendum peccatum. Triplex remedium peccati similitudine declaratum.

II. Secundo cum sanctis Apostolis debemus relinquere *mundum*, quo ad vana pertrahimur, immo mundus cum omnibus, quae sunt in eo, est relinquendus, non solum exteriori facie, sed potius toto corde. *Nolite*, inquit Ioannes in prima Canonica sua [7], *diligere mundum neque ea quae in mundo sunt. Omne enim*, inquit, *quod est in mundo*, aut *est concupiscentia carnis*, aut *concupiscentia oculorum*, aut *superbia vitae. Et mundus*, inquit, *transit et concupiscentia eius.* Ergo sunt relinquenda omnia, non tantum opere, sed corde, ut non solum temporalia non quaeramus, sed nec ea corde amemus. Sic enim hi sancti Apostoli omnia reliquerunt. Sciebant enim, quod Christum pauperem sequi non poterant onerati. Non enim aequali passu currit camelus oneratus et vacuus. Simia, filiorum pondere pressa, a venatoribus capitur, quae sine filiis minime teneretur. Dum enim venatorem sentit, filios, quos miro amore diligit, unum sibi in brachiis, alterum super se ponit; quare ex magnitudine ponderis venatorum canes non effugit. Ob hanc causam cervus, cum pinguedine nimia gravatum se sentit, ita ut canes bene effugere non possit, de die ad pabula non procedit, sed latebras quaerit. — Haec attendentes sancti Apostoli, ut possent perfecte Dominum pauperem sequi, omnium temporalium onera abiecerunt, et ideo quasi cursim ad summum caelorum leviter transvolarunt. Unde Bernardus [8], loquens de Petro, ait: « Bene, Petre, et non ad insipientiam tibi, omnia reliquisti; sciebas enim, quod oneratus sequi non poteras ». Oneratus vix per terram vadit; quomodo in caelum ascendere poterit? De hac igitur derelictione dicebat Dominus Apostolis Marci decimo: *Amen*, inquit, *dico vobis, nemo est, qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me et propter Evangelium, qui non accipiat centies tantum nunc in tempore hoc: domos et fratres et sorores et matres et filios et agros cum persecutionibus et in saeculo futuro vitam aeternam.* Optima mercatio! dare unum et accipere Para II. Relinquendus mundus. Similitudines. Exemplum Apostolorum.

[1] Vers. 11. 18. seqq.

[2] Cfr. Libr. de vera et falsa poenitentia (inter opera August.), c. 3. n. 8. et c. 5. n. 15. et 16; sed magis proprie occurrit hoc apud Chrysostomum, 3. ad Theodor. lapsum n. 6.

[3] Vers. 13.

[4] Cfr. Serm. 16. in Cant. n. 8; de interiori Domo (inter opera Bernard.), c. 21. n. 43. et Serm. in Domin. Palmar. (inter opera Bernard.) n. 4. — Sequuntur Ios. 7, 19. et Boeth., 1. de Consolat. phil. prosa 4.

[5] Matth. 26, 75. et deinde respicitur Act. 9, 2. seqq. et sequitur II. Cor. 11. 26. seqq.

[6] Luc. 13, 28.

[7] Cap. 2, 15. 14. 16. 17.

[8] Declamat. (inter opera Bernard.), c. 2. n. 2. — Sequitur Marc. 10, 29. seq.

centum; dare bonum terrenum et accipere caelum; dare bonum infimum et accipere summum; dare bonum necessario quandoque perdendum et accipere bonum pacificum, bonum securum omnique tempore possidendum. — Ubique sunt mercatores, qui pro modico lucro eisque incerto transeunt montes, transvolant alpes, vadunt ad Britones, currunt in Franciam, transeunt maria, vadunt in Indiam. Quare ad Salvatorem non veniunt? Quare ei ad usuras non tribuunt, quare ab eo regnum caeleste non emunt? « Regnum caelorum tantum valet, quantum habes [1] »; immo, ut Augustinus dicit, « emitur paupertate ». Unde dicit Dominus per Isaiam: *Omnes sitientes, venite ad aquas, et qui non habetis argentum, properate, emite et comedite* etc. Sed quomodo ememus, si pecuniam non habemus? Certe sola bona voluntate. *Venite*, inquit, *emite absque ulla commutatione vinum et lac.* In exemplum igitur nostrum dicebat Dominus Ioannis decimo sexto [2]: *Relinquo mundum et vado ad Patrem.*

Applicatio.

III. Tertio debet homo Apostolorum exemplo relinquere *semetipsum* et tradere Christo se totum. Quid est enim se relinquere nisi voluntatem propriam abnegare et se divinae voluntati committere [3]? Ille vere se abnegat, qui de se nihil curat, sed ad moriendum pro Christo se parat. Et quis ita hoc fecit ut hi sancti Apostoli, qui sic fuerunt pro Christo ad mortem parati? Nam et Petrus dicebat [4] Christo: *Tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire;* et Paulus dicebat Actuum vigesimo primo: *Ego non solum alligari, sed et mori in Ierusalem paratus sum propter nomen Domini Iesu.* Quilibet ergo eorum poterat dicere illud Ieremiae duodecimo: *Reliqui domum meam, dimisi hereditatem meam, dedi dilectam animam meam in manu inimicorum eius.* — *Domus* hominis conscientia est, quam Apostoli reliquerunt, quando saecularem vitam in apostolicam mutarunt. Unde *domum relinquere* spectat ad primum huius sermonis membrum; *hereditatem dimittere* pertinet ad secundum; sed vitam pro Christo tradere, quia hoc est *animam dare*, spectat ad hoc tertium. — Sed quis est hodie, qui det Christo vere propriam voluntatem? Quis ex tanta multitudine est, qui vitae veteri perfecte renuntiet et voluntatem in melius mutet? Mirabile, immo quasi monstrum est, quia ordine quasi naturae inverso mutantur naturalia, et non mutantur rationalia, quae sunt arbitrio libera.

Pars III. Debet relinquere semetipsum.

Tres relinquendi gradus.

Contrarium.

Exempla.

Docet Augustinus [5], quod scribat Varro, vir sapientissimus, et ut dicit, absque ulla dubitatione doctissimus, quod tempus fuit, quando nobilissima stella Veneris et motum et colorem mutavit. Item, Iosue decimo: *Sol in medio caeli stetit*, et luna immobilis permansit, neque uterque ad occasum declinavit *spatio unius diei.* Item, Isaiae trigesimo octavo, tempore Ezechiae regis *sol retro rediit decem lineis.* In Vitis etiam sanctorum Patrum [6] legitur, quod quidam sanctus pater, nomine Mucius, dum Dominum oraret, solem iam ad occasum declinantem diutius immobilem stare fecit, quousque ad locum, quo properabat, advenit. Ergo si sic mutantur res naturaliter incedentes et nunquam nisi ad unam partem oppositorum se habentes; quid monstri est, ut non mutentur hominum voluntates, quae sunt de sui natura mutabiles et ad utrumque oppositorum se habentes? « Solae enim rationales potestates sunt ad opposita », ut Philosophus [7] docet.

Sed forte dices: ista mirabilia non fuerunt naturaliter facta. — Sed dic mihi, rogo: quid est, quod nulla Sanctorum rogamina, nulla miracula, quae fiunt quotidie in Ecclesia, immo in omni creatura, si quis ea diligenter vellet advertere, nostras mutare nequeunt voluntates? Audi Gregorium [8] de Apostolis loquentem et super hoc conquerentem: « Audistis, inquit, fratres carissimi, quia ad unius iussionis vocem Petrus et Andreas, relictis omnibus, secuti sunt Dominum Redemptorem. Nulla vero hunc adhuc mirabilia facere viderant, nihil ab eo de praemio aeternae retributionis audierant, et tamen ad unum Domini verbum hoc quod possidere videbantur, obliti sunt ». Et addidit illud quod maxime ad propositum facit: « Quanta nos, inquit, eius miracula videmus, quot flagellis affligimur, quantis minarum asperitatibus deterremur, et tamen vocantem sequi contemnimus nec ad eum converti volumus, nec superba mens nostra vult hoc sponte deserere, quod quotidie perdit invite. Quid igitur causae, fratres, est, quod ab amore saeculi perituri nec praeceptis flectimur nec miraculis movemur nec poenis avertimur »? Certe causa est prava consuetudo, quam ab infantia coepimus, quam in naturam convertimus, et ideo eam mutare non possumus. Est enim « consuetudo altera natura [9] », et naturale illud quodam modo fit, ad quod homo diutius assuescit. « Non facile eraditur, ut dicit Hieronymus [10], quod rudes animi praebiberunt ». Poëta:

Obiectio solvitur.

« Quod nova testa capit inveterata sapit ».

Manus viridibus nucibus semel tinctae multis lotionibus non mundantur. Inveteratum in corpore vulnus non levi medicina curatur. Virga diu in torsione

[1] Gregor., l. Homil. in Evang. homil. 5. n. 2. De loco Augustini cfr. Enarrat. in Ps. 49. n. 13. et Enarrat. in Ps. 93. n. 24. — Sequitur Isai. 55, 1. seq.

[2] Vers. 28.

[3] Cfr. Declamat. c. 1. n. 3.

[4] Luc. 22, 33; sequuntur Act. 21, 13. et Ier. 12, 7.

[5] Libr. XXI. de Civ. Dei c. 8. n. 2. — Sequuntur Ios. 10, 13. et Isai. 38, 8.

[6] Libr. II. c. 9.

[7] Aristot., IX. Metaph. text. 3. et 10. (VIII. c. 2. et 5.).

[8] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 5. n. 1, paucis mutatis.

[9] Aristot., de Memoria et reminisc. c. 3. (alias 2.). — Vide Bonav., tom. VI. pag. 187, notam 10.

[10] Epist. 107. (alias 7.) ad Laetam n. 4; sequitur Horat., l. Epist. epist. 2. v. 69. seq.: Quo semel est imbuta recens, servabit odorem Testa diu.

detenta ad rectitudinem pristinam non nisi forti ignis excoctione reducitur. Bernardus [1]: « Vulneri vetusto et neglecto callus obducitur, et eo insanabile, quo insensibile fit ». Equi etiam vitium, quod juvenes capiunt, nec in senectute dimittunt. Dicunt physici [2], quod camelus illud spatium, quod in una die facere consuevit, illud semper facit et ultra ambulare penitus renuit nec super se pondus ullius recipit, quam ad quod juvenis assuevit. Plura dixi, ut aliis darem materiam dicendi [3]. Quia igitur *proni sunt sensus nostri in malum ab adolescentia sua*, Genesis octavo [4], ideo malitia nobis quasi versa est in naturam. Unde propter hoc dicitur Sapientiae duodecimo, quod erat *malitia eorum naturalis*, et Ieremiae decimo tertio dicitur: *Si mutare potest Aethiops pellem suam aut pardus varietates suas; et vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum.* Unde Salomon Proverbiorum vigesimo secundo [5]: *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non* Hortatio. *recedet ab ea.* — Quid igitur in tanto periculo faciendum? Rogandus est Deus, *apud quem non est impossibile omne verbum. Dixit* enim, *et facta sunt;* et *subest* ei, *cum voluerit, posse*, Sapientiae duodecimo [6]. Igitur Omnipotens ipse rogetur, ut Apostolorum precibus voluntatem hanc pessimam, quasi immutabilem factam, suae gratiae vertat infinita potentia, ut cum Apostolis non solum peccatum, sed nosmetipsos relinquamus et mundum, ipso donante, qui vivit et regnat. Amen.

Sermo III [7].

Vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel, Matthaei decimo nono [8].

Primus sermo continuit Apostolorum quaestio- Introductio. nem, hic vero continet Salvatoris responsionem. Nam Hieronymus [9] exponens hoc Evangelium dicit: « Grandis fiducia! Petrus piscator erat, cibum manu et arte quaerebat, et tamen loquitur confidenter: *Reliquimus omnia;* fecimus, quod iussisti; quid igitur dabis nobis praemii »? Item, « relinquere omnia non magnum est, quia hoc Socrates fecit, Demosthenes et Crates et multi alii philosophi hoc fecerunt; addunt Apostoli quod perfectorum tantum est atque credentium »; *et secuti,* inquiunt, *sumus te; quid igitur erit nobis?* Ad hanc quaestionem respondens Dominus ait: *Vos, qui secuti estis me* etc. In quo verbo Dominus maxime duo facit; nam primo describit eorum *mirabile meritum*, quo Christo placuerunt in mundo; secundo describit eorundem altissimum, potestativum sive *iudiciale dominium*, quo demonstrandi sunt in iudicio, ut sic ostendantur nobis *imitabiles* propter excellentiam meriti, quo fulserunt, et ulterius nobis sint *venerabiles* propter sublimitatem dominii, quod habebunt. Optime ille festa Sanctorum celebrat, qui et imitatur eorum sanctitatem et veneratur magnitudinis potestatem. Unde Augustinus [10]: Ab eis enim sanctorum Martyrum festiva gaudia in veritate celebrantur, qui ipsorum exempla Martyrum sequuntur. Ergo primo sanctorum Apostolorum notatur *status meriti*, cum dicitur: *Vos, qui secuti estis me;* secundo notatur *altitudo dominii*, cum infertur: *in regeneratione cum sederit* etc. Divisio.

I. Circa igitur *statum meriti*, quo in via potis- Pars I. De statu meriti. sime indigemus, ut tandem ad praemium veniamus, immorandum est. Ergo notandum est, antequam veniamus ad meritorum statum, quod sunt quidam, qui sequuntur *carnis delectabilia;* quidam, qui sequuntur *mundi desideria;* quidam sunt, qui sequuntur *Christi vestigia;* nam carnem sequuntur gulosi et luxuriosi; mundum sequuntur avari et cupidi; sed Christum sequuntur Apostoli et apostolici viri, sive potius omnes Sancti. Tria hominum genera.

Dico, quod quidam sunt, qui sequuntur carnem De carnalibus. et *carnis delectabilia*, sicut gulosi et luxuriosi, qui ad nihil aliud vacant, nisi ut bene comedant et bibant et vana videant, vana audiant et turpia tangant; tales sunt porcis similes, qui os totum, dum comedunt, in pastam figunt, et sine masticatione deglutiunt et statim post cibum in luto se ponunt nec ori a luto parcunt. Certe tales sunt omnes carnis amatores, qui primo se cibis et vinis ingurgitant et sic tandem luxuriae vacant; unde de quodam ex eis dicitur Proverbiorum septimo [11], ubi est sermo de muliere meretrice, quae *irretivit* iuvenem *multis sermonibus*, et procaci vultu blandita est ei, quod invenis *sequitur eam quasi bos ductus ad victimam et quasi agnus lasciviens, et ignorans, quod ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta iecur eius, velut si avis festinet ad laqueum, nesciens, quod de periculo animae illius agitur.* — Nota verba singula. Nam primo sequitur eam *lentus,* quasi Gradus tres. *bos* ad macellum ductus; secundo sequitur eam *laetus,* quasi *agnus lasciviens;* tertio sequitur eam *festinus,* quasi *avis* volans ad escam celeri volatu deducta. Per primum ad mortem disponitur; per secundum ad mortem ligatur; sed per tertium occiditur et mactatur; vel dicas, quod primo vinculatur, et

[1] Libr. I. de Considerat. c. 2. n. 2.

[2] Plinius, VIII. Hist. Nat. c. 26.

[3] Haec verba manifestant, ea et plura praecedentia addita esse a collectore sermonum.

[4] Vers. 21; sequuntur Sap. 12, 10. et Ier. 13, 23.

[5] Vers. 6; sequuntur Luc. 1, 37. et Ps. 148, 5.

[6] Vers. 18.

[7] Invenitur in Vaticana, in Bonelli, Supplement. tom. III. c. 663 seqq., in edit. a. 1502., in edit. Zwollis an. 1479. et in duobus codicibus Tudertinis n. 111. fol. 141 r. et n. 177. fol. 109 v. — Etiam hic sermo mutationem a manu aliena indicat.

[8] Vers. 28.

[9] Libr. III. Comment. in Matth. 19, 27; sequitur Matth. 19, 27.

[10] Serm. 225. Appendicis (alias 47. de Sanctis) n. 1. Cfr. tamen Serm. 297. (alias 107. de Divers.), c. 8. n. 11; Serm. 311. (alias 115. de Divers.), c. 1. n. 1. et Serm. 325. (alias 30. inter Sirmondian.), c. 1. n. 1.

[11] Vers. 21. seqq.

nescit; secundo, sagittatur, et non fugit; tertio, occiditur, et sic perit. Vinculatur primo mala affectione; sagittatur secundo in occasionis acceptione, sicut in risu eius vel in aspectu oculorum eius et similibus; sed tertio occiditur in consensione sive in peccati perpetratione. Et propter haec omnia dicitur in Ecclesiastici decimo octavo [1]: *Post concupiscentias tuas ne eas et a voluntate tua avertere;* quia, *si praestes animae tuae concupiscentias eius, faciet te* venire *in gaudium inimicis tuis.* Saepe enim pardus, dum ad uxorem leonis accedit, cum ipsa adultera simul perit.

De avaris. Secundo sunt quidam, qui sequuntur mundana mendacia et *mundanorum falsa desideria;* et tales sunt omnes avari et cupidi. Unde de eis exponitur illud Osee duodecimi [2]: *Ephraim pascit ventum et sequitur aestum et tota die mendacium et vastitatem multiplicat. — Ephraim* est omnis avarus; per *ventum,* qui est quasi res vana, unde non videtur nec manu capitur nec ex eo unquam sinus impletur, mundus cum suis thesauris intelligitur, qui totus vanus est nec teneri ab aliquo potest nec desiderium hominis replet. *Ephraim* igitur *ventum pascit,* dum bonis terrenis satiari appetit; unde subditur, quod *sequitur aestum,* quia omnis avarus cum multo fervore sequitur mundum. Et subditur: *tota die mendacium et vastitatem multiplicat,* quia ista mundana dicuntur esse *mendacia,* quia promittunt et non solvunt, dum promittunt facere sufficientem et magis faciunt indigentem; promittunt securitatem et adducunt timorem; promittunt satietatem et generant famem; promittunt servare vitam et ducunt ad vastitatem et mortem [3]; unde dicitur avaris in Psalmo: *Filii hominum, usquequo gravi corde; ut quid diligitis vanitatem et quaeritis mendacium?* — O summa Fatuitas avarorum. fatuitas avarorum, qui quaerunt vanis, vento et mendaciis satiari! Quare non attendunt, quod nunquam satiari possunt, sed quanto plura acquirunt, tanto plura appetunt et vacuos se magis inveniunt? Dicitur enim in Ecclesiastici trigesimo quarto [4]: *Quasi qui apprehendit umbram et persequitur ventum, sic et qui attendit ad visa mendacia.* Vere mundus est umbrae similimus, quia, sicut umbra aliquid esse videtur, sed dum apprehenditur, non sentitur nec manu tenetur; sic mundus nunc videtur aliquid, sed totus vanus existit, sicut nunusquisque in morte perpendet; hinc Iob: *Quasi flos egreditur et conteritur et fugit velut umbra et nunquam in eodem statu permanet.* Ergo stultissimi sunt avari, qui volunt umbra fugiente repleri et vento vanissimo satiari. Sunt enim draconi similimi avari, qui quaerit vento satiari et vento credit suum internum incendium mitigari. De hoc enim Hieronymus ait super illud Ieremiae decimo quarto: *Attraxerunt ventum quasi dracones:* Draco, inquit, est animal valde sitibundum, in tantum, ut vix aqua valeat satiari; et ideo vento os aperit, ut sic sitim exstinguere possit. Quare, cum navem in mari viderit et ventum maximum circa navis velum adverterit, tanto impetu illuc vadit, quod saepe navem subvertit; et tamen draco nihil proficit, cum ardorem sitis nullo vento unquam exstinguere possit. Dicit tamen Valerius Maximus [5], quod in quadam insula oves, ore aperto, haustu venti sitim mitigant. Quid per oves nisi simplices et pauperes, qui, dum contenti modicis, quae habent, existunt, ipsi soli, non avari, sitim vento mitigant.

Illi duo sequuntur etiam diabolum. Sed nota hic breviter, quod omnes, qui carnem sequuntur et mundum sequuntur, consequuntur et diabolum, tyrannum utique pessimum, quaerentem omnes secum trahere ad infernum, ubi nullum omnino est bonum, sed e contrario omne malum. Et tale est sequi diabolum, quale esset, si agnus sequeretur lupum, porcus ursum, gallus vulpem, lepus canem et vacca leonem. Et licet caro omnes inficiat, mundus in omnibus passim deficiat, et diabolus omnes fallat nec alicui verum dicat; tamen hos pessimos dominos sequitur omnis mundus. — Unde in figura Figura. huius dicitur secundi Regum decimo quinto [6], quod omnis *Israel toto corde sequebatur Absalom* ad persequendum David. *Absalom,* quia lascivus, significat carnis vitium; quia totus vanus, significat mundum; sed quia tyrannus, significat diabolum, qui in suis membris persequitur Christum. Sed attendite, fratres, quod Absalom periit, et *omnis populus, qui eum sequebatur,* dispersus fuit, quia tempus adveniet, quando amatores sui corporis, amatores mundi et secntores diaboli omnes cum suo principe ignibus infernalibus sunt tradendi, ut *ascendat fumus tormentorum eorum in saecula saeculorum.*

De sequentibus Christum triplici modo. Tertio sequuntur Christum primo aliqui *reprehensibiliter,* scilicet philosophi et curiosi; Ioannis sexto [7]: *Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quae faciebat super his qui infirmabantur.* — Secundo sequuntur eum aliqui *laudabiliter,* ut iusti, sicut Apostoli; Matthaei quarto: *Ambulans Iesus iuxta mare Galilaeae vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, et Andream, fratrem eius, mittentes rete in mare; erant enim piscatores. Et ait illis: Venite post me, et faciam, vos fieri piscatores hominum. At illi continuo, relictis retibus, secuti sunt eum.* Et sic dicitur ibidem de Apostolis Iacobo et Ioanne. — Tertio sequuntur eum aliqui *feliciter,* ut Sancti; Apocalypsis decimo

---

[1] Vers. 30. seqq.

[2] Vers. 1.

[3] Haec explicatio paulo longior sumta est ex citt. codicibus. — Sequitur Ps. 4, 3.

[4] Vers. 2; sequuntur Iob 14, 2. et Hieron., III. Comment. *S. Bonav.* — Tom. IX.

in Ier. 14, 6; vide etiam Rabanum et Biblia Maxima in hunc locum.

[5] Libr. I. Dictorum factorumque memorabil., c. 8. de Miracul., Externa n. 18.

[6] Vers. 13; sequitur Apoc. 14, 11.

[7] Vers. 2; sequuntur Matth. 4, 18. seqq. et Apoc. 14, 4.

quarto: *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt; hi sequuntur Agnum, quocumque ierit.*

De secundo modo sequendi dicuntur tria.

Sequi Dominum primo est *facile;* unde Petrus et Andreas vocati a Christo, statim, *relictis omnibus, secuti sunt eum;* et Matthaeus [1] vocatus a Christo mox *surgens, secutus est eum.* — Est secundo *utile;* quia *qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae,* quod est Christus; et Proverbiorum vigesimo primo: *Qui sequitur iustitiam et misericordiam inveniet vitam, iustitiam et gloriam.* — Tertio est *honorabile;* Ioannis duodecimo [2]: *Si quis mihi ministrat, me sequatur, et ubi sum ego, illic et minister meus erit;* Ecclesiastici vigesimo tertio: *Gloria magna est sequi Dominum.*

De tertio modo.

Tertio sunt qui sequuntur Christum, *Agnum mansuetissimum, Doctorem prudentissimum, Regem potentissimum* et *Patrem praetulcissimum.* Et tales fuerunt Apostoli et omnes apostolici viri; et quis posset sufficienter cogitare, quis sufficienter verbis exprimere, quam perfecte, quam continne, quantove fervore Apostolorum principes secuti sint Dominum Salvatorem? Nam rebus omnibus nudi, fame sitique confecti, verberibus attriti, carceribus macerati, iniuriis plurimis provocati, tandem sequentes Christum adiudicati sunt morti. Vide Legendam [3]. Poterat unusquisque Apostolorum pro se dicere illud Iob [4]: *Vestigia eius secutus est pes meus;* vestigia utique *humilitatis* profundissimae, *paupertatis* altissimae, *caritatis* ardentissimae et *patientiae* constantissimae. Qui unquam in mundo sic humiles, sic omnibus rebus pauperes, sic flamma caritatis ardentes, sic in persecutionibus patientes ut Petrus et Paulus? Unde Paulus dicebat ad Romanos octavo: *Quis nos separabit a caritate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius?* Et sequitur: *Certus sum, quia neque mors neque vita neque Angeli neque Principatus neque Virtutes* etc., *poterunt nos separare a caritate Dei, quae est in Christo Iesu, Domino nostro.* Nobiles milites sic suum Regem amantes, sic eius lateri firmiter adhaerentes, ut possent capi, possent acriter vulnerari, possent etiam occidi, sed a suo Rege nullatenus separari nec ab eius possent amore avelli! Vere quilibet eorum poterat dicere Domino, Matthaei octavo: *Sequar te, quocumque ieris.* Unde quilibet istorum Apostolorum potuit figurari in Ethai, qui dixit [5] ad David regem: *Vivit Dominus, et vivit dominus meus rex, quoniam in quocumque loco fueris, domine mi rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus.* Sic enim sancti Apostoli dixerunt vero David, Domino Salvatori; nam Petrus dixit: *Animam meam pro te ponam;* Paulus autem ait: *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum;* et ibidem: *Cupio dissolvi et esse cum Christo.*

Improbatio tepidorum Christianorum.

Sed qui sunt hodie sic Christo fideles? Quis paratus est hodie pro Christo mori, quando pro eius amore non possumus verba pati? Qui non sustinet verba, immo nec signa, quomodo portaret facta, et maxime mortis supplicia? Nunquid nix, sive ros sustinerent incendium ignis, quae calorem nequeunt pati solis? O christiana confusio et semipterno digna opprobrio! quae non potest pati pro Christo quae multi passi sunt pro mundo. Clamant auctores authentici, clamant philosophi, clamant historiographi, quod multi fuerunt olim servi, qui voluerunt pro dominis suis pati et mori, multae uxores pro viris et pro uxoribus multi mariti tradiderunt se morti. Nam ut de omnibus unum referam, Octavianus imperator, dum contra Antonium caesarem, qui in Orientis partibus imperabat, bellum ageret, eo quod Antonius sororem suam, quam habebat in uxorem, repudiasset et Cleopatram, reginam Aegypti, duxisset in uxorem, quendam strenuum militem habebat, qui saepe partes Antonii debellabat. Accidit tamen, ut captivus post multas victorias ad Antonium duceretur, cui Antonius: Quid de te facere debeo? Cui miles, nihil metuens, ait: Inbe, me, si placet, occidi, quia nullis precibus, nullis muneribus, nullis verberibus, non morte nec vita facere poteris, ut miles Augusti esse desinam et tuus esse incipiam. Quis hodie tantae fortitudinis est pro Christo, sicut ille fuit pro rege terreno? Laboremus igitur, fratres, ut quod non sumus, precibus beatissimorum Apostolorum fiamus, Christo donante, qui cum Deo Patre etc. [6]

DE S. MARIA MAGDALENA (22 Iulii).

Sermo 1 [7].

Stans retro secus pedes Domini, *lacrymis coepit rigare pedes eius et capillis capitis sui tergebat et osculabatur pedes eius et unguento ungebat,* Lucae septimo [8].

Prothema.

(Prothema). *Stans autem Iesus iussit, caecum adduci ad se.* In Evangelio legitur, quod transeunte

[1] Cap. 9, 9; sequuntur Ioan. 8, 12. et Prov. 21, 21.
[2] Vers. 26; sequitur Eccli. 23, 38.
[3] Apud Surium, die 29. Iunii et Abdiae, lib. I. et 2.
[4] Cap. 23, 11; sequuntur Rom. 8, 35. 38. et Matth. 8, 19.
[5] Libr. II. Reg. 15, 21; sequuntur Ioan. 13, 37. et Phil. 1, 21. 23.
[6] Deest sermonis pars II.
[7] Ex codice biblioth. Parisiensis Nationalis n. 16499. fol. 242 v. et ex cod. Trecensi n. 1464. fol. 25. in utroque sermo tribuitur Bonaventurae. De Parisiensi cod. cfr. Haurćau, tom. V. pag. 44. et P. Fidelis a Fanna *Ratio* etc., pag. 292.
[8] Vers. 38. — Prothema est in solo cod. Parisiensi et habetur Luc. 18, 40.

Domino per viam, stabat caecus secus viam. Caecus iste designat genus humanum sive omnem, qui indiget illuminari cognitione divinorum; qui autem reputat, se non indigere illuminatione cognitionis divinorum, caecus est et plus quam caecus. Unde in Proverbiis [1]: *Vidisti, hominem sapientem sibi videri? Magis illo spem habebit insipiens;* et in Apocalypsi dicitur: *Dicis, quod dives sum et locupletatus et nullius egeo; et nescis, quia tu es miser et miserabilis et pauper et caecus et nudus.* Igitur ego et quilibet homo debet esse imitator caeci et clamare, id est orare, ad Dominum, ut ipsum illuminet. Caecus non petiit vestem vel pecuniam, sed dicente Domino: *Quid tibi vis, faciam;* respondit: *Domine, ut videam.* Similiter et nos exemplo eius debemus petere lumen gratiae et doctrinae. In principio igitur etc.

Stans retro etc.

In verbis istis laudatur gloriosa peccatrix et Sermo. poenitens a triplici excellentia: primo, ab *humilitate disciplinae;* secundo, ab *asperitate poenitentiae;* tertio, ab *ubertate devotionis* internae. Primum notatur, cum dicit: *Stans retro secus pedes* Domini; secundum, cum dicit: *lacrymis coepit rigare pedes eius et capillis capitis sui tergebat;* tertium, cum dicit: *et osculabatur* etc. Exemplar totius disciplinae, totius poenitentiae et totius devotionis internae fuit ista peccatrix. Ad istud exemplar aspiciamus et non despiciamus. Istud exemplar proponit Deus iustis et peccatoribus, innocentibus et poenitentibus.

Pars I. De humilitate disciplinae. I. Primo videamus, quomodo fuit exemplar *disciplinae,* quod notatur, cum dicit: *Stans retro* etc. In hoc quod dicit *retro,* ostendit, se fuisse *verecundam;* in hoc, quod dicit *secus pedes,* ostendit se *humiliatam.* Haec enim duo animam reddunt disciplinatam; anima inverecunda et insolens audit illud Ieremiae [2]: *Frons mulieris meretricis facta est tibi, nohuisti erubescere.* Multum enim est attendere, quod ista aliud (erubuit) et aliud non erubuit; erubuit faciem Christi, et tamen non erubuit agere poenitentiam et confiteri peccata sua; unde in Ecclesiastico dicitur: *Pro anima tua ne confundaris dicere verum; est confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam et gratiam.* Quidam econtra non erubescunt faciem Dei in perpetrando peccatum, sed erubescunt confiteri peccatum, sicut Adam, cui dixit Dominus: *Ubi es?* quasi dicat: deberes confiteri peccatum tuum. Sed ista non erubuit confiteri; unde Gregorius [3]: « Quo dolore ardet quae flere et inter epulas non erubescebat? Super convivantes ingressa est, convivantes non erubuit »; et reddit causam, cum sequitur: « Nam cum semetipsam graviter erubescebat interius, nihil esse credidit, quod verecundaretur foris ». — Sed aliqui confessionem dicunt sicut fabulam unam; vix potest confessor ab ipsis extorquere peccatum. Debemus esse verecundi in faciendo peccatum, quia bona verecundia socia est humilitatis; et propter hoc ista *stabat retro secus pedes* Domini, ut ostenderet se *verecundam* et *humiliatam.* — Sed quis docuerat ipsam? Non venit ad caput, vel genua, vel brachia, sed ad pedes, in quo insinuatur nobis, quod venit ad *exhibendam reverentiam,* ad Subdivisio. *impetrandam misericordiam* et ad *addiscendam sapientiam.* Sic et nos debemus *stare retro secus pedes Domini.*

Contra confitentes male.

De reverentia exhibenda.

Primo, dico, *stabat retro secus pedes* Domini ad *exhibendam reverentiam;* Isaias [4]: *Caelum sedes mea, terra scabellum pedum meorum.* Per *caelum* significantur Angeli stantes; per *terram,* homines poenitentes, qualis haec Maria fuit. Deus non habet qui ipsum reverentur nisi istos duos. Inter alios autem ista fuit praecipua in reverendo Deum, quia tanta reverentia movebatur circa Deum, ut se *scabellum pedum suorum* poneret. Unde convenit illi illud Isaiae: *Vultu in terram demisso, adorabunt te et pulverem pedum tuorum lingent.* Haec est reverentia, quam disciplinatus homo debet exhibere Deo, quia debet *demisso capite* incedere, non erecta cervice, quia dicit Bernardus [5]: Nihil est, quod tam displicet Deo quam cervix erecta post peccatum. Et ideo ista demisso capite et nudis pedibus incedere voluit et *lingebat pulverem pedum tuorum;* quod facit Christianus, quando recordatur paupertatem Christi et amaritudinem eius; unde in Threnis: *Recordare paupertatis et transgressionis meae, absynthii et fellis.*

De misericordia impetranda.

Secundo *stabat secus pedes* Domini ad *impetrandam misericordiam;* unde legitur de ipsa in Ioanne [6]: *Maria* autem, *cum venisset, ubi erat Iesus, videns eum, cecidit ad pedes eius et dicit ei: Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus.* Martha stabat et Christum salutabat, sed Maria ad terram se proiecit. Hic est modus flectendi Dei misericordiam, quia *cor contritum et humiliatum Deus non despiciet.* Unde Isaias: *Venient ad te curvi,* id est humiliati, *filii eorum qui humiliaverunt te,* id est, qui transgressi sunt propter (superbiam) mandata tua, *et adorabunt vestigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi,* id est, qui iterant plagas tuas per peccatum. Unde in Cantico [7] beatae Virginis dicitur: *Et misericordia eius a progenie in progenies timentibus eum. Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui. Deposuit potentes de sede et exaltavit humiles.*

De sapientia addiscenda.

Tertio *stabat retro secus pedes* Domini ad *addiscendam sapientiam;* unde in Luca [8] dicitur, quod

---

[1] Cap. 26, 12; sequuntur Apoc. 3, 17. et Luc. 18, 11.
[2] Cap. 3, 3: sequuntur Eccli. 4, 24. seq. et Gen. 3, 9.
[3] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 33. n. 1.
[4] Cap. 66, 1; sequuntur c. 49. 23. et respicitur III. Reg. 21, 27.
[5] Cfr. Serm. 37. in Cant. n. 7; sequitur Thren. 3, 19.
[6] Cap. 11, 32; sequuntur Ps. 50, 18. et Isai. 60, 14.
[7] Luc. 1, 50. seqq.
[8] Cap. 10, 38. seqq. — Quod vita contemplativa et activa designetur per Mariam et Martham, dicit Gregor., VI. Moral. c. 37. n. 61. et II. Homil. in Ezech. homil. 2. n. 9.

Martha suscepit eum in domum suam, et huic erat soror nomine Maria. Martha satagebat et sollicita erat *circa frequens ministerium. Maria autem audiebat verbum* Dei. Martha sollicita fuit, ut pasceret Dominum, sed Maria sollicita fuit, ut pasceretur a Domino. Et dixit Martha: *Domine, non est tibi cura, quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi, ut me adiuvet. Et dixit* Iesus: *Martha, Martha! sollicita es et turbaris erga plurima; porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea.* Certe, vita istarum mulierum non pro nihilo recitatur in Evangelio; immo, ut ostendatur, quod perfectior est vita contemplativa quam activa. Philosophus [1] etiam vult, quod plus valerent felicitates contemplativae quam consuetudinales, et virtutes intellectuales quam consuetudinales. Et ideo fuit secus pedes Maria, ut addisceret sapientiam; unde in Deuteronomio [2]: *Qui appropinquant pedibus eius accipient de doctrina illius.* — Et quare? Certe, quia oportet, quod homo incipiat ab humilitate; unde in Evangelio: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde;* et Salomon dicit: *Ubi est humilitas, ibi et sapientia; ubi fuerit superbia, ibi erit et contumelia.* Secundum quod dicit Philosophus [3], « sapientia est cognitio causarum altissimarum »; originale autem principium est causa altissima: si vis venire ad principium originale, quod est Deus, et ad principium, de quo tu es, quia es de nihilo; oportet, quod humilieris. Haec enim est sapientia prima. Oportet igitur, quod homo incipiat ab humilitate, qui vult addiscere sapientiam. Ideo Magi Dominum *iacentem in pannis* vilibus et in domuncula quaesiverunt et ibi ipsum adoraverunt; et ideo cum magna sapientia *reversi sunt in terram suam.* Psalmus: *Inclinavit caelos et descendit, et caligo sub pedibus eius, et ascendit super Cherubim et volavit, volavit super pennas ventorum.* Pluvia, quando descendit, iterum reascendit; similiter Christus, qui descendit per humanitatem assumtam, reascendit post resurrectionem *super Cherubim;* similiter, quando homo descendit ad Christi humanitatem, ascendit per contemplationem ad Christi Deitatem. Quidam volunt semper ascendere super Cherubim, sed nolunt descendere cogitando de Christi passione. Debet autem humiliari, ut addiscat sapientiam, quia quae videntur minima in sacra Scriptura quandoque sunt profundissima, sicut dicit Dionysius [4]; sicut (cum) dicitur, quod surrexit *Dominus tanquam potens crapulatus a vino.* Mirabile videtur in Deo, quod fuerit *crapulatus.* Debet igitur humiliari qui vult sapientiam addiscere. Quidam tamen dicunt, et male: ego creavi interpretationem. Fuit pauper sophista, et diligens fui (!) [5]. Tales male dicunt, quia Deus creavit ipsos. Si est aliquis, qui bene addiscat, statim vult honorari et in reverentia haberi; contra quos dicit Hieronymus: « De duobus melius est habere simplicitatem humilem quam scientiam peccatricem ».

Requiritur humilitas.

Notandum.

II. Secundo commendatur ista gloriosa poenitens ab *asperitate poenitentiae,* cum dicit: *et lacrymis coepit rigare* etc. Poenitentia enim debet esse *amara* et *satisfactoria;* amaritudo apparet in *lacrymis;* satisfactio, in *tersione crinium;* unde Gregorius [6]: « Quot habuerat delectamenta, tot fecit de se holocausta ». In tersione enim crinium imitatrix fuit Esther [7], quae per *omnia loca, in quibus antea laetari consuevit,* capillos sparsit. Uberrime etiam flebat ista; unde Gregorius: « Cogitanti mihi de Mariae poenitentia flere magis libet, quam aliquid dicere. Cuius enim vel saxeum pectus vel durum cor lacrymae huius peccatricis ad exemplum poenitendi non emolliant? Consideravit namque quid fecit, et noluit moderari quid faceret ». Sed multi sunt, qui nunquam vel raro flent, et cum flent, tunc flent solum uno oculo sicut canis. — Intelligendum autem, quod ista fuit mulier lacrymarum; et tres rivos lacrymarum eduxit Spiritus sanctus de ipsa, scilicet *compunctionis, compassionis* et *devotionis,* quibus irrigari debet arida terra cordis, ut fructum faciat. — Primo, dico, Spiritus sanctus eduxit de ipsa rivum lacrymarum *compunctionis;* unde in Evangelio dicit Dominus Pharisaeo [8]: *Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti; haec autem lacrymis rigavit pedes meos* etc. Iste Pharisaeus significat illos qui propter opera exteriora se reputant bonos; et ideo non habent lacrymas compunctionis. Mulier autem ista significat illos qui spiritu compunctionis resolvuntur in lacrymas. Istae lacrymae sunt placativae Dei, mundativae conscientiae et exterminativae peccatorum; istas dat Deus omnibus animabus, quas vult venire in paradisum; Psalmus: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* Gregorius [9]: Virorum spiritualium est quotidianis lacrymis se lavare. Vidi multos, qui reputant, se perdidisse tempus, cum non flerent pro peccatis suis. Beatus Petrus et Paulus et alii Sancti frequenter plorabant. — Audivi de quodam Fratre, qui per quinquaginta annos continuavit, quod omni die ploravit pro peccatis suis; quod confessus est in morte. Si homo esset leprosus factus, vel amisisset pedes, cito ploraret; et nos non ploramus pro morte aeterna! Talibus potest dicere Dominus [10]: Dedi vobis tempus *poenitendi, et noluistis poenitere.*

Pars II. De asperitate poenitentiae

Tres rivi lacrymarum.

De lacrymis compunctionis.

Exemplum.

[1] Libr. X. Ethic. c. 7. et 8.

[2] Cap. 33, 3; sequuntur Matth. 11, 29. et Prov. 11, 2.

[3] Libr. I. Metaph. c. 1. seqq. et III. text. 3. (II. c. 2.); cfr. Bonav., tom. V. pag. 120, nota 11. — Sequuntur Matth. 2, 1. seqq. (Luc. 2, 7.) et Ps. 17, 9. seq.

[4] Epist. 9. § 1; sequuntur Ps. 77, 65. et Hieron., Epist. 52. (alias 2.) ad Nepotian. n. 9.

[5] Locus iste corruptus a nobis emendari non potuit.

[6] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 33. n. 2; ibi n. 1. habetur etiam sequens locus Gregorii.

[7] Esth. 14, 2.

[8] Luc. 7, 44; sequitur Ps. 6, 6.

[9] Cfr. V. Moral. c. 9. n. 15. et I. Homil. in Ezech. homil. 7. n. 22. seq. Sec. Legendam Bonav. c. 5. n. 8. erat dictum S. Francisci.

[10] Respicitur Apoc. 2, 21.

I lacrymis compassionis.

Secundo ista poenitens *rigavit pedes* Domini lacrymis *compassionis;* unde in Ioanne [1]: *Iesus, ut vidit Mariam plorantem et Iudaeos, qui venerant cum ea, plorantes, infremuit spiritu.* Sed quare plorabat? Certe, quia compatiebatur fratri mortuo; unde Iob: *Flebam quondam super eo qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi.* Iesus etiam, *videns civitatem, flevit.* Et mater Augustini venit ad beatum Ambrosium et flevit, eo quod filius suus esset haereticus et malus; et dixit beatus Ambrosius [2]: « Non potest perire filius tantarum lacrymarum ». Ipse etiam Ambrosius, « cum audiret peccata aliorum, flebat »; et beatus Franciscus flevit in tantum, quod « medici dixerunt ei, ut desisteret flere, aut excaecaretur; et excaecatus est per lacrymas ».

Improbatio perversorum.

Sumus enim nos homines, debemus compati unus alii, tam infirmitati spirituali quam corporali. — Sed quidam per malam consuetudinem non compatiuntur, sed *acuunt dentes suos in sagittas* [3] ad dilacerandum, non ad compatiendum; contra quos dicit Gregorius: « Quotiescumque alios in peccatum labi conspicimus, necesse est, quod in ipsorum calamitatibus nos defleamus, quia fortasse in consimilia aut lapsi sumus aut labi possumus, si adhuc minime lapsi sumus ». Unde Augustinus: « Non est peccatum, quod fecit homo, quod non possit facere et alter homo, si desit Rector, a quo factus est homo ». Et in hoc multum peccant praelati et Religiosi, quia non lacrymantur lacrymis compassionis pro aliis.

e lacrymis devotionis.

Tertio *rigavit pedes* Domini lacrymis *devotionis;* unde in Ioanne [4]: *Maria stabat iuxta monumentum foris et plorabat.* Et quare plorabat? Certe non pro peccatis, quia *dimissa fuerant ei peccata;* sed plorabat propter devotionem, ut aliquid posset invenire de

larum effectus primus.

Christo. — Istae enim lacrymae faciunt invenire *Angelos* et *Christum;* unde in Ioanne dicitur, quod *Maria stabat iuxta monumentum plorans et prospexit in monumentum et vidit duos Angelos, qui dixerunt ei: Mulier, quid ploras?* Ecce, quod *Angelos* invenit, qui ipsam consolabantur. Audivi, quod Angelus quandoque tergebat oculos plorantis. Istud est sacrificium, quod Angeli maxime diligunt; quia non possunt Deo ex se ipsis hoc offerre, eo quod lacrymari non possunt. Istae sunt lacrymae, quas *Raphael obtulit Domino* [5] pro Tobia. — Istae lacrymae faciunt etiam invenire *Christum;* unde in Ioanne dicitur, quod *Maria, convertens se retrorsum,* credebat videre *hortulanum,* cum vidit Christum; et dixit: *Dicito mihi, domine, si sustulisti eum, et ego eum tollam.* Et tunc vocavit: *Rabboni; et dixit Dominus:*

tum, secundus.

Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum. Vade et nuntia discipulis, quia ego surrexi. Patet, quomodo lacrymae faciunt invenire Christum; unde in Canticis: *In lectulo meo per noctes quaesivi quem diligit anima mea. Quaesivi illum et non inveni. Surgam et circuibo civitatem,* ibo *per vicos et plateas. Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem. Paululum, cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea. Custodes* sunt Angeli, quos cum transiit per contemplationem, invenit Christum, et tunc allocutus est eam Dominus. Unde et sequitur: *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est* [6]. Unde *Ioseph,* cum videret fratres suos, *flevit;* Psalmus: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?* Item, Psalmus [7]: *Beatus vir, cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco, quem posuit.* Si vis ascendere ab istis inferioribus ad sublimia, oportet, quod hoc fiat per lacrymas devotionis. Hinc est, quod aliqui idiotae devoti profundius Dominum cognoscunt quam litterati indevoti. Et sic patet, quomodo habuit humilitatem disciplinae et asperitatem poenitentiae.

Pars III. De ubertate devotionis triplicis.

III. Tertio subiungitur de *ubertate devotionis internae,* cum dicitur: *et osculabatur pedes eius.* Devotio autem debet esse *subiectiva, gratifica* et *amorosa;* et in signum huius osculamur pedes, manus et os. Per osculum *pedum* significatur devotio subiectiva; per osculum *manus,* devotio gratifica; per osculum *oris,* devotio amorosa. — Primo, dico, habuit devotionem *subiectivam,* quod significatur per osculum pedum; unde in Luca [8] dixit Dominus Pharisaeo: *Osculum mihi non dedisti; haec autem, ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos.* Multi devotionem subiectivam, quam deberent exhibere Deo, exhibent hominibus. Non dico, quod malum sit esse subiectum maioribus, sed dico, quod devotionem subiectivam, quam deberent exhibere Deo, exhibere hominibus est malum. Unde Mardochaeus [9] dixit de Aman: *Libenter deosculari pro salute Israel vestigia pedum eius paratus essem. Sed timui, ne honorem Dei mei transferrem ad hominem.* — Secundo dico, per osculum manus significatur devotio *gratifica.* Qui recognoscit munus ab alio osculatur manus eius, et qui munus a se recognoscit osculatur manum propriam; unde Iob: *Si vidi solem, cum fulgeret, et lunam incedentem clare, et laetatum est in abscondito cor meum, et*

Devotio subiectiva.

Devotio gratifica.

---

[1] Cap. 11, 33; sequuntur Iob 30, 25. et Luc. 19, 41.

[2] Vide August., III. Confess. c. 12. n. 21. — Duo sequentia facta referuntur a Surio in festo S. Ambrosii § 20. et a Bonaventura, Legenda S. Francisci c. 6. n. 8. seq.

[3] Respicitur Ps. 56, 4. — Duo sequentes loci sunt Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 33. n. 3. et August., serm. 99. (alias 23. ex Homiliis 50), c. 6. n. 6.

[4] Cap. 20, 11; sequuntur Luc. 7, 47. et Ioan. 20, 11-14.

[5] Respicitur Tob. 12, 12; sequuntur Ioan. 20, 14-18. et Cant. 3, 1-4.

[6] Cant. 5, 6; sequuntur Gen. 42, 24. et Ps. 41, 1. 3.

[7] Psalm. 83, 6. seq.

[8] Cap. 7, 45.

[9] Esth. 13, 13. seq.; sequitur Iob 31, 26. seq.

osculatus sum manum meam ore meo, quae est iniquitas maxima et negatio contra Deum altissimum. — Per *humam* et *solem* significantur gratia et virtus; quidam sunt alii, qui osculantur manum Dei in prosperitate, non in adversitate; unde in Ecclesiastico [1]: *Osculantur manum dantis donec accipiant;* sed in adversitatibus verba murmuris et taedii dicunt. Contra tales dicit Iob: *Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus?* Sicut diligimus manum Dei dantis; ita debemus diligere manum Dei corripientis, sicut bonus (filius) diligit patrem, quando ipsum corrigit et castigat. — Tandem debemus aspirare ad osculum *oris*, non nos ingerere sicut Iudas [2]; unde in Canticis: *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis.* Hoc osculum non petebat, sed ad hoc aspirabat. Per illud osculum significatur devotio *amorosa*, quae facit unum cum Deo. Dionysius amorem sive divinum sive angelicum sive humanum semper dicit esse quandam virtutem unitivam. Quando autem Christus amatur, unice adoratur et amplexatur, tunc potest dicere anima [3]: *Laeva eius sub capite meo*, scilicet in praesenti vita; *et dextera illius amplexabitur me*, in aeterna gloria, ad quam nos perducat etc.

Devotio amorosa.

Sermo II [4].

Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum, Lucae septimo [5].

In principio rogabimus etc.

Carissimi, secundum quod colligitur ex sacra Scriptura, in mundi deformatione [6] mulier, quae facta fuit homini in adiutorium, facta est ei in nocumentum non modicum, sed magnum. Nocuit enim primo quantum ad *laesionem innocentiae*, quia primus homo per ipsam cecidit in peccatum; secundo nocuit quantum ad *dilationem poenitentiae*, dum excusandi occasio fuit. Utrumque fuit ei grande nocumentum. Econtra in mundi reformatione proposita est nobis mulier in *speculum innocentiae* et in *exemplum poenitentiae*. In speculum innocentiae proposita est nobis gloriosa Virgo, Mater Christi; in exemplum poenitentiae, Maria Magdalena, dilectrix Christi. Et factum divina providentia, quod cum ista non possent convenire in eadem persona, habuerint tamen idem nomen. Haec igitur Maria proposita est nobis in exemplum poenitentiae, et de ista dicitur in Evangelio hodierno: *Dimissa sunt ei* etc. In verbo autem proposito ad ipsius commendationem et nostram instructionem possumus duo notare: primo, *caritatis affectum*, cum dicit: *quoniam dilexit multum;* secundo, *caritatis effectum*, cum dicit: *Dimissa sunt ei peccata multa;* ista enim prae ceteris videtur Christum dilexisse. In hac autem dilectione possumus quatuor videre: primo dilectionis *ortum;* secundo, dilectionis *modum;* tertio, dilectionis *signum;* quarto, dilectionis *fructum* [7].

Introductio.

Divisio.

I. Primo, dico, debemus videre dilectionis *ortum*. Videtur autem, quod ista quadruplici dilectione coepit Christum ferventer diligere. Aliquis enim movetur ad faciendum aliquid: propter *vitandum incommodum;* secundo, propter *acquirendum lucrum;* tertio, propter *servandum honestum* [8]; quartum, ad *habendum solatium*. — Primo, dico, movetur aliquis ad faciendum aliquid propter *vitandum incommodum*, quando videt aliquid salubre. Similiter ista propter vitandum incommodum, scilicet mortis, coepit diligere propter mortem vitandam (et) cetera incommoda; Ioannes [9]: *Qui non diligit manet in morte.* Et est ratio, quia vita naturalis solvitur, soluto vinculo animae cum corpore; sed Christus est vita spiritualis animae; caritas est vinculum, quo unitur Christus animae: soluto igitur isto vinculo, advenit mors animae. Ut igitur ista mortis incommoda vitaret, Christum diligere coepit; hoc certe a Magistro suo didicit. Audierat enim adolescentem quaerentem a Domino, quid faceret pro *vita aeterna habenda;* respondit Iesus: *Serva mandata;* postea descendit ad dilectionem Dei et proximi et tunc dixit: *Hoc fac, et vives;* et cum hoc audisset, statim diligere ferventer coepit. — Secundo movetur aliquis ad faciendum aliquid propter *acquirendum lucrum;* sed quod est lucrum dilectionis? Certe regnum aeternum. Propter hoc igitur quilibet debet conari ad dilectionem. Anima, quando Christum ferventer diligit, efficitur Christi sponsa; et Christus est *Rex regum* [10]: ergo oportet, quod ipsa efficiatur regina; unde in libro Sapientiae: *Diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis.* — Videte, quae omnia vult Sponsus habere in sponsa. Primo vult, quod detergantur eius *maculae;* secundo, quod *ornetur;* tertio vult, quod sibi *copuletur*. Sed caritas sive dilectio detergit *maculas* peccati, sicut ignis fervens detergit faeces et rubiginem de ferro; propter hoc dicitur: *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum;* Petrus: *Caritas operit multitudinem peccatorum.* — Secundo debet anima *ornari;* sed caritas pulcritudo est

Pars I. Dilectionis ortus.

Ratio motiva quadruplex.

De prima ratione.

De secunda ratione tanguntur tria.

De primo.

De secundo.

[1] Cap. 29, 5; sequitur Iob 2, 10.

[2] Respicitur Matth. 26, 49; sequuntur Cant. 1, 1. seq. et Dionys., de Div. Nom. c. 4. § 15.

[3] Cant. 2, 6.

[4] Ex cod. biblioth. Parisiensis n. 16499. fol. 243 v.; magis contracte quam ille habetur etiam in cod. Trecensi n. 1464. fol. 26 r., ubi immediate post praecedentem sequitur cum inscriptione: *Item, de eadem.*

[5] Vers. 47; Vulgata: *Remittuntur ei peccata* etc.

[6] Cod. Trecensis habet *creatione* et infra *recreatione* pro *reformatione.*

[7] Cfr. Bonav., tom. V. Collationes de septem donis Spiritus S. collat. prima.

[8] Pro *servandum honestum* cod. Trecensis legit *debitum solvendum.*

[9] Epist. 1. c. 3, 14; sequuntur Matth. 19, 16. seqq. et Luc. 10, 28.

[10] Apoc. 17, 14; sequuntur Sap. 6, 22. et 1. Petr. 4, 8.

animae, quae animam convertit in Deum. Anima est sicut Angelus, et ad quod se convertit, necesse est, quod in ipsum transformetur, sicut speculum recipit similitudinem eius, ad quod se convertit. — Item, oportet, quod ei *copuletur;* unde in Canticis [1]: *Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te.* Et dicit anima sancta, casta et pulcra: non est (pulcritudo ista) a me, sed a te; *tu pulcher es et decorus,* quasi dicat: ex quo conversa sum ad te et tibi copulata, necesse est, quod pulcritudo tua et similitudo ornet me. Diligamus igitur exemplo ipsius.

o tertio.

Tertio movetur aliquis ad faciendum aliquid propter *servandum honestum;* et ex hoc mota fuit ista ad dilectionem Christi. Videte, quomodo. Nihil enim est dulcius, nihil iustius quam amare Christum. Nulla enim est comparatio ad dilectionem suam. Ipse dicit: *Ego diligentes me diligo* [2]. David reprehenditur [3], eo quod odio habuit diligentes ipsum; innaturale enim est, quod homo non diligat diligentem ipsum. Si Christus *dilexit nos prior* [4] — unde *Deus* Pater *misit Filium suum, ut nos redimeret;* omittamus bona naturae nobis collata et gaudia aeterna nobis oblata et mundum, qui nobis est subditus, et consideremus, quod *Filium suum misit* et totaliter nos emit — videbimus, quod tenemur ipsum diligere; quare ergo non reddis ei cor tuum? Certe *iniuste agis* nunc, Israel [5]. Vide, quid petit Deus, nisi *ut diligas ipsum in toto corde tuo et ambules in viis eius* [6].

e tertia dicone.

Quarto movetur aliquis ad faciendum aliquid propter *habendum solatium;* sed nihil est plenius delectatione quam amare Deum. Si quis diceret: ecce, mel tantae dulcedinis, quod una gutta dulcescat totum mare, et gustata una gutta, videantur omnia dulcia extranei [7] generis esse amara; hoc mel diceretur valde dulce. Sed haec dulcedo est in amore divino, quia omnes amaritudines convertit in dulcedinem et quidquid est tribulationis mundanae; similiter, gustata eius dulcedine, omnia dulcia extranei generis videntur amara, quia, « gustato spiritu, desipit omnis caro [8] ». Unde ista, gustata hac dulcedine, nihil sapere potuit. Immo, etiam Angelos despexit et recessit ab eis, cum ipsos videret in monumento, ut inveniret Christum [9]. Hanc dulcedinem praedicat Christus in Ecclesiastico: *Transite,* inquit, *ad me omnes, qui concupiscitis me* etc. Sequitur: *Spiritus meus super mel dulcis, et hereditas mea super mel et favum.* Et ibidem [10] dicitur: *Vinum et musica laetificant cor* hominis, *et super utraque dilectio sapientiae.* Habemus modo de dilectionis ortu.

o quarta ratione.

II. Sequitur de dilectionis *modo;* Bernardus [11] vult, quod « modus diligendi Deum sit sine modo ». Credo tamen, quod quadruplex conditio requiratur, quod homo recte diligat, scilicet, quod diligat *fideliter, singulariter, ferventer* et *finaliter.* — Prima conditio est, ut diligat *fideliter,* scilicet ut non sit aliqua simulatio; immo amor tantum ferveat in animo, quantum homo exterius ostendit in signo; Sapientia: *Fideles in dilectione acquiescent illi;* Proverbiorum duodecimo: *Qui negligit damnum propter amicum iustus est.* Neque sit dilectio seductoria, quae est tantum in amplexu. — Secundo oportet, quod diligat *singulariter,* ut non diligatur aliquid supra se, vel praeter ipsum, ut non sit ibi alia dilectio adiuncta. Caritas enim est magna domina; et si homo haberet cor maius, quam habet, in decuplo, totum vellet sibi occupare. Unde dicitur [12]: *In gaudio eius non miscebitur extraneus.* Et propter hoc dicit Moyses Deuteronomii sexto: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex tota fortitudine tua.* Unde in Canticis: *Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi,* quasi dicat: non vado post fornicatores mundi. — Tertio debemus diligere *ferventer.* Iste fervor attenditur quantum ad ardorem desiderii, ut anima extra se egrediatur; sicut fons fervescens egreditur extra se, ita anima, quando ferventer diligit, egreditur extra se et vult aggredi quae sunt ultra vires humanas, quia *fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio* [13]. Unde, quia ista ferventer diligebat, ideo voluit aggredi quae fuerunt ultra vires eius; *ibat ad monumentum,* quod non audebant facere viri; obtulit se ad portandum corpus Christi. — Item, debemus diligere *perseverater* exemplo Christi, de quo in Ioanne [14]: Qui *cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Maxima enim merces est amoris, quia vita aeterna. Haec nos valde debet movere ad amorem; *Iacob servivit septem annis pro Rachel, et videbantur illi pauci dies prae amoris magnitudine.* In Proverbiis dicitur: *Omni tempore diligit qui amicus est;* et alibi [15] dicitur: Non est amicus reputandus qui ante mortem dimittit amare. Hic enim est amor sicut *ignis,* sed ibi erit sicut *caminus.* Patet modo de dilectionis ortu et modo.

Pars II. Dilectionis modus.

Quatuor conditiones.

Sit fidelis.

Sit singularis.

Sit fervens.

Sit perseverans.

III. Sequitur de dilectionis *signo.* Sunt autem quatuor signa veri amoris, quia verus amor *torporem excutit, timorem foras mittit, pudori non cedit; doloris non meminit.* — Primo, dico, fuit ista perfectissima Christi amatrix; eius signum fuit, quod

Pars III. Dilectionis signum.

Signum 1.

---

[1] Cap. 4, 7.

[2] Prov. 8, 17.

[3] Scilicet a Ioab, quia David flevit mortem Absolom; II. Reg. 19, 6: *Diligis odientes te et odio habes diligentes te.*

[4] Epist. I. Ioan. 4, 10. et Gal. 4, 4.

[5] Fortasse respicitur illud Gen. 16, 5: *Inique agis contra me;* vel Exod. 5, 16: *Et iniuste agitur contra populum tuum.*

[6] Deut. 30, 6. 16.

[7] Cod. Trecensis hic et infra legit *alterius.*

[8] Bernard., Epist. 111. n. 3.

[9] Respicitur Ioan. 20, 12. seqq.; sequitur Eccli. 24, 26. seq.

[10] Eccli. 40, 20.

[11] De diligendo Deo, c. 1. n. 1. — Sequuntur Sap. 3, 9. et Prov. 12, 26; hi duo loci additi sunt ex cod. Trecensi.

[12] Prov. 14, 10; sequuntur Deut. 6, 5. et Cant. 6, 2.

[13] Cant. 8, 6; dein respicitur Ioan. 20, 1. 15.

[14] Cap. 13, 1; sequuntur Gen. 29, 20. et Prov. 17, 17.

[15] Tribuitur Ambrosio in Polyanthea Ios. Langii pag. 72; dein respicitur Isai. 31, 9.

omnem *torporem (excussit)*, sicut colligitur ex eis quae acta sunt ab ipsa in vita Christi et in morte et post mortem; quia, Christo vivente, ascendebat cum eo in Galilaeam et ministrabat ei de facultatibus suis, in morte sequebatur ipsum, post mortem venit ad monumentum. Unde convenit sibi illud Canticorum [1]: *In lectulo meo per noctes quaesivi quem diligit anima mea et non inveni. Surgam et circuibo civitatem, per vicos et plateas quaeram quem diligit anima mea.* Sed homo miser dormit in lecto; deberet surgere cum Maria et quaerere Christum. Sequitur: *Paululum cum pertransissem, inveni quem diligit anima mea.* Ista ibat modo ad Petrum, modo ad Ioannem, modo flebat, modo orabat, modo ibat ad sepulcrum et post paululum invenit Christum.

Signum 2. — Secundo *timorem foras misit;* non enim credidit habere nocumentum, dum inveniret Christum; unde dicit [2]: *Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, ubi posuisti eum, et ego eum tollam.* Ioseph miles fuit et familiaris Pilato; tamen sine licentia eius non andebat tollere corpus Christi; sed ista non postulavit tenebras, immo patenter coram omnibus voluit portare corpus Christi et ire ad monumentum; Apostolus: *Perfecta caritas foras mittit timorem.* Sed aliqui viri tantum timent pelli suae, quod non audent aggredi poenitentiam.

Tertio, ista *pudori non cessit;* unde in Evangelio

Signum 3. dicitur [3], quod mulierula super convivantes ingressa pro ferculis lacrymas fudit et confessa peccatum suum non erubuit. Gregorius: « Discite, quo dolore ardet quae flere et inter epulas non erubescit ». Quidam non solum erubescunt confiteri, immo erubescunt vocari boni homines. Certe deberent laborare, ut tales essent, quales apparent; sed ista mulier sicut insana discurrebat; unde dicere potuit illud Canticorum: *Num quem diligit anima mea vidistis?* Et licet non di-

Signum 4. ceret oretenus, dixit tamen cordetenus. — Quarto, consummatur amor, quando homo *dolorem non sentit.* Videamus, si hoc habuit ista. Doluit enim multum de morte Lazari [4] et sedebat super sellam suam; adveniente Christo, dixit Martha: *Magister adest, et vocat te.* Et tunc dolorem de morte fratris non sensit, immo de absentia Christi conquesta fuit, et dixit: Domine, *si fuisses hic, non esset mortuus frater meus,* quasi dicat: habeo dolorem de absentia tua; Apostolus ad Romanos [5] dicit, enumeratis variis tribulationibus: *Propter, te,* inquit, Domine, *mortificamur tota die; sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos;* deridetur et non advertit, percutitur et non sentit. Si igitur istos effectus habet in terris caritas; quid ergo erit in patria? Ad quam nos perducat etc.

Sermo III [6].

Maria erat, quae unxit Dominum unguento et extersit pedes eius capillis suis, cuius frater Lazarus infirmabatur, Ioannis undecimo [7].

In his verbis commendatur Maria Magdalene a tribus: et primo, a *plenitudine devotionis,* quae consistit in redolentia unguentorum, ibi: *Maria erat, quae unxit Dominum unguento.* Secundo, ab *amaritudine compunctionis,* quae consistit in profluxione [8] lacrymarum, ibi: *et extersit pedes eius capillis suis.* Tertio, a *perfectione virtutis,* quae consistit in operatione miraculorum, ibi: *cuius frater Lazarus infirmabatur.* Nam Dominus ad preces eius Lazarum fratrem eius suscitavit, ut habetur Ioannis undecimo [9], et sicut dicitur in hodierna oratione. — Si ergo quaeratur, cur Dominus hanc peccatricem nobis proposuerit imitabilem; dicendum, quod propter tria: et primo, ad *elidendam nostram superbiam.* Nam quidam inaniter de meritis suis superbiunt sicut Pharisaeus ille, Lucae decimo octavo [10]: *Non sum sicut ceteri homines;* et ideo contra tales Dominus peccatores in exemplum ponit poenitentiae, quia melior est peccator poenitens quam apparens iustus superbus; Matthaei vigesimo primo: *Amen, dico vobis, quia publicani et meretrices praecedent vos in regnum Dei.* Et ideo Pharisaeus condemnatur, et publicanus iustificatur; Lucae decimo octavo: *Duo homines ascenderunt in templum* etc. — Secundo, ad *removendam nostram diffidentiam.* Quis enim iam de peccatis diffidat veniam obtinere, quando recogitat Magdalenam ad veniam susceptam, iuxta illud Ieremiae tertio [11]: *Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te?* Ideo dicit Gregorius de David: « Iam David cadente, nemo superbiat; et David resurgente, nemo desperet »; et Paulus de se dicit primae ad Timotheum primo: *Qui prius blasphemus fui et persecutor et contumeliosus, sed misericordiam Dei consecutus sum.* — Tertio, ad *excutiendam nostram desidiam* sive negligentiam. Si enim Magdalena peccatrix sua sollicitudine salutem invenit, quis iam negligere debet suam salutem? iuxta illud

Divisio.

Triplex ratio, quare Dominus nobis proposuit eam ad imitandum.

---

[1] Cap. 3, 1. seq. et dein v. 4.

[2] Ioan. 20, 15; infra sequitur I. Ioan. 4, 18.

[3] Respicitur Luc. 7, 37. seqq. — Sequitur Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 33. n. 1. et Cant. 3, 3.

[4] Respicitur Ioan. 11, 35. 38. et dein v. 28. et 32.

[5] Cap. 8, 36. seq. — Pars IV. sermonis deest.

[6] Ex cod. Florentino U fol. 60 v. Etiam sententiae sermonis et praecipue expositio locorum Scripturae auctorem insinuant S. Bonaventuram.

[7] Vers. 2.

[8] *Profluxio* pro *profluvium* refertur a Du Cange, Glossarium etc.

[9] Vers. 17. seqq. — In oratione huius festi legitur: Cuius precibus exoratus, quatriduanum fratrem Lazarum vivum ab inferis resuscitasti.

[10] Vers. 11. seqq.; sequuntur Matth. 21, 31. et Luc. 18, 10. seqq.

[11] Vers. 1; sequuntur Gregor., XXIII. Moral. c. 12. n. 23. et I. Tim. 1, 13.

ad Hebraeos secundo [1]: *Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?* Nam qui non potest imitari Mariam Virginem per viam innocentiae, saltem imitetur Mariam peccatricem per viam poenitentiae.

rs I. De nitudine otionis in plici unctione. nctio pedum.

I. Primo ergo, ut dictum, commendatur haec peccatrix in proposita auctoritate a *plenitudine devotionis* in hoc, quod Dominum unxit unguento. Dominum autem unxit tripliciter: et primo, *in pedibus* tanquam *Redemptorem*. Nam per *pedem*, qui est pars corporis sustentans totum corpus, designatur *virtus Verbi increati*, de quo dicitur ad Hebraeos primo [2]: *Portat omnia verbo virtutis suae, purgationem peccatorum faciens. Pes* est etiam pars corporis inferius tangens terram; Isaiae ultimo [3]: *Terra scabellum pedum meorum*, et designat *Verbi incarnati* humiliationem. Nam per incarnationem quasi pedibus calceata ad nos Deitas venit; calceamento enim pes terram calcat; Psalmus: *In Idumaeam extendam calceamentum meum*, ubi dicit Gregorius: « *In Idumaeam calceamentum se extendere* Dominus ostendit, quia, dum per assumtam carnem gentibus innotuit, quasi calceata ad nos Divinitas venit ». In pedibus ergo Dominum unguento devotionis unxit, quia devotionem suam ad beneficium incarnationis et nostrae redemptionis retulit; Ioannis duodecimo [4]: *Maria unxit pedes Iesu, et domus impleta est ex odore unguenti.* Sicut enim unguentum ex variis odoriferis rebus fit, sic ex multis, quae Dominus fecit propter nostram redemptionem, fecit hoc unguentum devotionis consurgere. Nam devotio est affectio amoris suavis proveniens ex memoria beneficiorum Christi.

ctio capitis.

Secundo, in *capite* tanquam *gratiarum omnium largitorem*. Nam, sicut a capite est [5] motus in membra, sic a Christo, capite Ecclesiae, influunt omnes gratiae tam illustrationis quam operationis in Sanctos; Ioannis primo [6]: *Plenum gratiae et veritatis;* et: *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* Unde Psalmus: *Ecce, quam bonum et quam iucundum, habitare fratres in unum; sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius.* Nam unguentum gratiarum et illustrationum a Christo primo *descendit in barbam,* id est in principalia membra, sibi principaliter adhaerentia, quae sunt Sancti in patria; et ab illis descendit in nos, qui sumus *ora vestimenti eius,* qui deorsum tangimus terram, sicut ora vestimenti circa terram consistunt. De hac unctione dicitur Marci decimo quarto [7]: *Cum esset (Iesus) Bethaniae in domo Simonis leprosi et recumberet, venit mulier habens alabastrum unguenti, nardi spicati pretiosi et fracto alabastro, effudit super caput eius.* Et sic ungit Christum qui omnem gratiam, quam habet, recognoscit a Domino Iesu Christo, et ideo sibi gratias agit. Nam qui non agit gratias meretur gratiis acceptis privari. Notandum.

Unctio totius corporis.

Tertio, in *toto corpore* ut *glorificatorem* sive omnium bonorum remnneratorem; Marci ultimo [8]: *Maria Magdalene et Maria Iacobi et Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Iesum.* Sed notabile est, quod *voluerunt* totum corpus ungere, et tamen non unxerunt, quia non mortuum, sed immortalem et glorificatum invenerunt. Non enim sufficit quis ad plenum gratias agere pro glorificatione et remuneratione, cum excedat omne hominis meritum, cogitatum et ingenium; primae ad Corinthios secundo [9]: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum.* In his ergo unguentis odoriferis cupit sponsa sequi Sponsum; Canticorum primo: *Trahe me, post te curremus in odorem unguentorum tuorum;* et beatus Ioannes: « Odor tuus, o Deus, excitavit in me concupiscentias aeternas ». Notandum.

Pars II. De amaritudine compunctionis.

II. Secundo, ut dictum est, commendatur ab *amaritudine compunctionis* in profluxione lacrymarum per hoc, quod dicitur, quia *extersit pedes eius capillis suis.* Nam, sicut dicitur in Evangelio hodierno, Lucae septimo [10], *mulier, quae erat in civitate peccatrix, attulit alabastrum unguenti, et stans retro secus pedes* Domini Iesu *lacrymis coepit rigare pedes eius et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes eius et unguento ungebat.* — Haec autem amaritudo compunctionis generatur ex triplicis mali consideratione; et primo, ex consideratione *malitiae,* et ex hac *erubescit;* unde dicitur, quod *stabat retro* sicut verecunda de sua immunditia; nolebat enim in faciem Domini se ingerere, confusa de sua immunditia; Matthaei nono: *Ecce, mulier, quae sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro;* Ecclesiastici quarto: *Est confusio adducens gratiam et gloriam.* Et sic producit lacrymas, ut, erubescens immunditiam suam, mereatur liberari, iuxta illud Tobiae tertio [11]: *Sara, filia Raguelis, perrexit in superius cubiculum domus suae et tribus diebus et tribus noctibus non manducavit neque bibit, sed in oratione persistens, cum lacrymis deprecabatur Deum, ut ab isto improperio liberaret eam.* Hoc improperium erat, quia *daemonium occiderat septem viros* eius, per quos significantur septem virtutes, quae occiduntur per septem vitia capitalia, quae fuerunt in Magdalena; Marci ultimo: *Apparuit primo Iesus Mariae Magdalenae, de qua ejecerat septem daemonia.* Vel per septem Triplicis mali consideratio. Primum malum.

[1] Vers. 3.
[2] Vers. 3.
[3] Cap. 66, 1; sequuntur Ps. 59, 10. et Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 7. n. 3.
[4] Vers. 3.
[5] Codex videtur habere *etc.* pro *est.*
[6] Vers. 14. et 16; sequitur Ps. 132, 1. seqq.
[7] Vers. 3.
[8] Cap. 16, 1.
[9] Vers. 9; sequuntur Cant. 1, 3. et Abdias, Hb. 5.
[10] Vers. 37. seq.; sequuntur Matth. 9, 20. et Eccli. 4, 25.
[11] Vers. 7. 10. seq. et dein v. 8. et Marc. 16, 9.

daemonia intelligitur universitas vitiorum, iuxta illud Gregorii [1]: « Maria septem daemonia habuit, quia universis vitiis plena fuit. Nam septenario dierum numero omne tempus comprehenditur; et ideo per illum recte universitas figuratur ».

Secundo, ex consideratione *offensae*, et ex hac Secundum. *contremiscit*. Quis enim non contremiscat, qui per peccatum summam Maiestatem offendit? Et ideo *stabat secus pedes* prostrata, ut iram Dei placaret sua contremiscente humiliatione, et sic lacrymabatur ut contremiscens; Threnorum secundo [2]: *Deduc quasi torrentem lacrymas per diem et noctem; non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.*

Tertio, ex consideratione *sequelae*. Nam multae Tertium. sunt poenalitates et infirmitates, quas homo consequitur ex macula peccati et offensa Dei; et ideo *capillis capitis sui tergebat pedes*, ut quos in malos usus expenderat in bonos usus convertat. Nam de huiusmodi infirmitatibus dicitur in Psalmo [3]: *Multiplicatae sunt super capillos capitis mei.* Et ex hac consideratione *ingemiscit*, sive fundit lacrymas ut ingemiscens; Psalmus: *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum. Lacrymis meis stratum meum rigabo*, id est propter singula peccata et infirmitates peccatorum; secundi Paralipomenon ultimo [4]: *Peccavi super numerum arenae maris, et multiplicatae sunt iniquitates meae.* Hoc dicit, quasi infiniti sint defectus, qui comitantur peccatum per depravationem omnium rerum mundi, a quibus homo deordinatur, praeter deordinationem, qua deordinatur a Deo. — Sic ergo *erubescit* quantum ad vim rationalem; sed *contremiscit* quantum ad irascibilem; *ingemiscit* vero quantum ad concupiscibilem, ut sic tota anima poenitentiam agat.

III. Tertio commendatur a *perfectione virtutis* Pars III. D. perfectione virtutis tripliei. in operatione miraculorum. Nam ad preces eius, ut dictum est, Dominus Lazarum, fratrem eius, suscitavit. Et consistit haec perfectio in tribus; et primo, Eligendo laudabiliter. in *eligendo laudabiliter*, iuxta illud Lucae decimo [5]: *Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea.* Quidam enim sunt contenti electione *boni*; alii, electione *melioris*; sed Maria non fuit (contenta) nisi electione *optimi*, quia in perfectione vitae voluit servire Domino in humilitate multa poenitentiae; Psalmus: *Elegi abiectus esse in domo Dei mei magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Electio tamen, de qua dicit Evangelista, fuit *audire verbum Dei*, in cuius auditu anima aliquando convertitur et aliquando in bono firmatur et semper in melius illuminatur. — Secundo, in *prosequendo viriliter*; Prosequendo viriliter. loannis vigesimo [6]: *Una sabbati Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebrae essent, ad monumentum.* Ista non fuit pigra nec tarda, sed prompta et vigil ad quaerendum Dominum; Proverbiorum octavo: *Qui mane vigilant ad me invenient me.* Exemplum de beato Nicolao [7]. Ante omnes surgebat Nicolaus, quia sollicitus erat ire ad ecclesiam. Ideo dicit Ambrosius [8]: « Nemo cum desidia Christum quaerit ». — Tertio, in *perseverando stabiliter*; Perseverando stabiliter. loannis vigesimo: *Maria stabat ad monumentum foris plorans.* Discipulis recedentibus, illa perseverabat stando ad monumentum et quaerendo dilectum [9]; et ideo Dominus sibi primo apparuit, ut dicitur Marci ultimo. Non ergo dubitet quis de perseverantia boni, cum mulier ista tam stabiliter perseveravit. Nam, ut dicit Seneca [10], « virtus facit, esse facilia quae indicat quis esse difficilia ». Rogemus etc.

DE S. DOMINICO (4 Aug.).

Sermo [11].

Sapientia hominis lucet in vultu eius, et Potentissimus faciem illius commutabit, Ecclesiastae octavo [12].

Christianae perfectionis altitudo in duobus con- Introductio. sistit, scilicet in limpida *comprehensione veritatis* et in valida *exercitatione virtutis*. Primum spectat ad vitam contemplativam; secundum, ad activam; primum, ad virtutes *intellectuales*; secundum, ad virtutes *consuetudinales* [13]. Primum respicit *finem* per virtutes theologicas et speculativas; secundum, ea quae sunt *ad finem* per virtutes cardinales et operativas, quoniam in his duobus tota colligitur excellentia summa perfectionis. Iste perfecte laudatur qui... quantum ad haec duo in beato Dominico

---

[1] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 33. n. 1.

[2] Vers. 18.

[3] Psalm. 39, 13; sequitur Ps. 6, 7.

[4] Oratio Manasse inter apocrypha librorum Paralipomenon.

[5] Vers. 42; sequuntur Ps. 83, 11. et Luc. 10, 39.

[6] Vers. 1; sequitur Prov. 8, 17.

[7] Vide Sorium in festo S. Nicolai (6 Dec.) § 9.

[8] Vide serm. 12. in Ps. 118. n. 15: « Noli bono amatori (scil. Christo) facere moras... Excludis enim eum, cum desidiosus es » etc. Secundum sensum habetur etiam in Exhortat. virginit. n. 58. et Serm. 34. de Dominico Resurrect. (inter opera Ambros.) n. 2. Cfr. supra pag. 102, nota 9. — Sequitur Ioan. 20, 11.

[9] Cfr. Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 25. n. 1.

[10] Ita recte colligi potest ex Epist. 66, in qua dicit: « Quemadmodum minuta lumina claritas solis obscurat, sic dolores, molestias, iniurias virtus magnitudine sua elidit atque opprimit..., nec magis ullam portionem habent incommoda, cum in virtutem inciderint quam in mari nimbus ».

[11] Est ex cod. Florentino biblioth. National. U, in quo est in principio avulsis foliis mutilus. Integer tamen habetur in cod. Tudertino n. 161. fol. 127 r. saepe vitioso. In ipso sermone sunt sententiae plurimae S. Doctori propriae et in genuinis eius operibus diffusius explicatae, ut patet ex notis adiectis.

[12] Vers. 1.

[13] Cfr. supra pag. 356, nota 1. — Infra post *laudatus, qui* aliquid excidisse videtur.

tanquam in stella clarissima effulserunt; ideo recte propositum verbum ad laudem ipsius assumtum est, in quo primo laudatur a *veraci speculatione lucis* aeternae, cum dicitur: *Sapientia hominis lucet in vultu eius*; secundo, a *virili eius exercitatione virtutis* perfectae, cum subditur: *et Potentissimus faciem illius commutabit.*

Divisio.

I. Laudatur ergo primo a veraci eius *speculatione lucis aeternae*, eum dicitur: *Sapientia* etc. Lucere enim est actus lucis, sicut lux corporalis lucet sensibiliter. Haec autem lux est sapientia, iuxta illud Sapientiae septimo [1]: *Est enim haec speciosior sole et super omnem dispositionem stellarum, luci comparata inventur prior.* Comparatur enim lui tam sapientia *increata* quam *creata*; nam *increata* est lux per essentiam, iuxta illud primae Ioannis primo: *Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae;* Ioannis primo: *Erat lux vera* etc. *Creata* autem est lux per participationem, secundum illud Tobiae decimo tertio [2]: *Luce splendida fulgebis;* et ad Philippenses secundo: *Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo* etc. Quemadmodum lux visibilis tres habet operationes, scilicet *effugare tenebras, manifestare formas, laetificare potentias cognoscitivas;* sic et lux spiritualis lucendo *purgat, illuminat* et *consummat.* Et iste actus sapientiae est tam in hierarchia supercaelesti quam caelesti quam etiam subcaelesti; haec tam est in Deo quam in Angelo quam in homine terreno. Et merito dicitur *homo,* quando, secundum rationem vivens, gerit in se illius aeternae lucis non solum *imaginem* per naturam inditam, verum etiam *similitudinem* per gratiam superinfusam. Unde recte de luce (creatae) sapientiae intelligitur illud Sapientiae septimo: *Candor est lucis aeternae,* in quantum purgativa per expulsionem tenebrarum; *speculum sine macula,* in quantum illuminativa per manifestationem formarum; *imago bonitatis,* in quantum perfectiva per laetificationem virtutum cognoscitivarum. Et ad instar ipsius lucis creatae habet lux sapientiae in vultu sapientis hominis relucere tripliciter: ut lux *credulitatis vivificae* per fidem, quae est lux purgativa per expulsionem tenebrarum; ut lux *ratiocinationis praeclarae,* quae est lux illuminativa per manifestationem formarum; ut lux *contemplationis iucundae,* quae est lux perfectiva per laetificationes virtutum cognoscitivarum.

rs I. De ɔulatione ɔis aeter- tatae.

ɔ divisio.

Primo habet lux sapientiae in vultu hominis relucere ut lux *credulitatis vivificae* per fidem, quae est lux *purgativa* per expulsionem tenebrarum; secundae ad Corinthios quarto [3] dicitur: *Qui dixit, de tenebris lucem splendescere, illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiae claritatis Dei, in facie Christi Iesu* [4]. *De* est ibi *ordinale,* non *causale,* sive materiale [5], sicut dicitur. De nihilo nihil fieri est verum *causaliter,* sed falsum est intelligendo *ordinaliter,* immo totius sapientiae subversivum, quia, si Deus tunc materia indigeret in agendo, esset imperfectissimus; et si materia a se ipsa esset, esset perfectissima, quod est absurdissimum in fine totius absurditatis. Vult igitur Apostolus dicere, quod sicut, tenebris existentibus super faciem abyssi, dixit Deus [6]: *Fiat lux, et facta est lux;* sic, tenebris erroris existentibus in mente animae infidelis, dixit Deus: *Fiat lux,* fidei, quia *fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi,* ad Romanos decimo; et de hoc Isaiae nono: *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.* — Haec autem lux fidei non solum est tenebrarum *expulsiva,* sed etiam *unitiva,* quia unit nos fonti vitae, Christo; ad Ephesios tertio [7]: *Christum habitare per fidem in cordibus vestris.* Ideo autem unit, quia unit Veritati per se et Veritati lucis inaccessibilis, quia, « sicut oculus vespertilionis se habet ad lucem, ita se habet intellectus noster ad manifestissima naturae », sicut dicit Philosophus secundo Metaphysicorum [8]. Unde dicit Augustinus primo de Trinitate [9]: « Mentis humanae acies invalida in tam excellenti luce non figitur, nisi per institiam fidei vegetetur ». Quoniam igitur fides est prima conformitas ad lucem illam, quae est fons vitae; ideo habet virtutem generandi *filios lucis,* secundum illud Ioannis duodecimo: *Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis.* — Haec lux fulsit in vultu beati Dominici; nam ipsum generavit *filium lucis* et per ipsum errorum tenebras effugavit. Ideo sub duplici similitudine apparuit eius ortus, scilicet *stellae* et *faculae: stellae,* ut in se lucentis; *faculae,* ut alios inflammantis.

Duo fidei effectus.

S. Dominici ɔas.

Secundo habet relucere ut lux *ratiocinationis praeclarae* [10], quae est illuminativa per manifestationem *formarum* et *apertionem* scientiarum; de qua luce, Danielis secundo [11]: *Ipse revelat profunda et abscondita et novit in tenebris constituta, et lux cum eo est.* Cum enim duplex sit genus operum Dei, quia quaedam sunt opera *creationis;* quaedam *recreationis;* de primis est philosophia, de secundis theologia; prima spectant ad naturam; secunda, ad gratiam; prima sunt *profunda;* secunda, *abscondita;* utraque revelat divina Sapientia, sed prima revelat per *communem illuminationem,* secundum illud

De luce ratiocinationis.

Duplex genus operum Dei.

Primo, communis illuminatio.

---

[1] Vers. 29; sequuntur I. Ioan. 1, 5. et Ioan. 1, 9.
[2] Vers. 13; sequuntur Phil. 2, 15. et Sap. 7, 26.
[3] Vers. 6.
[4] Hic incipit cod. U.
[5] Cfr. II. Sent. d. 1. p. 1. a. 1. q. 1. ad 6.
[6] Gen. 1, 3; sequuntur Rom. 10, 17. et Isai. 9, 2.
[7] Vers. 17.
[8] Text. 1. brevior, c. 1.
[9] Cap. 2. n. 4; cfr. Bonav., tom. I. pag. 46, nota 2. — Sequitur Ioan. 12, 36.
[10] De doctrina, quae sequitur, cfr. praecipue in tom. V. Sermo: *Christus unus omnium Magister,* pag. 568 n. 2-10, ubi etiam seqq. loci Augustini occurrunt, et pag. 570, nota 7, ubi alii Bonaventurae loci citantur.
[11] Vers. 22.

ad Romanos primo [1]: *Quod notum est Dei manifestum est in illis; Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et Divinitas* etc. Impossibile namque est, quod quis perveniat ad comprehensionem [2] lucis alicuius veritatis nisi per lucem infallibilem, quae est lux Veritatis aeternae. Quia creatura vertibilis et obscurabilis de se, ideo fallibilis; propter quod Augustinus duodecimo de Trinitate [3] dicit: « Credendum est, mentis intellectualis ita conditam esse naturam, ut rebus intelligibilibus naturali ordine, disponente Conditore, subiecta, sic ista videat in quadam luce sui generis incorporea, quemadmodum oculus carnis ea videt, quae in hac corporea luce circumadiacent ». Quae autem sit illa lux, dicit Augustinus in secundo de Libero Arbitrio [4]: « Illa veritatis et sapientiae pulcritudo nec peragitur tempore nec migrat locis nec nocte intercipitur nec umbra interclnditur nec corporis sensibus subiacet; de toto mundo ad se conversis, qui diligunt eam, omnibus proxima est, omnibus sempiterna. Sed nullo loco est, nusquam deest, foris admonet, intus docet; nullus de illa iudicat, nullus sine illa bene iudicat. Ac per hoc eam manifestum est mentibus nostris — quae ab ipsa una fiunt singulae sapientes, et non de ipsa, sed per ipsam de ceteris iudices — sine dubitatione esse potiorem ».

Secundo, spiritalis illuminatio.

Secunda autem revelat per illustrationem *spiritualem et supra rationem;* et est in *prophetia* necessaria et supra illam debet fundari, secundum illud secundae Petri primo [5]: *Firmiorem habemus propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernae lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat et lucifer oriatur in cordibus vestris.* — Utraque haec revelavit Deus beato Dominico, quia fuit primum eruditus in philosophia, deinde in sacra Scriptura, ita ut posset ei dici: *Sicut turris David collum tuum, quae aedificata est cum propugnaculis,* Canticorum quarto; sed specialiter in theologia, quia illa ancilla, haec domina. Haec est sapientia, quam *quaesivit sponsam sibi assumere;* et illud Salomonis, Ecclesiastae secundo [6], implevit: *Cogitavi in corde meo abstrahere a vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam* etc. Et fuit vere similis illis pueris abstinentibus, de quibus Danielis primo: *Pueris autem his dedit Deus scientiam et disciplinam in omni libro et sapientia, Danieli autem intelligentiam omnium visionum et somniorum.*

De luce contemplationis.

Tertio, lux in vultu beati Dominici est lux *contemplationis iucundae,* quae est lux perfectiva per laetificationem cognoscitivarum virtutum, secundum illud Ecclesiastae undecimo [7]: *Dulce lumen, et delectabile est oculis videre solem,* oculis scilicet sanis et mundis, secundum illud Sapientiae decimo septimo: *Solis autem illis,* scilicet impiis et cupidis, *superposita erat gravis nox, Sanctis autem tuis maxima erat lux: magna* quidem lux credulitatis fidei; *ma-* Notandum. *ior,* lux intelligentiae persecutantis; sed *maxima,* lux sapientiae contemplantis. Haec lux in via videtur a Sanctis non sicut in patria. Nam ibi videtur *facie revelata* [8], secundum illud Psalmi: *Apud te est fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen;* hic autem per theophanias, id est spirituales illustrationes, vel *symbolicas* vel *mysticas.* — Augustinus secundo de Libero Arbitrio [9] dicit de cognitione *symbolica:* De illustratione symbolica. « O suavissima lux, purgatae mentis sapientia! Non enim cessas innuere nobis quae et quanta sis, et nutus tui sunt omne creaturarum decus. Et artifex enim quodam modo innuit spectatori operis sui de ipsa operis pulcritudine, ne ibi totus haereat, sed speciem corporis fabricati sic percurrat oculis, ut in eum qui fabricaverit, recurrat affectu. Similes autem sunt hominibus, qui ea quae facis pro te amant, qui cum audiunt aliquem facundum sapientem, dum nimis suavitatem vocis eius et structuras syllabarum apte locatarum avide audiunt, amittunt sententiarum principatum, cuius illa verba tanquam signa sonuerunt. Vae qui se avertunt a lumine tuo et obscuritati suae dulciter inhaerent! Tanquam enim dorsum ad te ponentes, in carnali opere velut in umbra sua defiguntur, et tamen etiam ibi quod eos delectat adhuc habent de circumfulgentia lucis tuae. Sed umbra, dum amatur, languidiorem facit oculum animi et invalidiorem ad perferendum conspectum tuum; propterea homo magis magisque tenebratur, dum sectatur libentius quidquid infirmiorem tolerabilius excipit ». — *Mystica* cognitio [10] est sublimissima et secretissima, quae non manifestatur nisi Sanctis, quae habet fieri per amorem excessivum, qui non est nisi in ferventissimis viris; et hanc docebat Apostolus primae ad Corinthios secundo [11]: *Sapientiam loquimur inter perfectos;* et de hac Dionysius de Mystica Theologia: « Tu autem, amice Timothee, sensus derelinque et intellectuales operationes ». Item, de mystica.

II. Et quia ad progressionem veritatis pervenire non potuit sine *exercitatione virtutis,* ideo dicitur: *et Potentissimus faciem illius commutabit.* In tanta enim temporum et actionum varietate, quia non Pars II. De exercitatione virtutis.

---

[1] Vers. 19. seq.

[2] Supple: *certam,* ut habetur in cit. sermone n. 10, ubi completius haec doctrina explicatur.

[3] Cap. 15. n. 24.

[4] Cap. 14. n. 38.

[5] Vers. 19; sequitur Cant. 4, 4. et respicitur Sap. 8, 2.

[6] Vers. 3; sequitur Dan. 1, 17.

[7] Vers. 7; sequuntur Sap. 17, 20. et c. 18, 1.

[8] Respicitur II. Cor. 3, 18; sequitur Ps. 35, 9.

[9] De theologia hac triplici cfr. Itinerar. mentis in Deum c. 4. n. 7. — Sequitur August., II. de Lib. Arb. c. 16. n. 43.

[10] Vide Bonav., Itinerar. mentis in Deum, c. 7. n. 1-6. et de Triplici Via, c. 3. n. 13.

[11] Vers. 6; sequitur Dionys. de Mystica Theolog. c. 1. § 1; cfr. Itinerar. etc., loc. cit. n. 5, ubi integer Dionysii locus refertur.

Quadruplex similitudo faciei. sufficit una, oportet faciem commutare, quod non potest fieri absque omnipotenti virtute. Huius faciei commutatae quadruplex est similitudo [1]. Prima est *facies hominis*, et hanc habuit per *lenitatem clementiae;* secunda est *facies leonis*, et hanc habuit per *magnanimitatem constantiae;* tertia est *bovis*, et hanc habuit per *humilitatem obedientiae;* quarta est *aquilae*, et hanc habuit per *perspicacitatem prudentiae.*

Facies hominis. — Prima est facies *hominis*, et hanc habuit per *lenitatem clementiae;* Ezechielis primo [2]: *Similitudo vultus eorum, facies hominis.* Hanc, dico, habuit per *lenitatem clementiae*, quae est nobilissima pars iustitiae et maxime competit homini, quia eius proprie proprium est, secundum Philosophum, « esse mansuetum natura », et ab hac humanitas, id est benignitas, et in hac Salvator principaliter fulsit, secundum illud ad Philippenses secundo [3]: *In similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo,* et in hac (etiam) primus homo, secundum illud Genesis primo [4]: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram;* et secundum istam omnis lex scripta est in corde hominis: *Ne facias alii quod tibi non vis fieri.* — Hoc fuit in beato Patre; unde implevit illud Ecclesiastici tertio: *Fili, in mansuetudine opera tua perfice.* Unde fuit similis Moysi, de quo dicitur Numerorum duodecimo [5]: Erat Moyses *vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra.*

Dominicos.

Facies leonis. Secunda est facies *leonis;* Ezechielis primo [6]: *Facies leonis a dextris ipsorum quatuor.* Et hanc habuit per *magnanimitatem constantiae*, secundum illud Proverbiorum trigesimo: *Leo, fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum.* — Sic iste beatus Pater, cui convenit illud Elisei: *In diebus suis non pertinuit principem*, Ecclesiastici quadragesimo octavo. Nam cum intentarent ei minas, dicebat: « Utinam me totum frustatim divideretis et dimitteretis in meo sanguine volutari [7] ».

Facies bovis. Tertia (est) facies *bovis,* de qua Ezechielis primo [8]: *Facies bovis a sinistris ipsorum quatuor.* Hanc habuit per *humilitatem obedientiae,* secundum illud Apostoli primae ad Corinthios nono [9]: *Non alligabis os bovi trituranti,* et sumitur de vigesimo quinto Deuteronomii, quod Apostolus vult intelligere de praedicatione veritatis, cuius est sulcare terram et praescindere vomere verbi Dei. Quod enim per *vomerem* praedicatio intelligatur, insinuat illud Isaiae secundo: *Et conflabunt gladios suos in vomeres,* et Michaeae quarto: *Concident gladios suos in vomeres.* Hunc vomerem non potest trahere bos nisi iugum portet; ideo: *Tollite iugum meum super vos* etc., Matthaei undecimo [10]; quia nullus aptus est ad evangelicam doctrinam nisi iugo obedientiae suppositus, ad quod convenientius ponuntur duo quam unus bos. — Ideo novissimis his temporibus duo Ordines instituti sunt, quorum mysterium praecessit in libri primi Regum sexto in duabus vaccis fetis, portantibus arcam Domini de terra Philisthiim, de quibus dicitur: *Ibant in directum vaccae per viam, quae ducit Bethsames, et itinere uno gradiebantur, pergentes et mugientes, et non declinabant neque ad dexteram neque ad sinistram.* Sic ergo ad trahendum iugum Domini iunctus est Paulus Petro, Bernardus Benedicto et Franciscus Dominico.

Notandum.

Facies aquilae. Quarta autem est facies *aquilae,* de qua Ezechielis primo [11]: *Facies aquilae desuper ipsorum quatuor,* et hanc habuit per *perspicacitatem prudentiae,* de qua Iob trigesimo nono: *Nunquid ad praeceptum tuum elevabitur aquila* etc., ubi describitur prudentia in conversando; *ubi* enim *fuerit cadaver, statim adest* propter vigilantiam, quam habuit ad convertendum peccatores. Haec aquila *provocavit ad volandum pullos suos,* id est per *contemplationem* veritatis et *exercitationem* virtutis, filios ad videndum divinam lucem et degustandum aeternam pacem. Ad quam nos Christus perducat etc.

DE S. LAURENTIO MARTYRE (10 Aug.).

Sermo [12].

Probavit me quasi aurum, quod per ignem transit, Iob vigesimo tertio [13].

Introductio. Verba ista beati Iob, cuius virtus fuit a Deo multipliciter probata, et competere possunt beato Laurentio, qui non tantum secundum metaphoricam similitudinem, sed etiam secundum propriam veritatem in *igne* probatus fuit. Commendatur autem in verbo praemisso gloriosi Martyris passio tripliciter, scilicet quantum ad *acceptionem divini beneplaciti,* quod respicit patiendi causam, cum dicit: *Probavit me,* id est Dominus, cuius est electos *probare,* id est approbare; ad *perfectionem proprii meriti,* quod

---

[1] De hac expositione Ezechielis cfr. quae simili modo dicuntur supra in sermone III. de S. Marco, parte I.

[2] Vers. 10; sequitur Plato, de Legibus, dialog. 6; cfr. Aristot., l. de Animal. histor. c. 2.

[3] Vers. 7.

[4] Vers. 26; sequuntur Tob. 4, 16. et Eccli. 3, 19.

[5] Vers. 3.

[6] Vers. 10; sequuntur Prov. 30, 30. et Eccli. 48, 13.

[7] Vide Surium 4 August., lib. 1. § 21.

[8] Vers. 10.

[9] Vers. 9. (Deut. 25, 4.); sequuntur Isai. 2, 4. et Michaeae 4, 3.

[10] Vers. 29; sequitur I. Reg. 6, 12.

[11] Vers. 10; sequuntur Iob 39, 27. 30. et Deut. 32, 11.

[12] Ex cod. Tudert. n. 182. fol. 141 r. Hic cod. inter alios multos habet ultra 30 sermones, licet anonymos, qui S. Bonaventurae tribuendi sunt, praesertim in ea collectione saec. XIII, quae incipit fol. 118.

[13] Vers. 10.

respicit patientis personam, cum subditur: *quasi aurum*, quod est perfecti decoris et valoris inter omnia metalla; ad *afflictionem inflicti supplicii*, quod respicit patientis poenam, cum subinfertur: *quod per ignem probatur*, quod est acerbissimum genus tormenti. Ut ergo videtur testimonio Angeli, Tobiae duodecimo [1], *necesse est*, eos qui *accepti* sunt, in tribulatione *probari*; dicitur enim ibi ab Angelo Tobiae: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te*. Qui enim acerbiori tribulatione probantur sunt acceptiores; qui acerbissima, sunt acceptissimi. Ergo, si beatus Laurentius probatus fuit a Domino acerbissimo martyrio, concluditur, quod acceptissimus fuit Deo aeterno, qui suorum probat virtutes Sanctorum. Probat Dominus Sanctos suos, et praecipue beatum Laurentium probavit in quadruplici virtute, secundum quam est regimen totius vitae, scilicet: in *prudentia*, *iustitia*, *modestia* et *constantia*. Probavit namque beatum Laurentium
Divisio. *prudentia* in praedicatione divini verbi; *iustitia*, in exsecutione suscepti officii; *modestia*, in ostensione boni exempli; *constantia*, in perpessione acerbi martyrii. In his autem omnibus a Deo probatus et a nobis merito approbandus (est).

I. Igitur probata fuit beati Laurentii *prudentia*
Pars I. Prudentia in praedicatione. *in praedicatione* divini verbi; hoc enim officium committi solet diaconis, quorum interest legere et exponere verba sancti Evangelii, quod diligentissime fecit, sicut ex verbis [2] eius colligi potest. Unde sibi recte competit illud Apostoli primae ad Thessalonicenses secundo [3]: *Exhortatio enim nostra non de errore neque de immunditia neque in dolo; sed sicut probati sumus a Deo, ut crederetur nobis Evangelium, ita loquimur, non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra. Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione avaritiae.* In quibus
Requiruntur deo. verbis duo tangit Apostolus, quae prudentem virum in praedicatione decet habere, scilicet, ut *iuste* praedicet et *recto fine*. In hac autem prudentia non est dubium beatum Laurentium fuisse probatum, et omnem bonum praedicatorem et clericum debere se probabilem exhibere, secundum quod dicitur secundae ad Timotheum secundo: *Sollicite cura te ipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis*, scilicet, ut omnia tua regantur secundum prudentiam.

Ad hoc autem, quod simus in *prudentia* probati,
Tria necessaria. Primum. tria sunt necessaria, scilicet *cautela errorum*, in quo est probationis inchoatio; propter quod primae ad Corinthios undecimo [4]: *Nam oportet, et haereses esse, ut et qui probati sunt manifesti fiant in vobis*. Qui enim possunt declinare et convincere tot haereses pullulantes manifeste probantur esse prudentes. Ad hoc necessarium est, ut ne quis sit (nimis difficilis et nimis) [5] pronus ad credendum.... Propter primum, primae Ioannis quarto [6]: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sunt;* propter secundum, Psalmus: *Probavi te apud aquam contradictionis.* Recte *aqua contradictionis* est error, quia contradicit veritati, contradicit communitati, contradicit etiam sibi. Utrumque enim eorum est paris periculi et aequaliter a probatis debet caveri: et omnibus *credere*, quod est insipientium, et omnibus *contradicere*, quod est fatuorum; unde recte dicitur Ieremiae decimo: *Pariter insipientes et fatui probabuntur;* quia aequaliter damnantur et reprobantur.

Eligentia consiliorum, in qua est perfectionis Secundum. probatio; primae ad Thessalonicenses quinto [7]: *Omnia autem probate, quod bonum est tenete.* Sub hac autem distinctione non continentur mala; quia statim subditur: *Ab omni specie mala abstinete vos;* sed bona, de quibus dicit Apostolus [8], semper eligenda esse magis bona. Oportet enim, sicut dicit Hieronymus et Apostolus, semper sectari meliora. Et propter hoc dicit esse *probanda;* nam qui bene discernit et male eligit ipse se condemnat. Propter quod ad Romanos decimo quarto [9]: *Beatus, qui non iudicat semetipsum in eo quod probat*, id est, qui se non condemnat in hoc quod bene videt et male eligit. *Scienti bonum facere et non facienti peccatum est illi.* Cum autem dubitatur plurimum, quid magis debeat eligi, tunc ad consilium prudentiorum debet recurri, secundum quod fecit Iudith, Iudith octavo, quae a presbyteris super eo quod debebat facere, consilium requisivit: *Probate*, inquit, *si ex Deo est quod facere disposui, et orate, ut firmun faciat Deus consilium meum.* Si autem dissentiunt, duplex Notandum. est remedium, scilicet iudicium discretionis, ut credatur probatioribus, et suffragium orationis; et haec duo tangit.

Intelligentia mysteriorum, in qua est proba- Tertium. tionis perfectio; quae quidem sunt divinae voluntatis consilia et beneplacita. Propterea ad Romanos duodecimo [10]: *Nolite conformari huic saeculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis, quae sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta.* Optime dicit, quod *non conformentur saeculo*, quia tales non merentur divini beneplaciti dispensationem probare; Lucae duodecimo: *Hypocritae! faciem caeli*

---

[1] Vers. 13.

[2] Ex. gr.: « Experire certe, utrum idoneum ministrum elegeris » etc., Surius in hunc diem, § 9; ibidem § 16. seq. narratur, ipsum catechizasse Lucillum et Hippolytum.

[3] Vers. 3. seqq.; sequitur II. Tim. 2, 15. [4] Vers. 19.

[5] Ita supplevimus secundum ea quae sequuntur; in codice est lacuna unius fere lineae.

[6] Vers. 1; sequuntur Ps. 80, 8. et Ier. 10, 8.

[7] Vers. 21. seq.

[8] Respicitur I. Thess. 5, 15; dein respicitur I. Cor. 12, 31; de S. Hieronymo cfr. Dialog. contra Pelagianos passim.

[9] Vers. 22; sequitur Iac. 4, 17. et dein respicitur Iudith 8, 31.

[10] Vers. 2; sequitur Luc. 12, 56.

et terrae nostis probare; hoc autem tempus quomodo non probatis? illud quidem tempus pietatis et clementiae, tempus gratiae, tempus poenitentiae, in quo Deus volebat eos ad se vocare; quod quidem probare nolebant, quia intellectum ad Deum non convertebant. Sed aliqui sunt, qui convertunt intellectum, addentes affectum; et hi sufficienter probant; quorum personam gerebat Eliud, Iob trigesimo sexto [1], qui dicebat: *Repetam scientiam meam a principio et operatorem meum probabo iustum.* Verbo dicebat, sed improbabat facto. Tales fuerunt philosophi, de quibus ad Romanos primo: Quoniam *non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum.* Haec autem indubitanter credendum est fuisse in beato Laurentio.

II. *Iustitia in exsecutione* suscepti officii, quod quidem fuit custodiendi et dispensandi thesaurum; hoc enim erat officium archidiaconi. Haec autem inste exsecutus fuit. Unde sibi competit illud Ecclesiastici trigesimo primo [2]: *Beatus dives, qui inventus est sine macula et qui post aurum non abiit nec speravit in pecunia et thesauris. Quis est hic, et laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua. Qui probatus est in illo et perfectus* inventus *est, erit illi gloria aeterna.* Talis fuit beatus Laurentius, qui *dispersit* et *dedit pauperibus*, non cumulavit nec congregavit nec distraxit bona pauperum. — In huiusmodi autem iustitia omnes ministri Ecclesiae debent esse probati, quod fit (per tria, quae sunt [3]):

Unitas concordiae propter *conformitatem* naturae, ut *nihil faciat alii quod sibi nolit fieri* [4]; Ecclesiastici vigesimo quinto: *In tribus* bene *placitum est spiritui meo, quae sunt probata coram Deo et hominibus: concordia fratrum, et amor proximorum, et vir et mulier bene sibi consentientes.* Primum vinculum et tertium aliquo modo reputatur; sed medium fere omnino despicitur; nam pauci sunt, qui proximis copulentur, quia *facti* sunt *ad imaginem Dei*, cum dicat Apostolus ad Romanos decimo tertio [5]: *Qui diligit proximum Legem implevit.* Unde plus placet Deo dilectio et aedificatio proximi quam maceratio corporis propriі; propter quod ad Romanos decimo quarto: *Non est regnum Dei esca et potus, sed iustitia et pax et gaudium in Spiritu sancto. Qui enim in hoc servit Christo placet Deo et probatus est hominibus;* et ideo subditur: *Itaque quae pacis sunt sectemur.*

Severitas vindictae propter *deformitatem* culpae; Sapientiae primo [6]: *Perversae cogitationes separant a Deo*, scilicet propter deformitatem culpae; *probata autem virtus corripit insipientes*, scilicet propter zelum iustitiae. Talis est virtus, qua non solum iustus est aliis, sed etiam sibi ipsi; quia, secundum quod dicit Gregorius, « qui nescit tenere moderamina vitae propriae, quomodo iudex fiet alienae » ? Et propterea Deuteronomii primo: *Date ex vobis viros sapientes et gnaros et quorum conversatio sit probata in tribubus vestris, ut ponam eos vobis principes;* in quo ostenditur, quales debent eligi, scilicet instructi litteris, experti in negotiis, informati moribus bonis.

Pietas clementiae propter *informitatem* penuriae [7]; ad Romanos decimo quinto: *Probaverunt Macedonia et Achaia collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Ierusalem. Placuit enim eis, et debitores sunt eorum.* Optime dicit *probaverunt* et approbaverunt pauperum facere beneficia eleemosynarum, quoniam aliis dare eleemosynam pauperum quam pauperibus non est iustitia nec pietas, sed impietas et iniquitas [8]. Unde Ecclesiastici trigesimo quarto [9]: *Dona iniquorum non probat Altissimus nec respicit in oblationes iniquorum;* et rationem subdit, quia *qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. Panis egentium vita pauperum est; qui defraudat illum homo sanguinis est.* Et propter hoc dicit, quod *probaverunt collationem facere in pauperes sanctorum;* et ratio subditur: quia *debitores sunt eorum. Si* enim *spiritualium eorum participes facti sunt gentiles, debent et in carnalibus ministrare illis.* Qui ergo spiritualia non seminat, cum carnalia metit, quod alienum est sibi usurpat. Seminantur autem spiritualia modo per dictae conversationis exempla, per orationis suffragia, per praedicationis documenta. Qui ergo negligit officium clerici non facit.

III. *Modestia in ostensione boni exempli.* Omnium *modestia nota* debet esse *omnibus* [10], maxime modestia clerici in sacris ordinibus constituti, et praecipue diaconi secundum mandatum Apostoli recte promoti, primae ad Timotheum tertio: *Oportet, diaconos esse pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes; habentes mysterium fidei in conscientia pura. Et hi autem probentur primum, et sic ministrent, nullum crimen habentes.* In quibus verbis ostendit, quod in clericis iam promotis, debet esse *modestia* quantum ad ea quae sunt *corporis*, quantum ad ea quae sunt *oris*, quantum ad ea quae sunt *operis* et quantum ad ea quae sunt *hominis interioris*, sicut per ordinem

Tertium.

Pars II. Exsecutio officii.

In necessaria.

Primum.

Secundum.

Pars III. Modestia in exemplo.

Modestia in quatuor rebus.

---

[1] Vers. 3; sequitur Rom. 1, 28.

[2] Vers. 8-10; sequitur Ps 111, 8.

[3] Adiuximus verba parenthesi, pro quibus in codice adest lacuna.

[4] Respicitur Tob. 4, 16. (Matth. 7, 12. et Luc. 6, 31.); sequuntur Eccli. 25, 1. seq. et Gen. 1, 27.

[5] Vers. 8; sequitur c. 14, 17. seqq.

[6] Vers. 3; sequuntur Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 26. n. 5. et Deut. 4, 13.

[7] In codice post *informitatem* (?) est parva lacuna, quam sic supplevimus. — Sequitur Rom. 15, 26. seqq.

[8] Cfr. Hieron., Epist. 66. ad Pamachium (alias 26.) n. 8.

[9] Vers. 23. seqq.

[10] Phil. 4, 5; sequitur I. Tim. 3, 8. seqq.

patet. Talem non est dubium fuisse beatum Laurentium, secundum quod ipse dixit [1] ad beatum Sixtum: « Quid in me ergo displicuit paternitati tuae? Nunquid degenerem me probasti »? etc. In hoc eius mo-
Requiritur probatio in tribus. destia fuit. Oportet, omnes bonos diaconos esse probatos, quod ut perfecte fiat, tria sunt opportuna:

Munditia cordium, quae respicit cordis simpli-
Munditia cordium. citatem quoad *Deum;* unde primi Paralipomenon ultimo [2]: *Scio*, inquit David, *Deus meus, quod probes corda et simplicitatem diligas.* Haec autem simplicitas cordis excludit omnem dolum, simulationem et hypocrisim, quia non quaerit *placere hominibus, sed Deo, qui probat corda nostra.* Cuius evidens signum est, quando homo laudibus hominum non delectatur; propter quod Proverbiorum vigesimo septimo: *Quomodo probatur in conflatorio argentum et in fornace aurum, sic probatur homo ore laudantis.* Si enim extollitur et gloriatur, quia ab hominibus laudatur et commendatur, probatur quidem et *reprobatur*, quoniam mali *placent hominibus* [3]. Si autem non gloriatur, sed humiliatur, probatur et *approbatur;* et hoc quidem est valde difficile, nisi homo ducat gloriam a testimonio conscientiae, secundum quod dicitur ad Galatas sexto: *Opus autem suum probet unusquisque, et sic in semetipso tantum gloriam habebit et non in altero;* non enim debet plus credere alii quam sibi de se. Unde Bernardus: « Non est committenda gloria conscientiae alienis labiis, quia nullus sibi ipsi potest secure gloriam committere, quia opus suum non potest sufficienter probare ». Unde primae ad Corinthios tertio [4]: *Uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit.* Qui ergo divinis oculis cor suum mundum et modestum vult custodire, studeat *in Domino, non in homine gloriari,* ne forte dicatur sibi illud divinum imperium; Isaiae vigesimo nono [5]: *Populus iste ore suo et labiis suis glorificat me; cor autem eius longe est a me.* At non talis vir sanctus, in cuius persona, Ieremiae duodecimo: *Et tu, Domine, nosti me, vidisti me et probasti cor meum tecum.* Tale est cor mundum, simplex et modestum.

Pudicitia corporum, quae respicit corporis san-
Pudicitia corporum. citatem quoad *proximum*. Haec vitam hominis ut aurum resplendere facit in oculis proximorum; propter quod Apocalypsis tertio [6]: *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum, probatum, ut locuples fias*, quantum ad castitatis incorruptionem; *et vestimentis albis induaris, et non appareat confusio nuditatis tuae;* hoc quantum ad honestatis ostensionem. Et bene dicit *aurum* incorruptionis pudicitiae emendum, quia, sicut dicitur Sapientiae octavo, *non possum esse continens, nisi Deus det*, ideo oportet a Domino sanctum desiderium emere. Hoc attendens clamabat in Psalmo: *Proba me, Domine, et tenta me; ure renes meos et cor meum* etc. Non enim efficitur homo perfecte pudicus, donec renes eius igne sancti Spiritus adurantur. Propter quod Ecclesia petit in Collecta [7]: « Ure igne sancti Spiritus renes nostros » etc. Hoc maxime petere debent clerici, qui sunt altaris officio dedicati, *de quo edere potestatem non habent* [8] nisi mundi corde et corpore pudici; immundi enim non poterant manducare phase; propter quod primae ad Corinthios undecimo: *Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini.*

Parsimonia victuum, quae respicit sobrietatem Parsimonia victuum. oris quoad *se ipsum;* quod bene figuraliter demonstratur Iudicum septimo [9]: *Dixit Dominus ad Gedeon: Adhuc populus multus est; duc eos ad aquas, et ibi probabo illos;* et sequitur ibidem, quod dixit Dominus ad Gedeon: *Qui lingua lambuerint aquas, sicut solent canes lambere, separabis eos seorsum;* et hi fuerunt probati: *qui autem, curvatis genibus, biberint in altera parte erunt;* hi reprobati et reiecti de proelio. Primi fuerunt trecenti, secundi novem millia septingenti. Per *aquas* significatur abundantia ciborum, quos qui parce et sobrie sumunt apti sunt ad proelium; qui vero ad eas *incurvantur* tanquam miseri et carnales reprobantur; et istorum maxima est multitudo et inepta ad proelium. Qui autem sunt in divino exercitu debent *vigilare et noctis vigilias custodire* [10] et adversariorum astutias deprehendere. Illi vero, qui sunt gravati in crapula et ebrietate, vigilare non possunt; propter quod primae Petri quinto: *Sobrii estote et vigilate* etc. Unde militibus Christi pugnantibus in Ecclesia necessaria est discretio et fortitudo.

Sed tollit *ebrietas* discretionem; Proverbiorum Contra ebrietatem vigesimo [11]: *Luxuriosa res vinum, et tumultuosa ebrietas; quicumque his delectatur non erit sapiens.* Propter quod, Ecclesiastici trigesimo primo, sicut *ignis probat ferrum durum, sic vinum corda superborum arguet in ebrietate potatum.* Unde ubi regnat ebrietas, nihil potest esse celatum; et propterea necessario sequuntur contumeliae et rixae innumerae; Proverbiorum vigesimo tertio: *Cui vae? cuius patri vae? cui rixae? cui foveae? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? Nonne his qui commorantur in vino et student calicibus epotandis?*

---

[1] Surius, in hoc festo § 9.

[2] Vers. 17; sequuntur I. Thess. 2, 4. et Prov. 27, 21.

[3] Respicitur Ps. 52, 6; sequuntur Gal. 6, 4. et Bernard., Epist. 42. seu Tractat. ad Henric. Senonens., c. 5. n. 20. et c. 6. n. 22, paucis mutatis.

[4] Vers. 13; sequuntur Cap. 1, 31. et c. 3, 21.

[5] Vers. 13; sequitur Ier. 12, 3.

[6] Vers. 18; sequuntur Sap. 8, 21. et Ps. 25, 2.

[7] Ex. gr. inter orationes post Litanias omnium Sanctorum.

[8] Respicitur Hebr. 13, 10; de manducatione *phase* cfr. Num. 9, 10; sequitur I. Cor. 11, 28. seq.

[9] Vers. 4. seq.; de numero infra relato cfr. ibidem v. 3. et 7.

[10] Respicitur Luc. 2, 8; sequitur I. Petr. 5, 8.

[11] Vers. 1; sequuntur Eccli. 31, 31. et Prov. 23, 29. seq.

Contra gulositatem. — *Gulositas*, omnem mentis virtutem et fortitudinem; unde ad Hebraeos duodecimo [1]: *Ne quis fornicator aut profanus ut Esau, qui propter unam escam vendidit primitiva sua. Scitote enim, quoniam et postea, cupiens hereditare benedictionem, reprobatus est*, scilicet pro sua vilitate.

Pars IV. Constantia in perpessione acerbi martyrii. IV. *Constantia in perpessione acerbi martyrii*; quod quidem fuit incendium, in quo examinatus et approbatus fuit. Unde sibi recte competit illud Psalmi [2] et sibi attribuitur: *Probasti cor meum et visitasti nocte*; ad litteram totam noctem Decius crudelissimus expendit in eius tormentis [3]; *igne me examinasti*, quia in igne non defecit, sed profecit; *et non est inventa in me iniquitas*, quia non murmuravit, sed gratias egit. « Gratias, inquit, ago tibi, Domine Iesu Christe, quia ianuas tuas ingredi merui ». Unde ad ostendendum magnitudinem suae constantiae induxit ei Dominus magna vincenda, secundum quod beatus Sixtus ei promiserat. In hac autem constantia probantur et approbantur milites Christi; hoc autem fit triplicis suffragantis virtutis adiutorio, scilicet per:

Subdivisio. *Fundamentum patientiae*; nam minor est virtus, quam non patientia format; propter quod Iacobi primo [4]: *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in varias tentationes incideritis, scientes, quod probatio fidei vestrae patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet*; nam *virtus in infirmitate perficitur*, secundae ad Corinthios duodecimo. Propter quod consulit Ecclesiasticus: *In dolore sustine et in humilitate tua patientiam habe*; in his duobus maxime necessaria est patientia, scilicet in afflictione et in confusione. In hoc autem igne boni probantur, et mali *consumuntur ut stipula* [5]; unde Ieremiae sexto: *Defecit sufflatorium, in igne consumtum est plumbum, frustra conflavit conflator; malitiae enim eorum non sunt consumtae.*

Fundamentum patientiae. Sustentamentum confidentiae. *Sustentamentum confidentiae*, quae sursum levat et sustentat; unde ad Romanos quinto [6]: *Gloriamur in tribulationibus, scientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit, quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Haec autem spes omnes tribulationes facit tolerare et maxime iniurias (?)... [7] in tribulatione certitudinem, secundum illud Tobiae tertio: *Hoc autem pro certo habet omnis, qui te colit, quod vita eius, si in probatione fuerit, coronabitur; si autem in tribulatione fuerit, liberabitur.* Secundum autem quod dicit Gregorius, « desideratio praemii minuit vim flagelli ». Et hoc est quod dicitur primae Petri primo [8]: *Modicum nunc, si oportet contristari in variis tentationibus, ut probatio vestrae fidei multo pretiosior sit auro, quod per ignem probatur* etc.

Fundamentum patientiae. Complementum perseverantiae. *Perseverantiae complementum*, quae sola consummat; de qua Sapientiae tertio [9]: *Tanquam aurum in fornace probavit illos et quasi holocausti hostiam accepit illos*; per *holocaustum*, quod totum cremabatur, significatur virtus perseverantiae, quae non deficit usque in finem, quousque perducat ad coronam iustitiae, secundum illud secundae ad Timotheum quarto: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona iustitiae.* Beatus, qui ad coronam hanc merito perseverantiae perducitur; Iacobi primo: *Beatus vir, qui suffert tentationem* etc. Ad hanc coronam beatus Laurentius pervenit; ad quam nos etc.

DE S. BARTHOLOMAEO APOSTOLO (24 vel 25 Aug.).

Sermo [10].

Diligebat enim Ionathas David quasi animam suam; nam exspoliavit se Ionathas tunica, qua erat indutus, et dedit eam David, primi Regum decimo octavo [11].

Prothema. (Prothema). *Laetabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa*, Psalmus.

In verbis ultimo propositis, sumtis de Psalmo ostenditur nobis, qualiter debemus audire verbum Dei, quia cum magno gaudio; et ponitur exemplum de paupere, qui multum laetatur, quando invenit spolia. Similiter nos debemus laetari super eloquia Domini. Non est aliquis inter nos, si ipse haberet aliquem amicum, quem vellet diligere, in longinquis partibus, sicut in partibus transmarinis, quin cum gaudio nuntium illum exciperet, qui afferret rumores bonos de amico illo. Verbum Dei est nuntius, qui affert rumores de verissimo amico nostro, Iesu Christo. Suscipere ergo debemus istum nuntium laetanter. Rogabimus etc.

Ionathas diligebat David etc.

Sermo. In aestate est consuetudo, quod homines exuunt vestimenta sua propter nimium calorem; ita fecit

[1] Vers. 16. seq.
[2] Psalm. 16, 3.
[3] Vide Surium, loc. cit. § 23; ibidem et sequentia narrantur.
[4] Vers. 2-4; sequuntur II. Cor. 12, 9. et Eccli. 2, 4.
[5] Respicitur Nahum 1, 10; sequitur Ier. 6, 29.
[6] Vers. 3-5.
[7] In codice adest lacuna unius verbi; sequitur Tob. 3, 21. — De loco Gregorii cfr. supra pag. 512, nota 8.
[8] Vers. 6. seq.
[9] Vers. 6; sequuntur II. Tim. 4, 7. seq. et Iac. 1, 12.
[10] Ex cod. Parisiensi S fol. 240 r. et cod. Trecensi 1464 fol. 70 v. Habetur etiam in biblioth. civitatis Carolopolitanae (Charleville), et quidem in cod. miscellan. n. 92. saec. XIII. et XIV, in quo est sermonum collectio, quae incipit fol. 102, ubi ille sermo imperfecte *reportatus* est ordine vigesimus.
[11] Vers. 3. seq. — Prothema habetur Ps. 118, 162.

beatus Bartholomaeus, qui totus erat accensus amore divino. Unde spoliavit se, quia excoriatus fuit propter dilectionem, quam habebat ad Christum; unde bene competit ei verbum propositum, quod sumtum est de libro Regum. Ionathas interpretatur *columba veniens* et significat beatum Bartholomaeum, sicut iam videbitur. Iste Ionathas diligebat David — id est Christum — qui interpretatur *manu fortis. Diligebat eum Ionathas quasi animam suam; nam spoliavit se tunica sua*, id est pelle sua, et dedit eam Christo. Iste beatus Bartholomaeus bene implevit illud quod dicitur in Iob[1]: *Pellem pro pelle et cuncta, quae habet homo, dabit pro anima sua. Pellem* mortalitatis dabit *pro pelle* immortalitatis; quam habituri sumus, quando *mortale hoc induerit immortalitatem, et corruptibile hoc incorruptionem*, secundum Apostolum. In his verbis commendatur beatus Bartholomaeus quantum ad tria: primo, quantum ad *vitae innocentiam*, cum dicitur: *Ionathas;* secundo, quantum ad *dilectionem praecipuam*, cum dicitur: *diligebat;* tertio, quantum ad *consummationem gloriosam*, cum dicitur: *nam exspoliavit se* etc.

Divisio.

Pars I. De vitae innocentia.

1. Circa primum notandum, quod beatus Bartholomaeus habuit vitam innocentissimam, et propter hoc convenienter significatur nomine *columbae*. Ad *innocentiam vitae* pertinent quatuor, quae inventa

Subdivisio.

sunt in beato Bartholomaeo, scilicet *puritas affectionis, rectitudo intentionis, fecunditas operationis* et *frequentia devotae orationis*. Primum est innocentiae *constitutivum;* secundum est innocentiae *directivum;* tertium est innocentiae *augmentativum;* et quartum est innocentiae *conservativum*.

Puritas affectionis.

Circa primum nota, quod beatus Bartholomaeus habuit *puritatem affectionis;* ideo habuit innocentiam vitae. Purae affectiones et mundae reddunt animam pulcram, puram et decoram; et econtra, turpes affectiones et immundae reddunt animam turpem et deformem. Non est imago ita pulcra, si proiceretur in lutum, quin ipsa perderet colores suos et pulcritudinem suam; ita est de anima, quae per

Bartholomaeus.

turpes affectiones deturpatur. — Sed beatus Bartholomaeus habuit pulcras et puras affectiones; unde convenienter designatur per columbam. Nam, sicut dicit Glossa[2] super Matthaei tertio, columba est *avis* a felle aliena; similiter anima sancta est sine felle et sine amaritudine immundae affectionis et peccati. Ieremias: *Vide, quam malum et amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum.* Multi habent cor plenum felle tali; sed non sic beatus Bartholomaeus; propter hoc sub nomine *columbae* significatur. In Canticis: Ecce, tu *columba mea, immaculata mea, veni, iam enim hiems transiit, imber abiit et recessit, flores apparuerunt in terra nostra.* Deus enim non vocat animas maculatas, sed immaculatas; quod significatur per *imbrem*, id est turbulentiam affectualem; per *flores* intelligimus mundas affectiones, quae pulcrificant animam, sicut flores pulcrificant virgultum.

Rectitudo intentionis.

Secundum, quod pertinet ad innocentiam, est *rectitudo intentionis*, quae est tanquam innocentiae *directivum*. Istam rectitudinem habuit beatus Bartholomaeus; et in hoc habuit innocentiam. Homines, qui habent perversam intentionem, ut hypocritae, nunquam debent dici innocentes; in Ecclesiastico[3] dicitur: *Est qui requiter humiliat se, et interiora eius plena sunt dolo* etc. Ista rectitudo intentionis debet esse gubernaculum navis nostrae sanctitatis. Nota, quod navis quantumcumque fortis, quantumcumque bona, non vadit secura per mare sine gubernaculo; ita est de nostra, quae sine gubernaculo rectae intentionis non potest pervenire ad portum salutis; Psalmus: *Deduxit eos in portum voluntatis eorum.* — Istud gubernaculum assumsit beatus Bartholomaeus, et hoc significatur in nomine *columbae;* unde dicit Glossa super Cantica: Columba semper vescitur pulcrioribus granis et meliora eligit; sic anima sancta purissimo grano vescitur; de quo in Evangelio[4]: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert;* et meliora eligit per rectam intentionem. Dixit Dominus discipulis suis: *Estote prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbae.* Nota, quod serpens exponit totum corpus, ut servet caput illaesum; sic effecit beatus Bartholomaeus. *Caput* nostrum *est Christus;* illud caput amputat diabolus a multis, immo etiam quidam sibimet amputant. Unde patet, quod ipsi sunt furiosi, vel non sunt *prudentes sicut serpentes.* Sequitur: *et simplices sicut columbae.* Ista simplicitas est indivisio sui a Deo; illud est necessarium, de quo in Luca[5]: *Maria optimam partem elegit.* Sed aliqui habent cor suum multum divisum; Osee: *Divisum est cor eorum; nunc interibunt;* tales non sunt *simplices sicut columbae.*

Bartholomaeus.

Fecunditas operationis.

Tertium, quod pertinet ad innocentiam, est *fecunditas bonae operationis*, quae est tanquam innocentiae *augmentativum*. Et hoc convenienter significatur nomine *columbae;* columba enim est fecundissima in pullis; Psalmus[6]: *Filii tui sicut novellae olivarum* etc. Et *pulli* sunt opera tua; et licet non possis mereri primam gratiam, tamen potes mereri augmentum gratiae. — Et sic debes esse fecundus in bonis operationibus, sicut fuit beatus Bartholomaeus. Quid dicetur de otiosis, qui nescient computare unum opus bonum, quod ipsi fecerint?

Bartholomaeus.

[1] Cap. 2, 4; sequitur I. Cor. 15, 53.

[2] Scilicet *ordinaria* in Matth. 3, 16. apud Lyranum; sequuntur Ier. 2, 19; Cant. 5, 2. et c. 2, 10. seqq.

[3] Cap. 19, 23; sequuntur Ps. 106, 30. et Glossa *ordinaria* apud Lyranum in Cant. 1, 14.

[4] Ioan. 12, 24. seq.; sequuntur Matth. 10, 16. et Eph. 4, 15.

[5] Cap. 10, 42; sequitur Osee 10, 2.

[6] Psalm. 127, 4; sequuntur Deut. 5, 13. seq. et Osee 11, 10. seqq.

Dicitur in Deuteronomio: *Sex diebus operaberis, et septimo die requiesces; sex diebus*, id est per totum tempus vitae. Attende, quod quando instat aliqua magna solemnitas, ut Nativitas Domini, tunc operari festinant, ut possint adimplere opera sua. Adimpleamus omnia opera nostra, antequam veniat illa festivitas post carnis mortem; Osee: *Post Dominum ambulabunt et avolabunt quasi avis ex Aegypto et quasi columba de terra Assyriorum.* Illi *post Dominum ambulant*, qui bona opera multiplicant; et quanto plura opera facis, tanto plures passus multiplicas, et quanto plures passus multiplicas, tanto magis appropinquas ad Deum. Non debes cessare, sed semper multiplicare bona opera. Sed ad istum profectum requiritur vitatio malorum. Nonne demens reputaretur qui vellet construere aliquod aedificium, si de nocte destrueret quidquid construxisset de die? Item, gloriosi homines et nobiles volunt habere magnam sequelam et magnam familiam. Sequela est collectio operationum; in Apocalypsi [1] dicitur: *Opera enim illorum sequuntur illos.* Attende, qualis sit sequela tua; si ames opera tenebrosa, nunquam cum tali familia intrabis in regnum Dei; tertii Regum decimo dicitur: *Ingressa est regina Saba in Ierusalem multo cum comitatu* etc.

Quartum, quod pertinet ad innocentiam, est *frequentia devotae orationis* tanquam *conservativum* innocentiae. Multum orabat beatus Bartholomaeus. Bonum est orationi devotae insistere semper; per *columbam* significantur tales. Columba habet gemitum pro cantu; gemitus devotae orationis est ille dulcis cantus, qui placet Deo; unde in Canticis [2]: *Surge, propera, amica mea;* et sequitur: *Sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, et facies tua decora.* Istam vocem docet devotio lacrymarum; Isaias: *Qui sunt isti qui ut nubes volant et quasi columbae ad fenestras suas?* Anima sancta debet esse plena aquis devotionis, quae per desiderium elevat se a terrenis; *fenestrae* sunt sensus nostri, quos diligenter debemus servare. Gregorius: « Non licet intueri quod non licet concupisci »; Ieremias [3]: *Mors intravit per fenestras nostras.* Claude ergo fenestras. Non est aliquis inter nos, si diceretur ei, quod mors currit per vicos Parisienses et intrat per fenestras, quas invenit apertas, quod ipse exspectaret famulum suum ad claudendum fenestras, immo statim clauderet; Isaias: *Rugiemus quasi ursi omnes et quasi columbae meditantes gememus.* — Sic ergo Ionathas fuit beatus Bartholomaeus per vitae innocentiam, ad quam quatuor praedicta exiguntur, quae per columbae proprietates designantur.

II. Sequitur de secundo principali, scilicet de *dilectione* beati Bartholomaei, quae notatur, cum dicitur: *Diligebat Ionathas David.* Ioannes dicit in Canonica sua [4]: *Qui non diligit manet in morte.* Quantum ergo tu diligis vitam tuam, tantum tu debes diligere. Istam dilectionem ostendit beatus Bartholomaeus per quatuor signa. Primum est *detestatio* vel odium *iniquitatis*, contra illos qui delectantur in cogitatione de peccato; Psalmus: *Qui diligitis Dominum odite malum.* Nota: amicus odit quidquid amico suo est odiosum; et Dominus dicit: *Iniquos odio habui et legem tuam dilexi* etc. Ergo si diligeres Dominum, haberes odium iniquitatum. — Secundum signum dilectionis est *frequentia meditationis.* Quando aliquis diligit aliquem, meditatur saepe de ipso et visitat ipsum. Quando tu cogitas de Deo, tu visitas ipsum: *Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper* [5]. *Et meditabar in mandatis tuis, quae dilexi.* Mandata diliguntur propter praeceptorem. Istam frequentiam meditationis et assiduitatem bene habuit beatus Bartholomaeus. — Tertium signum est benigna et prompta *sustinentia tribulationis;* unde in Ioanne: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Multa gravia sustinet homo pro eis quae diligit, ut patet de mercatoribus, qui propter lucrum in multis periculis se exponunt. Bene ostendunt, quod multum diligunt lucrum, quia amor lucri facit pati multa. In Canticis [6] dicitur: *Fortis est ut mors dilectio;* sed fortior quam mors, quia vincit mortem. — Beatus Bartholomaeus bene probavit, quod diligebat Christum, quia amore ipsius sustinuit martyrium. Tu ergo, si diligas, sustineas pro Christo tribulationes; vende te ipsum, da te pro Christo; non potes te melius vendere. — Quartum signum est *assiduitas divinae laudis.* Vide, quod quando aliquis amat mulierem amore libidinoso, ipse cantat de illa et facit cantilenas. Similiter, si tu diligas Deum, cantabis de ipso, id est, laudabis ipsum et facies cantilenam de ipso. Sed multi sunt, quibus multum displicet cantare de Christo, ut patet de canonicis, qui statim post primum Gloria exeunt de choro. Videtur, quod diabolus teneat clavam magnam ferream et expellat eos; et in hoc patet, quod parum diligunt Deum. In Ecclesiastico [7] dicitur de David: *De omni corde suo laudavit Dominum et dilexit Deum, qui fecit illum.*

III. Sequitur de tertio principali et ultimo, scilicet de commendatione beati Bartholomaei quantum ad *consummationem gloriosam;* quod notatur, cum dicitur: *nam exspoliavit se tunica sua* etc. Nota, quod beatus Bartholomaeus novum genus martyrii et singulare nec alias excogitatum (subiit), quoniam excoriatus fuit vivus; propter hoc dicitur, quod *exspoliavit se tunica sua, qua erat indutus*, id est pelle sua. Multum devoti debemus esse circa istum

Quatuor dilectionis signa. Primum.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Pars III. De consummatione gloriosa.

sequentia rationis. artholomaeus.

Pa II. De lectione ncipua.

[1] Cap. 14, 13; sequitur III. Reg. 10, 1. seq.
[2] Cap. 2, 10. 14; sequuntur Isai. 60, 8. et Gregor., XXI. Moral. c. 2. n. 4.
[3] Cap. 9, 21; sequitur Isai. 59, 11.
[4] Epist. I. c. 3, 14; sequuntur Ps. 96, 10. et Ps. 118, 113.
[5] Psalm. 18, 14; sequuntur Ps. 118, 47. et Ioan. 15, 13.
[6] Cap. 8, 6.
[7] Cap. 47, 10.

gloriosum Martyrem, qui dedit pellem suam pro Christo, non solum pellem, sed omnia, quae habuit. Nota, quod beatus Bartholomaeus triplici tunica exspoliavit se et nos similiter ista triplici tunica debemus nos

Triplex tunica eiusque exspoliatio describitur.

exspoliare. Ista triplici tunica induit diabolus suos milites, sicut consuetum (est), quod isti principes terreni, quando faciunt novos milites, dant eis vestes et arma et equos. Prima tunica est tunica *culpae;* et ista exspoliavit se beatus Bartholomaeus; secunda est *mundanae prosperitatis;* ista tunica exspoliavit se beatus Bartholomaeus, quia nudus secutus est Christum et reliquit prosperitates mundanas. *Qui habet duas tunicas det non habenti* [1]; qui habet prosperitates mundanas ad superfluitatem det non habentibus. Tertia tunica est *praesentis mortalitatis*, qua se exspoliavit beatus Bartholomaeus. — Nota duplicem exspoliationem: quaedam est, quae inducit verecundiam et *confusionem*, quaedam non, sicut iam videbitur.

Duplex exspoliatio.

Prima est detestanda ut exspoliatio animae.

Prima est valde detestanda; per illam diabolus exspoliat animas et habet latrunculos suos in compitis viarum insidiantes nobis, ut nos exspolient; Ezechiel [2]: *Nuda eras et confusione plena.* Non est homo in mundo, nisi sit expers rationis, quin haberet magnam confusionem, si esset nudus coram populo. Propter hoc diabolus denudat et exspoliat animas, ut habeant confusionem; latrunculi diaboli insidiantes sunt occasiones peccandi, quae ubique nos infestant; propter quod bonum esset, quod nos istos latrunculos vitaremus et clauderemus castrum nostrum vel domum nostram muro forti; Ezechiel: *Hi omnes habitant sine muro, vectes et portae non sunt eis, ut diripias spolia et invadas praedam.* — Castrum habens fortem murum non timet obsessores; sed si habeat muros debiles et perforatos, multum debet timere. Quis est iste murus? Iste murus est castitatis et continentiae, qui debet munire et claudere domum cordis nostri. Sed nostra misera carnalitas quotidie perforat murum istum, ita quod fere est sine muro. Claudamus ergo domum conscientiae nostrae et ponamus nos in claustro, ne diabolus exspoliet animas nostras.

Triplex ratio, quare haec exspoliatio cavenda. Prima.

Quare cavenda est ista exspoliatio? Propter tria: primo, quia per ipsam anima *damnificatur*. Quilibet cavet sollicite et vitat damnum suum. Praedicta spoliatio aufert animae omnia bona sua, omnia pulcra. *Si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique et non sineret, perfodi domum suam* [3]. Non est aliquis vestrum, si sciret, quod latro de nocte veniret ad domum suam suffodiendam, quin ipse *vigilaret et non sineret, perfodi domum suam.* Sed dolendum est, quod aliqui scienter patiuntur, se exspoliari a diabolo, et dant ei arma; et hoc significatum est in primo libro Regum, quod *Philisthiim praeciderunt caput Saul et spoliaverunt eum armis* suis. Consuetudo est, quod quando aliquis princeps terrenus devincit alium, tunc currunt milites victoris et spoliant gentem devicti armis suis. Bene patet hoc in libro Regum (per) David, qui *interfecit Goliath* et abstulit ei caput suum et gladium suum et portavit eum post illud tempus in proelium [4]. Nititur diabolus, ut abscindat caput nostrum et auferat arma a nobis. Homo sine capite non habet virtutem; et tunc auferuntur ei arma; et quid valet miles sine capite? Non valet amplius quam pastor. — Secundo, non solum damnificatur, immo etiam *vilificatur*, quoniam decore suo privatur. Exemplum possumus accipere de imagine, quae deturpatur et vilificatur, quando auferuntur ab ea colores. Ita facit diabolus, quia aufert ab anima colores, id est virtutes; unde in Ioele [5]: *Gens ascendit super terram meam fortis et innumerabilis; vineam meam posuit in desertum et ficum meam decorticavit. Nudans spoliavit eam et proiecit.* Quando vinea est deserta, tunc multum turpis est et vilis; similiter est de anima. Diabolus congregat exercitum suum, ut desertet et devastet vineam istam, id est animam; et sic vilificet. — Tertio anima valde *debilitatur* per praedictam spoliationem et fit impotens nec habet, unde possit facere bonum nec unde possit resistere malo. Et hoc significatur in Evangelio [6]: *Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, et plagis impositis, abierunt, semivivo relicto.* Iste *homo* est qui *descendit* de statu gratiae in statum culpae; *et incidit in latrones*, id est in immundas affectiones; non est bonum recipere tales latrones, id est tales affectiones immundas in corde suo. *Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Sequitur: *et plagis impositis* etc.; multum fuit debilitatus.

Secunda. Tertia.

Secunda exspoliatio est amplectenda. Die prima.

Quatuor se exspoliandi rationes.

Secunda exspoliatio quae *inducit pulcritudinem* et quae amplectenda est, quia utilis, haec est exspoliatio *carnalitatis, prosperitatis* et *mortalitatis.* Beatus Bartholomaeus exspoliavit se ista triplici tunica. Et quare exspoliavit se? Circa hoc nota, quod homo solet se exspoliare praecipue propter quatuor: primo, propter *expeditionem*, ut sit magis expeditus, ut patet de illis qui volunt luctari. Sic beatus Bartholomaeus exspoliavit se, ut esset magis expeditus ad luctandum contra diabolum. Gregorius [7]: « Quid sunt ista temporalia nisi quaedam corporis indumenta? Nudi cum nudis debemus luctari, quia, si vestitus cum nudo luctatur, citius ad terram prosternitur, quia habet unde teneatur ». Tot veniunt luctae et tot tentationes, quod mirum est. Tamen debes te exspoliare per poenitentiam, sicut dicitur in Michaea [8]: *Plangam et ululabo* et *vadam spoliatus et nudus.*

---

[1] Luc. 3, 11.
[2] Cap. 16, 22; sequitur c. 38, 11. seq.
[3] Luc. 12, 39; sequuntur 1. Reg. 31, 9. et c. 17, 51. seqq.
[4] Respicitur 1. Reg. 21, 9.
[5] Cap. 1, 6. seq.
[6] Luc. 10, 30. seqq.; sequitur Matth. 21, 13.
[7] Homil. 11. in Evang. homil. 32. n. 2.
[8] Cap. 1, 8; sequuntur Eccli. 2, 1. et Baruch 3, 10.

In Ecclesiastico: *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in iustitia et timore et praepara animam tuam ad tentationem.* Non est sapiens miles, qui inermis vadit per terram inimicorum suorum; Baruch: *Quid est, Israel, quod in terra inimicorum tuorum es?* In Canonica Petri [1] dicitur: *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quaerens, quem* secunda. *devoret;* semper sumus sine induciis. — Secundo exspoliant se homines ad *accelerationem*, ut citius currant, ut patet de currentibus ad bravium; hic enim est currendum; Apostolus [2]: *Omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium; sic currite, ut comprehendatis.* Sic fecit beatus Bartholomaeus. Cursus vitae nostrae est labor noster; ut citius veniamus ad bravium vitae aeternae, debemus nos exspoliare; ad Colossenses: *Circumcisi estis circumcisione non manufacta in exspoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi, consepulti ei in baptismo, in quo et resurrexistis per fidem* etc.

Item, homines solent se exspoliare ad *quietatio-* De tertia. *nem*, ut dormire volentes exspoliant se, ut suavius dormiant et quiescant. Quae est ista dormitio nisi pax cordis? pro qua habenda debent homines se exspoliare a divitiis mundanis, in quibus nunquam aliquis habet pacem cordis; Ioannes [3]: *In mundo pressuram habebitis, in me pacem.* Augustinus: « Fecisti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te ». Sic fecit beatus Bartholomaeus. Nota, quod pediculi multum infestant dormire volentes. Isti pediculi sunt remorsus conscientiae; in Canticis dicitur: *Spoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* — Quarto et ultimo exspo- De quarta. liant se homines propter *vestium mutationem.* Nullus ponit vel induit novam vestem super veterem, sed primum exuit veterem; sic fecit beatus Bartholomaeus, qui exspoliavit se veteri veste, et induit eum Dominus nova veste, scilicet veste gloriae. *Stola gloriae induit eum* [4], sine qua veste non intrabimus ad nuptias. Unde dicitur: *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* In Levitico dixit *Dominus Moysi: Vestietur tunica sacerdos et feminalibus lineis et spoliabitur prioribus vestimentis.* Ad illas nuptias perducat nos etc.

DE S. PATRE NOSTRO FRANCISCO (4 Oct.).

Sermo I [5].

Assumam te, Zorobabel, fili Salathiel, serve meus, et ponam te quasi signaculum, quia te elegi, Aggaei secundo [6].

Haec verba Aggaei competunt beato Francisco; introductio. sicut enim Zorobabel, qui interpretatur *princeps translationis*, populum de Babylone eduxit et templum reaedificavit, sic Beatus iste multos de confusione peccatorum ad Christum adduxit et Religionem instituit. In his autem verbis commendatur a tribus, Divisio. scilicet a *merito acceptabilis servitutis: Assumam te* etc.; a *signaculo spectabilis sanctitatis: et ponam te* etc.; a *privilegio caelestis electionis: quia te elegi.*

I. Circa primum notandum, quod ipse fuit ac- Pars 1. De merito servitutis quadruplicis. De prima. ceptabilis Domino *servus*, quia *humilis* per asper- nationem mundanarum sublimitatum, iuxta illud Apostoli [7]: *Cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem*, imitando Christum, *qui cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum, formam servi accipiens.* Et bene servitium Dei ab humilitate incipit. Dicit enim Gregorius: « Qui alias virtutes sine humilitate congregat, quasi pulverem ante ventum portat, et unde aliquid ferre cernitur, inde deterius excaecatur ». — Et beatus Fran- S. Francis- cus. ciscus ita humilis fuit, quod etiam leprosis servivit [8]; et propter huiusmodi magnam humilitatem assumtus est ad revelationem divinorum secretorum; Isaias [9]: *Ecce, intelliget servus meus, exaltabitur et elevabitur et sublimis erit valde;* Matthaeus: *Abscondisti haec a sapientibus et revelasti ea parvulis.* — Item, quia fuit *viriliis* propter mortificationem car- De secunda. nalium voluptatum, iuxta illud Psalmi: *Calicem salutaris accipiam* etc. *O Domine! quia ego servus tuus. Calix* iste est carnis mortificatio; ad Romanos sexto [10]: *Vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, et ultra non serviamus peccato.* Per huiusmodi autem mortificationem servitur Deo; ad Romanos: *Humanum dico* etc., *sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiae et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiae in sanctificationem.* — Hoc fecit beatus Franciscus, ita ut etiam S. Francis- cus. in hieme asperrima, ut carnis libidinem exstingueret, se in nive undique volutaret [11]; et per huiusmodi assumi meruit ad caelestem consolationem; Lucas [12]:

---

[1] Epist. I. c. 5, 8.

[2] Epist. I. Cor. 9, 24; sequitur Col. 2, 11. seq.

[3] Cap. 16, 33; sequuntur August., I. Confess. c. 1. n. 1. et Cant. 5, 3.

[4] Respicitur Eccli. 15, 5; sequuntur Matth. 22, 12. et Lev. 6, 10. seq.

[5] Habetur in cod. Trecensi n. 1464. fol. 53 r. cum inscriptione *bone aventure* et contracte in cod. Monacensi n. 8739, ubi invenitur in collectione sermonum saepe citata.

[6] Vers. 24.

[7] Epist. I. Cor. 9, 19; sequuntur Phil. 2, 6. seq. et Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 7. n. 4.

[8] Legenda Bonav., c. 1. n. 5. seq. et c. 2. n. 6.

[9] Cap. 52, 13; sequuntur Matth. 11, 25. et Ps. 145, 4. 6.

[10] Vers. 6. et dein v. 19.

[11] Legenda, c. 5. n. 3. seq.

[12] Cap. 12, 35; sequuntur Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 13. n. 1. et Luc. 12, 37.

Sint lumbi vestri praecincti etc.; Gregorius: « Lumbos praecingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus ». Et sequitur ibi, quod Dominus, cum tales invenerit, *praecinget se et faciet illos discumbere*, id est, consolari. Ab hac consolatione omnes immundi excluduntur; unde in Apocalypsi [1]: *Foris canes et venefici et impudici.* — Item, quia fuit *fidelis* per abdicationem terrestrium cupiditatum, iuxta illud Numerorum: *Servus meus Moyses fidelissimus est in omni domo mea. Fidelis* quidem est servus, qui non quaerit humanam laudem; ad Galatas: *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Bernardus [2]: « Fidelis re vera servus es, si de multa gloria Domini, etsi non exeunte ex te, tamen transeunte per te, tuis manibus nihil contigerit adhaerere ». *Fidelior* autem est qui non quaerit carnalem quietem; Matthaeus: *Quis, putas, est fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus suus super familiam suam?* etc. Et sequitur: *Beatus, ille servus, quem, cum venerit Dominus eius, invenerit sic facientem. Dominus* in morte *venit;* ergo ante non est a labore huiusmodi quiescendum. Unde et de Samuele — de quo in libro Regum dicitur: *Cognovit universus Israel a Dan usque Bersabee, quod fidelis Samuel propheta esset Domini* — de ipso in Ecclesiastico [3] dicitur: *Pecunias ut usque ad calceamenta ab omni carne non accepit, et non accusavit illum homo.* — Hoc beatus Franciscus evidenter implevit, qui evangelicae regulae se penitus conformavit, ita ut *nec in zonis aes nec calceamenta in pedibus portaverit*, imitatus in hoc Dominum. Nam, sicut Hieronymus [4] ait, « non potuit habere Dominus quod prohibuit in servis ». Et per huiusmodi fidelitatem assumi meruit ad regium honorem; Matthaeus: *Euge, serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui;* ad quod non assumuntur avari; Apostolus: *Omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hereditatem in regno Christi et Dei.* Unde blasphemant qui temporalia amanda praedicant; Hieronymus [5]: « Turpe est, ante fores sacerdotis Domini crucifixi et pauperis, qui cibo vescebatur alieno, lictores consulum et milites excubare »; *non* enim *est servus maior Domino suo.* — Item, quia *familiaris* per adimpletionem caelestium iussionum; Iob: *Nunquid considerasti servum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, homo simplex et rectus ac timens Deum et recedens a malo?* De hac servitute in libro primo Regum [6] dicitur: *Servite ei soli, et eruet vos. Nemo* enim *potest duobus dominis servire,* scilicet diabolo et Deo, nisi sub pacto tali, quale Naas cum filiis Israel facere volebat, cum dixit: *In hoc feriam vobiscum foedus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros ponamque vos opprobrium in universo Israel;* oculus *dexter*, intentio respiciens aeterna; *sinister,* respiciens terrena. Vult enim diabolus, ut servi sui, etiam si boni quid agant, aeternorum intentionem perdant. — Beatus autem Franciscus oculum dextrum in omni opere habuit; *simplex enim et rectus fuit.* Et quia *simplicem oculum* habuit, *totum corpus* operum suorum *lucidum fuit* [7], et per huiusmodi familiarem servitutem assumi meruit ad *Dei contubernium.* Isaias: *Ecce, servus meus electus, quem elegi, posui super eum spiritum meum.* Ad hoc autem contubernium qui Dei praecepta adimplere renuit (*inutilis* est); Matthaei vigesimo quinto [8]: *Servum inutilem proicite in tenebras exteriores.* — Sic igitur beatus Franciscus fuit servus Domino acceptabilis, quia *humilis, viribus, fidelis, familiaris,* contra vanitatem sublimitatum, carnalitatem voluptatum, terrenitatem cupiditatum, pertinaciam malignitatum.

De tertia.

S. Franciscus.

De quarta.

II. Sequitur de secundo: *ponam te quasi signaculum*, ubi commendatur a *signaculo spectabilis sanctitatis*, quod multum patuit per impressa sibi stigmata passionis. Notandum ergo, quod ipse fuit signaculum *reformatum* per gemitum compunctionis; Iob [9]: *Restituetur ut lutum signaculum et stabit sicut vestimentum.* Angelus, qui signaculum Dei fuit, non est reparabilis, quia poenitere non potest, sed homo; et dicit *ut lutum signaculum*, quod fit ex aqua contritionis et pulvere humilitatis, et talis *stabit ut vestimentum*, quod indutum corpori stat et non per se. Huiusmodi fuit Franciscus *signaculum restitutum* ut lutum per contritionem, et *stabat sicut vestimentum*, scilicet Spiritus sancti. — Item, *transformatum* per incendium dilectionis; in Canticis [10]: *Pone me ut signaculum super cor tuum;* Hugo a S. Victore: « Sentio, anima mea, quod ea vis est amoris, quod in eius quem diligis, similitudinem transformaris ». — Item, *expressum* per exemplum perfectae virtutis, secundum illud Apostoli ad Romanos [11]: *Signum accepit circumcisionis signaculum iustitiae fidei*, non quidem circumcisionem corporalem, sed spiritualem. — Item, *expressivum* per zelum supernae salutis, secundum illud Apocalypsis [12]: *Vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi.* Hoc quidem signum est zelus humanae salutis; unde in Ezechiele: *Signa thau super frontes virorum gementium et dolentium super*

Pars II. De signaculo sanctitatis quadruplici

Signaculum reformatum

Item, transformatum.

Item, expressum

Item, expressivum.

---

[1] Cap. 22, 15; sequuntur Num. 12, 7. et Gal. 1, 10.

[2] Serm. 13. in Cant. n. 3; sequuntur Matth. 24, 45. seq. et 1. Reg. 3, 20.

[3] Cap. 46, 22; sequuntur Marc. 6, 8. et Matth. 10, 9.

[4] Epist. 22. ad Eustoch. n. 19; sequuntur Matth. 25, 21. et Eph. 5, 5.

[5] Epist. 52. (alias 2.) ad Nepotianum n. 11; sequuntur Ioan. 13, 16. et Iob 1, 8.

[6] Cap. 7, 3; sequuntur Matth. 6, 24. et 1. Reg. 11, 2.

[7] Matth. 6, 22; sequitur Isai. 42, 1. (Matth. 12, 18.).

[8] Vers. 30.

[9] Cap. 38, 14.

[10] Cap. 8, 6. — Sequitur Hugo a S. Vict., de Arrha animae.

[11] Cap. 4, 11.

[12] Cap. 7, 2; sequitur Ezech. 9, 4. et respicitur Exod. 12, 29.

cunctis abominationibus etc. Hinc etiam est, quod in Aegypto *percussit* eos qui hoc signo caruerunt. — Sic igitur fuit signaculum *reformatum, transformatum, expressum, expressivum.*

Pa III. De privilegio electionis.

III. Sequitur de tertio: *quia ego elegi te*, ubi commendatur a *privilegio caelestis electionis;* et notandum hic, quod, licet non sit assignare causam divinae electionis nisi ipsius voluntatem, qui dicit [1]: *Miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit;* tamen est reperire huiusmodi electionis *signa*, quae potissime sunt septem, scilicet *reverentia divini nominis;* Ecclesiastici primo [2]: *Initium sapientiae, timor Domini, et cum fidelibus in vulva concreatus est, cum electis feminis*, id est animabus, *graditur, et cum iustis et fidelibus agnoscitur.* Huic etiam sententiae praemittit: *Timenti Dominum bene erit in extremis, et in die defunctionis suae benedicetur.* Econtra dicitur ibidem: *Qui sine timore est non poterit iustificari; iracundia enim animositatis illius subversio illius est.* Unde tota sacra Scriptura ad hoc nititur, ut timor Domini in homine generetur; Ecclesiastes [3]: *Deum time et mandata eius observa; hoc est enim omnis homo.* — Item, *amor sanctimoniae corporalis;* ad Ephesios: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate;* Petrus: *Vos* estis *genus electum, regale sacerdotium, gens sancta* etc. — Item, *dulcor ingenitae miserationis;* Apostolus [4]: *Induite vos sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiae;* et quod hoc signum electionis (sit), idem ostendit ad Timotheum: *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitae eius, quae nunc est, et futurae.* Iob: *Ab infantia mea crevit mecum misericordia et de utero matris meae egressa est mecum.* Econtra Ecclesiasticus [5]: *Cor durum male habebit in novissimo.* Bernardus: « Si vis scire, quid est *cor durum*, interroga Pharaonem ». — *Complacentia voluntariae paupertatis;* et hoc sive assumtae, sive inflictae; Isaias [6]: *Elegi te in camino paupertatis;* Iacobus: *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide et heredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se? Beati, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum.* — Item, *humilitas devotae mentis;* primae ad Corinthios primo [7]: *Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, sed quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia* etc. Hoc etiam fuit signum electionis in David, qui *dixit ad Michol: Ante Dominum, qui elegit me potius quam patrem tuum, et ludam et vilior fiam plus, quam factus sum, et ero humilis in oculis meis* etc. Econtra, Lucas: *Quod hominibus altum est abominatio est ante Deum.* — Item, *lenitas innatae man-* Sextum. *suetudinis;* Ecclesiasticus [8]: *In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum et elegit eum ex omni carne.* Econtra est in Proverbiis: *Sex sunt, quae odit Dominus, et septimum detestatur anima eius: eum qui seminat inter fratres discordias.* — Item, *assistentia supernae benignitatis;* Sapientia: *Respectus* Septimum. eius *in electos illius. Respectus* enim Dei est providentiae eius assistentia; Ioannes [9]: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos et posui vos* etc.

Quia ergo haec septem in beato Francisco erant evidenter, eum electum ostendebant.

Sermo II [10].

Ecce, servus meus, suscipiam eum, electus meus, complacuit sibi in illo anima mea, dedi Spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferet, Isaiae quadragesimo secundo [11].

(Prothema). *Quis, putas, est fidelis servus et* Prothema. *prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore?* Verba ultima sunt in Matthaeo, in quibus explicatur nobis, quod difficile est invenire hominem idoneum ad pronuntiandum verbum Dei, pro eo quod huiusmodi hominem oportet esse *fidelem* et *prudentem. Quis, putas, est fidelis?* Salomon dicit [12]: *Multi homines misericordes vocantur; virum autem fidelem quis inveniet?* Ille *fidelis* est, qui in omnibus, quae agit, non quaerit nisi gloriam Dei, nihil commodi proprii, nihil laudis, nihil favoris, sed solum gloriam Dei et salutem animarum; difficile igitur est *invenire virum fidelem.* Sed cum hoc difficile est invenire virum *prudentem. Prudens* est qui *cibum dat in tempore;* alius Evangelista dicit: *Qui dat in tempore tritici mensuram.* Prudenter mensurare verbum divinum secundum capacitatem auditorum, ut nec *minus* alte nec abbreviate loquatur, nec nimis alte nec *nimis* infime, hoc est magnum. Quis facit hoc? Si homo facit semel, deficit pluries. Fateor, quod quando considero modum, quem tenere debet praedicator in praedicando, sum senex (?) et video, quod modicam habeo idoneitatem. Deus est, qui loquitur. Homo credit aliquando bene dicere et cogitavit multa bona; nihil

---

[1] Exod. 33, 19; cfr. Rom. 9, 15.

[2] Vers. 16. et dein v. 43. et 28.

[3] Cap. 12, 13; sequuntur Eph. 1, 4. et 1. Petr. 2, 9.

[4] Col. 3, 12; sequuntur 1. Tim. 4, 8. (pro *utilis est* in cod. legitur *valet*, qua lectione Bonaventura communiter utitur), et Iob 31, 18.

[5] Cap. 3, 27; sequitur Bernard., l. de Consid. c. 2. n. 3, ubi alluditur ad Exod. 7, 13. 21. et passim.

[6] Cap. 48, 10; sequuntur Iac. 2, 5. et Matth. 5, 3.

[7] Vers. 26. seq.; sequuntur II. Reg. 6, 21. seq. et Luc. 16, 15.

[8] Cap. 45, 4; sequuntur Prov. 6, 16. 19. et Sap. 4, 15.

[9] Cap. 15, 16.

[10] Ex codice Trecensi n. 951. fol. 55 r., ubi inscribitur *Sermo Bonaventure in festo S. Francisci;* valde contracte habetur etiam in cod. Berolinensi N, omissa Collatione.

[11] Vers. 1. — Prothema habetur Matth. 24, 45.

[12] Prov. 20, 6; sequitur Luc. 12, 42.

dicet quandoque; *hominis est animam praeparare, et Domini* est *gubernare linguam* [1]; si nimis tepide loquor, timeo, ne irascatur mihi Deus; si abundanter velim explicare laudes beati Francisci, credent aliqui, quod laudando eum velim laudare me ipsum. Difficile est mihi loqui de materia ista. Intendo vobis describere hominem spiritualem et perfectum, et quilibet studeat ipsum imitari; et servato stilo veritatis, intendo exemplificare de beato Francisco. In principio rogabimus Dominum, ut ipse etc.

Ecce, servus meus etc.

Secundum principalem intelligentiam verba ista
Sermo. dicuntur de Domino nostro Iesu Christo; sed quae capitis sunt transferuntur ad membra propter assimilationem et connexionem; ideo secundum convenientem intelligentiam dicuntur de quolibet viro iusto et perfecto, et secundum quandam praerogativam explicatur haec eximia et perfecta sanctitas, quae fuit in beato Francisco et quantum ad perfectae sanctitatis *radicem* et sanctitatis *celsitudinem* et quantum ad sanctitatis perfectae *diffusionem*. Perfectae sanctitatis *radix* consistit in *humilitate profunda; celsitudo* sanctitatis consistit in *virtute probata;* sed *diffusio* sanctitatis perfectae consistit in *caritate plenaria*. Profunda humilitas est, per quam homo suscipitur a Deo; in virtute probata ei complacemus; sed in caritate plenaria ad Deum erigimur et ad proximum inclinamur. Propter hoc in verbis istis beatus Fran-
Divisio. ciscus commendatur ab *humilitate profunda*, per quam a Domino susceptus est; et hoc notatur, cum dicit: *Ecce, servus meus, suscipiam eum;* secundo a *virtute probata* commendatur, per quam Domino complacuit, cum dicit: *electus meus, in quo sibi complacuit anima mea;* tertio commendatur a *caritate plenaria*, per quam in Deum (se) erexit et in proximum se dilatavit, cum dicit: *dedi Spiritum meum super eum* etc. Quis est iste perfectus Sanctus? Audite: ille qui habet in se profundam humilitatem, (probatam) virtutem et caritatem plenariam. Sanctitatis radix in humilitate incipit, in virtute probata proficit et in caritate plenaria consummatur. Humilitas facit, quod a Deo suscipimur; virtus facit, quod ei complacemus; sed caritas plenaria facit, quod in Deum totaliter excedamus et aliis communicemus quod habemus.

I. Primo, dico, beatus Franciscus commendatur
Pars I. De humilitate profunda. hic ab *humilitate profunda* ab ore Dei, cum dicit: *Ecce, servus meus, suscipiam eum.* Convenit ei quod dicit Dominus [2]: *In illa die assumam te, Zorobabel, serve meus, et ponam te quasi signaculum, quia te elegi. — Ponam te quasi signaculum,* scilicet in signis et stigmatibus impressis tibi verbo Omnipotentis. Dicit: *et ponam te quasi signaculum.* Et
Subdivisio. quare? *Quia servus meus es: humilis*, pro reverentia Dei; *humilior*, in supportatione proximi; et *humillimus*, pro contemptu sui. Admiror humilitatem beati Francisci super omnes virtutes suas.

Fuit Fr
scus bu
pra reve
tia De

Primo, dico, fuit servus Dei *humilis* pro *reverentia Dei;* unde convenit ei quod dicit Dominus in Iob [3]: *Nunquid considerasti servum meum Iob*, quia est *vir simplex et rectus ac timens Deum et recedens a malo? — Servum* vocat eum propter humilitatem; quia est *simplex* in intentione mentis; *timens Deum*, in affectione; *et recedens a malo*, in operatione divina, *servus* fuit computatus et *cultor Dei* magnificus; in omnibus, quae egit vel sustinuit, Deum laudavit. *Nati sunt ei septem filii et tres filiae. Iob* interpretatur dolens, et bene significat beatum Fran- S. Fran
scus.
ciscum, quia vita eius plena dolore fuit; semper fuit in lacrymis, deflens peccata propria vel aliena. Si respiciamus primam eius genituram, primo habuit Notand
de 7 fili
fratrib
septem fratres, et ipse fuit octavus, et Domino imperante, divisit eos in quatuor partes mundi et misit eos binos et binos. Et secundum suum desiderium Dominus reduxit eos simul. — Habuit etiam *tres filias,* Tres fili
quia in principio conversionis suae tres ecclesias fundavit: unam in honorem sanctorum Cosmae et Damiani; aliam aedificavit Apostolo Petro; tertiam beatae Virgini, et in ista tertia Dominus revelavit ei vitam, quam ducere debebat. Et tres Religiones instituit: prima Religio fuit Ordo Fratrum Minorum; secunda, Ordo Sororum beatae Clarae, quae primo dicebantur pauperes Dominae sanctorum Cosmae et Damiani, modo, postquam beata Clara est canonizata, dicuntur Sorores beatae Clarae. Et instituit tertium Ordinem, qui vocatur Ordo poenitentium, qui dicuntur fratres continentes. Istas Religiones quasi tres filias instituit, et ordinantur ad cultum Dei. Fuit igitur beatus Franciscus *cultor Dei* et *servus humilis;* unde potuit dicere cum Psalmista [4]: *O Domine, quia ego servus tuus, ego servus tuus et filius ancillae tuae.* In istis debemus imitari beatum Franciscum et esse cultores Dei reverentes. — Timeamus illum *qui potestatem habet corpus et animam mittendi in gehennam ignis*, et colamus et obsequamur illum; aliter conqueretur de nobis, dicens [5]: *Si Pater ego sum, ubi est honor meus, et si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* Et similiter dicet illud Iob: *Servum meum vocavi, et non respondit* mihi. *Vocat* nos Dominus per internam inspirationem, per praedicationem, per flagella, per beneficia et perfectorum exempla; et nos nihil facimus; tamen scribitur in Luca: *Servus, sciens voluntatem Domini sui et non faciens, vapulabit multis.* Fuit igitur servus Dei humilis pro reverentia Dei. Hortatio

Secundo, fuit servus Dei *humilior* pro *suppor-* Item, hu
lior pro
portatio
proxim
tatione proximi; Apostolus, primae ad Corinthios nono [6]: *Cum liber essem ex omnibus, omnium me*

[1] Prov. 16, 1.
[2] Aggaei 2, 24.
[3] Cap. 1, 8. et dein v. 2.
[4] Psalm. 115, 6; sequuntur Matth. 10, 28. et c. 18, 9.
[5] Malach. 1, 6; sequuntur Iob 19, 16. et Luc. 12, 47.
[6] Vers. 19.

servum feci. Sanctus Pater Franciscus omnibus omnia et servum omnium se fecit, etiam despicabilium personarum servus esse voluit, in via cuilibet Fratri obedientiam promittebat; quando fuit saecularis, leprosos maxime abhorrebat, post conversionem suam obsequio leprosorum se deputavit, lavando pedes eorum et ligando eorum ulcera et plagas, putredinem et saniem educendo et pedes osculando; ut supportando proximum se contemptibilem redderet et gratiam a Deo impetraret. Apostolus ad Galatas [1] dicit: *Vos in libertatem vocati estis, fratres, tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per caritatem Spiritus servite invicem;* talis debet esse libertas nostra. — Dicet aliquis: verum est, quod debemus servire invicem, sed non oportet servire leprosis. Hoc servitium non despexit Deus, qui inclinavit se ad lavandum pedes lutosos discipulorum et dixit [2]: *Vos vocatis me Magister et Domine, et bene dicitis; sum etenim. Si ergo ego, Magister et Dominus, lavi pedes vestros, et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis. Amen, amen, dico vobis, non est servus maior Domino suo, neque Apostolus maior est eo qui misit illum.* Dicit ibi Augustinus: « Faciamus invicem humiles quod humiliter fecit Excelsus. Magna est haec commendatio humilitatis, et faciunt sibi hoc invicem fratres, etiam opere visibili, et si non opere, faciunt tamen corde, multoque melius est, ut etiam manibus faciant, ne quod fecit Christus dedignetur facere Christianus. Cum enim ad pedes fratris inclinatur corpus, etiam in corde ipso vel excitatur, vel, si iam inerat, confirmatur humilitatis affectus ».

Gregorius nonus, plenus sapientia, propter familiaritatem, quam habuit cum beato Francisco, factus est eius imitator et in sua camera habuit leprosum, cui serviebat in tunica Fratris. Quadam die dixit ille leprosus: non habet summus Pontifex nisi istum senem, qui mihi ministret? Nimis fatigatur. Bonum est servire proximo; propter hoc Apostolus [3]: *Castigo corpus meum et in servitutem redigo. Bonum est viro, cum portaverit iugum ab adolescentia sua.*

Beatus Franciscus fuit *humilis* pro *reverentia Dei, humilior* pro *supportatione proximi*, tertio fuit *humillimus* pro *contemptu sui*, ut sequeretur illum, de quo dicitur ad Philippenses [4]: *Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens.* In illa *forma* conceptus fuit et potuit dicere: *Adolescens sum ego et contemptus. Vermis et non homo; opprobrium hominum et abiectio plebis.* Docuit Dominus magnificentiam suam in caelo, quam appetentes angeli luciferiani, perierunt, et fecit lucifer secum ruere hominem, qui ad *imaginem* Dei fuit *creatus* [5]. Humilitatem non docuit in caelo, ideo, volens ostendere radicem sapientiae, humiliavit se. Qui vult habere sapientiam Christi, oportet a *radice* sanctitatis incipere, sicut fecit beatus Franciscus. Quando primo fuit conversus, a concivibus suis luto platearum proiiciebatur et nudus venit coram episcopo et omnia temporalia dimisit, postea fuit vir eximiae sanctitatis; per hoc ostenditur, quod pervenit ad culmen sanctitatis et humilitatis. Dicit beatus Bernardus: « Verus humilis vult vilis reputari, non humilis praedicari ». Dicit beatus Gregorius, quod, « sicut superbi de sua exaltatione gloriantur, ita humiles de sui abiectione gaudent ». Unde provenit humilitas? Certe ex radice cordis. — Beatus Pacificus, Frater, qui primus Ordinem Fratrum portavit in Franciam, fuit vir magnae sanctitatis, et cum oraret in ecclesia cum beato Francisco quadam die et soporatus esset, vidit, caelum aperiri et in caelo pulcherrimam cathedram; petiit, cuius esset cathedra, et dictum est ei: cathedram istam amisit lucifer propter superbiam suam et reservatur beato Francisco propter suam humilitatem. Cum esset evigilatus, quaesivit a beato Francisco: « Quid tibi videtur de te »? Respondit beatus Franciscus: « Videtur mihi, quod sum maximus peccator de mundo ». Dixit Pacificus: « Sunt homicidae et latrones et alii mali ». Respondit ei beatus Franciscus: « Non est ita pessimus de mundo, si haberet tot dona gratiae, quin esset devotior me ». Audite mirabile, (quod) inter omnia, quae admirari possumus, unum est de maximis: inter omnes, quos Deus exaltavit in novo et veteri Testamento, nullum exaltavit nisi deiectum et humiliatum. — Tres exaltavit Dominus in veteri Testamento stabiliter; non exaltavit Saul, quia non fuit stabilis, sed exaltavit *Ioseph*, *Moysen* et *David*. Quid legitur de *Ioseph?* Dicit Psalmus [6]: *Misit ante eos virum; venundatus est in servum;* dicitur ibi, quod fuit incarceratus et ligatus ferro et serviebat illis qui erant secum in carcere. Postea Pharao *constituit eum dominum domus suae.* Item, *Moysi*, qui fuit adoptatus in filium filiae Pharaonis, in terra Aegypti non promisit Dominus exaltationem; sed quando exarsit in eum Pharao et fuit in deserto et factus est pecorarius et pastor ovium, tunc Dominus apparuit ei et locutus est ei iudicia sua. Et de *David* quid dicitur vel legitur? Quid dicis tu, David? Dicit David [7]: *Elegit David, servum suum et sustulit eum de gregibus ovium, de post fetantes accepit eum, pascere Iacob, servum suum, et Israel,*

Notandum.

Franciscus.

Notabile factum de P. Francisco.

De trium humiliom exaltatioue.

[1] Cap. 5, 13.
[2] Ioan. 13, 13-16. — Sequitur August., in Ioan. Evang. tr. 58. n. 4. [3] Epist. I. Cor. 9, 27; sequitur Thren. 3, 27.
[4] Cap. 2, 7; sequuntur Ps. 118, 141. et Ps. 21, 6.
[5] Respicitur Gen. 4, 27. — Duo sequentes loci sunt Bernard., serm. 16. in Cant. n. 10. et Gregor., I. Dialog. c. 5.
[6] Psalm. 104, 17. seqq.; de Moyse v. 26. seqq.; cfr. Exod. 2, 9. seqq. et c. 3, 2. seqq.
[7] Psalm. 77, 70. seq. — Duo sequentes loci sunt Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 7. n. 4, et infra Auctor libri de Similitudin. (inter opera Anselmi) c. 100. seqq. Cfr. tamen Anselm., Epist. 73.

hereditatem suam; sicut etiam in nomine tuo omnes (se) humiliabant; quia Christus magis appretiatur humiles. — Sed si quis haberet lapidem pretiosum, et quanto lapis ille magis despiceretur, tanto pretiosior redderetur; libenter eum ostenderet illi qui eum vituperaret. Virtus animi crescit in vituperio; magna igitur fatuitas est velle laudari. Voluerunt Sancti despici ab hominibus, ut placerent Deo. Dicit Gregorius: « Si sancti viri, etiam cum magna faciunt, de semetipsis vilia sentiunt; quid in sua excusatione dicturi sunt qui sine opere virtutis intumescunt »? — Anselmus dicit, quod sunt sex gradus humilitatis, et qui potest pervenire ad sextum gradum habet plenitudinem gratiarum. Primus gradus humilitatis est se ipsum contemptibilem reputare; secundus est se ipsum contemptibilem dicere; tertius est se ipsum contemptibilem persuadere; quartus gradus est, quod velit contemptibilis credi; quintus, quod velit contemptibilis dici; sextus autem est, quod velit tanquam contemptibilis contrectari, et tunc est proximus Deo et servus humilis. « Quantum homo est coram Deo, tantum est, et nihil plus [1] », et quantum Deus reputat eum, tantum valet. Mirum est, quod volunt homines placere hominibus, ex quorum complacentia non est homo melior, et non curant complacere illi, cuius complacentia est perfectio virtutum. Sic igitur beatus Franciscus commendatur primo a profunda humilitate.

Ratio motiva.

Gradus 6 humilitatis.

Et propter humilitatem *susceptus* est ad misericordiam triplicem; Psalmus [2]: *Suscipe servum tuum in bonum, non calumnientur me superbi. Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam.* Iste servus Dei humilis, quia fuit adeo humilis per contemptum sui, ideo susceptus est ad misericordiam *condonantem;* et quia fuit supportator proximi sui, susceptus est ad misericordiam *protegentem;* et tertio, quia fuit venerator Dei, ideo susceptus est ad misericordiam *liberantem* et *exaltantem*. — Primo, dico, beatus Franciscus fuit *contemptor sui;* ideo susceptus est ad *misericordiam condonantem*. Dicitur in cantico beatae Virginis [3]: *Deposuit potentes de sede et exaltavit humiles. Suscepit Israel, puerum suum, recordatus misericordiae suae. Israel* sive Iacob luctatus est cum Angelo, factus est claudicans, *susceptus est* ad misericordiam, ut de genere eius susciperetur Dei Filius, per quem condonarentur peccata; sed oportet, prius *marcescere nervum* [4], id est mortificare carnem. Unde in Daniele dixerunt tres pueri: *Non est locus primitiarum;* sequitur: *In animo contrito et spiritu humilitatis suscipiamur* a Domino. Si vis suscipi ad misericordiam *condonantem*, oportet, te luctari cum Angelo in oratione, ut marcescat concupiscentia; et tunc poteris offerre sacrificium cordis contriti. Inflammatur enim hic animus hominis ex concupiscentia et ex sensibilibus exterioribus, ac si totus esset in fornace; sed si descendat Angelus in fornacem et illabatur mentibus nostris per gratiam, et homo humiliet se et incipiat mortificare carnem suam et placere Deo; *faciet medium fornacis quasi ventum roris flantem*, et tunc in venis non sentit carnis pruritum, vel si sentit, non laeditur ipso. — Beatus Franciscus non cessavit a lacrymis, quando conversus fuit, usque dum Dominus apparuit ei et dixit, quod *dimissa essent ei peccata multa* [5] *usque ad ultimum quadrantem*. Istud ego libentius audirem quam aliquid aliud in mundo; istud audivit (etiam) Magdalena. Sic igitur beatus Franciscus, quia fuit contemptor sui, susceptus est ad misericordiam *condonantem*.

Fructus humilitatis in triplici susceptione ad misericordiam.

Primo, ad misericordiam condonantem.

S. Francisc.

Secundo, misericordiam protegentem

Secundo, quia fuit *supportator proximi*, susceptus est ad *misericordiam protegentem;* unde in Isaia [6]: *Servus meus es tu; elegi te et non abiecti te. Et auxiliatus sum tibi, et suscepit te dextera Iusti mei.* Non est conversus retrorsum, postquam *misit manum ad aratrum, non respexit retro;* electus est et non abiectus. Solum a mortalibus non cavebat sibi, sed etiam a venialibus, in quantum possibilitas humana potuit. *Suscepit te dextera Iusti mei.* Quis est iste Iustus? Dicit Apostolus: *Advocatum habemus* in caelis *apud Patrem Iesum Christum iustum. Dextera Iusti mei,* id est dextera omnipotentiae Dei, quae eum defendit ab omnibus adversantibus ei. Quando corporaliter daemones ipsum affligebant et percutiebant eum, semper recurrebat ad Deum. Potuit dicere illud Psalmi [7]: *In velamento alarum tuarum exsultabo. Adhaesit anima mea post te; me suscepit dextera tua.* Qui vult *protegi,* oportet, quod sit sub *dextera Dei.* — Tertio beatus Franciscus fuit *venerator Dei,* ideo susceptus est ad misericordiam *liberantem;* Psalmus [8]: *Tenuisti manum dexteram meam et in voluntate tua deduxisti me et cum gloria suscepisti me.* Salomon: *Humilem spiritu suscipiet gloria; superbum sequitur humilitas.* Misericordia est, quae liberat, exaltat, honorificat, glorificat; unde dicit Dominus: *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum. Magna* est *potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur* [9].

Tertio, misericordiam liberantem

Qui Deum honorant, illi solum honorantur et glorificantur; sed soli humiles Deum honorant: ideo soli humiles glorificabuntur. Vis igitur sumi ad triplicem misericordiam, esto servus humilis ex contemptu tui, ex supportatione proximi et ex reverentia Dei. Ista est prima pars philosophiae christianae. Dioscorus quaesivit ab Augustino [10], quid principaliter esset philosophia christiana. Respondit Augustinus dicens: « Si quaeras, quid principalius sit in

Conclusio

[1] Verba sunt S. Francisci; cfr. Legenda cit. c. 6. n. 1.
[2] Psalm. 118, 122. 124. [3] Luc. 1, 52. 54.
[4] Respicitur Gen. 32, 24. seq.; sequitur Dan. 3, 49. seqq.
[5] Respicitur Luc. 7, 47. et dein Matth. 5, 26. — De ista certificatione S. Francisco facta cfr. Legenda cit. c. 3. n. 6.
[6] Cap. 41, 9. seq.; sequuntur Luc. 9, 62. et 1. Ioan. 2, 1.
[7] Psalm. 62, 8. seq.
[8] Psalm. 72, 23; sequuntur Prov. 29, 23. et 1. Reg. 2, 30.
[9] Eccli. 3, 21.
[10] Epist. 117. (alias 55.) ad Dioscorum c. 3. n. 22.

rhetorica; respondeo tibi: eloquentia; similiter, si secundo quaesieris, aut tertio, aut si centies quaesieris, semper respondetur tibi: eloquentia. Ita dico tibi ex parte ista; si quaeras: quid est philosophia christiana? respondeo tibi: humilitas; similiter, si bis aut ter aut centies quaesieris, semper dicam tibi: humilitas ». Hoc suadet Evangelium, nec est pagina nec linea in sacra Scriptura, quae non praedicet humilitatem. Si superbimus, cadimus a vera sapientia Prophetarum et Apostolorum. — Patet modo de humilitate beati Francisci profunda.

II. Aliquantulum dicamus de *virtute* eius pro- *bata*, quae notatur, cum dicit: *electus meus, com- placuit sibi in illo anima mea. Electio* significat eminentiam, per quam aliquis superponitur alii; electus fuit beatus Franciscus non solum e malis, immo inter bonos sublimatus est; unde convenit ei illud quod dicitur in Ecclesiastico [1]: *In multitudine electorum habebit laudem et inter benedictos benedicetur.* Beatus Franciscus dicitur *electus* et *probatae virtutis* propter tria: primo, propter Legis et Evangelii *integram observantiam;* secundo, propter fidei christianae *insuperabilem zelum;* tertio, propter Christi crucifixi *superfervidam dilectionem.* — Primo, dico, beatus Franciscus fuit electus propter Legis et Evangelii *integram observantiam;* unde Isaias [2]: *Exoxi te, sed non quasi argentum; elegi te in camino paupertatis.* Paupertas est *caminus* aliquos *consumens* et alios *probans;* est autem *consumens* illos qui cum impatientia et cupiditate ad acquirenda terrena sunt panperes; *nequissima* est *paupertas in ore impii.* Sed voluntaria paupertas, quae habet adiunctam Christi conformitatem et Christi imitationem, illa est *caminus probans electos,* in qua fornace fuerunt pueri; et dicitur ibi: sicut in fornace ignis ardentis inter tres pueros apparuit *similis Filio Dei,* ita apparet in mundo inter panperes. Dicit Dominus [3]: *Qui non renuntiat omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus;* subdit statim: *Et qui non baiulat crucem suam et sequitur me non est me dignus.* Paupertas, quae est cum cruce, est caminus *probans,* et habet coniunctam vitam evangelicam, quae est in asperitate, in integritate, in simplicitate, in humilitate et in omni benignitate. Asperitas exterminat gulam; integritas, luxuriam; humilitas, superbiam; simplicitas, curiositatem; et benignitas, iram. Sic sequitur homo Christum nudum in camino paupertatis. — Si velim esse gulosus, luxuriosus vel superbus, non est iste *caminus* purgans, sed *exterminans.* — Beatus Franciscus fuit aurum electum, quia fuit *in camino paupertatis.* Miserrimi, qui ingrediuntur istum caminum et resiliunt foras; non sunt digni purgari. Carissimi, nobilis est iste *caminus;* fecit Angelus *medium fornacis quasi ventum roris flantem.* Unus Frater, qui vixit cum beato Francisco extra castrum iuxta Senas, ubi est Mons Pulitianus, dixit, quod non invenerunt nisi panem durum; iverunt ante ostium ecclesiae et comederunt panem et biberunt aquam. Postea intraverunt ecclesiam, et (Franciscus) coepit repleri magna exsultatione; per magnam horam stetit in ecclesia, et fatigabatur Frater; postea quaesivit ab eo Frater, quomodo sentiebat de se; et dixit beatus Franciscus, quod postquam conversus fuerat, nunquam tantam iucunditatem sensit. Placet Deo panpertas cum austeritate et integritate et humilitate et simplicitate et benignitate. Et ivit ad beatum Petrum, ut eius fideiussor esset, qui non discedebat a voto suo. Et sicut, quando Deus *pluit filiis Israel manna* [4], cibum *habentem omne delectamentum in se et omnis saporis suavitatem;* sed illi qui *desiderabant pepones et allia* non senserunt illam suavitatem: ita qui desiderat consolationem terrenam amittit caelestem. Deus Iudaeis *produxit aquam de petra* [5]. Qui essent in camino panpertatis in asperitate, in integritate, in humilitate, in simplicitate et in benignitate, illis daret Deus gratiam suam, et essent aurum electum.

Secundo beatus Franciscus fuit electus propter *fidei* christianae *insuperabilem zelum.* De Panlo dicitur [6]: *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus et filiis Israel.* Istum zelum habnit beatus Panlus, quia voluit multiplicare fidem Christi apud Iudaeos, apud Graecos et postea apud Romanos. Et beatus Franciscus propter Christum panper esse voluit et propter zelum fidei *vas electionis* fuit Deo; per universum orbem ivit, ut fides dilataretur. Tribus vicibus voluit ire ultra mare et non potuit propter naufragium, et ivit ad Miramolinum in Hispania et apud Marochium, ubi postea Fratres nostri fuerunt martyrizati. Tertia vice ivit ad Soldanum [7] et praedicavit fidem christianam et desiderabat, quod discerperetur pro fide christiana; et dixit Soldanus: « Adducamus sapientes nostros et disputemus de fide nostra et vestra »; et respondit beatus Franciscus: « Fides nostra est super rationem, et ratio non est efficax nisi credenti, et non possum arguere per sacram Scripturam, quia ipsi non credunt sacrae Scripturae; sed fiat ignis ex silva, et intrabo ignem cum sapientibus vestris, et qui combusti fuerint, illorum lex est mala »; et statim sapientes Soldani recesserunt; et incepit Soldanus subridere et dixit: « Non credo, quod invenirem aliquem, qui intraret vobiscum ignem ». Et dixit beatus Franciscus: « Ego solus volo intrare, et si comburar, imputetur peccatis meis; si non, recipiatur fides nostra christiana ». Et respondit Soldanus: « Non auderem

Factum notabile.

S. Francisci zelus.

---

[1] Cap. 24, 4.

[2] Cap. 48, 10; sequuntur Eccli. 13, 30. et Dan. 3, 92.

[3] Luc. 14, 33. 27. Infra post *subdit statim* lege potius *postquam ante dixerat,* vel aliquid simile.

[4] Psalm. 77, 24; sequuntur Sap. 16, 20. et Num. 11, 5.

[5] Respicitur Num. 20, 8. seqq.

[6] Act. 9, 15.

[7] Cfr. Legenda c. 9. n. 8.

hoc facere, quia timeo, quod mei lapidarent me; sed credo, quod fides vestra bona sit et vera ». Et ex illa hora semper habuit fidem christianam impressam in corde suo.

De tertio. Tertio fuit electus beatus Franciscus propter Christi crucifixi *superfervidam dilectionem*. De sponsa dicitur in Canticis [1]: *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus.* Christus *candidus* fuit in incarnatione propter innocentiam, et *rubicundus* in passione. Beatus Franciscus maximam habuit devotionem ad Christi incarnationem et Christi crucem.

De sacris stigmatibus. Propter amorem Filii Virginis et in vita sua, apparente Seraphim cum senis alis, est transformatus in Christum crucifixum, et habuit clavos magnos nervosos, et erat replicatio clavorum ex parte opposita subtus pedem, et in latere habuit plagam [2]; potuit dicere: *Vulnerasti me.* Niger fuit, et similiter propter poenitentiam; in morte apparuit caro eius candidissima et rubicunda, et rogavit, quod dimitteretur nudus ad spatium unius leucae. Potuit dicere cum Paulo [3]: *Christo confixus sum cruci. Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Fuit igitur electus a Domino. Rogabimus.

Collatio.

Ecce, servus meus etc.

Repetitio. Dicebatur hodie ad commendationem istius sancti viri, quod fuit perfectus et sanctus et commendatur a perfectae sanctitatis *radice* et a sanctitatis *celsitudine* et a perfectae sanctitatis *diffusione*. Perfectae sanctitatis *radix* consistit in *profunda humilitate;* sanctitatis eius *celsitudo* consistit in *probata virtute;* sanctitatis *diffusio* consistit in *plenaria caritate.* In his tribus commendabilis fuit beatus Franciscus; propter profundam eius humilitatem a Domino est *susceptus;* propter virtutem probatam Domino *complacuit;* propter caritatem plenariam *ad proximos se dilatavit.* Et dixi, quod profunda eius *humilitas* commendatur, quia dicit: *Ecce, servus meus, suscipiam eum* etc. Fuit autem servus *humilis* propter *reverentium Dei; humilior,* propter *supportationem proximi,* et *humillimus,* propter *contemptum sui;* et ideo *susceptus* est a Domino ad misericordiam *condonantem;* propter *supportationem proximi* susceptus est ad misericordiam *protegentem;* propter *reverentiam Dei* susceptus est ad misericordiam *liberantem.* Dictum etiam fuit, quod fuit *electus a Domino* tripliciter: primo, propter Legis et Evangelii *integram observantiam;* secundo, propter fidei christianae *insuperabilem zelum;* tertio, propter Christi crucifixi *profundam dilectionem.* Restat modo dicere, quomodo *placuit* et quomodo *protulit spiritum* et *dedit iudicium gentibus.* Rogabimus Dominum, ut illud quod restat, det mihi utiliter dicere et vobis saporare, quod sit ad eius honorem etc.

Ecce, servus meus etc.

Ratio tri divinae placend

Sicut dicebamus, quod profunda *humilitas* est via, quod suscipiamur a Domino, ita probata *virtus* potissime via est, qua complaceamus Deo. Quando Deus dicit animae: *complacuit sibi in te anima mea;* hoc est delectabile animae audire. Voluntas Dei condescensiva complacet sibi ad gubernationem animarum; divinae voluntatis affectus propriissime complacet sibi in Filio, quia in ipso sunt virtutes in summo; probata virtus est, per quam quis placet Domino virtutum. Rex exercitus non complacet sibi nisi in milite vigoroso. — Ut loquamur (de beato Francisco), complacuit beatus Franciscus Deo propter *obedientiae promptitudinem;* secundo, propter *rectitudinis aemulationem;* tertio, propter *devotionis suavitatem.* Inter alia ista tria faciunt, quod Deo placeamus, et si ista sunt in nobis, complacet sibi in nobis Deus. — Primo, dico, placeamus Deo propter *obedientiae promptitudinem;* unde Isaiae sexagesimo secundo [4]: *Non vocaberis ultra Derelicta, et terra tua non vocabitur amplius Desolata; sed vocaberis Voluntas mea in ea, quia complacuit Domino in te.* — Nunquam *terra* nostra derelinquetur a Domino, quia (ipse) recedit ab ea; certe non, sed quia nos recedimus ab eo; et quando Deus dereliquit nos, tunc quasi *terra* nostra *desolatur.* Loquitur Dominus ad animam obedientem, quando dicit: *vocaberis Voluntas mea in ea,* hoc est, quando anima nihil facit, nisi quod Deus acceptat, et quando totaliter subiacet voluntati divinae. Beatus Franciscus vere nitebatur imitari Christum, potuit dicere vere: non derelinquo te, eum qui misit me, sed *facio, quae placita sunt ei* [5], quia si infirmus (sum), et infirmus esse volo. — Complacentiam suam circa beatum Franciscum ostendit Dominus, quia voluit loqui ei non sicut extraneo, sed sicut amico speciali, ut (narratur, quod in ecclesia [6]) sancti Damiani sermone vocali locuta est ei crux. — Dices forte: quis fuit ibi? Quis fuit cum beata Virgine, quando Angelus [7] dixit ei: *Ave, Maria, gratia plena?* Quis fuit cum Zacharia, quando Angelus locutus est ei, qui *stetit a dextris altaris incensi?* — Si essemus prompti ad divina beneplacita facienda, revelaret nobis voluntatem suam; unde Apostolus: *Nolite conformari huic saeculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis, quae sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta.* Deus, qui creator est, sanctificator et beatificator, non vult nisi bonum. — Semel fuit disceptatio apud beatum Franciscum, utrum deberet vacare orationi, vel praedicationi. Per septimanam conferebat de hoc, quia (non)

De prio

S. Fran scus.

Complac tiam su Deus os dit.

Obiectio vitor

De dubi tinea S Francis

[1] Cap. 5, 10.

[2] Cfr. Legenda c. 13. n. 3. Infra post *niger fuit* supple cum Legenda: ex natura. — Sequitur Cant. 4, 9.

[3] Gal. 2, 19. et c. 6, 14.

[4] Vers. 4.

[5] Ioan. 8, 29.

[6] Verba parenthesis supplevimus, pro quibus codex habet *servatur a* et deinde lacunam.

[7] Luc. 1, 28. seq.; sequuntur v. 11. et Rom. 12, 2.

luculenter apparebat ei veritas; et cum notum esset ei, quod deberet praedicationi vacare, praedicavit hominibus et succinctus exivit ad sex milliaria. Invenit agrum plenum avibus, et audierunt eum aves. Obedientissimus Deo fuit; ideo et creaturae ei obediebant: aqua, aër, terra, caelum, et bestiae terrae accurrebant ad eum.

Secundo placuit beatus Franciscus Domino propter *rectitudinis aemulationem*. Scribitur [1], quod *Phinees in bonitate et alacritate animae suae placuit Deo pro Israel,* quando percussit fornicatorem et fornicatricem insimul. Nullum sacrificium acceptius est Deo quam zelus animarum. Propter istum zelum descendit Christus in terram et multa mala perpessus est; et propter istum zelum *Henoch* [2] et *Elias translati sunt in paradisum.* Salvabit iustos Dominus et impios condemnabit [3]. — Propter istum zelum raptus et sublimatus fuit beatus Franciscus. Apparuit visio Fratri Pacifico, et vidit beatum Franciscum transversis ensibus valde fulgentibus in modum crucis signatum, quorum unus a capite usque ad pedes, alius a manibus usque ad pectus. Propter istum zelum meruit rapi, (praedicaturus) in ecclesia (cathedrali [4]); et erant Fratres sui in locello, et distabat ab eo per milliare unum, id est per dimidiam leucam istius terrae, et apparuit Fratribus transfiguratus in curru igneo, et illustrati sunt in tantum Fratres, quod unus vidit quod erat in conscientia alterius. Iste raptus fuit cum Elia, placens factus est Deo et in rectitudine aemulationis placuit Deo. Pauci modo curant de strage, quam facit diabolus; sed beatus Franciscus flebat quotidie pro peccatis suis et alienis.

Tertio complacuit Deo in eo propter *devotionis suavitatem;* Psalmus [5]: *Laudabo nomen Dei* etc.; sequitur: *et placebit Deo super vitulum novellum, cornua producentem et ungulas. Sacrificium,* inquit, *laudis honorificabit me.* — Ita infrenatus [6] fuit beatus Franciscus laude divina, quod, ut dixit socius suus, dicendo horas rapiebatur; et dixit Fratri: « Recede », cum deberet rapi. Quaesivit ab eo Frater: « Nonne melius esset, quod diceres horas primo »? Et respondit ei dicens: « Istam visitationem non possum semper habere, quando volo, quia non est in potestate mea; sed possum, quando volo, incipere horas; et malo illas postmodum incipere quam istam visitationem perdere ». Quando pro aliis orabat, illi sentiebant dulcedinem spiritualem. Obviavit ei quidam abbas [7] Cisterciensis Ordinis. Rogavit eum, quod pro eo oraret; et cum oraret, (ille) tantam dulcedinem sensit, quod nunquam antea tantam senserat. Commendatur igitur beatus Franciscus ab humilitate profunda et a virtute probata.

III. Tertio commendatur a *caritate plenaria,* cum dicitur: *Spiritum meum dedi super eum, iudicium gentibus proferet.* Apostolus ad Romanos [8] dicit: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Spiritus sanctus datur,* quando caritas datur. Posuit Dominus in eo *Spiritum* suum et postea *dedit iudicium;* unde in Evangelio: *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Dicit, quod *dedit super eum Spiritum* suum. Quem Spiritum? Qui alios posset docere, id est, dedit ei spiritum hierarchicum. Scribitur: *Spiritus eius ornavit caelos.* Gregorius [9]: « Ornamenta caelorum sunt virtutes praedicantium ». Dico, quod *dedit ei spiritum purgativum, illuminativum* et *perfectivum* [10], quia Spiritus Domini primo ipsum *purgavit,* secundo ipsum *illuminavit,* tertio ipsum *perfecit.* — Primo dedit ei Dominus spiritum *purgativum,* de quo in Ezechiele [11]: *Spiritus quoque levavit me; et abii amarus in indignatione spiritus mei; manus enim Domini erat mecum, confortans me.* — Spiritus noster est purificatus, quando ab amore terrenorum est sequestratus; sicut lux aërem reddit puriorem, ita anima, quando unitur Deo aeterno, pura efficitur, et quando unitur creaturae per amorem, fit ei similis. Dicit: *levavit me;* scribitur in Iob: *Suspendium elegit anima mea.* Et quando anima elevatur ad Deum, tunc necesse est, quod in ea sit *amaritudo,* et quod abominetur creaturam praesentem. Unde dixit rex Ezechias: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae.* — Iste spiritus purgativus, confortativus et elevativus elevavit beatum Franciscum; quando ivit Romam, stabat elevatus in aëre a terra, et vidit sacerdos quidam, quod elevatus erat a terra ad spatium unius dolii; et etiam Fratres viderunt eum frequenter elevatum a terra. Istud facit summa puritas. Angeli levabant eum in aërem, et etiam, ut legitur [12], Angeli levabant Magdalenam, quando orabat. Istud nulli conceditur nisi homini elevato.

Secundo dedit illi Dominus spiritum *illuminativum;* unde convenit ei quod dicitur in Ecclesiastico [13]: *In medio Ecclesiae aperiet os eius et adimplebit illum spiritu sapientiae et intellectus.* — Litteras non scivit nec instructorem habuit; tamen praedicavit nec verbum unum reprehensibile dixit; similiter Antonius. Apostoli litteras non addidiscerant, pleni

Pars III. De caritate plenaria.

Spiritus hierarchicus triplex.

Spiritus purgativus.

S. Franciscus.

Spiritus illuminativus.

S. Franciscus.

---

[1] Eccli. 45, 28. seq. et dein respicitur Num. 25, 8.

[2] Vide Eccli. 44, 16. et IV. Reg. 2, 11.

[3] Respicitur III. Reg. 8, 32. — De visione Fr. Pacifici cfr. Bonav., Legenda S. Francisci, c. 13. n. 13.

[4] Adest lacuna in codice; ex Legenda S. Bonav., c. 4. n. 4. adiunximus etiam *praedicaturus,* ut sensus sit congruus.

[5] Psalm. 68, 31. seq.; sequitur Ps. 49, 23.

[6] Cfr. Forcellini, Lexicon etc.: *Infrenatus,* non frenatus.

[7] Vide Legendam S. Bonav., c. 10. n. 5.

[8] Cap. 5, 5; sequuntur Matth. 10, 20. et Iob 26, 13.

[9] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 30. n. 7.

[10] Cfr. Dionys., de Caelesti Hierarchia, § 2. et alibi. Cfr. Bonav., tom. II. pag. 127, nota 2.

[11] Cap. 3, 14; sequuntur Iob 7, 15. et Isai. 38, 15.

[12] Surius in vita B. Mar. Magdal. secund. Silvestr. Prierat. § 10.

[13] Cap. 15, 5.

tamen sapientia fuerunt et praedicaverunt et alios instruxerunt. Beatus Franciscus sermonem fabricaverat ex consilio domini Papae Gregorii, quem debebat praedicare coram Honorio; et cum debebat praedicare, nihil scivit; et tunc dixit: « Fabricaverat mihi quidam, scilicet Gregorius nonus Papa, sermonem subtilem, quem volui vobis praedicare, et modo totum sum oblitus. Exspectate, et rogabo Dominum, ut det mihi aliquid dicere »; et cum orasset, optime praedicavit. *Super senes intellexit* [1]; magnus fuit, de creaturis et de simplicitate aeternitatis recte respondebat. Non habuit potestatem alligatam; totus illuminatus fuit; arcana revelabat et absentibus apparuit. Habuit spiritum illuminativum. Si volumus istum radium sapientiae suscipere, non sistamus circa sensibilia.

Spiritus perfectivus.

Tertio dedit ei Dominus spiritum *perfectivum*, qui solidum facit hominem et inconcussum, perficit hominem et facit eum plenum. De isto spiritu dicitur in Ecclesiastico [2]: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, et hereditas mea super mel et favum.* Implevit eum Dominus spiritu isto et dedit ei saporem et cibum solidum; *perfectorum cibus solidus est.* Iste spiritus facit condescendere ad ea quae sunt perfectae virtutis. « Caritas meretur augeri, ut ancla perficiatur [3] », et dicebat cum Apostolo: *Cupio dissolvi et esse cum Christo.* De isto spiritu dicitur in Psalmo: *Redde mihi laetitium salutaris tui et spiritu principali confirma me.* Et Apostolis dictum est [4]: *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos.*

S. Francisc. protulit iudicia.

Modo, quando istum triplicem spiritum habuit, tunc *protulit iudicia:* primo, per *exemplaritatem* deiformium virtutum; secundo, per *infallibilitatem* propheticarum revelationum; tertio, per *arduitatem* sublimium prodigiorum.

De primis.

Primo, dico, protulit iudicia per *exemplaritatem deiformium virtutum;* quando homo ita exhibet se, quod nihil reprehensibile, nihil iracundiae, nihil dolositatis est in eo; tunc credit homo, quod sit iustus et quod sit angelus Dei. *Non salvat impios* Dominus *et iudicium pauperibus tribuit* [5]. *Iudicium Dei*, indiciale mandatum. Beatus Franciscus praedicavit divina praecepta, divina promissa, divina indicia. Dicit: *iudicium pauperibus tribuit;* unde dixit Dominus Apostolis: *Amen, dico vobis, quod vos, qui reliquistis omnia et secuti estis me, sedebitis et vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.* Scribitur: *Iudicia profert* omnis homo (?). De praelato dicitur: *Speculatorem dedi te* [6]. Deberes sic vivere, quod vita tua praedicet omnibus. « Bene loqui et male vivere est se lingua sua condemnare ». « Qui male vivunt et praedicant bene, Deum instruunt, qualiter debeat eos condemnare ». Legitur [7], quod *Angelus*, qui venit *ab ortu solis, signavit* ab omni tribu *servos Dei* Israel. Illi sunt signati, qui sunt sursum in conformi vita Christi.

De secundis.

Secundo protulit beatus Franciscus iudicia per *infallibilitatem propheticarum revelationum.* Quidam [8] fuit impudicus, gulosus, incurvatus; rogaverunt homines beatum Franciscum, quod ipsum visitaret; et dixit: « Faciam libenter, quia rogatis me; sed sciat, *si ad vomitum redierit*, deterius erit ei ». Tetigit eum, et sonuerunt ossa sua, et qui curvus fuit prius stetit rectus super ossa. Postea per aliquod tempus ille incepit oblivisci eorum quae beatus Franciscus ei dixerat, *et rediit ad vomitum.* Quadam die comedit cum canonicis, cecidit domus, et omnes evaserunt praeter ipsum.

De tertiis

Ultimo protulit iudicia per *arduitatem miraculorum;* Apostoli potentes fuerunt in miraculis; *in vita sua monstra faciebant et in morte mirabilia operati sunt* [9]. Similiter beatus Franciscus fecit in vita sua et post vitam miracula.

Repetitio.

Recolatis, quomodo beatus Franciscus assecutus est humilitatem profundam, virtutem probatam et caritatem plenariam, ut sic pervenire possitis ad gloriam aeternam; ad quam nos perducat qui cum Patre etc. [10]

Sermo III [11].

Creavit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam, Genesis primo [12].

Introducti loco praehabito.

In primis, antequam prosequar verba proposita, volo respondere cuidam quaestioni cuiusdam admirationis, quam possent facere aliqui, et forte multi vestrum faciunt in cordibus suis. Illa quaestio est, quam fecerunt Angeli, Domino ascendente in caelum: *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* Isaiae sexagesimo tertio [13]. Ita dicunt multi, vel possunt dicere de me: quis est iste qui venit de terra longinqua, quia *Edom* interpretatur longinqua; qui ausus est loqui in praesentia tot magnorum et praelatorum, inter tot sanctos, sapientes et gnaros? — Ad hanc quaestionem possum ego respondere, quod duo moverunt me et induxerunt ad proponenda aliqua verba inter vos tales et tantos, licet insufficiens in scientia et indignus in vita. Unum enim, quod movet me et induxit ad hoc, fuit praeceptum

[1] Psalm. 118, 100.
[2] Cap. 24, 26. seq.; sequitur Hebr. 5, 14.
[3] August., Epist. 186. (alias 106.) c. 3. n. 10. et in 1. Epist. Ioan. tr. 5. n. 4; sequuntur Phil. 1, 23. et Ps. 50, 13.
[4] Act. 1, 8.
[5] Iob 36, 6; sequitur Matth. 19, 28.
[6] Ezech. 3, 17. — Duo sequentes loci sunt Gregor., XV. Moral. c. 14. n. 17. et Chrysost., homil. 43. in Matth. (Opus imperf.).
[7] Apoc. 7, 2. seq.
[8] Legenda cit., c. 8. n. 5, ubi respicitur Prov. 26, 11.
[9] Eccli. 48, 15.
[10] Praecedens sermo est valde imperfecte *reportatus.*
[11] Ex biblioth. Vaticanae cod. n. 1265. pag. 11. — De eodem themate in pluribus codd., ut Parisiensi Nationali n. 18188. fol. 119 v., habetur sermo de S. Francisco. — Manifeste patet, ab aliena manu sermonem esse reportatum.
[12] Vers. 27. 26.
[13] Vers. 1.

domini Papae sive obedientia, quia placuit summo Pontifici, cui est obediendum et in nullo resistendum, quod aliqua verba dicerem inter vos, quae vobis dicam in fine sermonis mei. Et hoc est unum, quod induxit me, licet indignum et insufficientem ad proponendum aliqua verba inter vos. Alind est praesumtio cuiusdam specialis amoris, quem ego habeo ad beatum Franciscum, quia habui eum propitium mihi in meis necessitatibus; et ista praesumtio amoris induxit me ad hoc, ut aliqua dicerem inter vos in festo beati Francisci. Ista fecerunt, ut securus accederem et proponerem aliqua verba. Quare etiam vos in principio rogabitis ipsum, quod dignetur rogare pro me Dominum Iesum Christum, qui *facit mutos loqui* [1] et *linguas infantium*, hoc est minus peritorum et provectorum, *fecit disertas*, ut det mihi proponere verbum suum ad suum honorem et beati Francisci commendationem et ad nostrarum animarum aedificationem (et) consolationem.

Creavit Deus hominem etc., in principio Genesis.

Et debetis scire, quod duplex est creatio: quaedam in *esse naturae*, quaedam in *esse gratiae*. Prima creatio dat *esse* naturae; secunda, *esse* gratiae. De prima dicit Ecclesiasticus [2]: *Deus creavit de terra hominem*, scilicet ut esset; de secunda creatione, Psalmus: *Emittes Spiritum tuum, et creabuntur*, scilicet in *esse* gratiae, ut sint boni. Primus modus essendi intelligitur de Adam; secundus, de beato Francisco et aliis Sanctis, qui per gratiam instituti sunt et a Deo vocati et magnificati. Et dicuntur duo de beato Francisco, videlicet (quod creatus est) *ad imaginem*, videlicet Divinitatis, *et ad similitudinem*, humanitatis.

I. Dico, quod primo creatus est *ad imaginem* Divinitatis per quandam conformitatem, quam habuit cum Divinitate, quae consistit in tribus personis. — Conformitatem enim habuit *cum Patre* sive cum persona Patris *in potentia;* quia Patri appropriatur potentia, quae consistit in dnobus, videlicet in *praesidendo* et *operando*. Habet enim Pater potentiam in praesidendo, quia ipse est *Rex regum et Dominus dominantium* [3]. Item, habet potentiam in operando, quia ipse est Creator omnium omnipotens. *Omnia* enim, *quaecumque voluit, fecit* et facere potest. Potentiae Patris in *operando* conformitatem habuit beatus Franciscus, quia multa mirabilia operatus est. Ipse enim leprosos mundavit, mortuos suscitavit, aegros sanavit, linguam mutis restituit. Item, potentiam habuit in *praesidendo*, quia non solum *praefuit* hominibus, sed etiam *piscibus maris, volatilibus caeli et bestiis terrae* [4]. — Legitur enim de ipso, quod cum ipse semel iret a civitate in civitatem et transiret per quoddam nemus, *cervi* fugiebant ante ipsum et socium suum. Cuidam autem illorum dixit: Quare fugis? sta; et ipse ad imperium eius stetit, et tunc ipse venit et posuit manus suas super humeros eius et dixit: « Vade, lauda Deum ». Similiter volatilia caeli erant ei subiecta. Legitur enim de ipso, quod cum transiret de loco ad locum et invenit in quodam campo multas *aves* cantantes et in cantu suo magnam melodiam facientes, ipse praecepit eis, ut tacerent; et in continenti omnes tacuerunt; postea praecepit eis, quod cantum suum resumerent, et resumserunt. — Item, super *pisces* habuit potentiam praesidentiae, secundum quod legitur in vita sua.

Item, conformis fuit *Filio in sapientia*, quae consistit in duobus, scilicet in scientia occultorum et praescientia futurorum, sicut dicit Ecclesiasticus [5]: *Oculi Domini multo plus luciliores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum.* — Ipse antem beatus Franciscus habuit scientiam occultorum, quia multa scivit et praedixit futura. Audivi enim a domino Alexandro Papa, quod beatus Franciscus praedixit mortem Honorii et creationem Gregorii noni, qui tunc erat Ostiensis. — Item, praedixit terraemotum futurum certa die et hora; et sic accidit, sicut praedixit. — Item, habuit etiam conformitatem *cum Spiritu sancto in bonitate*. Bonitas enim consistit in caritate; ad Romanos quinto: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*. Mirabilem caritatem habuit beatus Franciscus et ad Dominum et ad proximos. Tanta erat eius dilectio ad *Christum* et tantus (amor), quod quando fiebat mentio de Christo, totus rapiebatur, non solus ille, sed quidam Frater [6], qui diu fuerat cum ipso, exemplo eius instructus, quod Deum timeret et amaret, quando fiebat mentio de Christo, totus rapiebatur, ita quod fiebat sicut lignum immobile. Magnam dilectionem habuit ad Christum. Ipse voluit sequi Christum et imitari in dilectione. Christus enim dedit nobis omnia bona temporalia ista sub pedibus ad bene vivendum, non ad diligendum. Sic etiam Franciscus, cum esset dives mercator, omnia dimisit propter Deum et dedit pauperibus. Item, sicut Deus Angelos dedit in ministerium peccatorum, sic beatus Franciscus Fratres suos et filios, ut portarent peccata populorum. Item, Dominus Christus ex sua caritate sustinere voluit passionem et mortem pro nobis; sic et beatus Franciscus pro Christo et eius fide voluit passionem sustinere. Ita affectabat mori pro Christo, quod ipse ivit ad paganos ad praedicandam fidem Christi, ad crudelissimum Soldanum, in desiderio habens pati pro Christo; quod considerans Soldanus, noluit eum facere martyrem, ne tantus honor ei deberetur. — Item, ad *proximos*

Sermo. — uplex estio. — Divisio. — Ps 1. De nione ad ginem initatis. — Conformis i Patri potentia ppliciter. — Franci- scos. — Item, Filio in sapientia dupliciter. — S. Francis- scus. — Item, com Spiritu S. in bonitate dupliciter. — Dilectio Francisci ad Christum. — Ad proxi- mum.

[1] Marc. 7, 37. et dein Sap. 10, 21.
[2] Cap. 17, 1; sequitur Ps. 103, 30.
[3] Epist. 1. Tim. 6, 15; sequuntur Ps. 113, 2. et Gen. 1, 26. Loco *caeli* cod. habet *campi*.
[4] Cfr. Legenda cit., c. 8. n. 6. seqq. et c. 12. n. 3. seqq.
[5] Cap. 23, 28; sequitur Rom. 5, 5.
[6] Scilicet Fr. Aegidius, cfr. Legenda cit., c. 3. n. 4.

suos habuit mirabilem caritatem, quia ipse et Fratres sui ministrabant infirmis et serviebant, quaerebant eis victum et procurabant manibus propriis, stabant in hospitalibus et domibus leprosorum et miserabilium personarum et eorum qui non poterant sibi subvenire, et eis serviebant et ministrabant. Certe poterat de illo dici illud Psalmi [1]: *Iucundus homo, qui miseretur et commodat* etc. Advocatus, qui habet causam coram iudice bonam, iucundus vadit coram iudice, quia scit, quod bene respondebit de sua causa (et) de quaestione sua; sic iustus homo coram Iudice summo erit iucundus. Et beatus Franciscus dicet: *Infirmus* fuisti, et ego *visitavi te; nudus* fuisti, et ego *cooperui te* [2] etc. Et tunc habebit bonam sententiam et gratiosam pro se, cum dicet Iudex:

Contra eos qui non habent caritatem.

Venite, benedicti Patris mei etc. — De hoc deberent homines multum cogitare. Vae illis! qui nesciunt tunc respondere, qui non bene poterunt dicere Domino dicenti: *Esurivi*, et ego refeci te; *sitivi*, et ego potavi te, visitavi etc. Tales enim exspectabunt sententiam divinam contra se, illam, inquam, qua dicetur eis: *Ite, maledicti, in ignem aeternum* etc.

II. Item, beatus Franciscus fuit creatus *ad similitudinem* humanitatis Christi, videlicet quantum ad tria [3], quantum ad *vitam*, quantum ad *passionem* et quantum ad *resurrectionem*. — Quantum ad *vitam*, quia Dominus duxit vitam in paupertate et humilitate. De eius paupertate dicitur in Matthaeo [4]: *Vulpes foveas habent, et volucres caeli nidos; Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet;* unde et cum natus (esset), fuit positus *in praesepio, quia non erat eis locus in diversorio.* —

Pars II. De creatione ad similitudinem humanitatis Christi tripliceм. Quoad vitam.

S. Francisco.

Sic et beatus Franciscus duxit vitam in paupertate et humilitate. Omnia, quae habebat, pro Domino dimisit et pauperibus erogavit; et volnit, quod filii sui et Fratres ita facerent. Noluit enim in carnalibus voluptatibus et deliciis commorari, quia, sicut dicit Apostolus, *qui in carne sunt Deo placere non possunt;* et in libro Sapientiae [5] dicitur, quod *Spiritus sanctus disciplinae effugiet fictum et auferet se a cogitationibus, quae sunt sine intellectu,* quia principium eorum est a sensualitate, non a rationis discretione et rectitudine. Multa pericula sunt in habendo ista temporalia. Tunc esset (melius) ea non habere et ea non appetere. Ista enim temporalia non debemus appetere, quia *vana* sunt, sicut dicit Ecclesiastes: *Vanitas vanitatum* etc. *Nihil enim permanet sub sole.* Sunt enim sicut somnium; unde in Psalmo [6]: *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* — Item, sunt *instabilia*, quia non stant, sed fugiunt velut umbra. Unde Apostolus dicit, quod *mundus transit et concupiscentia eius; praeterit enim figura huius mundi;* et in libro Sapientiae: *Transierunt omnia illa tanquam umbra.* Exemplum de divite, qui credidit uti divitiis bonis suis [7]; et dictum fuit ei, quod illa nocte totum amitteret: *Stulte, hac nocte repetunt* tibi *animam tuam a te. Quae autem parasti, cuius erunt?* — Item, sunt *molestiis plena*, quia magnus labor est in acquirendo, timor in possidendo, ne fures veniant et latrones, dolor in amittendo. Exemplum de hoc in mercatoribus, qui tantum laborant, ut divitias acquirant, tot instrant provincias, mare navigant et transeunt; timent sibi, cum acquisierunt, et dolent graviter et afflignntur, cum eas perdunt. — Ista tria debent nos inducere ad ista temporalia contemnenda, ut saltem non desideremus ea nec diligamus. Gregorius: « Contemnendus esset mundus iste, etsi rebus prosperis animum demulceret; at, postquam tot doloribus pulsat, tot calamitatibus fatigatur, tot nobis quotidie dolores ingeminat, quid clamat aliud, nisi ut non amemus, vel ut fugiamus »? Miseri ergo sunt qui appetunt et desiderant ista temporalia, quibus nondum sciunt se fruituros.

Temporalia sunt vana.

Item, instabilia.

Item, ea stilla plen

Unde sun contemne da.

Secundo, fuit similis Christo quantum ad *passionem*. Ipse enim gavisus est martyrium pro ipso sustinere et suscipere, sed non potuit; per ipsum non stetit; ipse enim volnit sequi Christum et portare crucem Christi. Unde ipsi in oratione posito apparuit Seraphim unus, et tunc apparuerunt in corpore eius, hoc est in manibus eius et in pedibus, stigmata passionis Domini nostri Iesu Christi; unde tunc potuit dicere [8]: *Stigmata Domini nostri Iesu Christi in corpore meo porto.* Vere igitur potuit et potest dici, quod fuit creatus ad imaginem et similitudinem Christi quantum ad passionem. — Tertio, quantum ad *resurrectionem*. Et hoc dupliciter, quia *ad litteram* ita affligebat carnem suam, ut carnes eius efficerentur nigrae. In morte autem apparuit caro eius fulgida et splendidissima, quasi iam esset resuscitatus. Secundo creatus est ad similitudinem eius quantum ad *resurrectionem*, quia, sicut Dominus a morte corporis surrexit per virtutem Divinitatis, sic Franciscus *a morte peccatorum* surrexit per gratiam sui Conditoris. Dedit enim illi Dominus remissionem omnium peccatorum adhuc viventi in corpore. Peccatorum remissio est quaedam a morte *resurrectio*, quia peccatores velut mortui sunt sine *sensu* et sine *motu;* unde peccator potest dicere illud propheticum [9]: *Verberaverunt me, sed non dolui; traxerunt me, et ego non sensi.* Sunt ergo sine *sensu*. — Item, sine *motu bonae operationis*, quia *non est qui faciat bonum, non*

Quoad pa sionem.

Quoad re surrectio nem dupli citer.

---

[1] Psalm. 111, 5.

[2] Matth. 25, 36. et dein v. 34. 35. 41.

[3] In cod. Berolinensi N habetur in ultima parte eadem divisio, sed aliter exposita. Sermo iste est de eodem themate, sed, excepta illa divisione, prorsus diversus.

[4] Cap. 8, 20; sequuntur Luc. 2, 7. et Rom. 8, 8.

[5] Cap. 1, 5; sequuntur Eccle. 1, 2. et c. 2, 11.

[6] Psalm. 75, 5; sequuntur I. Ioan. 2, 17; Sap. 5, 9. et I. Cor. 7, 31.

[7] Luc. 12, 20. — Sequitur Gregor., III. Dialog. c. 38.

[8] Gal. 6, 17.

[9] Prov. 23, 35; sequuntur Ps. 13, 3. et Eph. 5, 14.

est usque ad unum. Beatus Franciscus resurrexit a mortuis; unde Apostolus: *Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus.*

Sed *qualiter surgendum* est a peccato? Sic enim peccator quilibet debet cogitare, ut se iudicet et accuset primo, antequam a Domino iudicetur. Debemus enim cogitare, quod ipsum offendimus, quod ab ipso iudicabimur, nisi prius nos ipsos iudicemus [1]. Debemus autem nos iudicare per (*cordis*) *contritionem*, compunctionem habendo de peccatis: Psalmus: *In cubilibus vestris compungimini*; et alibi: *Lavabo per singulas noctes lectum meum*, cor meum et conscientiam meam lacrymis contritionis et compunctionis. *Cor* enim *contritum et humiliatum, Deus, non despicies* [2]. — Item, iudicare debemus per *oris confessionem*; Iob: *Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me*, quia scilicet ore meo confitebor peccata mea; unde Isaias dicit [3]: *Narra, si quid habes, ut iustificeris*; et alibi: *Qui abscondit scelera sua non dirigetur; qui autem confessus fuerit et reliquerit ea misericordiam consequetur.* — Item, per *operis satisfactionem*, sicut beatus Franciscus, qui mirabiliter mactavit carnes suas, ieiunavit, nudis pedibus ambulavit et alia multa sustinuit; unde potuit dicere illud apostolicum [4]: *Castigo corpus meum et in servitutem redigo.* Volebat sic satisfacere pro peccatis in vita ista, ut non oporteret, eum timere in alia.

Sed sunt aliqui, qui nolunt se iudicare per *cordis contritionem*, quia considerant vitam aliorum et conversationes inhonestas: ita facit ille magnus, ita et ego possum facere; non oportet, me conteri de hoc. Mala consideratio est ista, quia non minus ardemus, si Papa vel cardinalis vel aliquis praelatus tuus talis est. Non propter hoc tu; quia quae dicunt *facite, secundum opera vero eorum nolite facere* [5]. — Item, alia ratio est, quare non veniunt ad poenitentiam, quia promittunt sibi longam vitam: ego sum invenis et fortis, diu potero vivere et facere voluntatem meam; in fine poenitebo. Miseri sunt isti. Isaiae quinquagesimo octavo dicit Dominus: *Clama, ne cesses. Et dixi: Quid clamabo? Omnis caro foenum, et omnis gloria eius quasi flos agri.* Foenum, quod in mane est viride, in occasu solis est siccum velut herba sicca. Sic est de homine; Iob [6]: *Breves dies hominis sunt, numerus mensium apud te est* etc., et alibi: *Brevi vivens tempore repletur multis miseriis.* Si natus es, ut brevi tempore vivas, quomodo exspectas longam vitam? *Nescit homo finem suum. Qui quasi flos egreditur et conteritur et fugit velut umbra et nunquam in eodem statu permanet.* Ideo mirum est et mirabile, quomodo aliquis ponit in corde suo, quod longius debeat vivere. Ieremias dicit [7], quod *videt virgam vigilantem.* Semper enim virga vigilat; haec est sententia divina, ut veniat contra nos, nisi et nos pro nobis vigilemus. — Alia ratio est, quia sperant de misericordia Christi et dicunt [8]: *Misericordia Domini plena est terra.* Tanta est, quantus ipse qui creavit me ad imaginem suam, et sic miserebitur mei. Verum est, quod plena est terra, et quod tanta est, quantus est ipse, sed non tanta, ut non sit infernus. Ergo si moriaris sine misericordia et vadas ad infernum, non poteris postea habere misericordiam. Si ergo, vivens hic in carne mortali, misericordiam petiero, ego habebo et obtinebo; si sine misericordia de mundo isto transiero, postea misericordiam habere non potero, sed in fletu et stridore ero. *Ibi* enim *erit fletus et stridor dentium* [9]. — Alii dicunt: Confitebor in mea infirmitate, in fine, quando infirmus ero. Sed quomodo tunc poterit homo bene cogitare de peccatis suis, quando infirmitatibus ita fatigabitur, quod non poterit de alio cogitare, quando habebit dolores tantos et tantum cogitabit tunc de separatione animae a corpore? Ista poenitentia nec est multum appretianda nec tamen vituperanda. Dicit Augustinus [10], quod « talem nec laudo nec vitupero », quia nescitur, qua intentione fiat, utrum timore mortis tantum poeniteat, aut amore iustitiae et Dei. Si tamen amore Dei, laudanda est, quia, quacumque hora ingemuerit peccator, *iniquitatum* eius *non recordabor* amplius. — Ista ergo quatuor impediunt, ne inducatur aliquis ad iudicandum se ipsum. — Sic non fecit beatus Franciscus; sed hic iudicavit se, ne a Domino iudicaretur. Merito ergo possumus dicere de ipso: *Creavit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam:* ad imaginem Divinitatis, ad similitudinem humanitatis. Rogabimus Dominum, quod det nobis sic conformari et configurari ipsi ad similitudinem beati Francisci, quod ipsi configurati, ad videndum ipsum in gloria mereamur introdnci precibus beati Francisci, quod nobis concedat Christus. Amen.

Tertia.

Quarta.

S. Francisc.

Sermo IV [11].

Tunc apparebit signum Filii hominis in caelo, Matthaei vigesimo quarto [12].

(Prothema). *Mane semina semen tuum, et vespere ne cesset manus tua, quia nescis, quid magis oriatur,*

Prothema.

[1] Respicitur I. Cor. 11, 31; sequuntur Ps. 4, 5. et Ps. 6, 6.
[2] Psalm. 50, 18; sequitur Iob 9, 20.
[3] Cap. 43, 26; deinde Prov. 28, 13.
[4] Epist. I. Cor. 9, 27.
[5] Matth. 23, 3; sequuntur Isai. 58, 1. et c. 40, 6.
[6] Cap. 14, 5. et v. 1; sequuntur Eccle. 9, 12. et Iob 14, 2.
[7] Cap. 1, 11.
[8] Psalm. 32, 5. — Infra ante *ut non sit infernus* supplevimus: *ipse, sed non tanta.*
[9] Matth. 8, 12.
[10] Ita sec. Milleloq. August. auctore Ioan. Collierii, parte II. pag. 267, qui ibi citat serm. I. de Poenitentia et ieiunio; de quo cfr. August., serm. 255. Append. (alias 57. de Tempore) et serm. 393. (alias 41. inter 50 homil.). — Infra respicitur Isai. 43, 25.
[11] Ex eodem ac praecedens cod. Vaticano pag. 13. Inscriptio auctoris in codice ita deleta est, ut non remaneat nisi ultima littera *a*, quae indicare videtur nomen « Bonaventura ».
[12] Matth. 24, 30. — Prothema est Eccle. 11, 6. Sequitur II. Tim. 4, 2.

aut hoc, aut illud; et si utrumque simul, melius erit, Ecclesiastae undecimo. Et est verbum, quod sapiens Ecclesiastes dicit praedicatori veritatis, quod non debeat esse contentus, quod mane annuntiet verbum Dei, immo omni hora, immo et in vespere debet illud annuntiare et instare annuntiationi verbi Dei, iuxta illud Apostoli secundae ad Timotheum quarto: *Insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.* Hodie cardinalis seminavit vobis, et credo, Deo adiuvante, quod semen suum fructificabit in vobis. Et si possemus vobis aliquid dicere modo, quod in vobis fructificet, bonum esset. Aliqui dicunt: Quid tot faciunt modo sermones, qui vertuntur in taedium et derisionem? Sed non est verum; animae bene dispositae non vertuntur in taedium; anima enim bene disposita libenter omni hora audit loqui de Deo suo et de Creatore suo. Sic enim anima, quae libenter addiscit, quacumque hora libenter audit, ut addiscat, nec propter lectionem ordinariam, quam audit in mane, dimittit cursoriam in nona, nec negligit eam, sed libenter eam audit. Sic est de anima bene disposita ad audiendum verbum Dei, quod propter sermonem, quem audit in mane, non dimittit, quin audiat libenter in sero, et si non proficiat et quandoque neque multum addiscat, tamen si placet ei (et) libenter audit loqui de Creatore suo, magnum meritum est.

Notandum. inter consuetudines approbatas haec est una de melioribus, quod scholares huius civitatis [1] libenter veniunt ad audiendum verbum Dei. Est ergo praedicandum et seminandum verbum Domini et in mane et in sero. Sed sicut semen corporale et materiale parum fructificat, aut nihil, nisi desuper effundatur pluvia faciens illud germinare et fructificare; sic nisi pluvia divinae benedictionis superveniat, parum fructificabit semen meum. Ideo in principio rogabimus qui *segregat pluviam voluntariam hereditati suae,* secundum quod dicitur in Psalmo [2], Dominum nostrum Iesum Christum, ut det mihi aliquid dicere, quod sit ad honorem suum et ad laudem et commendationem beati Francisci et ad aliquam consolationem animarum nostrarum.

Tunc apparebit signum Filii hominis etc.

Inter cetera dona, quae largitus est Deus beato
Sermo. Francisco humili et pauperculo, istud fuit unum pri-
Privilegium singulare in Francisco. vilegium speciale, et si audeo dicere, *singulare,* quod *stigmata Domini nostri Iesu Christi in corpore suo portavit* [3] per duos annos ante mortem suam, quia latus eius erat perforatum, et inde fluebat sanguis; et similiter habebat cicatrices in manibus, in quibus erant clavi nigri et retorti. Istud est certum, sicut aliquid certum de mundo potest esse. Istud viderunt multi, quorum aliqui vivunt. Istud *signum* impressit Dominus isti pauperculo et humillimo, qui ex sua humilitate fecit se servum leprosorum, ut hodie audistis. Ad commendationem istius privilegii specialis, sive potius singularis, sumtum est verbum illud Matthaei, quod secundum *litteram* et historiae veritatem significat apparitionem signi dominici, id est crucis, in die iudicii; secundum *allegoriam* significat apparitionem signi crucis in corpore Christi in sua passione; secundum *tropologiam* significat apparitionem signi dominici in corpore beati Francisci.

De figu crucis caelo in plicter parebi

Caelum *secundum veritatem* est illud, quod videmus; et in isto caelo in die iudicii *apparebit signum* crucis in signum *severitatis* iudicis, ut *plangant se super eum omnes tribus terrae,* in Apocalypsi [4]; et in Habacuc dicitur: *Ibunt in splendore fulgurantis hastae tuae. Hasta,* qua stravit David Goliam, hoc est diabolum, crux est, de qua Chrysostomus [5] dicit, quod apparebit in die iudicii splendidior cunctis astris. — Hoc etiam signum apparuit in caelo *intellectuali,* hoc est in corpore Domini nostri Iesu Christi in die suae passionis; unde dicitur in Isaia: *In die illa radix Iesse, qui stat in signum populorum,* in signum *misericordiae;* nam crux, quam sustinuit, et in qua passus est Christus, signum est misericordiae ad omnes populos, ad omnes nationes; *ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulcrum eius gloriosum.* Utinam attenderent hoc Iudaei et intelligerent, qui nolunt recipere (et) intelligere Christum. Videant, si alicuius hominis sepulcrum est tam gloriosum. — In corpore Christi *mystico* apparuit istud signum, et apparebit in membris Christi, quia dicit Apostolus: *Qui autem sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* Nullus de exercitu Christi (est), nisi portet signum eius, crucem Christi. In omnibus ergo debet apparere signum istud; sed specialiter duobus de corpore Christi mystico ostendit Deus signum crucis, videlicet Constantino primo, quia a magno tempore usque ad Constantinum fuerunt reges et imperatores infideles, et erant bella et discordiae inter homines in mundo, et erat quasi datum oblivioni totaliter beneficium crucis; ipsi autem Constantino, qui debebat ire ad bellum contra Maxentium, apparuit signum De croc signo ap ronte C stantino crucis in caelo in signum *victoriae* illius, eo quod dictum fuit ei: Constantine, τούτῳ νίκα, quod est: in hoc signo vince, vel vinces [6]; et tunc ipse Crucifixum recognovit et signum crucis in fronte sua fecit, et tunc volavit crux de patibulis latronum ad frontes imperatorum, et misit Helenam matrem suam Ierusalem, ut requireret lignum sanctae crucis, quod et ipsa invenit et misit illud Ierosolymis; et de hoc

[1] Illinc videtur esse probabilissimum, Parisiis habitum esse hunc sermonem, ubi a B. Iordano O. P. collationes vespertinae introductae fuerunt; cfr. etiam supra pag. 5 col. II.

[2] Psalm. 67, 10. [3] Gal. 6, 17.

[4] Cap. 1, 7: sequitur Habacuc 3, 11. et respicitur I. Reg. 17, 43. seqq.

[5] Homil. 2. de Cruce et latrone, n. 4. — Sequuntur Isai. 11, 10. et Gal. 5, 24.

[6] Vide Euseb., l. de Vita Constantini, c. 28. seqq. — De inventione S. Crucis per B. Helenam cfr. Baron., Annal. ecclesiast. ad an. Christi 326. n. 42.

habentur omnes reliquiae pretiosissimi ligni crucis, quae habentur per universum orbem.

Placuit ergo Domino, sicut ipse voluit tempore illius Constantini finem imponere tribulationibus et bellis, quae erant in mundo, per signum victoriae, hoc est per signum crucis ostensum Constantino, et sic voluit signum victoriae ponere in beato Francisco. Ipse enim ad hoc elegit hominem simplicem et pauperem et humilem, ut exemplar esset poenitentiae. Ipse enim maxime exercuit se in humilitate et poenitentia, et placuit Domino inprimere in eo stigmata crucis, stigmata suae passionis; unde et de ipso potest intelligi illud verbum Apocalypsis [1]: *Vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi*, ut scilicet imprimeret signum illud *super frontes virorum gementium et dolentium*. Unde duo notantur in verbo proposito: primo notatur hic *privilegium gratiae* specialis, quod habuit beatus Franciscus in conformitate ad Christum, cum dicitur: *Tunc apparebit signum Filii hominis;* secundo tangitur eius *excellens meritum*, cum dicitur: *in caelo*, quia Spiritus sanctus replet caelos donis suis, hoc est caelestes viros [2].

II. Et debemus notare, quod multae sunt proprietates *caeli*, quia caelum consideratur et quantum ad *existentiam* et quantum ad *continentiam* et quantum ad *influentiam*, omissis aliis proprietatibus, quae multae sunt. Quantum ad existentiam est *sublime* in situ, per quod intelligimus in viro iusto, in beato Francisco, excellentiam paupertatis; est etiam *speciosum* in ornatu, per quod intelligimus munditiam castitatis; est etiam *imperturbabile* in apparatu, per quod intelligo in beato Francisco obtemperantiam humilitatis.

Fuit igitur beatus Franciscus caelum *sublime in situ* propter *excellentiam paupertatis;* Isaias [3]: *Caelum sedes mea* est; *terra autem scabellum pedum meorum;* et post immediate: *Ad quem autem respiciam nisi ad pauperculum et contritum spiritu et trementem sermones meos?* Domine Deus! quare iungis *pauperculum* cum *caelo?* De quo caelo intelligis? In quo caelo libenter (habitat) Dominus? Certe in *pauperculo;* probabo per illud: *Dominus, in caelo sedes eius;* et statim post: *Oculi eius in pauperem respiciunt.* Paupertas hominibus cupidis videtur esse res multum abominabilis, sed non in conspectu Dei, quia, etsi secundum apparentiam sit infirma, secundum virtutem tamen est res excelsa et altissima; unde Apostolus dicit secundae ad Corinthios octavo: *Et altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum.* Et sicut caeli secundum gradus ordinantur, quia est caelum altum, altius et altissimum; sic est paupertas *bona*, quae est in patientia; *melior*, quae est in desiderio et concupiscentia; *optima*, quae est in gloria, quando homo gaudet et gloriatur in paupertate sua. Paupertas igitur facit, hominem comparari caelo, quia introducit in regnum caelorum; unde Dominus, Matthaei quinto [4]: *Beati, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum.* Et alios excludit, qui paupertatem non amant, sive qui eam diffamant. *Facilius* enim *est, camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum caelorum*, divitem amantem divitias et confidentem. Sic ergo cupiditas reddit hominem ponderosum, quia *qui volunt divites fieri incidunt in tentationem et in laqueum diaboli et desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem.* Ecce, quod praecipitat in profundum; sed paupertas facit et reddit hominem caelestem, et inter omnes illa paupertas, in qua homo gloriatur et gaudet. — Sed non invenietis aliquem, qui ita professus fuerit paupertatem sicut beatus Franciscus, nec qui ita in paupertate glorietur. Nihil voluit penitus habere, nec in communi nec in particulari, nec voluit, quod Fratres sui haberent. Si ergo crux Christi signum est paupertatis, recte signum Filii hominis, hoc est crux Christi, in eo debuit situari. — Sed dicet aliquis: Laus in proprio ore sordescit, et ideo non debemus ista dicere, quae faciunt ad commendationem nostram, nostri Ordinis et nostri Patris. Sed non debent ista taceri, per quae Spiritus sanctus mirabiliter professionem paupertatis confirmavit. Ipse enim mirabiliter in hoc signo professionem paupertatis commendavit et confirmavit; nam eodem tempore, quo beatus Franciscus petiit confirmationem sui Ordinis a Papa, impressa sunt ei stigmata Domini nostri. Non fuit ista confirmatio ab homine, sed a Deo. Homo enim decipi potest, et ideo non solus homo in confirmatione huius Religionis, in qua est professio altissimae paupertatis, apposuit bullam, sed ipse Dominus bullam suam apponere voluit ad confirmationem paupertatis, stigmata suae passionis beato Francisco humili et pauperi imprimendo. Non est datum omnibus habere aut eligere sibi talem paupertatem; sed omnibus datum est acceptare eam, et placere debet homini in alio talis paupertas, etsi non sic potest esse pauper.

Item, caelum *speciosum est in ornatu;* et tale caelum fuit beatus Franciscus propter *munditiam castitatis;* unde dicitur Ecclesiastici quadragesimo tertio [5]: *Altitudinis firmamentum pulcritudo eius est, species caeli, in visione gloriae. — Firmamentum*, quod habet speciem, est anima, quae firmata est castitate quasi impressione recte facta ad impressionem contrariam; in Exodi vigesimo quarto dicitur, quod *seniores Israel viderunt* Dominum *Deum Israel, et sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphirini et quasi caelum, cum serenum est;* quod significat

S. Francisc. — Obiectio solvitur. — Item, speciosum in ornatu.

[1] Cap. 7, 2; sequitur Ezech. 9, 4.
[2] Cfr. Gregor., XVII. Moral. c. 31. n. 48. — De I. divisionis membro supra iam pauca dixit; de II. sunt quae sequuntur.
[3] Cap. 66, 1. seq.; sequuntur Ps. 10, 4. seq. et II. Cor. 8, 2.
[4] Vers. 3; sequuntur c. 19, 24. et I. Tim. 6, 9.
[5] Vers. 1; sequuntur Exod. 24, 9. seq. et Thren. 4, 7.

animam illam, quae depurata est ab omni immunditia, ab omni sorde et corruptione peccati carnalis. Talis est anima Nazaraeorum, de quibus dicitur in Threnorum quarto: *Candidiores Nazaraei eius nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo.* Hoc dicit (de his) qui erant consecrati Domino et debent servare munditiam castitatis. Sunt ergo isti *Nazaraei candidiores nive*, quia hominibus castis hoc convenit propter munditiam carnis; *nitidiores lacte*, propter munditiam affectionum; *nitidiores lacte*, propter munditiam cogitationum; *rubicundiores ebore antiquo*, propter concursum omnium istorum; *sapphiro pulciriores*, hoc est caelo mundo et ornato, quia sapphirus habet colorem sereni caeli. — Caelum igitur potest dici beatus Franciscus propter istam omnimodam munditiam. Ipse enim *castravit se* et eunuchizavit *propter regnum caelorum*[1], carnem suam castigando et exercendo, ne *spinas et tribulos germinaret sibi*, hoc est motus carnalium cogitationum et affectionum. Sic fecit beatus Benedictus, qui in principio suae conversionis fuit aliquantulum tentatus de peccato carnis, « ita ut pene eremum proponeret deserere, quando superna gratia respectus, proiecit se nudum inter vepres seu veprium aculeos et urticarum; et ibi voluptatem traxit in dolorem, ita ut in se tale quid de cetero minime sentiret ». Sic et beatus Franciscus in principio suae conversionis aliquam habuit carnis tentationem; et quoniam pugnavit cum ea, proiecit se nudum in noctibus in medio nivium, quando frigus erat, ita quod carnem suam peroptime domavit, et tamen non multum indiguit tunc, quia satis caro per alia, quae faciebat et sustinebat, domabatur; sed omnino volebat dominari et motibus carnis et cogitationibus et affectionibus mentis[2]. Iste bene habuit munditiam castitatis, caelestem munditiam. Sciatis, quod castitas est decus virtutum et reddit totum ornatum et honestum. O quando dicetur: homo est honestae conversationis, castus est et mundus, hoc est dictum, quod mirabiliter bene est ornatus in conspectu Dei! Crux autem Christi signum est castitatis, mortificationis carnis, agninae simplicitatis et puritatis; ideo in ipso recte debuit collocari.

Franciscus.

Tertio dicitur caelum quantum ad suam existentiam *imperturbabile in apparatu*, quia in eo nulla est perturbatio, quia omnia in eo ordinate fiunt; et sic potest *caelum* dici beatus Franciscus propter *obtemperantiam humilitatis*. In Iob[3]: *Nunquid nosti ordinem caeli?* Quis est ordo caeli? Ecce, videmus, quod sphaera superior suo motu trahit omnes alias sphaeras; licet proprio motu moveantur omnes, tamen cum ipsa moventur, quae trahit omnes alias; sic in caelesti hierarchia est ordo, quod supremus ordo omnes alios trahit. Et quis facit hunc ordinem? Certe ex hoc est ille ordo, quod supremus ordo sive supremi spiritus obtemperant legibus aeternis, et inferiores spiritus subduntur eis. Si dicas Angelo inferioris ordinis: Quare obedis tu superiori ordini, cum tu sis creatus a Deo immediate, sicut ille? dicet tibi: Quid mirum, si obedio ei? Cum nihil proprium mandet mihi, sed tantum quod accepit a Deo; oportet, me obedire Creatori meo. Per hunc modum est in Ecclesia Dei bene ordinata et in anima sancta, quod inferiores superioribus obediunt et obtemperant, vires inferiores animae superioribus obediunt et obtemperant. — Quare est rebellio in carne contra spiritum? Non est hoc de prima conditione; absit hoc, ut sic homo creatus fuerit. Si enim steisset, nunquam sensibilitas ant concupiscentia contra rationem se moverent, nec esset ignorantia in homine eorum quae scire oportet. Hoc ergo est propter originale peccatum; quia enim ratio superior non obtemperavit Deo, nec inferiori sensibilitas, nec superiori inferior obtemperat. Haec autem omnia *reordinantur* per obtemperantiam humilitatis. Et tunc est obedientia humilium, quando sic obedit homo legibus divinis, ut sine aliqua repugnatione, sine aliquo errore vivat, sine aliqua retardatione; et tunc est homo vere *caelum*, in quo est omnino obtemperantia inferiorum sphaerarum respectu ultimae et superioris. — Et beatus Franciscus veram habuit humilitatem; unde et ab ista voluit denominari ipse et Ordo suus; dicitur enim *Ordo Minorum*, quod simpliciter dicitur. Ergo minor omnibus fuit, vel saltem se minorem reputavit. Primus Minister Ordinis[4], qui fuit (missus) ab eo, Pacificus vocabatur et fuit socius beati Francisci; et quadam die in somno videbatur sibi, quod rapiebatur in paradisum, et videbat sedes plurimas plenas et supra omnes alias unam altiorem vacuam, et quaesivit, cuius esset illa sedes; responsumque est ei, quod Francisci. Et ideo quadam die quaesivit ab eo, quid sibi videretur (et) de (se) ipso sentiret. Et respondit: « Videtur mihi, quod ego sum maximus peccator de mundo. Haec sentio de me sine dubio ». Qui dixit ei: « Quomodo hoc dicis? Nonne sunt multi latrones in mundo, multi fornicatores, multi homicidae »? Tunc beatus Franciscus dixit ei: « Non est in mundo, cui si Deus tot et tanta beneficia fecisset, quanta mibi, qui non esset magis gratus ipsi quam ego; et ideo reputo me maximum peccatorum ». Sic et Paulus[5]: *Quorum primus ego sum*, non primus tempore, quia plures peccatores ante ipsum; sed primus, id est summus, qui et fuit humillimus et modicus. — Et magnum pondus impositum est super nos, dico vobis, quod de hoc *Minores* vocamur, quia debemus nos reputare omnibus inferiores et viliores. Displicet vobis

Unde a bello carne reordin

S. Fra humili

Resp., imperturbabile in apparatu.

Admoni

---

[1] Matth. 19, 12; sequitur Gen. 3, 18, et de S. Benedicto vide Gregor., l. Dialog. c. 2.

[2] Legenda cit. c. 5. n. 3. seq.

[3] Cap. 38, 33.

[4] Scilicet in Gallia. — Pro sequentibus cfr. Bonav., Legenda S. Francisci, c. 6. n. 6.

[5] Epist. 1. Tim. 1, 15; sequuntur Phil. 2, 8. et Bonav., Legenda S. Francisci, c. 8. n. 3.

aliquando de nobis, si videtis aliquando aliquem ex nobis superbum; certe multo magis displicet Deo. Si igitur crux Christi est principaliter signum humilitatis, quod patet; audi Apostolum: *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis;* crux enim Christi signum est humilitatis summae et vilificationis, qui tantum pro nobis humiliatus fuit in cruce et vilificatus; et ideo in eo debuit collocari, qui habuit summam humilitatem, in beato Francisco, qui humillimum et vilissimum se reputabat. Ipse enim dicebat Domino in orationibus suis: « O Domine! quare imposuisti mihi onus istud et super me; fecisti me caput istius Religionis, me simplicem et idiotam et despectum »? « Ad hoc constitui, ut quae in te fecero non humanae industriae, sed gratiae meae ascribantur ».

Secundo commendatur caelum quantum ad *continentiam*, quia habet *amplam* continentiam; omnia enim continet. Et sic fuit *caelum* beatus Franciscus plenitudine caritatis, quae ad omnes se extendit; in Ecclesiastico [1]: *Gyrum caeli circuivi sola.* Et circa hoc potest dici *caritas,* et quae est in Deo et quae est in nobis, quoniam ipsa *circuit caelum,* quia caelum est continentia universalis omnium, et tamen non habitant in caelo nisi boni; sic caritas diligit omnia ex caritate diligenda, et tamen non habitat nisi in bonis. Caritas enim fecit, quod Divinitas uniretur carni, quod Christus se humiliaret et subiiceret morti. *Vide arcum et benedic eum qui fecit illum.* Quis est iste arcus nisi crux Christi? Ergo in viro caelesti, in quo fuit dilatatio caritatis, debuit crux Christi poni, in beato Francisco. Ipse enim habuit latissimam caritatem ad omnes. Caritas enim libentissime se impertitur pro peccatoribus. Ipsi autem non sufficit praedicare Christianis et fidelibus, ubi bene recipiebatur et libenter audiebatur, sed ivit ad Saracenos, ut eis praedicaret, ut sic videret, si aliquis sanguinem (eius) vellet fundere et eum pro fide Christi occidere. — Sed quomodo habemus nos miseri ita frigida corda, ut nihil pro Domino sustinere velimus? Non ardent nec fervent corda nostra dilectione. Sed quomodo calor est una de proprietatibus cordis, et in quo est maior calor circa cor, eius sunt fortiora opera et magis virtuosa: sic qui habet calorem dilectionis sive caritatis in corde ex se ipso potest magis virtuosa opera exercere. Vis tu imprimere Christum crucifixum in corde tuo? In se ipsum vis tu transformare te, in quantum ardeas caritate? Sicut est de ferro, quod (cum) bene calet, ita quod liquescit, tunc potest imprimi in illud quaelibet forma vel figura: sic in corde bene fervente per amorem ad Christum crucifixum imprimitur ipse Crucifixus vel crux Crucifixi, et amans transfertur vel transformatur in Crucifixum, sicut fecit beatus Franciscus. — Aliqui mirantur, quod Seraphim missus est ad eum, quando debuerunt ei imprimi stigmata passionis Christi. Nunquid, dicunt, Seraphim fuit crucifixus? Non; sed Seraphim spiritus est sic dictus ab ardore [2], in quo significatur, quod ardens erat caritate, quando missus fuit ad eum Seraphim. Hoc significabat ille spiritus. Crux autem sive signum crucis impressum corpori eius significabat affectum, quem ipse habebat ad Christum crucifixum; et tunc ex illo ardore dilectionis totus fuit transformatus in ipsum. — Exemplum ad hoc confirmandum (sit) quod in illa provincia accidit, quod quaedam infirmitas erat in animalibus illius terrae, quod comedere non poterant, et cito vel subito moriebantur, et nesciebant homines, quid facerent pro salute suorum animalium. Quidam de illis venit ad quendam sanctum et narravit ei, quomodo sua peribant animalia, quaerens consilium ab eo. Et (hic) dixit ei, quod quaereret de lotura manuum et pedum beati Francisci et inde aspergeret super animalia, et sanarentur. Sic fecit, et continuo concurrerunt ad cibum et comederunt [3]. Qui vidit mihi narravit. Quia ergo beatus Franciscus fuit caelum continentiae amplae per caritatem, et crux est signum summae caritatis et dilectionis; ideo in ipso debuit situari.

De Seraphim crucifixo.

Exemplum.

Item, caelum est continentiae *arcanae;* ideo dicitur « caelum a celando [4] », et sic fuit (Franciscus) *caelum* per celsitudinem contemplationis; Psalmus: *Extendens caelum sicut pellem, qui tegis aquis superiora eius,* vere *aquis* claris, sapidis et splendidis, et ibi, hoc est in contemplatione, videt homo effigiem suam et resplendentiam luminis divini in concursu aquarum illarum. Tantae celsitudinis fuit in contemplatione, quod ipse praevidebat futura, videbat cordium secreta, praesentem se absentibus ostendit, sicut et beatus Antonius, de quo habetur in principio de Doctrina christiana [5]. Ideo, cum crux Christi sit signum sapientiae et revelationis mysteriorum Dei, secundum quod patet in Apocalypsi [6], quia ibi dicitur, quod *Agnus, qui occisus est, aperuit septem signacula libri,* id est universa mysteria sacrae Scripturae, per crucem suam; crux enim Christi *clavis* est *David, qui aperit, et nemo claudit; claudit, et nemo aperit:* isti ergo Sancto, beato Francisco, debuit dari istud signum, in quo fuit tanta celsitudo contemplationis et sapientiae. — *Estote* ergo *simplices sicut columbae;* amemus cordis simplicitatem et cordis munditiam, si volumus illuminari a Domino per sapientiae lumen et claritatem. Sicut enim est de luna, quae, cum est in opposito situ ad solem, tunc illuminatur et *apparet* illuminata; quando est in coniunctione ad solem, non apparet eius lumen nec eius illuminatio. Sed si

Secundo, arcanam.

Hortatio.

[1] Cap. 24, 8; sequitur c. 43, 12.
[2] Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 34. n. 10. et 12.
[3] Legenda cit. c. 13. n. 6.
[4] Isidor., XIII. Etymolog. c. 4. n. 1. — Sequitur Ps. 103, 3. seq.
[5] S. Augustini scilicet, in Prologo, n. 4, ubi est sermo de S. Antonii eremitae admirabili intellectu Scripturarum divinarum.
[6] Cap. 5, 12. 9. 2; sequuntur c. 3, 7. (Isai. 22, 22.) et Matth. 10, 16.

luna est vicinior soli, quanto magis appropinquat soli, tanto etiam magis illuminatur; tunc ergo magis illuminatur secundum *virtutem*, quam sit, quando est in opposito situ cum sole; sic est de homine, quod quanto magis *ostendat* suam sapientiam et vult apparere sapiens, tanto minus est tunc illuminatus; quando fugit homines et recolligit se in se et cogitat, quod uniatur Deo suo, tanto magis est illuminatus. Licet unus appareat esse illuminatus, oportet, enm summa humilitate et cordis simplicitate ire ad Dominum. Exemplum ad hoc. Venerunt ad Praepositivum [1] scholares sui et dixerunt ei: Quid credis tu? Dic nobis, quid credere debeamus. Et vocavit unum simplicem transeuntem per viam, et quaesierunt ab eo, quid crederet; et respondit simpliciter, Deum Patrem omnipotentem et eius Filium et amborum Spiritum similiter esse unum Deum. Optime, respondit. Et ego sic volo credere in simplicitate et humilitate.

Tertio, completam.

Item, caelum est continentiae *completae*, quia continet omnia et a nullo continetur; sic (Franciscus) fuit *caelum* continentiae completae propter implet ionem gratiae septiformis, quae fuit in ipso. *Suspice caelum et numera stellas, si potes; sic erit semen tuum* [2]. Non est ita parva stella, cuius immensitas non impleat terram et illuminet eam; et sunt simul luminositates et radii earum in medio, distinguuntur per aspectum ad stellas [3]; sic et animae sanctae illuminantur splendoribus divinis a Spiritu sancto, *cuius semen est in ipsis*. Fuit enim *semen eius* sicut *stellae caeli*, quia fecundatus fuit mirabiliter a Spiritu sancto; inde dicitur in Iob [4]: *Spiritus eius ornavit caelos*, hoc est caelestes viros; *et obstetricante manu eius, eductus est coluber tortuosus*. Mirabile de Scriptura sacra, quomodo iungit unum cum alio, quod videtur esse impertinens; non tamen est. Quae est *manus* Dei, per quam operatur? Ratione *operationis* naturalium rerum potest dici manus Dei *Filius*, per quem fecit omnia; ratione *distinctionis* articulorum, *Spiritus sanctus*, quia ipse distincte dat dona gratiarum, *dividens singulis, prout vult*. Manus ergo est Spiritus sanctus ratione distinctionis donorum et gratiarum. Quot sunt articuli in manu hominis? Quatuordecim. Et *coluber tortuosus* non *educitur* de homine nisi manu ista, hoc est, (nisi) Spiritus sanctus influat homini septem charismata gratiarum ad *inchoandum* hominem in bono, et septem charismata gratiarum ad *consummandum* in bono, (id est) septem dona Spiritus sancti, quae sunt in anima ad expedite bene agendum. Et crux Christi [5] signum est diffusionis gratiae Dei, quia de cruce Christi, hoc est a passione, fluunt charismata gratiarum; et ideo signum Filii hominis, hoc est signum crucis Christi, in illo debuit collocari, qui fuit repletus charismatibus Spiritus sancti.

Tertio, caelo tria influentia quadrigeminum.

Tertio possumus loqui de caelo quantum ad *influentiam*, et hoc quatuor officiis. Est enim caelum splendoribus *illuminans* haec inferiora, nubibus *irrorans*, caloribus *inflammans* et fulgoribus *coruscans*. Et ista quatuor conveniunt beato Francisco; fuit enim caelum *splendoribus illuminans* vel illustrans inferiores sive proximos per documenta virtutis; *imbribus irrorans* per exempla perfectionis et virtutis... Cum igitur crux Christi sit signum operum perfectorum Dei et omnium miraculorum; et beatus Franciscus fuit *caelum* omnia ista faciens: in ipso debuit crux Christi situari, ut sic per signum illud exaltaretur. Ipse enim *Dominus humilia respicit* [6]; ideo respexit beatum Franciscum humilem et pauperculum et signum suum illi impressit; *et alta a longe cognoscit*, hoc est superba; ipse enim *humilibus dat gratiam et superbis resistit*.

Rogabimus ipsum, quod det nobis sic in praesenti humiliari cum beato Francisco, ut ipsius meritis mereamur cum ipso in caelo exaltari; quod nobis concedat amator et exaltator humilium Iesus Christus Dominus noster. Amen.

Sermo V [7].

Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.

Verbum istud est summi Doctoris et sumitur de Matthaei undecimo [8]; verbum etiam istud potest esse perfecti imitatoris Christi, scilicet beati Francisci, et sumitur de Evangelio, quod legitur in eius festo. Sive autem dictum verbum sit Christi, sive beati Francisci, est *verbum abbreviatum* [9] et consummatum, quia in eo clauditur summa totius evangelicae perfectionis *breviter* et *plane*: *breviter*, ne quis se excusaret propter librorum inopiam; *plane*, ne quis se excusaret propter imperitiam. In hoc autem verbo duo tanguntur, scilicet *exordium* et *documentum*. In *exordio* fit auditorum excitatio, in *documento* fit auditorum informatio. *Excitat* autem, cum dicit: *Discite a me;* sed *informat*, cum subiungit: *quia mitis sum et humilis corde*, id est, ad meum exemplum sitis mites et humiles. Potest autem excitatio duplex intelligi, cum dicit: *Discite a me*, scilicet, ut sit sensus: *discite a me*, id est, *formam discipulorum* a me assumite, vel *discite a me*, id est, a me *doctrinam* accipite; et uterque sensus competit beato Francisco secundum duplicem statum, scilicet *conversionis* et *consummationis*. Quantum ad

Divisio.

[1] Vide Bonav., tom. I. pag. 105, notam 3.

[2] Gen. 15, 5.

[3] Cfr. Bonav., I. Sent. d. 34. a. unicus, q. 1. ad 6. et II. Sent. d. 13. a. 3. q. 2. — Sequitur Gen. 1, 11.

[4] Iob 26, 13; sequitur I. Cor. 12, 11.

[5] Praecedentem locum corruptum sic correximus; etiam infra excidit aliquid.

[6] Psalm. 112, 5. et fac. 4, 6.

[7] Sumtus est ex cod. Monacensi n. 7776. fol. 224 v. et duobus codicibus Tudertinis, scilicet n. 182. fol. 225 r. et n. 168. fol. 30 r. Conveniunt tum alter cod. Monacensis n. 22595. (saec. XIV.) fol. 132 v., tum Ulyssipone biblioth. National. cod. n. 117. (saec. XIII.) membranaceus in 8. fol. 132 v.

[8] Vers. 29. [9] Respicitur Rom. 9, 28.

statum *conversionis* fuit verus *discipulus*, sed quantum ad statum *consummationis* fuit *doctor* bonus.

I. Quantum igitur ad primum statum potest dicere beatus Franciscus: *Discite a me*, id est, a me *formam discipuli assumite*, quia fui discipulus verus. Forma autem veri discipuli Iesu Christi, quae specialiter claruit et apparuit in beato Francisco, in hoc consistit: primo, ut sit homo *segregatus a perversa societate* quantum ad convictum; *amicus* enim *stultorum similis effietur* [1]; quod significatur Marci quarto, ubi dicitur de Christo: *Seorsum discipulis suis disserebat omnia; seorsum*, id est a *malis*, seorsum etiam a *turbis*. In quo ostenditur, quod discipulus Christi seorsum debet esse, ut sit segregatus a societate *pervertente* et *conturbante*. — Quod attendens, beatus Franciscus statim ad Domini inspirationem reliquit societatem invenum, qui erant socii *in peccatis*, quoniam haec societas *perversa* erat. Reliquit etiam societatem mercatorum, quae erat societas *mundana*; et solus ibat ad loca secreta, sciens, quod Christus *seorsum disserit omnia*. Per hunc modum oportet, enim qui vult discipulus fieri Christi perfectus, relinquere societatem *mundanam* et *perversam*. Quodsi non vult relinquere *mundanam*, quod perfectionis est, saltem relinquat *perversam*, quod necessitatis est. Scribitur enim in Psalmo: *Commixti sunt inter gentes et didicerunt opera eorum et servierunt sculptilibus eorum; et factum est illis in scandalum. Gentes* dicuntur hic gentiliter viventes; eis *commiseeri* est eis associari, ex quo oportet, quod addiscat quis opera mala; quia Ecclesiastici decimo tertio [2]: *Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea, et qui communicaverit superbo induet superbiam*; Proverbiorum vigesimo secundo: *Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso, ne forte discas semitas eius et sumas scandalum animae tuae*; et in Psalmo: *Et cum perverso perverteris*. — Secundo debet esse *expeditus a superflua occupatione*; et hoc quantum ad actum; nam qui sollicitatur circa superflua non potest vacare his quae sunt utilia. *Sollicitudo* enim *saeculi istius et fallacia divitiarum suffocat verbum, et sine fructu efficitur*, Matthaei decimo tertio [3]; ideo scribitur Lucae decimo quarto: *Omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus;* non quia malum est possidere, sed quia malum est circa possessiones animum superflue occupare, et impossibile vel difficile multum est possidere et non curare; ideo dicit: *qui non renuntiat* etc. — Quod cernens, beatus Franciscus statim, ut audivit vocem Dei, cuncta dimisit, in tantum, ut nec filum vestimenti ad cooperiendam nuditatem sibi reservaverit; immo, sicut omnia interius contempserat, sic omnia exterius dimittebat. — Per hunc etiam modum qui vult esse perfectus discipulus Christi *vadat et vendat* omnia, *quae habet, et det pauperibus;* quod si quis non vult facere, saltem a sollicitudine et occupatione et vanitate necesse habet animum revocare; alioquin non erit discipulus Christi, sed discipulus diaboli. Non enim *possumus* simul *Deo servire et mammonae* [4]; secundum quod dicitur primae ad Timotheum ultimo: *Omnes, qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli*; non enim omnes addiscunt Christi doctrinam, sed capere praedam, sicut dicitur Ezechielis decimo nono: *Eduxit unum de leunculis suis, et leo factus est et didicit capere praedam hominesque comedere.*

Tertio debet esse *abstractus ab inordinata affectione;* et hoc quantum ad affectum, quia carnalis et *animalis homo non percipit quae sunt Spiritus Dei*, primae ad Corinthios secundo [5]; et ideo dicitur Lucae decimo quarto: *Qui non odit patrem suum et matrem et uxorem et filios et fratres et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus.* Non prohibet, patrem et matrem ex caritate amari, cum in Lege praecipiat *honorari*, sed inhibet ad parentes carnales carnaliter affici, quia carnalis affectio repellit doctrinam Christi. — Hoc videns, beatus Franciscus patrem et matrem odivit, dum, affectionis carnalis vinculo fracto, eos penitus dereliquit. — Per hunc modum qui vult ad perfectum discipulatum Christi ascendere debet *domum patris sui oblivisci* [6] et propriam animam, id est vitam carnalem, odire, ut Christi imitator existat, qui *in manu inimicorum tradidit animam suam praedilectam.* Quodsi quis non vult carnalem affectionem omnino odire vel deponere, quam habet ad parentes, debet tamen eam deponere, quam habet ad mulieres, alioquin non poterit pervenire ad scientiam veritatis, sicut dicitur secundae ad Timotheum tertio de talibus: *Ex his enim sunt, qui penetrant domos et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quae ducuntur variis desideriis. Semper discentes et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes.* — Qnarto debet esse *purificatus a contraria dispositione;* et hoc quantum ad habitum, quoniam *in malevolam animam non introibit sapientia nec habitabit in corpore subdito peccatis*, Sapientiae primo [7]; et ideo Isaiae primo: *Quiescite agere perverse, discite bene facere;* quasi dicat: non potestis iustitiam a Christo addiscere, nisi contrariam dispositionem volueritis exstirpare, sicut non potest introduci scientia, nisi ignorantia dispositionis contrariae fuerit expulsa. — Hoc attendens, beatus Franciscus de agro cordis per continuum gemitum studuit vitium et peccatum

Parv. De ormitisci-li anima.

Recritur ria egre-ialis per-e poscio-li.

ocius do-ys.

S. aeci-ius.

Scodo, ditio a plina oc-ne lione.

Franci-cus.

Horatio.

Tertio, abstractio ab inordinata affectione.

S. Francis-cus.

Horatio.

Quarto, purificatio a contraria dispositione.

S. Francis-cus.

[1] Prov. 13, 20; sequuntur Marc. 4, 34. et Ps. 105, 34. seq.
[2] Vers. 1; sequuntur Prov. 22, 24. et Ps. 17, 26.
[3] Vers. 22; sequuntur Luc. 14, 33. et Matth. 19, 21.
[4] Matth. 6, 24; sequuntur I. Tim. 6, 9. et Ezech. 19, 3.
[5] Vers. 14; sequitur Luc. 14, 26. et respicitur Exod. 20, 12.
[6] Psalm. 44, 10; sequuntur Ier. 12, 7. et II. Tim. 3, 6. seq.
[7] Vers. 4; sequitur Isai. 1, 16. seq. et respicitur Luc. 7, 47.

exstirpare funditus nec cessavit deflere, quousque per revelationem audire meruit: *Remissa sunt tibi peccata tua.* — Per hunc modum qui Christi discipulus vellet esse perfectus deberet *per singulas noctes* ad modum beati Francisci *lacrymis lectum* conscientiae *lavare*[1]; vel si verbum illud non capit, quia perfectum, saltem *quiescat agere perverse,* quod est necessarium, si vult Christi fieri discipulus. Unde qui non vult mala relinquere non potest bona addiscere, sicut dicitur Ieremiae decimo tertio: *Si mutare potest Aethiops pellem suam, aut pardus varietates suas; et vos poteritis bene facere, cum dideceritis malum.* Ad eos loquitur, qui per longam assuefactionem sunt in malitia obstinati, ut iam quasi non possit exstirpari, ac per hoc non possint addiscere, quia discunt non parum a iuventute male assuescere. Vere igitur potest dicere beatus Franciscus: *Discite a me,* id est, a me formam discipulorum assumite, quia sum verus discipulus.

Hortatio.

Dicere etiam potest: *Discite a me,* id est, a me *doctrinam* accipite, quia de discipulo vero factus sum *doctor* verus; et hoc potest dicere beatus Franciscus quadruplici ratione: primo, quia docet quod didicit *sine deceptione* propter revelationis veritatem; *est* enim *Deus verax, omnis homo mendax*[2]; et ideo doctrina, quam quis per revelationem accipit, non potest esse nisi vera; unde de hoc modo discendi laudabat Paulus doctrinam suam ad Galatas primo: *Notum vobis facio, fratres, Evangelium, quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem; neque enim ab homine accepi illud neque didici, sed per revelationem Iesu Christi* etc. — Taliter didicit beatus Franciscus; unde et doctrina eius admirari potest, quomodo docere alios potuit, cum ab homine non didicerit; numquid per se invenit? Audi, quod non; cuius signum est, quia, quando ab aliquo docebatur vel praecogitabat, sicut in eius vita legitur, omnino quod diceret non habebat. In quo magis est laudandus et admirandus quam imitandus; unde non inepte filii eius addiscunt, quia scire non per hominem non est omnium, sed privilegium paucorum. Unde quamvis Paulum et Franciscum docere voluerit Dominus per se ipsum, voluit tamen, eorum discipulos edoceri per ministerium humanum[3].

De doctrina doctoris accipienda. Doctor verus ob 5 rationes. De prima ratione.

S. Franciscus.

De secunda. — Secundo, quia docet quod didicit *sine fictione* propter dilectionis aviditatem, quae cor totum applicat ad capiendam doctrinam; unde et Sapiens gloriatur, se sic didicisse, Sapientiae septimo[4], loquens de sapientia: *Quam sine fictione didici et sine invidia communico et honestatem illius non abscondo;* quasi dicat: sicut fervor caritatis me fecit addiscere *sine fictione,* sic facit aliis *communicare* sine aemulatione ac invidiae livore. — Taliter didicit et docuit beatus Franciscus, qui adeo amavit doctrinam, quod *divitias nihil esse duxit in comparatione illius et omne aurum velut arenam exiguam reputavit et argentum quasi lutum aestimavit, et omnem substantiam domus suae dedit et quasi nihilum despexit eam;* et quoniam adeo didicit diligenter, factus est multorum discipulorum magister, quos docet *sentire de Domino in bonitate et in simplicitate cordis quaerere illum, quoniam invenitur ab his qui non tentant illum, apparet autem eis qui fidem habent in illum*[5], sicut ipsi beato Francisco, qui, quoniam *sine fictione didicit* sibi, et aliis communicavit.

S. Fra ecus

Tertio, quia docet quod didicit *sine oblivione* propter operum pluralitatem; *non* enim *auditor* operis *obliviosus factus, sed factor operis*[6], et ideo bonus doctor; quia Matthaei quinto: *Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum.* Talem modum addiscendi commendat Ecclesiasticus dicens: *Vir in multis expertus cogitabit multa,* id est secure et sine reprehensione; *et qui multa didicit enarrabit intellectum,* quia non aspexit ad pauca per scientiam contemplationis in universali, sed ad multa per experientiam in particulari. — Taliter didicit beatus Franciscus, scilicet experiendo non delectationes, sed passiones; unde de ipso potest dici quod dicit Apostolus ad Hebraeos quinto[7] de eius magistro: *Didicit ex iis quae passus est, obedientiam.* Ipse enim in principio suae conversionis Indibria et verbera expertus et vincula et carceres, mendicitates et nuditates et angustias, didicit sicut Paulus, ad Philippenses ultimo, in quibus esset sufficiens (esse): *Ego enim didici in quibus sum sufficiens esse* etc.; et quoniam doctrina veri discipuli per patientiam dignoscitur, beatus Franciscus in doctrina sua est laudandus et imitandus, et ab eo addiscendum est. — Quarto, quia docet quod didicit *sine dubitatione* propter signorum firmitatem. Ex signis enim certissime scivit, quod doctrina, quam didicerat, salutaris erat; et ideo in ipsa securus permanebat, secundum quod dicitur secundae ad Timotheum tertio: *Tu vero permane in his quae didicisti, et credita sunt tibi, sciens, a quo didiceris.* Ideo hortatur Apostolus Timotheum in doctrina solide permanere, quia sciebat et certus erat per signa et miracula, quod doctrina, quam didicerat, salutaris erat. — Per hunc modum beatus Franciscus in eo quod didicit, est confirmatus; ideo ad modum Apostolorum *profectus praedicavit ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis,* Marci ultimo[8].

De tert

S. Fra ecus.

De qua

S. Fran ecus.

Placuit enim Domino huius Sancti doctrinam et Regulam non solum miraculorum prodigiis, sed etiam

Divina firmatio plex do nae ips

[1] Psalm. 6, 7; sequitur Ier. 13, 23.
[2] Rom. 3, 4; sequitur Gal. 1, 11. seq.
[3] Pro *per ministerium humanum* in cod. Monacensi legitur *per ministrum cum filiis suis, sicut et Franciscus commisit suum Evangelium praedicandum, sicut ex vocatione et Regula colligitur.*
[4] Vers. 13. et dein v. 8. seq. et Cant. 8, 7.
[5] Sap. 1, 1.
[6] Iac. 1, 25; sequuntur Matth. 5, 19. et Eccli. 34, 9.
[7] Vers. 8; sequuntur Phil. 4, 11. et II. Tim. 3, 14.
[8] Vers. 20.

stigmatum suorum signaculis authenticare et confirmare, ut nemo possit nec ad exterius nec ad interius rationem [1], sane de fide sentiens, contraire. Placuit enim divinae bonitati Regnlae et doctrinae beati Francisci snam bullam apponere, quia ipse non ausus fuit docere nec scribere, nisi quod a Domino accepit. Nam, sicut ipsemet contestatus est, totam Regulam snam per revelationem didicerat; et ideo, sicut moris est Summo Pontifici bulla sua litteras confirmare, sic et Christus, recognoscens, Francisci doctrinam esse suam, bullam snorum signaculorum apposuit, per quam ipsius doctrinam irrefragabiliter confirmavit. — Vel certe, quia doctrina Francisci ex ipso firmitatem apud homines habere non poterat, utpote quia sine litteris mercator, non litteratus doctor exstiterat, ne qnis sapientum auderet eius doctrinam vel Regulam tanqnam ignorantis hominis parvipendere; placuit Domino eam signis evidentibus tanquam supercaelesti bulla et mirabili confirmare. In quo apparet, altitudinem divini consilii esse mirabiliter admirandam, quam in principio hnius Evangelii [2] Christus insinnat, cum ait: *Confiteor tibi, Pater, Domine caeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis.* Quis *parvulus* nisi beatus Franciscus, humilis et despectus, qui inter parvulos, hoc est Fratres Minores, retinet principatum? — Valde igitnr duri cordis est qui doctrinam et Regulam beati Francisci tantis signis confirmatam dubitat esse viam instissimam ad perveniendum ad vitam, maxime cum multipliciter constet, Deum talia signa eius corpori mirabiliter impressisse: tum propter testium *pluralitatem*, tum propter testium *auctoritatem*, tnm etiam propter testium *sanctitatem*. Testium *pluralitas* indubitatam facit fidem, quia multi saeculares fide digni, qui oculis aspexerunt, ultra centum suo testimonio confirmarunt clerici. Et si *in ore duorum vel trium testium omne verbum* debet *stare* [3], quanto magis in ore centum testium! — Testificantium *auctoritas* certitndinaliter roborat mentes credentium. Hoc enim a Romana Curia, cuius auctoritas in terris suprema, confirmatum exstat et approbatum, et contrarium praedicantes einsdem auctoritate, sicut a veritate elongantur, ita sunt a communione fidelium separandi. — Testificantium *sanctitas* irrefragabiliter confirmat omnem dubitationem evacnat; quoniam socii sni, viri mirae sanctitatis, quorum vita probata et sanctitas manifesta, non tepide asserendo, sed cum insinrandi firmitate certissime asseverant, se illa signa mirabilia oculis conspexisse, manibus contrectasse.

Omnis igitur mundus de tanto munere gratias referat altissimo Creatori, qui talibus signaculis in sancto Francisco dignatus est non solum viam veritatis ostendere, vernm etiam *mirabiliter*, sed valde *rationabiliter* solidare. — *Mirabiliter*, inquam, si ad *causas inferiores* velimus aspicere; fuernnt enim illa signa impressa *praeter consuetudinem, contra naturam* et *supra artem: praeter consuetudinem;* quis enim audivit unqnam, qnod in corpore alicnius apparuerint tam pulcherrimae margaritae? *Contra naturam* vero, quia latus perforatum erat et sacrum sanguinem emittebat, et sine appositione ligaminis Sanctus Dei vivebat et laboriosis et continuis operibus diutius insistebat; *supra artem* vero, quia manus non habebat excoriatas aut perforatas, quia hoc potest fieri aliquo ferreo vel ligneo instrumento; sed clavi in ipsa carne crevernnt, quia ex una parte capnt habebant, ex altera plicabantur et divisi erant et ab alia carne distincti in manibus et pedibus adeo mirabiliter, nt nemo fidelium dubitare debeat, aliter quam admirando miraculo talia signa nullatenus imprimi potuisse.

De impressionis stigmatum mirabilitate triplici.

Fuerunt tamen valde *rationabiliter* impressa, si ad *causas superiores* mentes nostras velimus aliquantulum elevare [4]. Nam hoc requirebat *divini regiminis providentia*, finalis *Ecclesiae indigentia*, snae *virtutis eminentia*. — Divini *regiminis providentia* hoc requirebat, quod hominem mercatorem mercium volnit facere *piscatorem hominum* et ducem eorum qui perfecte imitarentur Christum; et ideo tradidit ei ferendum suum vexillum, hoc est Crucifixi signaculum. — Hoc etiam exigebat finalis *Ecclesiae indigentia*. Nam in principio Ecclesiae regnavit *infidelitas*, in progressu *haeresis*, in consummatione *iniquitas*, pro eo qnod in fine *refrigescet caritas multorum* [5]. Ideo Dominus primo dedit miracula *potentiae* ad idololatriam expellendam, postmodum doctoribus argumenta sapientiae ad haeresim exstirpandam, postremo beato Francisco signa *pietatis et misericordiae* ad caritatem accendendam. Et quae sunt signa caritatis inflammantia nisi illius passionis, quam sustinere volnit pro nobis Deus propter *nimiam caritatem?* — Hoc etiam exigebat suae *virtutis eminentia*, quae maxime consistebat in dilectione Crucifixi ardentissima, ob quam semetipsum compassionis lacrymis adeo afflighat, ut visum corporalem amitteret. Et quoniam « tanta est vis amoris, ut dicit Hugo de sancto Victore [6], nt transformet amantem in amatum »; sicut amor Crucifixi in mente eius excellenter et mirabiliter ardebat, sic Crucifixus in specie Seraphim, id est spiritus angelici, incendio amoris ardentissimi, exterius beatis oculis eius apparebat et suis membris sacra stigmata imprimebat. — Nec hoc incredibile vel minus rationabile iudicari debet, cum consimile beato Ignatio legatur [7] contigisse. Cum

Item, de eius rationabilitate triplici.

Regiminis providentia.

Ecclesiae indigentia.

Virtutis eminentia.

Exemplum Ignatii Martyris.

[1] De hac Boethii versione verborum Aristotelis cfr. I. Poster. c. 8. (c. 10.) et Bonav., tom. I. pag. 155, nota 10.

[2] Matth. 11, 25.

[3] Matth. 18, 16.

[4] Quae sequuntur usque ad verba *Non sit igitur*, fere verbotenus usurpantur in quodam sermone cod. Berolinensis N de S. Francisco et de themate: *Faciamus hominem ad imaginem* etc. — Deinde respicitur Matth. 4, 19.

[5] Matth. 24, 12. Inferius respicitur Eph. 2, 4.

[6] De Arrha animae.

[7] Cfr. Acta Sanctor. die 1 Febr., Commentar. praevius § 1. n. 6. seq. et ibid. vita S. Ignatii, auctore Metaphraste, c. 2. n. 4. seq.

requireretur a tyranno, ut Christum negaret, respondit, quod Christus de ipsius ore removeri non posset; et cum ille minaretur, se caput ipsius abscindere et ita removere de ore; respondit, quod si auferret de ore, non tamen de corde. Cupiens igitur tyrannus saeviendo Sanctum Dei convincere, capite abscisso, cor extra corpus extrahi iussit; quod cum fuisset extractum, inventum est habens in se litteris aureis scriptum nomen Domini Iesu Christi. Et hoc valde decenter est factum; *posuerat* enim Christum *ut signaculum super cor suum, ut signaculum super brachium suum* [1]. Et quia Franciscus posuerat Christum crucifixum *signaculum super brachium suum*, ideo in carne eius gemmae stigmatum Iesu Christi crucifixi exterius apparuerunt, mirabili Dei virtute rationabiliter operante. — Non sit igitur *oculus* cuiusquam *nequam*, *quia Deus bonus est;* sed omnes doctrinam Christi, immo Francisci audiant et addiscant tanquam boni doctoris, qui docuit quod didicit sine *deceptione*, sine *fictione*, sine *oblivione*, sine *dubitatione*. Dicat igitur beatus Franciscus: *Discite*, alios *excitando;* dicat nihilominus alios *informando: quia mitis sum et humilis corde.*

S. Francis-cus.

Hortatio.

II. Addiscite, hoc est, ad meum exemplum *sitis mites et humiles. Mitis* est homo per affectum *fraternitatis; humilis*, per affectum *inferioritatis* sive minoritatis; unde esse *mitem*, hoc est esse omnium *fratrem;* esse *humilem*, hoc est esse omnibus *minorem:* esse ergo mitem et humilem corde, hoc est esse vere *fratrem minorem;* discite igitur a me esse mites et humiles, hoc est esse fratres minores. Quamvis autem non omnium sit, esse Fratrem Minorem habitu et professione, omnes tamen oportet esse fratres minores re, qui volunt salvari, hoc est esse mites et humiles, praescribente illa sententia Domini, Matthaei decimo octavo [2]: *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum. Parvulus* est mitis et humilis; et talis debet esse servus Christi, ut sit *mitis* per ordinationem sui ad proximum et *humilis* per ordinationem ad Deum; et in his consistit summa evangelicae legis et doctrinae beati Francisci. — Et primum praemittit de *mansuetudine* tanquam de facilori, quae, licet sit facilis animae bene dispositae, tamen est *necessaria* et perutilis: *necessaria* ad *studium veritatis* quantum ad accedentes, ad *exercitium bonitatis* quantum ad proficientes, ad *iudicium aequitatis* quantum ad praesidentes, ad *bravium aeternitatis* quantum ad pervenientes, et omni statui et generi competit [3].

Pars II. De forma doctoris per duplicem virtutem.

Primo, de mansuetudine necessaria ad exercitium quadruplex.

Primum igitur ad *studium veritatis* est necessaria tam in *audiendo* quam in *conferendo*. In *audiendo* oportet esse mansuetum, ut capiat; Ecclesiastici quinto [4]: *Esto mansuetus ad audiendum verbum, ut intelligas.* Sicut enim imago non relucet nisi in aqua quieta, sic verbum doctrinae non recipitur nisi in anima mansueta. Mansuetum etiam oportet esse in *conferendo*, quia « ira impedit animum, ne possit cernere verum »; Glossa: « Mitis est quem ira vel rancor non afficit nec asperitas seu amaritudo »; unde secundae ad Timotheum secundo: *Servum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati;* quanto magis mansuete eos debet audire, qui veritatem requirunt. — Secundo necessaria est ad *exercitium bonitatis*, et hoc tam *interius* quam *exterius: interius*, ut complaceat iudicio interiori; *exterius*, ut complaceat iudicio et animo proximi. Ad mansuetudinem *interiorem* habendam hortatur nos Ecclesiasticus decimo [5]: *Fili, in mansuetudine conserva animam tuam et da illi honorem secundum meritum suum. Servare animam in mansuetudine* est in pace custodire affectum; *dare illi honorem secundum meritum* est ipsam non perturbare nisi propter peccatum. Ad mansuetudinem *exteriorem* hortatur Ecclesiasticus tertio, dicens: *Fili, in mansuetudine opera tua perfice, et super hominum gloriam diligeris.* Ideo homo mansuetus diligitur, quia naturalem proprietatem hominis conservat, et affectus socialis est hominis ad hominem per naturam.

Item, ad exercitium bonitatis.

Tertio necessaria est ad *iudicium aequitatis;* quia sine mansuetudine non fit *correctio*, sed *destructio*. Ideo dicitur primae ad Corinthios quarto [6]: *Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in caritate et spiritu mansuetudinis?* quasi dicat: in utroque veniam; quia non est vera aequitas iudicii, nisi mansuetudini iuncta sit virga, nec e converso. Sine *virga* enim mansuetudo est remissio in praelato, quemadmodum patet in Heli, primi Regum secundo. Et ideo dicitur Sophoniae secundo [7]: *Diligite Dominum, omnes mansueti terrae, qui iudicium eius estis operati.* Similiter sine *mansuetudine* virga perimit, non corrigit; unde Psalmus: *Supervenit mansuetudo, et corripiemur.* Non desaevit in subditum tanquam in adversarium, sed corripit tanquam fratrem et socium; ideo Ecclesiastici quarto: *Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos et opprimens subiectos tibi.* — Quarto necessaria est mansuetudo ad obtinendum *bravium aeternitatis*. Propter quod scribitur Matthaei quinto [8]: *Beati, mites, quoniam ipsi possidebunt terram;* et in Psalmo: *Mansueti autem hereditabunt terram et delectabuntur in multitudine pacis.* Quia enim in terra pacifice et bene conversati sunt et iniuste a litigiosis oppressi, ideo iusto Dei iudicio, electis immitibus, *mansueti terram hereditabunt*, non hanc materialem, sed *terram viventium*, quae eis concedetur et adiudicabitur

Item, ad iudicium aequitatis.

Item, ad bravium aeternitatis.

Necessaria est ad studium veritatis.

[1] Cant. 8, 6; infra respicitur Matth. 20, 15.
[2] Vers. 3.
[3] Verba *et omni statui* etc., omittuntur in cod. Tudert. n. 182.
[4] Vers. 13; sequuntur Dionys. Cato, II. Distrib. 4. et deinde Glossa *ordinaria* in Matth. 5, 4. et II. Tim. 2, 24. seq.
[5] Vers. 31; sequitur c. 3, 19.
[6] Vers. 21; deinde respicitur I. Reg. 2, 22. seqq.
[7] Vers. 3, ubi Vulgata: *Quaerite Dominum;* sequuntur Ps. 89, 10. et Eccli. 4, 35.
[8] Vers. 4; sequuntur Ps. 36, 11. et Isai. 11, 4.

per futurum iudicium, sicut pauperibus caelum, qui voluntarie terram dimiserunt caelestia appetentes; unde Isaiae undecimo: *Iudicabit in iustitia pauperes*, ut scilicet det eis caelum, *et arguet in aequitate pro mansuetis terrae*, ut det eis terram viventium. Hanc igitur mansuetudinem tanquam pernecessariam a beato Francisco debemus addiscere, qui non tantum ad homines, sed etiam ad animalia bruta miram servabat mansuetudinem; unde et omnia animalia nomine *fratrum* vocabat, et animalia indomita ad ipsum tanquam ad sibi familiarem et domesticum recurrebant, sicut in eius vita legitur. Unde bene potest in eius laudem cantari quod dicitur de Moyse Numerorum duodecimo [1]: *Erat Moyses mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra.* Dicat igitur beatus Franciscus quasi alter Moyses: *Discite a me, quia mitis sum* etc.

Dicat etiam: *Discite a me, quia humilis sum corde*, id est, discite esse veraciter *humiles*, non fallaciter, sicut illi qui nequiter se humiliant, ut hypocritae, de quibus legitur Ecclesiastici decimo nono [2]: *Est qui nequiter se humiliat, et interiora eius plena sunt dolo;* et Apostolus ad Colossenses secundo: *Nemo vos seducat, volens in humilitate et religione Angelorum, quae non vidit, ambulans, frustra inflatus sensu carnis suae.* Ad hanc non hortatur, sed ad illam humilitatem, quae cordis est, de qua dicit Bernardus super Cantica: « Verus humilis vult vilis reputari, non humilis praedicari ». — Hanc humilitatem habuit excellenter beatus Franciscus, *hanc amavit et exquisivit* [3] ab initio Religionis usque in finem; pro hac mundum reliquit, nudum se trahi per civitatem praecepit, leprosis servivit, peccata sua in praedicatione manifestavit, sibi etiam exprobrari mandavit. Hanc virtutem ab eo maxime debemus addiscere. Ut autem hanc cupiamus, considerandus est *fructus*, propter quem est desideranda; *modus*, per quem acquirenda; *usus*, secundum quem conservanda. — *Fructus* autem eius est multiplex: primus est, quia *mitigat Dei iram*, dum compellit Deum differre poenam, quam mernit quis per culpam; quod bene significatur tertii Regum vigesimo primo, ubi dicit Dominus ad Eliam: *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius.* Mira humilitatis efficacia, ut possit continere manum divinam! Ideo dicebat Propheta in Psalmo: *Custodiens parvulos Dominus, humiliatus sum, et liberavit me. Dominus* enim *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* [4] et eos conservat et custodit, quia *alta de longe*, sed *humilia* de propinquo *respicere* non desistit nec potest despicere; Psalmus: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.* — Secundus, quia *invenit gratiam.* Sicut enim qui vult invenire aquam necesse habet fodere in terram; sic qui vult invenire *aquam vivam* [5] puteum humilitatis in se ipso fodiat; unde Ecclesiastici tertio: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam; Deus enim superbis resistit* etc. Hoc modo beata Virgo *invenit gratiam apud Deum*, sicut ipsamet testatur Lucae primo [6]: *Respexit* Dominus *humilitatem ancillae suae;* nec mirum; quia humilitas caritati locum praeparat, dum mentem a vanitate evacuat. Propter quod dicit Augustinus: « Quanto sumus a tumore superbiae inaniores, tanto sumus dilectione pleniores ». Et sicut aqua confluit ad valles, sic gratia Spiritus sancti defluit ad humiles; et sicut aqua tanto altius ascendit, quanto magis descendit [7], sic oratio, quae de corde humiliato procedit, magis propinquat et resonat auribus Dei, ut impetret gratiam; unde Ecclesiastici trigesimo quinto: *Oratio humiliantis se nubes penetrabit, et donec appropinquet, non consolabitur;* quia Deus *voluntatem timentium se faciet et deprecationem eorum exaudiet et salvos faciet eos.*

Tertius, quia *consummat iustitiam*; unde Matthaei tertio [8]: *Sine modo, sic enim decet, nos implere omnem iustitiam;* Glossa: « Id est humilitatem perfectam, quae est perfecta iustitia ». Consistit enim in perfecta humilitate abundans iustitia, et in abundanti institia humilitas, quae est virtus maxima, secundum quod dicitur Proverbiorum decimo quinto: *In abundanti iustitia virtus maxima est.* Haec humilitas est virtus maxima, quia maximum facit hominem coram Deo, vel quia haec est virtus sola, quae Deum reveretur et honorat ut maximum; unde Ecclesiastici tertio: *Quoniam magna potentia Dei solius, et a* solis *humilibus honoratur.* Soli humiles Deum honorant, quia alii se ipsos volunt honorari, non Deum. Si igitur omnis nostra institia et totius christianae religionis summa in honorificatione Dei consistit. planum est, in humilitate esse *abundantem iustitiam, et in abundanti iustitia virtutem maximam.* Unde Augustinus ad Dioscorum [9] quaerentem summam perfectionis evangelicae, respondit, sicut respondit quidam philosophus interrogatus, quid doceretur in rhetorica, respondit ille primo interrogatus, quod ibi doceretur eloquentia; interrogatus secundo, respondit: eloquentia; interrogatus tertio, respondit: eloquentia. Similiter Augustinus respondit: Si quaeras, quae sit summa perfectionis evangelicae, respondeo: humilitas;

ilo, de
itate
is que
s, mo-
dinan.

ranci-
os.

Ideamiti-
al fructa
eruplici.
primo.

De secundo.

De tertio.

[1] Vers. 3.

[2] Vers. 23; sequuntur Coloss. 2, 18. et Bernard., serm. 16. in Cant. n. 10.

[3] Respicitur Sap. 8, 2; sequuntur III. Reg. 21, 29. et Ps. 144, 6. [4] Iac. 4, 6; sequuntur Ps. 137, 6. et Ps. 50, 19.

[5] Respicitur Ioan. 4, 10; sequuntur Eccli. 3, 20; Iac. 4, 6. et Luc. 1, 30.

[6] Vers. 48; sequitur August., VIII. de Trin. c. 8. n. 12.

[7] Cfr. August., serm. 2. in Ps. 103. n. 10. — Sequuntur Eccli. 35, 21. et Ps. 144, 19.

[8] Vers. 15. cum Glossa *ordinaria* apud Lyranum; sequuntur Prov. 15, 5. et Eccli. 3, 21.

[9] Epist. 118. (alias 56.) c. 3. n. 22. Philosophus citatus est Demosthenes.

si secundo requiras, respondeo: humilitas; et si tertio, respondeo: humilitas. Et quidam sanctus pater [1] interrogatus: quae esset perfectio hominis, respondit: humilitas. Et Dominus interrogatus a discipulis, ut angeret eis institiam fidei, Lucae decimo septimo, respondit: *Cum feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus.* — Quartus fructus est, quia *perducit in gloriam;* et hic est fructus ultimus et perfectus; et de hoc dicitur Iob vigesimo secundo: *Qui humiliatus fuerit erit in gloria, et qui inclinaverit oculos* suos, *ipse salvabitur;* quasi dicat: per humilitatem evitatur omne malum, et per eandem obtinetur omne bonum. Et bene dicit: *erit in gloria;* quia, quanto hic est humilior, tanto in caelo erit altior et sublimior, secundum rectam retributionem. Qui enim in via est vilior et humilior, Christo est proximior, qui sedit *in loco novissimo* [2]; et sicut proximior Christo fuit in via, ita etiam proximior debet esse in patria; et super omnes constat esse Christum: oportet igitur, gloriosum inter omnes esse Christi ministrum, quia, *ubi ipse est, illic et minister* suus *erit;* vel certe, quia, quanto quis vilior, tanto minus de vana gloria habuit; et ideo *hic* nihil habet de sua remuneratione, et propterea maior et gloriosior in vera gloria debet apparere, utpote qui illam solam desideravit et quasi unicam desponsavit.

De quarto fructu.

Horatio. — Propter hunc quadruplicem fructum totis praecordiis est amplectenda humilitas, quia, licet testa exterior inutilis videatur et arida, tamen nucleum celat arida testa bonum. Et quemadmodum agricola frumentum mandat terrae cooperiendum et putrefiendum propter fructum, quem intuetur, sic hilariter debet quis desiderare sui contemptum; ideo dicit beatus Iacobus in Canonica, primo [3]: *Glorietur frater humilis in exaltatione sua.* Hic est igitur fructus.

Deinde considerandus est *modus*, secundum quem haec virtus tam nobilis est acquirenda. Attendenda, quod ad hanc perveniur quadruplici semita: prima est *consideratio Dei;* haec enim est via recta ad nostram humilitatem deducens, si quis recte consideret. Debet enim Deus considerari ut *auctor* omnium bonorum et ut *remunerator* meritorum. Quia *auctor* est omnium bonorum, debemus illi dicere: *Omnia opera nostra operatus es nobis, Domine* [4]; et ita omne bonum sibi attribuere et nihil nobis. Et hoc facit nos humiles; unde primae Petri ultimo: *Humiliamini sub potenti manu Dei,* considerantes, quod non *fortitudo nostra aut robur manuum nostrarum* fecit bona, quae habemus, sed *ipse Dominus fecit nos, et non ipsi nos* [5]; et hoc evacuat superbiam, quae dicit: *Manus nostra excelsa, et non Dominus fecit haec omnia.* — Debet etiam considerari ut institissimus *retributor* et adeo severus, quod nulli defert, immo pro unico motu cordis nobilissimos spiritus angelicos in perpetuum deiecit de caelo; et ideo Ecclesiastici septimo: *Humilia valde spiritum tuum, quoniam vindicta carnis impii ignis et vermis* est.

De humilitate acquirenda modo quadruplici. Primo, consideratione duplici Dei.

Secunda semita est *rememoratio Christi;* rememorari debemus, quod Christus humiliatus fuit usque ad vituperabilissimum genus mortis in nostrae *redemptionis pretium* et in nostrae *directionis exemplum:* in nostrae *redemptionis pretium,* sicut dicitur Isaiae quinquagesimo tertio [6]: *Reputavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo et humiliatum.* Et si ipse humiliavit se propter nostram salutem, nonne et nos debemus humiliari propter suum honorem? Rursus, humiliavit se in nostrae *directionis exemplum,* sicut dicit Ioannes, decimo tertio: *Exemplum dedi vobis* etc. Si ergo ipse est noster *Dominus et Magister, et non est servus maior domino suo, et discipulus non est super magistrum;* si servi Christi sumus, humiles et contemptibiles esse debemus. Et ad hoc hortatur Apostolus ad Philippenses [7]: *Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Iesu;* et post: *humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem* etc. O quam incurialis est ille Christianus, qui Dominum suum videt humiliatum et despectum, et ipse *exaltat cor suum et ambulat in magnis et mirabilibus super se!*

Secundo, rememoratione duplici Christi.

Tertia semita est *circumspectio sui;* tunc homo se circumspicit, quando non solum se, sed extrema sua recogitat, scilicet *quo vadat,* vel *unde veniat;* et tunc in *medio* suarum miseriarum se considerat; unde Michaeae sexto [8]: *Humiliatio tua in medio tui.* Considera, *unde veneris,* quia de massa perditionis et de pulvere et limo terrae factus es *in peccatis natus es totus* et in peccatis conversatus; et nunc exules a beatitudine paradisi. Et haec tua consideratio spiritum tumoris abiicit et excludit in tantum, ut clamare incipias cum tribus pueris, Danielis tertio: *Sumus hodie humiles in universa terra propter peccata nostra.* — Conspice etiam extremum aliud, scilicet *quo tendis.* Tendis enim ad corruptionem et incinerationem; *pulvis es et in pulverem reverteris,* Genesis tertio [9]. *Quid* ergo *superbis, terra et cinis?* Si hodie es, cras non eris; si hodie sanus et fortis, cras infirmaberis; si hodie dives, forte cras mendicabis; si hodie sapiens, cras forte stultus efficieris. Quis ergo, in tanta calamitate positus, audeat superbire? Nisi forte qui se non circumspicit, sed praesens bonum ut nunc aspicit et dicit quod dicitur Apocalypsis tertio de superbo: *Dicis, quia dives sum,*

Tertio, circumspectione sui duplici.

Unde venis.

Quo tendis.

---

[1] Cfr. IV. de Vitis Patrum, lib. 15. de humilitate, n. 77. et 22. — Sequuntur Luc. 17, 10. et Iob 22, 29.

[2] Respicitur Luc. 14, 10; sequitur Ioan. 12, 26.

[3] Vers. 9.

[4] Isai. 26, 12; sequuntur 1. Petr. 5, 6. et Deut. 8, 17.

[5] Psalm. 99, 3; sequuntur Deut. 32, 27. et Eccli. 7, 19.

[6] Vers. 4; sequuntur Ioan. 13, 15. seqq. et Matth. 10, 24.

[7] Vers. 5, 8; sequitur Ps. 130, 2. seq.

[8] Vers. 14; sequuntur Ioan. 9, 34. et Dan. 3, 37.

[9] Vers. 19; sequuntur Eccli. 10, 9. et Apoc. 3, 17.

quoad bona naturalia; *et locupletatus*, quoad spiritualia; *et nullius egeo*, quoad temporalia. Sed considera te ipsum, et tunc scies, quod *es miser et miserabilis*, in naturalibus; *pauper et caecus*, in spiritualibus; *et nudus*, in temporalibus, quia *nudus existi de utero matris et nudus illuc reverteris* [1], quia *nihil intulisti in hunc mundum neque quidquam auferes* tecum.

Quarta semita est *honorificatio proximi*. Haec autem consistit in hoc, ut homo proximum honoret *exterius*, secundum quod dicit beatus Petrus in prima Canonica sua [2]: *Omnes invicem humilitatem insinuate*, et hoc maxime ad maiores. Est etiam honoratio *interior*, quando scilicet reputat alium meliorem se; et hoc unusquisque debet facere, sicut dicitur ad Philippenses secundo: *In humilitate superiores sibi invicem arbitrantes*. Et hoc pro certo debet homo habere, quod quilibet proximus aliquam gratiam habet, vel occultam, vel apertam, propter quam debet eum meliorem se reputare. Unde Elias, credens, se solum esse Domini servum, reprehensus est, cum dictum est ei: *Derelinquam mihi septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal.* Unusquisque sua mala melius novit quam aliena [3].

Postremo considerandus est *usus*, secundum quem custodienda, et hic est sub quadruplici differentia. Qui enim vult humilitatem continue custodire necesse habet, se ipsum assuefacere ad ea, per quae conservatur; et primo ad *gemitum cordis;* Proverbiorum duodecimo [4]: *Moeror in corde viri humiliabit illum.* Moeror de peccatis deiicit inflationem spiritus, et continuus dolor non patitur, aliquod adulationis verbum resonare in corde, quod mentem extollat. Quod bene significatum est Iob secundo, ubi dicitur, quod *nemo loquebatur ei verbum; videbant enim, dolorem esse vehementem.* Vehementia enim doloris, quae in rugitu cordis consistit, totam mentis intentionem ad Deum convertit et etiam mentem a vanitate evacuat et replet humilitate; unde Psalmus: *Afflictus sum et humiliatus sum nimis, rugiebam a gemitu cordis mei.* — Secundo vero ad *silentium oris*, et hoc humilitatem conservat; unde in Psalmo [5]: *Obmutui et humiliatus sum et silui a bonis.* Humilitas enim conservatur per silentium, sed non per silentium a malis, sed *a bonis;* quia non debet bona, sed mala sua publicare, sicut mos est mendicantibus suas infirmitates ostendere; unde Ecclesiastici decimo octavo: *Ante languorem humilia te et in tempore infirmitatis ostende conversationem tuam.* Hoc autem fit per veram et puram confessionem.

Tertio ad *exercitium laboris;* nam labor et afflictio humilitatem conservat; unde Esther decimo quarto [6] dicitur, quod *Esther corpus suum humiliavit ieiuniis omniaque loca, in quibus antea laetari consueverat, crinium laceratione complevit.* Taliter homo humilitatem poenitentiae semper in se debet conservare, sicut dicebat ille verus poenitens: *Humiliabam in ieiunio animam meam.* Unde qui vult humilitatem continuam habere, continuis macerationibus carnis, utpote ieiuniis, vigiliis, orationibus et disciplinis, debet insistere. — Quarto ad *contemptum honoris;* et hoc facit homo per obsequia vilitatis, quae ab aliis contemnuntur. Sic faciebat rex David; secundi Regum sexto [7]: *Ludam et vilior fiam, plus quam factus sum, et ero humilis in oculis meis* etc.; sic beatus Franciscus, qui se nudum per civitatem sicut glutonem trahi fecit et etiam leprosis servivit. Et quia exemplum humilitatis excellentissimum posteris reliquit, ideo secure dicit: *Discite a me*, non solum esse *mites*, sed etiam *humiles* corde, quoniam ego mitissimus et humillimus sum. Unde sibi recte competit illud quod dicitur Ecclesiastici undecimo [8]: *Est homo marcidus et egens recuperatione*, propter asperitatem poenitentiae, *plus deficiens virtute et abundans paupertate*, propter altitudinem paupertatis et inopiae; *et oculus Dei respexit illum in bono*, dando ei munera gratiae, *et erexit eum ab humilitate ipsius et exaltavit caput eius*, liberando a statu praesentis miseriae et perducendo ad culmen gloriae, ad quod nos perducat ipsius precibus unigenitus Dei Filius, Dominus Iesus Christus. Amen [9].

De tertio.

De quarto.

S. Francisco.

---

[1] Iob 1, 21; sequitur I. Tim. 6, 7.

[2] Cap. 5, 5; sequuntur Phil. 2, 3. et deinde III. Reg. 19, 18.

[3] Quae sequuntur deficiunt in cod. Tudertino n. 182.

[4] Vers. 25; sequuntur Iob 2, 13. et Ps. 37, 8.

[5] Psalm. 38, 3; sequitur Eccli. 18, 21.

[6] Vers. 2; sequitur Ps. 34, 13.

[7] Vers. 22.

[8] Vers. 12. seq.

[9] S. Bonaventurae tribuuntur complures aliі de S. Francisco sermones, sive typis impressi, sive manuscripti, qui vel sparii, vel dubii, vel ita ab aliena manu mutati apparent, ut inter Bonaventurianos recipi nequeant. Horum unum huic S. Doctori tributum de themate: *Surrexit Elias propheta quasi ignis* (Eccli. 48, 1.), edidit primus Petr. Ant. Uccelli in opusculo: *S. Thomae... et Bonaventurae Sermones anecdoti* (Mutinae 1869), quem exscripsit ex cod. 15034. (Sorbon. 1660.) biblioth. Parisiensis Nationalis, ubi re vera Bonaventurae inscribitur. Hinc etiam P. Fidelis a Fanna, *Ratio novae collectionis* (pag. 291) eundem primitus censuit esse genuinum, qui tamen postea, certa aliorum codicum auctoritate innixus, ipsum Fr. Guilberto de Tornaco O. F. M. vindicavit. Habetur enim ille sermo in collectione *Sermonum de Sanctis*, quam Guilbertus circa annum 1250 scripsit, et quae cum *Prologo* auctoris eiusque nomine habetur in eiusdem biblioth. cod. 15942, et sine Prologo in cod. 3285. Alios codd. refert Lecoy (loc. cit. pag. 469). In eadem collectione Guilberti habetur etiam alius de S. Francisco sermo de themate: *Vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi* (Apoc. 7, 2.). Idem sermo, sive alius de eodem themate, non raro in msc. tribuitur Bonaventurae. — Etiam Bonelli (*Supplementum* etc. III. col. 698) edidit ex quodam cod. Assisiensi de S. Francisco alium sermonem de themate: *Innova signa et immuta mirabilia* (Eccli. 36, 6.). Neque hunc recepimus, cum vel spurius, vel nimis mutatus ab aliena manu esse videatur, deficiente etiam parte II. — Dubius etiam nobis visus est alius de eodem Sancto sermo inedituus, valde diffusus, doctus et ingeniosus, quem descriptum habemus ex cod. sign. B. X. 4. biblioth. Basileensis, de themate: *Angelus Domini exercituum est* (Malach. 2, 7.). In isto

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM (1 Nov.).

Sermo I [1].

Filii Sanctorum sumus et vitam illam exspectamus, quam Deus daturus est his qui fidem suam nunquam mutant ab eo [2].

In his verbis Tobiae sublimitas Sanctorum ex- Divisio.
plicatur ut veneranda nobis: propter *privilegium perfectionis* eximiae, cuius exemplo informamur: *Filii Sanctorum sumus;* propter *praemium beatitudinis* aeternae, cuius desiderio trahimur: *et vitam illam exspectamus* etc.; propter *complacentiam acceptionis* divinae, cuius indicio approbamur.

I. Circa primum notandum, quod *filii Sancto-* Pars I. De privilegio perfectionis in 6 gradibus.
rum sumus, non carnis propagatione, sed sanctitatis informatione et imitatione. Haec autem sanctitas quasi per sex gradus in nos descendit ab ipso primo fonte sanctitatis. Unde notandum, quod sanctitas est *Deo trino et uno* per supersubstantialem essentiam; *homini-Christo*, per unionem deificam; *Virgini Matri*, per singularem excellentiam; *hierarchiae caelesti*, per comprehensionem gloriosam; *ecclesiasticae potestati*, per sacramentalem influentiam; *Ecclesiae uni-* De primo gradu.
versali, per desponsationem gratuitam. — De primo, Isaias: *Seraphim clamabant alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus;* si ter clamant ad *aliud* et *aliud* in Deo significandum, dicunt falsum; si ad *idem* replicandum, hoc est nugatorium; si ad *laudem* multiplicandam, hoc est diminutivum. Cum igitur non debeant de Deo simplici aliud et aliud dicendo significare falsum, nec idem superflue repetendo nugatorium, nec infinities laudandum ter laudare, quod est diminutivum; restat, ut per hoc exprimant sanctissimae Trinitatis mysterium, quia non accidentaliter, sed essentialiter est sanctus. Et notandum, quod non dicunt *bonus*, nec *iustus* et cetera huiusmodi; sed *sanctus*, quia, cum secundum Dionysium [3], *sanctum esse* sit ab inquinatione purissimum, et esse purissimum est maxime actuale et perfectum: in hoc nomine *sanctus* dicunt quidquid Alia ratio.
perfectionis de Deo dici potest. — Item, et est alia ratio; quia quod quisque plus appetit, hoc frequentius dicit, quare etiam omnis creatura rationalis debet appetere praecipue divinae sanctitati conformari. Ipsi spiritus seraphici hoc continue clamant et ferventer desiderant. Hinc in principio orationis dominicae ponitur: *Sanctificetur nomen tuum* [4]; quare hic praecipue debemus appetere, ut in nobis divina sanctitas declaretur; et huiusmodi appetitu pervenitur ad timorem Domini, qui est initium omnis boni; Psalmus: *Sanctum et terribile nomen eius, initium sapientiae timor Domini.*

De secundo, Daniel [5]: *Ungatur Sanctus San-* De secundo.
ctorum; Apocalypsis: *Animalia*, quae significant Evangelistas, non cessant clamare: *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* propter triplicem Christi naturam, scilicet *Dei, animae* et *corporis;* vel quia ipse (est) sanctus *Creator, Salvator, Remunerator;* unde et ibi sequitur: *qui erat,* scilicet Creator; *qui est*, (scilicet) Salvator; *et qui venturus est*, scilicet Remunerator; ipse etiam ad hoc natus est, ut homines sanctificaret; Ioannes: *Ego pro eis sanctifico me ipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate.*

De tertio, Ecclesiasticus [6]: *Gratia super gra-* De tertio.
tiam, mulier sancta et pudorata. Beata Virgo gratiam habuit per suam in utero sanctificationem; sed *gratiam super gratiam* per Filii Domini conceptionem. In ipsa enim fuit omnis sanctificationis *susceptio* in utero suae matris; omnis sanctificationis *perpetuatio*, in conceptione Prolis; omnis sanctificationis *diffusio*, in largitione munneris; Psalmus [7]: *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus*, quoad primum; *Deus in medio eius, non commovebitur*, quoad secundum; *adiuvabit eam Deus mane diluculo*, quoad tertium. Hinc a Graecis παναγία, id est, tota sancta dicitur. Dicamus igitur quod Iudith dictum fuit: *Ora pro nobis, quoniam mulier sancta es.*

De quarto, Ecclesiasticus [8]: *Radicavi in populo* De quarto.
honorificato, et in parte Dei mei hereditas illius, et in plenitudine Sanctorum detentio mea. Populus honorificatus sunt caelestis hierarchiae spiritus, in quibus sapientia Dei *radicavit*, id est, tres radices Tres radices.
plantavit, scilicet virtutem *sursum activam*, qua ordinantur ad superius; *custoditivam*, qua ordinantur ad interius; *condescensivam*, qua ordinantur ad

---

codice habentur inter multos alienos sermones nonnulli, qui in catalogo codicis Bonaventurae tribuuntur; sed quia dictus sermo a solito S. Doctoris methodo discrepat, nec hunc nec alios plures de memorato themate: *Vidi alterum Angelum ascendentem* etc., certo genuinos esse censuimus. Constat quidem testimonio Fr. Ubertini de Casali (Arbor vitae Crucifixi, V. c. 1.) et Bartholomaei Pisani (Conformit. III. [in ordine 31.] part. 2.), Bonaventuram in Capitulo Parisiensi super illum textum praedicasse (cfr. Bonelli, Prodrom. col. 219, nota 5 et col. 386 n. 58.). Hunc tamen genuinum sermonem nondum invenimus, quia fortasse non est litteris exceptus. In Legenda maiore (Prolog. n. 1.) Bonaventura de illo loco Apocalypsis, quem ad S. Franciscum applicat, tantum dicit, illo loco hunc Sanctum « astrui non immerito designatum ». Etiam in allegato sermone cod. Basileensis asseritur, illum textum exponi « *ad litteram* de beato Francisco ». Plura de citatis locis Ubertini et Pisani videri possunt in Prodromo Bonelli, col. 219, nota 5., et col. 386 n. 58.

[1] Ex cod. Trecensi n. 1464. fol. 14 cum nomine *bone aventure.* [2] Tob. 2, 18.

[3] Vide supra pag. 503, notam 7.

[4] Matth. 6, 9; sequitur Ps. 110, 9.

[5] Cap. 9, 24; sequuntur Apoc. 4, 8. et Ioan. 17, 19.

[6] Cap. 26, 19. — De sanctificatione B. M. V. in utero cfr. Bonav., III. Sent. d. 3. p. 1. a. 2. q. 1-3.

[7] Psalm. 45, 4. seq.; sequitur Iudith 8, 29.

[8] Cap. 24, 16.

Prima. inferius. Prima consistit in *desiderando, speculando, suscipiendo* [1]; unde in prima hierarchia secundum haec sunt ratione primi *Seraphim*; ratione secundi, Secunda. *Cherubim*; ratione tertii, *Throni*. — Secunda consistit in *imperando, prosequendo, triumphando*; secundum quod in secunda hierarchia sunt ratione primi *Dominationes*; ratione secundi, *Principatus*; Tertia. ratione tertii, *Potestates*. — Tertia consistit in *manuducendo, erudiendo, subministrando*; secundum quae in tertia hierarchia sunt ratione consilii *Virtutes, Archangeli, Angeli*. Praedictae autem radices (sunt) plantatae per naturam, confirmatae per gratiam, consummatae per gloriam. Propter primum dicitur: *Radicavi* etc.; propter secundum: *et in parte Dei mei* etc.; propter tertium: *et in plenitudine Sanctorum detentio mea*. — His coniuncti sunt Sancti nostri; Psalmus: *Exsultabunt Sancti in gloria, laetabuntur in cubilibus suis*.

De quinto [2]: *Aaron et filios eius unges sanctificabisque eos, ut sacerdotio fungantur mihi*. Haec sanctitas datur per impressionem *characteris* indelebilis, quam de congruo sequi debet sanctitas in meritis; Petrus: *Vos* estis *genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis eius qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum*. Et licet sanctitas officii obsit ipsis sine sanctitate meriti, tamen per ipsos Dominus efficit veritatem Sacramenti; Sophonias: *Sacerdotes eius polluerunt* templum *sanctum, iniuste egerunt contra Legem*; et: *Dominus iustus in medio eius non faciet iniquitatem*.

De sexto, Apocalypsis [3]: *Vidi sanctam civitatem, Ierusalem novam, descendentem de caelo*, quia per Christum descendentem in carnem et Spiritum sanctum in mentem descendit sanctitas in Ecclesiam tanquam sponsam etc. Et quia Sponso conformari debet, decuit, ut septemformis spiritus, qui in Christo et *non ad mensuram* fuit, in Ecclesia esset. In Patriarchis enim spiritus *sapientiae* clarnit in cultu divino; in Prophetis, spiritus *intellectus* in speculando; in Apostolis, *consilii* in docendo; in Martyribus, *fortitudinis* in adversa tolerando; in Confessoribus, spiritus *scientiae* divinis mandatis obediendo; in Virginibus, spiritus *timoris* carnem suam edomando. Igitur de tam sancto Sponso et sancta sponsa oportuit, ut nasceretur proles sancta. Unde, cum per baptismum renascimur, sancti efficimur. — Hanc autem sanctitatem servare debemus per imitationem patriarchalis theosebiae in adorando; prophetalis intelligentiae, in speculando; apostolicae benevolentiae, in diligendo; Martyrum constantiae, in tolerando; Confessorum scientiae, iustitiae obediendo; virginei timoris, in sanctimonia conversando.

De his, Psalmus [4]: *Afferte Domino, filii Dei, afferte Domino filios arietum*. Sed conqueritur Dominus per Prophetam: *Si ego*, inquit, *Pater, ubi est honor meus, et si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* Quod cultus Dei in Patriarchis fuerit, in Abraham patuit; unde Lucas: *Iusiurandum, quod iuravit ad Abraham, patrem nostrum, daturum se nobis* etc. *Si ergo filii Abrahae* sumus, *opera Abrahae* [5] faciamus. Sed hodie de clericis Dominus multum conqueritur: *Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me*. — De secundo, Apostolus: *Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino; ut filii lucis ambulate;* Sapientia [6]: *Per nationes in animas sanctas se transfert*. Sed plures intellectum ad terrena quam ad caelestia convertunt, de quibus dicitur: *Filii stultorum esse sub sentibus delicias computabant;* Baruch: *Filii Agar negotiatores Merrhae et Theman, prudentiam, quae de terra est, exquisierunt*. — De tertio, Apostolus [7]: *Imitatores Dei estote sicut filii carissimi et ambulate in dilectione;* in Evangelio: *Orate pro persequentibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in caelis est*. Et licet difficile videatur, diligere inimicos, tamen, cum simus *cives Sanctorum et domestici Dei*, ipsam legem, quam suis Spiritus dedit concivibus, servare conabimur; Apostolus [8]: *In caritate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis* etc. De multis dici potest illud Isaiae: *Vae, filii desertores! ut faceretis consilium, et non ex me, et ordiremini telam et non per spiritum meum, ut adderetis peccatum super peccatum, qui ambulatis, ut descendatis in Aegyptum*. Hoc dicitur de illis qui per mala consilia alios ad peccandum seducunt et suo peccatum alienum apponunt.

De quarto, Apostolus [9]: *Gloriamur in tribulationibus;* Psalmus: *Mirabilis Deus in Sanctis suis* etc. Quid enim mirabilius eo, quod Martyres, ut aiebat Gregorius, « occidi poterant, sed flecti nequibant »? Apostolus [10]: *Sancti ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres. Lapidati sunt, secti sunt* etc. Hos igitur imitari debemus; Apostolus: *In disciplina perseverate. Tanquam filiis* pater *vobis offert se Deus. Quodsi extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulteri et non filii estis*. — De quinto, Ecclesiasticus: *Filii sapientiae, ecclesia iustorum, et natio illorum, obedientia et dilectio;* hic enim coniunguntur quae sunt veri testes fidei confessionis. Si enim fidei es Confessorum *ore*, oportet, ut habeas dilectionem in *corde*,

De Patriarcharum imitatione in adorando.

Item, Prophetarum in speculando.

Item, Apostolorum in docendo.

Item, Martyrum in tolerando adversa.

Item, Confessorum in obediendo mandatis.

De quinto grado.

De sexto.

Septiformis spiritus.

Servandus per 6 imitationes.

[1] Cfr. Bonav., Collat. in Hexaëm. collat. 21. n. 32. 33. et collat. 22. n. 24. seqq. — Sequitur Ps. 149, 5.

[2] Exod. 30, 30; sequuntur I. Petr. 2, 9. et Sophon. 3, 4. seq.

[3] Cap. 21, 2. Deinde respicitur Ioan. 3, 34.

[4] Psalm. 28, 1; sequuntur Mal. 1, 6. et Luc. 1, 73.

[5] Respicitur Ioan. 8, 39; sequuntur Isai. 1, 2. et Eph. 5, 8.

[6] Cap. 7, 27; sequuntur Iob 30, 8. 7. et Baruch 3, 23.

[7] Eph. 5, 1. seq.; sequuntur Matth. 5, 44. seq. et Eph. 2, 19.

[8] Eph. 3, 17; sequitur Isai. 30, 1. seq.

[9] Rom. 5, 3; sequuntur Ps. 67, 36. et Gregor., XXXI. Moral. c. 32. n. 68.

[10] Hebr. 11, 36. seq.; sequuntur c. 12, 7. seq. et Eccli. 3, 1.

obedientiam in *opere;* Psalmus [1]: *Confessio et pulchritudo in conspectu eius, sanctimonia et magnificentia in sanctificatione eius.* Sed contra, de multis dicitur per Apostolum [2]: *Dicunt, se nosse Dominum, factis autem negant;* et hi ab aliis etiam veritatem audire nolunt; Isaias: *Populus ad iracundiam provocans est et filii mendaces, qui dicunt: Loquimini nobis placentia, videte nobis errores.* Iis dici potest illud Apostoli in Actibus: *O plene omni dolo et omni fallacia, fili diaboli! non desinis subvertere vias Domini rectas.* — De sexto, Petrus [3]: *Succincti lumbos mentis vestrae, sobrii perfecte sperate in eam quae offertur vobis gratiam, non configurati prioribus ignorantiae vestrae desideriis, quoniam scriptum est: Sancti eritis mihi, quoniam ego sanctus sum.* Sic ergo, quia Pater noster sanctus est et mater sancta est, nos etiam sancti esse debemus.

Item, Virginum domando carnem.

II. Et licet haec gravia videantur, confortat nos quod sequitur: *vitam illam exspectamus* etc. Ubi notandum, quod vita illa beata est: *gloriosa, victoriosa, tranquilla, opulenta, deliciosa, sempiterna.* Ratione primi appetunt eam *superbi* et invidi; ratione secundi, impatientes et *iracundi;* ratione tertii, negligentes et *accidiosi;* ratione quarti, cupidi et *avari;* ratione quinti, *gulosi* et *lascivi;* ratione sexti appetunt *universi.* Sed isti eam non consequuntur, quia circa eam male afficiuntur. — De primo, Psalmus [4]: *Vitam petiit a te, et tribuisti ei longitudinem dierum in saeculum et in saeculum saeculi. Magna est gloria eius in salutari tuo* etc. Hanc autem consequuntur *humiles;* Proverbia: *Qui sequitur iustitiam,* scilicet humilians se ipsum, *et misericordiam,* ad proximum, *inveniet vitam, iustitiam et gloriam.* — De secundo, Apocalypsis: *Vincenti dabo edere de ligno vitae, quod est in paradiso Dei mei.* Hanc vitam victoriosam consequuntur *patientes;* Apocalypsis [5]: *Beati, qui lavant stolas suas in sanguine Agni, ut intrent per portas in civitatem et sit potestas eorum in ligno vitae.* — De tertio, Proverbia: *Longitudinem dierum et annos vitae et pacem apponent tibi.* Hanc autem tranquillam vitam consequuntur *operantes;* in Evangelio: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata;* Psalmus [6]: *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium.* Sed econtra dicitur in Proverbiis: *Piger propter frigus arare noluit; mendicabit ergo aestate, et non dabitur illi.* — De quarto, Ioannes: *Qui metit mercedem accipit et congregat fructum in vitam aeternam.* Illa enim vita vere est *opulenta,* ubi omnia bona simul sunt congregata. Hanc vitam opulentam accipiunt voluntarii *pauperes;* Matthaeus [7]: *Omnis, qui reliquerit patrem aut matrem* etc., *propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit. Centuplum* hoc perfectionem opulentiae designat surgens ab unitate in denarium et illo in se decies reducto; Ecclesiastae sexto: *Quid habet amplius sapiens a stulto? Et quid pauper, nisi ut pergat illuc, ubi est vita?* Apostolus: *Elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide et heredes regni.* — De quinto, Psalmus [8]: *Inebriabuntur ab uberate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos.* Hanc consequuntur *abstinentes;* Apostolus: *Mortui estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo* etc. — De sexto, Ioannes: *Oves meae vocem meam audiunt, et ego do eis vitam aeternam.* Hanc autem vitam *omnes iusti* consequuntur; ad Romanos [9]: *Liberati nunc a peccato, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam.*

Pars II. De praemio beatitudinis dicuntur sex.

Vita gloriosa.

Virtuosa.

Tranquilla.

Opulenta.

Deliciosa.

Sempiterna.

Sermo II [10].

Ego Iounnes vidi sanctam civitatem, Ierusalem novam, descendentem de caelo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo, Apocalypsis vigesimo primo [11].

(Prothema). *Sapientia aedificavit sibi domum.* Sequitur: *Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem et ad moenia civitatis,* Proverbiorum nono.

Prothema.

In verbo isto ultimo describitur *praedicatoris* officium: *mittentis auctoritate,* cum dicitur: *Sapientia,* et: *Misit.* Ipse est enim ille qui dicit [12]: *Ite, messis quidem multa, operarii autem pauci.* Ipse est, sine cuius auctoritate nullius praedicatio est efficax et accepta. *Missi idoneitate,* cum dicit: *ancillas suas,* in feminino, non propter sexus fragilitatem, sed quia servi licet sint expeditiores, ancillae tamen sunt et sediuliores in ministrando et humiliores in obediendo; in quo significatur, quod praedicatori est necessaria studii *sedulitas* et ingenii *humilitas;* et si alterum deficeret, ineptus esset penitus ad officium tam nobile et arduum exsequendum. Ista etiam *auditoribus* sunt necessaria ad hoc, quod habeat efficaciam in ipsis verbum Dei. *Finis utilitate,* cum dicit: *ut vocarent ad arcem et ad moenia civitatis.*

---

[1] Psalm. 95, 6.
[2] Tit. 1, 16; sequuntur Isai. 30, 9. seq. et Act. 13, 10.
[3] Epist. 1. Petr. 1, 13. seqq. (Lev. 11, 44.).
[4] Psalm. 20, 4. seq.; sequuntur Prov. 21, 21. et Apoc. 2, 7.
[5] Cap. 22, 14; sequuntur Prov. 3, 2. et Matth. 19, 17.
[6] Psalm. 65, 11; sequuntur Prov. 20, 4. et Ioan. 4, 36.
[7] Cap. 19, 29; sequuntur Eccle. 6, 8. et Iac. 2, 5.
[8] Psalm. 35, 8; sequuntur Col. 3, 3. et Ioan. 10, 27.
[9] Cap. 6, 22. — Deest pars tertia.
[10] Hic sermo editus est ab Uccelli, *Sermones S. Thomae* etc. pag. 164 seqq., et sumtus ex cod. biblioth. Parisiensis Nationalis, n. 15956. (Sorbon. 816. pag. 117), ubi inscribitur: *De omnibus Sanctis, Bonaventura;* cfr. Lecoy pag. 135. et 462, P. Fidelis, *Ratio* etc. pag. 191. Multa ac gravia vitia dictae editionis emendata sunt accuratiore eiusdem codicis examinatione et lectionibus variantibus, quas praebuit cod. Trecensis n. 1464. fol. 15 v., ubi hic sermo etiam tribuitur Bonaventurae. Pars prima eiusdem sermonis habetur etiam in cod. biblioth. Parisiensis Nationalis n. 14557. in fine, sed brevissime.
[11] Vers. 2. — Prothema, quod habetur Prov. 9, 1. 3. est in solo cod. Parisiensi.
[12] Luc. 10, 3. 2.

Per *arcem* intelligitur virtutum sublimitas sive arduitas, quia « virtus circa arduum et difficile [1] »; per *moenia civitatis*, illius supernae Ierusalem aeterna stabilitas. Ad ista enim praedicatores vocare et allicere debent, quantum possunt, auditores.

Ego Ioannes vidi sanctam civitatem, Ierusalem etc.

In verbis istis describitur materia solemnitatis Sermo. omnium Sanctorum, quia describitur illa communitas Beatorum sub metaphora civitatis a Deo descendentis et ad Deum tendentis sive revertentis. *Descendit* enim *ab* ipso *Patre luminum* [2], in quantum est *alpha*, et *redit* in ipsum, in quantum est *omega;* ipse est enim *alpha et omega, principium et finis*, Apocalypsis primo. Vel, *descendit* per datum naturae et donum gratiae, et *redit* per virtutum merita et meritorum praemia; vel magis proprie, *descendit* a Deo per multiformitatem muneris, *redit* in Deum per uniformitatem amoris. Et quia *multiformitas* munerum non potest magis proprie significari quam per civitatem ornatam et paratam, nec *uniformitas* amoris melius quam per sponsam ornatam viro suo; ideo Ioannes convenientissime describit eam, dicens: *Ego Ioannes vidi civitatem* etc. Ad istorum Sanctorum commendationem sive illius civitatis supernae no-
Divisio. tandum est, quod de ipsa possumus loqui tripliciter, videlicet in quantum est in *caelis aedificata;* in quantum in *terris fundata* et constituta, et in quantum *ad Deum reducenda* sive ordinanda.

I. Et primo, in quantum est in *caelis aedificata,*
Para I. De civitate in caelis aedificata. est notandum, quod omnis effectus suae causae similitudinem gerit, et quanto effectus immediatior, tanto similitudo expressior: ideo omne productum a Deo, quanto Deo est proximius et a Deo immediatius et ad Deum ordinabilius, tanto est *deiformius;* et quia inter omnia producta a Deo immediatius producitur illa Beatorum civitas sive illa superna Ierusalem et est ei proximior et ordinatior: ideo est *deiformior*, immo deiformatur; ratione cuius deiformitatis resultat in ea quadruplex commendabilis conditio per influentiam *potentiae Patris*, per influentiam *sapientiae Verbi*, per influentiam *bonitatis Spiritus*
Sobdivisio. *sancti*, per superabundantiam *totius Trinitatis*. Per primum est *gloriosa;* per secundum, *speciosa;* per tertium, *deliciosa;* per quartum, *opulenta* [3].

Unde potest illa civitas commendari, quia primo
Est civitas gloriosa. prae ceteris creaturis est *gloriosa* per influentiam *potentiae Patris;* propter quod dicitur in Psalmo [4]: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* Ibi enim est
Summa gloria. *summa gloria*, eo quod omnes Beati *unanimes uno ore* continue laudant, magnificant et adorant Dominum suum. Secundum Philosophum « gloria est frequens fama cum laude »; ex quo potest colligi, quod gloria est ex ore multorum collecta laudatio. Et quia ibi ex ore multorum laudatur Deus, secundum illud Psalmi [5]: *Gloriam regni tui dicent* etc.; ibi est Summae gloriae iucunditas. summae gloriae *iucunditas;* ideo in Psalmo dicitur: *Magnus Dominus et laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto eius. Fundatur exsultatione universae terrae mons Sion, latera aquilonis, civitas Regis magni* etc. Nec tantum ab omni- Notandum. bus Sanctis laudatur Deus, sed etiam ipsos Beatos laudat Deus; et in hoc consistit maxima gloria, quia Deus neminem laudat nisi dignum, et *gloria haec est omnibus Sanctis eius.* — Quid igitur isti in- Hortatio. firmi, superbi, pomposi, vani et inflati quaerunt gloriam hominum et laudari ab hominibus? qui indifferenter laudant dignos et indignos, *qui confidunt in virtute sua et in multitudine divitiarum suarum gloriantur* [6] et quaerunt gloriam mundi, qui sunt *flos foeni*, immo sunt sicut stercus. Cras deiicientur. Quaeras illam summam et aeternam gloriam; si secure volunt gloriari, utique semper *in Domino gloriantur.*

Speciosa, secundo, per influentiam sapientiae Item, speciosa. Filii; ideo dicitur Apocalypsis vigesimo primo [7], quod *civitas* illa *non indiget sole neque luna, ut luceant in ea; nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna eius est Agnus.* Sicut enim videmus in ista machina mundiali, quod lumine *solis* per diem et lumine *lunae* et *stellarum* per noctem illuminatur et ornatur; sic civitas illa lumine *Agni* decoratur et illustratur, quia Divinitas eius est ibi loco *solis,* hu- Notandum. manitas eius loco *lunae,* Beati loco *stellarum;* et ideo *non eget sole neque luna* ratione istius pulcritudinis; et pulcrificat ipse Filius sive Agnus, qui *est candor* et substantia *lucis aeternae et speculum sine macula*, Sapientiae septimo. Potest dici de ea illud Sapientiae septimo: *Est enim speciosior sole et super omnem dispositionem stellarum, luci comparata, invenitur prior.* Si enim, secundum Augustinum in sexto [8] suae Musicae, « pulcritudo est aequalitas nu- Quid sit pulcritudo. merosa », quia, quanto alicuius faciei partes magis proportionantur et adaequantur, tanto venustior, et hoc ratione adaequationis istarum partium; quanta erit pulcritudo in illa civitate, ubi ille « Filius, qui est ars aeterna omnium », in quo sunt omnes rationes et ideae ab aeterno omnium factorum in tempore, offeret se et repraesentabit se beatis Spiritibus sicut speculum clarissimum, et ab omnibus secundum possibilitatem eorum comprehendetur et manifeste cognoscetur. Ideo Apocalypsis vigesimo primo [9] dicitur,

[1] Aristot., II. Ethic. c. 3.
[2] Iac. 1, 17; sequitur Apoc. 1, 8.
[3] Ita clarius in cod. Trecensi.
[4] Psalm. 86, 3; deinde respicitur Rom. 15, 6. et sequitur Cicero, II. Rhetor. c. 55.
[5] Psalm. 144, 11; sequuntur Ps. 47, 1. seq. et Ps. 149, 9.
[6] Psalm. 48, 6; infra respiciuntur I. Petr. 1, 24. et I. Cor. 1, 31.
[7] Vers. 23; sequitur Sap. 7, 26. et v. 29.
[8] Cap. 13. n. 38. — Cfr. Bonav., tom. I. pag. 544, nota 8. — Sequitur Augnst., VI. de Trin. c. 10. n. 11.
[9] Vers. 18.

quod *ipsa civitas* (est) *aurum mundum, simile vitro mundo: aurum,* propter fulgorem; *simile vitro mundo,* propter transparentiam. Uniuscuiusque conscientia ab nnoquoque Beatorum cognoscetur, et in
Hortatio. hoc erit maxima pulcritudo. — Econtra vero igitur miserrima anima, quae creata est, ut illam lucem aeternam contempletur et ab illis splendoribus illustretur, sic excaecatur, ut incurvetur ad ista inferiora, vel in pulcritudine vestium, quae quidem vestes sunt vel ex velleribus ovium, ut patet in vestibus laneis, vel ex visceribus vermium, ut patet in vestibus sericis; vel delectetur in pulcritudine membrorum, quae quidem in pulverem vilissimam et foetidissimam putredinem redigenda sunt et a vermibus corrodenda, et dimittat illam pulcritudinem sempiternam; istud videtur esse insania maxima.

Tertio, *deliciosa* per influentiam benevolentiae
Item, delitiosa. Spiritus sancti; unde Psalmus [1]: *Fluminis impetus laetificat civitatem Dei. Fluminis impetus,* id est *ille fluvius igneus rapidusque,* qui ab ore Altissimi *egreditur,* Danielis septimo, scilicet Spiritus sanctus, qui est desiderium Beatorum, qui eis illabitur; et ex eius illapsu reficiuntur et laetificantur, quia desiderium, si perficiatur, delectat animam; Proverbiorum decimo tertio: *Desiderium, si compleatur, delectat*
Quid sit delectatio. *animam.* Immo, cum « *delectatio* sit coniunctio convenientis cum convenienti [2] », et ibi ipse Spiritus sanctus Beatis intime coniungatur; ibi est summa delectatio; et sicut ex vera coniunctione convenientis cum convenienti resultat vera delectatio, ita ex phantastica coniunctione phantastica delectatio. Ideo, cum ista sensibilia non immutent sensum nisi per speciem sive similitudinem, et species rei sive similitudo non sit veritas rei, et sic non possit esse vera coniunctio, sed phantastica; ideo nec vera delectatio in istis sen-
Hortatio. sibilibus. — Unde ille qui istis vult delectari, assimilatur puero, qui vult accipere aurum in pictura, vel fatuo, qui, videns umbram lunae in puteo, descendit, ut capiat eam, vel cani, qui, videns umbram carnis in aqua, intrat aquam. Qui ergo veraciter delectari quaerit, properetur ad illam civitatem incorruptibilem, plenam deliciis.

Quarto, *opulenta* per influentiam exuberantiae
Item, opulenta. unius Dei et trini; ideo dicitur in Isaia [3]: *Oculi tui videbunt habitationem opulentam. Opulenta* dicitur propter affluentiam omnis boni, non quia ibi sint istae varietates vestium et huiusmodi, sed quia ibi possidetur unum summum bonum, per aequivalentiam; et *ideo populus* ille beatus *sedet* ibi *in pulcritudine pacis, in requie opulenta, in tabernaculis fiduciae,* ut habetur in Isaia. Et ideo de illa civitate potest exponi illud tertii Regum decimo: *Fecit rex Salomon,* id est Christus, Rex noster pacificus, qui *magnificatus est super omnes reges* universae *terrae, ut tanta esset* multitudo auri et *argenti in* civitate *Ierusalem, quanta et* lapidibus constat. Nam si istud intelligitur *ad litteram,* falsissimum est, quia nunquam fecit (ea) Salomon ad litteram; si dicatur, quod ibi est *hyperbole,* istud similiter non potest esse, quod Spiritus sanctus utatur in Scriptura figura hyperboles sine rationabili causa; et ideo *mystice* exponendo, per *lapides* intelliguntur Beati in patria; per *aurum et argentum,* dulcedo et claritas illius summae et caelestis sapientiae sive scientiae. Est ibi *tanta multitudo auri et argenti, quanta est lapidum,* quia secundum uniuscuiusque Beati capacitatem infunditur ei dulcedo et claritas sapientiae et scientiae, immo ipsa Sapientia increata; et in hoc consistit summa affluentia et summa opulentia, quia, secundum Augustinum in libro Confessionis suae [4], « omnis copia, quae Deus non est, egestas est ». Et quia Beati in patria ditantur in lumine aeterno Deo trino et uno: ideo ibi summa opulentia, summa affluentia. Et ideo, sicut dicit Apostolus ad Hebraeos decimo tertio, *non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* Haec est illa quam promisit Deus patri nostro *Abraham et semini eius in sempiternum;* aliter enim falsus fuisset in promittendo, quia nunquam illam habuit Abraham nec Isaac nec Iacob, quibus facta fuit promissio; ideo dicitur ad Hebraeos undecimo [5]: *Exspectabat fundamenta habentem civitatem, cuius artifex et conditor Deus.*

II. Sicut ergo Verbum increatum in gloria, qua- Pars II. D civitate i driformiter influens, hanc civitatem aedificat, sic *de-* terris fon data quad formiter. *scendens* ad nos, Verbum incarnatum hanc civitatem aedificat (in terris) quadriformiter per *gratiam,* scilicet per *fidem* in rationali, per *spem* in irascibili, per *ca-* Subdivisio *ritatem* in concupiscibili, per *sanctitatem* totius coniuncti [6]; vel per *fidem* potentiam cognitivam *illuminans,* per *spem* potentiam potestativam *confortans,* per *caritatem* potentiam amativam *delectans,* per *sanctitatem* potentiam operativam *iustificans.*

Construxit ergo hanc civitatem in terris Ver- Aedificatio infusione fidei. bum incarnatum per *influentiam gratiae,* prius infundendo *fidem* ipsi rationali, quae fides specialiter Apostolis applicatur, quorum fide ipsa civitas inconcusse fundatur; in cuius signum dicitur Apocalypsis vigesimo primo [7], quod *murus civitatis habeat duo-* In Apostol 12 fonda menta. *decim fundamenta, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni.* Et notabiliter addit *Agni,* ne scilicet super homines fundari videatur. Ipse enim est *primum* fundamentum; Apostolus:

[1] Psalm. 45, 5; sequuntur Dan. 7, 10. et Prov. 13, 19.
[2] Cfr. Bonav., tom. I. pag. 38, nota 4. et tom. IV. pag. 391, nota 3. — Infra de forma *properetur* cfr. Forcellini Lexicon etc.
[3] Cap. 33, 20; sequuntur c. 32, 18. et III. Reg. 10, 18. 23. 27.
[4] Libr. XIII. c. 9. n. 9. — Sequuntur Hebr. 13, 14. et Gen. 13, 15.
[5] Vers. 10.
[6] Cod. Trecensis ita partem II. incipit: Sequitur de secundo, de quo notandum, quod sicut per deiformitatem civitas patriae in quatuor est constructa, ita per christiformitatem in quatuor civitas viae est aedificata.
[7] Vers. 14; sequuntur I. Cor. 3, 11. et Ios. 4, 2. seq.

Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est; et super illud Apostoli fundaverunt Ecclesiam ministerialiter. Isti ergo sunt duodecim illi *viri*, quos misit Iosue, id est Christus, Salvator populi Israel, *ut tollerent duodecim durissimos lapides*, id est duodecim solidissimos articulos fidei nostrae, *de medio Iordanis alveo*, id est de fonte et profunditate Scripturarum, et *ponerent eos in loco castrorum, ubi fixuri erant tentoria*, id est in Symbolo, quod igitur composuerunt illi duodecim Apostoli [1]; posnit enim in eo quilibet articulum suum.

Notandum. Deo ergo gratias, qui super tam solidum fundamentum voluit nos fundari, ita ut nos non simus *hospites et advenae, sed cives Sanctorum et domestici Dei, superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu*, ad Ephesios secundo [2].

Et nota, quomodo potest unusquisque super istud

Modus superaedificandi. fundamentum aedificari, primae Petri secundo [3], ubi dicitur, quod *accedentes* ad ipsum *lapidem vivum, ab hominibus reprobatum, vos et ipsi tanquam lapides vivi;* per *fidem* supple, *quae operatur per caritatem*, quia aliter *fides sine opere mortua est; superaedificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum.*

Secundo, infundendo *spem* ipsi irascibili, quae

Item, infusione spei. quidem spes applicatur Martyribus, quorum constantia Ecclesia secure munitur. In huius signum dicitur Ieremiae primo [4] in persona eiusdem Martyris: *Ego quidem dedi te in civitatem munitam et in columnam ferream et in murum aereum super omnem terram. Et bellabunt adversum te et non praevalebunt, quia ego tecum sum, ait Dominus, ut liberem te.* Habent enim securum et solidissimum apodium tales et neminem timent; ideo dicebat Iob, decimo septimo: *Pone me iuxta te, et cuiusvis manus pugnet contra me.* Certum est enim, quod quando aliquis innititur alicui rei, quicumque potest ei auferre manum potest ei inferre praecipitium. Ideo, si beatus Iob innixus fuisset filiis suis vel divitiis suis, cum esset ditissimus *inter omnes orientales*, vel viribus suis corporalibus; statim, quando satan *occidit filios suos omnes* [5], quando perdidit omnem substantiam suam, quando *percussit* eum *ulcere pessimo;* corruisset in foveam desperationis. Sed quia soli Deo innitebatur, quem nec Angelus nec diabolus nec aliqua creatura poterat ei auferre; ideo, *sedens in sterquilinio et radens testa scabiem* [6], secure dicebat: *Cuiusvis manus pugnet contra me*, quia *qui confidunt in Domino, sicut mons Sion* etc. Et ideo miserrimus, qui confidit in alio; immo *maledictus homo, qui confidit in homine et ponit carnem brachium suum, et recedit a Domino cor eius* [7].

Tertio, infundendo *caritatem* ipsi concupiscibili, Item, infusione caritatis. quae quidem (caritas) applicatur Confessoribus, quorum caritate ipsa civitas, id est ipsa Ecclesia, pacifice custoditur seu gubernatur; unde secundi Machabaeorum tertio [8]: *Sancta civitas habitatur in omni pace, leges etiam optime custodiuntur propter Oniae pontificis* pacificam dispositionem et *pietatem* et *animos odio habentes mala. Fiebat, ut et ipsi reges et principes locum summo honore dignum ducerent et templum maximis muneribus illustrarent.* Ad litteram in caritate et pietate praelatorum consistit pax Ecclesiae et principum, ut patet in tempore beati Silvestri, beati Gregorii et multorum aliorum, specialiter tamen beati Bonifacii, ita ut de eo possit exponi illud Ecclesiastici [9]: *Simon, Oniae filius, qui in vita sua suffulsit domum, qui praevaluit amplificare civitatem.* E converso propter praelatorum sive clericorum avaritiam in Ecclesia frequenter contentiones et lites oriuntur, sicut patet.

Quarto, infundendo *sanctitatem* toti menti, quae Item, infusione sanctitatis. quidem sanctitas Virginibus appropriatur, quarum sanctitate ipsa civitas, id est Ecclesia, magnifice decoratur et ornatur; unde Isaiae quinquagesimo secundo [10] dicitur: *Consurge, consurge, induere fortitudine tua, Sion, induere vestimentis gloriae tuae, Ierusalem, civitas Sancti. Civitas Sancti* dicitur, quia in ea specialiter Dominus habitat, pascitur, delectatur propter munditiae pulcritudinem; de quo dicitur in Ecclesiastico: *Pulcritudinem candoris eius admirabitur oculus* etc. Istius autem civitatis princeps et regina est beata Virgo Maria; peperit, virgo permanens; sic Ecclesia sancta multos parit, et virgo permanet. — Sic igitur Ecclesia *fundatur* in fide Apostolorum, *aedificatur* in confidentia Martyrum, *pacificatur* in caritate Confessorum, *ornatur* in sanctimonia Virginum; unde dicitur in Isaia: *Ecce, ego sternam per ordinem lapides tuos et fundabo te in sapphiris et ponam iaspidem propugnacula tua et portas tuas in lapides sculptos et omnes*

---

[1] Vide supra pag. 506, notam 4. Uccelli in nota addit: « Ex his colligitur, S. Bonaventuram adhaesisse opinioni eorum qui existimant, Symboli apostolici singulos articulos fuisse compositos a singulis Apostolis. Inter quos adnumerandus S. Leo Magnus, qui epist. 37. ad Pulcheriam Augustam scribit: ‚Siquidem ipsius Symboli brevis et perfecta confessio, quae duodecim Apostolorum totidem est signata sententiis, tam instructa sit munitione caelesti, ut omnes haereticorum opiniones solo ipsius possint gladio obtruncari'. Vide Sandini, Hist. Apost. c. XXXVII, Baron. ad an. 44. § 17. Memini, me in bib. imp. Paris. vidisse cod. divi Thomae habentem expositionem in Symb. Apost. distinctam nominibus Apostolorum; ex quo coniectari licet, fortasse huic opinioni adhaesisse cum doctore Seraphico etiam Angelicum ».

[2] Vers. 19. seq.

[3] Vers. 4. 5. et Gal. 5, 6. et Iac. 2, 20.

[4] Vers. 18. seq.; sequitur Iob 17, 3. et respicitur c. 1, 3.

[5] Respicitur Iob 1, 13. seqq. et dein c. 2, 7.

[6] Iob 2, 8; sequuntur c. 17, 3. et Ps. 124, 1.

[7] Ier. 17, 5. [8] Vers. 1.

[9] Cap. 50, 1. 5.

[10] Vers. 1; sequuntur Eccli. 43, 20. et Isai. 54, 11. seq.

terminos tuos in lapides desiderabiles. — Per *sapphiros* in fundamento positos, qui sunt aërei, id est caelestis coloris, significantur ipsi caelestes Apostoli, iuxta illud Psalmi [1]: *Caeli enarrant gloriam Dei* etc.; per *iuspidem* positum in propugnaculo, qui est viridis coloris, Martyrum virilitas designatur; per *lapides sculptos* invicem applicatos, obedientia et caritas Confessorum; per *lapides desiderabiles*, sanctitas virginalis, quae propter suam pulcritudinem ab omnibus desideratur.

Para III. De civitate id Deum redoceuda per 4 virtutes.

III. Tertio principaliter possumus loqui de ipsa civitate, in quantum est *ad Deum ordinanda*. Et quantum ad hoc describitur Apocalypsis vigesimo primo [2], ubi dicitur, quod *civitas habebat murum magnum et altum* et *portas duodecim. Ab Oriente portae tres, ab Aquilone portae tres, ab Austro portae tres, ab* Occidente *portae tres.* Sicut enim videmus, quod quatuor sunt elementa, ex quibus omne mixtum, quatuor qualitates complectentes corpus humanum, quatuor tempora dividentia annum, et quatuor partes orbis terrae; sic sunt quatuor virtutes principales sive cardinales, quibus perficitur homo interior et reducitur ad Deum, scilicet *prudentia, fortitudo, temperantia, iustitia*, non in quantum sunt consuetudinales [3] tantum, sed in quantum

Harum unaquaeque triplicator.

sunt politicae, purgatoriae et animi iam purgati. Secundum enim istas differentias sic in aliquibus magis et minus perficiunt, ita quod quaelibet triplicatur; quae significantur per illas *quatuor portas* civitatis triplicatas, et per illas quatuor portas triplicatas reducitur Ecclesia ad Deum.

De porta prudentiae.

Per portam igitur *orientalem* designatur *fulgor prudentiae*, et hanc aperuit nobis sive ostendit Dominus in sua nativitate et in conversatione seu praedicatione. De hac dicitur lob vigesimo nono [4]: *Quis mihi tribuat, ut sim iuxta menses pristinos, secundum dies, quibus Deus custodiebat me? quando splendebat lucerna eius super caput meum, et ad lumen eius ambulabam in tenebris; quando procedebam ad portam civitatis, et in platea parabant cathedram mihi.* — Et nota, quod triplicatur porta ista;

Ista triplicatur.

habet enim prudentia memoriam *praeteritorum*, intelligentiam *praesentium* et providentiam *futurorum*, secundum Tullium [5]. Ab ista autem porta deviare facit sollicitudo seu tenebrositas *avaritiae;* unde Ecclesiastes: *Labor stultorum affliget eos qui nesciunt in urbem pergere; nesciunt*, inquam, quia *supercecidit ignis, et non viderunt solem.* E converso per istam portam introducit observantia *paupertatis* voluntariae; unde Ecclesiastes [6]: *Civitas parva, et pauci in ea viri; venit contra eam rex magnus et vallavit eam* etc.; sequitur: *Inventusque est in ea vir pauper et sapiens et liberavit urbem per sapientiam suam.* — *Civitas* ista est Ecclesia, quae est *parva* per humilitatem; *pauci in ea viri*, quia licet *multi vocati, pauci* tamen *electi. Rex magnus*, id est dives avarus vel diabolus, *vallavit eam. Inventus est in ea vir pauper*, id est Christus pro nobis pauper effectus et praedicans paupertatem; *et liberavit* eam *per sapientiam*, et misit pauperrimos Apostolos ad eius liberationem; et haec est via securissima et rectissima, quae ducit in civitatem; unde in Matthaeo: *Beati, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum.*

De porta constantiae.

Per portam *aquilonarem* designatur *vigor constantiae*, quia *ab Aquilone pandetur* omne *malum* [7]; et hanc Christus in sua passione aperuit. *Oportebat, pati Christum et ita intrare in gloriam suam;* unde Apocalypsis vigesimo secundo: *Beati, qui lavant stolas suas in sanguine Agni, ut sit potestas eorum in ligno vitae, et per portas intrent in civitatem*, id est, per constantiam in adversis intrent in civitatem. — Et triplicatur ista porta, quia fortitudo sive constantia habere dicitur *magnanimitatem* in aggrediendo, *virilitatem* in prosequendo, *longanimitatem* in perseverando. Per istam autem portam non intratur nisi per strenuitatem militiae. Ideo Virgines vitae iuvenculae [8] virilem animum induerunt, ut istam portam infringerent et intrarent; *arcta* ergo *via est, quae ducit ad vitam.* Quantam ergo confusionem sustinebunt in die iudicii senes barbati, immo *effeminati*, vacui ab omnibus operibus bonis; quando ibi apparebit beata Agnes duodecim annorum gladio gutture transfixa, Caecilia decapitata, Agatha mamilla torta, et sic de multis, quae multum debent nos ad passionum tolerantiam animare.

Ista triplicator.

De Ss. Virgiuibus Martyribus.

De porta mundiliae.

Per portam *australem* designatur nobis *nitor munditiae;* et hanc portam aperuit Christus et ostendit nobis in sua ascensione; Ezechielis quadragesimo [9]: *Facta est super me manus Domini et adduxit me illuc. In visionibus Dei adduxit me in terram Israel et dimisit me super montem excelsum nimis, super quem erat quasi aedificium civitatis vergentis ad Austrum, et introduxit me illuc.* Ista enim porta temperantia seu munditia est proprie in Deum dirigens; unde in Matthaeo: *Beati, mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* — Et haec porta triplicatur. Requiritur autem ad munditiam sive temperantiam *sobrietas* in gustu, *castitas* in tactu, *honestas* in convictu. Et per hanc portam specialiter debent incedere viri ecclesiastici, quia *omnia* opera sua *honeste et secundum ordinem* debent facere, quia debent esse sicut *luminaria lucentia in mundo* [10] et alios illuminare; Matthaei quinto: *Non* enim *potest civitas abscondi super*

Ista tripli-cator.

[1] Psalm. 18, 2.
[2] Vers. 12. seq.
[3] Vide supra pag. 556, notam 1.
[4] Vers. 2. 3. 7.
[5] Libr. II. de Inventione rhetorica, c. 53. — Sequuntur Eccle. 10, 15. et Ps. 57, 8.
[6] Cap. 9, 14. seq.; sequuntur Matth. 20, 16. et c. 5, 3.
[7] Ier. 1, 14; sequuntur Luc. 24, 26. et Apoc. 22, 14.
[8] *Iuvencula* hic sumitur adiective. — Sequitur Matth. 7, 14.
[9] Vers. 1. seqq.; sequuntur Matth. 5, 8. et I. Cor. 14, 40.
[10] Phil. 2, 15; sequitur Matth. 5, 14. seq.

montem posita, neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt.

de porta iustitiae. Per portam *occidentalem* designatur *rigor iustitiae,* quam aperiet nobis Christus in aeterno examine, quod examen timebat Iob, dicens [1]: *Verebar omnia opera mea, sciens, quod non parceres delinquenti.* De ista porta dicitur in Psalmo: *Eduxit eos in viam rectam, ut irent in civitatem habitationis.* Via *recta* et brevis est iustitia, quae reddit unicuique quod suum est; et Anselmus dicit, quod « iustitia est rectitudo voluntatis propter se observata ». — Et triplicatur haec sicut et aliae; habet enim tres portas iustitia: *obedientiam*, respectu superiorum; *modestiam*, respectu proximorum; *misericordiam*, respectu inferiorum. Istam viam, licet sit recta et brevis, multi deseruerunt; de quibus in Psalmo [2] dicitur: *Erraverunt in solitudine, in inaquoso, viam civitatis habitaculi non invenerunt.*

ita triplicatur.

Nota, quod incessus lucis est per vias rectas, vel reflexas ad angulos aequales, quia iustitia ultimi rigoris est irrefragabilis [3].

Quatuor ista fuerunt in B. V. M. Nunc autem, quia istae quatuor virtutes in beata Virgine perfectissime fuerunt, et in quantum politicae et in quantum purgativae et in quantum iam expurgati animi; ideo de ea dicitur in Apocalypsi [4]: *Apparuit signum magnum in caelo: mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim* etc.

Epilogus. Ecce, portas, per quas transit civitas viae ad civitatem patriae, ut universitas Beatorum per multiformitatem muneris a Deo descendens, per uniformitatem amoris ad ipsum rediens, *tanquam sponsa ornata viro suo* deiformiter operetur.

IN DIE ANIMARUM (2. Nov.).

Sermo I [5].

Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, ad Hebraeos undecimo [6].

inductio. Hic loquitur Apostolus *ad litteram* de antiquis patribus, quibus gloria differebatur propter regni caelestis clausionem; sed *spiritualiter* de nostris potest intelligi defunctis, quibus gloria differtur propter imperfectam sanctificationem. De exclusione autem primorum vel dilatione a paradiso caelesti figuratur in Genesi [7] per exclusionem protoplasti de paradiso terrestri, donec satisfaceret Deo de mandati transgressione, quod fieri non potuit nisi per Christum, Deum scilicet potentem et hominem satisfacere debentem. Unde ipse ianuam caeli aperuit; unde in eius persona Isaias dicit: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me; ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde et praedicarem captivis indulgentiam et clausis apertionem.* Licet autem sic per Christum impedimentum sit *extrinsecum* remotum; remanet tamen in pluribus defunctis impedimentum *intrinsecum*, de quibus dicitur: *Iuxta fidem* etc. Notanda autem hic quatuor, quibus moveri debemus ad compassionem et subventionem ipsorum, scilicet *universitas tantae multitudinis: omnes isti; impossibilitas proprii iuvaminis: defuncti sunt; idoneitas alieni suffragii: iuxta fidem; longinquitas aeterni praemii: non acceptis repromissionibus.*

Divisio.

Pars I. Universitas multitudinis. I. Circa primum notandum, quod, sicut Apostolus [8] ait, quidam *aedificant super fundamentum fidei aurum, argentum, lapides pretiosos;* et hi sunt de genere perfectorum, qui aedificant *aurum* contemplationis, *argentum* supernae dilectionis, *pretiosos lapides* sanctae operationis. Quidam vero aedificant *lignum, foenum, stipulam;* et hi sunt de genere imperfectorum, qui quia super fundamentum fidei cremabilia aedificant propter affectum temporalium, necesse est, ut ignem purgatorium transeant. — Et sciendum, quod circa multitudinem moveri debemus tripliciter, scilicet in bonis *congratulando*, in miseriis *condolendo*, in necessariis *succurrendo*. — In bonis *congratulando;* Ioannes: *Maiorem horum non habeo gratiam, quam ut audiam, filios meos in veritate ambulare.* Hoc modo etiam hortatur Isaias Ecclesiam congaudere saluti suorum membrorum: *Tunc,* inquit, *videbis et afflues, mirabitur et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi.* Sed invidi econtra faciunt, de quibus Ecclesiasticus [9]: *Bona in mala convertunt.* Isti certe deberent confundi exemplo Balaam, quem cum rex Balac vocaret ad maledicendum populo Israel, respondit, quod nequaquam quid dicere posset, quam quod Dominus iuberet. — In miseriis *condolendo;* unde Apostolus, secundae ad Corinthios undecimo [10]: *Praeter ea quae extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, et ego*

Triplex modus agendi.

Gratulando.

Condolendo.

---

[1] Cap. 9, 28; sequuntur Ps. 106, 7. et Anselm., Dialog. de verit. c. 13.

[2] Psalm. 106, 4.

[3] Quae sequuntur addita sunt ex codice Trecensi, qui tamen passim multo brevius et saepe mutato ordine sermonem reportat; ostenditur hoc additamento, supra (de porta iustitiae) plura excidisse.

[4] Cap. 12, 1.

[5] Ex cod. Trecensi n. 1464. fol. 18 r. cum inscriptione *bone aventure.*

[6] Vers. 13.

[7] Cap. 3, 23. seq.; sequitur Isai. 61, 1.

[8] Epist. I. Cor. c. 3, 12; sequuntur III. Ioan. v. 4. et Isai. 60, 5.

[9] Cap. 11, 33; deinde respiciuntur Num. 22, 5. seq. et c. 24, 13.

[10] Vers. 28.

Succurrendo. *non infirmor?* etc. — In necessariis *succurrendo;* unde Apostolus [1]: *Omnibus omnia factus, ut omnes facerem salvos;* idem, ad Romanos: *Nunc igitur proficiscar in Jerusalem ministrare sanctis;* idem, ad Galatas [2]: *Operemur bonum ad omnes, maxime ad domesticos fidei.* Cum ergo circa multitudinem sic tripliciter moveri debeamus, licet illi multitudini congaudere non possimus, condolere tamen et succurrere debemus.

II. Sequitur de secundo motivo, quod est *impossibilitas proprii iuvaminis;* quod notatur, cum dicitur: *defuncti sunt.* Sed primo notandum, quod isti purgandi differnnt a triplici hominum statu, scilicet vivorum, Beatorum, damnatorum; et haec differentia per tria, quae hic dicuntur, importatur: *defuncti iuxta fidem, non acceptis repromissionibus.* Per hoc ergo, quod dicuntur *defuncti,* differunt a viventibus; in defunctis enim est *merendi impossibilitas;* unde Ecclesiastes [3]: *Mortui nihil noverunt amplius,* scilicet ad meritum suum augmentandum. Post hanc quippe vitam nullus potest aliquid mereri; unde Dominus in Ioanne: *Venit nox, quando nemo potest operari.* — In *viventibus* vero, sed adhuc *infirmantibus,* est merendi *difficultas;* unde Augustinus de poenitente sero: « Maxime cum filii, quos illicite amavit, et uxor et mundus ad se vocent, multos solet sera poenitentia decipere ». Idem: « Sed quoniam multa sunt, quae impediunt et retrahunt languentem, periculosum est et interitui vicinum, ad mortem protrahere poenitentiae remedium ». — In viventibus vero *sanis,* merendi *facilitas;* unde istis est continue bene operandum; Ecclesiasticus [4]: *Ante obitum tuum operare iustitiam, quoniam non est apud inferos invenire cibum;* idem: *Memor esto, quoniam mors non tardabit;* Anselmus: « Nihil certius morte, nihil incertius hora mortis ». « Horam mortis ideo Dominus voluit nobis esse incertam, ut semper timeatur, dum semper adesse speratur [5] ».

Pars II. Impossibilitas proprii iuvaminis. Triplex status hominum. Defuncti. Vivi et infirmantes. Vivi et sani.

III. Sequitur de tertio: *iuxta fidem;* ubi notandum, quod quidam decesserunt *extra fidem,* scilicet omnimodam, vel formatam, ut damnati; de quibus Ieremias [6]: *Haec est gens, quae non audivit vocem Domini Dei sui nec recepit disciplinam; periit fides, et ablata est de ore eorum.* In his quidem non (est) alieni suffragii idoneitas, quia nequaquam iuvari possunt. — Notandum autem, (quod quidam) *in fidei plenitudine* et perfectione decesserunt, de quorum numero fuit Stephanus, de quo in Actibus: *Elegerunt Apostoli Stephanum, virum plenum fide;* et de Barnaba, ibidem: *Barnabas erat vir bonus et plenus Spiritu sancto et fide.* In his etiam non est alieni suffragii idoneitas, quia iuvari nequaquam indigent; unde Augustinus [7]: « Qui orat pro Martyre Martyri iniuriam facit ». — Quidam vero decesserunt *iuxta fidem;* Glossa: « id est fidei adhaerentes », vel in fide, qui nec sunt de Beatis, qui iuvamine non indigent, nec de damnatis, qui iuvari non possunt. Hos instruit Apostolus, dum in hac vita sunt, ut bene operentur; primae ad Corinthios decimo sexto: *Vigilate,* in malis cavendis; *state in fide,* in credendis; *viriliter agite,* in operandis; *et confortamini* in Domino, in tolerandis; et *omnia vestra in caritate fiant.* Non dicit *ex* caritate; ex ipsa enim nihil procedit nisi meritum; sed dicit *in* caritate, quia ipsa etiam opera cremabilia *in* caritate fiunt, licet non *ex* caritate, dum fidei fundamentum non destruunt. In his ergo defunctis iuxta fidem est idoneitas alieni suffragii, et hoc propter meritum fidei. — Unde notandum, quod tripliciter est *dignitas* fidei; est enim fides primarium *ornamentum,* ut opus Deo placeat; nam, secundum Apostolum [8], *impossibile est sine fide Deo placere;* et Dominus per Oseam: *Sponsabo te mihi in fide.* — Est etiam spiritualis fabricae *fundamentum,* ut ad caelum consurgat; primae ad Corinthios tertio: *Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus;* Glossa: « Id est fides Iesu Christi ». Item [9]: *Fides est substantia rerum sperandarum,* id est fundamentum, *argumentum non apparentium,* quia res invisibiles credere nos facit. — Est etiam contra adversa *munimentum,* ut homo vincat; hinc Dominus in Marco: *Omnia possibilia sunt credenti;* et Ioannes: *Haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra.* Igitur qui in hac fide non informi, nec tamen perfecta, decesserunt, ipsius fidei merito iuvari possunt.

Quidam, extra fidem. Quidam, in plenitudine fidei. Quidam iuxta fide Triplex genitus fid Est ornamentum Est fund mentum Est mun mentum

IV. Sequitur de quarto: *non acceptis repromissionibus* etc.; ubi notandum, quod vita aeterna quandoque dicitur *singulariter repromissio* propter communis gaudii unitatem; in Ioannis Canonica [10]: *Haec est repromissio, quam ipse pollicitus est nobis, vitam aeternam;* quandoque *pluraliter,* propter specialem cuiusque meriti mercedem; hinc ad Hebraeos: *Hunc, qui habebat repromissiones, benedixit.* — Notandum autem, quod hanc beatam vitam *damnati* perdiderunt irreparabiliter, *Beati* adepti sunt inamissibiliter, *purgandi* exspectant certitudinaliter. Hinc Ezechiel *vidit in libro scripto intus et foris lamentationes et carmen et vae.* Nam *vae* aeternam damnationem importat; *lamentationes,* poenam purgatoriam; *carmen,* gaudium Beatorum. De *damnatis* dicitur [11]: *Vae vobis! viri impii, qui dereliquistis legem Domini altissimi; et si nati fueritis,*

Pars IV Longinqui aeterni pr mii et Ir hominu stitus. Notandu De dam tis.

[1] Epist. I. Cor. c. 9, 22; sequitur Rom. 15, 25.
[2] Cap. 6, 10.
[3] Cap. 9, 5; sequuntur Ioan. 9, 4. et dein Auctor opusculi de vera et falsa Poenitentia (inter opera August.), c. 17. n. 33.
[4] Cap. 14, 17; sequuntur v. 12. et Anselm., Meditat. 7. c. 1.
[5] Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 13. n. 6.
[6] Cap. 7, 28; sequuntur Act. 6, 5. et c. 11, 24.
[7] Serm. 149. (alias 17. de Verbis Apost.) c. 1. n. 1; sequuntur Glossa *interlinearis* in Hebr. 11, 13. et I. Cor. 16, 13. seq.
[8] Hebr. 11, 6; sequuntur Osee 2, 20. et I. Cor. 3, 11. cum Glossa *ordinaria* apud Lyranum.
[9] Hebr. 11, 1; sequuntur Marc. 9, 22. et I. Ioan. 5, 4.
[10] Epist. I. c. 2, 25; sequuntur Hebr. 7, 6. et Ezech. 2, 9.
[11] Eccli. 41, 11. seq.; sequuntur c. 29, 21. et Ps. 108, 16.

in maledictione nascemini; et si mortui fueritis, in maledictione erit pars vestra. Isti ergo merito perdunt repromissionem, quia contemperunt repromissorem; Ecclesiasticus: *Repromissorem fugit peccator et immundus;* Psalmus: *Noluit benedictionem, et elongabitur ab eo.* — De *Beatis* dicit Apostolus ad Hebraeos [1]: *Sanctì per fidem vicerunt regna,* scilicet superbiam, luxuriam, avaritiam; *operati sunt iustitiam,* ad Deum, ad se et ad proximum; *adepti sunt repromissiones,* id est vitam aeternam. — De *purgandis* dicit Tobias: *Filii Sanctorum sumus et vitam illam exspectamus, quam Deus daturus est his qui fidem suam nunquam mutant ab eo;* et isti cum Apostolo dicere possunt: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi.* Ideo *reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in die illa, iustus iudex.* Haec autem promissio, quam isti exspectant, (est) infallibilis et certissima, quia est in testamento Christi scripta et per mortem ipsius confirmata; Apostolus [2]: *Ideo novi Testamenti mediator est, ut repromissionem accipiant qui vocati sunt aeternae hereditatis.* Hanc igitur repromissionem quia isti certitudinaliter praestolantur, de ipsius dilatione graviter cruciantur; nam, secundum quod Sapiens dicit, *spes, quae differtur, affligit animam.* Unde ipsis merito propter praedicta quatnor est compatiendum.

Beatis.

In purgandis.

Possunt autem et adhuc aliae rationes assignari. Nam cum Apostolus nos moneat, *gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus* [3], huic autem Sanctorum beatitudini cum gavisi fuerimus, decet, ut hodie purgandorum poenae condoleamus. Ad quod nos tria motiva inducunt, scilicet multiplex eorum *necessitas,* nostra ad Deum *conformitas* et ex hoc nostra proveniens *utilitas;* primum pertinet ad fraternam compassionem; secundum, ad obedientiam filialem; tertium, ad propriae cautelae provisionem. — Primum in duobus: in *dilatione praemii;* sicut enim iam dictum est, *spes, quae differtur, affligit animam;* hinc dicere possunt illud Psalmi: *Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?* Et in *afflictione supplicii;* Augustinus: « Licet ille ignis a plerisque contemnatur, est tamen gravior omni tormento, quod in hoc mundo excogitari potest ». Si ergo, secundum Apostolum [4], uno membro patienti *cetera membra compatiuntur,* merito ipsis ita graviter afflictis compati debemus. Hinc Iob in persona ipsorum dicit: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos, amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Bis dicunt: *Miseremini,* quia, sicut iam dictum est, supplicio affliguntur et a praemio differuntur. Quia tamen certissime praemium exspectant, propter huiusmodi spem non se percussos, sed *tactos* reputant; proprie enim dicuntur *percussi* qui aeternaliter sunt damnati; Exodus [5]: *Dextera tua, Domine, percussit inimicum.* — De secundo notandum, quod in huiusmodi compassione conformamur voluntati divinae. Nam Deus ipsos (vult) salvari; nec inirum, cum Apostolus dicat: *Vult, omnes homines salvos fieri;* ergo maxime eos qui iam damnari non possunt. Iterum vult, eos per nos invari; Ecclesiasticus: *Fili, in mortuum produc lacrymas* tuas. — De tertio notandum, quod ex huiusmodi compassione generatur nobis duplex utilitas, id est memoriae *mortis excitatio;* Ecclesiasticus [6] in persona defuncti: *Memor esto iudicii mei; sic enim erit et tuum; mihi heri, et tibi hodie;* idem: *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis.* Item, velox *retributio.* Nam cum Deus dicat: *Quamdiu uni ex his fratribus meis minimis fecistis, mihi fecistis;* re vera qui his defunctis, qui Domini proprii sunt et ab ipso separari non poterunt, compatitur, mercede nullatenus fraudatur. Ipsi etiam, cum ad gloriam pervenerint, suis benefactoribus ingrati esse non poterunt, nec oblivisci, sicut ille cui dixit Ioseph [7]: *Memento mei, dum bene tibi fuerit;* de quo tamen dicitur, quod *succedentibus prosperis, oblitus est sui interpretis;* et si possibile esset, eos oblivisci huiusmodi benefactorum suorum, Dominus, qui est ipsa iustitia, irremuneratum non relinqueret; Ecclesiasticus: *Benefac iusto, et invenies retributionem magnam; et si non ab ipso, certe a Domino* retribuetur tibi.

Ad Deum conformitas.

Duplex nostra utilitas. Prima.

Secunda.

Hae tres compatiendi rationes.

Duplex necessitas. Prima.

Secunda.

Sermo II [8].

Omnes morimur et ad gaudium volumus venire [9].

In verbis istis duo proponuntur, scilicet *naturae* humanae *generalis defectus* et aeterni *gaudii naturalis appetitus;* primum, ad timoris incussionem; secundum, ad spei relevationem [10]. — *Timoris incussio* ex quatuor creatur: ex *velocitate resolutionis,* ex *vilitate cadaveris,* ex *abundantia desolationis,* ex *carentia consolationis.* De primo, secundi Regum decimo quarto [11]: *Omnes morimur et quasi aquae dilabimur in terram, quae non revertuntur.* — De secundo dicit Salomon: *Melius est ire ad domum luctus quam ad domum convivii.* In domo luctus

Timoris quatuor rationes.

Ratio prima.

Secunda.

---

[1] Cap. 11, 33; seqùuntur Tob. 2, 18. et II. Tim. 4, 7. seq.

[2] Hebr. 9, 15; sequitur Prov. 13, 12.

[3] Rom. 12, 15; sequuntur Ps. 41, 3. et August., Enarrat. in Ps. 37. n. 3.

[4] Epist. I. Cor. 12, 26; sequitur Iob 19, 21.

[5] Cap. 15, 6; sequuntur I. Tim. 2, 4. et Eccli. 38, 16.

[6] Eccli. 38, 23; sequuntur c. 7, 40. et Matth. 25, 40.

[7] Gen. 40, 14. et dein v. 23. et Eccli. 12, 2.

[8] Hic sermo valde contractus sumtus est ex cod. Trecensi n. 1464. fol. 16 v.

[9] Eccli. 8, 8; ita Rabanus et lectio antiqua, de qua lectione cfr. Biblia Maxima. Vulgata legit: *et in gaudium nobumus venire.*

[10] Codex videtur habere *revelationem.*

[11] Vers. 14; sequuntur Eccle. 7, 3. et Eccli. 41, 1.

purgamus mentem, in domo convivii implemus ventrem. — De tertio legitur: *O mors, quam amara est memoria tua homini* iniusto, *pacem habenti in substantiis suis!* Bene dicit *iniusto*, quia haec mors est ei porta mortis aeternae. Est enim triplex mors [1], scilicet *culpae*, *vitae praesentis* et *poenae gehennalis*. Sed primae duae sunt portae tertiae; cum enim mors vitae praesentis coniungitur morti peccati mortalis, patet ingressus poenae gehennalis. De his in Iob [2]: *Nunquid portas mortis vidisti?* — De quarto, Salomon [3]: *Ante* mortem *operare iustitiam, quoniam non est apud inferos invenire cibum.* Et iterum: *Quodcumque facere potest manus tua instanter operare, quia nec opus nec ratio nec sapientia nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.*

Tertia.

Quarta.

Hic autem timor nobis proficit ad duo: ut *a peccatis abstineamus* et *in virtutibus proficiamus*, inter quas non parva virtus est, ut fidelibus, qui sunt in purgatorio, succurramus, quibus propter quatuor est merito succurrendum, scilicet, quia status eorum est *miserabilis, reparabilis, nobis utilis, beatificabilis*. — De primo lob [4] in persona eorum loquitur: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos, amici mei, quia manus Domini tetigit me. Misereminí,* per *orationis* affectum, per *operationis* effectum; per devotam *orationem* ludicem mitigando, per piam *operationem* nostram miseriam relevando. *Quia manus Domini tetigit me; manus* quondam per misericordiam curans infirmitates, nunc per iustitiam puniens iniquitates. — *Miseremini* ergo primo per *orationem*. Hinc legitur in primo Machabaeorum, quod dum populus esset in tribulatione magna in Galilaea et Galaaditide, liberatus est per Iudam, Ionatham et Simonem. *Galilaea* transmigratio, *Galaaditis* vetustates interpretatur, et statum eorum designat, qui in purgatorio propter vetustatem peccati tribulantur, inde tamen ad gaudia aeterna transmigrabunt. *Iudas*, confitens; *Ionathas*, filius columbae; *Simon*, obediens, significant orationem fidelem, simplicem et humilem, per quam qui in purgatorio sunt liberantur. De primo, Iacobus: *Oratio fidei salvabit infirmum;* de secundo: *Cum simplicibus sermocinatio eius* [5]; de tertio, Salomon: *Oratio humiliantis se nubes penetrabit.*

Duplex utilitas.

Succurrendum purgandis ob 4 rationes.

Miserendum per orationem.

Miseremini secundo per piam *operationem*, quia sicut aqua exstinguit [6] etc. Sic igitur succurrendum est eis, quia status eorum est *miserabilis* et etiam *reparabilis*. Ipsi enim, licet super fundamentum fidei non *aurum* nec *argentum* nec *lapides pretiosos*, quod est perfectorum, non tamen aes, non ferrum, non plumbum, quod est damnatorum; sed *lignum, foenum, stipulam*, id est venialia, *aedificaverunt* [7]; et ideo, licet, secundum Apostolum, *detrimentum patiantur, ipsi salvi erunt, sic tamen quasi per ignem.*

Item, p piam op tionem

Status e rum mi utilis.

Est enim status eorum *nobis utilis;* quidquid enim ipsis impendimus, nobis compensabunt. Non enim ingrati esse poterunt qui in gratia confirmantur; unde de Ieremia legitur in secundo Machabaeorum [8]: *Hic est fratrum amator; hic est qui multum orat pro populo. Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* — Est etiam status illorum *beatificabilis;* unde: *Beati, mortui, qui in Domino moriuntur* etc. — Sed mortuorum tres sunt differentiae: *perfectorum*, qui statim evolant ad patriam; *iustorum*, qui in veniali decedunt, vel adhuc pro mortali non plenam poenitentiam peregerunt, qui, licet in poenis purgentur, tamen ad patriam transferuntur; *reprobrorum*, qui nunquam ad caelestem patriam sunt venturi. Hoc bene figuratum est in patribus veteris Testamenti, quorum quidam in *Arbee* [9] mortui in terra promissionis sunt sepulti; quidam in *Aegypto* mortui et ibidem ad tempus sepulti et inde in terram promissionis deducti. *Arbee* enim quatuor interpretatur [10] et significat evangelicae doctrinae perfectionem, in qua qui ad mortem perseverant statim ad caelestem patriam, scilicet terram promissionis, *fluentem lac et mel* [11], transmigrant. *Aegyptus* luctus interpretatur; qui in luctu poenitentiae decedunt, licet in Aegypto poenae

Est beat cabilis, t differen

Figura I V. 7.

---

[1] Haec de triplici morte cod. Berolinensis N paulo aliter assumsit in quodam sermone pro die animarum, de themate: *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus* (Ioan. 11, 21). Collector enim sermonum istius codicis solet illos ex genuinis sermonibus, vel aliis Bonaventurae operibus suo modo componere, sicut etiam pro festo omnium Sanctorum de themate: *Homo quidam fecit coenam magnam* etc. (Luc. 14, 16), conflavit sermonem unum ex tribus, quos S. Bonaventura de eodem themate praedicavit Dominica II. post Pentecost. (vide supra pag. 357 seqq.). Schema dicti sermonis est hoc: Notandum, quod est quadruplex mors: prima est mors *naturae*, quae est *timenda malis*, quia *spoliat, cruciat, annihilat; desideranda iustis*, quorum aliqui statim *evolant*, aliqui *purgantur* in purgatorio. Sed *beati*, qui in Domino moriuntur, in Domino purgantur, de carcere ad regna ducuntur. — Secunda est mors *culpae*, quae est *fugienda*, quia aufert *sensum cognitionis, verbum confessionis, progressum bonae operationis*. Volenti hanc mortem evadere necessaria est *mandatorum obedientia, eleemosynarum largitio, vera poenitentia*. — Tertia mors est *vitae religiosae*, qua (quis) moritur mundo; quod fit per *humilitatem conversationis, sedulitatem contemplationis, fervorem dilectionis*. — Quarta mors est *poenae gehennae*, quae dicitur *mors aeterna*, quia ibi multo maior est cruciatus quam in morte corporali, et est *mors pessima*, quia *intolerabilis, inevitabilis, interminabilis*.

[2] Cap. 38, 17; Vulgata: *Nunquid apertae sunt tibi portae mortis, et ostia tenebrosa vidisti?*

[3] Eccli. 14, 17; sequitur Eccle. 9, 10.

[4] Iob 19, 21; sequuntur I. Mach. 5, 17-36. et lac. 5, 15.

[5] Prov. 3, 32; sequitur Eccli. 35, 21.

[6] Respicitur Eccli. 3, 33: *ignem ardentem exstinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis.*

[7] Alluditur ad I. Cor. 3, 12. et dein v. 15. Cfr. sermo praecedens, pars I. pag. 605.

[8] Cap. 15, 14; dein c. 12, 46; sequitur Apoc. 14, 13.

[9] Respicitur Gen. 23, 2. et dein Exod. 13, 19.

[10] Ita Hieron. de Nomin. Hebraic.

[11] Respicitur Exod. 3, 8.

ad tempus permaneant, ad patriam tamen transferuntur. *Desertum* designat mortale peccatum, quod vere est desertum ab omni gratia, in quo qui moriuntur nunquam ad promissae beatitudinis gaudia perducuntur. *Beati* ergo *mortui*, primi scilicet et secundi, *qui in Domino moriuntur*. Haec de humanae naturae defectu incutiente timorem dicuntur.

Sed de gaudii aeterni appetitu dicere non competit, quia hodie *versa est in luctum cithara mea, et organum meum in vocem flentium* [1].

DE SANCTIS ANGELIS.

Sermo I [2].

(in festo S. Michaelis Archangeli, 29 Septembris).

Vidit Iacob in somnis scalam stantem super terram et cacumen illius tangens caelum, Angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam et Dominum innixum scalae [3].

(Prothema). *Difficile aestimamus quae in terra* Prothema. *sunt, et quae in prospectu sunt invenimus cum labore; quae autem in caelis sunt quis investigabit? Sensum tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam et miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis?*

Verba ultimo proposita sunt in libro Sapientiae. Magna sapientia (est) scire defectum suum; defectus noster magnus est circa imaginabilia et visibilia, quamquam sensui subiaceant; cum difficultate tamen inveniuntur quae sursum sunt, et *cum labore* cognoscimus. Putatisne, quod istae scientiae, quae sensui subiacent et rationi quod sint difficilia ad investigandum? Sed quae *in caelis*, ut spiritualia et intellectualia et ordines hierarchici, homo, quomodo cognosces, ubi [4] sensus non attingit, et ratio investigare non potest? Si volumus conscendere ad *lucem* aeternam et *inaccessibilem, quis sciet?* Propter hoc exclamat Apostolus, dicens [5]: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei!* etc.; sequitur: *Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* Qualiter loquitur homo de illis quae in caelis sunt? Oportet, quod loquatur de illis per Spiritum sanctum; unde Apostolus: *Nobis revelavit Deus per Spiritum suum.* Propter hoc dicit: *quae in caelis sunt quis investigabit, nisi tu dederis sapientiam et miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis?* Habemus loqui de hierarchiis angelicis, quae sunt in caelo supra sensum et rationem; ideo in principio rogemus Dominum, quod det mihi Spiritum suum etc.

Vidit Iacob in somnis scalam etc.

Verbum istud scriptum est in Genesi, in quo explicatur nobis visio Patriarchae Iacob, qui propter contemplationem caelestium vocatus est *Israel*, id est videns Dominum. In ista visione ostensus est hierarchicae dispositionis ornatus et quantum ad eius *or-* Divisio. *dinationis pulcritudinem* et quantum ad eius *operationis perfectionem* et quantum ad eius *originationis praeclaritatem*, quia hierarchicae dispositionis ornatus habet in se *ordinationem* perpulcram, *operationem* perfectam et *originationem* praeclaram. Et ideo Spiritus sanctus, qui ostendit Patriarchae Iacob visionem ornatus hierarchicae dispositionis, propter universalem Ecclesiam erudiendam explicat ornatum quantum ad eius *ordinationem perpulcram*, cum dicit: *Vidit Iacob in somnis scalam stantem super terram et cacumen illius attingens caelum;* secundo, *operationem* eius *perfectam* explicat, cum dicit: *Angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam;* tertio explicat *originationem* eius *praeclaram*, cum subdit: *et Dominum innixum scalae.* Non innititur Deus scalae tanquam sustentatus a scala, sed tanquam sustentans scalam; non est innixus per dependentiam, sed per causalitatem. Si ista tria consideremus in spiritibus hierarchicis, videmus in ipsis *ordinem*, *operationem* et *virtutem*. Considerando scilicet *habitus* et *charismata* et *dona*, sic explicatur nobis eorum *ordinatio;* si quantum ad *operationem* eorum et *actum*, sic explicatur nobis eorum *operatio* perfecta; si quantum ad *virtutem*, tunc loquimur de ipsis quantum ad eorum *originationem* perfectam.

I. Primo, dico, Deus explicat nobis per Spiritum Pars I. De hierarchicae dispositionis ordinatione perpulcra. sanctum hierarchiae angelicae dispositionem sive *or-dinationem perpulcram*, cum dicit: *Vidit Iacob scalam stantem super terram* etc. Certum est, quod illud est impossibile secundum naturam istam; igitur imaginatio, nisi referatur ad mysterium Dei, stulta

[1] Iob 30, 31. — Idem codex habet adhuc sequens schema: « Sequitur: *Homo natus de mulière brevi vivens tempore, repletur multis miseriis* (Iob 14, 1.). — In his verbis tria notantur: Humanae vitae *ingressus, progressus, egressus;* primum: *Homo* etc.; secundum: *repletur* etc.; tertium: *brevi* etc. Tertium praeponitur primo, quia ipsum progredi est re vera egredi; unde Seneca (Epist. 24.): « Quotidie morimur; et hunc ipsum quem agimus diem cum morte dividimus ». In primo est *naturae debilitas* vel infirmitas; in secundo, *vitae calamitas;* in tertio, *mortis velocitas.* — *Debilitas* vel infirmitas, quia sine *potentia* se regendi, sine *scientia* discernendi, sine *industria* operandi. — *Calamitas* triplex: *repellenda* per iustitiam; *toleranda* per patientiam; *sublevanda* per misericordiam. — *Velocitas*, quia vita comparatur *flori* marcescenti (Isai. 40, 6.); *vapori* disparenti (Iac. 4, 15.); *umbrae* transeunti (Sap. 5, 9.) ».

Eadem divisio, scil. humanae vitae *ingressus*, *progressus* et *egressus*, invenitur in pluribus aliis pro hac die sermonibus.

[2] Ex cod. Trecensi n. 951. saec. XIII. fol. 48 r. cum inscriptione *sermo fr. Bonaventurae*. Multa et gravia vitia codicis pro viribus emendare studuimus.

[3] Gen. 28, 12. seq. — Prothema habetur Sap. 9, 16. seq.

[4] Codex legit *nisi*. — Deinde respicitur I. Tim. 6, 16.

[5] Rom. 11, 33. seq.; sequitur I. Cor. 2, 10.

est; sic visio Ezechielis [1], qua vidit *quatuor facies hominis*, mysterialis est, ita et ista. Unde dixit Iacob: *Quam terribilis est locus iste! non est hic aliud nisi domus Dei.* — *Scala* ista, cuius pars est in caelo et pars in terra, significat ordinationem angelicae hierarchiae, cuius pars est in angelicis spiritibus et Sanctis et pars in hominibus et animabus sanctis. Inveniemus, scalam istam in parte, qua tangit caelum, habere tres gradus triplicatos. Principaliter loquendo, tres sunt hierarchiae in caelo, scilicet *superior, media* et *infima*. Similiter in parte, qua tangit terram, sunt tres hierarchiae: una, secundum *primitivam* Ecclesiam; alia, secundum Ecclesiam *proficientem;* tertia, secundum Ecclesiam *dilatatam*, et sunt gradus principales, qui, quia sunt triplicati, cum... [2] surgunt in decem et octo gradus et significantur nobis per gradus existentes in throno Salomonis [3]. Et sicut dicit Dionysius, ubi loquitur de angelica hierarchia, quae est in angelicis spiritibus ad tres ordines reducitur, ut docet Dionysius, qui doctus fuit a Paulo, qui *raptus fuit usque ad tertium caelum* [4], nbi *vidit arcana Dei* in angelicis spiritibus; ipse docuit Dionysium, et nullus ultra aliquid addidit vel diminuit, quia Apostolus Paulus in tanta plenitudine vidit, quod nullus ultra aliquid addere potuit; sed dixit: Si *Angelus* amplius *evangelizaverit, anathema sit.* In prima ordinatione hierarchiae angelicae sunt Throni, Cherubim et Seraphim; in secunda parte sunt Dominationes, Virtutes et Potestates, et in tertia et ultima, quae circa nos est, nobis condescendens, sunt Principatus, Archangeli et Angeli.

Tres hierarchiae in caelo et in terra.

Novem Angelorum chori.

Similiter in ecclesiastica hierarchia sunt tres hierarchiae principales. In prima sunt tres ordines, scilicet montes patriarchales, prophetales et apostolicae; et hoc in ordinibus *primitivae* Ecclesiae. In ordinibus vero, in quibus *promota* est Ecclesia, sunt similiter tres ordines, scilicet Martyrum, Confessorum et Virginum. Tertio, in ordinibus, in quibus est Ecclesia *dilatata*, sunt tres ordines, scilicet praesidentium, contemplativorum et activorum, qui significantur per Noe, per Danielem, per Iob. Ista gradualis dispositio partim est in caelo et partim in terra; ubique sunt et gradus et ordo; ideo dicit: *Vidit scalam stantem super terram caelum tangentem*, quia Ecclesia triumphans unita est cum humilitate [5], ut ultra Gregorium procedere philosophando non est meum...

Item, in ecclesiastica hierarchia.

Sed meum est aptare specnlum unum, ut intelligere possitis dispositionem *caelestis* hierarchiae, quae est in caelo, et iuxta illa declarare hierarchiam ecclesiasticam, quae est in terra. — Dico autem, quod caelum sensibile, quod videmus, est *naturae nobilitate praecelsum, potentiae vivacitate virtuosum, influentiae copiositate largifluum* [6] et *consonantiae proportionalitate* in orbibus et motibus suis regulariter *ordinatum. Substantia, virtus* et *operatio* sunt similia et sibi correspondentia [7], et secundum nobilitatem substantiae, potentiae, influentiae collocantur res. *Non est acceptor personarum Deus* in conditione rerum nec acceptor operum in latione iudiciorum, sed altius et superius collocat Deus naturas nobiliores; ideo caelum altius quam alia corpora est collocatum. Quare ista? Dico, quod prima proprietas caeli respicit primam hierarchiam; secunda, secundam; tertia, tertiam, et quarta proprietas caeli respicit omnem dispositionem caelestis hierarchiae invicem relatae.

Primo, de scala tangente caelum et hierarchia caelesti. Caeli sensibilis 4 proprietates.

Similis proprietatis caeli hierarci.

Primo dico, quod caelum est *nobilitate naturae praecelsum;* unde significat primam hierarchiam angelicam; unde in Ecclesiastico [8]: *Altitudinis firmamentum pulcritudo eius est, species caeli in visione gloriae. Altitudinis firmamentum* refertur ad ordinem *Thronorum*, in quibus Deus *iudicia sua* exercet et iudicat orbem; quod dicit: *species caeli*, refertur ad luminositatem *sapientiae*, quae est in spiritibus *cherubicis*; et quod dicit: *in visione gloriae*, hoc pertinet ad nobilitatem ardentissimae *caritatis*, quae est in *seraphicis* spiritibus. — Quomodo ista *altitudo firmamenti* referatur ad *Thronos*, probatur per sacram Scripturam; unde in Ecclesiastico: *Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis; gyrum caeli circuivi sola et profundum abyssi penetravi, in fluctibus maris ambulavi et in omni terra steti et in omni populo et in omni gente primatum tenui et omnium excellentium et humilium corda virtute calcavi et in his omnibus* mihi *requiem quaesivi.* Nobilitas istius hierarchiae explicatur hic, secundum quod divina Sapientia residet in ea ad ferenda *iudicia;* et qualia iudicia fert? Certe *alta;* unde dicit: *Ego in altissimis habitavi;* fert iudicia *pia;* unde dicit: *et thronus meus in columna nubis;* fert iudicia *circumspecta;* unde dicit: *gyrum caeli circuivi sola;* fert iudicia *profunda;* unde dicit: *profundum abyssi penetravi;* iudicia *stabilia;* unde dicit: *in fluctibus maris ambulavi et in omni terra steti;* fert etiam iudicia *potestativa*, unde dicit: *in omni populo principatum tenui et omnium excellentium et humilium corda virtute calcavi;* fert etiam iudicia *tranquilla;* unde dicit: *et in his omnibus* mihi *requiem quaesivi.* Dicit igitur: *Altitudinis firmamentum*, quantum ad ordinem Thronorum. In istis beatissimis spiritibus Deus apparet admirabilis plus quam in aliis. Istam altitudinem exaltat

De proprietate prima in primi hierarci

Quomodo haec proprietas sit in Throno.

Iudicia Dei 3 proprietat

---

[1] Respicitur Ezech. 1, 5. seq.; sequitur Gen. 28, 17.

[2] Hic aliquid excidit.

[3] Respicitur III. Reg. 10, 19. — De sequentibus cfr. Dionys., de Caelest. Hierarch. c. 6. § 2. et Bonav., II. Sent. d. 3. Praenotata in fine; Collat. in Hexaëm. collat. 21. n. 18. seqq.

[4] Respicitur II. Cor. 12, 2. et dein v. 4; sequitur Gal. 1, 8.

[5] Locus hic cum sequentibus est corruptus. — Cfr. Bonav., Collat. in Hexaëm. collat. 22. n. 5. seqq.

[6] In cod. Berolinensi N habetur sermo de Michaele Archangelo, cuius prima pars convenit cum hac triplici divisione.

[7] Textus est obscurus et, ut videtur, corruptus. — Sequitur Act. 10, 34.

[8] Cap. 43, 1; sequitur c. 24, 7-11.

Apostolus dicens [1]: *Excelsior caelis* est, et quis investigabit? etc. Igitur propter magnificationem Throno- rum dicit: *Altitudinis firmamentum.* — Propter *pulcritudinem*, quae est in *cherubicis spiritibus*, dicit: *species caeli;* Augustinus dicit, quod « pulcritudo est numerosa aequalitas ». Ista pulcritudo apparet maxime in sapientia Dei, quae relucet in cherubicis spiritibus. Dicit igitur: *species caeli,* ex multitudine luminarium et radiorum resplendentium ex sapientia Dei, quae relucet in istis spiritibus cherubicis. Stellae lumen et radiationem habent ad invicem, et quis posset explicare lumen stellarum? Certe nullus; sic nemo posset explicare multitudinem luminositatis et radiationum refulgentium a Sapientia divina, ab illo qui *est candor lucis aeternae et speculum sine macula* [2]. — Et sicut est Deus admirabilis in Thronis, sapiens in cherubicis spiritibus, ita etiam est *ardens* in *seraphicis;* unde in Exodo: *Erat species gloriae Domini quasi ignis ardens super verticem montis,* seraphici spiritus, *verticem,* id est gloriosum Deum.

De istis tribus ordinibus dicitur simul in Isaiae capitulo sexto [3]: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum;* et plena erat domus maiestate eius. Volo reprobare stultitiam Iudaeorum, qui dixerunt, quod Deus ex naturali proprietate haberet corpus, secundum quod dicit: *Vidi Dominum sedentem.* Non est iste influxus requiei (?) nisi ad discernenda iudicia in Thronis elevatis. *Et ea quae sub ipso erant replebant templum,* id est *Cherubim,* qui interpretatur plenitudo scientiae. *Seraphim* quoque *stabant super illud, sex alae uni et sex alae alteri.* Hoc dicit quantum ad tertium ordinem, scilicet Seraphim, in quibus magis praecipue istam primam explicat hierarchiam, quia ipsi principatum tenent. Igitur per primum datur intelligere primum ordinem, in quo Deus est admirabilis, cum dicit: *Vidi Dominum sedentem* etc. Sed non possumus comprehendere *sedem,* quomodo comprehendemus *Deum sedentem?* — *Et ea quae sub ipso erant replebant templum,* id est ordinem cherubicum plenitudine *sapientiae.* Sed non possumus percipere radium sapientiae, quomodo percipiemus ipsam sapientiam? — Et si non possumus sustinere *ardorem* radiantem in seraphicis spiritibus, quomodo sustinemus ipsum ardorem? Et Deus ardor est. In Thronis est Deus admirabilis; unde scribitur [4]: *Glorificantes Deum,* super quem (ordinem?) potest intelligi admirabilis Deus.

Secunda proprietas caeli est, quod est *potentiae vivacitate virtuosum;* et ista proprietas respicit secundam hierarchiam angelicam. *Columnae caeli pavent et contremiscunt ad nutum eius. In fortitudine illius repente maria congregata sunt, et prudentia eius percussit superbum* [5]. *Et spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Tangit hic tres ordines secundae hierarchiae: per *columnas caeli* tangit *Dominationes;* per hoc quod dicit: *in fortitudine illius* etc., tangit *Virtutes;* per *percussionem superbi* tangit *Potestates.* — Primo, dico, cum dicit *columnae caeli* etc., tangit ordinem *Dominationum.* Habetne caelum columnas? Dico, quod istud intelligitur sicut illud [6]: *Deus, cuius irae nemo resistere potest, et sub quo curvantur qui portant orbem.* Illi *portant orbem,* qui universitati curas regitivas administrant; hoc principaliter est in Dominationibus, (qui habent) auctoritatem gubernandi, et qui magis dominatur magis subditus est; unde dicit: *Columnae caeli pavent.* — Sequitur: *In fortitudine eius repente maria congregata sunt.* Hic tangit ordinem *Virtutum,* quarum est prosequi et perficere, sicut Dominationum est imperare et praecipere. Virtus in sui dispersione minuitur, in sui congregatione augetur et fortificatur [7]; ideo dicit: *maria congregata sunt.* Unde etiam nos in virtute ipsarum debemus congregare ad unum principium, ut per istud unum possimus esse omnia; unde Apostolus: *Omnia possum in eo qui me confortat.* — Postea addit: *prudentia eius percussit superbum.* Hic tangit ordinem *Potestatum,* quarum est contrarias potestates coercere; dicit, quod *percussit superbum prudentia,* non fortitudine, quia Angeli non operantur *potestate,* quia tunc operarentur per violentiam, sed operantur per institiam, quae regulatur prudentia; Psalmus [8]: *Virga directionis, virga regni tui.* Quia autem ista hierarchia est stabilis, virtuosa et potens, ideo habet tria nomina, quia habet *imperare, exsequi* et *triumphare.*

Sed quaeris, unde ista dispositio intelligitur? Certe, scribitur [9]: *Verbo Domini caeli firmati sunt, et Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Hic est Spiritus, qui interficit impium, qui in beatis spiritibus interfecit superbum, qui dicit: *Ascendam super altitudinem nubium,* ponam sedem meam in Aquilone et *ero similis Altissimo;* et scribitur [10]: *Proeliatus est Michael* Archangelus *cum drucone, et draco pugnavit et angeli eius,* et sunt electi de paradiso, *et non est inventus locus eorum amplius in caelo.* — Quam nobilis est ista hierarchia, et quam magna utilitas est nobis ex ea! Quando latrunculi volebant interficere Eliseum, vidit puer suus illos et clamavit ad patrem, et dixit pater: *Plures nobiscum sunt quam cum illis.* Tunc Eliseus rogavit Dominum, quod aperiret oculos pueri, *et aperuit Dominus oculos pueri, et vidit montem plenum equorum* et

Quomodo haec ut in Dominationibus.

Item, in Virtutibus.

Item, in Potestatibus.

Quaestio incidens solvitur.

De nobilitate huius hierarchiae et nostra utilitate.

[1] Hebr. 7, 26. — Sequitur August., VI. de Musica c. 13. n. 38.

[2] Sap. 7, 26; sequitur Exod. 24, 17.

[3] Vers. 1. seq.; dein respicitur II. Par. 7, 1: *Et maiestas Domini implevit domum.*

[4] Respicitur Eccli. 43, 32: *Glorificantes Dominum, quantumcumque potueritis, supervalebit enim adhuc.*

[5] Iob 26, 11. seq.; sequitur Ps. 32, 6. [6] Iob 9, 13.

[7] Cfr. lib. de Causis, propos. 17: « Virtus, quanto est magis unita, tanto plus est infinita ». — Sequitur Phil. 4, 13.

[8] Psalm. 44, 6.

[9] Psalm. 32, 6. et dein Isai. 14, 14. 13.

[10] Apoc. 12, 7. seq.; sequuntur IV. Reg. 6, 16. seqq. et Ps. 124, 2.

hominum armatorum. Magnum est confidere in Angelis, quia tales Angeli subveniunt; Psalmus: *Montes in circuitu eius*, id est Angeli; item, Psalmus [1]: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum*, (cum) quibus pugnare magna confidentia est ei, si videt pro eo magnum exercitum. Quare sumus segnes et convertimus nos in fugam? Quando videmus tam nobiles adiutores tanti exercitus, quod non potest superari, non debemus timere tentationes.

De proprietate caeli tertia in tertiis hierarchia.

Tertia proprietas caeli est, quod est *influentiae copiositate largiflua*, per quod intelligimus tertiam hierarchiam angelicam. Unde in libro Sapientiae [2]: *Paratum panem de caelo praestitisti illis* ad manducandum, *habentem in se omne delectamentum et omnis saporis suavitatem.* Explicat hic influentiam Angelorum super populum Israeliticum, quod pascitur

Triplex panis.

triplici pane; et tangit hic ultimam hierarchiam, quae intenta est circa ecclesiasticam hierarchiam, quia *omnes sunt administratorii spiritus* et dant nobis triplicem panem, quia cibant nos pane-*manuductio*,

Quomodo triplex panis sit in Principatibus, Archangelis et Angelis.

pane-*eruditio* et pane-*supportatio*. — Primus panis est *Principatuum*, qui habent nos per exempla in aeternam beatitudinem manuducere; pane-*eruditio* cibant nos *Archangeli*, quorum est nos arcana docere; sed pane-*supportatio* et *confortatio* cibant nos *Angeli*, qui habent nos in prosperis et adversis custodire. Dicit: *Paratum panem de caelo praestitisti illis* etc. Ad quid? Ut *in fortitudine cibi istius ambulemus quadraginta diebus usque ad montem Dei Horeb*, sicut fecit Elias; Psalmus [3]: *Ianuas caeli aperuit et pluit illis manna ad manducandum; panem Angelorum manducavit homo; cibaria misit eis in abundantia.* O fratres, per Deum! Angeli possunt dare panem istum. Pavit Dominus in deserto ministerio Angelorum per quadraginta annos *sexcenta millia pugnatorum* [4] et similiter vulgus. Populus tamen ille semper fuit *durae cervicis et incircumcisis cordibus et auribus semper Deo restitit.* Si iste populus pane caelesti nutritus est, quid dubitamus nos? Non sunt Angeli pauperiores, quam tunc fuerunt; et *petra* fun-

Hortatio.

debat eis *rivos aquarum* [5]. — Certe, carissimi, si elevaremus mentem nostram ad hierarchiam istam offerentem nobis omnia ista, non essemus pauperes. Si aliquis esset pauper, et alius offerret ei omnia bona; stultus esset, si non aperiret ei ostium. Angeli dicunt nobis: Suscipite exempla, documenta et servitia nostra et ministeria; et nos sumus rusticani, quia claudimus eis ostium et virtutes intellectuales contra influxum ipsorum; et ideo *multiplicata sunt* peccata nostra *super capillos capitis* nostri. Si volumus cooperari influentiis ipsorum, facile consequimur, quia dicitur in Psalmo: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis;* sequitur: *Super aspidem et basiliscum ambulabis et conculcabis leonem et draconem* etc. — Hic tangit quatuor tentationes horribilissimas, quibus diabolus tentat hominem, a quibus poterimus nobis cavere ministerio Angelorum et proficere *de virtute in virtutem* [6]. Sed multi *os ponunt in caelo, et lingua eorum transivit in terra.* Loquuntur de caelestibus et affectum habent in terrenis, ad spiritus magnificantes et illustrantes non respiciunt. Hoc est (dictum) contra doctores philosophantes et contra theologos, qui loquuntur de caelestibus, at deficit eorum affectus.

Quatuor tentationes

Quarta proprietas caeli est, quod est *consonantiae proportionalitate* in orbibus et motibus suis regulariter *ordinatum*, et ista proprietas caeli respicit *omnem* dispositionem caelestis hierarchiae invicem relatae; Iob [7]: *Quis enarrabit caelorum rationem, et concentum caeli quis dormire faciet?* etc. *Quis enarrabit caelorum rationem?* scilicet quantum ad distinctionem orbium. Philosophi prius distinxerunt (octo) orbes, postea philosophi addiderunt nonum; sed isti non noverunt *omnem* dispositionem orbium. Unde Veritas et Sapientia aeterna enarravit nobis dispositionem orbium; et ista Veritas addidit nobis duos orbes, scilicet crystallinum et empyreum. Qui coram philosophantibus poneret istos duos orbes videretur insanire, quia hoc est ultra rationem; sed *quod stultum est Dei sapientius est hominibus.* Dicitur: *concentum caeli quis dormire faciet?* Iob non dicit secundum opinionem Pythagorae, qui dicebat, concentum esse sphaerarum, sed sunt proportionales motiones in orbibus suis; et motus orbium est circularis, et motus circularis non cessat. — Quomodo igitur quietabitur motus orbium? Dico, quod moventur orbes, ut serviant Creatori suo; et in ipso quietantur. Concentus iste spectat ad totam hierarchiam angelicam novem ordinum, prout invicem sunt ordinati. Et supra se hierarchia angelica habet Virginem gloriosam; et beata Virgo supra se habet Iesum Christum, Filium suum; nec mirum, si duo ordines (sunt) ultra novem ordines Angelorum. Concentus caeli est harmonia laudis angelicae, quia, sicut in cithara sonat quaelibet chorda secundum proportionem et virtutem suam, sic secundum dona (et) virtutes in angelica hierarchia novem ordinum est exsultationum, iucunditatum et laudum mira consonantia. Psalmus [8]: *Beati, qui habitant in domo tua, Domine*, quia beatus, qui cum Angelis potest laudare Dominum; Psalmus: *In conspectu Angelorum psallam tibi.*

De propriate caelorum quarta omni dispositio caelest hierarch

De nono orbium lestin

Quaestiocideus vitus

Sic igitur sunt tres hierarchiae et novem ordines Angelorum. In prima hierarchia sunt *Throni*, qui respondent potestati Patris, et *Cherubim*, qui

Repetiti

[1] Psalm. 33, 8.
[2] Cap. 16, 20; sequuntur Hebr. 1, 14. et III. Reg. 19, 8.
[3] Psalm. 77, 23. seqq.
[4] Cfr. Exod. 12, 37. et Num. 26, 51; sequitur Act. 7, 51.
[5] Respicitur Deut. 8, 15; sequuntur Ps. 39, 12. et Ps. 90, 11. 13.
[6] Respicitur Ps. 83, 7; sequitur Ps. 72, 9.
[7] Cap. 38, 37. — Cfr. Bonav., II. Sent. d. 14. p. II. q. 1. in corp.; sequitur I. Cor. 1, 25; de sententia Pythagorae cfr. Aristot., II. de Caelo, c. 9. et Ambros. II. in Hexaëm. c. 2. n. 6.
[8] Psalm. 83, 5; sequitur Ps. 137, 2.

respondent Filio, et *seraphicus ordo*, qui respondet suavitati Spiritus sancti. In secunda hierarchia sunt tres ordines, scilicet ordo *Dominationum*, *Virtutum* et *Potestatum*; et Dominationum est *imperare;* Virtutum, *exsequi;* et Potestatum, *triumphare*. In tertia hierarchia, quae respicit ecclesiasticam hierarchiam et influit in eam, sunt tres ordines, scilicet *Principatuum*, *Archangelorum* et *Angelorum*, quia eius influentia est ad *manuducendum* quantum ad Principatus; ad *erudiendum*, quantum ad Archangelos; ad *supportandum*, quantum ad Angelos; iste est ordo in caelesti hierarchia. Locuti sumus modo de scala, secundum quod tangit caelum; Iob [1]: *Numquid nosti ordinem caeli et pones rationem eius in terra?*

Loquamur modo de scala, secundum quod tangit *terram*, et ut diximus, *caelum* suis proprietatibus manifestat *caelestem* hierarchiam; similiter *terra* suis proprietatibus manifestat hierarchiam *ecclesiasticam*. Ponam proprietates terrae per comparationem ad caelum. Michael Archangelus praepositus fuit et custos synagogae, modo est praepositus matris Ecclesiae [2]; ideo eius officium celebratur per universam Ecclesiam. Dico, quod *terra* caelesti *influentia illustratur*, caelesti *continentia stabilitur*, caelesti *pluvia irroratur* et caelesti *nebula circumfovetur*. Similiter hierarchia ecclesiastica per caelestia *mysteria* ei revelata *illustratur;* per caelestia *praemia* ei repromissa *stabilitur;* per *charismata* superinfusa *irroratur* et per caelestia *praesidia* ei exhibita *circumfovetur*. Per ista quatuor ecclesiastica hierarchia stat in sua constantia.

Primo, dico, ecclesiastica hierarchia per caelestia *mysteria Filii revelata illustratur*, quae ei reserantur per *Angelos*, qui sunt specula et lumina caelestia; unde in Genesi [3]: *Fiant luminaria in firmamento caeli et dividant diem ac noctem et sint in signa et tempora et dies et annos, ut luceant in firmamento caeli et illuminent terram. Fecitque Deus duo luminaria magna et stellas*. Hic tangit dispositionem hierarchiae quoad statum Ecclesiae *primitivae*. Ecclesiastica hierarchia recipit ab angelica lumina legum, quia per leges illustratur et manuducitur in caelestem hierarchiam. Sed triplex est lex, scilicet *naturae, Scripturae, gratiae*. Lex *naturae*, quamquam impressa sit a summo Opifice, tamen per Angelos habet illustrationem; lex *Scripturae* posita est per Angelos, quia Angeli annuntiaverunt nobis originem Salvatoris et eius conceptum [4] et eius resurrectionem; et in ascensione fuerunt Angeli. Dicit: *dividant diem et noctem et sint in signa* etc. In lege *fecit Dominus duo luminaria magna:* unum *maius* in lege gratiae, et aliud *minus* in lege Scripturae. Et significatur hic triplex gradus, super quem stabilitur ecclesiastica hierarchia: super montes *patriarchales* in lege naturae; super *prophetales*, in lege Scripturae; super montes *apostolicos*, in lege gratiae.

Secunda proprietas terrae est, quod caelesti *continentia stabilitur;* in quo significatur, quod ecclesiastica hierarchia per caelestia praemia sibi repromissa stabilitur; Isaias [5]: *Quis mensus est pugillo aquas* maris *et caelos palmo ponderavit? Quis appendit tribus digitis molem terrae et libravit in pondere montes et colles in statera?* Tangit hic dispositionem ecclesiasticae hierarchiae quoad Ecclesiam *proficientem. Quis mensus est aquas? Metiri aquas* est Angelis ad se reductis distribuere charismata gratiarum. *Quis caelos palmo ponderavit?* id est praemia aeterna collata spiritibus angelicis; et quae Angelis sunt data hominibus sunt repromissa et stabilitant Ecclesiam. Praemia ista sunt spes aeternitatis. Imprimit autem *tres digitos* in Ecclesia, id est, informat (eam) immissione Spiritus sancti, secundum quam configuratur caelesti hierarchiae; imprimit *fortitudinem, rectitudinem* et *sanctimoniam:* fortitudinem, quantum ad Patrem; rectitudinem, quoad Filium; sanctimoniam, quoad Spiritum sanctum. In Martyribus est fortitudo constantiae; in Confessoribus, rectitudo iustitiae; in Virginibus, sanctitas pudicitiae. Per ista tria profecit; unde nos debemus conformari Martyribus in fortitudine constantiae; Confessoribus, in rectitudine iustitiae, et Virginibus, in sanctitate pudicitiae. — Dices forte: non possum esse, nisi concupiscam de alieno et sine aliis concupiscentiis. Respondeo: habeas oculum tuum dextrum ad praemia tibi promissa et oculum sinistrum ad supplicia, et eris stabilis.

Tertia proprietas terrae est, quod caelesti *pluvia irroratur*, per quod significatur, quod ecclesiastica hierarchia per charismata superinfusa irroratur; unde beatus Iacobus [6]: *Caelum dedit pluviam, et terra dedit fructum suum*. Istud fit, quando caelestes spiritus infimae hierarchiae influunt charismata gratiarum quoad Ecclesiam *dilatatam;* et hoc quantum ad ordinem Principatuum. *Rorate, caeli, desuper, et nubes pluant iustum, aperiatur terra et germinet salvatorem*, id est, ecclesiastica hierarchia *germinet salvatorem*, id est *opera*, quibus salvatur terra, id est universalis Ecclesia; vel, *germinet terra salvatorem*, id est universitas salvandorum. — Sed quae est ista germinatio? Dico, quod est *praesidentium, contemplativorum* et *activorum*. Praesidentium est per aedificationem *exemplorum;* contemplativorum, per exhibitionem *documentorum;* et activorum, per subministrationem *temporalium*. Et sunt germinationes istae ordinatae, quia *profert terra fructum*

Item, stabilitur quoad Ecclesiam proficientem per Archangelos.

Tres digiti.

Obiectio solvitur.

Item, irroratur quoad Ecclesiam dilatatam per Principatus.

Triplex germinatio.

[1] Cap. 38, 33.
[2] Cfr. Dan. 10, 21. et Apoc. 12, 7.
[3] Cap. 1, 14. seqq.
[4] Respicitur Luc. 1, 26. seqq. et dein c. 24, 4. seqq. et Act. 1, 10. seq.
[5] Cap. 40, 12.
[6] Cap. 5, 18; sequitur Isai. 45, 8.

trigesimum, sexagesimum et centesimum [1]; unde facit fructum magnum, maiorem et maximum; *magnum* est ministrare temporalia, sed *maius* est dare spiritualia documenta, sed *maximum* est ostendere virtutis exempla. Magna sunt opera pietatis, maiora sunt documenta veritatis, et maxima sunt exempla perfectae virtutis. Si es de ista hierarchia, ducis in divina sicut Principatus, aut revelas arcana sicut Archangeli, aut subministras temporalia sicut Angeli. Bonum est pascere temporali subsidio, melius est docere verbo, sed melius est et optimum aedificare perfecto exemplo. Ista tria terram Ecclesiae reddunt fructuosam. Unde scribitur: *Terra saepe super se venientem bibens imbrem et generans herbam opportunam illis, a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo. Proferens autem spinas et tribulos reproba est et maledicto proxima, cuius consumatio in combustionem.* Bene (?) non es de ordine Patriarcharum nec Prophetarum nec Apostolorum quantum ad Ecclesiam primitivam, sed eorum filius; non es de ordine Martyrum nec Confessorum nec Virginum, sed eorum imitator quantum ad Ecclesiam proficientem; igitur si es de Ecclesia dilatata, oportet, quod sis de numero praesidentium, aut contemplativorum, aut activorum, quia aut subministras temporalia subsidia, aut doces documenta perfectae virtutis, aut addiscis, ut postmodum instruas alios, et tunc... Archangelus, aut aedificas perfecto exemplo. Si non potest homo alios docere verbo vel aedificare exemplo, exerceat se in
Hortatio. opere pietatis. — Carissimi, videatis, quanta est virtus angelicae hierarchiae, quod terra, quae *pluviam* recipit charismatum, profert *herbam* et est benedicta; sed quaedam pars terrae [2] partem virentis seminis amisit, vel quia per *spinas* conculcatum est semen, vel quia aves caeli illud portaverunt; ita sunt corda aliquorum dura, elata, suffocata per sollicitudinem, quae pluviam divinorum charismatum non recipiunt; Psalmus: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Ista terra *maledicto est proxima, cuius finis est in combustione* ignis infernalis.

Quarta proprietas terrae est, quod caelesti *ne-*
Item, fovetur per caelestia praesidia. *bula fovetur*, in quo significatur, quod hierarchia ecclesiastica per caelestia *praesidia* sibi exhibita *circumfovetur*; unde in Genesi [3]: *Arcum meum ponam in nubibus caeli, et erit signum foederis inter me et inter terram; cumque obduxero nubibus caelum, apparebit arcus meus in nubibus, et recordabor foederis mei et* non perdam aquis diluvii omnem
De foedere Dei cum homine. *carnem.* — Quid vult hoc dicere, quod Dens fecit *foedus* cum homine, hoc est inter Deum et hominem? Quid est illud pactum? Certe, quod iuravit Dominus ad Abraham; *per memetipsum,* inquit, *iuravi.* iuravit etiam ad Abraham, quod de semine eius nasceretur Christus. Hoc est pactum, quod Deus per coniunctionem splendoris aeterni uniretur cum nostra humanitate, quae unio significatur nobis per *arcum.* Varietas colorum, quae est in arcu, significat varietatem naturarum, quae est in Christo, in quo sunt tres naturae: ut *humana* natura *corporalis, spiritualis* et *divina;* et fuit in Christo Sapientia aeterna, infusa et naturalis. Est in Christo gratia corporis et gratia animae et gratia unionis. Hoc pactum fuit inter Deum et terram, quia in terra Christus fuit incarnatus, conversatus, passus, mortuus, sepultus, de terra resurrexit et in caelum ascendit; et tunc aperti sunt caeli, ut nos possemus de cetero intrare caelum; et *datus est* nobis *arcus in signum foederis,* ne Deus zelo vindictae de cetero exterminet terram. *Arcus* iste fovet ordines superioris, mediae et inferioris hierarchiae angelicae et ecclesiasticae.
— Patet modo *ornatus* et *gradus* dispositionis hier- Repetitio archiae ecclesiasticae designatae per *terram* et hierarchiae angelicae designatae per *caelum;* et hoc est quod dicit: *Vidit Iacob scalam stantem super terram et cacumen eius tangens caelum,* id est caelestem hierarchiam et ecclesiasticam. De *operatione* et *originatione* hierarchiarum dicemus in collatione. Rogabimus Dominum etc.

Collatio.

Vidit Iacob in somnis scalam etc.

(Prothema). *Suspice caelum et numera stellas,* Prothema *si potes. Et dixit ei: Sic erit semen tuum.* Verbum ultimum scribitur in Genesi [4] et est dictum ad Abraham, qui pater fuit fidei nostrae, et in persona sua dictum est ad quemlibet fidelem contemplativum; in quo verbo excitatur mens illuminati, ut erigat oculos suos ad videndum luminaria caeli, id est ad videndum pulcritudinem, quae est in dispositione hierarchica novem ordinum Angelorum. Homo non libenter audit loqui de eo quod non pertinet ad eum, sed quando sperat rem bonam consequi, libenter audit loqui de ea. Speramus Angelos habere concives nostros et illustrari luce ipsorum, vivificari vita ipsorum et repleri eorum gaudio; ideo libenter debemus audire loqui de Angelis. Viri sancti conversantur cum Angelis; Apostolus [5]: *Nostra conversatio in caelis est.* Nos iacemus in pulvere et habemus labia polluta; nunc debemus loqui de angelicis spiritibus; Isaiae sexto: *Vae mihi! quia vir pollutus labiis ego sum.* Nihilominus misit Dominus unum de Seraphim, qui accepit *calculum de altari* et purgavit labia Isaiae. Ita et, licet non sim dignus loqui de Angelis, quia homo (habens) labia polluta, rogabimus tamen Dominum, qui me potest mundare, ut det mihi gratiam suam etc.

---

[1] Respicitur Matth. 13, 23; sequitur Hebr. 6, 7. 28.

[2] Hic et immediate post abscissa est pars foliі; quam coniectura in textu supplevimus. In codice remanent litterae... *tem cirentis... eminis.* — Sequitur Ps. 142, 6.

[3] Cap. 9, 13. seqq.; sequitur c. 22, 16. seqq.

[4] Cap. 15, 5. Locutio *pater fidei nostrae Abraham* occurrit in Antiphona Sabbati ante Quinquagesimam Breviarii Romani.

[5] Phil. 3, 20; sequitur Isai. 6, 5. seqq.

Petitio.

Vidit Iacob scalam etc. Dictum est hodie, quod explicatur hic hierarchicae dispositionis ornatus et quantum ad eius *ordinationem perpulcram*, quantum ad *operationem* eius *perfectam* et quantum ad *originationem* eius *praeclaram*. Hierarchica *ordinatio perpulcra* significatur in scala erecta, quae habet tres ordines in caelesti hierarchia et tres in terrestri. Est autem hierarchia *superior, media* et *infima;* tres ordines *terrestris* hierarchiae attenduntur quantum ad Ecclesiam *primitivam*, quantum ad Ecclesiam *proficientem*, quantum ad Ecclesiam *dilatatam*.

Modo restat dicere de *operatione* Angelorum, quae attenditur, cum dicit: *et Angelos Dei ascendentes et descendentes*. Operationes angelicae ad duo reducuntur, scilicet ad *contemplativam* operationem et ad *ministrativam;* unde in Daniele [1]: *Millia millium assistebant ei*, scilicet quantum ad *contemplativam* operationem, *et decies millies centena millia ministrabant ei*, scilicet quantum ad *ministrativam* operationem; per ista duo distinguuntur spiritus angelici et ipsorum operationes. Contemplativa operatio est in *ascensione* ad superna, sed administratoria operatio est in *descensione* ad humana; et ista duo tanguntur in *scala*, quia *ascendunt* Angeli et *descendunt* [2], non sicut fit in motu locali, scilicet ut sursumactio in Deum impediatur per condescensionem eorum ad humana, quia Angeli habent unam actionem cum alia, scilicet contemplativam cum activa, nos vero non. Signanter dicit, quod *vidit Angelos descendentes et ascendentes*. Ut dicit Augustinus [3], secundum originalem ordinationem mentis rationalis mens primo habet ferri in originale *principium* suum, deinde habet condescendere in *proximum* suum. Caritas est amor Dei et proximi; sed prius est amor Dei, deinde amor proximi. Angeli ascendentes sursum ferebantur ad divina.

Agguntur autem sursum Angeli quadrupliciter: primo, tanquam ad principalem rerum *originem* reverenter *venerandam;* secundo, tanquam ad exemplarem *pulcritudinem* inculenter *contemplandam;* tertio, tanquam ad supernalem *beatitudinem* ferventer *desiderandam;* et quarto, tanquam ad bonorum omnium *plenitudinem* incessanter *collaudandam* et commendandam. Oportet, quod praegustemus istud hic, et oportet, nos sic agere in tempore, si volumus sic finaliter sursum ferri.

Primo dico, quod Angeli sursum aguntur in Deum tanquam ad *principalem* rerum *originem reverenter venerandam;* unde in Apocalypsi [4]: *Omnes Angeli stabant in circuitu throni et ceciderunt in facies suas. Thronum* appellat hic non ordinem angelicum, sed stabilitatem aeternitatis; Psalmus: *Thronus tuus, Deus, in saeculum saeculi; virga directionis virga, regni tui.* Dicit, quod *stabant in circuitu throni;* poterit*ne circuiri?* Immensa est aeternitas, non habet terminum; ergo non potest quis circuire. Igitur, quomodo stabant in circuitu? Dicitur in Apocalypsi [5]: *Quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos. Agnus* est in *medio* et in *circuitu*, et est Agnus una persona, Deus et homo, et quia est Deus, adorandus est adoratione latriae. Agnus iste pervenit *ad medium*, et quia ad eius conformitatem *accedit* Angelus, ideo dicit, quod stabant Angeli *in circuitu*. Circulus est figura simplex et perfecta [6] in comparatione aliarum figurarum aequilaterarium; et quamvis Angelus habeat coaeviternitatem, tamen coaeviternitas non pervenit ad simplicitatem aeternitatis. Ideo dicit, quod *Angeli stabant in circuitu;* et propter hoc, quod reverenter adorant, dicit, quod *ceciderunt in facies suas;* et ideo stabiliti sunt in Deo. Via, per quam aliquis cadit ab ista stabilitate, est, quod semper adorare omisit [7], ut patet in angelis, quod se magnificaverunt. Illud fundamentum in angelica et ecclesiastica hierarchia est, quod revereatur Deum; et quod aliquis cadat in errorem, causa est, quia non reveretur. Dicit Dionysius [8], quod *Seraphim duabus alis velabant facies* suas, *duabus* tegebant *pedes et duabus* alis mediis *volabant. Duabus* alis mediis *volare* est *praesumtionem* et *pusillanimitatem* cavere; *praesumtionem* debet homo cavere, ne nimis alta dicat et inquirat, quia *scrutator maiestatis opprimetur a gloria.* — Item, debet homo cavere *pusillanimitatem*, quia quidam habent ita viles et pedestres cogitationes, quod non possunt aliquid altum considerare. Dicunt, quod non debent loqui de Angelis, quia nimis altum est hoc. Sancti (de his) locuti sunt, ideo et nos loqui debemus, nec pusillanimitas est bona nec praesumtio. Unde necessaria est nobis reverentia, quae hominem reddit vigilem contra ignaviam et humilem contra praesumtionem; hoc est *mediis* alis volare. De utroque genere multos vidi.

Secundo feruntur Angeli sursum in Deum tanquam ad *exemplarem pulcritudinem inculenter contemplandam;* Matthaeus [9]: *Angeli eorum semper vident faciem Patris* eorum, *qui in caelis est.* Pro mille mundis non deflecteret Angelus oculos snos semel a facie Dei. Nunquid *faciem* habet Deus sicut homo? Dicitur in Esther: *Valde mirabilis es, domine,*

Quaestio solvitur.

De Angelorum coaeviternitate.

Contra praesumtionem et pusillanimitatem.

De secunda.

---

[1] Cap. 7, 10.

[2] Quae hic dicta sunt de ascensione et descensione Angelorum in cod. Berolinensi N in quodam sermone de S. Michaele cum themate: *Vidit Iacob scalam* etc., fere repetuntur ut pars II. et III. istius sermonis.

[3] Cfr. Enarrat. in Ps. 119. n. 2. et XII. contra Faust. Manich. c. 26.

[4] Cap. 7, 11; sequuntur Ps. 44, 7, ubi Vulgata: *Sedes tua* etc., et Hebr. 1, 8: *Thronus tuus* etc.

[5] Cap. 7, 17; sequuntur Ps. 142, 6. et Hebr. 6, 8.

[6] Cfr. Aristot., II. de Caelo, c. 4. et IV. Metaph. c. 6. Vide etiam Bonav., II. Sent. pag. 20, notam 4.

[7] Locus in codice corruptus; pro *semper mittendum* substituimus secundum sensum verba *semper adorare omisit.*

[8] Potius Isai. 6, 2; cfr. tamen Dionys., de Eccles. Hierarch. c. 4. § 7. seq.; sequitur Prov. 25, 27.

[9] Cap. 18, 10; sequitur Esther 15, 17.

et facies tua plena est gratiarum. Facies Dei est pulcritudo sapientiae aeternae omnia originantis, omnia gubernantis, omnia reparantis et omnia consummantis. Omnium rationes sunt in arte aeterna et refulgent in ea, secundum quod se manifestat ad ea omnia. Dicit Propheta [1]: *Vidi Deum facie ad faciem, et salva facta est anima mea. Tibi dixit cor meum;* dixit: *faciem tuam requiram.* Superior pars mentis facta est ad imaginem Dei. O tu Propheta! quid desiderabas? *Fuerunt,* inquit, *mihi lacrymae meae panes die ac nocte* etc. *Sitivit in te anima mea* [2] etc. Dicit Propheta: *Iam laetus moriar, quia vidi faciem tuam.* Sicut crystallus quando est obiecta soli, et non est aliquod obstaculum, tunc totaliter penetrat eam radius solis; sic quando oculus intellectualis pervius luce divina repletur, efficitur deiformis. Unde in Ioanne: *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est.* Si quis in illam pulcritudinem ferretur, vilesceret ei mundus. Beatus Petrus dicit [3]: *In quem desiderant Angeli prospicere.*

Tertio feruntur Angeli sursum in Deum tanquam ad *finalem beatitudinem ferventer desiderandam.* Unde dicuntur Spiritus seraphici ardentes; Psalmus [4]: *Qui facis Angelos tuos spiritus et ministros tuos ignem urentem;* alia littera dicit: *Flammam ignis.* Dicuntur spiritus seraphici *ardentes,* quia in dono caritatis excellunt, quod est maximum donorum; et ideo sunt praecipuissimi; et quia caritas replet totam civitatem caelestem, ideo omnes Angeli dicuntur *ardentes.* Quid significet ardor iste, expresse dicit Dionysius. « Mobile eorum, inquit, circa divina et sunt inflexibilis motionis [5] »; et ponit multa, et sicut dicit Hugo: Qui vellet omnia verba explicare, transcenderet humanam intelligentiam. Sed in summa sciendum, quod est in eis flamma ignis sive ardoris, qua sursum feruntur in summum bonum. Quis *rapuit* Paulum *ad tertium caelum? ubi audivit arcana, quae non licet homini loqui* [6], et totus fuit in Deum absorptus; tamen explicat unum, quod vidit. Unde dixit: *Placeo mihi* (?). Certe istud fecit vehementia desiderii. Quando Manue offerebat sacrificium, tunc *Angelus* Dei *ascendit in flamma* ignis; quare fuit hoc? Certe flamma illa non ascendit usque ad caelum, sed illud fuit mysterium, quia non placet Deo sacrificium, nisi sit ardore caritatis accensum. Caritas enim agit sursum; unde Apostolus, quando accensus fuit ardore caritatis, dixit: *Quae sursum sunt quaerite, quae sursum sunt sapite.* Ibi thesaurizare debemus, quia dicit Bernardus [7]: « Verius est anima, ubi amat, quam ubi habitat ».

De tertia.

Quarto Angeli aguntur sursum in Deum quantum ad *bonorum omnium plenitudinem incessanter collaudandam.* Legitur in Luca [8], quod quando Angelus nuntiavit mysterium incarnationis in terra pastoribus, *facta est subito multitudo Angelorum laudantium Deum et dicentium: Gloria in excelsis Deo.* Beneficium incarnationis descendit in terram, sed generatio facta est in caelo ex immensitate paternae substantiae. Unde scribitur de ipso Verbo ad Hebraeos, quod est *purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram Maiestatis in excelsis; tanto melior Angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen hereditavit.* Angeli cantaturi laudes in terram descendunt; similiter sursum aguntur ad laudandum Deum. Laudant Deum Patrem tanquam originale principium Verbi et laudant Patrem et Filium tanquam principium Spiritus sancti et laudant Patrem et Filium et Spiritum sanctum tanquam originale principium omnium creaturarum; et in hoc, quod Verbum loquitur, laudat Patrem, et Spiritus sanctus laudat Patrem et Filium, et tota Trinitas laudat se ipsam. Si audirem laudes Sanctorum, non me compescerem a laude Dei; Psalmus: *In conspectu Angelorum psallam tibi.* Sed pigrae animae dicitur in Iob [9]: *Ubi eras, cum me laudarent astra matutina?* Immo, ne circumeas terram cum satana, qui dicit: *Circuivi terram et perambulavi eam.* Cogitans iniqua, superba, stulta et immunda, quae suggerit tibi spiritus nequam, circuis terram; similiter, quando subterfugis laudes divinas. — Videtis, quomodo Angeli sursum aguntur; et nos similiter debemus sursum agi, si volumus esse angelici. Facies nostra indicat, quod debemus sursum ferri; vidit igitur *Angelos ascendentes.*

De quarta.

Item, vidit *Iacob Angelos descendentes;* condescensio ista est ad infima. Gratias tibi ago, Domine, quia non vis, quod Angeli solum sint intenti tibi, sed etiam vis, quod intendant nobis. Descendunt autem Angeli quadriformiter: primo, *eripiendo* nos a culpa; secundo, *corroborando* nos in pugna; tertio, *dirigendo* nos in via; quarto, *perducendo* nos in patriam. Non possumus duci in patriam, nisi diriganmur in via; nec possumus dirigi in via, nisi vincamus hostes; sed non possumus vincere hostes sine sanitate: et ideo ista per ordinem se habent. — Primo, dico, Angeli condescendunt nobis *eripiendo nos a culpa;* unde in Tobia [10], postquam flevit Tobias et Sara: Tobias, propter *caecitatem oculorum;* Sara, *propter daemonium, quod interfecerat* maritos, missus est Raphael Angelus. Raphael interpretatur medicina Dei. Videte,

Secundo Angelis scendens operati quadrup

De oper ne pri

[1] Gen. 32, 30; sequuntur Ps. 26, 8. et Ps. 41, 4.
[2] Psalm. 62, 2; sequuntur Gen. 46, 30. et I. Ioan. 3, 2.
[3] Epist. I. c. 1, 12.
[4] Psalm. 103, 5; per aliam litteram alluditur ad translationem Symmachi, qui legit: *ignem flammam.* Vide etiam Adnotationes in Bibl. Maxim. super hunc locum.
[5] Cfr. Caelest. Hierarch. c. 7. § 1. Verba Hugonis sec. sensum habentur lib. X. Exposit. in c. 15. Caelest. Hierarch. S. Dionys., ubi dicit, maiora dictis se praetermisisse, « providentes, ne sermo noster mensuram suam transcenderet, et nimis diceremus, si vel hoc totum diceremus, quod dicere possemus ».
[6] Epist. II. Cor. 12, 2. 4; sequuntur Iudic. 13, 20. et Coloss. 3, 1. 2.
[7] De Praecepto et dispens. c. 20. n. 60.
[8] Cap. 2, 13; sequuntur Hebr. 1, 3. et Ps. 137, 2.
[9] Cap. 38, 4. 7; sequitur c. 1, 7.
[10] Respicitur c. 3, 1. seqq. et dein v. 10. seq.

quomodo est munditia et quorum, quia plorantium; et quomodo? Per viscera *piscis exenterati; fumus* iecoris *positi super carbones* fugat daemonium, *et fel* [1] eius clarificat visum, in quo significatur, quod ad hoc, quod sanemur per ministerium Angelorum, necessaria est nobis recognitio miseriarum nostrarum et dolor de peccatis et cum his memoria passionis Christi; corpus eius si fumans ponas super carbones, fumus eius *extricat omne genus daemoniorum.* —

Duo mala. Vile est esse *caecum* et sub *servitute diaboli.* In tali statu est peccator, quia perdidit lucem spiritualem et subiectus est daemoni. Ista duo mala significant calamitatem omnis peccati; debes cogitare, quod Christus crucifixus est ex caritate causata propter amorem salutis tuae, quia aliter non potuit expiari peccatum. Debes de peccatis tuis dolere. Fratres, videte mysterium salutis nostrae. Angeli non possunt nos curare, nisi habeant collyrium partim acceptum a *nobis,* scilicet quantum ad recognitionem miseriarum nostrarum et quantum ad memoriam passionis, et partim acceptum a *pisce,* id est a caritate Christi. Quamdiu habemus tempus poenitentiae, satisfaciamus pro posse nostro; non studeamus acquirere novas infirmitates. Aliqui dicunt: Dimittatis me peccare, postea intrabo Religionem; sed nullus sub spe recipiendi medicinam vellet multiplicare novas infirmitates.

Secundo descendunt Angeli ad *nos corroborandum in pugna;* unde in Luca [2]: *Apparuit Angelus confortans eum; et factus in agonia, prolixius orabat;* non indigebat confortatione, sed referebatur illud ad corpus Christi mysticum; sicut dicitur, quod apparuit Angelus Christo sudanti, ita apparet Christiano indigenti. Istud mysterium significatur nobis in Genesi, ubi dicitur: *Abiit Iacob* viam suam, *fueruntque ei obviam Angeli Dei, et appellavit nomen loci illius Mahanaim,* quod interpretatur *castra Dei;* hoc dicitur ibi, quod homo *luctabatur cum Angelo usque mane, et nomen* eius erat *Israel,* quod interpretatur *vir videns Deum;* (hoc) Hieronymus corrigit et dicit *vir fortis cum Deo,* et huic concordat littera, quae sequitur: *Quoniam, si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines praevalebis!* Ad hoc antem, quod praevaleas, requiritur dispositio ex parte patientis, quia oportet *luctari* cum Angelo et confortari. Dicitur [3], quod *Iacob transivit vadum Iaboc; Iaboc* interpretatur torrens pulveris, per quem designatur mutabilitas temporalium. Oportet transire vadum istud, id est amorem temporalium; qui vult transire fluvium magis levat pannos suos. Vis transire vadum temporalium? Non contrahas in eis sordes; sic eris idoneus, ut te confortent Angeli, quia non est via vincendi per terrena desideria. Unde Apostolus Petrus: *Obsecro vos abstinere vos a carnalibus desideriis.* Ista dant nobis bellum intestinum et submergunt in vado. Dicitur ab aliquibus, quod aurum pulverizatum optimum est. Debemus contemnere pulverem temporalium, si volumus ab Angelis confortari.

De eorum descensione tertia.

Tertio descendunt Angeli ad *dirigendum nos in via;* unde in Malachia [4]: *Ecce, mitto Angelum meum, qui praecedat te et custodiat in via et introducat in locum, quem paravi* tibi; sequitur: *Observa eum et auli vocem eius; non dimittet, cum peccaveris.* Sicut enim Angeli Raphaelis est curare a culpa, et Gabrielis est confortare in pugna, ita Michaelis est conducere in viam. Unde scribitur in Iudith [5]: *Vivit ipse Dominus, quoniam custodivit me Angelus eius et hinc euntem et ibi commorantem et inde huc revertentem. Iudith* significat Ecclesiam; synagoga primo fuit ab Angelis custodita, modo custoditur Ecclesia. Sed si sequeris viam daemonum, dimittent te Angeli. Unde quando Magi ibant ad Herodem, dimittebat eos stella, et quando iverunt ad Bethlehem, tunc praecedebat eos. Si vadis ad lupanar, vel ad invadendum socium tuum, tunc non praecedet te Angelus, sed daemones, qui facient magnam exsultationem. — Beatus Martinus habuit archidiaconum, nomine Brixium [6], qui successit ei in archiepiscopum; reprehendit eum beatus Martinus; ille indignatus ivit ad unam leucam de civitate Turonensi, ubi erat beatus Martinus et faciebat, aedificari unam ecclesiam; et venit ille, ut diceret beato Martino contumelias; et praecesserunt eum diaboli, qui fecerunt magnam exsultationem et hilaritatem ante cellam beati Martini. Venit Brixius et implevit os suum contumeliis et iniuriis contra beatum Martinum. Et dixit ei beatus Martinus: « Scias, te in posterum multas tribulationes passurum »; et sic fuit, quod impositum fuit ei adulterium iniuste, et per septennium expulsus fuit ab archiepiscopatu suo; cum rediret, irruit in eum spiritus compunctionis et reversus est ad beatum Martinum, ut peteret ab eo veniam, et praecesserunt eum daemones tunc tristes et se percutientes. Ita in spiritu (elationis) praecedunt te daemones cum gaudio, et in spiritu compunctionis praecedunt te Angeli Domini. Si vadat aliquis ad oppositum sibi bellum vel exercitum, nunquid occidetur? Habes Michaelem, qui te ducat. Sequeris suggestionem diaboli, melius esset ire ad verbum divinum. Aliqui habent modum Angelorum, ducunt iuvenes ad Missam et ad sermones et ad videndum homines valentes. Alii habent modum daemonum, ducunt iuvenes ad loca mala. Non instruuntur quandoque iuvenes per daemones, in quo instruuntur per homines et per malam societatem. Bene vobis, si sequimini bonos; sed de illis qui sequuntur malos, dicit Psalmus [7]: *Fiat via illorum*

Exemplum.

[1] Tob. 6, 8. seq.

[2] Cap. 22, 43; sequuntur Gen. 32, 1. seq. et dein v. 24. et 28. — De sententia Hieron. vide eiusdem lib. Hebraic. Quaest. in Gen. 32, 28.

[3] Gen. 32, 22; sequitur I. Petr. 2, 11.

[4] Cap. 3, 1. et Exod. 23, 20. seq.

[5] Cap. 13, 20; deinde respicitur Matth. 2, 2. 9. seq.

[6] Cfr. Surius, Histor. Sanct. die 13 Nov. in vita S. Brictii episc. Turon.

[7] Psalm. 34, 6; sequuntur Mal. 2, 7. et II. Cor. 11, 14.

tenebrae et lubricum, et Angelus Domini persequens eos. Non est mirum, si vadis in via tenebrosa et lubrica, si in praecipitium cadas. — Dicitur de bono praelato: *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est.* Verum est, si est bonus; sed si est malus, tunc est *angelus satanae, qui se transfigurat in Angelum lucis,* et facti sunt mali angeli, qui deberent esse boni; sicut Angelus bonus trahit ad caelum, ita malus angelus trahit ad infernum; et isti de continentibus faciunt impudicas et de virginibus corruptas. Accipiet aliquis centum marcas argenti et corrumpet virgines, de patrimonio Filii Virginis perpetrabit libidines carnis.

Quarta et ultima condescensio Angelorum est, quod descendunt Angeli ad *nos introducendos in patriam;* unde in Luca [1]: *Factum est, ut moreretur mendicus, nomine Lazarus;* descenderunt Angeli et *portaverunt in sinum Abrahae. Mortuus est autem et dives et sepultus est in inferno.* Nomen mendici recitatur, et quare? Quia pauperes habent *nomina sua scripta in caelo.* Dives vero non nominatur, sed scribitur, quod *induebatur purpura et bysso et epulabatur quotidie splendide;* hodie nolunt homines nisi epulari splendide. Exspecta sepulturam divitis; quis fuit ad eius obitum? Certe daemones, qui sepelierunt eum in inferno. De beato Michaele legitur [2]: « Michael, constitui te super omnes animas suscipiendas »; Psalmus: *Excelsus Dominus, et humilia respicit* etc. Si bene vis agere, habeas oculum ad finem; et quare? Quia exitus acta probat. — Si excluderis a regno, pessime facis factum tuum. Quid mihi, si sum nobilis et dives, si excludar a regno? Debes cogitare de bona morte, et si bene vis mori, debes cogitare de bona vita. Mirabile est, quod si materia aliqua disponitur intensive per frigidum, non introducitur de facili calidum. Non introducitur aliquis in caelum, nisi in ipso sit iustitia et sanctitas. Si es tepidus vel immundus, non habes iustitiam. Non poteris igitur intrare in regnum caelorum, quia scribitur: *Foris canes, impudici.* Angeli sunt messores; messis est finis saeculi; tunc grana *reponentur in horreo, et palea comburetur igni inextinguibili* [3]. Si es in bonitate et virtute, es granum et reponeris in horreo caelestis patriae; si vero es palea vacua et fragilis, inutilis ad fructum, *combureris igni inextinguibili.*

De eorum descensione quarta. Hortatio.

III. Sequitur videre de *origine Angelorum,* quod notatur, cum dicit: *et Dominum inimicum scalae.* Intelligatis, quod Dominus nulli innititur, quia non dependet ab aliquo, ut habemus in theologia; et in vera philosophia principium non dependet ab aliqua re, et colligitur ex theologia et philosophia, quod vera relatione non refertur Deus ad aliquid extra; sed intra ad Filium refertur vera relatione, in aliis vero est eius relatio *secundum dici.* Dico autem, quod ea quae de Deo dicuntur, tripliciter de eo dicuntur, quia loquimur de Deo quandoque secundum *transsumtionem,* secundum quod dicimus, quod est *lapis, lux* vel *pastor* [4]; quandoque loquimur de Deo secundum *superpositionem,* sicut dicitur *supersapiens, superpulcrum* et huiusmodi; quandoque vero loquimur de Deo secundum *causalitatem* et effectum connotatum in creatura, sicut dicimus, ipsum esse *iustum,* licet sit ipsa iustitia, et dicimus, ipsum esse *iratum,* quia iram infert. Dicitur autem Dominus *inimicus scalae,* quia scala innititur Deo. In hierarchia angelica est inhaerentia ista per *gloriam* et in ecclesiastica est per *gratiam;* utrobique tamen actus conformes, et est Deus istis sicut summus *motor,* et innititur scala ei sicut Domino, id est sicut *esse principiandi,* sicut *regulae dirigenti,* sicut *vitae beatificanti,* et sicut *monarchiae hierarchizanti.* — Primo dico, innititur scala Domino tanquam *esse principianti;* unde in Amos [5]: *Qui aedificat in caelo ascensionem suam,* id est caelestem hierarchiam, *fundavit fasciculum suum super terram,* id est Ecclesiam militantem; *Dominus, nomen eius.* — Secundo, innititur scala Domino tanquam *regulae dirigenti;* in Cantico [6]: *Deus scientiarum Dominus est, et ipsi praeparantur cogitationes.* Ipse est lux infallibilis, lux aeterna, quam sequi debemus. — Tertio, innititur scala ista Domino tanquam *vitae beatificanti;* Psalmus: *Domini est salus, et super populum tuum benedictio tua.* — Quarto et ultimo innititur ista scala Domino tanquam *Monarchiae hierarchizanti;* Psalmus: *Dominus virtutum, ipse est Rex gloriae. Attollite portas, principes, vestras, et introibit Rex gloriae. Consummatio sermonum, ipse est in omnibus* [7], cui *gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen.*

Pars III. De origine Angelorum praeclara. Dictum de Deo tripl. Scala illa innitur Deo quadrupliciter. Primo. Secundo. Tertio. Quarto.

Sermo II [8].

In conspectu Angelorum psallam tibi [9].

Divisio.

Ilic Psalmista duo nobis innuit: *divinum obsequium: psallam tibi;* et *obsequendi modum: In conspectu Angelorum.*

Pars I. Divinum obsequio. Decem chordae.

I. Sed notandum est, quod psallere debemus *in psalterio decem chordarum* [10], quae sunt *exhibitio reverentiae* respectu Patris omnipotentis, *observatio verecundiae* respectu Filii omniscientis, *ponderatio bonitatis* respectu Spiritus sancti benevolentis. Has

---

[1] Cap. 16, 20. 22. et dein c. 10, 20. et c. 16, 19.
[2] Brev. Rom., 29 Sept. antiph. 3. ad Laudes; sequuntur Ps. 137, 7. et Apoc. 22, 15.
[3] Respicitur Matth. 3, 12.
[4] Cfr. Bonav., I. Sent. d. 22. q. 1-3.
[5] Cap. 9, 6.
[6] Scilicet Annae, I. Reg. 2, 3; sequuntur Ps. 3, 9. et Ps. 23, 10. 9.
[7] Eccli. 43, 29; sequitur Apoc. 4, 6.
[8] Ex cod. Trecensi n. 1464. fol. 52 r.
[9] Psalm. 137, 2.
[10] Respicitur Ps. 32, 2; sequitur Luc. 15, 18.

chordas amiserat qui dixit: *Pater, peccavi in caelum*, scilicet Trinitatis, ex *irreverentia, invereundia*, ex *imponderatione* bonitatis divinae. Reliquae chordae sunt: *fidei* valetudo, *spei* certitudo, *caritatis* latitudo, *prudentiae* discretio, *iustitiae* compensatio (?), *temperantiae* sanctimonia, *fortitudinis* constantia. De his decem dicitur: *In psalterio decem chordarum psallam tibi*, quae sunt, ut dictum est, cultus beatae Trinitatis cum septem virtutibus, tribus theologicis et quatuor cardinalibus. In his enim consistit divinum obsequium, de quo in themate dicitur: *psallam tibi.*

II. Sequitur de secundo: *In conspectu Angelorum*, in quo innuitur *modus*. Nam dicit Glossa super hunc locum [1]: « Quibus aequari sicut nunc laude, ita post dignitate, exspecto ». Notandum autem, quod psallere (debemus) Domino laudando ipsum in virtutibus eius, id est Angelis, propter gloriosam ipsorum *sublimationem*, propter caritativam *dilectionem*, propter sollicitam *subventionem*. — De primo, Daniel [2]: *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.* Est autem eorum *sublimatio* (gloriosa), quia Deo *propinqua*, quia *continua*, quia *aperta*, quia *perfecta*. De his quatuor, Matthaei decimo octavo: *Angeli eorum in caelis semper vident faciem Patris mei, qui in caelis est.* Est ergo eorum sublimatio propinqua, quia *intellectualis;* continua, quia *semper;* aperta, quia *vident;* perfecta, quia *faciem Patris*, non quidem *per speculum in aenigmate, sed facie ad faciem*. — De caritativa *dilectione*, Lucas [3]: *Gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente* etc. Licet autem diligant salutem (omnium) hominum, tamen specialiter diligunt *humiles, bono studio invigilantes, munditiam servantes, in tribulatione patientes.* — De primo, Matthaeus: *Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis; dico enim vobis, quia Angeli eorum* etc., id est Angeli ad eorum custodiam deputati. Hinc etiam Angelus apparuit Agar, docens ipsam humilitatem [4]: *Revertere*, inquit, *ad dominam tuam et humiliare sub manu illius.* — Argumentum de secundo est Lucae secundo, cum apparuit *Angelus pastoribus vigilantibus super gregem suum.* — Argumentum de tertio, Lucae primo, quia apparuit Angelus beatae Virgini. — Argumentum de quarto, in Daniele [5], cum *descendit Angelus Domini cum Azaria et sociis eius in fornacem* etc., et Habacuc ad Danielem in lacum leonum adduxit; item, in Actibus Apostolorum: *Angelus Domini astitit, et lumen refulsit in habitaculo* carceris etc.

De sollicita *subventione* notandum, quod nobis subveniunt: nos *erudiendo, protegendo, promovendo*, et hoc secundum distinctionem triplicis hierarchiae. De prima enim hierarchia *Seraphim* nos informant *caritate; Cherubim*, scientiae virtute; *Throni*, institiae aequitate; primum principaliter respicit Religiosos vel contemplantes; secundum, (praedicatores) vel docentes; tertium, praelatos vel indicantes. De his per figuram dicitur in Genesi [6]: *Vidit Iacob scalam et Angelos ascendentes*, scilicet per Dei contemplationem, *et descendentes*, per nostram informationem. — De secunda hierarchia *Dominationes* nos protegunt contra ardorem carnalis concupiscentiae, ut nobismetipsis dominemur; *Principatus*, contra amorem temporalis affluentiae, ut Deum praeponamus; *Potestates*, contra calliditatem diabolicae versutiae, ne ab ipsa decipiamur. Hinc dicitur per Zachariam: *Circumdabo domum meam ex his qui militant mihi, euntes*, per administrationem, *et revertentes*, per contemplationem; Psalmus: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* — De tertia hierarchia promovent nos *Virtutes*, ut per mundi contemptum faciamus mirabilia; Ecclesiasticus [7]: *Beatus dives, qui inventus est sine macula* etc. *Fecit enim mirabilia in vita sua; Archangeli*, ut impleamus bona opera; *Angeli*, ut vitemus mala; Isaias: *Ite, Angeli veloces, ad gentem convulsam*, per avaritiam, *et dilaceratam*, per invidiam, *ad populum terribilem*, per iracundiam, *post quem non est alius*, per superbiam, *conculcatam*, per accidiam, *cuius diripuerunt flumina terram eius*, per luxuriam. Ab his vitiis Angelorum auxilio eripimur.

Sic igitur angelici spiritus nobis subveniunt *erudiendo* ad acquirendam sapientiam; *protegendo*, ad obtinendam victoriam; *promovendo*, ad habendam gratiam, et per consequens *perducendo* ad gloriam [8]. Lucas: *Factum est, ut moreretur* Lazarus *et portaretur ab Angelis in sinum Abrahae.*

Sermo III [9].

Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei, Danielis septimo [10].

Hic ostenditur Angelorum triplex *perfectio* et duplicis *officii executio*. Primum intelligitur in verborum differentiis: per *millenarium* numerum notatur perfectio gloriae; per *centenarium*, gratiae; per *denarium*, naturae. Per verbum *ministrabant* ostenditur *ministerii executio;* per *assistebant, contemplationis fruitio*. — Sed omnibus praetermissis, notandum est, quod Angeli sunt Deo acceptabiles ministri ratione *intelligentiae* vel sagacitatis, *munditiae*

Hoc fit quoad hierarchiam primam.

Item, quoad secundam.

Item, quoad tertiam.

Triplex perfectio et duplicis officii executio.

Divisio.

---

[1] Scilicet *ordinaria* apud Lyranum.
[2] Cap. 7, 10; sequuntur Matth. 18, 10. et I. Cor. 13, 12.
[3] Cap. 15, 10; sequuntur Rom. 12, 12. et Matth. 18, 10.
[4] Gen. 16, 9; sequuntur Luc. 2, 8. et c. 1, 28.
[5] Cap. 3, 49; sequuntur c. 14, 35. et Act. 12, 7.
[6] Cap. 28, 12; sequuntur Zach. 9, 8. et Ps. 90, 11.
[7] Cap. 31, 8. seq.; sequitur Isai. 18, 2.
[8] Cfr. supra pag. 616 col. II. — Sequitur Luc. 16, 22.
[9] Ex eodem codice, ubi sequitur immediate post praecedentem sermonem cum rubrica: *Item, de eodem;* sed non est nisi schema tantum sermonis.
[10] Vers. 10.

vel honestatis, *obedientiae* vel promptitudinis. Haec enim tria faciunt ministrum idoneum, scilicet *sagacitas* in discernendo, *honestas* in ministrando, *promptitudo* in exsequendo.

De primo divisionis membro tanguntur tria.

De primo, Proverbia [1]: *Acceptus est regi minister intelligens.* Sunt enim *intelligentes*, quia vident *supra se* semper faciem Patris luminis, quia *extra se* comprehendunt omnia sine *collatione*, et sine *successione* omnia simul; unde intellectus eorum differt a nostro sicut simplex a suo composito et punctus a linea; item, quia omnia retinent *intra se* sine *oblivione.*

Tria genera non illuminantur.

Isti autem sic intelligentes sunt Dei ministri ad *nos illuminandum*; sed eorum illuminationem (non) capiunt *malitiosi*, *praesumtuosi*, *obstinati.* De primo, Sapientia [2]: *In malevolam animam non introibit sapientia.* De secundo, Apocalypsis: *Dicis, quod dives sum et locupletatus et nullius egeo, et nescis, quia tu es miser et miserabilis et pauper et caecus et nudus.* De tertio, Psalmus: *Noluit intelligere, ut bene ageret;* item, similis *aspidi surdae* etc.

Item, de secundo.

Secundo, sunt etiam Deo acceptabiles ministri ratione *mundítiae* et honestatis; unde ad nos mittuntur, ut mundemur; Psalmus [3]: *Qui facis Angelos tuos spíritus et ministros tuos ignem urentem.* Et notandum, quod dicuntur *spíritus* per substantiae

Tria eorum nomina.

puritatem; *Angeli*, per officii exsecutionem; *ignis*, per doni sublimitatem. Debemus autem mundari in

Triplex mundatio.

affectione, detestando peccata; in *locutione*, detestando turpiloquia; in *conversatione*, fugiendo mala exempla. De primo, Ecclesiasticus [4]: *Ab omni delicto munda cor tuum;* de secundo, Isaias: *Tetigit hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua;* de tertio, Apostolus: *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spíritus, perficientes sanctificatiomem in timore Dei.*

Item, de tertio tria.

Item, sunt ministri Deo acceptabiles ratione *promptitudinis obedientiae;* Psalmus [5]: *Benedícite Domino, omnes virtutes eius, qui facitis voluntatem eius.* Faciunt autem voluntatem Dei respectu eius quod est *supra*, scilicet se elevando ad Dei laudem; respectu eius quod est *iuxta*, se dilatando per dilectionem: respectu eius quod est *infra*, se humiliando per ministerii exhibitionem.

Sermo IV [6].

Angeli eorum semper vident faciem Patris, Matthaei decimo octavo [7].

Divisio.

In his verbis ostenditur duplex officium Angelorum: primum est *hominibus ministrandi*, cum dicitur: *Angeli eorum;* secundum, *Dominum contemplandi*, sive Deo assistendi, ibi: *semper vident faciem Patris.*

Para i. D mieister: ministra tria, sci remedia, exempla, beneficia De remed

I. Videamus de primo; Angeli dicuntur *nostri* propter tria, quae ministrant nobis, scilicet *remedia*, *exempla* et *beneficia.* — Tria sunt *remedia* contra tria mala, quae ex peccato contrahimus: ad *malum pronitas*, ad *bonum difficultas*, a *Deo longinquitas;* et quidem pronitas facit *labiles*, difficultas *debiles*, sed longinquitas *exsules.*

Quoad rem dia prima est Rapha lis remedia contra pr nitatem a malum.

Primum *remedium* ministrat *Raphael*, qui interpretatur *medicina Dei.* Nam curavit Tobiam a caecitate et Saram, Raguelis filiam, a daemonis iniquitate, Tobiae undecimo [8] et octavo. Nam, ut dicit Augustinus, « duo inflicta sunt nobis ex peccato, scilicet *ignorantia* rerum agendarum et *concupiscentia* noxiarum; ex quibus duobus pronitas ad malum inest nobis et difficultas » etc. Ignorantia ergo caecitas mentis est, daemonis iniquitas infestans concupiscentia est. In cura ergo caecitatis Tobiae ostenditur medicamentum (ignorantiae et in cura Sarae medicamentum [9]) concupiscentiae, quae vicit (eos) qui occidebantur a daemone; suggestione daemonis volebant abuti Sara contra legem matrimonii, et ideo accipiebat *postmodum daemonium potestatem in illos* et *occidebat illos*, Tobiae sexto [10]. Curavit autem eos corde piscis et felle; unde Tobiae sexto dicitur: *Cordis eius particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus daemoniorum. Fel valet ad ungendos oculos, in quibus fuerit albugo, et sanabuntur.*

Secundo est Gabrie remedium contra dif caltatem bonum.

Secundum remedium ministrat *Gabriel*, qui interpretatur *fortitudo Dei*, quia facit fortes contra difficultatem. Sumus enim difficiles ad duorum bonorum observantiam, scilicet praeceptorum et consiliorum; et ideo Gabriel mittitur ad annuntiandum nativitatem praecursoris Christi nasciturí secundum legem matrimonii, Lucae primo [11], et (ad) annuntiandum nativitatem Christi de Virgine nasciturí, Lucae primo. In observantia ergo legis matrimonii intelligitur observantia *praecepti*; in observantia virginitatis intelligitur observantia *consilii*; ad quae duo roborat Gabriel et confortat.

Tertium e Michaeli remedium contra lo gioqualde a Deo.

Tertium remedium ministrat *Michael*, qui interpretatur *Quis ut Deus.* Nam sua ministratio praesentes animas Deo facit, sicut cantatur de ipso [12] quod « introducit animas in paradisum exsultationis ». Ideo Angelus, qui volebat educere de exsilio Babylonis usque in Ierusalem, dicit Danielis decimo: *Nemo est adiutor meus in omnibus his nisi Michael, princeps*

---

[1] Cap. 14, 35.

[2] Cap. 1, 4; sequuntur Apoc. 3, 17; Ps. 35, 3. et Ps. 57, 4: *Sicut aspidis surdae et obturantis aures suas.*

[3] Psalm. 103, 4.

[4] Eccli. 38, 10; sequuntur Isai. 6, 7. et II. Cor. 7, 1.

[5] Psalm. 102, 21.

[6] Ex cod. Trecensi n. 2052. fol. 79 r.

[7] Vers. 10.

[8] Vers. 13. seqq. et dein c. 8, 3; sequitur August., de Natura et gratia contra Pelag. c. 67. n. 81, paucis mutatis.

[9] Verba parenthesis addidimus, ut sensus sit congruus; et infra pro *quae vicit eos qui* codex habet *nam vicit quae.*

[10] Respicitur v. 14. 17. et deinde v. 8. seq.

[11] Vers. 13. et dein v. 26. seqq.

[12] Breviar. Roman. die 29 Sept. respons. 5. ad Matutinum; sequuntur Dan. 10, 21. et c. 12, 1.

vester. Et hoc sonat nomen eius *Quis ut Deus*, quasi dicat: quis est tam desiderandus ut Deus? Et propter hoc implet desiderium servorum Dei, qui desiderant praesentem habere Deum; Danielis duodecimo: *In tempore autem illo consurget Michael, princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui.* — Et quia contra praedicta tria mala indigemus tribus remediis, ideo tres Angelos solum ex nomine designat sacra Scriptura, scilicet Raphaelem, Gabrielem et Michaelem.

Quod exemplum Angeli quadrupli virtutis. — Vires primum.

Exempla autem, quae ministrant nobis, sunt in quadruplici genere virtutis, scilicet *reverentiae* quoad superius, *munditiae* quoad suum interius, *concordiae* quoad suum exterius, *clementiae* quoad inferius. — Primum ergo exemplum est *reverentiae ad Deum;* Apocalypsis septimo [1]: *Omnes Angeli stabant in circuitu throni et ceciderunt in conspectu throni in facies suas et adoraverunt Deum.* Et istud exemplum est imitandum a fidelibus, praecipue in ecclesia et Sacramento altaris; Psalmus: *Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes eius.* — Secundum est *munditiae ad se ipsos*, quia Angeli sunt puri et mundi; sicut dicit Dionysius [2], Angelus est « imago Dei manifestativa luminis occulti, speculum purum, immaculatum, incontaminatum et incoinquinatum »; de quo dicitur Lucae vigesimo: *Illi vero, qui digni habebuntur saeculo illo et resurrectione ex mortuis, neque nubent neque ducent uxores. Aequales enim Angelis sunt et filii sunt Dei;* et Matthaei vigesimo secundo similiter dicitur. Et propter hoc Angelus libenter venit ad virginem tanquam amator puritatis; Hieronymus [3]: « Semper est Angelis cognata virginitas ». Unde beata Agnes: « Mecum enim habeo custodem corporis mei, Angelum Domini ». — Tertium est *concordiae unius ad alterum*; Iob vigesimo quinto [4]: *Potestas et terror apud eum est, qui facit concordiam in sublimibus suis. Sublimes* Angeli sunt Dei, inter quos de sui sublimitate non est discordia, quia minor non invidet maiori, nec maior molestat minorem, nec par, aequalem; Lucae secundo: *Facta est cum Angelo multitudo militiae caelestis laudantium Deum et dicentium: Gloria in Altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis.* — Quartum est *clementiae ad hominem;* nam non dedignantur ad pauperem venire leprosum; Lucae decimo sexto [5]: *Factum est, ut morereturmendicus et portaretur ab Angelis in sinum Abrahae;* Lucae decimo quinto: *Gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente.* Et ideo qui peccant quodam modo curiam caelestem turbant; Isaiae trigesimo tertio [6]: *Angeli pacis amare flebunt.*

Secunda. — Tertia. — Quarta.

Beneficia vero sunt quinque, scilicet *sanctificationis, illustrationis, protectionis, inflammationis, generalis custoditionis.* — Primum ergo beneficium (est) *sanctificationis* sive mundationis; unde Angelus Seraphim missus est ad mundandum labia Isaiae; Isaiae sexto [7]: *Volavit ad me unus de Seraphim, et in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, et tetigit os meum et dixit: Ecce, tetigit hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur.* — Secundum est *illustrationis;* nam illuminant nos ad cognitionem veritatis tam de *poenis reproborum;* Apocalypsis decimo septimo: *Venit unus de septem Angelis, qui habebant septem phialas, et locutus est mecum dicens: Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnae;* quam de *gloria Sanctorum;* Apocalypsis vigesimo primo: *Venit unus de septem Angelis et locutus est mecum dicens: Veni, et ostendam tibi sponsam, uxorem Agni, et ostendit mihi civitatem sanctam Ierusalem.* — Tertium est *inflammationis;* nam Angeli inflammant nos in amorem Dei; Psalmus [8]: *Qui facis Angelos tuos spiritus et ministros tuos ignem urentem.* — Quartum est *protectionis* sive defensionis; nam defendunt nos ab infestationibus daemonum; Psalmus: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum et eripiet eos;* Actuum duodecimo: *Nunc scio vere, quia misit Dominus Angelum suum et eripuit me de manu Herodis et de omni exspectatione plebis Iudaeorum.* — Quintum est *generalis custoditionis;* nam generales custodes sunt animarum Angeli; Psalmus [9]: *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis;* Tobiae decimo: *Angelus Domini sanctus sit in itinere vestro perducatque vos incolumes, et inveniatis omnia recte circa parentes vestros.* — Tria ergo remedia et quatuor exempla et quinque beneficia supradicta, quae fiunt, significantur per *duodecim millia signatorum de qualibet tribu duodecim tribuum filiorum Israel*, quos signavit *Angelus ascendens ab ortu solis*, qui *habebat signum Dei vivi*, Apocalypsis septimo.

Quoad beneficia sunt quinque. — Primum. — Secundum. — Tertium. — Quartum. — Quintum. — Repetitio.

II. Videamus de secundo officio Angelorum, quod est *Deum contemplari;* et hoc officium tripliciter proficuit (?): et primo, in Dei faciem semper *intuitum figendo*, ut in praemissa auctoritate dicitur: *Angeli eorum semper vident faciem Patris;* primae Petri primo [10]: *In quem desiderant Angeli prospicere.* — Secundo, in Dei *maiestati semper assistendo;* Lucae primo: *Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum;* Danielis septimo: *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.* —

Pars II. De officio Deum contemplandi tripliciter. — Deum intuendo. — Deo assistendo.

---

[1] Vers. 11; sequitur Ps. 131, 7.

[2] De Div. Nom. c. 4. § 22; sequuntur Luc. 20, 35. seq. et Matth. 22, 30.

[3] Epist. 9. ad Paulam et Eustoch. de Assumtione Mariae (inter opera Hieron.), c. 5. — Sequitur Surius, die 21 Ian. § 7.

[4] Vers. 2; sequitur Luc. 2, 13.

[5] Vers. 22; sequitur c. 15, 10.

[6] Vers. 7.

[7] Vers. 6. seq.; sequuntur Apoc. 17, 1. et c. 21, 9. seq.

[8] Psalm. 103, 4; sequuntur Ps. 33, 7. et Act. 12, 11.

[9] Psalm. 90, 11; sequuntur Tob. 10, 11. et Apoc. 7, 2. seqq.

[10] Vers. 12; sequuntur Luc. 1, 19. et Dan. 7, 10.

Deum laudando.

Tertio, in divinam *bonitatem semper laudando*, uti dicit Ioannes Damascenus [1], quod « officium Angelorum est Deum semper hymnis laudare »; Iob trigesimo octavo: *Ubi eras, cum me laudarent simul astra matutina et iubilarent omnes filii Dei? Laudate Dominum, omnes Angeli eius; laudate eum, omnes Virtutes eius.* Rogemus Dominum etc.

Sermo V [2].

Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis [3].

(Prothema). *Labia sacerdotis custodient scientiam, et Legem requirent ex ore eius; quia angelus Domini exercituum est,* Malachiae secundo.

Prothema.

Ostenditur nobis in hoc secundo verbo Malachiae, quod inter alia officia, quae Dominus commisit homini, hoc est unum principale et nobilissimum, quod homo loquatur et explicet divinae legis mysterium et secretum. Hoc enim potius est officium angelicum quam humanum. Angeli enim, qui semper vident Deum, conscii sunt secretorum divinorum. Dicit ergo, quod ex ore eius debet populus audire legem, per quam debet esse conscius secretorum divinorum, sicut Angelus debet esse deiformis per conformitatem suam ad Deum. Ideo antem Angeli sunt nuntii Dei, quia tanta certitudine cognoscunt veritatem divinam, ut nec falli possint nec fallere; ita virtuose exsequuntur visionem divinam, ut reprehendi non possint. De nobis autem non est sic; nam sumus multis caliginibus involuti; ideo multoties fallimur et decipimur. *Non* enim *sufficientes sumus* dicere *aliquid* boni [4]; sumus etiam negligentes in exsequendo missionem divinam, quia, Isaiae sexagesimo quarto, *omnes iustitiae nostrae quasi pannus menstruatae* reputabuntur. Ipse autem, qui omnia videt et potest, defectus nostros supplere poterit, si ipse velit. Ideo rogabimus ipsum in principio, ut ponat verbum suum in cor nostrum, ut possimus aliquid vobis dicere, quod sit ad honorem suum et laudem beatorum Angelorum, de quibus hodie solemnizat Ecclesia, et ad aliquam consolationem animarum nostrarum, et dicamus, si placet, orationem dominicam et Ave Maria.

Angelis suis Deus mandavit de te etc.

Scriptum est (hoc) in Psalmo; et in verbis istis exSermo. plicatur nobis excellentia supernorum spirituum quanDivisio. tum ad duo: primo, quantum ad *charismata gratiarum;* secundo, quantum ad *exercitia meritorum.* Primum tangitur, cum dicitur: *Angelis suis mandavit de te;* (secundum), cum dicitur: *ut custodiant te* etc. *Angelis suis,* non per conditionem naturae suae tantum, quia ipsos creavit, sed *suis* per infusionem gratiae, (secundum) quod scriptum est in Iob quarto [5], quod *in angelis suis reperit pravitatem;* et de istis non loquitur hic, sed de illis qui sunt ita *sui* per gratiae infusionem et confirmationem, quod non possunt esse contrarii nec ad contrarium voluntatis suae declinare. Secundum vero tangitur, cum dicitur: *ut custodiant te* etc. In ista custoditione intelliguntur universae condescensiones angelicae, quae fiunt ad custodiam ecclesiasticae hierarchiae, et hoc totum fit in mandato divino; ideo interponit primo de mandato divino dicens: *Angelis suis mandavit de te.*

Pars I Comm dante A geli qu charisma gratiaru

I. Quantum ergo ad primum dicit: *Angelis suis mandavit de te.* Magnum quidem est dicere, quod sint *sui*, quod sint Angeli Dei ab eo possessi, ita quod non possint amitti, et hoc propter influentiam charismatum, quae recipiunt a Deo. Influentia autem Dei in Angelos, quae facit ipsos Angelos deiformes, necesse est, quod sit secundum triplicem motum, et secundum hoc est triplex hierarchia in Angelis. Nam Angeli dicuntur Angeli *sui* vel *Dei* propter charismata gratiarum *sursum agentium* ad prima et summa; dicuntur etiam Angeli Dei propter charismata gratiarum *coordinantium* ad propinqua et media; dicuntur etiam Angeli Dei a Deo possessi propter charismata gratiarum, quae suscipiunt a Deo *ad condescendendum ad infima,* et secundum hoc sunt tres hierarchiae. — Nam tres sunt mensurae existentiae, scilicet *aeternitas, aeviternitas* et *tempus;* et similiter sunt tria *esse:* aeternum, aeviternum et temporale; similiter sunt trium differentiarum *personae,* scilicet personae divinae, angelicae et humanae. Ideo, cum sanctitas sit in personis, hoc est in substantiis rationabilibus, necesse est, tres esse hierarchias — quia hierarchia nihil aliud est quam sacer principatus — scilicet hierarchiam *supercaelestem, caelestem* et *subcaelestem.* Supercaelestis est in personis divinis; caelestis, in personis angelicis; subcaelestis, in personis humanis. Et sicut aevum medium est inter aeternitatem et tempus, sic et existentia angelica medium est inter existentiam divinam et humanam. Et hierarchia angelica medium est vel velut medium inter hierarchiam supercaelestem et subcaelestem sive humanam. Necesse est ergo, quod hierarchia angelica, quae est media, relationem habeat ad primam, ad se et ad tertiam. — Ideo necesse est, quod gratiam det ei triplicem ad ordinationem secundum charismata gratiarum: ad prima et summa secundum charismata gratiarum *sursum agentium,* ad media et propinqua secundum charismata gratiarum *coordinantium,* ad infima secundum charismata gratiarum *condescendentium.*

Tres hier chiae sec dum ter charismat scil, grati rum sura agentiu coordina tium, & scendentiu

Ratio hui

Notandus

Unde et charismu

Habet ergo relationem ad primam secundum charismata gratiarum sursum agentium, et ista sursumactio non est secundum motum localem, sed secundum conformitatem ad divinas personas, ut eis conformentur

Primo, gratiis su sum agen hus et pe hierarch

---

[1] Libr. II. de Fide orthod. c. 3; sequuntur Iob 38, 4. 7. et Ps. 148, 2.

[2] Ex cod. Vat. n. 1265. fol. 5, editus ab Ant. Uccelli in periodico *la Scienza e la fede,* volum. 76. pag. 395. seqq. Multa et gravia huius editionis vitia nova codicis istius collatione hic emendata sunt.

[3] Psalm. 90, 11. — Prothema habetur Mal. 2, 7.

[4] Respicitur II. Cor. 3, 5; sequitur Isai. 64, 6.

[5] Vers. 18.

Coarmitas quantum ad *appropriata*. Patri enim in divinis appro-
rii ordi- priatur *celsitudo* praesidentiae, Filio *plenitudo* sapien-
nad ap- tiae et Spiritui sancto *sanctitudo* benevolentiae. Et se-
propriata cundum hoc necesse est, esse tres ordines secundum
rica. respectum illum, scilicet *Thronos, Cherubim* et *Seraphim*. Conformantur enim per charismata gratiarum sursum agentium Patri in celsitudine praesidentiae ipsi *Throni*, qui firmiter stant, et in eis et per eos Dominus iudicia sua decernit; item, Filio in plenitudine sapientiae, *Cherubim*, (quod) interpretatur plenitudo scientiae; Spiritui sancto, *Seraphim* quantum ad sanctitatem benevolentiae; interpretatur enim ardens sive incendens semper per benevolentiam et amorem. Isti sunt principaliter *Angeli sui* sive Dei, qui sic Deo conformantur.

Horum excellentiam et pulcritudinem contem-
Vun ordi- platur anima sancta in contemplatione elevata, cuius
ni excel- figura praecessit in libro Regum [1], ubi dicitur, quod
ntia. *regina Saba venit* de longinquis partibus *videre sapientiam Salomonis, a finibus terrae; et cum vidisset omnem sapientiam Salomonis et domum, quam aedificaverat, et cibos mensae eius et habitacula servorum et ordines ministrantium vestesque eorum* etc., *non habebat ultra spiritum dixitque ad regem: Beati, viri tui, et beati, servi tui, qui stant coram te semper et audiunt sapientiam tuam*, tertio Regum decimo. — *Regina* ista *Saba* est anima sancta *a finibus terrae veniens*, hoc est per omnia ista mundana transiens a visibilibus ad invisibilia, ut *sapientiam* veri *Salomonis* contempletur; et figit oculos suos in illa prima hierarchia et dicit de Angelis primae hierarchiae: *Beati, viri tui*, a virilitate et virtute; *et beati, servi tui*, ab humilitate, quia humiliter semper *serviunt Deo Domino* et submittuntur et obediunt in omnibus sicut servi domino, *qui stant coram te semper et audiunt* etc.
armonia — O quam iucundum est audire illam harmoniam elo-
oquii di- quii divini, illud vivum Verbum, in quo omnia dicuntur! Et quod istud sit verum, quod Angeli stent coram Deo semper et ipsum audiant et videant, patet. Audi Christum in Evangelio [2] dicentem: *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in caelis est*. Sicut enim organum corporale informatur specie rei visae, sic est in spirituali organo in anima, quae, quando Deum videt perfecte, configuratur ipsi et ipsum continue intuetur. Sicut enim beatitudo est aeterna, nullo modo intercisa, sic actum beatitudinis,
isio sem- actum visionis Dei, necesse est (esse) aeternum, nullo
piterna. modo intercisum. Unde primae Ioannis tertio dicit Ioannes: *Scimus, quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est*. Semper vident Deum nec unquam lassantur, quia in eum semper desiderant prospicere. Ipsi enim fruuntur nec fastidiunt, quo frui magis sciunt (?); et licet ista tria sint omnium Angelorum, appropriantur tamen tribus ordinibus, de quibus dictum est; nam *stare* coram Deo semper est Thronorum; *videre* (et) *audire* est Cherubim; *desiderare* appropriatur Seraphim. — Sed, pro Deo! ubi est modo ista regina, quae sit a finibus terrae? Veniens veniat, ut videat sapientiam Salomonis. Nihil reputamus, nisi quae videmus oculis nostris. Talis est differentia inter nos et sanctos et bonos viros, qualis inter simplicem rusticum et astrologum peritum. Quando dicit astrologus rustico: Centies septuagies septies sol est maior terra; non credit, non potest capere; videtur enim sibi de stella, quod possit eam includere in manu; de sole, quod sit forte sicut unum dolium; non potest credere, quod sit tantae quantitatis, et tamen irrefragabilibus demonstrationibus potest hoc probare astronomus, si ille posset capere et intelligere. Ita est de nobis. Quando dicitur: Iste est dives, est episcopus, archiepiscopus, rex, hoc reputamus magnum. Si dicatur nobis: Ista magnitudo nihil est, non possumus credere; non possumus capere, si dicatur nobis: Nihil est de ista magnitudine. Sed magnum quid est de magnitudine Angelorum et excellentia. Illam appretiamur, de ista non curamus. Nec mirum, quia plus sumus nos peccatores et miseri elongati a magnitudine (eorum) quam simplex rusticus a magnitudine tellarum. Vere, si bene attendimus, non est magnum esse divitem in mundanis istis, quia perversissimus fuit magnus et dives in eis. Nec etiam in dignitate ecclesiastica; quia Iudas [3], qui fuit Apostolus, suspendit se et *crepuit medius* et modo in inferno damnatur.

Improbatur humana negligentia.

Simile.

Secundo dicuntur Angeli Dei propter charismata gratiarum *coordinantium* ad propinqua et media, quae sunt triformia, quia propinqua et media subiicienda sunt supernis imperiis, stabilienda sunt in internis et sanctis propositis et superferenda potestatibus contrariis. Hic est rectus ordo et hoc exigit. Dicit enim Augustinus de Civitate Dei [4], quod « ordo est parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio ». Et quae sunt ista sublimia, quae hic faciunt illa agmina Angelorum, quae habent divina nomina, *Dominationes, Virtutes* et *Potestates*? Dominationes enim docent *subiici* divinis imperiis, Virtutes *stabiliunt* in intimis et sanctis propositis, Potestates *superferunt* potestatibus contrariis, et sic fit recte concordia in supernis. Ordo enim *Dominationum* facit (pacem) a superiori, vel cum superiori, quia docet subiici divinis imperiis; *Virtutes* (faciunt) cum interiori, quia stabiliunt in sanctis ac bonis propositis; *Potestates* faciunt pacem ab exteriori, quia superferunt potestatibus contrariis; et sunt tres ordines in media hierarchia, per quos fit concordia in sublimibus. Ipse enim Dominus *facit concordiam in sublimibus suis*, dicitur in Iob vigesimo quinto [5]. Et quid mirum, si sit pax in sublimibus? — *Nunquid est numerus militum eius*? Iob vigesimo quinto; quasi (dicat): numerus

Secundo, de gratiis coordinatibus et secunda hierarchia.

De numero eorum.

[1] Libr. III. c. 10, 1. seqq.; cfr. Matth. 12, 42.
[2] Matth. 18, 10; sequitur 1. Ioan. 3, 2.
[3] Act. 1, 18.
[4] Libr. XIX. c. 13.
[5] Vers. 2; sequuntur v. 3. et Matth. 26, 53.

eorum excedit alios numeros, tot sunt. Dominus dixit in Evangelio: *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum?* In quo intelligitur superexcrescens numerus respectu omnis alterius militiae. Non dicit *duodecim legiones*, quia tantum sint duodecim; sed quia duodecim sumitur numerus superexcrescens. Per hoc intelligitur, quod numerus Angelorum superexcrescens est omnino numero alterius militiae. De ista militia in figura dicitur in Genesi trigesimo secundo [1], quod *Iacob abiit itinere, quo coeperat; fueruntque ei obviam Angeli Dei, quos cum vidisset, ait: Castra Dei sunt haec. — Castris* assimilantur Angeli de media hierarchia; quare?

Tria requiruntur, ut sit acies ordinata.

In castris ad hoc, quod sit *castrorum acies ordinata*, tria requiruntur: necesse est, quod omnes sint *subiecti* principi exercitus, et quod sibi ipsis *uniti* firma fidelitate cohaereant, et quod contra hostes potentissima audacia *consurgant*. Hoc faciunt tres ordines mediae hierarchiae, quia *Dominationes* faciunt Deo *subiici*, Principi exercitus Ecclesiae; *Virtutes* faciunt, quod sint sibi *uniti; Potestates*, quod contra hostes potentissima audacia *consurgunt;* ideo castris comparantur. Vide, in ecclesiastica hierarchia nostra quandoque est hostis et plures rapit et interficit. Non sic est in caelesti hierarchia; firmata enim est in monte firmissimo, ita quod hostis non potest illuc accedere nec in eos irrumpere. Ideo dicitur in libro Regum, quod *aperuit Dominus oculos pueri* Elisei, et apparuerunt ei *montes pleni equorum et curruum igneorum;* sed non quod Angeli sint equi aut currus; quare dicit de equis et curribus? Quia audacia militiae est in equis et velocitas motus in curribus, et ipsi sunt *velocissimi* et *audacissimi;* ideo per *equos* et *currus* designantur. Sunt et *ignei*, quia deiformes et caritate fervidi. — O qui haberet tales adiutores parum timere deberet adversarios! Sed si non desunt nobis in adiutorio, unde est, quod satanas tot de nobis perdit? Certe hoc est, quia ipsi extra aciem egrediuntur, quod quando adversantur divinis imperiis, non stabiliuntur in sanctis et bonis propositis et tunc non superferuntur potestatibus contrariis.

Hoc faciunt ordines secundae hierarchiae.

Hortatio.

Tertio modo praesidendi dicuntur Angeli *sui*, quoniam suscipiunt charismata gratiarum *condescendendo* ad infima; et ista condescensio ad nos est per *exercitia* perfectae virtutis nos *manuducendo;* sic enim condescendunt nobis; aut ad nos *erudiendos* per *documenta* et *mysteria*, aut ad nos *relevandos* per sua *beneficia*, primum facit ordo Principatuum, quorum est *manuducere* ad bonum per exempla perfectae virtutis; secundum facit ordo Archangelorum, quorum est nos *erudire* et docere; tertium, Angelorum, quorum officium est nos *sublevare*. Propter ista tria dicit Apostolus ad Galatas [2]: *Lex propter transgressiones posita est, ordinata per Angelos in manu Mediatoris.* Isti enim Angeli legem tradiderunt conformem Deo, quam ipsi etiam tenent. Quid continet? Caritatis impendenda (beneficia), mysteria Dei reseranda, miracula Dei extollenda; ultimum per Principatus; secundum per Archangelos, primum per Angelos. Haec omnia fiunt per eos et ea implent: primo, *potentes virtute, qui facitis verbum eius.* Quare *potentes?* Quia *faciunt verbum Dei,* quod est verbum *validum, portans omnia;* hoc est et verbum *verum*, in Ioanne [3]: *Sermo tuus veritas est;* verbum *bonum,* Psalmus [4]: *Eructavit cor meum verbum bonum.* Principatus faciunt verbum *validum*, cum exercent opera virtutis; Archangeli verbum *verum*, cum reserant mysteria salutis; Angeli verbum *bonum*, cum pie nos relevant suis beneficiis; in Matthaei quarto dicitur de Christo: *Ecce, Angeli accesserunt et ministrabant ei.* Non est aliquid otiosum in Scriptura sacra.

Tertio, de gratuita condescendentibus triplici modo.

Triplex fuit tentatio, qua (Christus) tentatus fuit, et qua nos quotidie tentamur: tentatio *voluptatis*, cum dixit: *Si Filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant* [5]; alia, *vanitatis*, cum *statuit eum super pinnaculum templi* et ait: *Si Filius Dei es, mitte te deorsum* etc.; tertia, *avaritiae* et cupiditatis, cum dicit: *Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* — Istis tentationibus superatis, *accesserunt Angeli*, in quo datur nobis intelligi, quod nullus est idoneus manuduci per exempla a *Principatibus*, nisi vicerit carnalitatem et voluptatem carnis. Similiter parum prodest ministerium *Archangelorum* praesumtuosis et superbis, quia oportet *captivare* mentes nostras et *intellectus in obsequium* fidei, quod non possunt facere praesumtuosi et superbi; unde ex superbia et praesumtione proveniunt errores et haereses. Vix accidit, quin Dominus praesumtuosum et superbum permittat cadere in aliquem errorem. Beneficium autem *Angelorum*, quod impendunt nobis ex pietate, nunquam prodest avaris, qui totum vendunt. Iudas enim ex avaritia vendidit Dominum Iesum Christum; pro *triginta argenteis* illum dedit [6], qui valebat mille mundos. Avarus totum vendit, etiam spiritualia, ut simoniaci, etiam se ipsum; Ecclesiasticus: *Avaro nihil est scelestius. Hic enim et animam suam venalem habet.* Nisi ergo iam superaveris, non prodest tibi eorum ministerium. — Sed dicet aliquis: Deus meus! tota die praedicatis de effectibus Angelorum in nobis et eorum custodia, quam diligenter custodiunt nos et tot beneficia nobis exhibent; et de hoc nihil sentio aut percipio, sicut dixit quidam episcopo Guillelmo: Nescio, quid est de Angelo; modo aut est stultior Angelus, qui sit in paradiso, aut multum negligens est circa mei custodiam, qui permittit, me tota die in tot sordes vitiorum cadere. — O carissime!

Triple tentatio

Obiec

Respo

[1] Vers. 1. seq.; sequuntur Cant. 6, 3. et IV. Reg. 6, 17.
[2] Cap. 3, 19; sequitur Ps. 102, 20. et respicitur Hebr. 1, 3.
[3] Cap. 17, 17. — Supra pro *mysteria* cod. habet *muisteria*.
[4] Psalm. 44, 1; sequitur Matth. 4, 11. et dein v. 3.
[5] Matth. 4, 3. seq.; sequitur v. 9. et respicitur II. Cor. 10, 5.
[6] Matth. 26, 15; sequitur Eccli. 10, 9. seq.

vide, quid est. Nonne lux est communissima et quae libentissime se communicat? et tamen potest homo sibi opponere obstaculum, quod ipsa non intret nec se communicet. Sic est de Angelo tuo. Libenter iuvaret te et communicaret tibi beneficia sua; sed tu claudis ei vias, per quas intrent in te beneficia sua, et hoc propter peccata tua. *Voluptas* enim tibi claudit primum, ne manducaris ab Angelo per *exempla* perfectae virtutis; et cum audit homo carnalis et voluptuosus exemplum alicuius Sancti, quantum pro Deo sustinuit, dicit: Oh! quis posset istud sustinere? *Praesumtio* claudit tibi secundum, ne tu erudiaris per bona *documenta* et Scripturae sacrae mysteria. *Avaritia* claudit tibi tertium et *cupiditas, quae est radix omnium malorum* [1], ne te relevet per sua *beneficia*.

novem nibus in ere.

Sunt ergo novem ordines Angelorum, nec est humanae inventionis, sed divinae dispositionis. In huius rei figuram Salomon *aedificavit atrium* templi *interius tribus ordinibus lapidum politorum*, tertii Regum sexto [2]. Isti beati Angeli sunt a Deo, a summo artifice, *politi*, immo lapides pretiosi; sicut dicit Isaias quinquagesimo quarto: *Ecce, ego per ordinem fundabo te in sapphiris*, quantum ad supremam hierarchiam, quae magis conformis Deo, sive hierarchiae supercaelesti, quod notatur in *sapphiro*, quae est coloris caelestis. *Ponam iuspidem propugnacula tua*, et hoc quantum ad mediam hierarchiam, quae habet rationem propugnandi et defendendi. *Et ponam portas tuas* etc., per quod intelligitur infima hierarchia, per quam intramus in caelestem Ierusalem; ad Hebraeos primo: Isti *omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos qui hereditatem capient* aeternae *salutis* etc. Ezechielis vigesimo octavo [3], quando explicat de istis lapidibus et loquitur ad luciferum, dicit, quod *omnis lapis pretiosus* (est) *operimentum suum, sardius, topazius et iaspis, chrysolithus et onyx et beryllus et sapphirus et carbunculus et smaragdus;* et in ornamentum *ecclesiasticae* hierarchiae duodecim lapides oportuit ponere propter duodecim Patriarchas et duodecim Apostolos, sed *ibi* tantum novem propter novem ordines Angelorum. Isti igitur sunt lapides vere *pretiosi* et *politi*, quos, Domine, tu fecisti. — Ista videntur multis peregrina et extranea. Multi enim sunt magni clerici reputati, qui nesciunt ordines Angelorum nominare; et quod peius est, nec *praecepta* dicere, quot sunt et quae. Sed, pro Deo! si ego frequentarem curiam regis, facile esset mihi scire novem ministeria curiae illius; et nos, qui sumus ad portam illius Ierusalem curiae caelestis, quam quotidie speramus nos intraturos esse, nomina ministrorum illius curiae non cognoscimus nec cognoscere volumus. Magna negligentia est!

itaadom.

II. Secundo commendantur isti beati Angeli quantum ad *exercitia meritorum*, cum dicitur: *ut custodiant te in omnibus viis tuis*. Quid est hoc? Si vadam ad ecclesiam, bene debet me Angelus custodire. Si vadis ad latrocinium vel aduiterium, nunquid custodit te? Immo videtur, quod fugiat te. — Item, si Angeli nos custodiunt et comitantur omnes inferioris ordinis, quare nominat Ecclesia tantum tres Angelos, et non plures in canone Scripturae [4] nominantur, scilicet Raphael, Gabriel, Michael? — Item, quare tantum fit festum sancti Michaelis, non Gabrielis nec Raphaelis? — Ad hoc debemus intelligere, quod istae *viae* non sunt corporales, licet in viis corporalibus assistant nobis, sed viae spirituales, viae eundi ad Deum, et est *trivium quoddam eundi ad Deum*, ultra quod nullus potest addere: una via est *recessus a malo;* secunda via est *profectus in bono*, et tertia via est *accessus ad optimum*. Quantum ad primum sunt Angeli nostri *eductores;* quantum ad secundum, *deductores;* quantum ad tertium, nostri *perductores*.

Pars II. Commendantur Angeli quoad exercitia meritorum. Dubia tria.

Solutio.

Tres viae ad Deum.

Dico, quod quantum ad primum sunt nostri *eductores;* unde ipsi eduxerunt populum Israel de Aegypto, hoc est fideles de peccato; ratione *eductionis* sunt nostri *medici;* ratione *deductionis* sunt nostri *magistri;* ratione *perductionis* sunt nostri *paranymphi*. Ideo tria nomina Angelorum posuit Scriptura, *Raphael*, qui interpretatur medicina Dei; *Gabriel*, fortitudo Dei, cuius est docere et deducere, et *Michael*, quis ut Deus, qui introducit nos ad Dominum.

His viis respondent tres Archangeli.

Et debemus nos notare, quod *eductio a malo* est per tria beneficia a Raphaele nobis collata medicante nos. Malum enim peccati tria includit, scilicet *maculam, sequelam* et *offensam*. *Macula* introducit servitutem; *sequela*, infirmitatem animi; *offensa*, contrarietatem Dei; vel melius *macula*, infirmitatem animi; *sequela*, servitutem diaboli, tertium non mutatur. — Educit ergo nos Raphael medicus ab *infirmitate animi* inducendo nos ad amaritudinem *contritionis;* unde in Tobia [5] dixit Raphael: *Ubi introieris donum tuam, lini super oculos eius ex felle*. Sic fecit, et vidit. Quare Raphael non potuit (ipse) facere? Quia Angelus non dat compunctionem, sed ostendit viam. Per *fel* intelligitur amaritudo contritionis, quae sanat oculos interioris mentis; Psalmus: *Qui sanat contritos corde* etc. Hoc est optimum collyrium. In ludicum secundo dicitur, quod *Angelus ascendit ad locum flentium* et dixit populo: *Eduxi vos de* terra *Aegypti*, feci vobis tot et tanta bona; et flevit omnis populus, ita ut locus ille appellaretur *locus flentium*. — Carissimi! Angeli tota die narrant nobis *beneficia Dei* et reducunt ea nobis ad memoriam: quis est, qui te creavit, qui te redemit? Quid fecisti, quem offendisti? Hoc si consideraveris, nullum habes remedium nisi flere. Isto

Eductio a malo a Raphaele medico fit tripliciter.

De primo et de compunctione.

[1] Epist. I. Tim. 6, 10.

[2] Vers. 36; sequuntur Isai. 54, 11. seq.; Vulgata: *Ecce, ego sternam per ordinem lapides tuos et fundabo te in sapphiris*, et Hebr. 1, 14.

[3] Vers. 13.

[4] De tribus Angelis vide Tob. 12, 15; Luc. 1, 26. et Dan. 10, 13.

[5] Cap. 11, 7. 8; sequuntur Ps. 146, 3. et Iudic. c. 2, 1. seqq.

felle linivit oculos suos Petrus, hoc est amaritudine contritionis, quando, Lucae vigesimo secundo [1], *egressus foras, Petrus flevit amare.* Hoc felle liniti erant oculi Magdalenae, quae flevit amarissime, et oculi beati Francisci, qui tantum flevit, quod oculos perdidit. Isto collyrio inungamus oculos nostros, ut videamus.

De secundo et de memoria passionis Christi.

Secundo Raphael eduxit de *servitute diaboli* persuadendo nobis memoriam passionis Christi; in cuius figura dictum est Tobiae sexto [2]: *Cordis eius particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus daemoniorum.* Dicitur Tobiae octavo, quod *posuit Tobias* particulam cordis *super carbones*, et Raphael *religavit daemonium in deserto superioris Aegypti.* Quid est hoc? Non poterat Raphael religare daemonium, nisi *poneretur* cor *super carbones?* Nunquid cor piscis dabat Angelo tantam virtutem? Nequaquam, nihil posset, nisi ibi mysterium esset. In hoc enim nobis datur intelligi, quod nihil est, quod ita nos liberet hodie a servitute diaboli sicut passio Christi, quae processit ex radice cordis sive caritatis. Cor enim fons est caloris cunctae vitae. Si ergo cor Christi, hoc est passionem, quam sustinuit, procedentem ex radice caritatis et fonte caloris, ponas super carbones, hoc est super inflammatam memoriam; statim daemon religabitur, ut tibi nocere non possit. Unde sic scriptum est in Exodi duodecimo, quod debebant ponere ludaei de sanguine agni *in superliminari et super utrumque postem;* in quo erat typus crucis; quod videntes Angeli exterminatores, illuc non audebant accedere. Poterat quidem sine sanguine daemones fugare, sed decreverat nos salvare per passionem et sanguinem suum. Baculo enim Christi daemones fugantur; Isaiae trigesimo [3]: *Ad vocem eius timebit Assur, virga percussus.*

Exemplum.

Exemplum sancti Edmundi [4] vel Hamonis de Pontiniaco. Multum erat assuetus in oratione et consueverat reducere ad memoriam devotam qualibet die passionem dominicam. Accidit quadam die, quod istud praetermisit et tradidit oblivioni. In nocte, cum erat in lecto, venit diabolus et ita opprimebat eum, quod non poterat se movere nec se signare. Tandem coepit cogitare de passione devote, et statim diabolus suppositus est, ita quod potuit eum suppeditare. Tunc dixit ei Sanctus: Adiuro te per aspersionem sanguinis Domini nostri Iesu Christi, ut tu dicas mihi, in quo melius potes fugari et suppeditari, quando tu venis ad me, vel ad alium; qui respondit: Non possum melius fugari nec devinci quam per illud, per quod a te devictus sum, per devotam memoriam passionis Christi. Et beatus Franciscus ita vivam memoriam habebat ingiter de passione Christi, ita quod videbatur sibi, quod videret ipsum Crucifixum.

De tertio de instanti oratione.

Tertio liberat nos a *contrarietate Dei*, quam incurrimus per offensam Dei, et hoc inducendo nos ad instantiam orationis; et hoc est quod dixit Angelus Raphael Tobiae, duodecimo [5]: *Quando orabas cum lacrymis, ego obtuli orationem tuam Domino.* Ipsi enim reconciliant nos Deo, quantum possunt. Accusatores nostri coram Deo sunt daemones; Angeli autem excusant nos, quando offerunt orationes nostras, ad quas devote faciendas nos inducunt; Apocalypsis octavo: *Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini de manu Angeli.* Aromata ista suaviter redolentia sunt orationes Sanctorum. Vis placare Deum, quem offendisti? Ora devote. Offerunt Deo orationem tuam, ut te Deo reconcilient. Dicitur in Luca, quod Christus, *factus in agonia, prolixius orabat, et apparuit Angelus Domini, confortans eum;* et hoc totum factum est propter nos, quia non indiguit confortatione sua, sed ut ostenderetur, quod libenter assistunt devote orantibus et libenter iuvant eos et ipsos confortant et orationes eorum Deo offerunt. Et rogabimus Deum, quatenus per suffragium Angelorum ita (possimus) flere et conteri pro peccatis, ita dominicam passionem ad memoriam revocare, instanter orationi vacare, quod possimus Creatori nostro reconciliari in perpetuum, quod nobis concedat Christus. Amen.

Collatio [6].

Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.

Prothema.

(Prothema). *Angelus, qui loquebatur in me verba bona, verba consolatoria,* Zachariae primo [7].

Et ostendit ibi Zacharias, quod verbum praedicationis debet esse verbum caeleste et quantum ad *principium* movens et quantum ad *finem;* quia dicit Zacharias, quod non ipse *loquebatur,* sed Deus in eo, et quod *verba bona et consolatoria loquebatur.* Quando enim homo consolatur de verbo audito, argumentum est, quod procedit non ab homine, sed a Deo, et hoc per ministerium angelicum. Non attribuebat Zacharias sibi verbum (bonum) et consolatorium, quod sibi loquebatur, sed Angelo, et Apostolus attribuebat *Spiritui sancto.* Falsa, vana, inutilia loqui possumus a nobis, sed non verba bona, consolatoria et utilia habemus, sive boni simus, sive mali. Accidit enim quandoque, quod malus homo bona verba dicit et utilia et consolatoria, et tunc Spiritus sanctus loquitur per eum, sicut loquebatur in Caipha, qui non a semetipso locutus est, *sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit,* Ioannis undecimo [8]. Similiter Balaam,

[1] Vers. 62. — De S. Francisco cfr. Legenda S. Bonav. cap. 9. n. 2. et Legenda minor, de Transitu mortis, lect. 4.

[2] Vers. 8; sequuntur c. 8, 2. seq. et Exod. 12, 7. 13.

[3] Vers. 31; Vulgata: *A voce Domini pavebit Assur.*

[4] De hoc exemplo vide Vitam S. Edmundi apud Surium, die 16 Nov. § 3.

[5] Vers. 12; sequuntur Apoc. 8, 4; Vulgata: *Ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum, de manu Angeli coram Deo,* et Luc. 22, 43.

[6] In codice habetur tantum *De eodem.*

[7] Vers. 13. Infra respicitur I. Cor. 12, 3.

[8] Vers. 51; sequitur Num. 24, 5. seqq.

Numerorum vigesimo quarto, malus prophetavit et multa bona dixit de Christo et Virgine gloriosa, et recipitur sua prophetia ut bona et consolatoria; quia Deus per malos quandoque loquitur ad utilitatem audientium, etsi non ad utilitatem loquentium. Ipsi faciunt aliorum utilitatem et non suam. Mala partitio! Melius enim esset, quod se salvarent et nullos docerent, quam quod multos etiam instruerent et ipsi perirent. Igitur quia locutio nostra est ad consolationem, et consolatio ista est a Spiritu sancto, a ministerio angelico, rogabimus Dominum nostrum, quod det nobis aliqua verba de sermone hodierno ad suum honorem et Angelorum commendationem et ad aliquam nostrarum animarum consolationem.

Repetitio. *Angelis suis Deus* etc. Dicebatur hodie, quod in his verbis collaudantur Angeli quantum ad *charismata gratiarum* primo; et deinde quantum ad *excellentiam meritorum*, cum dicitur: *ut custodiant te* etc. Et quantum ad primum commendantur, quia gratia ordinat ad prima et summa et media et propinqua et ad infima et ultima. Ulterius dictum est de hoc: *ut custodiant te in omnibus viis tuis*, quia *viae*, in quibus nos custodiunt Angeli, sunt viae salutis, quae sunt tres, scilicet *recessus* a malo, a quo *educit Raphael* Archangelus inducendo nos ad *amaritudinem contritionis*, persuadendo *memoriam passionis* et inducendo ad *instantiam orationis*. Educit enim nos a triplici malo, quod incurrimus per peccatum: a *macula*, a *sequela*, a *Dei offensa*. Macula induxit *animi infirmitatem*; peccati sequela introducit *diaboli servitutem*; offensa, *Dei contrarietatem*. In *profectu* in bono *deducit Gabriel*; in *accessu* ad optimum *perducit Michael*. Dictum est ergo de tribus primis beneficiis, quae imprimuntur vel impertiuntur nobis a Raphaele.

Continuatio de officio Gabrielis itaque beneficii i virtutum. Nunc restat videre de quatuor *beneficiis*, quae impertiuntur nobis Angeli, et specialiter *Gabriel*, deducendo nos de *bono in melius*; et licet multis modis distinguantur virtutes et multae sint, tamen quatuor sunt virtutes specialiter relucentes in Angelis et per eos in nobis, quantum (fieri) potest. In eis enim est virtus *reverentiae* respectu eius quod est *supra*, hoc est respectu Dei; summa *munditia*, respectu eius quod est *intra*; summa *concordia*, respectu eius quod est *iuxta*; et summa *clementia*, respectu eius quod est *infra*. Et propter hoc missus fuit Gabriel ad Virginem gloriosam, in qua fuerunt istae quatuor virtutes per excellentiam. Fuit enim in ea summa reverentia respectu Dei, summa munditia respectu sui, summa concordia respectu [1] proximi, summa clementia respectu totius mundi. Ideo dicitur in Luca [2]: *Missus est Angelus Gabriel ad Virginem desponsatam* etc., *et nomen Virginis, Maria*. Et sicut missus est ad Virginem, sic mittitur ad Ecclesiam, quae ad instar Virginis virgo parit. Et sicut Virgo gloriosa concepit de Spiritu sancto, sic et filii matris Ecclesiae per gratiam Spiritus sancti generantur. Isti beatissimi Angeli laborant, quod faciant nos in virtutibus proficere.

Mittitur ad Ec. Virginem. Item, ad Ecclesiam.

Primo, de virtute reverentiae. Prima virtus, ad quam incitamur, est virtus *reverentiae* ad id quod est *supra*. Quanta sit reverentia eorum ad Deum, non potest lingua dicere, tantum humiliantur coram (Deo) et ipsum reverentur. Propter quod dicit Ioannes in Apocalypsis septimo [3], quod *omnes Angeli ceciderunt in conspectu throni in facies suas et adoraverunt sedentem in throno*. Quis est iste *thronus* nisi potestas Maiestatis divinae? Circa istum thronum consistunt Angeli, quia nunquam aspectum deflectunt ab illa Maiestate. Sed quid est, quod *ceciderunt (in facies)*? Facies hominis est suprema portio et nobilissima in homine, in qua etiam sunt omnes sensus, et designat supremam partem rationis. In Angelis cadere ergo in facies suas ante thronum est se *humiliare* et omnes virtutes suas et gratias et dona Deo attribuere et, se nihil esse in respectu tantae Maiestatis, dicere et reputare. Secundum enim quod lucifer voluit se in conspectu tantae Maiestatis exaltare et elevare, deiectus est et humiliatus est nsque in profundum inferni; *verumtamen*, dicit Isaias decimo quarto, *ad infernum detraheris, in profundum laci*; unde et Iob dicit: *Cum sublatus fuerit* ipse lucifer superbus, *timebunt Angeli et territi purgabuntur*. Quod hi attendentes, se humiliant et deiiciunt. — Quid ergo nos vermiculi debemus facere? Quantum debemus nos humiliare, si Angeli beati sunt ita humiles! O sordidissime pulvis, caro putrida! unde superbis? Quomodo credis superbiendo ascendere in caelum, unde ille angelus tam pulcher, tam nobilis creatus, propter suam superbiam deiectus est? Quomodo et de quo superbimus nos miseri? Nonne fatuus homo, qui gloriatur et effertur, quia habet in domo sua unam fabam? Sed certe in comparatione horum bonorum, quae habent Angeli, non valet unam fabam quidquid habes; (sed) quantum est instans respectu temporis et punctum respectu lineae, temporale respectu aeterni. Haec est illa virtus, propter quam Gabriel Angelus missus est a Deo ad Virginem; nec solum eum misit, sed ipsemet Dei Filius ad ipsam ivit et eius Filius fieri voluit. Beata Maria, virginem se oblita, de sola humilitate gloriatur [4]: *Quia* Dominus *respexit humilitatem ancillae suae*. Quid est humilitas, nisi quod homo *reputet*, se nihil esse, nihil valere, et quod *velit* vilis reputari? — Primum multi faciunt, et satis facile est, si confitentur defectus suos et peccata, qui postea quid sciunt (?). Sed secundum est valde difficile, quod homo *velit* vilis reputari; et tamen Christus voluit vilis reputari pro nobis. *Vidimus eum, novissimum virorum; et nos*

Notandum. Hortatio.

[1] Supplevimus verba *sui, summa concordia respectu*.
[2] Cap. 1, 26. 27.
[3] Vers. 11. et c. 19, 4; sequuntur Isai. 14, 15. et Iob 41, 16.
[4] Luc. 1, 4.

reputavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo et humiliatum, Isaiae quinquagesimo tertio [1]. Non sit vobis vanum nec malum humiliari, carissimi, nam aliter non potestis intrare in paradisum. Nobilissimus Angelus, qui sit in paradiso, in momento caderet, si superbiret, si possibile esset, quod superbiret, quia modo Angeli confirmati sunt in gratia.

Secundo de Angelos manuducimur ad virtutem *munditiae*, et per Gabrielem specialiter; et hoc respectu eius quod est *intra*. In Matthaei vigesimo secundo [2]: *In resurrectione neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei*, mundi scilicet et puri. Angeli Dei nesciunt corruptionem libidinis; et illi sunt iam quodammodo resuscitati, qui perpetuam virginitatem custodierunt, facti angeli. « Semper solet Angelis cognata esse virginitas », dicit Hieronymus [3]. Dicimus, quod differentia est inter caelum et ista inferiora, quia materia, quae est sub forma caeli, non appetit esse sub alia forma; terminatus est appetitus per formam illam; sed materia horum inferiorum est sicut meretrix, quae non est contenta viro uno; quia, cum est sub forma una, appetit esse sub alia. Talis differentia est hominum libidinosorum ad castos; quia ipsi libidinosi sequuntur passiones sui cordis, passiones sensuum et delectationes carnis, modo unam, modo aliam. Sed castitas reddit hominem conformem Deo; (in Deo) delectetur, non sequatur passiones carnis et delectationes; et iste est homo angelicus, qui solum delectatur in Deo et non curat de delectatione sensuum. Inde est, quod casti homines sunt sicut stellae in firmamento; in Ecclesiastici quadragesimo tertio [4]: *Species caeli, gloria stellarum*. Unde est pulcritudo Ierusalem supernae? Certe ex munditia animarum sanctarum. — Studeamus ergo habere cor et corpus mundum et castum, ut possimus lucere *sicut luminaria* in firmamento caeli, *verbum vitae continentes*, ad Philippenses secundo [5]. Ista est virtus nobilissima, quam Deus multum diligit et multum sibi placet. — Cogitavi quondam: Quid est hoc, quod Deus tam diligit munditiam et castitatem, (quod) voluit esse virgo et de virgine nasci? Ratio potest esse, quia nihil tantum placet ei, sicut quod homo delectetur in eo; in Psalmo: *Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui*. Nihil autem (est), quod ita reddat animam ineptam sicut delectatio carnis; et ideo non est mirum, si Dominus diligit munditiam et castitatem. Si sus poneret grugnum suum, nares suas in fimo vel in stercore et vellet deosculari regem, statim eiiceretur et expelleretur ista maledicta sus. Quid est deosculari Deum, nisi in eo delectari? Qui ergo delectatur in carne et postea vult in Deo delectari, non potest [6]. Angeli autem ideo continue delectantur in Deo, quia mundi sunt et puri. — Haec est ratio, quare inter omnes ita fuit exaltatus Ioannes Evangelista et in contemplatione et in revelatione secretorum et in prophetia, quia virgo fuit et permansit. O! si sciretis nobilitatem et dignitatem et utilitatem huius virtutis, ante velletis esse leprosi, quam contaminaretis cor et corpus vestrum per carnale peccatum; Ecclesiastici vigesimo sexto [7]: *Omnis* enim *ponderatio non est digna continentis animae*. Totus mundus non valet unam animam castam.

Secundo, de virtute munditiae.

Hortatio.

Quaestio solvitur.

De S. Ioanne.

Tertia virtus, ad quam manuducunt Angeli, est virtus *concordiae* ad id quod est *iuxta*. In Lucae secundo dicitur [8], quod quando Angelus annuntiavit nativitatem, cum hoc cantavit canticum pacis, dicens: *Et in terra pax hominibus bonae voluntatis*. Quare tunc cantaverunt canticum pacis? Usque ad tempus Christi fuit guerra in mundo, et tunc fuit pax. Ideo venerunt tunc Angeli cum Rege pacifico ad confortandum nos et docendum nos, quod nos simus pacifici et concordiam inter nos habeamus. Apostolus dicit ad Romanos duodecimo [9]: *Si fieri potest, quantum in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes*. Ideo dicitur in Apocalypsis decimo quarto, quod Ioannes *audivit vocem citharoedorum citharizantium in citharis suis*. Vox citharoedorum est vox diversorum in unam consonantiam per concordiam redacta. Ista concordia est in Angelis, quia nec superior Angelus ibi deprimit inferiorem, nec inferior ibi invidet superiori. Dicas inferiori: Similiter facias, quod habeas locum et officium illius superioris; dicet tibi, quod sufficit sibi quod habet; nunquam plus appetit aut desiderat. Angeli superiores tam benigna condescensione condescendunt inferioribus, quod omnia eis communicant, omnes revelationes sibi factas. Creditis vos, quod imbursent [10] et claudant, ita quod non inferioribus revelent? Non. — Ita debet esse in hominibus, ut esset concordia et benevolentia inter eos. *Unde ergo bella et lites* in hoc mundo, nisi quia sunt in eo ambitio et aemulatio? Non potest esse ambitio sine aemulatione. Videas in capitulis. Si dicatur alicui: Quare non permittis, quod iste valens homo sit episcopus, sit decanus? Quia, (inquit), si esset episcopus, ego totum amisissem; nunquam haberem pacem, nec mei; opprimeret me et meos, si esset episcopus. Vide, quae intentio! O! si omnes dicerent, Actuum primo [11]: *Tu, Domine, qui nosti corda, ostende, quem elegeris;* bene facerent, si electionem suam Domino

Tertio, de virtute concordiae.

Hortatio.

[1] Vers. 53, 2. seqq.
[2] Vers. 30.
[3] Vide supra pag. 621, notam 3.
[4] Vers. 10.
[5] Vers. 15. seq.; Vulgata: *luminaria in mundo*; sequitur Ps. 36, 4.
[6] Locus corruptus; codex adhuc addit: *non (eum?) sustinere, sicut nec de sua (sue?)*.
[7] Vers. 20.
[8] Vers. 9. 13. 14.
[9] Ver. 18; ubi Vulgata: *quod ex vobis est;* dein sequitur Apoc. 14, 2.
[10] Cfr. Du Cange, Glossar.; sequitur Iac. 4, 1.
[11] Vers. 24. Infra manifestam lacunam supplevimus. — Sequuntur verba Ovidii de Remedio amoris, vers. 369:
« Summa petit livor, perflant altissima venti ».

commendarent. Certe non habent totum lucratum qui sunt (in altis, quia sunt) in magnis periculis; « perflant altissima venti », tribulationum et tentationum.

Fugiat ergo ambitio et aemulatio de mundo isto, et sint homines in concordia et pace. Pater Abraham sic fecit, qui dixit cognato suo Genesis decimo tertio [1]: *Ne, quaeso, sit iurgium (inter me et te); fratres enim sumus. Si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo*, vel e converso. Habeamus concordiam, sicut habent Angeli. Tanta enim est concordia inter eos, quod non possunt habere discordiam; *non enim est dissensionis (Deus), sed pacis*, dicit Apostolus primae ad Corinthios decimo quarto. Melius est, esse cum uno paupere in pace et concordia, quam mille fercula habere cum tumultu et turbatione. Tales nunquam habent bonam diem; ideo Sapiens dicit Proverbiorum decimo quinto: *Melius est vocari ad olera cum caritate quam ad vitulum saginatum cum odio.*

Contra aemulationem et dilatationem.

Quarto manuducunt isti beati Angeli ad virtutem *misericordiae* ad illud quod est *infra*. Dicitur Lucae decimo quinto [2]: *Gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente.* Unde faciunt, Domine Iesu, Angeli tui tantum gaudium, quando unus homo convertitur, nisi quia sunt repleti pietate? Sicut enim de nullo tantum gaudent, sicut quando peccatores converteruntur, e contrario de nullo tantum tristantur, sicut quando boni cadunt et a diabolo seducuntur; Isaiae trigesimo tertio: *Angeli pacis amare flebunt*, id est, ad modum flentium se habebunt, vel *Angeli pacis*, id est praelati, qui dolent de damno animarum. — Et e contrario, tota nostra cura est de rebus, de temporalibus, nihil de animabus. Angeli non curant de rebus, sed de animabus. In tantum de eis curant, quod si necesse esset, omnes pro una anima venirent. Non sic est de nobis; sed plus curamus de rebus quam de animabus. Hoc est officium lupinae rapacitatis, non angelicae pietatis. Multum est attenuata misericordia. — Dionysius [3], scribens ad Carpum, narrat, quod ille Carpus convertit quendam ad fidem, qui postea subversus est et deceptus a quodam alio et recessit a fide; et coepit ille Carpus rogare Dominum, quatenus ostenderet ei poenas, quae debebantur illi qui subverterat suum conversum. Quadam die apparuit ei Dominus Iesus Christus, dicens: Carpe, Carpe, adhuc paratus sum de caelo descendere et crucifigi pro peccatoribus. Magnam misericordiam et clementiam ad hoc addiscatis, carissimi, et artes et quascumque alias scientias, ut possitis animas salvare. Ad hoc debetis arcum ordinare. Iste est fructus, quem fecerunt Apostoli, Martyres et Confessores. — Exerceamus igitur nos ad ista, ad quae manuducunt nos Angeli. Simus reverentes respectu Dei, mundi, concordes et misericordes (respectu hominum). Si enim irreverentes et incontinentes, discordes et immisericordes fuerimus, sumus diabolici, non angelici, et partem habebimus cum daemonibus, non cum Angelis.

Tarto, de virtute misericordiae.

Contra vitium oppositum.

Exemplum.

Conclusio.

Sequitur de tertio officio, scilicet de officio *Michaelis*, quod est *perducere* animas ad Deum, *ad optimum*. Intelligendum enim est, quod Angelorum est hoc, sed specialiter Michaelis, qui fuit antiquitus princeps synagogae, nunc autem princeps Ecclesiae. Quando enim (synagoga) abundavit miraculis, prophetia et doctrina et aliis multis; tunc erat princeps synagogae et multas animas perducebat in caelum; sed post passionem Christi, quando noluerunt Christum recipere, vidit, quod nihil faceret circa eos, quia clauserant sibi portas paradisi; nullus enim intrat nisi per Christum; et ideo convertit se ad Ecclesiam, de qua multas animas perduxit iam ad caelum.

De officio Michaelis, principio antiquitus synagogae, nunc Ecclesiae.

Et quod est officium Michaelis et Archangelorum cohaerentium sibi? Suum officium est perducere animas *ad optimum*, videlicet ad Deum *videndum* et contemplandum et ad Deum *diligendum, collaudandum, degustandum* et *possidendum:* ad videndum et contemplandum ut summum *verum*, diligendum ut summum *bonum*, collaudandum (ut) *arduum* et potentissimum, degustandum ut *suaveni*, possidendum tanquam per omnia *sufficientem.*

Perducit ad optimum exercitio quintuplici.

De primo dicitur in Apocalypsi vigesimo secundo [4]: *Ostendit mihi Angelus fluvium aquae vitae, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni. Fluvius* iste Spiritus sanctus est, qui procedit a Patre et Filio, quidquid dicat Graecus. In hoc ostenditur, quod officium eius est ostendere Trinitatem, Patrem (et) Filium. Ex isto fluvio splendidissimo ad modum crystalli illuminantur oculi nostri ad videndum omnia in Deo. In Apocalypsi dicit Ioannes, vigesimo primo: *Et sustulit me in spiritu Angelus in montem magnum, et vidi Ierusalem novam, descendentem de caelo a Deo, paratam et ornatam tanquam sponsam monilibus suis.* Sic Paulus [5] etiam, cuius corpus erat in terra et anima in corpore [6], vidit quod erat in caelo; quia habebat in se illum, in quo refulgent omnia, qui est *candor lucis aeternae et speculum sine macula* [7]; et per hoc videbat Creatorem rerum, Reparatorem rerum, Gubernatorem et Glorificatorem. In humanis (?) est tota civitas illa. — O! quam debemus desiderare, quod veniret ad nos semper Michael iste, quod veniret ad mortem nostram et perduceret nos ad illam sanctam civitatem, ut ibi Deum videremus et contemplaremur!

Ad Deum videndum.

Hortatio.

Secundo perducunt isti beati Angeli ad Deum *diligendum*. Scitis, quod ex reflexione radiorum solis ad corpus opacum et solidum generatur ignis materialiter; sic isti qui sunt fervidi igne dilectionis Dei,

Ad Deum diligendum.

---

[1] Vers. 8. seq.; sequuntur I. Cor. 14, 33. et Prov. 15, 17.
[2] Vers. 10; sequitur Isai. 33, 7.
[3] Epist. 8. § 6.
[4] Vers. 1; sequuntur c. 21, 10. et Isai. 61, 10.
[5] Respicitur II. Cor. 12, 2.
[6] Cfr. S. Thom., S. II. II. q. 175. a. 5. 6.
[7] Sap. 7, 26.

condescendendo nobis et multa beneficia exhibendo generant in nobis ignem dilectionis. Quare in flamma rubi apparuit Dominus Moysi, nisi quia isti ardent in se et ceteros nituntur inflammare? Scitis, quid est? Nos sumus in mundo sicut carbones exstincti, in quibus parum est de igne, scintilla parva; sed quando veniunt Angeli et ducunt nos in illam fornacem, tunc tota fit anima ignita sicut carbo; sicut carbo exstinctus, cum proicitur in fornacem, statim
Hortatio. totus est ignitus. — O! si sentiremus aliquid de dilectione Dei, videretur nobis, quod omnis creatura esset igoita; quia omnis creatura visa accenderet nos ad amorem eius. Nullus decipiat vos, quia secundum quantitatem istius ignis, dilectionis scilicet, erit quantitas remunerationis et gloriae seu beatitudinis.

Tertio perducunt nos isti beati Angeli ad Deum
Ad Deum collaudandum. *collaudandum;* Psalmus [1]: *In conspectu Angelorum psallam tibi; adorabo* etc. Et quare? Quia excitant me ad laudandum te, quia ipsi introducunt me cum cantilenis in conspectu tuo, sicut factum est de anima beati Augustini, quam perduxerunt Angeli cum hymnis et canticis spiritualibus [2]. Dicitur in Iob trigesimo octavo: *Ubi eras* etc., *cum me laudarent astra matutina,* hoc est Angeli, *et iubilarent omnes filii Dei?* Ad idem refertur. Nos sumus astra vespertina, sed Angeli sunt *astra matutina,* qui a principio mundi Deum laudare non cessant; et ideo ita sunt enuntiatores divinarum laudum, quod etiam ipsi veniunt usque ad nos, congaudentes nobis Deum laudantibus; Psalmus: *Praevenerunt principes coniuncti psallentibus, in medio iuvencularum tympanistriarum.* Mirabiliter placet eis, quando laudatur Dominus suus.
Hortatio. — Laudemus ergo Dominum Deum. Ad quid enim data est intelligentia et lingua, nisi ut Deus laudetur et magnificetur? Ad hoc data sunt; et tamen multi sunt, qui blasphemant et falso iurant et stulte, male utentes linguis suis; et ideo poenam gravem reportabunt ex hoc, quia manducabunt linguas suas, ut dicitur in Apocalypsis decimo sexto [3]: *Et manducaverunt linguas suas prae dolore et blasphemaverunt Deum caeli prae doloribus* etc.

Quarto perducunt nos ad Deum *degustandum*
Ad Deum degustandum. tanquam suavissimum; Psalmus [4]: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum et eripiet eos;* et statim subditur: *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus.* Ipse enim Michael et Angeli eius ducent nos *ad vitae fontes aquarum.* Ipse enim Angelus ostendit fontem Agar et puero sitienti, ut dicitur Genesis decimo sexto, et ipsi ostendent nobis omnem refectionem; *panem de caelo praestitisti eis, omne delectamentum in se habentem et omnis saporis suavitatem.* Hoc est verbum vitae vivificans omnia, quod est panis Angelorum, panis de caelo. Istum panem manducamus, quoties in Deo delectamur et degustamus dulcedinem Dei. Quomodo illud manducamus et degustamus? Dicit Psalmus [5]: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!* Quod non est verum de ore corporali, ergo de spirituali intelligendum est, quo fit talis degustatio. Delectatio enim fit ex coniunctione convenientis cum conveniente, quando anima coniungitur illi aeternae Sapientiae, dictae a sapore, et hoc per affectum.

Quinto perducunt ad Deum *possidendum* tan- Ad Deum possidendum.
quam per omnia sufficientem, quia anima in separatione sua vel sui a corpore perducitur ad possidendum Deum, aut diabolum. Introducitur ab Angelis in caelum vel ab Angelis introducitur in infernum; et si introducatur in caelum, possidet Deum et possidetur a Deo; si in infernum, possidet diabolum et possidetur ab ipso; Apocalypsis duodecimo [6]: *Factum est proelium magnum in caelo; Michael et Angeli eius proeliabantur cum dracone,* et fecit victoriam. Hoc proelium factum est in principio, quando cecidit lucifer et electus est, aliis stantibus in caelo. Factum est etiam proelium istud secundo, quando instituta est Ecclesia in passione Christi, a qua habent virtutem Sacramenta, quando devictus est diabolus *et proiectus est accusator fratrum.* Sed fiet in fine et fit quotidie in morte cuiuslibet, quia nituntur daemones animas secum portare; quod *factum est, ut moreretur mendicus et portaretur ab Angelis in sinum Abrahae. Mortuus est autem (et) dives et sepultus est in inferno.* Daemones portaverunt divitem, Angeli mendicum. Et quare? Nihil possidebat nisi aurum et argentum, nolebat illud communicare pro Deo, sed retinebat avide; mendicus nihil possidebat, nihil habebat aut habere volebat nisi Deum; iam erat in caelo, vivens in mundo; Matthaei quinto [7]: *Beati, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum. Est,* dicit, et non, *erit.* Ideo, cum exivit anima eius de corpore, venit Michael et posuit eum in possessione regni caelestis; et e converso factum est de divite peccatore, quod, quia nihil volnit possidere in caelo, praecipitatus est in infernum; ibi habuit possessionem suam. Mala possessio est possidere vermes; Isaiae decimo quarto: *Subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes.* Cogito istum pauperem mendicum, quem latrabant *canes et veniebant et lingebant ulcera eius;* qui, cum mortuus est, portatus est ab Angelis in paradisum. Cogito divitem purpuratum, qui erat in *purpura et bysso* et habebat multos fratres, multas divitias, *et sepultus est in inferno.* Ubi sunt principes ambulantes in equis, in phaleris? Date mihi principem

---

[1] Psalm. 137, 2.

[2] Cfr. Goscelinus monachus, Vita B. Augustini episcopi Cantuariensis, apud Bolland. ad diem 26 Maii, c. 5. n. 51. — Dein sequuntur Iob 38, 4. 7. et Ps. 67, 26.

[3] Vers. 10. 11.

[4] Psalm. 33, 7. seq.; sequuntur Gen. 16, 7. et Sap. 16, 20.

[5] Psalm. 118, 103.

[6] Vers. 7; infra cod. habet *eiecit* pro *electus est;* dein sequuntur Apoc. 12, 10. et Luc. 16, 22.

[7] Vers. 3; sequuntur Isai. 44, 11. et Luc. 16, 19. 21.

unum ditiorem et opulentiorem de mundo, Iulianum apostatam, Neronem, Octavianum [1], vel Fridericum; et date mihi pauperem unum bonum, mortuum in caritate. Iste fuit semper in divitiis, in auro, in equis et fecit voluntates suas; ille in paupertate et mendicitate. Quae est comparatio huius ad illum? Nulla. Carissimi! non simus socii daemonum, sed Angelorum, si volumus possidere Deum per omnia sufficientem.

Isti duodecim effectus, tres Raphaelis, quatuor Gabrielis, quinque Michaelis, sunt *duodecim stellae coronae,* quae erat *in capite* mulieris, hoc est Ecclesiae, Apocalypsis duodecimo [2]. Ista sunt duodecim beneficia, quae percipit mater Ecclesia ab Angelis, propter quae solemnizat de eis et debet adhuc facere maius festum, quam fiat in aliquibus ecclesiis. Istorum autem beneficiorum sunt multae ramificationes [3], quas esset longum enarrare. Rogabimus Dominum, quod det nobis sic facere festum Angelorum in praesenti, ut possimus pervenire ad eorum societatem in patria per eorum beneficia et suffragia, quod nobis concedat Dominus noster Iesus Christus. Amen.

Ecclesia.

[1] Augustus, numerandus inter ditissimos et mundanos, non inter persecutores Ecclesiae.

[2] Vers. 1.

[3] Cod. *ramusculationes;* in Breviloquio p. V. Bonaventura inscribit c. 4. 5. 6. verbis: *De ramificatione gratiae.*

S. BONAVENTURAE

SERMONES DE B. VIRGINE MARIA

DE PURIFICATIONE B. VIRGINIS MARIAE (2 Febr.).

Sermo I [1].

Purgabit filios Levi et colabit eos quasi aurum et quasi argentum, et erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia [2].

(Prothema). *Abominatio Domini cogitationes malae, et purus sermo pulcherrimus firmabitur ab eo.*

Tantae puritatis est Deus, cui servimus, quem adoramus et colimus, quod nihil impurum acceptare potest et nihil purum detestari, sed *abominatio* sunt *Domino cogitationes malae*, plus, affectiones malae, et maxime, operationes malae. Quidquid immundum est in cogitatione, in affectione et in operatione, totum abominabile est Domino; sed *sermo purus* et *pulcherrimus firmabitur* a Domino; (hoc) intelligo sic, quod *sermo purus* est pulcherrimus et aptus [3] et confirmatus est a Deo. *Sermo purus* est qui nihil falsitatis habet immixtum, nihil curiositatis, nihil vanitatis neque pusillanimitatis neque adulationis neque obloquutionis neque simulationis habet immixtum. Sed quando aliquis loquitur falsa vel ex vanitate, vel ex curiositate, ita quod nihil est in dictis suis nisi in pulcritudine verborum, quando est pusillanimis, id est, quando non audet dicere veritatem, aut quando adulatur, aut obloquitur de absentibus, aut quando est simulator, scilicet quando aliud praetendit in sermone et aliud gerit in corde: tunc non est sermo purus; sed quando nihil habet de admixtione istorum et est purus, tunc est sermo pulcherrimus in conspectu Dei. Talis autem est sermo Dei, quantum est de se; Psalmus [4]: *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terrae, purgatum septuplum.* Est sermo Domini *argentum purgatum septuplum*, quando nihil habet de admixtione simulationis et obloquutionis, adulationis neque pusillanimitatis neque vanitatis neque curiositatis neque falsitatis. Sed aliquando ratione *loquentis* vel *audientium* admiscetur ei aliquid de vanitate, aut de curiositate, aut de falsitate; et tunc non est *sermo purus*, quia loquens vel audiens non est purus; et omne receptum recipitur per modum recipientis [5]; et quando vas immundum est, licet liquor sit purus, tamen ratione vasis immundi contrahit immunditiam, sicut quando loquens non habet cor purum neque labia pura, aut quando auditor non habet corda et aures puras. Sed quis faciet et creabit nobis cor purum? Dicit Isaias: *Vae mihi! quia vir pollutus labiis ego sum et in medio populi polluta labia habentis ego habito;* propterea, ne perdamus tempus nostrum, eamus ad ipsum qui potest purgare peccata et purgavit labia Isaiae, et rogemus, quod det mihi aliquid dicere etc.

Othema.

Purgabit filios Levi etc.

Praesentis diei solemnitas, quae est de purificatione gloriosae Virginis Mariae, explanatur ex verbis istis, quae de Malachia sumuntur, quae si superficiali considerationi pensentur, nulla convenientia est verbi ad festivitatem, et absurde assumta videtur prophetia. Sed Spiritus sanctus altius perscrutatur nugatoria; ideo, si spiritualiter perscrutantur, convenientiam videntur habere cum solemnitate praesenti. Materia solemnitatis praesentis est *purificatio* gloriosae Virginis Mariae et *oblatio* primogenitae Prolis.

Sermo.

[1] Ex cod. biblioth. Oxonii saec. XIII. fol. 246, de quo cfr. tom. V. Prolegom. pag. XL col. II. seqq. et *Ratio* etc. pag. 190 seqq. In illo codice hic est quartus inter sermones de Septem donis Spiritus S. Habetur etiam brevior cum nomine Bonaventurae in cod. Trecensi n. 951, ubi sequitur post sermon. I. de Epiphania: *Ubi est, qui natus est* etc., fol. 59.

[2] Malach. 3, 3. — Prothema habetur Prov. 15, 26.

[3] Cod. Trecensis habet *apparatus*.

[4] Psalm. 11, 6; sequitur Isai. 6, 5.

[5] Hoc principium inter Scholasticos commune habetur verbotenus in Libro de Causis propos. 10. et 20. et paulo aliter expressum apud Boeth., V. de Consol. pros. 4.

Virgo purificari non indigebat, neque Redemptor oblatione legali; unde Gregorius [1]: « Si nihil aliud esset nisi litteralis memoria oblationis turturum et columbarum, non esset necessaria celebratio huius festi »; sed *purificatio Virginis* gloriosae significat purificationem ecclesiasticae hierarchiae, et *oblatio Salvatoris* inchoat oblationem sacrificiorum iustitiae in novo Testamento. Haec duo Spiritus sanctus exprimit per *os* Malachiae prophetae: primo, *purificationem ministrorum* Ecclesiae designatam per purificationem Virginis gloriosae, cum dicit: *Purgabit filios Levi* etc.; secundo exprimit *oblationem sacrificiorum* institiae designatam per oblationem Filii Dei factam a Matre, cum dicit: *Et erunt Domino offerentes* etc. Non est perfectum sacrificium in mundo nisi illud, nec in veteri Testamento aliquid valebant sacrificia, nisi in quantum repraesentabant istud.

Divisio.

Pars 1. De purificatione B. Virginis eiusque significatione duplici.

1. Primo, dico, *purificatio gloriosae Virginis* significat *purificationem ecclesiasticae hierarchiae*, quae habet duplicem purificationem: unam per gratiam *baptismalem*, aliam per gratiam *poenitentialem*. Duo sunt genera peccatorum generalia, quae separant a regno, scilicet peccatum *originale* et *actuale;* et ideo (illa) dupliciter habet iustificari instar istius duplicis purificationis. Virgo gloriosa dupliciter fuit purificata, scilicet *interius* secundum veritatem, et *exterius* secundum repraesentationem; et ideo eguit gratia baptismali vel aequipollenti, quia secundum communem usum concepta [2] fuit, et ideo peccatum originale contraxit; sed gratia poenitentiali non indiguit, quia peccatum actuale non commisit.

Purificatio Virginis interior et exterior.

De purificatione interiore Virginis quoad tria.

Dico igitur, quod Virgo gloriosa, ut inchoaret purificationem ministrorum Ecclesiae, *interius* purgata fuit et secundum veritatem per susceptionem gratiae sanctificantis, qua purificata fuit purificatione perfecta, quae designatur in Proverbiis [3], ubi dicitur: *Aufer rubiginem de argento, et egredietur vas purissimum.* Integritas humanae naturae in Virgine gloriosa designatur per *argentum;* per *rubiginem* vero significatur peccatum originale, quod in utero matris contraxit; per *ablationem rubiginis de argento* intelligo gratiam sanctificantem, qua sanctificata fuit per gratiam excellentem, per quam culpa originalis deleta fuit ab ipsa quantum ad *maculam*, scilicet in mente; quantum ad *sequelam*, scilicet in sensualitate; et quantum ad *causam*, scilicet in radice e coniunctione animae cum carne vitiata. In aliis est peccatum originale et est sanctificatio ipsorum solum quantum ad *maculam*, quia relinquitur in eis *sequela* peccati quantum ad pronitatem, quam habent ad peccandum; sed beata Virgo ita sanctificata fuit, quod nullam pronitatem habuit in sensualitate nec inclinata fuit ad aliquod peccatum veniale. Purgata etiam fuit quantum ad *causam* peccati, scilicet in radice, quia habuit radicem omnis puritatis. Tantae puritatis fuit, quod non potuit esse maior puritas; unde Anselmus [4]: « Decebat, ut illius hominis conceptio fieret de Matre purissima ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi », per influxum gratiae sanctificantis in utero et extra eius uterum; et ex *conceptione Filii* tanta purificatione purificata fuit, ut nec macula nec sequela peccati nec causa peccati in ea remaneret. — Et *hierarchia ecclesiastica* fuit purificata per gratiam baptismalem; unde in Ezechiele: *Tunc purissimas reddam aquas eorum et flumina eorum quasi oleum adducam, ait Dominus Deus, cum dedero terram Aegypti desolatam. Terra Aegypti*, id est terra idolis plena, desolatur, quando idola destruuntur. Dixit Dominus per Prophetam: *Ascendet Dominus super nubem, et commovebuntur simulacra Aegypti a facie eius.* Destructis idolis, incepit cultus Dei; purificabantur homines ante adventum Christi per circumcisionem, modo vero purificantur per baptismum et longe maiore purificatione.

De purificatione hierarchiae ecclesiasticae per gratiam baptismalem.

Peccatum originale *foedat* ut macula, *laedit* ut infirmitas et *ligat* ut reatus; sed baptismalis aqua est purissima et purificat totam Ecclesiam sive ecclesiasticam hierarchiam, mundando a *macula*, sanando ab *infirmitate* et liberando ab *obligatione*. Et purificat animam, ita quod statim possit offerri in conspectu Dei; hoc est quod dicit: *purissimas reddam aquas eorum et flumina eorum quasi oleum adducam*, id est virtutem purificationis per Spiritum sanctum, qui per *aquam* designatur, et gratiam Spiritus sancti, quae per *oleum* significatur; et ideo oleum iungitur cum baptismate. *Spiritus*, *aqua* et *sanguis* [5] mundant, ita quod *Spiritus* mundat in *aqua* a macula et sanat ab infirmitate et per virtutem *sanguinis* liberat a reatu. Apostolus ad Ephesios [6] dicit de ista purificatione: *Christus dilexit Ecclesiam, mundans eam lavacro in verbo vitae*, ut liberaret eam a foeditate peccati; *ut sit sancta et immaculata, tradidit se ipsum pro ea, ut exhiberet eam non habentem maculam aut rugam* etc. — Virgo gloriosa purificata fuit, ut conciperet Dei Filium, et per ipsum Ecclesia fecundatur et purificatur ex gratia baptismali sive ex aqua regenerationis; Apostolus [7]: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Agnosce igitur virginitatem,

Effectus baptismi triplex.

Comparat Ecclesiam et B. Virginem

---

[1] Scilicet Gregor. Nyssen., qui in homilia de Occursu Domini dicit: « Illi qui velamentum in corde suo, dum legunt vetus Testamentum, circumferunt, iisdem quotannis hostiis... existimare debent, stulte et imperite se eiusmodi constitutionem exsequi atque implere. Nos autem, quibus... eiusmodi velamen ademptum est..., praesentis solemnis diei festa atque conventus mysterium considerare atque spectare oportet ».

[2] In cod. Oxon. legitur *excepta*. De sanctificatione B. Mariae Virg. et sententia Bonaventurae nunc reprobata circa conceptionem B. Mariae Virginis cfr. III. Sent. d. 3. p. 1. a. 1. 2.

[3] Cap. 25, 4.

[4] De Conceptu Virgin. c. 18. — Sequuntur Ezech. 32, 14. seq. et Isai. 19, 1.

[5] Despicitur 1. Ioan. 5, 3: *Tres sunt, qui testimonium dant in terra: Spiritus et aqua et sanguis.*

[6] Cap. 5, 25-27. [7] Epist. II. Cor. 11, 2.

qua Deus est pater tuus, et quomodo conceptus es per Spiritum sanctum, et mater tua est Virgo gloriosa, et hereditas est regnum caelorum. Si esses filius regis terreni et heres regni, non libenter vilificares te, ita quod custodires porcos; debes custodire gratiam baptismalem, quia, si perdimus eam, non poterimus eam recuperare. Audi, quid dicit Apostolus ad Hebraeos [1]: *Irritam quis faciens Legem Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur. Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et Spiritui gratiae contumeliam fecerit?* — Exhortatio. Audite, omnes, si quis inter vos est, qui gratiam baptismalem habeat, diligenter conservet eam; qui vero perdiderit, attendat, quanta poena dignus sit. Adoptatus es in filium Dei et fis servus diaboli, vendis te pro nihilo, scilicet pro modica delectatione peccati. — Patet modo, quomodo hierarchia ecclesiastica purificatur a culpa originali per *baptismalem gratiam*.

Sed quia ecclesiastica hierarchia frequenter patitur detrimentum in membris suis, ideo indiget restauratione per divinam gratiam, et est necessaria alia sanctificans, scilicet *gratia poenitentialis*. Et ad significandum istam purificationem purificata fuit Virgo gloriosa secundum *exteriorem* repraesentationem ad istam initiandam et significandam; unde in Luca [2]: *Postquam impleti sunt dies purgationis Mariae secundum Legem Moysi, tulerunt* puerum Iesum *in Ierusalem, ut sisterent eum Domino*. Dicit: *secundum Legem Moysi; scriptum* fuit *in Lege Moysi: Mulier, si suscepto semine, pepererit masculum, immunda erit septem diebus et manebit in sanguine purificationis suae triginta diebus;* et sunt quadraginta dies in universo. Dicit: *si suscepto semine* etc.; si sapiens est legislator, quare addidit, quod quilibet scit? Si nulla est mulier, quae possit parere masculum sine suscepto semine, quare dicit: *si suscepto semine* etc.? Si vero aliqua mulier possit parere masculum non suscepto semine, dic tu, ludaee, quae est illa? Non est haec nisi Virgo gloriosa; ipsa enim non fuit immunda, quia de Spiritu sancto concepit. Igitur quantum ad Mariam, Lex Moysi non fuit ei obligatoria per necessitatem, sed per mysterium. Quid istud altum mysterium de numero quadragenario purgationis Mariae? — Dico, quod numerus quadragenarius est numerus *transgressionis* et numerus *poenitentiae*. Quod sit numerus *transgressionis*, hoc patet, quia dicit Dominus, quod *quadraginta annis offensus fuit generationi illi*. Peccatum transgressionis consurgit ex quadruplici numero, quia in peccato est *suggestio, delectatio, consensus* et *operatio*. Ducas istum quaternarium in numerum denarium, et habebis numerum quadragenarium; ducas transgressionem, suggestionem, consensum et delectationem, in quantum sunt pugnantia legi divinae, habes numerum denarium ductum per quaternarium numerum, et sic habes numerum quadragenarium. Item, numerus *poenitentiae* est numerus quadragenarius, quia, si vis purgari, oportet, quod abstineas per quadraginta dies. In poenitentia requiritur integra *recognitio* peccati, *detestatio* peccati, *accusatio* sive *confessio* peccati, et tandem requiritur *emendatio;* ducantur ista quatuor per numerum denarium et consurgent in numerum quadragenarium. Si vis purgari, oportet, quod sit in te *contritio*, peccati *confessio* et *emendatio;* et ista haberi non possunt, nisi fuerit in te *recognitio* peccati. Recognitio ista communis est poenitentibus et impoenitentibus. Igitur in numero quadragenario designatur integritas poenitentiae; et est in Maria non propter eam, sed propter Ecclesiam. Dicit, quod *tulerunt* puerum Iesum *in Ierusalem*, quae significat Ecclesiam. Purificatio ista quadraginta dierum designatur in Lege, in prophetia et in Evangelio. Moyses ad hoc, quod acciperet Legem, ieiunavit quadraginta diebus [3]; Elias vero ad hoc, quod perveniret ad secretum colloquium Dei, ieiunavit *quadraginta diebus;* et Christus, antequam incipere praedicare, ieiunavit *quadraginta diebus et quadraginta noctibus*.

Hoc nobis necessarium est intelligere, quod est purificatio *legalis, prophetalis* et *evangelica;* et omnes istae significantur per purificationem Mariae. Quaedam est purificatio ex *timore* discretionis indiciariae, alia ex *ardore* aemulationis iustitiae, et tertia est ex *dulcore* miserationis supernae. Prima est *legalis*, secunda *prophetalis* et tertia est *evangelica*. Prima designatur in ieiunio quadragenario Moysi; secunda, in ieiunio Eliae; et tertia, in ieiunio Christi. Omnes autem purificationes istae designatae fuerunt in Virgine gloriosa. — Prima purgatio est *legalis* ex *timore* districtionis iudiciariae, de qua in Luca [4]: *Cuius ventilabrum in manu eius, et purgabit aream suam*, et separabit triticum a palea, *congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Christus, qui *est ignis conflans*, tenebit *ventilabrum in manu* sua, id est discussionem extremi examinis. Consideratio iudicii divini facit in nobis per gratiam quod futurum est in nobis per institiam punientem; Iob: *Cum sublatus fuerit, timebunt Angeli et territi purgabuntur.* Consideratio damnationis angelorum inducit nos ad poenitentialem purificationem, quia Dominus comminando supplicia facit nos poenitere de culpa. Audite, « fratres », dicit beatus Gregorius [5], « nullus (securus) comparebit coram Iudice, qui non timuerit, antequam

Triplex purificatio.

Purgatio legalis.

---

[1] Cap. 10, 28. seq.

[2] Cap. 2, 22. seq.; sequuntur Lev. 12, 2. 4. et Ps. 94, 10.

[3] Respicitur Deut. 9, 9. et dein III. Reg. 19, 8. et Matth. 4, 2.

[4] Cap. 3, 17; sequuntur Mal. 3, 2. et Iob 41, 16.

[5] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 26. n. 10. — Sequitur Ps. 54, 19. et respicitur Exod. 5, 2. seqq. (de corde duro Pharaonis).

compareret »; *non est illis commutatio*, quia *non timuerunt Deum*. Hoc est cor Pharaonis, quod nec verbis, nec minis nec promissis mollitur; Iob [1]: *Deus mollivit cor meum*, consideravi vias eius. Hic oportet incipere purificationem vestram, scilicet a timore.

Purgatio prophetalis.

Secunda purificatio, est (gratia) poenitentialis, (quae) est ex *ardore* aemulationis institiae; et ista est *prophetalis;* et est excellentior legali, et de ista dicitur in libro Numerorum [2]: *Omne, quod potest transire per flammas, igne purgabitur. Quod potest transire per flammas*, scilicet caritatis ardentis; de qua dicitur: *Lampades eius, lampades ignis atque flammarum. Aquae multae non potuerunt exstinguere caritatem.* Dicit Spiritus sanctus, quod qui caritatem habet habet et ardorem; oportet *transire per flammas*, id est zelare divinam institiam, quia caritas est amor Dei et proximi. Istum zelum habuit Elias; *zelo*, inquit, *zelatus sum;* dicitur in Apocalypsi [3]: *Utinam frigidus esses*, id est timens, *aut calidus*, id est amans; *sed quia tepidus es*, id est nec timidus nec amator, *incipiam te evomere ex ore meo.* — Quando aliqui abominantur quae Dei sunt, tunc evomuntur; scribitur in Apocalypsi: *Suadeo tibi emere aurum ignitum.* Nulli ita inepti sunt ad regnum caelorum sicut tepidi; sunt sicut *uxor Lot*, quae stat sicut *statua*.

Purgatio evangelica.

Tertia purificatio designata est per ieiunium Christi, proveniens ex *dulcore* miserationis supernae; et ista dicitur *evangelica;* Evangelium enim venit cum mansuetudine. Dixerunt [4] Ioannes et Iacobus: *Domine, vis, dicimus, ut ignis descendat de caelo et consumat illos?* Et dixit Dominus: Non; ad hoc non veni. De ista purificatione dicitur in Tobia: *Eleemosyna a morte liberat, et ipsa est, quae purgat peccata et facit invenire vitam aeternam. Eleemosyna*, dicitur; (si) donans, supportans et condonans quis fecit eleemosynam; Deus maiorem eleemosynam fecit, quae fieri potest; dedit Filium suum nobis et in hoc dedit nobis totum, quod habuit; Apostolus: *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Haec est eleemosyna, *quae purgat peccata.* Avarissimi homines! qui contrarii sunt Christo, qui omnia nobis dedit, quae habuit. *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est* [5]; et in Proverbiis dicitur: *Per misericordiam et fidem purgantur peccata, et in timore Domini declinatur ab omni malo.* Si vis, quod eleemosyna tua sit purgatoria, oportet, te habere fidem, scilicet, quod non offendas Deum. Scelerati homines! qui cogitant: Bene possum corrumpere virginem, quia maritabo eam. Impietatem praemittunt, ut pallient eam misericordia. Quid est dicere: Vulnerabo te, et inveniam tibi medicum? Oportet, cum misericordia fidem habere; sed si vis tenere fidelitatem Deo, oportet, te habere timorem, quia *in timore Domini declinatur ab omni malo.*

De ordine trium purgationum.

Ista purificatio praesupponit duas alias, scilicet purificationem *Moysis* et *Eliae*. Si a peccato non cessas et das eleemosynam, facis, ac si cum eleemosyna dares alapam. Istae purificationes tres sunt ordinatae, quia illa quae est ex timore, est sicut *fundamentum;* alia vero, quae est ex dulcore miserationis divinae, est sicut *complementum*. Prima est purificativa tantum; secunda est purificativa et illuminativa; tertia vero est purificativa, illuminativa et perfectiva.

Haec tria simul fuerunt in Virgine gloriosa. Ipsa *tota pulcra est, et macula non est in ea* [6]. Ipsa habet in se totum ecclesiasticae hierarchiae decorem; et modo est decor hierarchiae caelestis. Ipsa est enim *purgatrix, illuminatrix* et *perfectrix*. Fallor, nisi nomen Virginis importet ista tria. Maria enim interpretatur *amarum mare, illuminatrix* et *domina;* ipsa suscepit gratias purgativas, illuminativas et perficientes. *Purgativas* gratias habuit, in quantum est amarum mare propter vehementissimum dolorem, quem habuit; scribitur: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Habuit gratias *illuminantes*, quia tota fuit illuminata; et ideo recte vocatur Maria. Prima illuminatio venit ad eam de conceptione Verbi. De hierarchia caelesti non audeo aliquid dicere. Item, habuit gratias *perficientes*, quia perfecta fuit perfectione summa. Et quia istas gratias omnes habuit, ideo fuit purgatrix, illuminatrix et perfectrix. — Principalis interpretatio Mariae est *stella maris*, et ista interpretatio omnes alias comprehendit. Super illud *Missus est Gabriel* dicit [7] Bernardus, quod « est stella praeclara, eximia, secura. In periculis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca; non recedat a corde, non recedat ab ore; et ut impetres orationis eius suffragium, non deseras imitationis eius exemplum ». Virgo gloriosa (est) maris stella purificans eos qui sunt in mari huius mundi, illuminans et perficiens. Sequamur igitur stellam maris *purificantem* per gemitum compunctionis amarae, stellam maris *illuminantem* per studium virtutis illuminativae, stellam maris *perficientem* per votum perfectionis.

Haec tria simul fuerunt in B. Mariae eoadem tria eius nomina.

De omine stella mari

Triplex huius stellae effectus.

Primo, dico, debemus sequi stellam maris *purificantem* per gemitum compunctionis amarae; unde in Canonica Iacobi [8]: *Emundate manus* vestras, *peccatores*, et dimittite opera peccatorum; *et purificate corda* vestra, *duplices animo. Miseri estote et lugete et plorate; risus vester in luctum convertatur. — Emundate manus, peccatores.* Omnes sumus peccatores; *quis potest dicere: Mundus sum a peccato?*

Sequamur stellam maris purificantem.

[1] Cap. 23, 16.
[2] Cap. 31, 23; sequuntur Cant. 8, 6. seq. et III. Reg. 19, 10.
[3] Cap. 3, 15. seq. et dein v. 18. et respicitur Gen. 19, 26.
[4] Luc. 9, 54. seqq.; sequuntur Tob. 12, 9. et Rom. 8, 32.
[5] Luc. 6, 36; sequuntur Prov. 15, 27. et c. 16, 6.
[6] Cant. 4, 7; sequitur Luc. 2, 35.
[7] Homil. 2. n. 17.
[8] Cap. 4, 8. seq.; deinde respicitur Prov. 20, 9.

Purificate corda vestra, *duplices animo*. Habemus rationem, quae inclinat nos ad superiora, et habemus mulierem [1], scilicet sensualitatem, quae nos inclinat ad malum. *Miseri estote*, id est, humiliate vos; *risus vester convertatur in luctum*. Si quis haberet febrem, et ego dicerem ei: Rideas; ille multum indignaretur mihi; et si ego aliquem graviter vulneratum vellem ducere ad choreas, ille indignaretur mihi. Cogita flagitia, in quae poteris ruere, et gusta theriacam, id est amaritudinem poenitentiae. Christus potatus fuit amaritudine fellis, et Virgo gloriosa amaritudine doloris, et ad amaritudinem poenitentiae invitat nos Dominus per Isaiam, dicens: *Vocabit Dominus ad fletum et ad planctum et ad cingulum sacci, et ecce, gaudium et laetitia, occidere vitulos et iugulare arietes, comedere carnes et bibere vinum; comedamus et bibamus; cras enim moriemur;* Iob: *Gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos et in puncto ad inferna descendunt*. Non libenter irem in solarium, ut caderem in profundum. Nos summus hic sicut in solario; debemus nobis cavere de casu et disponere ascensiones in corde; Psalmus [2]: *Ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco, quem posuit*. Sequamur igitur stellam maris purificantem per gemitum compunctionis amarae.

Secundo sequamur stellam maris *illuminantem* per studium virtutis illuminatae. Dicitur in libro Regum [3], quod *Asa abstulit effeminatos de terra purgavitque omnes sordes idolorum, quae fecerant patres eius. Asa* interpretatur *plasmatio Domini*, per quem significatur animus imbutus legibus sapientialibus. Iste Asa *aufert effeminatos de terra et idola, quae fecerunt patres eius. Effeminati* sunt motus concupiscentiales, qui hominem reddunt sicut feminam. *Idola* sunt phantasmata errorum, quae oportet te purgare, si vis ad sapientiam veritatis pervenire. — Dixit quaedam mulier Saracena: Vos Christiani superbissimi estis, qui dicitis, quod nulli salvantur nisi Christiani. Bene potest lex nostra esse bona, et similiter aliorum lex bene salvat. Et respondit ille: Lex, per quam homines salvantur, non est nisi veritas, et nostra lex nihil falsum habet admixtum, ideo salvat; sed omnes aliae leges habent falsitatem admixtam; ideo non salvant. Fides purificat; unde in Actibus [4]: *Fide purificans corda*. Ista fides illuminat per studium veritatis; credite, scilicet per fidem veritatis; intelligite per rationem veritatis comprehensae per contemplationem. Per fidem oportet introire in regnum caelorum. Fides enim est ostiaria; quando ostiaria, quae purgaverat aream, non clauserat ostium, venerunt latrunculi et in medio die interfecerunt regem Isboseth. Rex est qui se regere potest; quando iste efficitur piger, et fides, quae est *ostiaria, obdormit;* tunc intrant latrunculi, id est errores. Et dicit Apostolus [5]: Quicumque aliud dixerit, quam fides ista dictat, *anathema sit*. Augustinus probat, quod gratia baptismalis plena gratia est in parvulis. — Erant quidam nobiles in Africa, habuerunt unum baptizatum in domo eorum, qui tantae stoliditatis fuit, quod nihil intelligebat; immo si verberabatur, stabat in pace, non potuit tristari; reverebatur tamen dominum et dominam suam, quia ipsum nutriebant. Semel, quando quidam mala diceret de Deo contra fidem, surrexit animatus contra illum; sic fecit bis vel ter. Tunc dominus dixit mala de Deo contra fidem; et similiter contra ipsum surrexit animatus et contra dominum (et) dominam suam. Illud non potuit esse ex natura neque ex industria, sed ex gratia baptismali, quae adhuc fuit in eo, per quam veritas fidei fuit plantata in ipso.

Exemplum.

Tertio sequamur stellam maris *perficientem* per votum perfectionis. Dicitur in libro Machabaeorum [6], quod Machabaeus, recuperato *et purgato templo* Domini, aedificavit *aliud altare*. Ita super Legem Moysaicam data est lex Evangelii. Virgo gloriosa professa fuit paupertatem et virginitatem et non habuit unde posset offerre agnum; unde dicit Beda [7], quod obtulit « oblationem pauperum »; humillima fuit et subiecta viro, cum tamen non esset ei coniuncta per connubium. Exemplar fuit totius castitatis, paupertatis et humilitatis. Igitur esse humilem, castum et pauperem est aedificare novum templum Domino; et sic potest homo pervenire ad gloriam aeternam, ad quam nos perducat etc.

Item, perfectionem.

De B. V. Maria.

Collatio.

Purgabit filios Levi etc.

(Prothema). *Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est* [8].

Prothema.

Exemplar hodie nobis propositum est Virgo gloriosissima. Ipsa est *mons*, de quo dicitur in Daniele [9], quod vidit Daniel *lapidem abscissum de monte sine manibus*, id est Christum natum de Virgine sine virili commixtione. Et *secundum exemplar*, quod videmus in beata Virgine, oportet facere. Ipsa enim est exemplar regulativum hierarchiae ecclesiasticae, et ideo dicitur *stella maris*. Dicebam hodie, quod *purificatio Virginis* gloriosae significat purificationem ecclesiasticae hierarchiae sive ministrorum Ecclesiae, et *oblatio Salvatoris* incoat oblationem

Repetitio.

---

[1] Cfr. August., XII. de Trin. c. 13. n. 20; Petr. Lombard. in I. Cor. 11, 1-3. et Bonav., II. Sent. d. 24. p. II. a. 2. q. 2. in corp. et praecipue q. incidens. — Sequuntur Isai. 22, 12. seq. et Iob 21, 12. seq.

[2] Psalm. 83, 6. seq.

[3] Libr. III. c. 15, 12. — Secundum Hieronymum de Nomin. Hebraic., *Asa* interpretatur tollens vel sustollens; *Asael* vero factura Dei.

[4] Cap. 15, 9; deinde respicitur II. Reg. 4, 5. seqq.

[5] Respicitur Gal. 1, 8; locus August. non est inventus.

[6] Libr. II. c. 10, 1. 3.

[7] Libr. I. in Luc. 2, 24. et Homil. de Purificat. B. Virginis Mariae.

[8] Exod. 25, 40.

[9] Cap. 2, 34.

sacrificiorum iustitiae. Audistis, qualiter dupliciter purgata fuit secundum veritatem *interius* et secundum repraesentationem *exterius;* et significat duplicem purgationem ecclesiasticae hierarchiae, una est per gratiam *baptismalem,* alia est per *poenitentialem;* et secundum triplicem purgationem, quae intelligitur in Virgine gloriosa: in quantum fuit *purgata,* habuit gratiam purificantem; in quantum fuit *illuminata,* habuit gratiam illuminantem, et in quantum fuit *perfecta,* habuit gratiam perficientem. Unde ipsa fuit purgatrix, illuminatrix et perfectrix, et ex hoc dicitur *stella maris,* quam stellam sequi debemus ut *purgantem* per gemitum compunctionis amarae, et *illuminantem* per studium veritatis illuminatae, et debemus ipsam sequi tertio ut stellam *perficientem* per votum perfectionis. Hoc est triduum, quo celebrato, invenitur Christus in templo, sicut invenit eum Simeon in templo, quando cantavit canticum suum [1], scilicet: *Nunc dimittis servum tuum, Domine* etc. Quia fuit purgatrix, ideo vocat eam *salutare* in Cantico suo, dicens: *Quia viderunt oculi mei salutare tuum;* quia fuit illuminatrix, ideo vocat eam *lumen ad revelationem gentium;* quia fuit perfectrix, ideo vocatur *gloria plebis.* Diximus in mane de *purgatione,* modo dicemus de *puritate,* quae debet esse in ministris Ecclesiae. Semper omnes debemus esse puri, quia omnes sumus clerici. De *puritate et hostia* dicemus, quam offeretis, quando eritis sacerdotes. Rogabimus in principio etc.

Purgabit filios Levi etc.

Sermonis continuatio.

Sicut coeperam dicere, in purgatione Virginis gloriosae est exemplar purgationis hierarchiae ecclesiasticae, et ipsa est *exemplar puritatis* hierarchiae ecclesiasticae. Puritatem vero, quae debet esse *in ministris Ecclesiae,* explicat, cum dicit: *Purgabit filios Levi et colabit* etc. Omnes ministri Ecclesiae debent esse *purgati* et *colati.* Vernm est, quod Virgo gloriosa purissima fuit et exemplar puritatis, quae debet esse in ministris Ecclesiae. Et fuit in ea puritas summa propter excellentiam virtutum, quam habuit. — Secundum philosophos [2] sunt quaedam virtutes *cardinales* et quaedam *intellectuales;* secundum sacram Scripturam sunt virtutes *activae* et *contemplativae;* secundum magistros sunt quaedam virtutes *operativae* et quaedam *consuetudinales.* Verum est, quod Spiritus sanctus datur per infusionem, sed habitus virtutum habentur per frequentationem. Verum est, quod Virgo gloriosa perfectissime habuit omnes virtutes. Virtutes *speculativae* sive contemplativae transcendunt *activas,* sicut aurum transcendit argentum, et finis transcendit ea quae sunt ad finem; unde dicitur in Evangelio, quod *Maria optimam partem elegit* [3].

Ministri Ecclesiae sunt purgati et colati. De primo.

Divisiones virtutum.

Martha significat activam vitam et Maria vitam contemplativam. Propter puritatem *intellectualium* sive contemplativarum virtutum comparatur Virgo gloriosa *auro;* unde in Exodo: *Arcam Domino de lignis setim compingite, deaurabis eam auro mundissimo. Arca,* super quam erant *duo Cherubim* obumbrantia *propitiatorium,* est Virgo gloriosa, repleta luminibus deificis, circa divina tota intenta. Propter perfectionem autem virtutum *consuetudinalium* et *operativarum* comparatur beata Virgo *argento;* unde dicit Sapientia increata [4]: *Melior est enim fructus meus auro et lapide pretioso, et gemmina mea argento electo. Gemmina* sunt virtutes operativae pullulantes. *Transite,* inquit Sapientia, *ad me, omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini.* Argentum electissimum et purgatissimum est Virgo gloriosa. Unde Salomon, volens exprimere summam puritatem Virginis, dicit in Canticis: *Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani; columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, media caritate constravit propter filias Ierusalem. Ferculum* a ferendo dictum, id est sedes, dicitur Virgo gloriosa; unde dixit quidam [5]:

De virtutibus B. Mariae.

Notandum

« Solve, Mater pietatis et totius Trinitatis nobile triclinium ».

Columnas (fecit) argenteas, id est cardinales virtutes et operativas fecit in Virgine gloriosa puras sicut argentum et perfectas, quia habuit virtutes animi iam purgati. *Reclinatorium aureum,* propter perfectionem virtutum contemplativarum. Coniunctio vero virtutum contemplativarum et operativarum [6] fit per mediam caritatem; ideo dicit: *media caritate constravit. Ascensum fecit purpureum,* id est sanguine suo rubricatum. Caritas media est inter virtutes cardinales et theologicas; secundum quod caritas est amor Dei, est virtus theologica; secundum vero quod est amor proximi, est virtus cardinalis (?). Purpura tincta est de sanguine conchiliorum, et est vestimentum regium et significat caritatem, quae *patiens* est et *benigna;* in quantum *patiens* est, tincta est sanguine Christi; in quantum est *benigna,* est indumentum regis adornati. Caritas, in quantum *patiens,* origo est virtutum activarum; in quantum amatrix est Christi, origo est virtutum contemplativarum. Virgo fuit arca de auro et argento purissimo, et fuit ferculum summi Regis. *Inspice et fac secundum exemplar.* Volumus esse boni ministri Virginis gloriosae? Oportet, nos esse *aurum et argentum electum,* id est habere virtutes activas et contemplativas.

Oportet etiam, quod *colemur.* Sed qualiter *colabimur?* Certe, *quasi aurum et argentum.* Dico autem, quod virtutes activae et contemplativae colantur

De sacra duplici

---

[1] Luc. 2, 29. seqq.; de triduo cfr. ibid. v. 46.

[2] Aristot., II. Ethic. c. 4. Cfr. Bonav., tom. III. pag. 472, nota 2. — De sequentibus vide supra pag. 555, notam 8. et pag. 556, notam 1.

[3] Luc. 10, 43; sequuntur Exod. 25, 10. seq. et dein v. 18. seqq.

[4] Prov. 8, 19; sequuntur Eccli. 24, 26. et Cant. 3, 9. seq.

[5] Vide Mone, Hymni Lat. medii aevi, tom. II. hymn. 517. v. 1-3.

[6] Verba *Coniunctio vero virtutum* etc. addita sunt ex cod. Trecensi. — Infra respicitur I. Cor. 13, 4.

De pugnatione tentationum duplum.

et perficiuntur in nobis dupliciter, scilicet per *expugnationem* tentationum, per *exercitationem* ipsarum virtutum initiatarum in nobis. Vis esse *aurum*? Oportet, te colari in igne tentationis. Est autem duplex tentatio: quaedam *alliciens*, et alia *affligens*, quia diabolus dupliciter tentat nos, scilicet affligendo per tristitias et alliciendo per delectationes; igitur si vis esse aurum, oportet te vincere tentationes allicientes et affligentes. Salomon [1]: *Quomodo probatur in conflatorio argentum et in fornace aurum, sic probatur homo ore laudantis.* Qui sunt *laudantes* nos? Certe exterior homo et inimicus. Miserum et magnum periculum est, quod homo concordat laudibus aliorum, quia laudes extollunt hominem et reddunt virtutem inanem, et de *argento* efficitur plumbum. Quando homo laudatur exterius a proximo, vel a se ipso, vel ab inimico; debet cogitare et dicere: Iste non laudat me, sed quem credit esse; laudabat quidem rumbum [2] et credebat laudare aprum: ita laudant homines illum quem credunt esse alium. Dicit Beda [3], quod Dominus mirabiliter irascitur contra hypocritas, quia quod posset eis valere ad vitam aeternam dant pro obolo vanae laudis. Nolo, quod aliquis laboret ad virtutes propter laudes; non sum maior propter umbram, similiter non sum maior propter laudem tuam. Qui fugit non praecedit umbram. Alexander [4] dixit optimum verbum; fuit plagatus in pede, et pes intumescebat ita, quod credebat mori; et tunc dixit: Universa plebs laudat me, et dicit, me esse filium Iovis; sed plaga ista dicit, quod sum filius hominis. *Soli Deo* est *honor et gloria* [5]. — Primum igitur conflatorium est tentationum allicientium; aliud conflatorium est tentationum *affligentium*, de quo dicitur in Ecclesiastico: *Quoniam in igne probatur aurum et argentum; homines vero receptibiles*, tentionis, *in camino humiliationis*. Quando poteris esse patiens nisi patiendo? Ita non poteris adipisci virtutes nisi virtuose agendo. Miles non est virtuosus, qui semper vult esse cum mulieribus et nihil vult sustinere. Facti sunt hodie homines vitrei; volumus habere virtutes et nolumus pati. Dicit Ieremias: *Frustra conflabit conflator; malitiae enim eorum non sunt consumtae. Argentum reprobum vocate eos.*

De tentatione allicientis.

De tentatione affligentis.

Et non solum conflamur per *expugnationem tentationum*, sed etiam per *exercitationem virtutum*. Parum sciunt multi de exercitatione virtutum; exercitatio enim virtutum *contemplativarum* et *activarum* coinnctae sunt; sed prius est exercitatio virtutum activarum; non debet homo esse purus activus nec purus contemplativus. — Prius se habet exercitare in virtutibus *activis*, et debet sequi *contemplatio;* postea se debet exercere in contemplatione, et debet sequi actio. Prius, dico, se debet homo exercitare in virtutibus *activis;* unde Iob [6]: *Habet argentum venarum suarum principia, et auro locus est, in quo conflatur.* Prius praemittit *argentum*, quia prius oportet, hominem esse activum; quia prius est via quam terminus. Oportet, quod simus assistentes et ministrantes sicut Angeli. Duplex est hierarchia, scilicet *caelestis* et *subcaelestis*: *subcaelestis* est illa, in qua sunt *venae argenti; caelestis* vero hierarchia est illa, in qua *est locus, in quo conflatur aurum; subcaelestis* principium est virtutum operativarum; et per quas *venas*? Per incarnationem Verbi et per spirationem Spiritus sancti. Sine istis non est vera virtus. Christus est vera virtus, et ipsum oportet imitari. — Sed quomodo exercitabo me in virtutibus? Certe per meditationem Christi in cruce. Vis, quod Spiritus sanctus faciat cooperationem suam? Sis in oratione, quia Spiritus sanctus descendit super orantes. Meditativi passionis Christi et orantes habent istud *argentum*, et hoc, quando manifestant in opere. Meditatio facit scire, sed operatio facit velle. Non potest habere aliquis istud argentum nisi ex frequentia bene operandi. Igitur cum gratia requiritur bona operatio. Illud est *aurum et argentum*, quod habere potestis. Si docerem vos invenire venas, in quibus possetis invenire aurum et argentum, libenter audiretis me; et non curatis de isto auro et argento. *Quare appenditis argentum non in panibus* [7]? Quaeritis argentum terrae, quod Deus dat inpiis, sed argentum non quaeritis, de quo fiunt virtutes. De illo esset cogitandum. Igitur *argentum habet venarum suarum principia.*

Duplex hierarchia.

De modo exercitandi virtutes.

Auro locus est, in quo conflatur, quia, sicut in subcaelesti hierarchia *argentum habet venarum suarum principia*, ita in caelesti hierarchia *locus est, in quo conflatur aurum*, et in quo sunt virtutes contemplativae. Dicitur in Apocalypsi [8], quod *civitas* illa est sicut *aurum mundum, simile vitro mundo.* Quis me levabit ad cogitandum de illa civitate? Tria dedit nobis Deus, per quae possumus levari sursum ad contemplandum: *spes* levat animam in caelum; *fides* adducit, quia *fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium;* et *amor* in affectu et fides in aspectu et spes levant animam. Qui istas tres virtutes habet, scilicet spem, fidem et amorem, potest sursum levari. Talibus dicit Apostolus: *Quae sursum sunt sapite; quae sursum sunt quaerite.*

De virtutibus contemplativis.

Tres virtutes elevantes.

« Os homini sublime dedit caelumque tueri [9] ».

Istud exercitium virtutum incipiens ab activa est veniens ad contemplativam; e converso incipiens a

Notandum.

De exercitatione virtutum duplicium.

De virtutibus activis.

[1] Prov. 27, 21.

[2] Idem ac *rhombus;* vide Du Cange.

[3] Cfr. Rb. II. in Luc. 11, 43.

[4] Secundum Plutarch., in Vitam Alex. M., cum, sagitta saucius, doloris acerbitate collaberetur, dixit: « Amici, hunc plane cruorem mortalium, at non divorum vulnera spargunt ».

[5] Epist. I. Tim. 1, 17; sequuntur Eccli. 2, 5. et Ier. 6, 29. 30.

[6] Cap. 28, 1.

[7] Isai. 55, 2.

[8] Cap. 21, 18; sequuntur Hebr. 11, 1. et Coloss. 3, 2. 4.

[9] Ovid., I. Metamorph. v. 85. — Sequuntur Ps. 67, 14. et Ps. 15, 5.

contemplativa debet redire ad activam, quia quod homo didicit in Scriptura debet facere in actione, ut, sicut audiunt, ita faciant; Psalmus: *Si dormiatis inter medios cleros, pennae columbae deargentatae, et posteriora dorsi eius in pallore auri.* Constructio versus istius est ista — hic est defectus unius dictionis — « *cleros* idem est quod sors [1] »; unde dicit clericus, quando ei datur corona: *Dominus, pars hereditatis meae.* « Clericus est qui habet Deum partem, vel qui est pars Dei ». *Si dormiatis inter medios cleros,* id est, inter medias sortes et promissiones est promissio veteris Testamenti et novi; *dormire* est requiescere in sinu Christi per contemplationem; Christus est *propitiatorium* in medio Cherubim [2], Christus est finis veteris Testamenti et initium novi. *Pennae* eius *deargentatae*, scilicet erunt, id est virtutes, per quas levabitur sursum, erunt in eo perfectae. *Et posteriora dorsi eius in pallore auri*, id est, affectiones mentales et intentiones nobilitatae erunt in contemplatione. Exerceatis vos non solum in scriptura humana, immo in sacra Scriptura; Psalmus: *Bonum mihi lex oris tui super millia auri et argenti.* Vultis *colari?* Studeatis habere virtutes activas et contemplativas.

II. Restat modo dicere de *oblatione.* Virgo gloPars II. De oblatione Filii. riosa obtulit *Filium, par turturum et duos pullos columbarum* [3]. Offerendo *Filium* obtulit sacrificium purissimum et piissimum. Sacrificium debet esse purgativum nostri et placativum Dei; et Christus fuit purus et pius. In designationem huius obtulit *par turturum*, quae est avis castissima, et *columbam*, Hoc imitandum a sacerdotibus. quae est avis piissima. — Et nos offerimus sacrificium; oportet, quod sacrificia nostra sint *pura* et *pia.* Beata Virgo cum Christo obtulit *par turturum et duos pullos columbarum.* Sacerdos, tu offers sanguinem Christi! oportet, te offerre *pium* et *purum.* Quis te docuit? Virgo gloriosa. Obtulisti Filium suum in manibus Ecclesiae, sicut fuit in manibus Simeonis Exemplum. gerentis? Grates Deo! Visum fuit cuidam, qui habuit oculos spirituales, quod ille qui assistebat sacerdoti in Missa, perfectius recipiebat corpus Christi quam sacerdos. Qui debet offerre sacrificium, oportet, ipsum esse Duplex pariitas et pietas. Da duplici puritate. De prima. *purum* duplici puritate et *pium* duplici pietate. — Dico, quod oportet, ipsum esse *purum* duplici puritate: quia oportet, ipsum esse depuratum a faece *carnalitatis* et a cruore *crudelitatis.* Si vis bene cantare Missam, fac quod dicit Apostolus [4]: *Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem. Hostiam sanctam*, per castitatem; *viventem*, quia oportet, quod sit viva, non timore, sed amore gloriae; *Deo placentem*, scilicet, ut intendas magis placere Deo quam hominibus. Si velles offerre regi panem cum foetidis manibus, indigneretur rex. Custodiatis corpora vestra impolluta. Audivi de quodam Exemplum. vilissimo, qui foedatus erat turpitudine luxuriae, et cum offerret sacrificium istud, percussus est paralysi et nunquam fuit curatus. Non sic semper facit Deus, sed reservat quandoque ad damnationem. — Item, De secunda. oportet, quod ille qui offert illud sacrificium, sit depuratus a *cruore crudelitatis;* unde in Ecclesiastico: *Immolantis ex iniquo oblatio est maculata;* item: *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.* Es episcopus? Extorquens ab aliis quod offers, provocas Deum. Milites et alii multum provocant Deum, quia *manus* eorum *plenae sanguine sunt* [5]; respuit Dominus sacrificium istorum. Volet aliquis esse pontifex, qui est lictor et custos carcerum (?), et volet offerre sacrificium? Oportet, quod nihil habeat crudelitatis neque carnalitatis.

Item, oportet, ipsum esse *pium* duplici pietate, De duplici pietate. scilicet pietate *divinae venerationis* et *supernae miserationis.* De primo dicit Dominus [6]: *Sacrificium* De prima. *laudis honorificabit me;* sed *non est speciosa laus in ore peccatoris.* Si non potes offerre thus, offer myrrham; si non es dignus agere gratias Deo, cogita et dic: Non sum dignus beneficio divino, sed suspensione, et tunc eris *sacrificium Deo, spiritus contribulatus.* Columba gemitum habet pro cantu. — Se- De secunda. cundo, qui debet offerre illud sacrificium oportet, ipsum esse pium pietate *supernae miserationis;* illud est sacrificium acceptissimum Deo, quia dicit Dominus [7]: *Misericordiam volo et non sacrificium.* Illud sacrificium supportat proximum et placat nobis Deum. — Qui sic fuerit *purus* duplici puritate potest offerre sacrificium, et *pius* duplici pietate, acceptum Deo; quod nobis praestare dignetur qui cum Patre etc.

Sermo II [8].

Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos, ad Hebraeos decimo [9].

Ora pro nobis, quoniam mulier sancta es.

(Prothema). Hoc verbum secundum dixerunt sacer- Prothema. dotes et Levitae ad Iudith, liberatricem populi Israelitici; et nos istud verbum idem dicere debemus et dirigere ad Virginem gloriosam, liberatricem totius generis humani, et dicere ei: *Ora pro nobis* etc. Tu, Virgo gloriosa, quae Maria diceris, id est *stella maris*, quae Maria diceris, id est *mare amarum*, quae Maria diceris, id est *Domina, ora pro nobis* illuminandis,

---

[1] Hieron., Epist. 52. ad Nepotian. (alias 2.) n. 5.
[2] Respicitur Exod. 25, 20; sequitur Ps. 118, 72.
[3] Luc. 2, 24. seq.
[4] Rom. 12, 1; sequitur Eccli. 34, 21. et v. 24.
[5] Respicitur Isai. 1, 15.
[6] Psalm. 49, 23; sequuntur Eccli. 15, 9. et Ps. 50, 19.
[7] Matth. 9, 13.
[8] Ex cod. biblioth. National. Parisiensis n. 16499. fol. 305, qui collatus est cum cod. Trecensi n. 1464. fol. 29, ubi scribitur *bone aventure*, sed sermo exhibetur plerumque magis contracte.
[9] Vers. 14. — Prothema, quod est in solo cod. Parisiensi, habetur Iudith 8, 29.

purificandis et perficiendis. Quia tu es *stella maris*, ora pro nobis illuminandis; quia, *mare amarum*, quod nullam putredinem sustinet, ora pro nobis purificandis; quia tu es *Domina*, ora pro nobis perficiendis. His tribus indigemus ad hoc, quod sit in nobis efficacia sermonis divini, quia sermo divinus ordinatur ad illuminandum nos in intellectu, ad purificandum in affectu, ad perficiendum in opere sive in effectu. Et hoc non possumus facere sine gloriosae Virginis interventu; ideo rogabimus eam, quod velit pro nobis intercedere et gratiam impetrare ad proponendum verbum divinum, ita quod per illud illuminemur, purificemur et perficiamur.

Una oblatione etc.

Sermo. Hoc est verbum dictum de Sapientia incarnata et potest intelligi de Virgine gloriosa, Domina nostra; et secundum hoc explicatur nobis huius praesentis solemnitatis *materia*, et est materia duplex: una est *oblatio Prolis*, alia est *purificatio Matris*, quia praeceptum erat in Lege [1], quod mulier, postquam peperisset masculum, infantem Domino *offerret*, et quod ipsa mulier *purificaretur;* et Virgo gloriosa Filium suum in templo obtulit et hostiam pro sua purificatione addidit [2]. Et non *sine causa* voluit *Christus offerri* et Virgo *Maria purificari* — licet non ad hoc tenerentur — et hoc, ut ostenderet *Christus*, quod erat oblationum legalium finis; et *Virgo*, ut ostenderet, quod ipsa esset sanctificationum spiritualium exemplar et forma. Et hoc (modo) notatur in verbo proposito:

Divisio. *Una oblatione* etc.: primo, *oblatio Prolis*, in *oblatione*. Nomine vero *sanctificationis* intelligimus ipsam *sanctificationem et purificationem*, quam concipimus ex Prolis oblatione et Virginis purificatione. Et cum dicitur: *consummavit*, intelligitur *ratio utriusque* [3]. Quia igitur praesens festum denominatur a purificatione Virginis, quae est exemplar nostrae purificationis, ideo primo agamus de *purificatione* et post de *oblatione*.

I. Dionysius [4] dicit, quod « sanctitas est ab omni

ars I. De gratis positione. contamine munda et sincera bonitas »; igitur non est aliud loqui de sanctificatione quam de purificatione; ex quo enim illud verum, et reliquum. Voluit igitur Virgo gloriosa purificari, non quia esset immunda, non quia esset per Legem astricta, sed ut esset sanctificationis et *purificationis forma*. Quod non esset immunda, patet, quia non conceperat de virili semine, nec per hoc erat Legi astricta. Unde Moyses valde sapienter dedit legem illam, dicens: *Mulier, si suscepto semine, pepererit masculum, immunda erit* quadraginta *diebus*. Non pro nihilo addidit *suscepto semine*, cum nihil superfluum sit in Scriptura. Nisi enim hoc addidisset, blasphemasset Matrem Salvatoris, si dixisset simpliciter: *Mulier*, quae *pepererit* filium, *immunda erit*. Oportet ergo, quod illud adderet, ut a lege illa Matrem Domini exciperet, ne Matrem Domini blasphemaret; et sic non erat immunda nec Legi astricta; tamen, quia decuit, ut daret *formam sanctificationis* tanquam Sanctarum Sancta, παναγία Graece, quod idem est, sic voluit purificari et sanctificari. Et videte, quod quidquid fuit in ea, fuit forma et exemplar sanctificationis in aliis. Fuit enim in ea omnis Subdivisio. sanctificationis *receptaculum mundum* ex gratiae divinae plenitudine; fuit omnis sanctificationis *speculum praeclarum* ex conversationis suae gratiositate; fuit et tertio omnis sanctificationis *principium diffusivum* ex Filii Dei conceptione; fuit etiam quarto omnis sanctificationis *exemplar imitandum* ex purificationis suae celebritate. Et si ipsa habebat prima tria, decebat, quod et quartum haberet.

B. Maria primo fuit sanctificationis receptaculum. Dico, quod fuit omnis sanctificationis *receptaculum mundum* ex plenitudinis divinae gratiae receptione, quam recepit ante suam nativitatem. Unde sibi competit quod dicit Dominus ad Ieremiam [5]: *Priusquam te formarem in utero, novi te*, non solum cognitione praedestinationis, sed multiplicis praenuntiationis; ab initio (enim) mundi usque ad suum ortum fuit praenuntiata per quinque millia annorum, antequam nasceretur. *Et antequam exires de vulva, sanctificavi te*, quia dicit Bernardus: « Fuit procul dubio Mater Domini ante sancta quam nata »; et dignum fuit et iustum, quia ipsa debebat esse receptaculum totius Trinitatis, tabernaculum Filii Dei. Et ideo merito debuit sanctificari; Psalmus: *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus;* et fuit sanctificata in utero matris statim post animae suae infusionem et unionem cum suo corpore, et hoc in (solatium) nostrum. — Carissimi, nos enim peccatores et miseri, nos Hortatio. profani, qui sumus egeni et miseri, debemus ad illam recurrere pro gratia recuperanda et habenda. Habemus enim ipsam receptaculum sanctitatis et ad ipsam habemus refugium.

Secundo dico, quod fuit in ea omnis sanctitatis Secundo, sanctitatis speculum. *speculum praeclarum*, ut et ipsi competat illud Ecclesiastici [6]: *Gratia super gratiam, mulier sancta et pudorata. Mulier sancta* fuit beata Virgo, quia sancta fuit interius in mente et exterius in carne, et tanta sanctitudo et gratia fuit in ea, ut omnes alliceret ad pulcritudinem sanctitatis. Erat enim incredibili pulcritudine et omnium oculis gratiosa, ut sibi merito competat illud verbum Apostoli: *Mulier innupta et virgo cogitat, quomodo* soli *placeat Deo* per sanctificationem suam et munditiam. *Mulier* haec

[1] Respicitur Exod. 13, 15; c. 34, 19. et Lev. 12, 2. seqq.
[2] Respicitur Luc. 2, 22. seqq.
[3] In cod. Trecensi praecedentia clarius indicantur: « Hic possunt duo notari, scilicet praesentis festi *materia*, ubi dicit: *Una oblatione;* et ipsius festi *causa*, ubi consummationem sanctificationis tangit. Materia autem duplex, scilicet *oblatio Prolis* et *purificatio Matris;* et secundum hoc etiam *causa* duplex, scilicet ut in oblatione Prolis ostendatur *finis sacrificii* legalis, in purificatione Matris detur *forma sanctificationis* ». Similia habentur in sermone praecedente.
[4] Vide supra pag. 503, notam 7; sequitur Lev. 12, 2. seqq.
[5] Cap. 1, 5; sequuntur Bernard., Epist. 174. n. 5. et Ps. 45, 4.
[6] Cap. 26, 19; sequitur 1. Cor. 7, 34. 32.

immupta est Virgo beata, quae prima vovit virginitatem et soli Deo in virginitatis puritate placere voluit.

Tertio, sanctificationis principium diffusivum.

Tertio fuit beata Virgo omnis sanctificationis *principium diffusivum*, ita ut dicat Angelus ad eam [1]: *Spiritus sanctus superveniet in te* etc.; *Spiritus sanctus*, sanctificans eam speciali sanctificatione, non solum secundum quod erat *persona*, sed etiam secundum quod erat *natura*, quia sanctificationem habuit non solum pro se et in se, sed ut debebat esse alterius principium per generationem, ut quod de ea debebat procreari sanctum nasceretur; et per istud natum ex ea omnes sanctificantur; et ideo ipsa merito potest dici sanctificationis principium diffusivum; in Ecclesiastico: *Sic in Sion firmata sum et in civitate sanctificata similiter requievi*; hoc est in sancta Ecclesia, pro eo quod generavit illum, per quem tota Ecclesia sanctificatur; ad Ephesios: *Christus dilexit Ecclesiam et se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret.* Ibi *requiescit* beata Virgo *in civitate sanctificata*, hoc est in Ecclesia; sed *in electis mittit radices*, quia per Filium suum data est sanctificatio Ecclesiae, et sic in electis mittit radices suae sanctificationis. Certe, *si radix sancta, et rami* [2]; qui radicantur in Virgine Matre per amorem et devotionem per eam sanctificantur, quia ipsa impetrat eis a Filio suo sanctificationem. Nunquam legi aliquem Sanctorum, qui non haberet specialem devotionem ad Virginem gloriosam.

Notandum.

Quarto, sanctificationis exemplar.

Quarto fuit omnis sanctificationis *exemplar imitandum*, quando fuit purificata et sanctificata more aliarum. Hoc desiderabat Propheta, qui dicebat [3]: *Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae.* Optat Psalmista, quod Filius Dei veniat in templum; unde dicit: *Surge, Domine, in requiem*, quasi dicat: veni in Ierusalem, quae *visio pacis* interpretatur; nec solum tu, sed cum Matre Virgine: *tu et arca sanctificationis tuae.* Et quare? Subdit: Ut *sacerdotes tui induantur iustitiam, et sancti tui exsultent.* Videte, quare hoc dicat! In Lege offerebant sacerdotes hostias, quae neminem poterant instificare; sed postquam beata Virgo attulit ad templum *hostiam viventem, sanctam, Deo placentem*, videlicet benedictum Filium suum, tunc potuerunt *sacerdotes induere iustitiam*, quia possunt offerre hostiam sanctificantem et iustificantem, et ex hoc poterant *sancti* Dei *exsultare*, qui hoc intelligebant. Unde et *Simeon* [4], ille sanctus senex, *in Spiritu veniens in templum* et videns istam hostiam veram et sanctam, eam amplexatus est et valde gandens ex hoc, cantavit ex cordis sui tripudio: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, in pace* etc., quasi dicat: nunc volo exsultare, quia video *aream sanctificationis* in requie, et ideo volo nunc quiescere; dimitte me nunc in pace. — Haec est solemnitas hodierna, in qua totus mundus sanctificatus est per Christum, qui est sanctificatio mundi, hostia sancta et vera. Ecce, vos sacerdotes, solebatis offerre arietes, vitulos et volucres, id est turtures, passeres et columbas; modo sacrificatis unam hostiam veram, Dominum Iesum Christum, in altari, et ista sufficit ad omnium sanctificationem. Multum attulit Virgo gloriosa, quae talem hostiam attulit ad templum, quam pro omnibus obtulit; et tamen pauci erant ibi, qui cognoscerent eum, Simeon senex et una vetula, Anna [5] scilicet; et modo fiunt per mundum processiones magnae, in quo innuitur nobis, quod Dominus a parvis incipit et post incepta magnificat et exaltat. Semper crescit festum suum, et e contrario facit mundus; hodie facit unum magnum festum, sed in crastino nihil; non crescit festum mundi, sed decrescit et annihilatur. — Et quia anima non sanctificatur, nisi efficiatur *templum Dei*, ideo in signum huius Virgo gloriosa voluit Filium suum in templo praesentare; unde Malachias: *Statim veniet ad templum* sanctum *suum Dominator* etc. Et in istud templum, ad quod libenter venit Christus, ut illud sanctificaret, et sanctum permaneret; Apostolus dicit primae ad Corinthios tertio: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos;* et ad Ephesios [6]: *In quo et vos coaedificamini in habitaculum Dei in Spiritu* sancto. — Vultis, vos aedificari (in) templum Dei, ut habeatis Christum in cordibus vestris? Si vos hoc vultis, oportet, vos *venire in Spiritu in templum*, hoc est, oportet, quod vos Deo praeparetis cor vestrum ut spirituale habitaculum. Necesse est, carissimi, quod cor vestrum vel sit prostibulum diaboli, vel sit templum sanctum Filii Dei; nihil est medium. Insanus est qui magis eligit fieri prostibulum diaboli quam templum sanctum Spiritus sancti, habitaculum totius Trinitatis. Si aliqua virgo esset, quae deberet modo desponsari viro, pulcherrimo imperatori, (et) poneret se in prostibulo leprosorum; nonne deberet interfici et nasus ei praecidi et in latrinam proiici? Et sic similiter, si anima, quae debet Christo desponsari, facit se prostibulum diaboli, mirum, quod terra non absorbet talem, et quod non descendit vivens in infernum.

De solemnitate hodierna.

Quare Maria voluit in templo praesentari.

Hortatio.

De modo veniendi in templum.

Sed qualiter debemus *venire* spiritualiter *in templum*? Videte, quid debeatis attendere in anima vestra ad hoc, quod sit templum Dei. Certum est, quod « anima rationalis imago Dei est, et quia eius imago est, ideo eius capax et particeps esse potest », sicut vult Augustinus in libro de Trinitate [7]. Et Deus est trinus et unus, et secundum hoc est quadruplex vis in anima, quae Deum perfecte repraesentat. Habet namque anima vim *potestativam*, vim *amativam*, (vim) *cognitivam* et vim totius corporis *regitivam*. Anima

Quadruplex vis animae sanctificanda.

---

[1] Luc. 1, 35; sequuntur Eccli. 24, 15. et Eph. 5, 25.
[2] Rom. 11, 16.
[3] Psalm. 131, 8. et dein v. 9. et Rom. 12, 1.
[4] Respicitur Luc. 2, 25. seqq.
[5] Luc. 2, 36; sequuntur Malach. 3, 1. et I. Cor. 3, 17.
[6] Cap. 2, 22.
[7] Scilicet lib. XIV. c. 8. n. 11.

igitur illa est templum Dei, in cuius vi *potestativa* habitat Dei maiestas; et hoc non est, nisi ubi est *timor;* item, in cuius vi *cognitiva* habitat Dei sapientia; et hoc non est, nisi ubi est *veritas;* in cuius vi *amativa* habitat Dei *bonitas;* et hoc non est, nisi ubi est amor et caritas; in cuius vi totius corporis *regitiva* habitat Dei *sanctitas;* et hoc non est, nisi ubi est munditia et castitas. Oportet ergo ad hoc, quod anima sit templum Spiritus sancti, quod in ea sit quadruplex sanctitas. — Oportet primo, quod (in) eius vi *potestativa* habitet Deus ut maiestas per sanctitatem divini *timoris.* Ad hoc hortatur nos Isaias [1]: *Dominum exercituum, ipsum sanctificate. Dominus exercituum* est, ut est maiestas praesidens omnibus virtutibus angelicis. Ipsum ergo *sanctificate,* id est, ut sanctum glorificate et exaltate et laudate; et *ipse* sit *pavor vester et ipse terror vester.* Et quid inde erit vobis? Ecce: *Et erit vobis in sanctificationem,* quia dicitur in Ecclesiastico: *Qui sine timore est non poterit iustificari,* et ita nec sanctificari; in Ecclesiastico: *Qui timent Deum praeparabunt corda sua et in conspectu illius sanctificabunt animas suas.* Si enim sanctificatio est sequestratio ab omni immunditia et peccato [2], et non cavet homo peccatum nec fugit nisi per timorem: ergo per timorem est sanctificatio. Carissime, scito pro certo, quod si Deum bene timeres, nunquam mandatum eius praeterire velles, aut legem eius transgredereris, nec ipsum aliquo modo inhonorares. — Secundo sanctificatur, quando vim eius *cognitivam* illustrat Deus-sapientia per *veritatis cognitionem;* in Evangelio Ioannis [3]: *Pater, sanctifica eos in veritate.* Veritas, quando unitur cordi humano, sanctificat et mundat et purgat cor, ut radius aut splendor solis mundat diaphanum; et radius divinae veritatis primo unitur cordi humano per fidem; fides autem est acceptatio rerum nondum perfecte notarum: ista ergo purificatio et sanctificatio fit per fidem; Actuum decimo quinto: *Fide purificans corda eorum.* Christus factus es nobis veritas purificans et sanctificans et sapientia; et quia non potest illabi sapientia humanae animae nisi per fidem sanctificantem et per illam intrat et inhabitat; ideo dicitur Sapientiae septimo: *In animas sanctas se transfert, amicos Dei et prophetas constituit;* et hoc totum per fidem. *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad iustitiam, et amicus Dei appellatus est* [4]. Habet autem homo fidem sic sanctificantem, quando irradiat menti humanae splendor Veritatis aeternae. Quodsi totus mundus contrarium diceret, nunquam tamen (anima) propter hoc ab hac fidei veritate recederet; et haec est, quae sanctificat, cum *per dilectionem operatur.* Omnes videmur credere, et tamen non est tantus defectus in toto mundo, quantus fidei. Si enim fideliter divina beneficia recognosceremus, si poenas inferni attenderemus; nunquam ita faciliter Deum offenderemus.

Item, de tertia vi.

Tertio sanctificatur anima, quando vim eius *amativam* inhabitat Deus-bonitas per *sanctificationem amoris;* Apostolus [5]: *Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam.* Quid est, quod facit animam *liberam a peccato?* Amor; unde Apostolus: *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater.* Si filii veri sumus, Patrem nostrum Deum vere amamus; (si) Deum amamus, et vere liberi sumus. Haec igitur sanctificatio, quae fit per amorem, est illa, per quam Deus habitat in anima, quia quid est caritas nisi amor boni? Quia « bonum et amor est vis unitiva ». Unde anima fit templum Dei sanctificatum per caritatem; ideo Apostolus ad Ephesios [6]: *Elegit nos ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate.* Desiderent ergo miseri homines et diligant rerum temporalium (abundantiam), tu autem, qui Christianus es, dilige Deum, ut Deus habitet in te tanquam in templo suo per caritatem sanctificato et mundato. — Quarto oportet, quod eam inhabitet Deus, ut sanctificemur quantum ad vim corporis *regitivam,* et hoc per sanctificationem honestatis et *conversationis exterioris;* prima ad Thessalonicenses [7]: *Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione et honore, non in passione desiderii. Vas* corpus nostrum est, quia est vas animae, in quantum (est) materia, et receptaculum Spiritus sancti per gratiam. *Membra* nostra *templum Spiritus sancti,* et ideo munda debent esse et sancta. Quare descendit Filius Dei in Virginem? Quia membra Virginis sibi sanctificata et mundissima servavit. Ergo oportet, quodsi tu vis esse templum Dei, quod tu *custodias vas tuum in sanctificatione et honore.* Vide, quid dicat Apostolus ad Romanos [8]: *Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestrae; sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiae et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiae in sanctificationem.* — Sed dicet aliquis: Quomodo possumus servare munditiam et sanctificationem in membris nostris, qui habemus concupiscentiam, libidinem et fomitem? Sed saltem facias pro hac munditia et sanctificatione quod facit luxuriosus pro implenda libidine, qui non parcit fami nec frigori nec morti, imino quandoque se omnibus istis exponit pro unica modica delectatione. Quid est quod tu dicis, quod non potes istam munditiam conservare, et bene

Item, de quarta vi.

Obiectio solvitur.

[1] Cap. 8, 13. seq.; sequuntur Eccli. 1, 28. et c. 2, 20.
[2] Vide supra pag. 503, nota 7. verba Dionysii.
[3] Cap. 17, 17; sequuntur Act. 15, 9. et Sap. 7, 27.
[4] Iac. 2, 23. (Gen. 15, 6.); dein respicitur Gal. 5, 6.
[5] Rom. 6, 22; sequuntur c. 8, 15. et Dionys., de Divin. Nom. c. 4. § 15.
[6] Cap. 1, 4.
[7] Cap. 4, 3. seqq.; deinde respicitur I. Cor. 6, 19.
[8] Cap. 6, 19.

potes totum temetipsum exponere pro una vilissima delectatione? Plus poterit in te misera corruptio, quam possit in te natura cum gratia? Absit. Verum est, quod mala consuetudo multum inficit et corrumpit affectum; sed nihil est facilius corpori macerato et castigato quam custodiri sanctum et mundum. Facilius et citius se exponeret homo calidis flammis, quam faceret tale peccatum. — Exemplum de quodam in Vitis sanctorum Patrum [1], qui erat in quodam deserto solus sicut anachoreta; et venit quaedam mulier ad ostiolum suum in hieme et coepit flere, quia nox appropinquabat, et frigus erat; et si foris iaceret, timebat, ne a bestiis deserti devoraretur. Coepit clamare ad ostium illius boni viri, ut pro Deo reciperet eam in hospitiolo suo illa nocte, et propter frigus, ne periret frigore, aut devorarent eam bestiae. Hoc audiens, sanctus vir coepit compati ei et timuit, ne de crudelitate reprehenderetur, si dimitteret eam foras, et introduxit eam. Cum fuit intus, dixit, quod tantum frigus habebat, quod durare non poterat. Et ille bonus homo paravit illi parvum igniculum, sicut potuit, et calefecit se. Cum fuit calefacta, coepit dicere illi bono homini, quomodo esset ita crudelis, quod ita dure et aspere volebat vivere; quod Deus non praecepit homini, quod interficiat se; et sic a longe incepit praevenire, eum posse esse in saeculo et habere unam bonam mulierem uxorem et ex ea filios procreare ad cultum Dei, et melius esset quam sic solitariam vitam ducere. Et tunc incepit animum virilem, et avertens, utpote vir sanctus et mundus, posuit manum suam in ignem, quam tamdiu ibi tenuit, quod totus unus digitus fuit combustus, et tantum tenuit eam in igne, quod omnino tentatio illa et motus illi fuerunt penitus exstincti. O quantam gavisus est plus de digito illo quam de omnibus aliis! Sic se exposuit iste igni corporali, ut ignem luxuriae in se exstingueret, qui est valde malus ignis.

Exemplum.

Audi, quid dicit Iob [2]: *Ignis est usque ad perditionem devorans et omnia eradicans genimina.* Legimus in Scriptura sacra, quod Nabuzardan templum Dei incendit; quod est, quando homo, qui debet esse templum Dei, se ipsum igne libidinis succendit. Carissimi, vos estis clerici, quibus loquitur beatus Petrus, magnus pastor vester et episcopus, quod (sitis) *filii obedientiae, non configurati prioribus ignorantiae vestrae desideriis*, ita in Canonica [3]. Petrus est; audite, clerici, discipuli Petri, immo magis discipuli Christi, ubi dicit Magister vester: Estote magni, quia ego magnus sum, et sapientes, aut divites, aut gloriosi? Nusquam invenietis; sed ipse dicit: *Estote sancti, quia ego sanctus sum.* Et unde igitur tanta insania, quod non curant homines de sanctitate habenda, sed multum curant de divitiis, gloria et honore temporali et de scientia? Et Deus caeli! quis laborabit pro sanctitate habenda, ad hoc scilicet, quod sit sanctus? Non propter divitias, scientiam, dignitates et honores est homo sanctus nec reputatur a Deo sanctus, et tamen pro istis expendimus totum tempus nostrum. Ad sanctitatem procurandam nobis datur, et expendimus illud in superfluis et nocivis! Audi, quid dicit et consulit Sapiens [4]: *Miserere animae tuae, placens Deo, et contine; congrega cor tuum in sanctitate eius*, non corpori aut carni, sed animae; et nos contrarium facimus, plus diligimus saecum fimo plenum, corpus nostrum scilicet, quam animam, quae est templum Dei, Spiritus sancti.

Monitio ad clericos ad sectandam sanctitatem.

Repetitio.

Illa igitur anima est templum sanctum Dei, cuius vim *potestativam* inhabitat Deus-maiestas, cuius vim *cognitivam* inhabitat Deus-sapientia, cuius vim *amativam* inhabitat Deus-bonitas, cuius vim *administrativam* inhabitat Deus ut sanctificatio. De his habemus exemplum in Virgine gloriosa, de qua apparet, quam *timorosa* fuerit, quam *fide plena*, quam *amorosa*, quam in *conversatione honesta*. — Vide Simeonem, qui portat Christum in ulnis suis; porta et tu Christum in ulnis cordis tui; amplexare eum per fidem et amorem. Ad hoc debes venire ad ecclesiam, ut portes Christum, non propter pecuniam, sicut multi faciunt, qua accepta, recedunt, sed ut portes Christum, quem offert tibi Deus Pater omni die in altaris Sacramento; et nos spiritualiter debemus eum sumere, et si non quotidie sumimus Sacramentum altaris, debemus tamen portare in ulnis nostris iuxta cor nostrum per amorem, ut tandem perveniamus ad apertam eius visionem, ad quam nos perducat Christus Dominus noster.

Exemplum in V. Maria.

Imitare Simeonem.

Collatio.

Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.

Prothema

Nihil reüciendum est, *quod cum gratiarum actione percipitur; sanctificatur enim per verbum Dei et orationem*, primae ad Timotheum quarto [5].

Et loquitur Apostolus de esu eiborum materialium, dicens, quod habent per orationem sanctificari. Manifestum est, quod omnes boni morigerati praemittunt benedictionem ante comestionem; et vellem, quod omnes consuetudinem istam haberent, saltem quod dicerent Pater noster et facerent signum crucis, (et) non accederent ad cibos carnis, sicut faciunt bruta animalia. Exemplum ad hoc [6], quod in quadam moniali intravit diabolus cum lactuca, et postea quidam homo, compatiens illi moniali, quaesivit a diabolo, qui eam intraverat, quomodo intraverit, quare et quomodo ausus fuerit intrare famulam Dei omnipotentis. Et respondit diabolus: « Ego sedebam super

Exemplum.

[1] Libr. V. de Vitis Patrum, libellus quintus de fornicatione n. 37.

[2] Cap. 31, 12; dein respicitur IV. Reg. 25, 9.

[3] Epist. I. c. 1, 14; sequitur Lev. 11, 44.

[4] Eccli. 30, 24.

[5] Vers. 4. seq. Hoc prothema deest in cod. Trecensi.

[6] Sic narrat S. Gregor., I. Dialog. c. 4. de S. Equitio.

unam lactucam, et ipsa momordit me. Quid mali feci » ? In quo notavit Sanctus, quod irruerat in lactucam illam, non facto signo crucis, et fecit suis orationibus exire diabolum ab ea; in quo datur nobis exemplum, quod non debemus statim irruere in cibum sicut bestiae, sed debemus reverti ad hominem interiorem et praemittere orationem ante ciborum sumtionem. Si igitur debet oratio praemitti ante refectionem carnis, quanto magis ante refectionem mentis! Et si cibus carnis per orationem sanctificatur, multo magis cibus mentis per orationem impetratur et sanctificatur. Inde est, quod semper in omnibus praemittitur oratio. Ideo rogabimus Dominum, ut istud residuum sermonis nostri hodierni det nobis dicere ita, quod sit ad honorem sui nominis et ad animarum nostrarum aedificationem.

Una oblatione etc.

Dicebatur vobis hodie, quod in hoc verbo explicatur nobis *materia* et *causa* praesentis solemnitatis; et *materia* duplex: *oblatio* Proiis et *purificatio* Matris; *causa* duplex: una est *consummatio legalium* hostiarum, et altera *initiatio purificationum* spiritualium. Propter hoc illa voluit offerre et ille offerri. Dictum est etiam, quod decebat, Virginem esse omnis sanctificationis *formam* et *exemplar* propter quatuor, quae dicta sunt; et cum hoc fuit forma omnis sanctificationis *nostrae* in hoc, quod praesentavit Filium suum in templo materiali; in quo notatur, quod, si volumus sanctificari, oportet, quod simus *templum Dei*, quod fit quatuor modis, ut dictum est. Modo restat videre, quomodo ad *hanc sanctificationem pervenire possimus*, quod simus templum Dei. Salomon aedificavit templum Dei [1]; si quaeras, qualiter illud sanctificavit, et qualiter te ipsum debes sanctificare, audi de ista sanctificatione quod dicitur in veteri Testamento, quod fuit praemissum ante novum, non pro nihilo, quia multa significata sunt ibi, quae debent fieri in novo Testamento. Dicitur enim in veteri Testamento, quod quaedam sanctificabantur *lavacro*, quaedam *unguento*, quaedam *voto*, quaedam *sacrificio*. Et sic in novo quaedam sanctificantur *lavacro* compunctionis amarae; quaedam, *unguento* gratificationis iucundae; quaedam, *voto* professionis austerae; quaedam, *sacrificio* aemulationis invictae.

De primo modo sanctificationis habetur in libro Numerorum [2]: *Quidquid ignem non potest sustinere, aqua expiationis sanctificabitur.* Aqua ista fiebat, sicut ibidem dicitur, ex mixtione aquae cum cineribus vitulae rufae, extra castra combustae, quia virtute Spiritus sancti habet contritio aquam in abiutionem et sanctificationem, id est gratiam Spiritus sancti, quia contritio et recogitatio peccatorum debet iungi cum cineribus vitulae rufae, hoc est cum memoria passionis dominicae. Unde Apostolus ad Hebraeos [3]: *Si sanguis hircorum et taurorum et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo* etc. Iungas ergo memoriam et recordationem peccatorum tuorum cum cineribus vitulae rufae, hoc est cum memoria passionis dominicae, et incipe plorare, et sic expiari et sanctificari poteris; sicut faciebat David, qui dicebat: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo;* et statim sequitur: *Turbatus est a furore oculus meus; a furore*, hoc est ab indignatione peccatorum meorum, *turbatus est oculus meus*, prorumpens in lacrymas. Si cogitaret bene homo, quod Filius Dei pro peccatis suis sanguinem suum sparsit; multum doleret et fleret de hoc, quod peccavit; sic igitur debemus lavari, ut mundi simus. — Et est attendendum, quod multi lavantur, sed munditiam suam non custodiunt, sed cito eam peccando perdunt; contra quos Isaias [4]: *Lavamini, mundi estote.* Quid prodest, homines lavari et statim inquinari? in Ecclesiastici trigesimo quarto: *Qui baptizatur a mortuo et iterum tangit eum, quid prodest lavatio illius?* Non dico, quod non sit bonum confiteri et assuescere se ad bona opera, licet homo recideret in peccatum; sed si videt, ad habendam vitam aeternam talis munditia non (valet, nisi) sit conservata. Et est notabile quod dicit: *Quidquid ignem sustinere non poterit*, quia aliqua sunt peccata, quae sic non oportet expiare, quia statim ab igne caritatis in perfectis hominibus absorbentur. Quando enim viri perfecti aliquod veniale committunt, statim consumitur sicut gutta aquae in camino; sed non sic est de peccato mortali, quia non habet talem ignem. Legitur [5], quod antiquitus sacerdotes et Levitae absconderunt ignem de altari in quodam puteo et postea foderunt ibi et non invenerunt ignem, sed *aquam crassam*, quam posuerunt super sacrificia et holocausta, et totum combussit. In quo significatur devotio lacrymosa ex compunctione procedens, quae omnia peccata consumit. Hic est *ignis*, qui debet in *altari ardere*, hoc est in intimo cordis humani.

Secundo debemus sanctificari *unguento gratificationis* iucundae; de quo dicitur in Exodo [6]: *Assumto unctionis oleo, unges tabernaculum cum vasis suis, ut sanctificentur.* Istud unguentum est unum de magis pretiosis et sacratissimis rebus, quae erant in veteri Testamento. Erat enim factum istud unguentum ex *oleo* olivarum cum *myrrha, cinnamomo, calamo* et *casia*. Attende, quod Scriptura sacra dat intelligere per *oleum* gratiam exhilarantem, quae intrat animam serenam et iucundam; Psalmus [7]: *Ut exhilaret faciem in oleo.* Sed perfecta gratia intrat per oleum iunctum cum praedictis, cum

Expetitio.

Contra eos qui custodientes munditiam.

De modo secundo.

[1] Respicitur III. Reg. c. 5. et 6. et c. 8, 63. seqq.
[2] Cap. 31, 23. et dein respicitur c. 19, 9.
[3] Cap. 9, 13. 14; sequitur Ps. 6, 6. 7.
[4] Cap. 4, 16; sequitur Eccli. 34, 30.
[5] Libr. II. Mach. 1, 19. seqq. et respicitur Lev. 6, 12.
[6] Cap. 40, 9; respicitur c. 30, 23. seqq. [7] Psalm. 103, 16.

cum myrrha et aliis. *Myrrha* praeservat a putrefactione corpora mortuorum et designat munditiam carnis, quae reprimit motus e carne surgentes quasi vermes; *cinnamomum* aufert tenebrositatem oculo; et *calamus* valet ad confortationem cordis; *casia* valet ad purgationem sanguinis et purgat mundificando. Modo per *oleum* significatur gratia mentem exhilarans. — Dionysius vero dicit [1], quod tres sunt (actus) hierarchici, scilicet *illuminare, purgare, perficere*; et *illuminatio* est medius actus. Per illa igitur quatuor intelligitur gratia ut *mundans* et purificans in *Sacramentis*, et haec munditia intelligitur in *myrrha*; per *cinnamomum* intelligimus gratiam *illuminantem* in *donis*; per *calamum* intelligimus gratiam *perficientem* et sursum agentem in *beatitudinibus*; per *casiam* intelligimus gratiam *universaliter regentem* in septem virtutibus, et haec est universalis iustitia. Et ista consurgunt in numerum vigesimum octavum, quia septem Sacramenta, septem dona, septem beatitudines et septem virtutes faciunt viginti octo, qui est numerus secundo perfectus [2]; quia sicut Deus in senario, qui est numerus primo perfectus, fecit perfectionem rerum primam, quantum ad *esse* primum scilicet; sic in vigesimo octavo fecit secundam perfectionem, gratiae scilicet, hoc est perfectionem quantum ad secundum *esse*, et sic Spiritus sanctus mirabiliter ordinavit. — Et dicitur ibi [3], quod debent esse in unguento illo *quingenti sicli de myrrha et medietas de cinnamomo*; quingenti sicli sunt decies quinquaginta, denarius vero significat perfectam exercitationem in praeceptis, quia *denarius* omnes numeros continet in se. *Quinquagenarius* est numerus Spiritus sancti, quia quinquagesimo die datus est Spiritus sanctus, et annus quinquagesimus est annus iubilaeus, id est annus remissionis; in hoc ergo significatur perfecta exercitatio in gratia per numeros iam dictos; per quinquies quinquaginta, semiplena per medietatem; quia *perfecta* exercitatio debet esse in nobis ad habendam munditiam; *semiplena* ad habendam scientiam et notitiam; et cum iam dicta assumat, tunc additur oleum gratiae, et oleo isto debet inungi pontifex, quia debet habere perfectionem omnis gratiae, et ab ipso debet descendere in alios, ut sit *sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron* [4]. — Sed videte, quid dicitur in Ezechielis vigesimo octavo praelato: *In iniquitate negotiationis tuae polluisti sanctificationem tuam; negotiator* est praelatus, qui libenter ingreditur, quia pingue est beneficium, et causa lucri, non pro salute animarum; vel quando plus circa temporalia negotia intendit quam circa spiritualia. Talis perdit requiem et sanctificationem cordis; non potest haberi sanctitudo mentis nisi in requie mentis; ideo debent omnes, quotquot sunt, exercere se ad sanctificationem mentis. Istud est unguentum sacratissimum, quo debent ungi capita nostra, hoc est mentes nostrae. Christus fuit unctus, quia Christus interpretatur unctus; et tu humiliter debes inungi isto unguento descendente a Christo, capite tuo; istae sunt divitiae Christi, si repleat te gratia ista septemplici. Sed non curamus nisi de negotiatione, quasi circa omnia ut negotiatores simus; etiam litteras ad negotiationem addiscimus, vel ut lucremur, sicut faciunt qui student in scientiis lucrativis, vel ut aliquid sciant, ut appareant in hoc mundo.

Tertio sanctificabatur homo *voto*, sicut nunc sanctificatur homo voto professionis austerae. De hoc habetur in libro Numerorum [5]: *Vir, sive mulier, cum fecerint votum, ut sanctificentur, et se voluerint Domino consecrare, a vino et omni, quod inebriare potest, abstinebunt.* Per *vinum* et per poculum inebrians intelligitur omne illud, quod potest praebere fomentum amori libidinoso, a quo oportet se abstinere qui vult esse sanctus. « Libido est amor earum rerum, quas potest quisque invitus amittere », secundum Augustinum [6]. — Igitur Nazaraeus debet se abstinere ab omni amore creaturae inordinato, sive illud sit bonum interius, sive exterius, ut sunt honores et dignitates, et se humiliare et spiritualiter castrare, carnem propriam macerare contra carnalitates, sive sit bonum temporalis fortunae, a quo debet se depauperare; et hoc est quod dicit Paulus secundae ad Corinthios septimo [7]: *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis*, quod facit qui corpus suum sanctificat et mundum custodit, *et spiritus*, quod facit qui *superbiam*, quae est *initium omnis mali*, fugit et vitat; *perficientes sanctificationem in timore Dei*, quod facit qui cavet sibi ab avaritia. Augustinus dicit, quod « omne germen habet vermem suum » corrodentem et consumentem. Vermis divitiarum est superbia. Ergo oportet elongari ab istis qui vult superbiam vitare. Verum est, dices, quod elongatio ista debet esse quantum ad *affectum*, non quod homo omnia dimittat et nihil habeat. Certe, vix possunt tangi, quin inquinent. Bernardus: « Lutosa est nostra substantia »; ergo maculat tangentem. — Verum est, dices tu, de patrimonialibus divitiis, non de divitiis Ecclesiae, quia enim Deo dedicatae non maculant nec inquinant possidentem, (sed) sanctificatae sunt: ergo saltem istas possumus habere et concupiscere. Dico, quod non macularent, si non possent amari; dicere enim tibi: Non diligas divitias patrimoniales, sed ecclesiasticas, est, ac si diceretur tibi: Non diligas mulierem saecularem, sed monialem; et cum utraque est peccatum mortale et maius cum moniali; sic in dilectione et tenacitate divitiarum ecclesiasticarum.

Tres actus hierarchici.

Numerus vigesimus octavus.

De numero quingenti.

Contra malos praelatos.

De sexto tertio se sanctificatio

Admonitio

Quaestio vitor

[1] De Caelesti Hierarch., c. 3. § 2. et c. 10.
[2] Cfr. Bonav., l. Sent. d. 2. q. 4. scholion.
[3] Exod. 30, 23. seqq.
[4] Psalm. 132, 2; sequitur Ezech. 28, 18.
[5] Cap. 6, 2.
[6] Libr. I. de Lib. Arb. c. 4. n. 10.
[7] Vers. 1. et respicitur Eccli. 10, 15. — Sequuntur Augustinus, Serm. 61. (alias 5. de Verb. Dom.) c. 9. n. 10. et Bernard., Declamat. (inter opera), c. 2. n. 2.

Quarto modo sanctificatur homo *sacrificio aemulationis invictae*, de qua dicitur in Iob [1], quod *cum in orbem transissent dies convivii, mittebat ad eos Iob et sanctificabat illos, offerens holocausta pro singulis.* Holocaustum est sacrificium totum incensum, quod (offertur) de animalibus mundis occisis et concrematis; et significabant ista sacrificia mortem Domini nostri Iesu Christi, per quam est sanctificatio omnium. Sicut igitur Iob sanctificabat filios suos offerendo pro singulis, sic et tu debes *sanctificare* te ipsum hostiam vivam per fidem, occisam per carnis mortificationem, sed concrematam incendio pii amoris. — Sed ecce, pervenimus iam ad secundum principale, quod est de *oblatione;* habitum est enim iam de *purificatione* et *sanctificatione.*

Delendo quarto.

II. Nunc videamus aliquid de *oblatione.* Quid voluit sibi Dominus ludere cum hominibus, ut praeciperet, quod sibi offerent talia animalia: nunc *par turturum*, nunc *duos pullos columbarum* [2], nunc *agnum*, nunc *vitulum*? Quid sibi vult hoc? Carissimi, non despiciamus ista, quia beata Virgo Maria ista non despexit, sed pro sua purificatione, qua tamen non indigebat, secundum Legem ea obtulit.

II. De oblatione.

Videte, in toto veteri Testamento non leguntur facta fuisse sacrificia nisi de sex generibus animalium et non plus, scilicet de *bobus, capris, ovibus,* de *passeribus, turturibus* et *columbis;* tria de animalibus gressibilibus et tria de volatilibus. Sub *bove* comprehendo vitulum et vitulam et quae pertinent ad speciem bovis; sub *capra*, hoedum, hircum; sub *ove*, arietem, agnum et talia. Quid hoc significat? — Videte, quomodo Deus per ista parvula manuducit nos ad sapientiam magnam. Certum est, quod Deus creavit hominem innocentem, sapientia praeditum et rectum. Certum est etiam, quod non est ei inflicta poena mortis nisi propter peccatum suum, quia mors poena est, et non est poena ante culpam; igitur si stetisset homo in eo quod acceperat a creatione sua, nullum animal immolaret, nec pro eo Filius Dei moreretur, cuius mors et passio per sacrificia veteris Legis designatur. Sed postquam peccavit homo, non potuit ad plenum reconciliari nisi per mortem Filii Dei praefiguratam in diversis sacrificiis veteris Legis. Homo igitur in statu innocentiae in sua prima creatione habuit *sagacitatem* in ingenio, *rectitudinem* in iudicio, *benignitatem* in affectu sive in anima, *strenuitatem* in actu, *sobrietatem* in victu, *mansuetudinem* in convictu. Manifestum est, quod homo dicitur [3] « animal mansuetum natura », et hoc est proprie proprium eius. Tres primae conditiones sunt in homine *interiori*, aliae in homine *exteriori;* et sicut homini interiori competit *contemplatio*, quae intelligitur per avem volatilem; sic homini exteriori competit *actio*, quae per animal gressibile intelligitur.

ge sacfacta
it hoplur
ra aoilium
nium.

ui huios
dilocis.

lapsum habuit
prietatem eteriora 3 exiores.

Cum igitur peccavit homo, non intellexit dignitatem suam, in qua conditus fuerat, secundum illud Psalmi [4]: *Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus* etc. *Similis factus est* brutis et in necessitate moriendi, quia necessario moritur sicut brutum, et etiam in brutalitate vitiorum, quia per peccatum devenit a sagacitate ingenii ad *hebetudinem;* a rectitudine iudicii, in *curvitatem;* a benignitate, in bestialem *feritatem;* a strenuitate actus, in *segnitiem;* a sobrietate victus, in *voracitatem* bestialem; a mansuetudine in convictu, in bestialem *atrocitatem;* et nunquam, sic existens in bestialitate, potest placere Altissimo. Ergo oportet ad hoc, quod placeat Altissimo, quod exterminet in se omnem brutalitatem et revocet in se rationalitatem sive conditiones hominis prius positas. Et quia non potest redire ab *hebetudine* in sagacitatem nisi per *vigilantiam;* a *curvitate iudicii* ad rectitudinem nisi per *simplicitatem;* nec a bestiali *feritate* in benignitatem nisi per *amicitiae virtutem* et per benevolentiam; nec a *segnitie* in strenuitatem nisi per *obedientiae promptitudinem;* nec a *voracitate* in sobrietatem nisi per *asperitatem parsimoniae* [5]; nec a bestiali *atrocitate* in mansuetudinem nisi per *patientiae tractabilitatem;* et hoc significatur per praedicta animalia: ideo talia animalia inssa sunt ei offerri in Lege. — Dico, quod non potest redire ab hebetudine in sagacitatem nisi per *vigilantiam;* et hoc cernitur in *passere;* unde Psalmus [6]: *Vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto;* et alibi: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium*, hoc est ab errore haereticorum, qui venantur homines, ut seducant et in errorem trahant. Inde est, quod in purificatione leprosi offerebatur passer. *Lepra* propter varietatem colorum significat varietatem doctrinae haereticorum, a qua non liberantur, nisi *passerem* offerunt, hoc est, qui vigilantes et diligentes sunt contra astutiam haereticorum. — Item, non transit homo a curvitate iudicii in rectitudinem nisi per *simplicitatem innocentiae*, quae per *columbam* significatur; in Matthaeo [7]: *Estote simplices sicut columbae.* Vis igitur habere rectitudinem iudicii? Habeas simplicitatem intentionis, intendens tantum ad Deum, non ad mundum per alicuius amorem aut odium. — Item, non transit homo a bestiali feritate in benignitatem et benevolentiam nisi per *virtutem amicitiae*, quae per *turturem* designatur, quae semper comparem sum diligit, sive praesentem sive absentem, sive mortuum sive vivum, in tantum, quod si aliquando caret illo, nunquam alium quaerat nec habeat. Idem est, quod in laudem

Post lapsum devenit idem in 6 vitia.

Media 6 ad sanandum.

Quae significantur per sex genera animalium.

Quoad primum.

Quoad secundum.

Quoad tertium.

[1] Cap. 1, 5.
[2] Lev. 12, 8. et c. 9, 3.
[3] Vide supra pag. 262, notam 2.
[4] Psalm. 48, 21.
[5] Partem verborum in primo codice abscissam supplevimus ex cod. Trecensi.
[6] Psalm. 101, 8; sequitur Ps. 123, 6.
[7] Cap. 10, 16.

Ecclesiae, aut fidelis animae dicitur in Canticis [1]: *Pulcrae sunt genae tuae sicut turturis*, propter virtutem amicitiae et benevolentiae. Ideo beata Virgo obtulit par turturum, quia duplex requiritur caritas et benevolentia in homine: una ad Deum, alia ad proximum. — Item, non transit homo a segnitie in strenuitatem nisi per *promptitudinem obedientiae*, quae significatur in *bove*, qui assuetus est iugo et portat iugum et ad sulcandum et ad operandum; sic homo bonus debet portare libenter iugum Domini et obedire ei, et in sulcando corda audientium vomere praedicationis et doctrinae et in operando, dando bona exempla proximis ad aedificationem eorum, quia plus movent exempla quam verba. — Item, non transit homo ab ingluvie ad sobrietatem nisi per *parsimoniam abstinentiae*, quod intelligitur in *capra*, quae est aspera et asperis utitur et in asperis quiescit, non quaerit nisi terram nudam [2]..... Dicitur sponsae in Canticis [3]: *Capilli tui sicut greges caprarum*, et sunt illae cogitationes et affectiones, quae exeunt a mente et prodeunt sicut capilli a capite (et) sunt *sicut greges caprarum* propter asperitatem victus et sobrietatem. Item, quia, sicut capra faciliter ascendit ad montana, sic qui habent asperitatem vitae faciliter ascendunt ad intuenda caelestia cognitione et affectione. — Item, non transit homo a ferali atrocitate ad humanam mansuetudinem nisi per *tractabilitatem patientiae*, quod intelligitur in *ove*, quae est animal patientissimum, non laedit pede, non mordet dentibus, omnia patienter sustinet; ideo de Christo [4]: *Sicut ovis ad occisionem ducetur;* et in Matthaeo: *Ecce, ego mitto vos sicut oves in medio luporum*, quasi dicat: Videatis, quod vos habeatis patientiam ad modum ovis et omnia patienter sustineatis. — Sic igitur per ista sex reducitur homo ad statum debitum et sic placet Altissimo et sic potest ad vitam aeternam pervenire, ad quam etc.

Quoad quartum.

Quoad quintum.

Quoad sextum.

Sermo III [5].

Ut perfecerunt omnia secundum Legem Domini, reversi sunt in Galilaeam, Lucae secundo [6].

Introductio.

Describens beatus Lucas solemnitatem purificationis beatae Virginis, post plenitudinem narrationis in fine subiungit praemissum verbum ad modum conclusionis, in quo satis notabiliter datur intelligi sublimitas praesentis festivitatis, quae recte pro sui nobilitate appellari potest perfectio Legis ex nomine singulari [7]. Ante enim hanc oblationem Lex neminem perficiebat propter defectum veritatis, iuxta quod dicitur ad Hebraeos septimo [8]: *Nihil ad perfectum adduxit Lex.* Ratio huius redditur ad Hebraeos decimo: *Umbram enim habens Lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere.* A nemine etiam perficiebatur propter *obligationem necessitatis* et *defectum virtutis;* nam Deuteronomii vigesimo septimo: *Maledictus homo, qui non permanet in sermonibus Legis huius nec eos opere perficit.* Unde Actuum decimo quinto [9] dixit Petrus: *Nunc ergo, quid tentatis Deum, imponere iugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus?* Et ideo ad Galatas tertio: *Quicumque ex operibus Legis sunt, sub maledicto sunt.* — Sed beata Virgo non maledicta, sed benedicta fuit; et ideo *perfecit omnia secundum Legem* propter oblationem *ipsius Christi*, Filii sui, per omnes oblationes figurati; unde poterat ei competere illud ad Hebraeos decimo: *Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Obtulit enim *Christum*, in quo est omnis legalis oblationis impletio, secundum illud ad Romanos [10]: *Finis Legis, Christus, ad iustitiam omni credenti.* Perfecit etiam omnia per oblationem *libertatis;* ipsa enim non fuit sub obligatione Legis; primae ad Timotheum primo: *Lex iusto non est posita*, intelligendo per se; et beata Virgo absque omni peccato concepit; non ergo tenebatur ad legem purificationis. Quoniam ergo non fecit timore necessitatis, sed amore caritatis, ideo Legem perfecit, sicut dicitur ad Romanos decimo tertio: *Plenitudo Legis est dilectio.* — Et hoc potissime de lege purificationis debet intelligi; si enim purificatio non impositor nisi immundis, patet, quod non erat astricta legi humanae beata Virgo, et hoc exprimit legislator Levitici duodecimo [11]: *Mulier, si, suscepto semine, pepererit masculum, immunda erit septem diebus* etc. Quoniam ergo concepit non ex virili semine, exempta erat omnimode ab hac lege. Dum ergo huic legi humiliter se subiecit, secundum illud Matthaei tertio: *Sic decet nos implere omnem iustitiam*, id est humilitatem, omnia secundum Legem implevit propter oblationem veritatis, offerentis caritatem et disponentis humilitatem. Ad perfectam ergo Virginis laudem, notandum, quod commendatur in verbo proposito quantum ad perfectionem vitae *activae* et *contemplativae*. Primum, ibi: *Ut perfecerunt omnia secundum Legem;* secundum, ibi: *reversi sunt in Galilaeam*, quae *transmigratio* interpretatur. Transmigrant enim contemplativi, cum,

Ratio de plen.

Ecclesia beata V. Maria.

Valet po sime de la purificat cio.

Divisio.

---

[1] Cap. 1, 9.

[2] In cod. Parisiensi litterae detritae sunt, et plures lineae legi non possunt, nec lacuna potest suppleri ex breviore textu cod. Trecensis, qui tantum exhibet: *quia semper in duricoribus cubat et pascit.*

[3] Cap. 4, 1.

[4] Isai. 53, 7; sequitur Matth. 10, 16.

[5] Ex cod. Monacensi W fol. 193 v., qui est collatus cum cod. Tudert. saec. XIV. n. 182. fol. 163 v. Eiusdem sermonis satis conveniens schema cum nomine *Bonaventurae* impressum est supra pag. 176, ut sermo 6. in festo Epiphaniae.

[6] Vers. 39.

[7] Verba *ex nomine singulari* omittuntur in cod. Tudert.

[8] Vers. 19; sequuntur c. 10, 1. et Deut. 27, 26.

[9] Vers. 10; sequuntur Gal. 3, 10. et Hebr. 10, 14.

[10] Cap. 10, 4; sequuntur 1. Tim. 1, 9. et Rom. 13, 10.

[11] Vers. 2; sequitur Matth. 3, 15.

relicto mundo, revertitur *spiritus ad* eum *qui* misit *illum* [1].

I. Sciendum autem, quod lex divina quaedam docet *fugienda*, ut mala culpae; quaedam *facienda*, ut bona viae; quaedam *toleranda*, ut mala poenae; quaedam *exspectanda*, ut bona gloriae. Ideo ad eiusmodi omnimodam perfectionem quatuor sunt necessaria, scilicet perfecta *sanctimonia* in fugiendis, perfecta *obedientia* in faciendis, perfecta *patientia* in tolerandis et perfecta *fiducia* in exspectandis; quae omnia perfecte fuerunt in beata Maria et debent reperiri in qualibet anima sancta ad hoc, ut sit perfecta.

Pars I. Ad actionem activae sunt necessaria.

Diligendis illud Numerorum sexto [2]: *Ista est lex Nazaraei, cum voverit oblationem suam Domino tempore consecrationis suae, exceptis his quae invenerit manus eius, iuxta quod mente devoverat, ita faciet ad perfectionem sanctificationis suae.* Et nos suo modo imitari debemus, iuxta quod habetur secundae ad Corinthios septimo: *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.* — Secundum fecit; propter quod, quarti Regum vigesimo: *Obsecro, Domine, memento, quaeso, quomodo ambulaverim coram te in veritate et in corde perfecto.* Et in hoc imitari debemus (illud) Genesis [3]: *Ambula coram me et esto perfectus;* et (illud) ad Romanos duodecimo: *Ut probetis, quae sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta.* Contra potest dici de aliquibus (illud) secundi Paralipomenon vigesimo quinto: *Fecit bonum in conspectu Domini, verumtamen non in corde perfecto.* — Tertium etiam perfecit ipsa; ad quod hortamur Iacobi quarto [4]: *Patientia opus perfectum habet.* Hoc vere specialiter de ipsa gloriosa Virgine dicitur; unde Hieronymus: « Sicut in comparatione Dei nemo bonus, ita in comparatione Matris Domini nulla invenitur perfecta, quantumcumque virtutum meritis sublimetur ». Poenam autem, in qua perfecte fuit patiens, exprimit Simeon Lucae secundo: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Placebat enim, offerri Filium suum pro eis qui eum crucifigebant et eius Matrem transfodiebant. Et in hoc imitanda est, quia ad Hebraeos decimo [5]: *Patientia vobis necessaria est, ut, voluntatem Dei facientes, reportetis repromissionem;* ad Ephesios sexto: *Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo et in omnibus perfecti stare.* — Quoad quartum competit ei illud Psalmi: *Et sicut luna perfecta in aeternum, et testis in caelo fidelis.* Quod *luna* sit *in aeternum perfecta*, id est semper, est valde mirabile, secundum illud Proverbiorum ultimo [6]: *Mulierem fortem quis inveniet?* etc. De hoc etiam Apocalypsis duodecimo: *Signum magnum apparuit in caelo: Mulier amicta sole;* unita enim fuit perfectissime ipsi Soli institiae, Filio Dei; unde primae Ioannis quarto: *Perfecta caritas foras mittit timorem.* In hoc etiam imitanda est; ad Colossenses tertio [7]: *Super omnia haec caritatem habete, quod est vinculum perfectionis;* Lucae sexto: *Perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius.*

Faciendis bonis.

Tolerandis malis poenae.

Fiducialiter exspectandis bonis gloriae.

II. Ad hoc autem, quod anima *contemplativa* recurrat in Deum, a quo exivit, necesse habet quadrupliciter *reverti:* primum, per *scrutinium conscientiae;* secundo, per *obsequium reverentiae;* tertio, per *intuitum* supernae *sapientiae;* quarto, per *amplexum* divinae *praesentiae.* Primum praeparat mentis tranquillitatem; secundum honorat Patris maiestatem; tertium considerat Filii veritatem; quartum degustat Spiritus sancti suavitatem; Canticorum sexto [8]: *Revertere, revertere, Sulamitis, revertere, revertere, ut intueamur te,* ubi quater dicit *revertere.* — De primo, Threnorum tertio: *Scrutemur vias nostras et quaeramus et revertamur ad Dominum;* et Ieremiae trigesimo primo: *Statue tibi speculam,* contemplare etc.; et infra: *Revertere, virgo Israel, revertere ad civitates tuas.* — De secundo, Iob trigesimo octavo [9]: *Nunquid mittes fulgura, et ibunt et revertentia dicent tibi: Adsumus? Quis posuit in visceribus hominis sapientiam, vel quis dedit gallo intelligentiam?* Et tangit ibi desiderium assistendi coram Deo; Tobiae duodecimo: *Tempus est, ut revertar ad eum qui me misit.* De hoc etiam obsequio dicitur Apocalypsis septimo: *Et omnes Angeli stabant in circuitu throni.* — De tertio, Ezechielis primo [10]: *Animalia ibant et revertebantur* etc. — De quarto, Iob vigesimo secundo: *Si reversus fueris ad Omnipotentem, aedificaberis et longe facies iniquitatem a tabernaculo tuo.* Haec autem reversio fit per amorem filialem; Lucae decimo quinto: Ipse *in se autem reversus dixit: Quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus!* Omnis enim delectatio terrena amaritudo est et egestas, per quam anima compellitur redire ad Deum, qui *dat osculum* [11] et *occidit vitulum saginatum*, iuxta illud Ioannis: *Per me si quis introierit, salvabitur et ingredietur et egredietur et pascua inveniet.*

Pars II. Ad perfectionem vitae contemplativae quadrupliciter reverti ad Deum.

De primo.

De secundo.

De tertio.

De quarto.

Sermo IV [12].

Statim veniet ad templum sanctum *suum Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis,* Malachiae tertio [13].

---

[1] Respicitur Eccle. 12, 7.

[2] Vers. 21; sequuntur II. Cor. 7, 1. et IV. Reg. 20, 5.

[3] Cap. 17, 1; sequuntur Rom. 12, 2. et II. Par. 25, 2.

[4] Vers. 4; sequuntur auctor serm. de Assumt. B. M. V. ad Paulam et Eustoch. (inter opera Hieron.) n. 16. et Luc. 2, 35.

[5] Vers. 36; sequuntur Eph. 6, 13. et Ps. 88, 38.

[6] Cap. 31, 10; sequuntur Apoc. 12, 1. et 1. Ioan. 4, 18.

[7] Vers. 14; sequitur Luc. 6, 40.

[8] Vers. 12; sequuntur Thren. 3, 40. et Ier. 31, 21.

[9] Vers. 35. seq.; sequuntur Tob. 12, 20. et Apoc. 7, 11.

[10] Vers. 14; sequuntur Iob 22, 23. et Luc. 15, 17.

[11] Respicitur Luc. 15, 20. 23; sequitur Ioan. 10, 9.

[12] Ex eodem cod. W fol. 193. v., codd. Tudert. n. 182. fol. 201 v. et n. 168. fol. 10. v.

[13] Vers. 1.

Introductio.

In verbo praemisso promittit Propheta adventum Christi ad templum de propinquo futurum, secundum quod hodierna die fuit impletum. Et quoniam hic adventus utilis non est nisi quaerentibus ipsum sollicite et desiderantibus devote; ideo ipsum describit dupliciter: primum, ut *sollicite quaesitum*, cum dicit: *Statim veniet ad templum* sanctum *suum Dominator, quem vos quaeritis;* secundo, ut *devote desideratum*, cum subdit: *et Angelus testamenti, quem vos vultis. Quaeritur* autem Christus per fidem et *desideratur* per caritatem; et illis solis prodest adventus Christi, qui habent *fidem per dilectionem operantem* [1], mediante qua ipsi Christo tanquam capiti sunt compaginati, qui merito dicuntur *filii Dei*, et propter quos sanctificandos summus Sacerdos Christus ad templum venit.

Templum et adventus ad templum intelliguntur quatuor modis.

Adventus autem Christi ad templum multiformiter habet intelligi, secundum multiformem intellectum *templi* [2]. Nomine etenim *templi* secundum *litteram* intelligitur basilica materialis; secundum *allegoriam* vero, uterus virginalis; secundum *tropologiam*, anima fidelis; secundum *anagogiam* vero, Ierusalem caelestis; et secundum istum quadriformem intellectum exponi potest verbum praedictum.

De primo modo intelligendi. Quadruplex causa veniendi ad templum.

Causa prima.

Primo namque secundum *litteram* venit Christus corporaliter ad templum *basilicae materialis* in Ierusalem quadruplici ex causa, scilicet ad Legem *exsequendam, exquirendam, aemulandam* et *explicandam;* et hoc secundum quadruplicem veritatem, scilicet *vitae, notitiae, institiae* et *doctrinae*. — Primo igitur venit Christus ad templum ad Legem *exsequendam*, secundum illud Lucae secundo [3]: *Venit Simeon in Spiritu in templum, et cum inducerent puerum Iesum parentes eius, ut facerent secundum consuetudinem Legis pro eo; et ipse accepit eum in ulnas suas.* Consuetudo namque Legis erat, quod primogenita Deo offerebantur, et oblata redimebantur; et haec consuetudo duravit et durare debuit, usquequo ille venit, in quo *oblatio* et *redemptio* habuit perfici et impleri. *Oblatio* autem primogeniti perfecta non est, quousque offeratur ille qui est *primogenitus* simpliciter, nec *redemptio*, quousque redimatur ille qui est *liber* simpliciter. Hic autem est ille qui nulli subest, sed aequalis est Deo Patri, *primogenitus ante omnem creaturam* [4]. In hoc igitur solo fuit Lex expleta quantum ad figuras et promissa; fuit etiam impleta quantum ad praecepta ob perfectissimam obedientiam. Cum enim in nullo esset subiectus Legi, voluit tamen servare Legis consuetudinem, ut exemplum daret obedientiae, secundum quod in Matthaei tertio dicit ad Ioannem Baptistam:

Secunda.

Sic decet, nos implere omnem iustitiam. — Secundo venit ad templum ad Legem *exquirendam*, secundum illud Lucae secundo [5]: *Factum est post triduum, invenerunt illum in templo, sedentem in medio doctorum, audientem illos et interrogantem eos;* ut daret nobis formam et ostenderet, quod lex Dei ab ipsa pueritia est exquirenda, secundum illud Psalmi: *Legem pone mihi, Domine* etc. Datur etiam in hoc forma, ut nullus audeat prius docere quam discere, non a quibuscumque, sed a doctoribus veritatis. *Invenerunt* enim *eum in templo* non docentem, sed *audientem et interrogantem;* et hoc est, ad quod adhortatur Sapiens bonum adolescentem, Ecclesiastici trigesimo secundo: *Auli tacens, et pro reverentia accedet tibi bona gratia. In multis esto quasi inscius et auli tacens simul et quaerens.*

Tertia.

Tertio venit ad templum ad Legem *aemulandam*, secundum illud Ioannis secundo [6]: *Ascendit Iesus Ierosolymam et invenit in templo vendentes boves et oves et columbas. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo* etc.; et in alio Evangelio dicitur, quod *cathedras vendentium columbas evertit.* Zelus enim Legis maxime attenditur quantum ad cultum Dei. Nihil antem magis repugnat divino cultui quam *domum* orationis *facere domum negotiationis*, et maxime illius negotiationis, in qua spiritualia venduntur pro temporalibus, quibus Dominus potissime minatur, quia donum gratiae vendunt, quod, sicut est *gratis acceptum*, ita est *gratis dandum* [7]. Et in hoc dat formam, ut ad templum debeamus venire ad orationem, non ad negotiationem, secundum quod dicitur Actuum tertio: *Petrus et Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam*, ubi ipse Petrus pauperi petenti eleemosynam respondit: *Argentum et aurum non est mihi;* ubi satis ostendit, quod ad templum trahebatur amore gratiae, non amore pecuniae. — Quarto ascendit ad templum ad Legem *explicandum*, secundum illud Ioannis septimo [8]: *Die festo mediante, ascendit Iesus in templum et docebat, et mirabantur Iudaei.* Per hoc insinuatur, quod diebus festivis vacandum est divinae legis doctrinae. Nullus enim est idoneus ad divinam legem explicandam et intelligendam nisi per Sabbati observantiam, per quam quiescat a culpa et omni affectione terrena. Unde hic quartus ascensus tribus praecedentibus debet esse coniunctus. Nullus enim potest esse doctor legis perfectus et explanator, nisi prius fuerit legis factor et exquisitor et aemulator, secundum quod dicit ille magnus Doctor: *Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum.* Et ideo voluit Dominus Legem docere in tempore sancto, videlicet in Sabbato, et in loco sancto, scilicet in templo, ut ostendat,

Quarta.

[1] Respicitur Gal. 5, 6.

[2] De septemplici *templi* significatione cfr. supra pag. 176 col. II.

[3] Vers. 27. seq.

[4] Respicitur Coloss. I. 15: *Primogenitus omnis creaturae.* — Sequitur Matth. 3, 15.

[5] Vers. 46; sequuntur Ps. 118, 33. et Eccli. 32, 9. 12.

[6] Vers. 13. 14. 15; sequuntur Matth. 21, 12. et Ioan. 2, 16.

[7] Respicitur Matth. 10, 8; sequitur Act. 3, 1. seqq.

[8] Vers. 14. seq.; sequitur Matth. 5, 19.

quod lex sua non est docenda nisi a viro sancto et iusto. Haec, inquam, dicta sunt de templo iuxta litteram, secundum quod nomine ipsius templi intelligitur basilica materialis.

Secundum *allegoriam* vero nomine templi datur intelligi *uterus Virginis*, in quo tota Divinitas corporaliter habitavit; et ideo recte dicitur Dei templum *fabricatum* divina potentia, *adornatum* divina sapientia, *dedicatum* divina gratia et *adimpletum* divina praesentia. Debetur enim huius templi fabricatio potentiae Patris; adornatio, sapientiae Filii; dedicatio, gratiae Spiritus sancti; adimpletio, praesentiae Verbi incarnati. Cum enim sit « totius Trinitatis nobile triclinium », est tamen Verbi incarnati speciale templum et hospitium. — Est igitur primo Virgo Maria templum *fabricatum divina potentia*, secundum quod insinuat Spiritus sanctus tertii Regum septimo [1], ubi dicitur, quod *perfecit Hiram omne opus regis Salomonis in* templo *Domini*. *Opus* namque *regis Salomonis in* templo *Domini* est assumtio carnis a Verbo in utero virginali, quod opus *Hiram* dicitur *perfecisse;* Hiram enim interpretatur *vigilans plasmationi* et significat Deum Patrem, Creatorem caeli et terrae, qui sua immensa virtute, sicut omnia produxit sine adiutorio virtutis alienae, sic corpus aptavit ipsi Christo in Virginis utero absque humani contactus auxilio seu ministerio; quod bene designatur primi Esdrae quinto, ubi dicitur de templo: *Aedificabatur* domus haec a rege *Israel magno* et fortissimo. Modus autem aedificandi insinuatur tertii Regum sexto [2], ubi dicitur, quod *malleus et securis et omne ferramentum non sunt audita in domo* Domini, *cum aedificaretur*. In quo quidem quid aliud intelligitur, quam quod Virgo Maria facta est templum Filii Dei per omnipotentiam divinae virtutis absque strepitu humanae operationis? secundum illud Psalmi: *Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.* — Est etiam secundo templum *adornatum divina sapientia*, secundum quod de ipsa potest exponi illud primi Machabaeorum quarto [3]: *Ornaverunt faciem templi coronis aureis.* Per *faciem* enim mens intelligitur; per fulgorem *auri*, cognitio; per *coronam* vero aeternitas designatur. Tunc igitur facies templi *coronis aureis est ornata*, quando mens gloriosae Virginis illuminata fuit ad cognoscendum aeterna; scribitur Ecclesiastici vigesimo primo: *Ornamentum aureum prudenti doctrina.* Quoniam ergo Mater Dei fuit Virgo prudentissima, ideo mirabiliter et multipliciter divina Sapientia tanquam *ornamentis aureis* fuit ornata; quod bene designatur tertii Regum sexto, ubi dicitur: *Nihil erat in templo, quod non auro tegeretur;* et paulo post: *Texit quoque Cherubim auro. Et omnes parietes templi per circuitum sculpsit variis caelaturis et torno.* Et hoc est quod scribitur Canticorum primo [4]: *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.*

Est etiam tertio templum *dedicatum divina gratia*, secundum quod insinuatur secundi Paralipomenon septimo [5], ubi dicitur: *Sanctificavit Salomon medium atrii ante templum Domini.* In quo datur nobis intelligi, quod tam copiosa gratia sanctificationis in Virginem descendit, quod non tantum sanctificavit et dedicavit interius in mente, sed etiam exterius in carne, iuxta sermonem Angeli, Lucae primo: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Igne enim divini amoris amplificata et consummata fuit in gratia et *virtute Altissimi obumbrata* et expurgata fuit ab omni concupiscentia. Et hoc est, quod insinuat Spiritus sanctus secundi Machabaeorum secundo, ubi dicitur: *Obtulit Salomon sacrificium dedicationis et consummationis templi.* In cuius sacrificii oblatione *ignis descendit*, et nihilominus nubes templum *implevit*, secundum quod dicitur secundi Paralipomenon septimo [6]; in quo nihil aliud intelligimus nisi *inflammationem* gratiae Spiritus sancti et *obumbrationem* virtutis Altissimi, ex quorum concursu dedicata est Virgo Maria, ut esset idoneum templum Christi. — Postremo Virgo Maria templum est *adimpletum divina praesentia*, iuxta quod dicitur Isaiae sexto [7]: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et ea quae sub ipso erant, replebant templum; Seraphim stabant super illud* etc. Quid est istud quod erat *sub* Domino et *supra* Seraphim *et replebat templum* nisi humanitas Filii Dei? quae replevit sacratissimae Virginis uterum et per consequens universum mundum; ratione cuius dicitur: *Plena* erat *omnis terra gloria eius.* Plenitudo enim, quae fuit in Virgine Maria, redundavit in totam Ecclesiam; propter quod cantat universitas Sanctorum in Psalmo: *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui.* Haec *misericordia* Christus est, quam omnes Sancti desiderabant, clamantes [8]: *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam et salutare tuum da nobis*, id est, Iesum tuum da nobis. Hanc misericordiam *suscepit* hodie Simeon *in ulnas suas in medio templi*, quem Virgo Maria prius susceperat in medio ventris sui. — Et quia miseris non est via egredienti de miseria nisi sola misericordia, ideo confugiendum est ad misericordiam Virginis Mariae tanquam ad portam nostrae salutis; quod designatur Actuum tertio, ubi dicitur, quod *vir claudus ponebatur quotidie ad portam templi, quae dicitur Speciosa. Porta* enim *templi* est misericordia, secundum quod designatur tertii Regum sexto, ubi dicitur, quod rex Salomon *fecit in introitu templi postes de lignis*

secundo intelligendi, e mieri riginalis plo praecantur natoor.

Primom.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Hortatio.

[1] Cfr. supra pag. 638, nota 5. Sequuntur III. Reg. 7, 51. et I. Esdr. 5, 14.

[2] Vers. 7; sequitur Ps. 86, 5.

[3] Vers. 37; sequuntur Eccli. 21, 24. et III. Reg. 6, 22. et v. 28. seq.

[4] Vers. 10.

[5] Vers. 7; sequuntur Luc. 1, 35. et II. Mach. 2, 9. seq.

[6] Vers. 1.

[7] Vers 1. seq. et dein v. 3. et Ps. 47, 9.

[8] Psalm. 84, 7; sequuntur Act. 3, 2. et III. Reg. 6, 33.

olivarum; per *olivam* enim intelligitur misericordia. Et haec porta dicitur *speciosa*, iuxta illud Ecclesiastici [1]: *Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis.* — Haec igitur dicta sunt de templo, secundum quod allegorice dicitur templum uterus virginalis.

De tertio modo intelligendi.

Nunc autem restat considerare templum, in quantum secundum *tropologiam* templum Dei dicitur *anima fidelis*; de quo dicitur Ezechielis quadragesimo tertio [2]: *Tu autem, fili hominis, ostende domui Israel templum, et confundantur ab iniquitatibus suis.* Consideratio enim templi materialis parum prodest ad erubescentiam habendam de peccatis; sed consideratio templi spiritualis, per quam cognoscitur perfectio virtutis, et per oppositionem confunditur deformitas peccati. Sciendum est igitur, quod templum est locus cultus divini; a quo quatuor requiruntur, ut possit in eo Deus debite coli et venerari, scilicet *robur fundamenti*, *culmen aedificii*, *odor sacrificii* et *decor ministerii*. Haec in templo materiali requiruntur materialiter, in templo autem spirituali reperiri oportet spiritualiter. — Debet igitur in templo spirituali primo esse *robur fundamenti*, quod est cognitio firma per *fidem non fictam* [3], secundum illud ad Ephesios secundo: *Superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino.* Super hoc fundamentum stabilitur homo per fidem, quae est *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Unde ipsi articuli fidei sunt quasi quidam lapides fundamentales, quod designatur tertii Regum quinto [4], ubi dicitur: *Praecepit rex, ut tollerent lapides grandes, lapides pretiosos in fundamentum templi*, quia nulla potest esse superaedificatio virtutis, nisi substernatur veritas credendi, assentiendo omnibus articulis fidei, secundum illud Psalmi: *In generationem et generationem veritas tua, fundasti terram, et permanet.* — Secundo debet esse *culmen aedificii*, quod est intentio recta, secundum illud Ecclesiastici quinquagesimo [5], de *Simone, Oniae filio*, viro iusto et sancto: *Altitudo templi ab ipso fundata est, duplex aedificatio et excelsi parietes templi.* Tunc enim est *duplex altitudo* in templo, quando intentio recta nihil *quaerit* nisi *regnum Dei et iustitiam eius*, et per gratiam devenire ad gloriam; hanc intentionem rectam habere non possunt qui sunt mali in manifesto vel in occulto, qui designantur per caecos et claudos; secundi Regum quinto: *Caecus et claudus non intrabunt in templum* etc. *Caecus* enim est qui in tenebris ambulat et nihil quaerit nisi bona praesentia; *claudus* vero est qui incedit duplici via et modo quaerit temporalia, modo quaerit aeterna. Et uterque istorum eiicitur de templo, quia, *si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo*, primae Ioannis secundo [6].

Ad Deum colendum quatuor requiruntur in templo materiali et spirituali.

Robur fundamenti.

Culmen aedificii.

Tertio vero requiritur *odor sacrificii*, qui est affectio pia; de quo in Psalmo [7]: *In tribulatione mea invocavi Dominum, et exaudivit de templo sancto suo vocem meam.* Invocatio enim fit per orationem; « oratio autem », ut dicit Damascenus, « est pius affectus mentis in Deum » directus; et istud est sacrificium, quo placatur Deus in corde nostro tanquam in templo suo. Hoc autem sacrificium potissime offertur per *spiritum contritum et humiliatum* [8], ad quem disponimur per tribulationem; et ideo in Psalmo dicitur: *Invoca me in die tribulationis* etc.; praemiserat enim: *Immola Deo sacrificium laudis.* Hoc est enim duplex sacrificium, quod Deo maxime est acceptum, videlicet compunctio in prece et devotio in laude, ad quorum utrumque excitamur per tribulationem exteriorem, secundum illud Ionae secundo [9]: *Cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum, ut veniat ad te oratio mea, ad templum sanctum tuum.* Ut enim dicit Gregorius: « Mala, quae nos premunt, ad Deum ire compellunt ». — Quarto requiritur *decor ministerii*, quod est conversatio sancta; de quo primae ad Corinthios tertio [10]: *Nescitis, quia templum Dei estis* vos, *et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* Sanctitudo enim conversationis maxime competit templo Dei et violatio pudicitiae maxime repugnat eidem. Corpus enim et cor immundum habitaculum est spiritus immundi; et ideo non potest esse templum Spiritus sancti; et ideo secundae ad Corinthios sexto: *Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus. Idola* ista sunt turpissimae imaginationes, quae sunt in cordibus fornicatorum, in quibus dedignatur habitare Spiritus sanctus; et quia difficile est, cor nostrum a talibus simulacris custodire intactum, ideo cor nostrum cum summa vigilantia tanquam Dei templum est custodiendum. Hoc designatur primi Paralipomenon nono, ubi dicitur, quod *ianitores per gyrum templi Domini morabuntur in custodiis suis, ut, cum tempus fuisset, ipsi mane aperirent fores. Omni enim custodia servandum est cor* nostrum [11], et sensus exteriores servandi sunt et claudendi cum vigilantia summa, ne intret *mors* ad animam *per fenestras nostras.*

Odor sacrificii.

Decor ministerii.

---

[1] Cap. 35, 26.
[2] Vers. 10.
[3] Respicitur I. Tim. 1, 5; sequuntur Eph. 2, 20. seq. et Hebr. 11, 1.
[4] Vers. 17; sequitur Ps. 118, 90.
[5] Vers. 1. seq.; sequuntur Luc. 12, 31. et II. Reg. 5, 8.
[6] Vers. 15.
[7] Psalm. 17, 6; sequitur Damasc., lib. de Fide orthod. c. 24.
[8] Psalm. 50, 19; sequuntur Ps. 49, 15. et dein v. 14.
[9] Vers. 8. — Locus Gregorii habetur XXVI. Moral. c. 13. n. 21, paucis mutatis.
[10] Vers. 16. seq.; sequuntur II. Cor. 6, 16. et I. Par. 9, 27.
[11] Respicitur Prov. 4, 23; sequitur Ier. 9, 21.

De parto modo intelligendo.

Templum divinae complicitatis primo.

Si quis autem in hoc templo recte conversatur, disponit se ad hoc, ut cum Christo veniat ad *templum desideratum*, quod secundum *anagogiam* dicitur Ierusalem superna. Et hoc est templum deiforme per *reverentiam Patris;* de quo in Psalmo [1]: *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.* Nullus enim intrat Ierusalem supernam, qui non habeat maximam reverentiam ad Maiestatem divinam, secundum illud Apocalypsis septimo: *Omnes Angeli stabant in circuitu throni et ceciderunt in conspectu throni in facies suas.* Quis enim potest contneri summum Deum in Maiestate divina et severitate iudicii, quin prae reverentia cadat in faciem suam? cum non solum mens eius non sufficiat comprehendere, verum etiam nec admirari; propter quod in Psalmo: *Sanctum est templum tuum, mirabile in aequitate*, quia immensitas virtutis suae magis est formidabilis et admirabilis quam perscrutabilis et comprehensibilis; unde lob trigesimo septimo [2]: *Magnus fortitudine et iudicio et iustitia, et enarrari non potest. Ideo timebunt eum viri, et non audebunt contemplari omnes, qui sibi videntur esse sapientes.* — Est etiam deiforme per *refulgentiam lucis,* qua Christus secundum utramque naturam templum illud illuminat; quod designatur Ecclesiastici quinquagesimo [3]: *Quasi stella matutina in medio nebulae et quasi luna plena in diebus suis lucet, et quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei;* quod recte intelligitur de Christo, qui refulget in templo superno, secundum quod dicitur in Apocalypsi, quod *lucerna* illius supremi habitaculi *est Agnus,* id est Christus Dominus, qui templum illud supernum illuminat quantum ad carnem et quantum ad animam et quantum ad Deitatem: quantum ad carnem lucet sicut *stella matutina;* quantum ad animam, sicut *luna plena;* et quantum ad Deitatem, sicut *sol radians in virtute sua;* in qua quidem irradiatione manifestabuntur divina iudicia, quae nunc sunt occulta, quando aperietur nobis aditus ad illud templum supernum, secundum illud Apocalypsis decimo quinto [4]: *Vidi, et ecce, apertum est templum tabernaculi testimonii in caelo; et exierunt septem Angeli de templo, vestiti lino mundo;* in quibus *septem Angelis habentibus plagas irae Dei,* secreta Dei iudicia possunt intelligi. Cum autem revelata fuerint, tunc omnia erunt nostris oculis nuda et aperta; unde dicitur Apocalypsis vigesimo primo: *Ipsa civitas* erit quasi *aurum mundum, simile vitro mundo,* quia, ut dicit Gregorius, « mentem unius ab alterius oculis carnis corpulentia non abscondet ».

De tertio.

Est etiam tertio deiforme per *cohaerentiam pacis,* quod designatur in Psalmo [5]: *Unam petii a Domino, hanc requiram* etc., *ut videam voluptatem Domini et visitem templum eius.* In illo enim templo, licet sit multiformitas meritorum et praemiorum, est tamen summa unitas per cohaerentiam pacis, ita ut omnium beatitudo sit quasi una; unde et in Psalmo dicitur: *Ierusalem, quae aedificatur ut civitas, cuius participatio eius in id ipsum.* Si enim, ut dicit beatus Dionysius, « amor virtus est unitiva », ubi maior est amor, ibi maior est et pax et unitas et concordia. Hoc non est dubium esse in Ierusalem superna, in qua singulorum propria per caritatem fiunt communia [6]; et ideo in solo illo templo est pax et requies sempiterna; et Deus dicitur ibi quiescere sicut in sede sua, sicut dicitur in Psalmo [7]: *Dominus in templo sancto suo; Dominus, in caelo sedes eius;* et cum eo omnes Beati, secundum illud Isaiae trigesimo secundo: *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis* etc. — Est etiam quarto deiforme per *consonantiam laudis,* secundum quod in Psalmo dicitur: *In templo eius omnes dicent gloriam;* hoc potissime verum erit in templo gloriae, secundum quod idem Propheta dicit: *Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in saecula saeculorum laudabunt te.* Unde ibi completur quod dicit Augustinus in fine de Civitate Dei: « Videbimus, amabimus, laudabimus ». Ad hanc laudem optare debent omnes pervenire et instanter petere cum Propheta [8]: *Salvos nos fac, Domine* etc., *ut confiteamur nomini sancto tuo et gloriemur in laude tua,* quia simul erit ibi *gratiarum actio et vox laudis,* propter quam finaliter facti sumus; ad quam nos perducat unigenitus Dei Filius, qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.

De tertio.

De quarto.

Sermo V [9].

Postquam impleti sunt dies purgationis Mariae *secundum legem Moysi, tulerunt Iesum in Ierusalem, ut sisterent eum Domino,* Lucae secundo [10].

In verbo isto describitur materia solemnitatis hodiernae, scilicet quantum ad *purificationem Virginis* et quantum ad *oblationem* sive redemptionem *Prolis.* Primum notatur in hoc, quod dicitur: *Postquam impleti sunt dies purgationis Mariae;* secundum, in hoc, quod dicitur: *Tulerunt Iesum in Ierusalem.* Utrumque horum admirabile, utrumque venerabile, utrumque singulare: et quod purissima Virgo purificetur, et quod Dominus et Redemptor hostiis redimatur. Unde sicut Redemptoris redemptio

Divisio.

[1] Psalm. 5, 8; sequuntur Apoc. 7, 11. et Ps. 64, 5. 6.
[2] Vers. 23. seq.
[3] Vers. 6. seq.; sequitur Apoc. 21, 23.
[4] Vers. 5. seq.; sequuntur c. 21, 18. et Gregor., XVIII. Moral. c. 48. n. 78.
[5] Psalm. 26, 4; dein Ps. 121, 3. et Dionys., de Divin. Nomin. c. 4. § 15. De 3. et 4. membro cfr. Hexaëm., Collat. 1. n. 2. seqq.
[6] Vide Bonav., III. Sent. d. 31. a. 3. q. 3. in corp. et Solloq. c. 4. § 3. n. 15. seqq.; sequuntur Ps. 10, 5. et Isai. 32, 18.
[7] Psalm. 28, 9; sequuntur Ps. 83, 5. et August., XXII. de Civ. Dei, c. 30. n. 5.
[8] Psalm. 105, 47; sequitur Isai. 51, 3.
[9] Ex cod. Monacensi W fol. 106 v. et Bonelli, Supplement. tom. III. col. 679 seqq., sed ibi hic sermo tantum in parte infra notata convenit.
[10] Vers. 22.

non fuit ex obligatione, sed ex dignatione; sic Virginis purificatio non fuit ex coactione, sed ex dispensatione. Erat enim omnimoda puritate purissima, et per hoc non purificari indigebat; erat namque purissima in *mente* et in *carne* et *Prole*.

Pars I. De Virginis puritate triplici. Purissima in mente.

I. Purissima erat in *mente* ob nullam peccati commissionem; Exodi vigesimo quinto [1]: *Facies et mensam de lignis Setim et inaurabis eam auro purissimo.* Mensa ista *propositionis*, in qua duodecim *panes proponebuntur*, designat mentem gloriosae Virginis, in qua duodecim articuli, ex quibus constitutum fuit Symbolum Apostolorum, tanquam panes spirituales conservati fuerunt ad refectionem omnium sacrorum doctorum; de qua subditur, quod fuit *inaurata auro purissimo*, quia tanto dono sapientiae et gratiae desuper fuit perfusa, ut nullum haberet locum in ea aliquod peccatum, nec quantum ad actum nec quantum ad consensum nec quantum ad affectum. Propter quod non tantum pura, sed etiam purissima praedicatur; Bernardus: « Puto, quod copiosior gratia sanctificationis in eam descenderit, quae non tantum eius sanctificaret ortum, sed et vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem ».

Purissima in carne.

Purissima etiam fuit in *carne* ob nullam peccati rebellionem; hoc significatum est Proverbiorum vigesimo quinto [2]: *Aufer rubiginem de argento, et egredietur vas purissimum.* Hoc *argentum* pulcrum et candidum fuit corpus Virginis integerrimum post primam sanctificationem, quod tamen adhuc habebat aliquam *rubiginem*, quia non penitus exstinctus fuerat fomes [3]; sed postmodum per Spiritum sanctum supervenientem amota fuit illa rubigo, ut esset *vas purissimum* ad concipiendum Verbum Dei. Et hoc quidem congruum erat, quia, sicut dicit Anselmus, « decebat, ut illius conceptio fieret de Matre purissima ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi ». Ideo enim caro Virginis *vas purissimum* nuncupatur, quia in carne eius nec peccatum regnavit, nec caro spiritui rebellavit, nec caro spiritum retardavit; et ideo non tantum fuit pura, sed purissima.

Purissima in Prole.

Purissima etiam fuit in *Prole* ob nullam peccati transfusionem; unde potest dici illud Proverbiorum tertio [4]: *Primi et purissimi fructus eius.* Quae est autem sapientia pariens fructum nisi Virgo Maria pariens Filium unigenitum? Lucas: *Benedictus fructus ventris tui.* Hic autem fructus, quoniam est unicus in substantia et multiplex in virtute, aliquando singulariter, aliquando pluraliter describitur in Scriptura. De quo fructu signanter dicitur, quod sit *primus et purissimus; primus*, propter *nobilitatem;* ipse enim est *in omnibus primatum tenens* tanquam *Primogenitus mortuorum et Princeps regum terrae. Purissimus* vero dicitur *sanctitate;* in ipso solo puritas fuit in summo; in cuius honorem dicitur Proverbiorum vigesimo [5]: *Quis potest dicere: Mundum est cor meum, purus sum a peccato?* nisi unigenitus Filius Virginis, in quo non fuit peccatum mortale nec veniale nec originale; et ideo merito purissimus dicitur, quia immunis fuit a peccati pravitate, pronitate et possibilitate. Unde non tantum habuit puritatem sufficientem, sed superabundantem in totam Ecclesiam, et maxime in Virginem Mariam. Unde Augustinus de Natura et Gratia: « Propter honorem Domini nullam, cum de peccatis agitur, prorsus haberi volo quaestionem de Matre Domini. Inde enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quod concipere ac parere meruit, quam constat nullum habuisse peccatum ».

Quoniam igitur quod purissimum est non indiget purificatione, Virgo Maria, quae purissima erat omnimoda puritate, purificari non indigebat actione obligatoria, sed dispensatoria; non propter suam necessitatem, sed propter nostram utilitatem. Purgari igitur voluit ad purificationis *exemplum*, *fundamentum* et *complementum* [6]. — Primo igitur purificari voluit ad *complementum* purificationis *figuralis;* de qua Levitici duodecimo [7]: *Cum expleti fuerint dies purgationis suae, deferet agnum anniculum in holocaustum.* Constat enim, quod agnus ille non poterat veraciter purificare; quia *impossibile est, sanguine taurorum auferri peccata*, ad Hebraeos decimo. Quod ergo per *agnum* dicebatur purgari, hoc erat, quia agnus ille figuram gerebat illius veri *Agni, qui tollit peccatum mundi.* Illa ergo mulier sola hanc figuram implere poterat, quae ipsum verum Agnum in templo poterat praesentare. Virgo igitur Maria in sui praesentatione, offerens verum Agnum, toti purificationi legali seu figurali tradidit complementum et posuit terminum. Sic enim decebat Matrem illius qui *non venit Legem solvere, sed adimplere* [8].

Purgari v
luit ob tr
plicem ra
tionem.
De ratio
prima.

De secun

Secundo purificari voluit ad *fundamentum* purgationis *sacramentalis;* de qua Malachiae tertio [9]: *Sedebit, conflans et emundans argentum, et purgabit filios Levi et placebit Domino sacrificium Iuda et Ierusalem* etc. Per *filios Levi* intelliguntur sacerdotes, Sacramentorum dispensatores, quorum sacrificia (accepta) sunt Deo; quoniam ipsi purgantur per ipsa, quorum purgatio habet fieri per illum summum Pontificem; ad Hebraeos primo: *Purgationem peccatorum faciens* etc. Hanc purgationem fecit, quando *tradidit semetipsum oblationem et hostiam Deo in*

[1] Vers. 23. seq.; sequuntur c. 25, 30. et Bernard, Epist. 174. n. 5.

[2] Vers. 4. — Sequens locus est Anselm., de Conceptu Virgin. c. 18.

[3] Cfr. S. Bonav., III. Sent. d. 3. p. 1. a. 2. q. 2.

[4] Vers. 14; sequuntur Luc. 1, 42; Coloss. 1, 18. et Apoc. 1, 5.

[5] Vers. 9. — Sequitur August., de Nat. et Grat. c. 36. n. 42.

[6] Hic post aliquam incongruam introductionem incipit Bonelli, qui eandem divisionem habet et multa verbotenus describit; tamen alia multa addit ab indole Bonaventuriana aliena.

[7] Vers. 6; sequuntur Hebr. 10, 4. et Ioan. 1, 29.

[8] Matth. 5, 17.

[9] Vers. 3. seq.; sequuntur Hebr. 1, 3. et Ephes. 5, 2.

odorem suavitatis. Quae quidem oblatio fuit consummata in patibulo; sed hodie a beata Virgine fuit inchoata in templo; et ideo sacramentalis oblatio in oblatione Virginis hodie quasi sumsit exordium et fundamentum.

Tertio purificari voluit ad *exemplum* purgationis *spiritualis;* de qua Actuum decimo quinto [1]: *Fide purificans corda eorum;* a fide enim incipit spiritualis purgatio; quia ipsa est, quae *captivat* primo *intellectum in obsequium Christi.* Nullus enim ad spiritualem purgationem potest pervenire, nisi qui credit, se non posse ad illam venire sine adiutorio gratiae, secundum quod dicitur secundae ad Timotheum secundo: *Sectare iustitiam, fidem,* spem, *caritatem et pacem cum iis qui invocant Dominum de corde puro.* Tales sunt, qui non confidunt de sua iustitia, sed de divina misericordia; et quantum puritati studeant, nondum se putant pervenisse ad puritatem perfectam; et hoc exemplo Virginis, quae, cum esset purissima, adhuc tamen purificari exterius non despiciebat; ex quo dedit nobilissimum exemplum, ut omnes amantes purificantem puritatem semper intendant purgationi. — Sciendum, quod ad perfectam purgationem necessaria est triplex virtus purgativa, scilicet purgans in *corde,* quae est *poenitentia;* alia, in *corpore,* quae est *temperantia;* tertia, in *opere,* quae est *misericordia;* vel una purgans a malis *praecedentibus,* alia a malis *imminentibus,* tertia ab *omnibus.*

Prima igitur virtus est *poenitentia;* de qua potest intelligi illud Iacobi quarto [2]: *Emundate manus, peccatores, et purificate corda, duplices animo, miseri estote et lugete* etc., quasi dicat: purificate vos per poenitentiam, cuius est commissa mala plangere et plangendo lacrymis abluere et lavando purificare et purificando reducere ad unitatem Ecclesiae. Et hoc significatum fuit Numerorum trigesimo primo: *Lavabitis vestimenta vestra die septimo, et purificati postea castra intrabitis.* Nullus enim peccator redit ad unitatem Ecclesiae nisi purificatus et lotus lacrymis poenitentiae; propter quod Psalmus: *Lavabo per singulas noctes lectum meum* etc.; et Isaias [3]: *Lavamini, mundi estote* etc. Et hoc lavacro oportet purificari omnem, qui vult Deo acceptabilia sacrificia offerre; Iudith ultimo: *Mox, ut purificati sunt, obtulerunt omnes holocausta;* ne forte improperaret eis Dominus illud Isaiae primo: *Cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam, manus enim vestrae sanguine plenae sunt.*

Secunda virtus purgativa est *temperantia;* de qua potest intelligi illud Iosue decimo septimo [4]: *Dixit Iosue ad domum Ioseph: Transibis ad montem et suceides tibi atque purgabis ad habitandum spatia. Succidere* enim est resecare superflua a carne; ad habendam spatiosam et quietam habitationem opus est temperantia, quae resecando superflua purgat immunda. Huius autem opus est non tantum custodire puritatem in carne, sed etiam in ore; sicut enim inficitur homo per fornicationem, sic inficitur per detractionem et foedam locutionem; nec tantum est abominabilis homini fornicatio, quantum Deo detractio; Proverbiorum decimo quinto [5]: *Abominatio Domini, cogitationes malae; et purus sermo pulcherrimus firmabitur ab eo. Purus* autem *sermo* est, in quo non resonat contumelia proximi nec blasphemia Dei. Sicut enim os inquinatur maledicto, sic et periurio; Ecclesiastici vigesimo tertio: *Omnis iurans et nominans in toto a peccato non purgabitur.* — Talis temperantia maxime debet reperiri in clericis; primae ad Timotheum tertio [6]: *Oportet, diaconos* esse *pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura.* Cum autem haec virtus purgativa negligitur, ut plurimum vita spiritualis necatur, secundum quod figuratum fuit secundi Regum quarto, ubi dicitur, quod *Isboseth dormiebat super stratum suum meridie, et ostiaria domus purgans triticum obdormivit;* et sequitur, quod *ingressi sunt* latrones *et percussum in inguine interfecerunt.* Nulli dubium, quod ista ostiaria designat temperantiam, quae, si forte in custodia sensuum exteriorum obdormitat, interior spiritus et vita insidiis daemonum percutitur et necatur, quoniam *mors per fenestram* intrat *ad animam,* secundum Ieremiam.

Tertia via purgativa est *misericordia,* secundum illud Proverbiorum decimo quinto [7]: *Per misericordiam et fidem purgantur peccata;* non enim delentur peccata nisi per divinam misericordiam, nec divinam misericordiam impetrat, nisi qui facit misericordiam, secundum illud Matthaei quinto: *Beati, misericordes.* Haec autem misericordia debet esse fidelis, non ficta; id est non *verbo* et *lingua, sed opere et veritate;* et haec misericordia manifestatur in eleemosyna et per illam habet purgandi efficaciam; Tobiae duodecimo [8]: *Eleemosyna a morte liberat, et ipsa est, quae purgat peccata;* Lucae undecimo: *Date eleemosynam, et ecce, omnia munda sunt vobis.* Eleemosyna autem non mundat, nisi ipsa sit munda, id est, fiat munda intentione, ut quaerat homo placere Deo, non mundo, secundum illud Exodi vigesimo septimo: *Praecipe filiis Israel, ut afferant tibi oleum de arboribus olivarum purissimum,* per quod recte intelliguntur opera pietatis et misericordiae, quae tunc habent perfectam puritatem, cum nihil habent admixtum de faece terrenae intentionis. Hanc puritatem non assequuntur hypocritae, qui, *cum faciunt*

Commendatur praecipue clericis.

Tertio, de misericordia.

[1] Vers. 9; sequuntur II. Cor. 10, 5. et II. Tim. 2, 22.
[2] Vers. 8. seq.; sequuntur Num. 31, 24. et Ps. 6, 6.
[3] Cap. 1, 16; sequuntur Iudith 16, 22. et Isai. 1, 15.
[4] Vers. 17. 18.
[5] Vers. 26; sequitur Eccli. 23, 11.
[6] Vers. 8; sequuntur II. Reg. 4, 5. seqq. et Ier. 9, 21.
[7] Vers. 27; sequuntur Matth. 5, 7. et I. Ioan. 3, 18.
[8] Vers. 9; sequuntur Luc. 11, 41. et Exod. 27, 20.

eleemosynam, canunt tuba ante se, non attendentes illud [1]: Iam *receperunt mercedem suam;* propter quod dicitur Ecclesiastici septimo: *De negligentia tua purga te cum paucis,* quasi dicat: sic purganda est negligentia per eleemosynam, ut non intercidat propria gloria.

Huius autem triplicis purgationis triplex est *effectus* sive *fructus*, scilicet *mitigatio incendiorum, manifestatio mysteriorum, multitudo meritorum.* Et primus respondet poenitentiae; secundus, temperantiae; tertius, misericordiae. — Primus igitur fructus est *mitigatio incendiorum*, per quae oportet transire omnem peccantem, ut ingrediatur in caelum, nisi hic purgatus fuerit per poenitentiae lavacrum; Numerorum trigesimo primo [2]: *Aurum et argentum et aes et ferrum et plumbum et stannum et omne, quod potest transire per flammas, igne purgabitur. Quidquid autem ignem non potest sustinere, aqua expiationis sanctificabitur;* quasi dicat: non est nisi duplex purgatio: per ignem purgatorium et aquam lacrymarum. Et si quis non fuerit in aqua sufficienter purgatus, necesse est, quod in illo igne sustineat acerbum tormentum; primae ad Corinthios tertio: *Uniuscuiusque opus, quale sit, ignis probabit.* Si enim peccatum fuerit perfecte purgatum, transibimus sine igne, (id est) ignis afflictione. Si vero fuerit ex parte, necesse est transire per acerbam adustionem; si autem nullo modo fuerit purgatum, necesse est transire per ignem inextinguibilem, secundum illud Lucae tertio: *Cuius ventilabrum in manu eius, et purgabit aream suam et congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* — Secundus fructus est *manifestatio mysteriorum,* ad quem non pervenitur nisi per purgationem temperantiae, secundum illud ludicum sexto [3]: *Cum excuteret Gedeon atque purgaret frumenta in torculari, apparuit illi Angelus Domini.* Illis enim fit Domini revelatio et apparitio, qui se ipsos purgant, *carnem suam crucifigendo cum vitiis et concupiscentiis* per iugem memoriam passionis Christi; Matthaei quinto; *Beati, mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Unde Augustinus de Doctrina christiana [4]: « Purgandus est animus, ut divinam lucem perspicere valeat et ei inhaerere perspectae, quam purgationem quasi ambulationem quandam et quasi navigationem ad patriam esse arbitremur ». — Tertius fructus est *multitudo spiritualium meritorum;* Ioannis decimo quinto: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum, et omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. Palmitem ferentem fructum* vocat eum qui facit opera pietatis et misericordiae, quae secnndum Apostolum sunt perutilia; quia *pietas ad omnia valet.* In cuius figura dicitur ludicum nono [5]: *Nunquid possum deserere pinguedinem meam, qua et dii utuntur et homines?* quasi dicat: quia pietatis opera *promissionem habent vitae, quae nunc est et futurae;* et non solum merentur complementum gloriae, sed etiam augmentum gratiae purgativae; propter hoc dicit: *purgabit eum,* ut qui fructum faciebat in actionibus pietatis, amplius purgetur per passionem poenalitatis. *Ut fructum* ampliorem afferat perfectae virtutis; unde Iacobi primo: *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis, scientes, quod probatio fidei vestrae patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet;* opus autem perfectum disponit ad perfectum praemium, de quo subiungitur: *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se.*

Triplex effectus triplicis purgationis. — Effectus primus. — Secundus. — Tertius.

II. Post purgationem Virginis Matris aliquid dicendum est de *oblatione Prolis;* circa quod notandum est, quod legimus puerum Iesum in templo *praesentatum* et in templo *baiulatum* et in templo *reinventum.* — *Praesentatum* legimus ab *offerentibus,* qui gerunt figuram sacerdotum et praelatorum, quorum est in templo offerre Christum. Dicitur enim Lucae secundo [6], quod *parentes eius tulerunt eum in Ierusalem, ut darent hostiam pro eo,* secundum quod dictum *est in Lege Domini;* Levitici duodecimo scriptum erat, quod offerrent pro parvulis *agnum annicutum et pullum columbae sive turturem;* in quo significatur, quod offerentes Christum in templo debent habere pietatem istorum trium animalium: *turtur* enim est animal castissimum; *columba,* fecundissimum; *agnus,* mansuetissimum. In quo ostenditur, quod clerici et sacerdotes et praelati debent esse *mundi, fecundi* et *mansueti.* Dicitur *clericis* illud Isaiae [7]: *Mundamini, qui fertis vasa Domini; sacerdotibus* dicitur illud Ruth quarto: *Quando emeris agrum de manu mulieris, Ruth quoque Moabitidem, quae uxor defuncti fuit, debes accipere, ut suscites nomen propinqui tui in hereditate sua. Praelatis* autem dicit ille magnus Pastor Matthaei undecimo: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* — Legimus etiam puerum Iesum in templo *baiulatum* et susceptum ab *exspectantibus,* qui gerunt figuram fidelium subditorum, qui Christum suscipiunt sibi oblatum per manum sacerdotis et praelati. Dicitur enim Lucae secundo [8], quod, *cum inducerent puerum Iesum parentes eius, ut facerent secundum consuetudinem Legis pro eo, et ipse accepit eum* Simeon *in ulnas suas* etc. De hoc

Pars II. oblatione Prolis templo

Fuit in templo praesentatus.

Hortatio cleros

Item, baiulatus.

---

[1] Matth. 6, 2; sequitur Eccli. 7, 34.
[2] Vers. 22. seq.; sequuntur I. Cor. 3, 13. et Luc. 3, 17.
[3] Vers. 11. seq.; sequuntur Gal. 5, 24. et Matth. 5, 8.
[4] Libr. I. c. 10. n. 10; sequuntur Ioan. 15, 2. et I. Tim. 4, 8; Vulgata nunc legit: *Pietas ad omnia utilis est.*
[5] Vers. 9; sequuntur I. Tim. 4, 8. et Iac. 1, 2-4. et dein v. 12.
[6] Vers. 22. 24; dein respicitur Lev. 12, 8. 6.
[7] Cap. 52, 11; sequuntur Ruth 4, 5. et Matth. 11, 29.
[8] Vers. 27. seq. et dein v. 25.

Simeone dicitur, quod erat *iustus et timoratus, exspectans consolationem Israel, et Spiritus sanctus erat in eo.* In quo datur intelligi, quod ad hoc, ut aliquis sit idoneus ad suscipiendum Christum, necesse est, ut habeat *benignitatem, humilitatem, longanimitatem:* benignitatem, quia Sapientiae primo [1]: *In malevolam animam non introibit sapientia;* humilitatem, quia, Iacobi quarto, *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam;* longanimitatem, (quia), Lucae undecimo, *si perseveraverit pulsans, dico vobis, propter improbitatem eius surget et dabit illi quotquot habet necessarios.* — Legimus etiam puerum Iesum in templo *reinventum* a requirentibus, qui gerunt figuram doctorum et praedicatorum, qui in Scripturis requirunt Christum. Dicitur enim Lucae secundo [2], quod *puer Iesus remansit in Ierusalem, et* quod *parentes eius requirebant eum inter cognatos et notos; et post triduum invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum.* Per illud *triduum* praecedens inventionem Christi intelligitur triplex intellectus praeparationis ad spiritualem intellectum, in quo Christus *sentitur, percipitur* et *invenitur.* De intellectu enim historico pervenitur ad allegoricum; de allegorico, ad tropologicum, et post istud triduum, ad anagogicum, qui transvolat in supernam Ierusalem et circuit omnes officinas Angelorum, quousque in medio templi inveniat Christum. — Vel aliter et plenius: ut primus dies istius tridui sit *lectio,* quae est in scripto; secundus, *collatio,* quae est in verbo; tertius, *memoria,* quae est in anima; post hunc sequitur *oratio,* quae fit in templo; et haec facit invenire Dominum Iesum, sicut dicitur in Psalmo: *Effudi in me animam meam, quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei* etc.

Triplex intellectus.

Aliter.

DE ANNUNTIATIONE B. VIRGINIS MARIAE (25 Martii).

Sermo I [3].

Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini [4].

Quia mysterium dominicae incarnationis ita est arcanum et profundum, ut nullus intellectus valeat hoc capere, nulla lingua valeat explicare; Spiritus sanctus, humanae condescendens infirmitati, multis illud metaphoris voluit designari, quibus quasi manuducti, in eius qualemcumque notitiam veniamus. Nam, secundum Apostolum [5], *invisibilia Dei per ea quae* visibilia *facta sunt, intellecta conspiciuntur.* In praemissis igitur verbis Isaias hoc mysterium sub triplici metaphora designans, scilicet *radicis, virgae* et *floris,* tria nobis insinuat, scilicet *nobilitatem concipientis, puritatem conceptionis, sublimitatem conceptae Prolis.* Primum: *Egredietur* etc.; secundum: *et flos* etc.; tertium: *et requiescet* etc. Et quia haec, ut dictum est, variis metaphoris in sacra pagina designantur, ipsas colligamus, ut nos ad tantum arcanum aliquatenus manuducant.

Inductio.

Divisio.

I. Notandum, quod *nobilitas concipientis* triplici metaphora denotatur, scilicet *terrae* germinantis, *radicis* pullulantis, *fontis* scaturientis; primum, ad insinuandum eius profundissimam *humilitatem;* (secundum), ad intimandum eius inconcussam *stabilitatem;* tertium, ad notandum eius liberalissimam *caritatem.* Haec enim ipsam nobilem fecerunt et ad concipiendum Dei Filium disposuerunt. — De primo, Genesis [6]: *Germinet terra herbam virentem* etc.; Isaias: *Rorate, caeli, desuper* etc., *aperiatur terra,* scilicet (caelum) Trinitatis, mittendo Verbum; angelicae virtutis, mittendo nuntium; *aperiatur terra* Virginis, per consensum; David: *Benedixisti, Domine, terram tuam* etc. — Nos igitur confirmari debemus in humilitate, si volumus Dei gratiam concipere. *Dominus enim dabit benignitatem* [7], sed nonnisi humilibus; Apostolus: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Superbi enim sunt montes, qui rorem gratiae non capiunt; Regum primo: *Montes Gelboe, nec ros nec pluvia veniant super vos;* Psalmus [8]: *Inter medium montium pertransibunt aquae.* — De secundo, Ecclesiasticus [9]: *Sic in Sion firmata sum et in civitate sancta similiter requievi;* et sequitur: *et radicavi in populo honorificato;* Apocalypsis, in persona ipsius: *Ego sum radix et genus David, stella splendida et matutina.* — Nos eum imitari debemus in virtute constantiae, si volumus in bono opere pullulare; Iacobus: *Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis.* — De tertio, in Canticis [10]: *Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quae fluunt*

De terra germinante.

Hortator ad humilitatem.

De radice pullulante.

Item, ad constantiam.

De fonte scaturiente.

[1] Vers. 4; sequuntur Iac. 4, 6. et Luc. 11, 8.

[2] Vers. 43. 44. 46; sequitur Ps. 41, 4.

[3] Ex cod. Trecensi n. 1464. fol. 30 r. Sermo hic in multis convenit cum sententiis Bonaventurae familiaribus, praesertim cum schemate ex cod. A supra pag. 33 impresso. Cfr. P. Fidelis a Fanna, Ratio novae collect. etc., pag. 308.

Unus de Annuntiatione B. Virginis Mariae sermo S. Bonaventurae iam impressus est in nostro tom. V. pag. 483 seqq., inter Collationes de Donis Spiritus sancti. Inter has Collationes illa est ordine septima et de dono fortitudinis secunda, quae duo ita inter se cohaerent, ut apte separari nequeant. Ibidem in primo de dono fortitudinis sermone (pag. 479) n. 2. in fine legitur: De dono fortitudinis dicemus nunc (scil. in sero); de privilegio fecunditatis eras in mane, et de dono consilii eras in sero.

[4] Isai. 11, 1. seq.

[5] Rom. 1, 20.

[6] Cap. 1, 11; sequuntur Isai. 45, 8. et Ps. 84, 1.

[7] Psalm. 84, 13; sequuntur Iac. 4, 6. et II. Reg. 1, 21.

[8] Psalm. 103, 11.

[9] Cap. 24, 15. seq.; sequuntur Apoc. 22, 16. et Iac. 4, 8.

[10] Cap. 4, 15. — Dein sequitur Bernard., serm. in Domin. infra Oct. Assumt. B. V. M. n. 2, ubi respicitur Ioan. 4, 16.

impetu de Libano. Ipsa hortum totius Ecclesiae irrigavit, et quia gratiae suae fluenta liberalissime communicavit, abundantissimam gratiam recepit. « Beata Maria copiosissima caritate omnibus se debitricem effecit, ut *de plenitudine eius accipiant omnes* »; et ideo digne super omnes gratia est repleta; Esther [1]: *Fons parvus, qui crevit in fluvium et in lucem solemque conversus est.* — Nos igitur ipsam in hac virtute imitemur, ut *gratiam pro gratia recipiamus.* Haec enim est conditio gratiarum, ut communicatae crescant, subtractae pereant; in Evangelio: *Date, et dabitur vobis;* et alibi in Evangelio: *Ei qui non habet, et quod habet auferetur ab eo.* Qui enim non habet caritatem ad communicandum gratiam aliis ipsa gratia privabitur; Proverbia [2]: *Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide.*

Item, ad caritatem.

II. Sequitur de secundo, (quod est) *puritas conceptionis,* quia fuit mirabilis et supernaturalis, scilicet sine corruptione carnis, sine successione temporis, sine delectatione libidinis; ideo tribus mirabilibus et supernaturalibus metaphoris est figurata, scilicet *rubi* mirabiliter candentis, *virgae* subito virescentis, *velleris* supernaturaliter madentis. — Singulis singula sunt reddenda. De primo, in Exodo [3]: *Vadam et videbo visionem hanc magnam, quare rubus* ardeat et *non comburatur;* quod certe, licet esset mirabile, fuit tamen rationale. Ignis quippe erat caelestis, conservans et vivificans, non elementaris, destruens et dissipans. Sic etiam est duplex ignis in homine, scilicet affectionis *caelestis* conservans, qui est caritas; affectionis *carnalis* consumens, qui est cupiditas.

Pars II. De puritate conceptionis, tres metaphorae.

De rubo candente.

De virga virescente.

— De secundo legitur in Numeris [4], quod *regressus Moyses invenit virgam germinantem frondes, flores* et fructus subito producentem. Hoc re vera mirabile, sed mirabilius ultra modum, quod sine temporis intervallo perfectus Deus, perfectus homo in ipsa conceptione fuit in Virginis utero, quod, licet sit mirabile, est tamen decens et rationabile. Illa enim persona Christi, si prius fuisset homo quam Deus, iam non naturaliter, sed accidentaliter esset Deus; fuit ergo simul Deus et homo. Sed, ut dicit Damascenus, « Deitas mediante intellectu coniuncta est carni »; intellectus autem sive anima rationalis non infunditur nisi corpori organizato et perfecto. Fuit igitur et corpus perfecte organizatum, animam recipiens; fuit anima omni virtute et sapientia in ipsa infusione pollens; non enim decuit, Deitatem sibi unire animam ignorantem; colligitur ergo, quod perfectus Deus perfectus homo fuit in ipsa conceptione in Virginis utero; unde Ieremias [5]: *Creavit Dominus novum super terram: femina circumdabit virum,* virum certe non tantum sexu, sed sapientia et virtute. Ambrosius: « Nescit tarda rerum molimina Spiritus sancti gratia ». — De tertio Iudicum sexto [6] legitur, quod Gedeon, mittendus ad pugnandum et liberandum populum, accepit a Domino signum, scilicet *in vellere posito in area et rore madefacto* largissime, terra sicca manente; Psalmus: *Descendet sicut pluvia in vellus.* Hieronymus: « Vellus, cum sit de corpore, non sentit corporis passionem; sicut virginitas, cum sit in carne, nescit carnis pollutionem ».

De rubo madente.

III. Sequitur de tertio, quod est *sublimitas conceptae Prolis;* et quia ipsa est « geminae gigas substantiae [7] », una scilicet persona divinae et humanae naturae, secundum utramque naturam sub certis Scripturae sacrae metaphoris designatur. Et quia secundum humanam in ipso fuit *plenitudo gratiae, pulcritudo sapientiae, rectitudo perfectae iustitiae;* secundum haec tria per triplicem metaphoram figuratur, scilicet *nubis* irrorantis, *iridis* refulgentis, *sideris* coruscantis. — De primo, tertii Regum decimo octavo [8]: *Nubecula parva ascendebat de mari, et* subito *facta est pluvia magna,* id est Christus infans de Maria, quae interpretatur *amarum mare,* qui totam Ecclesiam pluvia gratiae fecundavit. — Huic nubi conformari debemus, ut nos etiam simus nubes gratiosae influxam nobis gratiam aliis influendo; Psalmus: *Qui operit caelum nubibus* etc. Petrus: *Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes;* non autem simus nubes procellosae, emittentes tonitrua impatientiae et fulgura irae, sed de quibus dicitur [9]: *Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus.* Vapores enim maris, licet sint salsi et amari, in nube convertuntur in dulcem pluviam; sic quidquid amaritudinis et tristitiae acciderit viro bono, qui est nubes gratiosa, totum in dulcedinem ipse convertit. — De secundo, Genesis [10]: *Ponam arcum meum in nubibus* etc. Ipse enim secundum humanitatem positus (est) in memoriale foederis inter Deum et hominem; et sicut in *iride* multitudo est colorum, ita et in Christi anima multitudo sapientiae fuit; nam in ea (fuit) sapientia *insita* omnium creaturarum plena sicut in primo homine, sapientia *infusa* et gratiosa sicut in Sanctis in via, sapientia *gloriosa* sicut in Sanctis in patria. Bene igitur propter pulcritudinem sapientiae per *iridem* exprimitur; Ecclesiasticus [11]: *Vide arcum et benedic eum qui fecit illum* etc. — Item, bene per *arcum* figuratur, quia, sicut naturalis arcus generatur in nube rorida ex radio solis *recto, fracto* et *reflexo,* (ita) et re vera Christus, Sol iustitiae, est causa et origo omnis

Pars III. sublim. Prolis metaph. sed. hr nitate

De nu irrorar

Hortati

De irid arcu r gent

Ratio i

[1] Cap. 10, 6; sequuntur Luc. 6, 38. et Matth. 13, 12.
[2] Cap. 5, 16. seq.
[3] Cap. 3, 3.
[4] Cap. 17, 8. — Sequitur Damasc., III. de Fide orthod. c. 6.
[5] Cap. 31, 22. — Sequitur Ambros., II. in Luc. n. 19.
[6] Vers. 37. sequ.; sequuntur Ps. 71, 6. et Hieron., Epist. 9. ad Paulam et Eustoch. de Assumt. B. V. M. (inter opera Hieron.) c. 5. Cfr. Bernard., Homil. 2. super *Missus est,* n. 7.
[7] August., Libr. contra sermon. Arian., c. 8.
[8] Vers. 44. seq.; sequuntur Ps. 146, 8. et I. Petr. 4, 10.
[9] Psalm. 92, 6.
[10] Cap. 9, 13.
[11] Cap. 43, 12.

Trilex cognitio.

cognitionis in anima, scilicet *fidei,* quasi per radium *fractum;* oportet enim in fide quasi confringi rationem; nam « fides non habet meritum, cum humana ratio praebet experimentum [1] »; item, *ratiocinationis* quasi per radium *reflexum* in arcum medium, scilicet humanum ingenium ab ipsius gratia illuminatum; item, *contemplationis* quasi per radium *rectum,* scilicet mentis excessum. Ipse enim est origo fidei in quantum Verbum incarnatum, origo ratiocinationis in mente illuminans intellectum, origo contemplationis ad Patrem trahens affectum. — De tertio, Ecclesiasticus [2]: *Quasi stella matutina in medio nebulae.* Ipse enim *in medio nebulae,* scilicet peccatorum, omnibus verbis et factis lumen iustitiae praemonstrabat. Huic conformari debemus, ne simus *sidera errantia, quibus procella tenebrarum* et caliginis *reservatur,* sicut (in) Iudae Canonica Epistola admonemur; sed simus de quibus in Daniele dicitur: *Qui ad iustitiam erudiunt multos quasi stellae in perpetuas aeternitates.*

Et sicut Christus proles Virginis secundum humanitatem per *nubem,* per *iridem* per *sidus;* ita bene secundum Deitatem per *solis* metaphoram denotatur. Nec est visibilis creatura aliqua aptior ad manuducendum nos in ipsius cognitionem; Psalmus [3]: *In sole posuit tabernaculum suum* etc.; et alius Propheta: *Vobis timentibus nomen meum orietur Sol iustitiae.* Et quia secundum hanc naturam est in ipso incomparabilis *dignitas,* invariabilis *stabilitas,* inaccessibilis *claritas;* per tria miracula solis figuratur, scilicet solis *retrocedentis,* mirabiliter *stantis,* mirabiliter *splendentis.* — De primo, Isaias [4]: *Reversus est sol decem lineis per gradus, quos descenderat in horologio Achaz.* Quid enim necesse fuit, vitam mortalem protelare regi cum tanto miraculo totius mundi, nisi per hoc Dominus miraculum miraculorum futurum figurasset? In horologio quippe erant duodecim lineae, sed ultra decimam sol non venit ad figurandum, quia, cum sint duodecim gradus vitae, scilicet novem Ordinum Angelorum et tres visibilium creaturarum, scilicet rationalis, sensibilis, vegetabilis, Sol iustitiae non *citra* decimam stetit, quia *nusquam Angelos* nec Archangelos *apprehendit,* ut Apostolus [5] ait; nec *ultra* decimam descendit, quia nec sensibilem puram nec vegetabilem assumere ipsum decuit; sed, ut Apostolus inquit, *semen Abrahae apprehendit.* Cum ergo per decem lineas, id est creaturarum vitas, se humiliando descendit, et per eosdem gradus ascendit, dum super omnem angelicam creaturam assumtum hominem collocavit — Psalmus: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis* — in hoc ergo ipsius incomparabilis dignatio insinuatur. — De secundo, Iosue [6]: *Stetit itaque sol in medio caeli et non festinavit occumbere spatio unius diei.* Nunquid non potuit Dominus populo suo victoriam dare sine tanto miraculo? Potuit, sed in hoc figurare voluit, quod ipse Sol iustitiae in assumto homine pugnaturus fuit, sed tamen eius Divinitatis celsitudo inenarrabilis permansit. — De tertio, in Exodo [7] legitur, quod *tenebrae factae sunt super terram Aegypti;* et sicut in libro Sapientiae legitur, universus *orbis limpido illuminabatur lumine, solis autem illis,* scilicet Aegyptiis, *superposita erat gravis nox;* per quod figuratur, quod ipse sol Christus, quibusdam, meritis suis exigentibus, in peccatorum nocte relictis, alios illuminat mirabiliter et illustrat.

De Prolis stabilitate.

De Prolis claritate.

Notandum igitur, quod incarnationis mysterium sic est duodecim metaphoris designatum, quae a *terra* humilitatis incipiunt et in *sole* sapientiae divinae sistunt, quia *ubi humilitas, ibi sapientia* [8]; *et initium sapientiae, timor Domini.* Unde, quia hae duodecim metaphorae beatam Virginem et eius Prolem insinuant, convenienter de ipsa dicitur illud Apocalypsis: *Mulier amicta sole,* scilicet ornata Divinitatis claritate; *lunam,* temporalium mutabilitatem, habens *sub pedibus; et in capite* habens *coronam duodecim stellarum* propter dictum mysterium duodecim metaphoris designatum; quae, licet diversimode, eandem tamen rem designabant. Bernardus: « Unus fuit nimirum Spiritus omnium Prophetarum, qui, licet diversis modis, signis et temporibus, eandem tamen rem diversi, non diverso Spiritu, praeviderunt et praedixerunt. Quod enim monstratum fuit Moysi in rubo et igne, Aaroni in virga et flore, Gedeoni in vellere et rore, hoc aperte Salomon praedixit in *muliere forti* et eius pretio [9]; apertius Ieremias praecinuit *de muliere et viro;* apertissime Isaias declaravit *de Virgine et Filio;* et tandem Gabriel [10] exhibuit ipsam Virginem salutando ».

Conclusio.

Sermo II [11].

Ecce, Virgo concipiet, Isaiae septimo [12].

Verbum istud secundum litteralem intellectum competit Virgini Mariae; continet enim expresse mysterium conceptionis ipsi ab Angelo nuntiatum, quod est materia solemnitatis hodiernae. Illud autem mysterium erat *altissimum,* et ideo admirabile; erat *decentissimum,* et ideo rationabile; erat *fructuosissimum,* et ideo desiderabile. Ideo, triplicem eius conditionem insinuans, Propheta describit ipsum per tria vocabula: ut enim ipsum ostendat *admirabile,*

Introductio.

[1] Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 26. n. 1.
[2] Cap. 50, 6; sequuntur Iudae v. 13. et Dan. 12, 3.
[3] Psalm. 18, 5; sequitur Malach. 4, 2.
[4] Cap. 38, 8.
[5] Hebr. 2, 16; sequitur Ps. 8, 5.
[6] Cap. 10, 13.
[7] Cap. 10, 22. 21; sequitur Sap. 17, 19. seq.
[8] Prov. 11, 2; sequuntur Eccli. 1, 16. et Bernard., homil. 2. super *Missus est,* n. 11.
[9] Respicitur Prov. 31, 10. et post Ier. 31, 22. et Isai. 7, 14.
[10] Respicitur Luc. 1, 30. seq.
[11] Ex cod. Monacensi W fol. 196 v. et cod. Tudert. n. 182. fol. 160 v.
[12] Vers. 14.

praemittit admirationis excitationem, cum dicit: *Ecce;* ut ostendat *rationabile,* subdit dispositionem praeparativam, cum dicit: *Virgo;* ut ostendat ipsum *desiderabile* et utile, subinfert conceptionem fecundissimam, cum dicit: *concipiet.* Si enim diligenter inspiciamus, mysterium virginalis conceptionis fuit

Divisio. *rationabile* ratione *virginitatis* praeeuntis; fuit *admirabile* ratione [1] *fecunditatis* comitantis; fuit nihilominus *desiderabile* ratione *utilitatis* consequentis. Duo igitur hic consideranda occurrunt: primo, *virginitus;* secundo, *fecunditas.*

Pars I. De virginitate ut dispositione ad conceptum rationabili tripliciter. Propter speciositatem incorruptionis.

I. Erat namque *virginitas* dispositio congrua et rationabilis ad *tantum mysterium* triplici ratione: primo, propter *speciositatem incorruptionis,* quae ipsam reddebat idoneam ad angelicae missionis *adventum;* quod bene significatum est tertii Regum primo [2], ubi dicitur, quod *dixerunt servi* regis David: *Quaeramus domino nostro regi adolescentulam virginem, et stet coram rege et foveat eum dormiatque in sinu suo. Quaesierunt igitur adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israel et invenerunt Abisag Sunamitidem et adduxerunt eam ad regem.* Non est dubium, quin per *David* Christum, per eius *pueros* Angelos, per *Abisag* Virginem Mariam intelligere debeamus, quae ratione virginalis decoris ad Regem adducta est, ut non solum ministraret, sed etiam foveret, concipiendo et nutriendo. Unde quia Gabriel inter alios Angelos nuntius fuit praecipuus, recte ipsa intelligitur per *Rebeccam,* quam servus Abrahae quaesivit in sponsam filio domini sui, scilicet Isaac, de qua dicitur Genesis vigesimo quarto: *Ecce, Rebecca egrediebatur* ad hauriendam aquam, *puella decora nimis virgoque pulcherrima et incognita viro. Abraham, pater multarum gentium,* Deus Pater est; *Isaac,* filius eius, Christus Dominus; *Eliezer,* servus, Gabriel Angelus; *Rebecca,* quae interpretatur *multum accepit* [3], Virgo Maria. Hanc acceptavit ille nuntius in sponsam Domini propter speciositatem virgineam, quam habuit intus et extra; propter quod bis dicitur *pulcra* et bis dicitur *virgo* in auctoritate praemissa. Propter geminam sui ipsius pulcritudinem adventum promeruit Archangeli Gabrielis; et hoc est, quod dicit Bernardus [4]: « Virgo regia, gemmis ornata virtutum geminoque mentis pariter et corporis decore praefulgida, *specie sua et pulcritudine sua* in caelestibus cognita, caeli civium in se provocavit aspectus, ita ut et Regis animum in sui concupiscentiam inclinaret et caelestem nuntium ad se de supernis adduceret ».

Propter simplicitatem intentionis.

Secundo, propter *simplicitatem intentionis,* quae disponebat ipsam ad angelicae collocutionis *affatum,* quia eam solis divinis reddebat intentam, secundum illud primae ad Corinthios septimo [5]: *Mulier innupta et virgo cogitat quae Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu. Quae autem nupta est cogitat quae sunt mundi.* Virgo igitur Maria, quoniam « virgo erat carne, virgo mente, virgo professione, virgo sancta spiritu et corpore », ideo *non quae sunt mundi, sed quae Dei* erant *cogitabat,* et meliorem partem elegerat, secundum illud Lucae: *Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea.* Quia ergo uni intendebat, uni vacabat, ideo mens eius ad unitatem et simplicitatem proficiebat et sermonibus divinis et angelicis idonea fiebat, quia, ut dicitur Proverbiorum tertio [6], *cum simplicibus sermocinatio eius.* Simplicitas enim cordis sine puritate esse non potest, nec puritas sine simplicitate; et puritas disponit ad visum, simplicitas ad auditum, et haec duo insimul ad affatum, qui via est ad interiorem conceptum; unde non est inconveniens, quod simplex et pura ad ipsius Angeli affatum conceperit Dei Verbum propter puritatis et simplicitatis nobilissimum privilegium. Unde Hieronymus: « Erat Maria candidata multis meritorum virtutibus et dealbata nive candidius Spiritus sancti muneribus, simplicitatem columbae in omnibus repraesentans ». Non erat ergo mirum, si Angeli sancti colloquebantur tantae et tali Virgini.

Notandum.

Tertio, propter *sinceritatem dilectionis,* quae disponebat ipsam ad angelicae persuasionis *assensum;* unde sibi competit illud Ecclesiastici decimo quinto [7], quod dicitur de sapientia et eius amatore: *Obviabit illi quasi mater honorificata, et quasi mulier a virginitate suscipiet illum.* Persuadebat namque Angelus, ut, salva puritate virginitatis, consentiret in fecunditatem et dignitatem matris; et quia haec duo faciunt ad sinceritatem dilectionis, ideo Virgo Maria propter sincerissimum amorem, quo plena erat, non compulsa, non tracta, sed mera voluntate consentiens, Angelo suadenti *obviavit quasi mater honorificata* in salutatione angelica, *et quasi mulier a virginitate suscepit illum,* quia sic consensit, quod haberet filium, ut tamen nullo modo vellet cognoscere virum, cum dixit: *Ecce, ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* — Et haec fuit *dispositio* summa et immediata ad conceptum; quia Spiritus sancti amor est sanctissimus, ideo sinceritas amoris in corde Virginis disponebat ad ipsum suscipiendum, ut de ipso conciperet Filium omnino immaculatum; et hoc est, quod dicit ei Angelus: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Unde Magister Hugo de Virginitate Mariae [8]:

Propter sinceritatem dilectionis.

Haec summa positio.

[1] Verba *virginitatis praeeuntis* etc., addita sunt ex cod. Tudertino.

[2] Vers. 2. seq.; sequuntur Gen. 24, 15. seq. et c. 17, 5.

[3] Vide Hieron., de Nomin. Hebraic.

[4] Homil. 2. super *Missus est,* n. 2, ubi respicitur Ps. 44, 5.

[5] Vers. 34; sequuntur Bernard., homil. 2. super *Missus est,* n. 4. et Luc. 10, 42. seq.

[6] Vers. 32. — Sequens locus est auctoris Epist. ad Paulam et Eustoch. de Assumtione B. V. M. (inter opera Hieron.) c. 9.

[7] Vers. 2; sequuntur Luc. 1, 38. et dein v. 35.

[8] Cap 2. — Sequuntur Ps 44, 3. et 1. Petr. 1, 19.

« Concepit Maria de Spiritu sancto, non quod de substantia Spiritus sancti semen partus acceperit, sed quia per amorem et operationem Spiritus sancti ex carne Virginis divino partui naturae substantiam ministravit. Nam quia in corde suo amor Spiritus sancti singulariter ardebat, ideo in carne eius virtus Spiritus sancti mirabilia faciebat. Et cuius dilectio in corde illius non suscepit socium, eius operatio in carne illius non habebat exemplum ». — Erat igitur virginitas ex tribus rationibus praemissis dispositio decens et rationabilis respectu annuntiationis angelicae et per consequens respectu conceptionis dominicae. Si enim Christus Dominus erat *speciosus forma prae filiis hominum*, erat *Agnus immaculatus*, erat etiam *Sanctus Sanctorum* [1]; decebat igitur, ut Matrem haberet *pulcherrimam* per incorruptionis speciositatem; Matrem *purissimam*, per intentionis simplicitatem; Matrem *sanctissimam*, per dilectionis sinceritatem; et hoc totum possidebat Virgo Maria per virginitatem, ut ostensum est; sed haec virginitas Mariae erat privilegium singulare.

Consideremus igitur virginitatem, secundum quod animas sanctas disponit ad *spiritualem fecunditatem;* hoc tamen non facit omnis virginitas. Propter quod notandum, quod est virginitas *simulata*, quae est in sola carne; et haec subiacet multis *periculis*, et ideo *committenda* est Christo Protectori. Est igitur iterum virginitas *reparata*, quae est in sola mente; et haec indiget multis *praesidiis*, et ideo *confoederanda* est Christo Redemptori. Est tertio virginitas *immaculata*, quae est in utrisque; et haec fulget multis *privilegiis*, et ideo *copulanda* est Christo Conditori. — Attende igitur primo, quod est virginitas, quae est in *sola carne;* de qua Matthaei vigesimo quinto [2]: *Simile erit regnum caelorum decem virginibus, quae exierunt obviam sponso et sponsae. Quinque autem ex eis erant fatuae et quinque prudentes.* Virgines namque, quae virginitatem habent in sola carne, ideo sunt *simulatae*, quia exterius praetendunt puritatem in carne et interius habent impuritatem in corde; et istae dicuntur *fatuae*, quia, sicut fatuus exteriorem corporis effigiem habet sanam et interiorem mentis faciem habet aegram, in qua viget rationis sensus: sic istiusmodi virgines effigiem virtutis habent exterius, veritate virtutis carent intus. Virtus enim est in sola liberi arbitrii voluntate.

Haec autem virginitas *subiacet multis periculis:* primo, ratione *divini iudicii* quasi a superiori; secundo, ratione *praecipitii proprii* quasi ab inferiori; tertio, ratione *scandali alieni* quasi ab aequali. — Subiacet ergo primo virginitas solius carnis periculo *divini iudicii*, quia, quamvis humano iudicio talis virginitas approbetur, divino tamen iudicio reprobatur. *Homo enim videt ea quae parent, Dominus autem intuetur cor*, ut dicitur primi Regum decimo sexto [3]; et hoc significatur Matthaei vigesimo quinto, ubi dicitur de fatuis virginibus: *Novissime vero veniunt et reliquae virgines, dicentes: Domine, domine, aperi nobis;* quasi dicat: sua virginitate [4] praesumentes; sed sequitur divinum iudicium: *At ille respondens ait: Nescio vos*, non per ignorantiam, sed per vindictam. *Nescio*, inquam, *vos*, propter fraudulentiam hypocrisis; unde Iob decimo tertio: *Non enim veniet in conspectu eius omnis hypocrita;* et *veniet*, inquam, non ut iustificetur, sed ut condemnetur, et *manifesta fiant abscondita cordis sui*, secundum illud Ecclesiastici primo [5]: *Ne accesseris ad illum duplici corde. Ne fueris hypocrita in conspectu hominum, ne forte revelet Deus absconsa tua et in medio synagogae elidat te.* Quanto enim magis se extollit in conspectu hominum, tanto magis vilescit apud Deum, secundum illud Lucae decimo sexto: *Vos estis, qui iustificatis vos coram hominibus; Deus autem novit corda vestra; quia quod hominibus altum est abominatio est ante Deum.*

Secundo subiacet periculo *praecipitii proprii*, quia facilis est ad cadendum et impossibilis ad resurgendum; unde Amos quinto [6]: *Cecidit, et non adiiciet, ut resurgat. Virgo Israel proiecta est in terram suam, non est qui suscitet eam.* Hoc ad litteram verum est de virginitate carnis, quia, ut dicit Hieronymus, « cum omnia possit Deus, suscitare virginem non potest post ruinam; valet quidem liberare de poena, sed non vult coronare corruptam ». Virginitatis etiam huius ruina reddit difficilem ad poenitendum, propterea quia rumpit continentiae murum, qui quando divino iudicio frangitur, tunc anima misera multis concupiscentiis conculcatur, et principatus rationis sensualitatis imperio subiugatur; quod est valde lamentabile et dolendum. Unde plangit Ieremias Threnorum secundo: *Praecipitavit Dominus, nec pepercit, omnia speciosa Iacob*, quantum ad exteriorem honestatem; *destruxit in furore suo munitiones virginis Iudu*, quantum ad carnis integritatem; *et deiecit in terram; polluit regnum et principes eius*, quantum ad rationis captivitatem. Hoc dicitur Dominus facere, non quia praecipiat, sed quia in poena peccatum ordinet et permittat [7].

Tertio subiacet periculo *scandali alieni* quasi ab aequali. Exterior enim apparentia provocat ad concupiscentiam; propter quod Ecclesiastici nono [8] dicit Sapiens: *Virginem ne conspicias*, scilicet de ipsa cogitando; et ratio ibidem redditur: *ne forte scandalizeris in decore illius*, ipsam concupiscendo;

[1] Dan. 9, 24.
[2] Vers. 1. seq.
[3] Vers. 7; sequitur Matth. 25, 11.
[4] Cod. Monacensis legit *virtute*. — Sequuntur Matth. 25, 12; Iob 13, 16. et 1. Cor. 14, 25.
[5] Vers. 36. seqq.; sequitur Luc. 16, 15.
[6] Vers. 1. seq.; sequuntur Hieron., Epist. 22. ad Eustoch. n. 5. et Thren. 2, 2.
[7] Vide August., Epist. 140. (alias 120.) n. 4.
[8] Vers. 5; sequuntur Matth. 5, 28. et Iob 31, 1.

quia *qui viderit mulierem ad concupiscendum eam iam moechatus est eam in corde suo,* Matthaei quinto. Et propterea sanctus Iob dicebat, trigesimo primo: *Pepegi foedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine,* quia non solum arcendi sunt oculi exteriores, sed etiam interiores; non solum actus, sed et affectus et cogitatus. Nam cogitatio ducit ad affectum, affectus ad consensum, consensus ad opus, quod quidem est valde nefarium et periculosum, quia virginem corrumpere, hoc est Dei templum violare; unde primae ad Corinthios tertio [1]: *Nescitis, quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* — Quoniam ergo tot et tantis periculis subiacet, ideo *committenda* est Christo Protectori, ut conservet in statu, praeservet a lapsu et liberet a defectu. Ad hoc ipsum hortatur Ieremias, tertio; praeostensis enim periculis, ait: *Ergo saltem amodo voca me: Pater meus,* scilicet per amorem; *dux virginitatis meae tu es,* scilicet per timorem; quasi dicat: si usque nunc continuisti humano pudore, amodo contineas ex meo amore; si usque nunc nitebaris viribus propriis, amodo innitaris viribus meis et clames et dicas: *Non possum esse continens, nisi Deus det,* Sapientiae octavo. Praebeas ei voluntatem per firmum propositum, ut tribuat tibi virtutis auxilium.

Hinc est committenda Christo.

Secunda vero virginitatis differentia est virginitas *reparata,* quae est in sola mente, et haec *indiget multis praesidiis,* et ideo *confoederanda* cum Christo Reparatore; hanc acquirere nobis possumus per gratiam iustificantem, secundum illud Zachariae nono [2]: *Quid enim bonum eius est, et quid pulcrum eius nisi frumentum electorum?* in quo tangit Sacramentum *eucharistiae,* quod solummodo est bonorum; *et vinum germinans virgines,* in quo tangit Sacramentum *poenitentiae,* ubi est vinum compunctionis, quo animae sordidae per culpam et corruptae per malitiam reducuntur ad sanctitatem internam, pro eo quod, sicut dicit Augustinus de Poenitentia [3], « poenitentia, inquit, est quaedam res optima et perfecta, quae omnes defectus reducit ad perfectum ». —

Secundo, de virginitate reparata.

Haec indiget tribus praesidiis.

De praesidio primo.

Haec igitur virginitas reparata indiget *multis praesidiis* ad medelam; et primum est *fulcimentum* divinae *misericordiae* contra peccati *offensam,* quae tanta est, quod expiari non potest, nisi interveniat divina misericordia; Ieremiae trigesimo primo: *In caritate perpetua dilexi te; ideo attraxi te, miserans* tui. *Attraxi te,* inquam, ut poeniteres; *rursumque aedificabo te, et aedificaberis, virgo Israel,* cum tibi restituero perfectam innocentiam. Hoc maximum praesidium non debet nos *latere;* propterea dicitur ad Ephesios secundo: *Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo.* Hoc etiam praesidium nullus debet *contemnere* nec *abuti* in superbiam per impoenitentiam; propter quod ad Romanos secundo [4]: An *ignoras, quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei.* — Secundum praesidium est *ornamentum* divinae *gratiae* contra peccati *maculam,* quod necessarium est animae, ut recuperet integritatem virgineam; propter quod dicitur Ieremiae secundo: *Nunquid obliviscetur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciae pectoralis suae?* quasi dicat: nullo modo. Nam si obliviscatur, apparet turpis et foeda; unde sicut homo post peccatum apparet turpis sine vestitu exteriori, sic anima semper foeda apparet sine gratiae spiritualis ornatu. Gratia enim est vestis ipsius animae decorativa; propter quod homini non habenti gratiae ornamentum dicitur Apocalypsis tertio: *Dicis: Quod dives sum et locupletatus et nullius egeo;* ecce, praesumtio caecitatis; *et nescis, quia tu es caecus,* ecce, reprehensio veritatis; *suadeo tibi emere a me aurum ignitum;* ecce, consilium caritatis. — Tertium praesidium est *tutamentum Ecclesiae* contra peccati *sequelam,* quae, nisi aliter sustentetur, semper inclinat ad ruinam. Propter quod dicitur Ieremiae trigesimo primo [5]: *Revertere, virgo Israel, revertere ad civitates tuas istas. Usquequo deliciis dissolveris, filia vaga?* Per *civitates* intelligimus Religiones, quae quasi quaedam munitiones sunt in Ecclesia ad defensionem; quia destructi sunt muri Ierusalem, id est universalis Ecclesiae, per multas haereses et per multa schismata et per varia peccatorum genera, ita ut iam possit improperari Christianis et dici illud Ieremiae secundo: *Transite ad insulas Cethim et videte; et in Cedar mittite et considerate vehementer. Si mutavit gens deos suos* etc.; et post: *Populus vero meus mutavit gloriam suam in idolum,* quia gloriam crucis in gloriam mundanae vanitatis converterunt. Ideo subintroduxit Dominus quasdam mutationes diversarum Religionum, ut saltem infirmi, qui in saeculo proni erant ad casum, possent ibidem mutuo confoveri et quasi restringi. Ideo reprehendit *vagos* sicut *Cain,* qui nolunt ad poenitentiam converti. Longe enim securius et honorabilius est habitare in civitatibus quam in locis desertis et immunitis et ruinosis.

De secundo.

De tertio.

Quoniam ergo tot praesidiis indiget, ideo *confoederanda est Christo Reparatori,* ut ipse apponat medicamentum contra morbum; propter quod dicit Ieremias ad animam poenitentem Threnorum secundo [6]:

Hinc est confoederanda Christo.

[1] Vers. 16. seq.; sequuntur Ier. 3, 4. et Sap. 8, 21.
[2] Vers. 17.
[3] Vide supra pag. 372, notam 2. — Sequuntur Ier. 31, 3. seq. et Eph. 2, 4. seq.
[4] Vers. 4. seq.; sequuntur Ier. 2, 32. et Apoc. 3, 17. seq.
[5] Vers. 21. seq.; sequitur Ier. 2, 10. seq. et respicitur Gen. 4, 12.
[6] Vers. 13; sequuntur Ps. 146, 3. et Isai. 53, 5.

Cui exaequabo te et consolabor te, virgo, filia Sion? Magna est enim velut mare contritio tua! Assimilat contritionem animae poenitentis *mari;* sive contritionem *culpae,* ob quam potest quilibet dicere, qui offendit infinitum Bonum: *Magna velut mare contritio* mea, quia peccavi super numerum arenae maris; sive contritionem *poenitentiae,* quae debet esse sicut mare, ut, quemadmodum mare absorbet omnia flumina, sic dolor omnes iucunditates; et tunc ille medebitur, qui *sanat contritos corde et alligat contritiones eorum.* Ille, inquam, pro nobis attritus fuit, secundum illud Isaiae quinquagesimo tertio: *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; et livore eius sanati sumus.*

Tertia est virginitas *immaculata,* quae scilicet est mentis et corporis; et de hac potest intelligi illud in figura Esther secundo [1]: *Quaerantur regi puellae virgines ac speciosae.* Illae quidem sunt *virgines speciosae,* id est plenae specie, quae non habent maculas nec interius, sicut virgines sola carne, nec exterius, sicut virgines sola mente, sed illae quae ad imitationem Virginis Mariae sunt mente et corpore immaculatae. — Haec autem virginitas immaculata *fulget multis privilegiis,* quorum primum est perfecta *conformitas* imitationis Agni; Apocalypsis decimo quarto: *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati,* in carne; *Virgines enim sunt,* scilicet mente; *hi sequuntur Agnum, quocumque ierit,* per omnimodam conformitatem *continentiae.* Et ut nihil eis desit, facit Dominus, quod sequantur per conformitatem *patientiae* in signum perfectae amicitiae; unde Threnorum primo: *Torcular,* scilicet passionis, *calcavit Dominus virgini, filiae Iuda,* eam ad aemulationem provocando, ut imitetur. — Secundum privilegium est praecipua *familiaritas cohabitationis* Sponsi; Isaiae sexagesimo secundo [2]: *Habitat enim iuvenis cum virgine,* id est Christus, filius Virginis; *et gaudebit sponsus super sponsam,* id est Christus super animam sanctam sibi copulatam; unde Beda: « Christus de Virgine natus est, ut se virgineum decus diligere ostenderet; et in huius signum voluit habere virginem Matrem, virginem praecnrsorem, virginem familiarem ». — Tertium privilegium est plena *iucunditas exsultationis* Spiritus sancti; propter quod dicitur in Psalmo [3]: *Adducentur regi virgines post eam;* Ieremiae trigesimo primo: *Erit anima eorum quasi hortus irriguus,* per gratiam perfectam, *et ultra non esurient,* per concupiscentiam; *tunc laetabitur virgo in choro,* per Spiritus sancti exsultationem, *iuvenes et senes simul,* per congratulationem. Et haec est laetitia magna, quia intus et extra, *et non est oblectamentum super cordis gaudium.* — Et quoniam tot refulget privilegiis, ideo *copulanda est Christo* Largitori, qui omnia dedit perfecti amoris desponsatione; et hoc desiderabat Apostolus secundae ad Corinthios undecimo [4]: *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo,* ubi consistit viae omnis perfectio et meritum.

Hinc est copulanda Christo.

II. Viso de virginitate, sequitur videre de virginitatis *fecunditate;* quae quidem respectu virginitatis fuit *admirabilis,* sed respectu nostrae utilitatis fuit *incomparabilis.* Admirabilis quidem fuit conceptionis fecunditas tum ex parte *concipientis,* tum ex parte *Concepti,* tum ex parte *ipsius conceptionis.* — Primo igitur fuit *admirabilis* propter *concipientis integritatem;* propterea dicitur Isaiae septimo [5]: *Ecce, virgo concipiet,* ita quod simul sit *virgo* et *concipiens,* alioquin non *daretur in signum* habitantibus Ierusalem. Hoc mirabile ostensum fuit Ezechieli in descriptione templi, quadragesimo quarto: *Convertit me,* inquit, *ad viam portae sanctuarii exterioris, quae respiciebat ad orientem,* id est ad considerandum Filii Dei originem et incarnationem; *et erat clausa,* scilicet per omnimodam incorruptionem. Et reddit rationem: *Porta haec clausa erit,* scilicet in conceptu; *non aperietur,* scilicet in partu, *et vir non transibit per eam,* quantum ad matrimonii usum; *quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam,* quantum scilicet ad conceptionis sacramentum. Unde Sponsus Virginem Mariam alloquens Canticorum quarto [6] dicit: *Hortus conclusus, soror mea sponsa; hortus conclusus, fons signatus; emissiones tuae paradisus.* — Ter dicit *clausionem* ipsius, ut ostendat, quod incorrupta fuit in *conceptu,* in *partu* et in *progressu,* contra haereticos, qui dixerunt, postea ipsam a viro fuisse cognitam. Et in hoc est tamen valde mirabile, quod sic clausa, et tamen fecunda erat fecunditate summa; unde dicit: *emissiones tuae paradisus,* propter fecunditatem perfectissimam, in qua nihil defectionis, nihil impuritatis, nihil erat tristitiae, sicut fuit in conceptione Evae; nihil erat ibi superbiae, nihil vitiositatis, sed totum erat eximiae humilitatis, fecundissimae integritatis et iucundissimae felicitatis; et ideo omni laude et admiratione dignum. Unde Bernardus: « Felix Maria, cui nec humilitas defuit nec virginitas; et quidem singularis *virginitas,* quam non temeravit, sed honoravit fecunditas; et nibilominus specialis *humilitas,* quam non abstulit, sed extulit fecunda virginitas; et incomparabilis prorsus *fecunditas,* quam virginitas simul comitatur et humilitas. Quid horum non mirabile? Quid non incomparabile? Quid non singulare? Mirum vero, si non haesitas in eorum ponderatione, quid tua iudices dignius admiratione; nisi quod indubitanter horum

Pars II. De virginitatis fecunditate duplici.

Fuit prime admirabilis ex triplici parte.

Primo, propter concipientis integritatem.

Incorrupta tripliciter.

[1] Vers. 2; sequuntur Apoc. 14, 4. et Thren. 1, 15.
[2] Vers. 5. — Locus Bedae non est inventus.
[3] Psalm. 44, 15; sequuntur Ier. 31, 12. seq. et Eccli. 30, 16.
[4] Vers. 2.
[5] Vers. 14; sequuntur Ezech. 44, 1. et dein v. 2.
[6] Vers. 12. seq. — Sequitur Bernard., homil. 4. super *Missus est,* n. 9.

singulis praeferenda sunt simul cuncta, et incomparabiliter excellentius est atque felicius omnia percepisse quam aliqua ».

Secundo, propter Concepti aeternitatem. Secundo fuit admirabilis propter *Concepti aeternitatem;* Conceptus enim erat Deus, Dei Filius et Sapientia, quae de se dicit Proverbiorum octavo [1]: *Ab aeterno ordinata sum et ex antiquis, antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, et ego*

Grande mysterium? *iam concepta eram.* Si ab aeterno fuit concepta, quomodo concipi potuit in fine saeculorum a Virgine Maria? Si enim aeterna erat, ergo immutabilis, ergo incomprehensibilis, ergo interminabilis. Quomodo ergo Interminabilis concipi potuit a iuvencula? Quomodo Incomprehensibilis a parvula? Quomodo Immutabilis a fragili et tenella? Et tamen talem et tantum concepit, secundum testimonium angelicum; Lucae primo [2], inquit Angelus ad Virginem: *Ecce, concipies in utero et paries Filium* etc.; et post describit eum: *Hic erit magnus*, scilicet incomprehensione; *et Filius Altissimi vocabitur*, suae essentiae immutabilitate; *et regni eius non erit finis*, sua interminabilitate. Unde in hoc conceptu est divina Maiestas mirabiliter humiliata, et virginalis humilitas mirabiliter exaltata. Unde Bernardus: « Mirare utrumlibet et elige, quid amplius mireris, sive Filii benignissimam dignationem, sive Matris excellentissimam dignitatem! Utrimque stupor, utrimque miraculum: et quod Deus feminae obtemperet, humilitas absque exemplo; et quod Deo femina principetur, sublimitas sine socio ». Et post, idem ostendens mirabile, dicit: « Porro, ibi agnoscitur longitudo brevis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana. Ibi cognoscitur lux non lucens, verbum infans, aqua sitiens, panis esuriens. Videas, si attendas, potentiam regi, sapientiam instrui, virtutem sustentari, Deum denique lactentem, sed Angelos reficientem, vagientem, sed miseros consolantem ».

Tertio, propter conceptionis novitatem. Tertio fuit admirabilis propter *conceptionis novitatem,* quam novitatem admirabilem praevidit Ieremias trigesimo primo [3]: *Creavit Dominus novum super terram: Femina circumdabit virum.* Hoc, inquam, est novum et omnibus retroactis temporibus inauditum, ut ipsa Prolis conceptio esset non seminis coagulatio et susceptio, sed viri perfecti scientia et virtutibus perfecta et integra circumvallatio. Hoc novum Angelus annuntians Mariae, ostendit aliquid rarum ad confirmationem, scilicet sterilis conceptionem, cum dixit ad Virginem: *Ecce, Elisabeth, cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua; quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Hoc non erat novum, quia Sara sterilis et senex conceperat [4], sed tamen mirum erat; et tamen bene erat possibile Deo magnum sicut parvum, novum sicut rarum, licet, quanto aliquid sit maius et rarius, et tanto sit mirabilius. Unde inter omnia opera Dei conceptionis sacramentum plus habet in se rationem admirationis; et hoc est quod beatus Bernardus dicit [5]: « A saeculo non est auditum, ut mater simul aliqua esset et virgo. O si et, cuius mater est, attendas! quo te tua super eius mirabili celsitudine ducit admiratio? Nonne ad hoc, ut te videas nec satis posse mirari »? Et postea subdit: « Et quid mirum, si Deus, qui *mirabilis* legitur et dicitur *in Sanctis suis*, mirabiliorem se exhibuit in Matre sua? Veneramini ergo, coninges, in carne corruptibili carnis integritatem; miramini etiam vos, sacrae virgines, in Virgine fecunditatem; imitamini, omnes homines, Dei Matris humilitatem; honorate, sancti Angeli, vestri Regis Matrem, qui nostrae adoratis Virginis Prolem, ipsum utique nostrum pariter ac vestrum Regem, nostri generis Reparatorem, vestrae civitatis Instauratorem ».

Notand

Fuit etiam fecunditas Virginis *incomparabilis* sive *desiderabilis* ratione *nostrae utilitatis*, quae omnino inaestimabilis fuit. Potest enim triplex utilitas assignari: prima est *adversariorum exspoliatio* ratione Prolis conceptae; quod bene significatum est Isaiae octavo [6], ubi dicitur, quod *prophetissa concepit et peperit filium. Et dixit Dominus ad me: Voca nomen eius: Accelera spolia detrahere; festina praedari*, quia Christus, Conceptus Virginis, exspoliavit inimicos nostros, secundum illud ad Colossenses secundo: *Exspolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Et ratione huius dicitur Virgo Maria ipsum concipiens *expugnatrix inimicorum*, secundum illud Ecclesiastici vigesimo quarto: *Et omnium excellentium et humilium corda* propria *virtute calcavi.* Unde Bernardus [7]: « Ipsa est quondam a Deo promissa mulier, quae serpentis antiqui caput virtutis pede contrivit, cuius plane *calcaneo* in multis versutiis *insidiatus* est, sed sine causa; sola enim contrivit universam haereticam pravitatem ». — Secunda utilitas est *afflictorum consolatio;* quod bene significatum fuit Ruth quarto [8]: *Dedit illi Dominus, ut conciperet et pareret filium. Ruth* interpretatur videns, per quam intelligimus Virginem Mariam; et post sequitur: *Dixeruntque mulieres ad Noemi: Benedictus Dominus, qui non est passus, ut deficeret successor familiae tuae; et vocaretur nomen eius in Israel, et habeas qui consoletur animam tuam et enutriat senectutem.* Per *Noemi* intelligimus Ecclesiam, quae ex conceptione Christi in omnibus tribulationibus consolatur, secundum

Fuit se da incon rabilis ratione sideral es tri utilitate prim

De sec

---

[1] Vers. 23. seq.

[2] Vers. 31. seqq. — Sequitur Bernard., homil. 1. super *Missus est*, n. 7. et homil. 2. n. 9.

[3] Vers. 22; sequitur Luc. 1, 36. seq.

[4] Respicitur Gen. 11, 30. et c. 18, 19. seqq.

[5] Homil. 1. super *Missus est*, n. 7. et dein n. 9, ubi alluditur ad Ps. 67, 36.

[6] Vers. 3; sequuntur Coloss. 2, 15. et Eccli. 24, 11.

[7] Serm. de Domin. infra Octav. Assumt. B. V. M. n. 4, ubi respicitur Gen. 3, 15.

[8] Vers. 13; dein v. 14. seq.

illud secundae ad Corinthios primo [1]: *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra.* Et ratione huius Virgo Maria dicitur et est *consolatrix miserorum;* unde Bernardus [2]: « In periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat a corde, et ut impetres orationis eius suffragium, non deseras conversationis exemplum ». — Tertia utilitas est *captivorum liberatio,* quod bene significatum fuit Exodi secundo [3] in conceptione Moysi, ubi dicitur de matre eius, quod *concepit et peperit filium, et videns eum* elegantis formae, *abscondit tribus mensibus.* Sicut enim Moyses liberavit populum Israel captivum de Aegypto et occultatus est a facie Pharaonis, sic Christus liberavit nos de *tenebris et umbra mortis,* et tamen prius occultatus fuit a facie Herodis; unde Christus ipse fuit nostra liberatio, qui nos liberavit a servitute peccati et liberavit *a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei* [4]. Et ratione huius dicitur Virgo Maria *liberatrix captivorum;* unde Anselmus: « Sed cur solum loquor, Domina, beneficiis tuis plenum esse mundum? Inferna penetrant, caelos superant; per plenitudinem enim gratiae tuae et quae in inferno erant se laetantur liberata, et quae supra mundum sunt se gaudent restaurata ». Sic igitur ostenditur, quam admirabilis et ineffabilis sit fecunditas beatissimae Virginis Mariae, quae tamen est singularis.

Sed intelligendum est, quod est fecunditas sive conceptio *desiderabilis animae sanctae,* quae omnibus debet esse *communis;* de qua dicitur Isaiae vigesimo sexto [5]: *A facie tua, Domine, concepimus et quasi parturivimus et peperimus spiritum,* salutis. Et est alia *detestabilis* huic opposita, scilicet animae peccatricis, de qua Iacobi primo: *Concupiscentia* enim, *cum conceperit, parit peccatum; peccatum vero, cum consummatum fuerit, generat mortem.* — Prima conceptio autem est *laudabilis,* quae est septiformis secundum spiritum septiformem; quod bene significatum est in viro spirituali lob, lob primo, de quo dicitur, quod *nati sunt ei septem filii;* Gregorius [6] exponit, « id est septem dona Spiritus sancti », quibus oppositi sunt septem spiritus nequam, de quibus dicitur Lucae undecimo: *Cum immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, quaerens requiem; et non inveniens, dicit: Revertar in domum meam, unde exivi. Et cum venerit, invenit eam scopis mundatam et ornatam. Tunc vadit et assumit septem alios spiritus secum nequiores se, et ingressi habitant ibi.* Et ideo intelligendum est, quod conceptio animae *spiritualis* est septiformis, et similiter conceptio animae *carnalis;* de quibus simul agendum est, ut magis elucescant. Istae autem septem conceptiones spirituales, quia ortum habent a gratia Dei, eleganter significatae sunt per septem mulieres steriles, quae concepernnt ex dono Dei et virtute divini muneris. — Primo igitur anima spiritualis concipit spiritum *timoris,* qui primus est inter dona; quod significatum fuit in conceptu *Sarae,* de qua dicitur Genesis vigesimo primo [7]: *Concepit* Sara *et peperit filium in senectute sua. Vocavitque Abraham nomen* eius *Isaac.* Per *Isaac* recte intelligitur timoris donum, secundum quod dicitur Genesis trigesimo primo, (ubi) dicit Iacob: *Nisi timor Isaac affuisset mihi, forsitan modo nudum me dimisisses.* Iste timor concipitur fide poenarum; unde ad Hebraeos undecimo: *Fide et ipsa Sara sterilis virtutem in conceptionem seminis accepit;* et hoc est spiritualis conceptionis initium, quia *initium sapientiae timor Domini* [8]. — Huic opponitur conceptio spiritus *superbiae,* quae est initium omnis perditionis; de qua Genesis decimo sexto dicitur, quod Agar, *concepisse se videns, despexit dominam suam.* — Secundo anima spiritualis concipit donum *pietatis,* quod significatum fuit in conceptione *Rebeccae,* de qua Genesis vigesimo quinto [9]: *Deprecatus est Isaac Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis; qui exaudivit eum et dedit conceptum Rebeccae. Sed collidebantur in utero eius parvuli,* in quo significatur, quod non nascitur donum pietatis sine zelo severitatis institiae, inter quos est quasi quaedam lucta sicut inter austeritatem Esau et benignitatem Iacob. — Huic opponitur conceptio spiritus *invidiae,* de quo lob decimo quinto: *Concepit dolorem et peperit iniquitatem, et uterus eius praeparat dolos.* Hoc recte dicitur de invidis, qui dolent de bonis aliorum et ex dolore insidiantur et postea detrahunt; Isaiae quinquagesimo nono: *Concepimus et locuti sumus de corde verba mendacii. Et conversum est retrorsum iudicium, et iustitia longe stetit; quia corruit in platea veritas, et aequitas non potuit ingredi. Et facta est veritas in oblivionem, et qui recessit a malo praedae patuit.*

Tertio spiritualis anima concipit donum *scientiae,* quod significatum fuit in conceptione *Rachel,* de qua Genesis trigesimo [10]: *Recordatus Dominus Rachelis, exaudivit eam et aperuit vulvam eius. Quae concepit et peperit filium, dicens: Abstulit Deus opprobrium meum. Et vocavit nomen eius Ioseph.* Per *Ioseph,* qui fuit prudentissimus, intelligimus donum scientiae; unde in Psalmo: *Constituit eum dominum domus suae et principem omnis possessionis suae, ut erudiret principes eius sicut semetipsum.* — Huic opponitur conceptio spiritus *iracundiae,*

De conceptione prima.

De superbia.

De secunda.

De invidia.

De tertia.

De iracundia.

[1] Vers. 5.
[2] Homil. 2. super *Missus est,* n. 17.
[3] Vers. 2; dein respiciuntur Luc. 1, 79. et Matth. 2, 13. seqq.
[4] Rom. 8, 21. — Sequitur Anselm., Oratio 52. (alias 51.).
[5] Vers. 17. seq.; sequuntur Iac. 1, 15. et lob 1, 2.
[6] Libr. 1. Moral. c. 27. n. 38; sequitur Luc. 11, 24. seqq.
[7] Vers. 2. seq.; sequuntur c. 31, 42. et Hebr. 11, 11.
[8] Eccli. 1, 16; sequitur Gen. 16, 4.
[9] Vers. 21. seq.; sequitur lob 15, 35. et Isai. 59, 13. seqq.
[10] Vers. 22. seqq.; sequitur Ps. 104, 21. seq.

quae « impedit animum, ne possit cernere verum [1] »; de qua dicitur in Psalmo: *Ecce, parturiit iniustitiam, concepit dolorem et peperit iniquitatem. Dolor* est communis irae et invidiae, sed invidia generatur principaliter in (bonis), ira ex aliqua iniuria vel offensa, utraque tamen ostenditur extra [2]. — Quarto spiritualis anima concipit donum *fortitudinis*, quod significatum est in uxore *Manue* sterili, de qua dicitur Iudicum decimo tertio [3]: *Cui apparuit Angelus Domini et dixit ad eam: Sterilis es et absque liberis; sed concipies et paries filium;* et postea sequitur, quod concepit et *peperit filium vocavitque nomen eius Samson*, in quo ratione suae fortitudinis valde eleganter significatur donum fortitudinis, quod habemus ex Deo. — Huic opponitur conceptio spiritus *accidiae*, cui sunt omnia laboriosa; de qua Isaiae quinquagesimo nono: *Conceperunt laborem et pepererunt iniquitatem* etc. — Quinto anima concipit donum *consilii*, quod significatur in conceptione *Annae*, primi Regum primo [4]: *Concepit Anna et peperit filium vocavitque nomen eius Samuel, eo quod a Domino postulasset eum.* Per *Samuel, qui, a Domino postulatus*, Domino oblatus, *Domino ministrabat* et pro omni Israel ipsum consulebat, recte intelligitur donum consilii, quod in Domino debet collocari, secundum illud Tobiae quarto [5]: *Pete ab eo, ut vias tuas dirigat, et omnia consilia tua in ipso permaneant.* — Huic opponitur conceptio spiritus *avaritiae*, quae divinis consiliis contradicit, de qua potest intelligi illud Isaiae trigesimo tertio: *Concipietis ardorem*, scilicet avaritiae, *parietis stipulam*, pecuniae.

Sexto spiritualis anima concipit donum *intellectus*, quod significatur in conceptione mulieris *Sunamitidis*, de qua dicitur quarti Regum quarto [6]: *Concepit mulier et peperit filium in tempore et in hora eadem, qua dixerat Eliseus.* Ut plurimi asserunt, filius illius mulieris fuit Ionas, qui habuit intellectum tanquam Propheta et praedicator non solum Iudaeorum, sed etiam gentilium et Ninivitarum, qui ad eius praedicationem ad Deum conversi sunt. Et signanter legitur ibi, quod mulier concepit propter hospitalitatem, quam exhiberat Eliseo, quia, ut dicit Gregorius [7], per bonum exercitium pietatis pervenitur ad intellectum veritatis; alioquin intellectus sine operatione est talentum singulare, quod non multiplicatur, sed ex eius occasione damnatur ille cui committitur, sicut dicitur Matthaei vigesimo quinto de servo pigro. — Huic opponitur conceptio spiritus *gulae*, de qua potest intelligi illud Iob vigesimo primo [8]: *Bos concepit et non abortivit*, hoc recte intelligitur de guloso, qui ad modum bovis duos habet ventres, et cnius venter dilatatur ex ruminatione cibi. Talis privatur intellectu, quia dicitur Isaiae vigesimo octavo: *Quem docebit scientiam et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus.* — Septimo spiritualis anima concipit donum *sapientiae*, quod significatum fuit in conceptione *Elisabeth*, de qua dicitur Lucae primo [9], quod *concepit Elisabeth et occultabat se mensibus quinque.* Concepit utique Ioannem, qui non tantum *Propheta*, sed etiam *plus quam Propheta*, quia sapientiae donum excedit omnem alium cognoscendi modum. Et iste est thesaurus verus, secundum quod dicitur in libro Sapientiae septimo: *Infinitus enim thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt participes facti sunt amicitiae Dei propter disciplinae dona commendati.* Occultari debet secundum consilium Domini, Matthaei decimo tertio [10]: *Simile est regnum caelorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo abscondit* etc. *Sapientia* enim *abscondita est ab oculis omnium viventium.* — Huic opponitur conceptio spiritus *luxuriae*, quae hominem convertit totum ad carnalitatem. Et haec significata fuit Genesis decimo nono: *Conceperunt duae filiae Lot de patre suo*, scilicet per incestum; et nota, quod *duae* dicuntur, quia *sanguisugae duae sunt filiae*, Proverbiorum trigesimo, et vix vel nunquam est luxuria sine gula, immo una introducit aliam, sicut dicitur de filiabus Lot [11].

Sic patet, quod septem sunt conceptiones *spirituales*, quae habent septem malas conceptiones oppositas. Patet etiam, quam eleganter exprimuntur in Scriptura, quia solum septem mulieres dicuntur ibi virtute divina concepisse. Scriptura enim divina magis figuram respicit quam rem gestam. Illi autem, qui concepti fuerunt, gerebant figuram Christi spiritualiter, sicut Isaac, Iacob et Ioseph inter Patriarchas, Samson et Samuel inter Iudices, Ionas et Ioannes inter Prophetas; et omnes mulieres illae, figuram beatae Virginis; et omnes illi conceptus, (figuram) praesentis conceptionis, quia quod in aliis fuit per partes, in Maria fuit secundum plenitudinem; unde ipsa concepit Filium, qui ab initio conceptionis habuit Spiritum septiformem in omnimoda plenitudine, secundum illud Isaiae undecimo [12]: *Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet. Et requiescet super eum spiritus Domini: spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini.* Unde ista conceptio Virginis

De concupiscentia quarta. — De accidia. — De quinta. — De avaritia. — De sexta. — De gula. — De se[p]. — De lux[uria]. — Conclus[io] hoc du[plex] septen[aria]. — Notand[um]. — Notand[um].

[1] Vide supra pag. 595, notam 4; sequitur Ps. 7, 15.
[2] Cod. Tudert. bene legit: *offensa, tamen malum offert exemplum.*
[3] Vers. 3. et dein v. 24; sequitur Isai. 59, 4.
[4] Vers. 20; dein respiciuntur v. 25, e. 3, 1. et 8, 21. seq.
[5] Vers. 20; sequitur Isai. 33, 11.
[6] Vers. 17; dein respicitur Ionae 3, 4. seqq.
[7] Cfr. II. Homil. in Ezech. homil. 7. n. 7: « Per pietatem ad scientiam ducimur »; et ibid. n. 9. dicit: « Bona actione promeruit, ut Deum cognosceret ». — Dein respicitur Matth. 25, 24. seqq.
[8] Vers. 10; sequitur Isai. 28, 9.
[9] Vers. 24; sequuntur c. 7, 26. et Sap. 7, 14.
[10] Vers. 44; sequuntur Iob 28, 21; Gen. 19, 36. et Prov. 30, 15.
[11] Respicitur Gen. 19, 31. seq.
[12] Vers. 1. seqq.

est veritas consummativa omnium praedictarum conceptionum. Propter enim suam plenitudinem et dignitatem non debuit nec potuit figurari conceptione unica et simplici, sed multiplici; unde multae praecesserunt figurae ante hanc conceptionem, sive ut manuducerent intellectum ad credendum hodiernae conceptionis miraculum, sive ut excitarent ad desiderandum praedictae conceptionis fructum, ac per hoc ostenderent virginalem conceptum *admirabilem* et *desiderabilem*, ut prius tactum est. Unde Bernardus de iis figuris loquens, ait [1]: « Quod Moysi monstratum est in rubo et igne, Aaron in virga et flore, Gedeoni in vellere et rore, hoc aperte praevidit Salomon in *forti muliere* et eius pretio, apertius praedicavit Ieremias *de femina et viro*, apertissime declaravit Isaias *de Virgine et Deo*; hoc tandem exhibuit Angelus Gabriel ipsam Virginem salutando ». — Completa fuit igitur septiformitas haec hodie in auribus nostris; ideo gaudium et laetitia debet esse omni populo Christiano ex apertione mysterii tam rationabilis, tam admirabilis, tam utilis et desiderabilis, ut per huius mysterii virtutem perducatur ad aeternam beatitudinem. Amen.

petitio.

Sermo III [2].

Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum [3].

Qui est de terra de terra est et de terra loquitur. Qui de caelo venit super omnes est.

rothema. (Prothema). Verbum secundo propositum scribitur in Ioanne, et est verbum, quod dixit Ioannes Baptista, quando discipuli eius loquebantur sibi de Christo. In quo verbo ostendit se indignum ad loquendum de Christo, et ostendit huius rationem, quia Christus de caelo est, et ipse de terra; et quantum distat caelum a terra, tantum distat nostra intelligentia a Christo, et sicut stultus reputaretur qui conaretur attingere caelum, sic etiam stultus esset qui per humanam loquelam et sapientiam vellet mysterium incarnationis Christi indagare. Et ego non sum dignus loqui de mysterio incarnationis et quilibet, qui potest dicere: Adhaesit in terra venter meus [4]; et ego reputo me cum terrenis. Et quoniam ego sum minus sufficiens, in principio rogemus Dominum, ut det mihi aliquod munusculum gratiae suae, quod possim aliquid balbutire de mysterio incarnationis, quod sit ad honorem sui sancti nominis et ad salutem animarum nostrarum.

Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum.

Quia incarnationis mysterium simul est altissi- Sermo.
mum et profundum, ita quod sua profunditate est imperscrutabile, altitudine vero est inexplicabile, adeo ut Isaias dicat quinquagesimo tertio [5]: *Generationem eius quis enarrabit?* et Ioannis primo dicat Ioannes Baptista: *Cuius ego non sum dignus, ut solvam eius corrigiam calceamenti:* convenientissimum fuit, nobis illud explicari quasi velatum variis et aptis similitudinibus; ut enim dicit Dionysius [6]: « Impossibile est, nobis aliter lucere divinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum anagogice circumvelatum ». Propter quod et eximius Prophetarum David, cui beneficium incarnationis divinitus fuerat repromissum, Spiritu sancto afflatus, in verbo proposito explicat nobis mirificum mysterium incarnationis, quod hodie peractum est per ministerium angelicum Archangeli Gabrielis et per assensum intemeratissimae Virginis, sub metaphora terrae fructificantis in praedicto verbo, cum dicitur: *Dominus dabit benignitatem* etc. In quo vere incarnationis mysterium et beneficium describitur sub triplici consideratione: primo, ex parte *principii superinfluentis*, Divisio.
cum praemittit: *Dominus dabit benignitatem;* secundo, ex parte *subiecti suscipientis*, cum addit: *et terra nostra;* tertio, ex parte *commodi subsequentis*, cum subiungit: *dabit fructum suum.* Tunc enim perfecte cognoscitur Filii Dei benignissima incarnatio, si cognoscatur *a quo* et *in quo* et *pro quo;* quia tunc cognoscitur quantum ad principium, medium et ultimum, seu quantum ad *antecedentia, concomitantia* et *subsequentia*, in quibus consistit cognitio rei integra et perfecta.

I. Primo ergo in verbis istis describitur mysterium incarnationis ex parte *principii superinfluentis*, cum dicitur: *Dominus dabit benignitatem* [7]. Si enim quaeratur ratio et causa principalis, quare Deus voluit incarnari; optime respondetur, quod huius ratio summa et praecipua est excellentissima *benignitas* Dei, *a qua* et *secundum quam* et *propter quam* facta est incarnatio Verbi. Propter quod et Propheta hoc beneficium *benignitatem* appellavit, quia a benignitate *procedit*, benignitatem *praetendit* et ad benignitatem *perducit;* et sic ad benignitatem comparatur secundum triplex genus causalitatis, efficientis scilicet, exemplaris et finalis. Et hinc est, quod beneficium incarnationis per se nuda consideratione recogitatum videtur dubium aut incredibile, comparatum Pars I. Ex parte principii superinfluentis.

[1] Vide supra pag. 659, notam 8, ubi respiciuntur Prov. 31, 10; Ier. 31, 22; Isai. 7, 14. et Luc. 1, 30. seq.

[2] Ex cod. Monacensi W fol. 208 r., ex cod. Tudertino n. 182. fol. 165 r., atque ex cod. Monasterii Hilariensis (Wilhering) sig. 36. fol. 78 r., qui solus habet *prothema* et distincte exhibet *Collationem* cum repetitione partium iam tractatarum. Sed quia sermonis textus *melius* et plerumque *completius* inveniur in duobus aliis codicibus, hos secuti sumus, reiecto etiam hinc inde aliquo additamento in cod. Hilariensi, quod alienam manum insinuare visum est.

[3] Psalm. 84, 13. — Prothema habetur Ioan. 3, 31.

[4] Respicitur Ps. 23, 25: *Conglutinatus est in terra venter noster.*

[5] Vers. 8; sequitur Ioan. 1, 27.

[6] De Caelesti Hierarch. c. 1. § 3.

[7] De hac prima parte multa verbotenus inveniuntur supra in sermone 2. Dominicae I. Adventus, pag. 27 col. II.

ad summam benignitatem, fit certum et indubitabile. Si enim certissimum est, Deum esse optimum, certissimum est, ipsum esse benignissimum et beneficentissimum, et propter hoc convenientissimum est sibi attribuere beneficium summae benignitatis et beneficentiae, ultra quam nulla possit benignitas excogitari; et hoc quidem est, Deum assumere *formam servi* de utero virginali, quod non tantum est credibile, sed etiam certum et indubitabile, si attendamus, quid velit Propheta dicere: *Dominus dabit benignitatem.*

De benignitate tria dicuntur.

Primo enim insinuat, benignissimae incarnationis beneficium a summa *benignitate procedere*, iuxta illud quod in persona viri spiritualis, loquentis cum Domino, dicitur in Psalmo [1]: *Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua* etc.; et post: *Tunc acceptabis sacrificium iustitiae* etc. Constat, quod hoc beneficium *acceptabile* non erat nisi per Christi adventum; unde ad Hebraeos decimo, et sumtum est de Psalmo: *Sacrificium et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi.* Quoniam ergo hoc sacrificium non erat dandum propter dignitatem meriti humani, sed propter benignitatem divini beneplaciti, ideo dicit: *Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua. Bona* namque *voluntas* est illa quae benignitate se diffundit et misericordia condescendit; propter quod vir sanctus orat in Psalmo [2]: *Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua.* Quia enim Filius Dei non tantum nostram naturam, verum etiam poenalitates suscepit; hinc est, quod incarnationis beneficium simul ex misericordia et benignitate processit. — Secundo, summam *benignitatem praetendere*, iuxta quod dicitur ad Titum tertio [3]: *Benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei. Benignitas* namque Dei ante adventum Verbi incarnati quasi latuit, sed post adventum claruit, apparuit et manifestata fuit; et ideo tunc incepit *annus benignitatis*, iuxta illud Psalmi: *Benedices coronae anni benignitatis tuae. Corona benignitatis* fuit beata Virgo Maria, quae designata fuit per *mulierem amictam sole, et in capite eius* erat *corona stellarum duodecim.* Et haec benedicta fuit a Deo, Angelo annuntiante [4]: *Benedicta*, inquit, *tu in mulieribus* etc.; et ex hoc *campi replebuntur ubertate*, gratiae. Propterea illi qui modo vacui sunt a gratia et repleti spinis, non spectant ad benignitatem anni, sed ad severitatem divini iudicii, secundum illud Psalmi: *Dilexisti malitiam super benignitatem.* — Tertio, ad summam *benignitatem perducere*, secundum illud ad Ephesios quarto [5]: *Estote invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis.* Ad hoc enim Deus beneficium hoc ex benignitate dedit et benignitatem in beneficio dato ostendit, ut suo *beneficio* et *exemplo* quasi duplici funiculo ad benignitatem trahendo faceret nos conformes Patri et Filio et Spiritui sancto; unde Lucae sexto: *Diligite inimicos vestros, benefacite et mutuum date, nihil inde sperantes; et erit merces vestra multa, et eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos et malos. Benignus* namque est Dominus super malos, *suscipiendo* (eos), cum poenitent; Ioelis secundo: *Convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus et misericors est, patiens et multae misericordiae et praestabilis super malitia; tolerando*, cum peccant. Sed haec benignitas convertitur in iram his qui non convertuntur ad poenitentiam; ad Romanos secundo [6]: *Ignoras, quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei.* — Non est igitur Dei benignitas contemnenda, quia nullus est bonus, nisi ab ipso bonitatem accipiat et secundum ipsam bonitatem proficiat et propter ipsam ad benignitatem tendat; et hoc per beneficium incarnationis, quod nomine benignitatis Propheta notificat ex parte principii superinfluentis, cum dicit: *Dominus dabit benignitatem.*

Incarnatio procedit a benignitate.

Item, praetendit benignitatem.

Item, perducit ad benignitatem.

Conclusio.

II. Secundo vero describitur beneficium incarnationis ex parte *subiecti suscipientis*, cum dicitur: *terra nostra;* et hoc quidem satis convenienter; sicut enim, si terra relinquatur suae ariditati, impossibile est, quod germinet, sed aquis irrigata efficitur fructuosa; sic et virginitas suae sterilitati relicta, non concipit, nisi fecundetur gratia superna. Et sicut non est incredibile, terram prius aridam, post irrigatam pluviis, germinare, sic nec virginem concipere, scilicet Spiritus sancti gratia fecundante. Propter quod ad huiusmodi metaphoram plenius cognoscendam intelligendum est, quod terra ista sensibilis est *aridissima proprietate, profundissima localitate, irriguissima fontalitate, fertilissima fecunditate* [7], ita quod una istarum proprietatum causa est et ratio alterius. Ideo enim terra est fertilis et *fecunda*, quia *irrigna;* ideo irrigna, quia *profunda* et in imo sita; ideo in infimo loco sita, quia maxime *arida* et opaca. His autem correspondent quatuor conditiones nobilitatis in *terra nostra*, scilicet beatissima Virgine Maria, videlicet *incorruptio virginea, subiectio reverentissima, sanctificatio plenaria et conceptio fructuosissima.* In his figuris similiter una proprietas introducit aliam; nam incorruptio ex parte sui disponit ad reverentiam et subiectionem respectu Patris aeterni, haec, ad sanctificationem Spiritus sancti, et haec, ad conceptionem Filii Dei.

Para II. Ex parte subiecti suscipientis.

Terrae proprietates quatuor.

In Maria respondent quatuor praerogativae.

Fuit ergo beata Virgo Maria terra *aridissima* proprietate pro *incorruptione virginea*, in cuius

De praerogativa prima.

---

[1] Psalm. 50, 20. seq.; sequitur Hebr. 10, 5. (Ps. 39, 7.).
[2] Psalm. 68, 17.
[3] Vers. 4; sequuntur Ps. 64, 12. et Apoc. 12, 1.
[4] Luc. 1, 28; sequitur Ps. 64, 12.
[5] Vers. 32; sequuntur Luc. 6, 35. et Ioel. 2, 13.
[6] Vers. 4. seq.
[7] Vide supra pag. 94 serm. 4. et 5. in Vigilia Nat. Dom., ubi similes proprietates terrae afferuntur.

figura dicitur Genesis primo [1]: *Congregentur aquae, quae sub caelo sunt, in locum unum, et appareat arida. Et factum est ita. Et vocavit Deus aridam: terram.* Per *terram* sequestratam ab aquis intelligitur Virgo Maria elongata ab omnibus carnalibus et fluxibilibus concupiscentiis; quod quidem fuit per votum arctissimae virginitatis, cui se Virgo Maria divino instinctu totaliter mancipavit et ipsam inter alias prima expressit. Ideo idonea erat caelesti Sponso mundissimo et castissimo copulari. Propter quod, Canticorum secundo: *Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit; vox turturis audita est in terra nostra. Turtur* est avis castissima, ideo in voce turturis designatur votum perfectissimae castitatis. Haec *vox audita est* in beata Virgine, et ideo iam cessare debet omnis vox turpitudinis, fornicationis scilicet et libidinis, secundum illud ad Ephesios quinto: *Fornicatio autem et omnis immunditia aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos; aut turpitudo, aut stultiloquium, aut* Tertia. *scurrilitas.* — Ad hoc, quod vox ista plene audiatur, necesse habemus nos exercere ad poenitentiam, secundum illud Psalmi [2]: *In terra deserta et invia et inaquosa, sic in sancto apparui tibi;* quia Sanctus Sanctorum in solis illis inhabitat, qui *carnem suam crucifigunt cum vitiis et concupiscentiis* secundum imitationem beatae Virginis.

Fuit secundo beatissima Virgo Maria terra *pro-* Secunda. *fundissima* localitate pro *subiectione reverentissima;* quod bene designatur Proverbiorum vigesimo quinto [3]: *Caelum sursum, et terra deorsum.* Gloriosa namque Virgo Maria simul comparatur *caelo* et *terrae: caelo,* propter excellentissimam dignitatem et sublimitatem; *terrae,* propter profundissimam humilitatem, quae duo simul iuncta fuerunt mirabiliter in beata Virgine. Cum enim ab Angelo salutaretur ut Mater altissima, ipsa profitetur se ancillam Christi: *Ecce,* inquit, *ancilla Domini;* et infra: *Respexit humilitatem ancillae suae;* Bernardus [4]: « Magna et rara virtus, humilitas honorata »; et ideo erat convenientissimum, quod in eadem debebant simul caelestia et terrestria sociari, promerente hoc virtute humilitatis, secundum illud Psalmi [5]: *Prospexit de excelso sancto suo; Dominus de caelo in terram aspexit.* Quemadmodum enim terra, collocata in medio centro mundi, disposita est, ut omnia corpora caelestia ipsam directe aspiciant, ut ceterorum virtutes aggregentur in ipsa ad proles nobilissimas procreandas; sic et Virgo Maria per excellentissimam suam humilitatem disposita fuit ad omnem gratiam. — Horiatio. Et hinc est, quod, si aliquis vult aspici a divina gratia, necesse est, quod humilietur et descendat ad terram. *Quis* enim *sicut Deus noster, qui in altis habitat et humilia respicit in caelo et in terra? Suscitans a terra inopem et de stercore erigens pauperem.*

Fuit tertio Virgo Maria terra *irriguissima* fonta- Tertia. litate pro *sanctificatione plenaria,* in cuius figura dicitur Genesis secundo [6]: *Homo non erat, qui operaretur terram; sed fons ascendebat e terra, irrigans universam superficiem terrae.* Terra ista, in qua homo non est operatus, fuit Virgo intacta a viro, in quam descendit et a qua rursus ascendit fons aquae vivae et fluvius divinae gratiae, qui est *fons aquae salientis in vitam aeternam.* Hic *irrigavit universam superficiem terrae,* quia non tantum sanctificavit animam Virginis, verum etiam carnem ad concipiendum Prolem absque omni macula concupiscentiae. Unde tota repleta fuit gratia sicut terra supernis pluviis irrigata; quod praevidens in Spiritu sancto Psalmista, dicit: *Visitasti terram et inebriasti eam; multiplicasti locupletare eam.* Non tantum enim habuit Spiritum sanctum sanctificantem, verum etiam inebriantem, ut in alios etiam refunderet. Descendit enim Spiritus sanctus in ipsam *sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram* [7]. Ipsa enim ratione suae gratiae perfundit terram aridam cordis nostri, maxime quando per orationem clamamus et suspiramus ad ipsam, secundum illud Iudicum primo, quod dixit filia Caleb: *Suspiravit, sedens in asino,* et dixit: *Terram arentem dedisti mihi, da et irriguam aquis;* et sequitur, quod *dedit ei Caleb irriguum superius et irriguum inferius.* Ipsa enim nobis impetrat gratiam lacrymarum tam pro peccatis nostris quam bonis aeternis.

Fuit sanctissima Virgo Maria postremo terra *fer-* Quarta. *tilissima* fecunditate pro *conceptione fructuosissima,* secundum illud Isaiae quadragesimo quinto [8]: *Rorate, caeli, desuper, et nubes pluant Iustum; aperiatur terra et germinet Salvatorem. Caeli roraverunt* in angelica denuntiatione et Spiritus sancti missione; *terra aperta est* in Virginis consensu, et *germinavit Salvatorem* in Filii Dei conceptione, solo divino imperio faciente, sicut solo imperio fecerat a principio terram germinare; Genesis primo: *Germinet terra herbam virentem et facientem semen et lignum pomiferum, faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terram. Lignum fructiferum* illud Christus est, quem Virgo Maria concepit; prius tamen germinando *herbam* sanctarum cogitationum, affectionum, locutionum et operationum. — Et ideo qui spiritualiter vult Christum Hortatio. intra se habere per benedictionem caelestem, oportet, quod huiusmodi herbas germinet ex se plenaria

[1] Vers. 9. seq.; sequuntur Cant. 2, 12. et Eph. 5, 3. seq.
[2] Psalm. 62, 3; sequitur Gal. 5, 24.
[3] Vers. 3; sequitur Luc. 1, 38. et dein v. 48.
[4] Homil. 4. super *Missus est*, n. 9.
[5] Psalm. 101, 20. et Ps. 112, 5. seqq.
[6] Vers. 5. seq.; sequuntur Ioan. 4, 14. et Ps. 64, 10.
[7] Psalm. 71, 6; sequitur Iudic. 1, 14. seq.
[8] Vers. 8; sequuntur Gen. 1, 11. et Marc. 4, 28.

voluntate, secundum illud Marci quarto: *Ultro terra fructificat, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica,* quia prius est bona operatio, deinde gloriae exspectatio, postremo sequitur regni perceptio, ad quod non pervenitur, nisi prius in terra sanctificetur; unde ad Hebraeos sexto [1]: *Terra, saepe venientem super se bibens imbrem et generans herbam opportunam illis a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo.* Non igitur simus similes Evae, ratione cuius dictum est Adae: *Maledicta terra in opere tuo* etc.; sed potius Mariae, de qua in Psalmo: *Benedixisti, Domine, terram tuam* etc.; quae ideo benedicta, quia ad producendum fructum nobilissimum fecundata. Propter quod etiam dicit: *et terra nostra dabit fructum suum* etc.

Collatio.

Repetitio. Dictum est, quod in verbis propositis describitur mysterium incarnationis sub triplici consideratione, scilicet ex parte *principii superefluentis,* ex parte *subiecti suscipientis* et ex parte *commodi subsequentis.* De primo dictum est, quod mysterium incarnationis a summa benignitate *procedit,* summam benignitatem *praetendit* et ad summam benignitatem *ducit.* Dictum est etiam, quod ex parte subiecti suscipientis mysterium incarnationis nomine *terrae* designatur propter quatuor proprietates terrae, iuxta quas designantur quatuor dignitates in beata Virgine, et de his dictum est; nunc vero restat dicendum de tertio.

Pars III. Ex parte commodi subsequentis. III. Tertio enim loco describitur mysterium incarnationis ex parte *commodi subsequentis,* cum dicitur: *dabit fructum suum,* in quo incarnationis beneficium notificat ex parte *commodi subsequentis;* circa quod intelligendum est, quod virginalis conceptus est fructus istius terrae uberrimus. In cuius figura dicitur Leviticorum vigesimo quinto [2]: *Dabo benedictionem meam vobis anno sexto, et faciet fructus trium annorum.* Per *annum sextum* significatur sexta aetas, in qua conceptus est Christus; per *tres* vero *annos* tres status temporum, scilicet legis *naturae, Scripturae* et *gratiae,* in quo nullo modo salvatur aliquis nisi per Christum; licet in tempore gratiae fructus iste fructuosius et copiosius communicetur et altius honoretur, secundum illud Isaiae quarto: *In die illa erit germen Domini in magnificentia et gloria et fructus terrae sublimis et exsultatio his qui salvati fuerint de Israel.* Est igitur fructus uteri virginalis sublimis et delectabilis, quia *speciosissimus* ad videndum, *suavissimus* ad odorandum, *sapidissimus* ad gustandum, *efficacissimus* ad sustentandum, *pretiosissimus* ad possidendum. — Primo igitur fructus iste est *speciosissimus ad videndum* per oculum *fidei;* Ecclesiastici trigesimo nono [3]: *Obaudite me, divini fructus, et quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate. Fructus divini* sunt omnes sancti et iusti, sed specialiter ipse Iesus Christus, qui est a Deo Patre genitus et a Virgine Maria conceptus per Spiritum sanctum, qui ex humana natura pullulavit sicut *rosa* de spina, quae inter flores ratione pulcritudinis obtinet principatum; Isaiae undecimo: *Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet.* Hanc autem pulcritudinem habuit propter *immunitatem* omnis *peccati,* secundum illud Proverbiorum tertio: *Primi et purissimi fructus eius* etc.; ipse enim *purus* fuit a peccati deformitate, a pronitate et possibilitate. Habet etiam propter *luminositatem gratiae* caelestis, quod insinuatur in benedictione Ioseph, Deuteronomii trigesimo tertio [4]: *De benedictione Domini terra eius, de pomis caeli et rore atque abysso subiacente, de pomis fructuum solis ac lunae, de vertice antiquorum montium, de pomis collium aeternorum.* Quod dictum est, quia in Christo simul fuit lux sapientiae, quae designatur per *solem,* et prudentiae, quae per *lunam;* lux competens contemplationi et lux competens actioni; lux secundum statum patriae et lux secundum statum viae; lux Divinitatis et lux humanitatis in ipso per naturam fuit: et ideo *in eum desiderant Angeli prospicere.*

De Proiis quinque conditionibus.

De coni ne prin

Duplic causa p critudin

In Chris lux dupl

Est etiam secundo fructus *suavissimus ad odorandum* per desiderium *spei,* quod bene insinuatur Ecclesiastici vigesimo quarto [5], ubi attribui potest Virgini quod Sapientia dicit de se: *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris.* Fructus iste *suavis odoris* Christus est, Sapientia Patris, quae dicit de se ibidem: *In plateis sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi,* quantum ad Divinitatem; *quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris,* quantum ad humanitatem, quae passa est. Hic odor debet in nobis excitare desiderium perveniendi ad Christum, secundum illud Canticorum primo [6]: *Curremus in odorem unguentorum tuorum.* Unde et beatus Ioannes Evangelista: « Odor tuus, Domine, concupiscentias in me excitavit aeternas ». Huius autem fructus tunc sentimus odorem, quando operamur bonum pro spe consequendi fructum istum, secundum illud primae ad Corinthios nono [7]: *Debet in spe qui arat arare; et qui triturat, in spe fructus percipiendi.* Ista autem spes non permittit, hominem fatigari, secundum illud Iacobi ultimo: *Ecce, agricola exspectat pretiosum fructum terrae, patienter ferens, donec accipiat temporaneum et serotinum.*

De secun

Notandu

---

[1] Vers. 7; sequuntur Gen. 3, 17. et Ps. 84, 2.
[2] Vers. 21; sequitur Isai. 4, 2.
[3] Vers. 17; sequuntur Isai. 11, 1. et Prov. 3, 14.
[4] Vers. 13. seqq.; sequitur I. Petr. 1, 12.
[5] Vers. 23; et dein v. 20.
[6] Vers. 3. — Sequitur Abdias, V. Historiae certaminis apostolici.
[7] Vers. 10; sequitur Iac. 5, 7.

Tertia. Est et tertio fructus *sapidissimus ad gustandum* per solatium *caritatis*, secundum illud Canticorum secundo [1]: *Sub umbra illius quem desideraveram sedi; et fructus eius, dulcis gutturi meo.* Palato namque vivificato per spem caritatis nihil dulcius et suavius est quam Christus, qui est fructus vivificus; et hoc fructu reficitur quicumque per amorem approximat ad Christum, secundum illud Matthaei undecimo: *Venite ad me, omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Caritas namque facit experiri dulcedinem caritatis et bonitatis Dei; et ideo prima inter fructus Spiritus (est) caritas; ad Galatas quinto: *Fructus autem Spiritus est: caritas* etc. Ipsa enim est, quae principaliter facit frui Christo tanquam sapidissimo cibo et fructu dulcissimo, secundum illud Deuteronomii [2]: *Constituit eum super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petra oleumque de saxo durissimo.* Per *mel de petra* et *oleum de saxo durissimo* intelligitur Christus, Deus et homo, natus de utero virginali; qui quidem fructus de campis Patriarcharum collectus fuit ad reficiendum eos qui contemnunt temporalia propter aeterna, secundum illud Ieremiae secundo: *Induxi vos in terram Carmeli, ut comederetis fructum eius. Carmelus* interpretatur scientia circumcisionis, quia, nisi quis resecet a se desideria mundi, non pervenit ad degustanda spiritualia charismata Christi.

Quarta. Est etiam fructus *efficacissimus ad sustentandum* per exercitium *virtutis*, secundum illud Sapientiae decimo sexto [3]: *Non nativitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus hos qui in te crediderint conservat. Sermo* namque Dei est Filius Patris, Christus, Filius Virginis, qui est pastus salvationis omnium, qui digne accedunt ad ipsum. Illi autem sunt qui credendo, sperando, amando et imitando ei configurantur; et ideo tales fructu summae virtutis pascuntur, quo in perpetuum conservantur; et ideo dicitur Proverbiorum undecimo: *Fructus iusti, lignum vitae.* Quia *enim iustitia perpetua est et immortalis,* ideo iustus refici debet eo fructu, qui ad immortalitatem perducit; et talis est fructus *ligni vitae.* Hic autem est Christus, secundum illud Ioannis sexto: *Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi.* Hinc est, quod iste fructus expositus est nobis in cibum salutis quantum ad Sacramentum altaris, ad quod nullus accedit digne, nisi qui verbum Dei audit et facit. Talis enim homo *non in solo pane vivit, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei* [4]. Si ergo Verbum Dei est cibus mentis, ergo perfectus cibus mentis consistit in Verbo processo, scilicet incarnato. Cibus igitur spiritus uniti carni est Verbum incarnatum, ac per hoc cibus hominis ambulantis *per fidem,* nondum *per speciem,* debet esse Verbum incarnatum sub velamine specierum, sicut in Sacramento altaris datur.

De quinta. Est etiam postremo fructus *pretiosissimus ad possidendum* per bravium *aeternae mercedis,* secundum illud Psalmi [5]: *Cum dederit dilectis suis somnum; ecce, hereditas Domini, filii; merces, fructus ventris.* Christus enim, qui est fructus uteri virginalis, erit nostra merces in patria, non qualiscumque, sed pretiosissima; unde Virgo potest dicere illud Proverbiorum octavo: *Melior est fructus meus auro et lapide pretioso, et gemmina mea argento electo,* quia ista sunt corruptibilia et defectibilia, ille autem incorruptibilis et indeficiens, qui non redditur nisi fideliter laborantibus, secundum illud Sapientiae tertio: *Bonorum laborum gloriosus est fructus, et quae non concidat, radix sapientiae.* Quia autem idem est fructus et radix, idem *principium et finis,* idem *Alpha et Omega* [6]: ideo, sicut radix caret initio, sic et fructus carebit termino. Fruemur igitur hoc fructu in gloria sempiterna, ad quam nos perducat [7] etc.

Sermo IV [8].

Qui creavit me requievit in tabernaculo meo.

Introductio. Verbum istud scribitur Ecclesiastici vigesimo quarto [9], in quo secundum generaleam ipsius intellectum describitur divinum habitaculum, et in quantum est *a Deo,* et in quantum est *ad Deum.* Describitur enim primo per comparationem ad *actionem Opificis* creantis, cum dicitur: *Qui creavit me;* secundo, per comparationem ad *quietem hospitis* inhabitantis, cum subiungitur: *requievit in tabernaculo meo.* Idem enim est Creator et inhabitator, quia idem est Deus et homo, *Alpha et Omega.* Secundum autem spirituales intellectus diversis potest satis congrue convenire [10]; nam secundum intellectum *litteralem* convenit Virgini Mariae, in cuius tabernaculo requievit Dominus corporaliter; secundum *allegoricum* convenit militanti Ecclesiae, in cuius tabernaculo requiescit Dominus sacramentaliter; secundum *moralem* convenit fideli animae, in cuius tabernaculo requiescit Dominus spiritualiter; secundum *anagogicum* convenit caelesti curiae, in cuius tabernaculo requiescit sempiternaliter; et sic per omnem modum verum est quod dicitur: *Qui creavit me requievit*

Divisio quadruplex.

---

[1] Vers. 3; sequuntur Matth. 11, 28. et Gal. 5, 22.
[2] Cap. 32, 13; sequitur Ier. 2, 7.
[3] Vers. 26; sequuntur Prov. 14, 30; Prov. 4, 15. et Ioan. 6, 41.
[4] Matth. 4, 4; dein respicitur II. Cor. 5, 7.
[5] Psalm. 126, 2. seq.; sequuntur Prov. 8, 19. et Sap. 3, 15.
[6] Apoc. 22, 13.
[7] In cod. Hilariensi fol. 78 r. inter alia haec notantur: *De purificatione et annunziatione bonos* (sermones) *invenies fratris Bonaventure.*
[8] Ex cod. Monacensi W fol. 200 r., sed exhibetur contracte, et cod. Tudert. n. 182. fol. 166 v., in quo est multo diffusior. Habetur etiam in cod. biblioth. Ulyssiponensis Nationalis n. 117. fol. 117 v.
[9] Vers. 12; dein respicitur Apoc. 22, 13.
[10] De hac divisione cfr. supra pag. 151 serm. 2. in Epiphania.

in tabernaculo meo, scilicet litteraliter, allegorice, moraliter et anagogice.

Pars I. De intellectu litterali.

I. Primo ergo dicat Virgo Maria: *Qui creavit me* etc., quoniam ei competit ad *litteram*; ipse enim Dominus Maiestatis *requievit in* eius *tabernaculo*, dum homo factus est in eius utero; propter quod dicit eximius Prophetarum [1]: *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. Sanctificavit* utique per gratiam *tabernaculum*, quod fabricaverat formando naturam, ut posset nasci ex ea. Unde alibi idem Propheta: *Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus. Fundavit* utique, hoc est, in gratia confirmavit, ut firmiter posset in ea quiescere. Et ideo addit: *Deus in medio eius, non commovebitur*, pro eo quod illud tabernaculum nunquam inclinabitur ad peccatum. Unde Bernardus [2] ad Lugdunenses: « Puto, quod copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit, quae ipsins non solum sanctificaret ortum, sed et vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem ». Hoc autem bene figuratum fuit Exodi ultimo in isto tabernaculo figurali, ubi dicitur Moysi: *Unges tabernaculum cum vasis suis;* et post sequitur: *Postquam* autem *omnia perfecta sunt, operuit nubes tabernaculum testimonii, et gloria Domini implevit illud. Tabernaculum* istud est Virgo Maria; *vasa* sunt receptacula virtutum; haec omnia Dei Filius unxit, quando eam sanctificans, implevit gratia; post etiam sanctificationem ipse eam *operuit*, qui eam obumbravit et implevit *gloria*, ut nihil remaneret, nec in anima, nec in carne, quod non esset Divinitatis gratia plenum. — *Requievit* igitur omnium Creator *in tabernaculo* uteri virginalis, quoniam in eo statuit sibi *cubiculum nuptiale*, ut fieret noster *frater;* praeparavit *solium regale*, ut fieret noster *princeps;* assumsit *ornamentum sacerdotale*, ut fieret noster *pontifex*. Propter nuptiale connubium Virgo Maria est *Mater Dei;* propter regale solium, *regina caeli;* propter sacerdotale ornamentum, *advocata* generis humani. Et ad haec omnia idonea erat Virgo Maria, cum esset de genere hominum, de genere regum et de genere sacerdotum. Dicat ergo amantissima Virgo Maria: *Qui creavit me requievit in tabernaculo meo.*

Subdivisio.

Prima, de cubiculo nuptiali.

In quo statuit sibi *cubiculum nuptiale;* et hoc quidem fecit, ut humanam naturam sibi in virginali utero desponsaret, quod praevidens in Spiritu, dicebat prophetica certitudine Propheta David [3]: *In sole posuit tabernaculum suum. In sole*, dicit, id est in beata Virgine, quae recte *sol* dicitur, quia amicta fuit sole et impleta lumine claritatis aeternae, secundum illud Apocalypsis duodecimo: *Mulier amicta sole et luna sub pedibus eius*, propter munditiam; nam ipsa *luci comparata purior invenitur*, Sapientiae septimo. Anselmus [4]: « Decebat, ut illius hominis conceptio de Matre purissima fieret, ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi », ratione splendoris in omni perfectione virtutis. Unde Hieronymus: « Si diligentius inspicias, nihil virtutis est, nihil speciositatis, nihil candoris et gloriae, quod ex ea non resplendeat ». Recte ergo dicit: *In sole,* hoc est in beata Virgine. Et post subditur: *tanquam sponsus*, quia Virginis uterus thalamus fuit, in quo naturae humanae coniunctus est Deus, et eam deosculans, nuptiali est sibi foedere copulatus. Hoc bene figuratum fuit Genesis vigesimo quarto [5]: *Introduxit eam in tabernaculum Sarae, matris suae et accepit eam uxorem.* Quid per *Isaac* autem intelligitur nisi Christus; quid per *Rebeccam* autem, quae *multum accepit* [6], nisi humana natura, quae multum accepit dotis in hac desponsatione; quid per *Saram* nisi Virgo Maria, quae Mater fuit veri Isaac, intelligitur? In hoc Sarae tabernaculum, id est sacrosanctum uterum, introduxit Dei Filius humanam naturam, ut eam sibi desponsaret, et omnium Creator noster fieret *frater*, et beata Virgo efficeretur omnium Sanctorum *mater*. Benedicta sit dies, in qua omnia haec facta sunt, quia per Virginem Matrem Deus effectus est noster *pater;* Dei Filius, noster *frater*. Ideo Bernardus [7] loquens ad Virginem: « *Beatam te dicent omnes generationes*, quae omnibus generationibus vitam et gloriam genuisti. In te enim Angeli laetitiam, iusti gratiam, peccatores veniam invenerunt in aeternum. Merito te respiciunt oculi totius creaturae, quia in te et per te et de te benigna manus Omnipotentis quidquid creaverat recreavit ».

Secundo, solio regali.

In quo etiam praeparavit *solium regale*, ut fieret noster *princeps*, secundum quod Isaiae decimo sexto [8] dicitur: *Praeparabitur in misericordia solium, et sedebit super illud in veritate in tabernaculo David. Solium* illud recte intelligitur humana natura assumta, in qua Deus regnavit. Illud regnum dicitur *praeparatum in misericordia*, quia, etsi in opere incarnationis ostendatur potentia, sapientia, iustitia, potissima tamen ratio et causa incarnationis fuit Dei *misericordia* et nostra iuncta miseria. Unde Augustinus de Verbo Domini, sermone centesimo septuagesimo quinto: « *Fidelis sermo et omni acceptione dignus, quod Christus Iesus venit in hunc mundum* ob nullam aliam causam, nisi *peccatores salvos facere* ». Et rursus [9]: « Si homo non peccasset,

[1] Psalm. 45, 5; sequuntur Ps. 86, 5. et Ps. 45, 6.

[2] Epist. 174. ad canonicos Lugdunenses, n. 5; sequitur Exod. 40, 9. 31. seq.

[3] Psalm. 18, 5; sequuntur Apoc. 12, 1. et Sap. 7, 29; Vulgata: *inveniur prior*.

[4] De Conceptu virgin. c. 18. — Sequitur auctor sermonis de Assumt. B. V. M. ad Paulam et Eustoch. (inter opera Hieron.) c. 16.

[5] Vers. 67.

[6] Secundum interpretationem Hieron. de Nomin. Hebraic. Respicitur Gen. 24, 53: *Protatis vasis argenteis et aureis ac vestibus, dedit ea Rebeccae pro munere* etc.

[7] Serm. 2. in Pentecost. n. 4, ubi respicitur Luc. 1, 48.

[8] Vers. 5. — Sequitur August., serm. 175. (alias 9. de Verb. Apost.) n. 1, ubi respicitur 1. Tim. 1, 15.

[9] Loco citato, ubi dicit: « Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere ».

Filius hominis non venisset ». Vel: *in misericordia*, id est in beata Virgine Maria, quae est regina misericordiae; unde Bernardus [1]: « Sileat misericordiam tuam, Virgo beata, si quis te invocatam in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse ». Recte igitur dicitur: *Praeparabitur in misericordia solium*, id est in Virgine Maria; et ideo subditur: *et sedebit super illud in tabernaculo David*, id est in Virgine, quae *tabernaculum fuit David*, veri Regis, id est Christi. In ea enim Dominus *sedit* et requievit, ut fieret noster princeps; unde Ezechielis trigesimo quarto: *Servus meus David, princeps in medio eorum*. Si *David, princeps*, Mater Domini non erit *ancilla*, sed domina et regina, domina utique omnium, non solum terrestrium, sed et caelestium, ad quae se extendit ipsius imperium. Et ideo Anselmus: « O femina mirabiliter singularis et singulariter mirabilis! per quam omnia renovantur, inferna remediantur, daemones conculcantur, homines salvantur, Angeli redintegrantur! Cur loquor, Domina, beneficiis tuis plenum esse mundum? Inferna penetrant, caelos superant; per plenitudinem enim gratiae tuae et quae in inferno erant se laetantur liberata, et quae super mundum sunt se gaudent restaurata ». Et ideo beata Virgo
Monitio. omnium regina facta est. — Omnes ergo eam laudent, in eius honorem *omne genu flectatur, caelestium, terrestrium et infernorum* [2], quia beneficia eius in omnes redundant. Et ideo Bernardus [3] loquens de ipsa: « De plenitudine eius acceperunt universi: captivus redemptionem, aeger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, Angeli laetitiam, denique tota Trinitas gloriam, Filii persona carnis humanae substantiam, ut non sit *qui se abscondat a calore eius* ». Dicat ergo Virgo Maria: *Qui creavit me requievit in tabernaculo meo.*

De quo assumsit sibi *ornamentum sacerdotale,*
Verbio, de ornamento sacerdotali. ut cum illo introiret in Sancta; unde ad Hebraeos nono [4]: *Christus assistens pontifex* noster *futurorum bonorum per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est non huius creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta.* Christus, *pontifex* noster, introiens *in Sancta*, transivit per uterum Virginis, in quo accepit pontificalem stolam, et per patibulum crucis, in qua obtulit sanctissimam hostiam, et per hoc Deo nos confoederavit. Haec duo tangit Apostolus in (illa) auctoritate: quantum ad dignitatem uteri virginalis dicit: *per amplius tabernaculum*; quantum ad excellentiam oblationis crucis dicit: *per proprium sanguinem.* Ibi enim vestimentum candidum et rubicundum, quod in utero Virginis sumsit. Hoc autem vestimentum volnit Dominus sumere in tabernaculo uteri virginalis, ut non solum ipse esset advocatus, sed etiam ipsa, ut per duas personas, quas impossibile est repelli, Filium scilicet et Matrem, *fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendum propositam spem*, ad Hebraeos sexto. Ideo dicitur Levitici vigesimo sexto: *Ponam tabernaculum meum in medio vestri, et non abiiciet vos* ultra *anima mea*, quia beata Virgo, nostra advocata, non potest non exaudiri; unde Bernardus [5]: « Filioli, haec est peccatorum scala, haec est mea maxima fiducia, haec tota ratio spei meae. Quid enim? Potestne Filius repellere eam, aut sustinere repulsam? Nentrum plane. *Invenisti enim*, inquit Angelus, *gratiam apud Deum.* Feliciter! Semper haec inveniet gratiam; et sola est gratia, qua egemus ». — Ideo cum Monitio. magna fiducia accedamus ad Virginem, et secure inveniemus eam in nostris necessitatibus, cum ipsa sit nostra advocata; et propterea Bernardus [6] adhuc hortatur: « In periculis, inquit, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca, non recedat ab ore, non recedat a corde; et ut impetres orationis eius suffragium, non deseras conversationis exemplum. Ipsam sequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras, ipsa tenente, non corruis, ipsa protegente, non metuis, ipsa duce, non fatigaris, ipsa propitia, pervenis ». Recte igitur hoc tabernaculum venerandum et ad hoc tabernaculum confugiendum, in quo Dominus sic familiariter requievit, ut ipsa Virgo beata dicere posset veraciter ad litteram: *Qui creavit me requievit in tabernaculo meo.* Et haec sufficiat dixisse de verbo proposito litteraliter intellecto.

II. Secundum intellectum *allegoricum* convenit Pars II. De intellectu allegorico. praedictum verbum *militanti Ecclesiae*, in qua Creator omnium sacramentaliter requiescit, secundum quod tenet et praedicat recta fides. Et illud bene significatum est Exodi vigesimo nono [7], ubi dicitur: *Sacrificium est Domino oblatione perpetua in generationes vestras, ad ostium tabernaculi testimonii coram Domino, ubi constituam, ut loquar ad te.* Hoc *tabernaculum testimonii*, in quo sacrificatur et vox eius auditur, est Ecclesia militans, quia, ut dicit Augustinus [8], « non est locus veri *sacrificii* extra catholicam Ecclesiam ». Ibi etiam Deus *loquitur*, quia nulla doctrina voluntatem Dei manifestat nisi ea quae est fidei christianae. In hoc tabernaculo sacrificatur Domino *oblatione perpetua*, quia illud sacrificium, in quo Deus sacramentaliter requiescit, usque ad finem saeculi perseverabit, secundum illud Matthaei vigesimo octavo: *Ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.*

[1] Serm. 4. in Assumt. B. V. M. n. 6. — Sequuntur Ezech. 34, 24, et Anselm., Orat. 52. (alias 51.). [2] Phil. 2, 10.
[3] Serm. de Domin. infra Octav. Assumt. B. V. M. n. 2, ubi alluditur ad Ps. 18, 7.
[4] Vers. 11. seq.; sequuntur c. 6, 18. et Lev. 26, 11.
[5] Serm. de Nativ. B. V. M. n. 7, ubi respicitur Luc. 1, 30.
[6] Homil. 2. super *Missus est*, n. 17.
[7] Vers. 42.
[8] Libr. Sententt. Prosperi n. 15; Can. *Extra catholicam* (71.) C. 1. q. 1; sequitur Matth. 28, 20.

Triplex Dei finis.

In hoc autem tabernaculo requiescit Dominus ad populum suum *sanctificandum;* et ideo necesse est, ministros eius esse *puros.* Requiescit etiam ad populum suum *eruiendum;* et ideo necesse est, huius tabernaculi ministros esse *eruditos* sapientia. Requiescit nihilominus ad populum suum *reficiendum;* et ideo conveniens est, eius ministros *abundare spirituali laetitia.* Et haec tria accipiuntur secundum triplicem actum angelicae et ecclesiasticae hierarchiae; quod quidem est *purgare, illuminare* et *perficere.*

De fine primo.

Et primo igitur attendendum est, quod Dominus in tabernaculo militantis Ecclesiae requiescit ad populum suum *sanctificandum* et purgandum ab omni immunditia; et ideo dicitur Exodi vigesimo nono [1]: *Sanctificabo et tabernaculum testimonii cum altari et Aaron cum filiis suis, ut sacerdotio fungantur mihi. Et habitabo in medio filiorum Israel.* Ideo Deus haec sanctificat, ut sint ex sanctificatione sanctificantia. Illud namque *tabernaculum* est Ecclesia, secundum illud ad Ephesios quinto: *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam et se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans* eam *lavacro aquae in verbo vitae;* et in ipsa mundificat et sanctificat; et propterea necesse est, eos qui in hoc tabernaculo ministrant, *mundos* esse, ut alios mundent exemplo et ministerio; unde scribitur Levitici decimo quinto: *Docebitis ergo filios Israel, ut caveant immunditiam et non moriantur in sordibus suis, cum polluerint tabernaculum meum,* *quod est inter eos.* — Isti qui debent populum docere

De munditia sacerdotum.

munditiam, sunt sacerdotes et levitae, ministri altaris, quorum officium est alios expurgare; et primo a se ipsis debent incipere; unde Levitici decimo [2]: *Sanctificabor in iis qui appropinquant mihi.* —

Contra ipsarum vitia.

Sed nunc dolendum est, quia ministri tabernaculi, qui deberent dare exemplum munditiae et qui deberent populum sanctificare, polluunt et deturpant; quibus comminatur Dominus per Malachiam, secundo: *Contaminavit Iudas sanctificationem Domini, quam dilexit; et habuit filiam dei alieni. Disperdet Dominus virum, qui fecerit hoc, magistrum et discipulum de tabernaculis Iacob et offerentem munus Domino exercituum. Iudas,* confitens, id est clericus, qui debet Domino in tabernaculo confiteri; *polluit sanctificationem,* et ideo meruit potius desperationem quam orationis suae exauditionem. Talibus enim dicit Deus per Isaiam, Isaiae primo: *Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis; et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam; manus enim vestrae sanguine plenae sunt.* Timendum est eis, ne illud eveniat, quod evenit filiis Heli, de quibus primi Regum secundo [3] dicitur: *Dormiebant cum mulieribus, quae observabant ad ostium tabernaculi;* et postea uno die occisi sunt, et totus Israel in fugam conversus est; et merito, quia de domo orationis fecerant domum prostitutionis.

De fine eruendo.

Secundo requiescit Dominus in tabernaculo Ecclesiae militantis ad populum *eruiendum;* et illud bene significatum est Exodi trigesimo tertio [4]: *Omnis populus, qui habebat aliquam quaestionem, egrediebatur ad tabernaculum foederis extra castra. Tabernaculum* illud, ad quod recurritur pro quaestionibus dissolvendis, est ipsa Ecclesia, in qua Dominus, per legem suam docens quod iustum est, loquitur ad praelatum in mente et mediante illo ad subditos. — Praelati enim sive ministri Ecclesiae sunt

De praelatis.

medii inter populum et Deum, ut eis referant divina responsa; et ideo debent esse eruditi sapientia. Quod bene significatum est Numerorum undecimo [5]: *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti, quod senes populi sint ac magistri; et duces eos ad ostium tabernaculi foederis faciesque ibi stare tecum, ut descendam et loquar tibi; et auferam de spiritu tuo tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi.* Optime dicit: *quos nosti, quod senes populi sint ac magistri: senes,* inquam, maturitate aetatis et vitae; *magistri,* propter scientiam et doctrinam, doctrinam scilicet iuris divini, quae vere facit magistros sua profunditate, secundum quod dicit Augustinus ad Volusianum: « Tanta est profunditas Scripturarum christianarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliori ingenio conarer addiscere, tantaque non solum in verbis, sed etiam in rebus, quae intelligendae sunt, latet sapientiae altitudo, ut novissimis, acceptissimis flagrantissimisque cupiditate addiscendi hoc contingat, quod dicit Scriptura: *Cum consummaverit homo, tunc incipiet* ». Et post: *ut sustentent onus populi.* — Praelati enim Ecclesiae plus vocantur

Vocantur ministri dogm.

ad ministrandum quam ad quiescendum; plus ad onus quam ad honorem; et ideo qui quaerit quietem et honorem a Domino reprobatur, secundum illud Isaiae vigesimo secundo [6]: *Ingredere ad eum qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam, praepositum templi, et dices ad eum: Quid tu hic, aut quasi quis hic? quia excidisti tibi hic sepulcrum;* ecce, quod quaerebat quietem; et iterum: *Excidisti in excelso memoriale diligenter, in petra tabernaculum tibi;* ecce, quod quaerebat honorem; ideo subiungitur: *Ecce, Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus, et quasi amictum sic sublevabit te. Coronans coronabit te tribulatione, quasi pilum mittet te in terram latam et spatiosam; ibi morieris, et ibi erit currus gloriae tuae, ignominia domus Domini tui. Et expellam te de statione*

[1] Vers. 44. seq.; sequuntur Eph. 5, 25. seq. et Lev. 15, 31.
[2] Vers. 3; sequuntur Malach. 2, 11. seq. et Isai. 1, 15.
[3] Vers. 22. et dein respicitur c. 4, 10: *Fugit unusquisque in tabernaculum suum...; duo quoque filii Heli mortui sunt.*
[4] Vers. 7.
[5] Vers. 16. seq. — Sequitur August., Epist. 137. (alias 3.) c. 1. n. 3, ubi respicitur Eccli. 18, 6.
[6] Vers. 15-19. et dein Exod. 33, 11.

tua et de ministerio tuo deponam te. Non licet igitur alicui quaerere sibi quietem in statu *praelationis*

In clerici. in *tabernaculo Domini;* sed certe nec in statu *subjectionis;* unde Exodi trigesimo tertio: *Josue, filius Nun, puer, non recedebat de tabernaculo;* in quo significatur, quod clerici in tabernaculo deberent esse assidui, illi maxime, qui de reditibus ecclesiae sustentantur; unde Numerorum decimo octavo [1]: *Filiis Levi dedi omnes decimas Israelis in possessionem pro ministerio, quo serviunt mihi in tabernaculo*

Monitio. *foederis.* — Attendant igitur qui non ministrant in tabernaculo, et videant, si sana possint conscientia (vivere) [2], immo luxuriari de his quae sunt ad cultum et obsequium tabernaculi deputata. Sed ne aliquis habeat principaliter oculum ad decimas, ideo dicit *decimas datas pro ministerio,* non e converso; quod est contra illos, qui plus frequentant ecclesiam pro lucro pecuniae quam pro lucro vitae aeternae; et tales sunt digni eiici de ista, quia *domum* orationis fecerunt *domum negotiationis.*

Tertio requiescit Dominus in tabernaculo Ecclesiae militantis ad populum suum *reficiendum;* et hoc

e fine tertio. bene significatum est Exodi decimo sexto [3]: *Sume tibi vas unum et mitte ibi man, quantum potest capere gomor; et repone coram Domino ad servandum in generationes vestras.* Fecitque *sicut praecepit Dominus Moysi. Posuitque illud Aaron in tabernaculo reservandum. Vas* illud est Sacramentum; *man* est corpus dominicum, quod est cibus habens *omne delectamentum et omnem saporis suavitatem; tabernaculum* est Ecclesia, in qua repositum est Sacra-

Monitio. mentum altaris ad refectionem fidelium. — Sed quia refectio illa est spiritualis, ideo necesse est, ministros altaris esse ebrios spirituali laetitia; propter quod dicitur ad Ephesios quinto: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus.* Hoc est quod Deus praecipit ministris tabernaculi Levitici decimo [4]: *Vinum et omne, quod inebriare potest, non bibetis, tu et filii tui, quando intratis in tabernaculum testimonii.*

Ratio. Ratio huius est, quia spirituales deliciae et carnales sibi repugnant sicut ignis et aqua; et propterea ad Hebraeos decimo tertio: *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deser-*

Contra carnales. *viunt.* — Sed nunc dolendum est, quia *multi ambulant, quorum deus venter est,* qui, cum deberent quaerere refectionem spiritualem in Domini tabernaculo, requirunt solatia carnalia in taberna; et isti merentur de tabernaculo eiici, quia domum orationis fecerunt domum comessationis. O utinam, Domine, ventres et tabernam purificares [5]! *facto flagello de funiculis, eiiceres eos* qui domum sanctificationis fecerunt domum *prostitutionis,* domum eruditionis fecerunt domum *negotiationis,* domum spiritualis refectionis fecerunt domum *comessationis!* Et sic in Conclusio. tabernaculo tuo remanerent ministri *puri* sanctimonia, *eruditi* sapientia, *ebrii* sapientiali laetitia, per quos populum tuum posses purgare, illuminare et perficere, sicut decet.

III. Quantum autem ad intellectum *moralem* ver- Pars III. De intellectu morali. bum istud praedictum competit *fideli animae,* in cuius tabernaculo requiescit Dominus spiritualiter; unde Iob [6]: *Quis mihi tribuat, ut sim iuxta menses pristinos, secundum dies, quibus Deus custodiebat me? Quando splendebat lucerna eius super caput meum, et ad lumen eius ambulabam in tenebris? Sicut fui in diebus adolescentiae meae, quando secreto Deus erat in tabernaculo meo?* Hoc est verbum veri poenitentis, qui recordatur baptismalis innocentiae, et memorantis illud tempus, in quo Deus indubitanter inhabitabat in eo, et desiderantis per poenitentiam recuperare innocentiam, ut Deum in tabernaculo corporis sui sentiat habitare. — Sed ad hoc, quod Dominus in Quies in tabernaculo requiescit. tabernaculo isto requiescat, necesse est, ipsum esse *quietum,* quia *factus est in pace locus eius,* sicut dicit Psalmus. Triplici autem ex causa consuevit ta- Triplex impetuosi causa et triplex remedium. bernaculum inquietari, scilicet propter *hostilitatis incursum,* propter *tempestatis impetum* et propter *civilatis tumultum.* Contra incursum hostilitatis debet tabernaculum collocari in *fortitudine caritatis;* contra impetum tempestatis, in *valle humilitatis;* contra tumultum civitatis debet collocari in *solitudine paupertatis.* — Primo ergo debet collo- De remedio primo. cari in *fortitudine caritatis;* Iob quinto [7]: *In sex tribulationibus liberabit te, et in septima non tanget te malum;* et post: *Et scies, quod pacem habeat tabernaculum tuum, et visitans speciem tuam non peccabis.* Istae *sex tribulationes,* ex quibus Deus liberat, et *septima,* in qua *non tangit malum,* sunt impugnationes, quibus vexatur anima, ut recedat a bono. Sed ab his omnibus liberat Christi caritas, sicut dicit Apostolus ad Romanos octavo, ubi septemplicem Septemplex tribulatio. explicat tribulationem; ait enim: *Quis nos separabit a caritate Christi? tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius?* quasi dicat: nullum horum; et ratio est, quia caritas iungit nos cum Deo, qui est *turris fortissima;* et ideo dicebat Iob, decimo septimo: *Libera me, Domine, et pone me iuxta te, et cuiusvis manus pugnet contra me;* et propterea subditur in auctoritate praemissa: *Et scies, quod pacem habeat tabernaculum tuum,* utique si habueris eminentem caritatem. Et ideo Apostolus [8] subinfert: *Certus sum enim, quia*

---

[1] Vers. 21.

[2] In cod. Tudertino adest parva lacuna. — Sequitur Ioan. 2, 16.

[3] Vers. 33. seq.; sequuntur Sap. 16, 20. et Eph. 5, 18. seq.

[4] Vers. 9; sequuntur Hebr. 13, 10. et Phil. 3, 18. seq.

[5] Ita cod. Tudert. in margine, primitus habebat *sanctificares.* — Dein respicitur Ioan. 2, 15.

[6] Cap. 29, 2. seqq.; sequitur Ps. 75, 3.

[7] Vers. 19. 24; sequuntur Rom. 8, 35; Prov. 18, 10. et Iob 17, 3.

[8] Rom. 8, 38. seq.

neque mors neque vita neque Angeli neque principatus neque virtutes neque instantia neque futura neque fortitudo neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei. — Et ideo in tali tabernaculo Deus requiescit. Si autem caritatem quis non habuerit, Deus in tabernaculo non invenit quietem, quia tot sunt, quae miseram animam conculcant, quod Deus non habet in ea partem. Unde in persona hominis vexati ab inimicis dicitur Iob decimo nono [1]: *Simul venerunt latrones eius et fecerunt sibi viam per me et obsederunt in gyro tabernaculum meum. Venerunt,* inquam, per tentationem, *fecerunt viam,* per iniquitatis perpetrationem, *obsederunt in gyro,* per malam consuetudinem.

Contra malos.

Secundo vero expedit, collocari tabernaculum cordis in *valle humilitatis*, ut Deus ibi requiescat; nam ventus vanitatis non permittit, Deum quiescere in corde superbo; et propterea Psalmus [2]: *Excelsus Dominus, et humilia respicit,* scilicet de propinquo, *et alta a longe cognoscit.* Hoc bene signatum fuit Genesis decimo octavo: *Apparuit Abrahae Dominus in convalle Mambre sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso fervore diei.* Per situm *tabernaculi in convalle* intelligimus humilitatem; sicut enim per *montes* superbos, sic per *valles* humiles accipere possumus. Per *sessionem in ostio tabernaculi* intelligimus meditationem mortis; tunc enim homo *sedet in tabernaculi ostio*, quando considerat egressum de hoc mundo, et haec est consideratio, quae mentem multum humiliat, et tali menti Deus apparet et in ea requiescit et epulatur, sicut ibi subiungitur in eadem historia. Sed valde notandum est quod dicitur, quod *Abraham* processit obviam ex *ostio tabernaculi*, et *Sara visit post ostium tabernaculi;* quia qui memores sunt mortis visitationes divinas suscipiunt, non alii, qui obliviscuntur, cum a Domino vocantur et exspectant tempus futurum. — Si quis ergo vult, quod Deus requiescat in tabernaculo, statuat illud in infimo loco per humilitatem et mortis recogitationem; nam si in alto loco praeparat, non Domino habitaculum praeparat, sed Pharaoni; quod figuratum est Exodi primo, ubi dicitur de Pharaone et filiis Israel: *Praeposuit eis magistros operum, ut affligerent eos oneribus; aedificaverunt que urbes tabernaculorum Pharaoni.* Isti *magistri operum* sunt illi qui sua industria exaltati sunt in hoc saeculo. Hos Pharao *praeponit filiis Israel,* cum eos statuit ante eorum oculos in exemplum, dicens [3]: *Vade, et tu fac similiter;* et facit, ut per eos aedificet domos altas, in quibus ipse habitet; nam diabolus, qui de caelo corruit, libenter ruinosa (inhabitat); Proverbiorum decimo septimo: *Qui altam facit domum suam quaerit ruinam;* et propterea non est mirandum, si Deus tabernacula sua in montibus recusat.

De remedio secundo.

Contra superbos.

Tertio nihilominus opportunum est, tabernaculum cordis nostri collocari in *solitudine paupertatis,* quia sollicitudo et fallacia divitiarum non sinunt, Deum quiescere in corde; unde Iob trigesimo nono [4]: *Quis dimisit onagrum liberum, et vincula eius quis solvit? cui dedi in solitudine domum et tabernacula eius in terra salsuginis.* Quo verbo ostendit Dominus, quod ipse est qui liberat hominem a servitute avaritiae et a vinculis cupiditatis et pro multitudine civitatis ad locum desertum perducit, pro pinguedine divitiarum sterilitatem paupertatis commutat. Hoc autem Deus facit his qui mundum istum relinquunt, qui significati sunt per Rechabitas, Ieremiae trigesimo quinto, quibus praecepit pater eorum: *Domum non aedificabitis et sementem non seretis et vineas non plantabitis nec habebitis; sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris.* Haec sunt *tabernacula* Iacob, de quibus Genesis vigesimo quinto: *Iacob vir simplex, habitabat in tabernaculis.* Haec sunt tabernacula, de quibus, Matthaei decimo septimo [5], Petrus ait ad Dominum: *Domine, bonum est, nos hic esse; si vis, faciamus hic tria tabernacula,* propter triplex bonum, quod est in Religione; verum est utique, quod bonum (est), *nos hic esse* cum Petro et cum Iacobo simplices. — Sed multi, considerantes horum tabernaculorum simplicitatem, derident habitatores eorum; unde Iob duodecimo: *Deridetur* enim *iusti simplicitas. Lampas contempta apud cogitationes divitum, parata ad tempus statutum. Abundant tabernacula praedonum, et audacter provocant Deum, cum ipse dederit omnia in manus eorum.* Quae sunt ista *tabernacula praedonum* nisi corda avarorum? Isti *audacter provocant Deum,* qui *omnia dedit in manus eorum,* cum derident exemplum pauperum et eius imitatores, secundum quod dicitur Lucae decimo sexto: *Audiebant omnia haec Pharisaei, qui erant avari, et deridebant illum.* Sed timere debent quod comminatur Deus per Oseam, Osee nono [6]: *Desiderabile argentum eorum urtica hereditabit, lappa in tabernaculis eorum;* Iob decimo quinto: *Ignis devorabit tabernacula eorum qui munera libenter accipiunt.* Et propterea debet unusquisque saniori consilio dicere cum Propheta: *Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum;* nec immerito, quia *vox exsultationis et salutis in tabernaculis iustorum.* Multi refugiunt tabernaculum Religiosorum propter austeritatem et sterilitatem; sed non est timendum, quia *vox exsultationis et salutis in tabernaculis* eorum. — Si quis autem ad haec tabernacula velit consurgere, vitare debet eorum impugnationes. Quidam enim impugnant: *malitiose laudando,* qui significantur per Balaam; dicitur enim Numerorum

De remedio tertio.

Contra eos.

Impugnationum duplex genus tabernaculorum vitandarum. Primum

[1] Vers. 12.

[2] Psalm. 137, 6; sequuntur Gen. 18, 1. seqq. et Exod. 1, 11.

[3] Luc. 10, 37; sequitur Prov. 17, 16.

[4] Vers. 5. seq.; sequuntur Ier. 35, 7. et Gen. 25, 27.

[5] Vers. 4; sequuntur Iob 12, 4. seqq. et Luc. 16, 14.

[6] Vers. 6; sequuntur Iob 15, 34; Ps. 83, 11. et Ps. 117, 15; dein respicitur Num. 24, 5. 6. 14.

vigesimo quarto: vocatus, ut *malediceret* Iacob, *e contrario* laudavit et *benedixit: Quam pulcra tabernacula tua, Iacob, et tentoria tua, Israel! Ut valles nemorosae, ut horti iuxta fluvios irrigui, ut tabernacula, quae fixit Dominus;* sed postea sequitur, quod pessimum consilium dedit. Sic est de illis qui statum Religionis laudant et magnificant et volentes ingredi retardant. — *Occulte detrahendo;* isti figurantur per Ismaelem, de quo dicitur Genesis decimo sexto [1]: *Hic erit ferus homo, manus eius contra omnes, et manus omnium contra eum; et e regione universorum fratrum suorum figet tabernacula. Ferus,* propter crudelitatem detractionis, quae facit eum *comedere carnes* proximorum, quibus detrahit; et ideo dicitur: *manus eius contra omnes,* quia omnibus detrahit; et certo *manus omnium contra eum,* quia dicitur Iob trigesimo sexto [2]: *Iudicium pauperibus tribuit.* — Vel: *manus omnium contra eum,* quia omnes, quotquot in Religione perseverant, hoc ipso clamant, eum esse mendacem, quoniam dicunt: Quam *bonum est, nos hic esse!* et illis magis credendum est tanquam expertis. Nemo enim scit, quae sunt in tabernaculis Religiosorum, nisi qui in eis requiescit et dormit. Quod bene significatur Genesis vigesimo octavo: *Cum evigilasset Iacob de somno, ait: Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam.* — Et haec dicta sufficiant de tabernaculo, in quo Dominus requiescit spiritualiter, cuiusmodi est anima fidelis.

IV. Quantum autem ad intellectum *anagogicum* competit praedictum verbum *caelesti curiae,* in cuius tabernaculo requiescit Dominus sempiternaliter; de quo in Psalmo [3]: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?* Et respondet: *Qui ingreditur sine macula et operatur iustitiam.* Non enim pervenitur ad gloriam per solam mali evitationem; nam « ex puris negativis nulla fit argutio syllogistica ». In hoc autem tabernaculo sempiterniter requiescit, in quo est omnis *mali absentia,* omnis *boni praesentia* et utriusque *duratio sempiterna.* Et in his tribus consistit laus perfecta, propter quam tabernaculum illud est amabile Domino et desiderabile sanctis hominibus. — Est igitur in illo tabernaculo omnis *mali absentia,* secundum quod innuitur Apocalypsis vigesimo primo [4]: *Ecce, tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis, et ipsi populus eius erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus, et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus neque clamor neque dolor erit ultra, quia prima abierunt.* Hoc totum erit in aeterna beatitudine, in qua Deus *inhabitabit cum hominibus,* protegens eos ab omni malo, et a malo doloris et a malo timoris; propter quod dicitur Isaiae quarto: *Tabernaculum erit in umbraculum diei ab aestu et in securitatem et absconsionem a turbine et a pluvia.* Hoc erit tabernaculum gloriae, in quo *abscondet nos Deus in die malorum.*

Secundo vero, in illo tabernaculo erit *praesentia omnis boni;* unde Isaiae trigesimo secundo [5]: *Sedebit populus meus in pulcritudine pacis et in tabernaculis fiduciae et in requie opulenta.* Anima namque, quae desiderat omne bonum, non quiescit, quousque habeat omne bonum. Si ergo in tabernaculis gloriae erit perfecta pax, planum est, quod erit omnis boni sufficientia, immo superabundantia. Erit enim ibi plenitudo *quietis* et quies *securitatis* et securitas *ubertatis.* Et in primo quietat desiderium rationalis; in secundo, desiderium irascibilis; in tertio, desiderium concupiscibilis; et propter haec tria dicit: *Sedebit populus meus* etc. Psalmus: *Transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.*

Tertio, in illo tabernaculo erit utriusque *duratio sempiterna;* propter quod dicitur Isaiae trigesimo tertio [6]: *Respice, Sion, civitatem solemnitatis nostrae; oculi tui videbunt Ierusalem, habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur clavi eius in sempiternum, et omnes funiculi eius non rumpentur.* Illud igitur tabernaculum aeternum erit, et ideo *beati, qui habitant in* hoc tabernaculo, quia *in saecula saeculorum laudabunt* Dominum. — Clamet igitur anima nostra et dicat: *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini;* quod fere deficit. « Quis enim sufficiat enarrare, illius supernae civitatis quanta sint gaudia, Angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriae Conditoris assistere, praesentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre »? ecce, omnis boni praesentia; « nullo mortis metu affici »; ecce, mali absentia; « incorruptionis munere laetari [7] »; ecce, duratio sempiterna. Ad haec igitur tabernacula nos perducat ille qui requievit hodie in tabernaculo uteri virginalis, Iesus Christus, Dominus noster, cui est honor et gloria etc.

Secundo, de omnis boni praesentia.

Tertio, de utriusque duratione aeterna.

Moditio.

Sermo V [8].

Ave, Maria, *gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus,* Lucae primo [9].

Verbum istud scribitur Lucae primo et est verbum caelestis nuntii, quo annuntiavit illud excellentissimum sacramentum, in cuius memoria hodie solemnizat Ecclesia. Possunt autem in verbo proposito

[1] Vers. 12; dein respicitur Ps. 26, 2: *Dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas.*

[2] Vers. 6; sequuntur Matth. 17, 4. et Gen. 28, 16.

[3] Psalm. 14, 1. seq. — Sequens locus est Aristot., l. Analyt. poster. c. 25. n. 3.

[4] Vers. 3. seqq.; sequitur Isai. 4, 6. et respicitur Ps. 26, 5.

[5] Vers. 18; sequitur Ps. 41, 5.

[6] Vers. 20; dein respicitur Ps. 83, 5. et sequitur v. 2. 3.

[7] Gregor. II. Homil. in Evang. homil. 37. n. 1.

[8] Ex cod. Monacensi W et cod. Tudert. n. 182. fol. 164 r.

[9] Vers. 28.

tria notari, quae perfectam reddunt orationem; ipse enim Archangelus Gabriel tanquam bonus orator praemittit primo *salutationem Virginis* ad modum exordii, cum dicit: *Ave, gratia plena;* secundo, subdit *annuntiationem conceptus virginalis* ad modum narrationis, cum addit: *Dominus tecum;* tertio, subinfert *benedictionem laudis* ad modum conclusionis, cum subiungit: *benedicta tu in mulieribus* [1].

Divisio.

Pars I. Salutatio Virginis et gratiae in ipsa plenitudo.

I. Salutans igitur Virginem Mariam, dicit Angelus: *Ave, gratia plena,* ut in sermonis sui exordio reddat Virginem *benevolam, docilem* et *attentam,* secundum tria vocabula in salutatione contenta. Hoc autem salutationis exordium, quamvis sit breve, est tamen utile, quia datur nobis in eo forma salutandi Virginem; cum sit compendiosum, est tamen sententiosum; non enim sine causa Virginem salutatam vocat Archangelus Gabriel *gratia plenam.* Fuit enim Virgo Maria septiformi plenitudine plena.

Septiformis gratiae plenitudo.

Fuit plena primo gratia sanctificante.

Plena etenim fuit gratia *sanctificante* ad purgamentum foeditatis culpae, a qua fuit prorsus purgata per gratiam, ita ut de ea dici possit illud Ecclesiastici vigesimo sexto [2]: *Gratia super gratiam, mulier sancta et pudorata. Mulier sancta,* per purgationem mentis, *et pudorata,* per incorruptionem carnis, antonomastice est Virgo Maria, de qua Bernardus ad Lugdunenses scribit: « Fuit quippe Mater Domini ante sancta quam nata »; nec tantum sancta fuit, sed etiam pudorata; unde idem Bernardus subiungit: « Puto, quod copiosior gratia sanctificationis in eam descenderit, quae non tantum eius sanctificaverit ortum, sed et vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem ». Rationem autem huius plenae et perfectae sanctificationis assignat Propheta in Psalmo, cum dicit: *Domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudinem dierum.* Et propterea Anselmus [3] dicit: « Decebat, ut illius hominis conceptio fieret de Matre purissima ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi ». — Et ideo non tantum dicitur gratia, sed *gratia super gratiam,* pro eo, quod plena fuit gratia sanctificante. Dicamus ergo cum Angelo: *Ave, gratia plena.*

Secundo, gratia fortificante.

Plena etiam fuit gratia *fortificante* ad fulcimentum infirmitatis poenae, ne unquam posset superari in tentatione; unde sibi recte competit illud Proverbiorum undecimo [4]: *Mulier gratiosa inveniet gloriam. Mulier,* inquam, plena gratia fortitudinis in pugna, *inveniet gloriam* laudis et honoris in victoria. Sed hanc *mulierem fortem quis inveniet,* quae *caput conterat* inimici et serpentis antiqui? Hanc invenit Angelus salutando; sola enim haec est, quae fortitudine pedis contrivit caput diaboli et interemit universam haereticam pravitatem. Unde Bernardus [5]: « Ipsa est quondam a Deo promissa mulier, quae serpentis antiqui *caput* virtutis pede *contrivit,* cuius plane *calcaneo* in multis versutiis *insidiatur;* sed sine causa; sola enim interemit universam haereticam pravitatem ». « Ipsa procul dubio caput contrivit venenatum, quae omnimodam maligni suggestionem tam de carnis illecebra quam de mentis superbia deduxit ad nihilum ». Unde ipsa sola potest gloriari, quod ipsam *non reprehendat cor* eius *in omni vita* sua. Et propterea Augustinus: « Cum de peccatis agitur, de sola Matre Domini nullo modo haberi volo mentionem ». — Dicamus ergo: *Ave.*

Tertio, gratia consummante.

Plena etiam fuit gratia *consummante* ad supplementum defectibilitatis naturae, ut nulla remaneret in ea vacuitas indigentiae, sed recte posset dicere illud primae ad Corinthios decimo quinto [6]: *Gratia Dei sum id quod sum, et gratia eius in me vacua non fuit,* quasi dicat: ipse Dominus dedit esse naturae, et illud consummavit et perfecit per plenitudinem gratiae. Et ideo dicit: *non fuit vacua,* quia omnino fuit repleta. Unde Bernardus: « Quis vacuam dixerit, quam salutat Angelus gratia plenam? Neque hoc solum, sed adhuc quoque in eam superventurum asserit Spiritum sanctum. Ad quid, nisi, ut adveniente iam Spiritu sancto, plena sibi; eodem superveniente, nobis quoque fieret superplena »? Unde ipsa habuit gratiam consummatissimam super omnes, secundum quod dicit Hieronymus [7]: « Sicut in comparatione Dei nemo bonus, ita et in comparatione Matris Domini nulla invenitur perfecta, quantumcumque virtutibus eximia comprobetur ». — Propter quod recte sibi possumus dicere cum Salomone, Proverbiorum trigesimo primo: *Multae filiae congregaverunt divitias, tu supergressa es universas,* et cum Angelo salutare: *Ave.*

Quarto, gratia de reate.

Plena nihilominus gratia *decorante* ad ornamentum honestatis vitae, ut nihil appareat in ea reprehensibile, et rectissime possit de ipsa dici quod

---

[1] Similia S. Bonav. dicit in Commentario in Lucam (tom. VII. pag. 22), exponens verba Luc. 1, 28: « In denuntiatione conceptus futuri, in qua procedit Angelus tanquam bonus rhetor valde ordinate, et Evangelista explicat perfecte. Praemittitur enim *salutationis ingressus;* secundo additur *narrationis processus,* ibi: *Et ait ei Angelus: Ne timeas;* subiungitur *conclusionis terminus,* ibi: *Ideoque et quod nascetur* etc. Istae enim sunt partes principaliores orationis rhetoricae, scil. *exordium, narratio* et *conclusio,* secundum Tullium (I. Rhetor. c. 14) ». Deinde quoad *salutationis ingressum* de exordio dicit, « Angelum captasse *benevolentiam,* erexisse *confidentiam* et exhibuisse *reverentiam* ». In sequentibus plures sententias et locos Scripturae affert, in hoc vel praecedentibus sermonibus habitos. — Ceterum in hoc sermone non exponitur illa generalis divisio, sed tantum septiformis *plenitudo gratiae* beatissimae Virginis, cui subiungitur septiformis dispositio ex parte *recipientium* gratiam tanquam pars secunda.

[2] Vers. 19. — Sequuntur Bernard., Epist. 174. n. 5. et Ps. 92, 5. [3] De Concept. virgin. c. 18.

[4] Vers. 16; sequitur c. 31, 10. et respicitur Gen. 3, 15.

[5] Serm. de Domin. infra Octav. Assumt. B. V. M. n. 4, ubi respicitur Gen. 3, 15. Immediate post afferuntur eiusdem verba, Homil. 2. super *Missus est,* n. 4. — Sequuntur tob 27, 6. et August., de Nat. et grat. c. 36. n. 42.

[6] Vers. 10. — Sequitur Bernard., serm. de Domin. infra Octav. Assumt. B. V. M. n. 2.

[7] Potius auctor sermonis de Assumt. B. V. M. ad Paulam et Eustoch. (inter opera Hieron.) c. 16. Sequitur Prov. 31, 29.

dicitur de Esther, Esther secundo [1]: *Erat formosa valde et incredibili pulcritudine, omnium oculis gratiosa et amabilis videbatur. Gratiosa* erat et *formosa* non tantum corpore, sed etiam mente, quia *fallax gratia et vana est pulcritudo; mulier timens Dominum ipsa laudabitur.* Et quoniam pulcra erat intus et extra, ideo dicitur Canticorum quarto: *Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te;* quod exponeos Bernardus de Virgine dicit: « *Tota pulcra,* quia facie pulcherrima, corpore integerrima, spiritu sanctissima ». Et idem [2]: « Virgo regia, gemmis ornata virtutum, geminoque mentis pariter et corporis decore praefulgida, *specie sua et pulcritudine sua* in caelestibus cognita, caeli civium in se provocavit aspectus, ita ut et Regis animum in sui concupiscentiam inclinaret et caelestem nuntium ad se de supernis attraheret ». Et hoc ipsum Hieronymus: « Si diligentius inspicias, nihil virtutis est, nihil speciositatis, nihil candoris et gloriae, quod ex ea non resplendeat ». « Erat enim multis candidata meritorum virtutibus et dealbata nive candidius Spiritus sancti muneribus, simplicitatem columbae in omnibus repraesentans ».

Quinto, gratia desponsante.

Plena etiam fuit gratia *desponsante* ad contubernium familiaritatis divinae, per quam assumeretur in vinculum indissolubilis copulae, ut ipsi possit recte aptari illud reginae Esther, sponsae Assueri, de qua Esther secundo [3]: *Ducta est Esther ad cubiculum regis Assueri mense decimo, qui vocatur Tebeth, septimo anno regni eius. Et adamavit eam rex plus quam omnes mulieres habuitque gratiam et misericordiam coram eo super omnes mulieres, et posuit diadema regni in capite eius. Esther* ista Virgo Maria est, quae *ducta est ad cubiculum Assueri,* quando per intimum amorem pervenit ad consortium divinae familiaritatis. Unde Hieronymus: « Totam impleverat Spiritus sancti gratia, quam totam incanduerat divinus amor, ita ut in ea nihil esset mundanum, quod violaret affectum, sed ardor continuus et ebrietas profusi amoris ». Unde non tantum dicitur habuisse gratiam, sed etiam *super omnes mulieres,* quia prae ceteris Deo familiarior est effecta, secundum quod dicit Bernardus: « Quam familiaris Christo facta es, Domina, quam proxima, immo quam intima fieri mernisti! Quantam invenisti gratiam apud eum! In te manet et tu cum eo; et vestis eum, et vestiris ab eo; vestis eum substantia carnis, vestit te ille gloria suae maiestatis ». — Et propterea recte dicitur in praemisso verbo: *posuit diadema regni in capite eius.*

Sexto, gratia fecundante.

Plena fuit etiam gratia *fecundante* ad conceptum integritatis virgineae, ut conciperet sine omni corruptione; unde sibi dicit Angelus, Lucae primo [4]: *Invenisti gratiam apud Deum. Ece, concipies in utero et paries Filium et vocabis nomen eius Iesum.* Haec vere fuit gratia plena, quae « non tantum mentem, verum etiam ventrem implevit ». Unde Hieronymus: « Vere plena, quia ceteris per partes praestatur, Mariae vero se totam infudit simul gratiae plenitudo ». Et Bernardus [5]: « *Optimam partem elegit sibi Maria. Optimam* plane, quia bona fecunditas coniugalis, melior autem castitas virginalis, prorsus autem optima est fecunditas virginea, seu fecunda virginitas; Mariae privilegium est, non dabitur alteri, quia *non auferetur ab ea* ». Et idem: « Inviolata et casta et integra Mariae viscera tanquam pascua aeterni viroris florem protulere, cuius pulcritudo non videat corruptionem, cuius gloria in perpetuum non marcescat ». — Et propter istam plenitudinem fecunditatis virgineae debemus dicere: *Ave* etc.

Septimo, gratia redundante.

Plena postremo fuit gratia *redundante* ad profectum salutis humanae, ut nemo sit, *qui se abscondat a calore eius* [6], secundum quod de ipsa potest exponi illud Ecclesiastici vigesimo quarto: *In me gratia omnis viae et veritatis, in me omnis spes vitae et virtutis. Transite ad me, omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini. In me,* inquit, *omnis gratia viae et veritatis,* quia Verbum genuit incarnatum; Verbum, inquam, unigenitum Dei Patris, *plenum gratiae et veritatis;* et ideo sciens, se habere gratiam redundantem, omnes invitat ad suam plenitudinem. Unde Hieronymus [7]: « Universale auxilium et praeparata protectio ad eam vigilantium, Christianorum quoque refugium ad eam concurrentium et consolatio tribulatorum, errantium via et redemptio captivorum est sancta Virgo Maria et mediatrix omnium apud Deum ». Et Bernardus: « De plenitudine eius accipiunt universi ». — Et propterea confugiendum est ad ipsam, secundum quod ipse Bernardus hortatur: « Quid ad Mariam trepidet humana fragilitas? Nihil in ea durum, nihil in ea asperum, nihil austernum, nihil amarum; tota dulcis et suavis, tota misericors, omnibus offerens lac et lanam ». — Recte igitur dici potest: *Ave, plena gratia* redundante.

Hortatio.

Para II. De septiformi ad gratiam dispositione.

II. Sed licet Virginis gratia in omnes possit redundare quantum ad gratiae *impetrationem,* non tamen per *infusionem;* et licet in omnes redundet quantum ad *sufficientiam,* non tamen in omnes quantum ad *efficaciam,* sed solum in eos qui se reddunt idoneos

[1] Vers. 15; sequuntur Prov. 31, 30. et Cant. 4, 7.

[2] Homil. 2. super *Missus est,* n. 2, ubi respicitur Ps. 44, 5. — Sequitur auctor serm. de Assumt. B. V. M. (inter opera Hieron.) c. 9.

[3] Vers. 16. seq. — Duo sequentes loci sunt auctoris serm. de Assumt. B. V. M. (inter opera Hieron.) c. 14. (13.) et Bernard., serm. de Dominica infra Octav. Assumt. B. V. M. n. 6.

[4] Vers. 30. seq. — Sequuntur Bernard., serm. 1. de Domin. post Octav. Epiph. n. 2. et auctor serm. de Assumt. B. V. M. (inter opera Hieron.) c. 5.

[5] Serm. 4. in Assumt. B. V. M. n. 5, ubi respicitur Luc. 10, 42. — Sequitur eiusdem serm. 2. in Adventu Dom. n. 4.

[6] Psalm. 18, 6; sequuntur Eccli. 24, 25. seq. et Ioan. 1, 14.

[7] Locus frustra quaesitus. — Sequitur Bernard., serm. de Domin. infra Octav. Assumt. B. V. M. n. 2.

ad suscipiendum. Sunt autem septem, quae nos praeparant ad suscipiendam gratiam, ut sit septiformis dispositio, secundum quod septiformis est gratuitae virtutis perfectio.

Prima igitur dispositio ad susceptionem gratiae Dispositio primo. est *rectitudo conscientiae* in *declinandis*, quoniam *lux* gratiae *oritur* solis *rectis corde* [1]; Proverbiorum primo: *Ne dimittas legem matris tuae, ut addatur gratia capiti tuo. Lex matris* est rectitudo conscientiae, quae docet bonitatem; Proverbiorum duodecimo: *Qui bonus est hauriet gratiam a Domino;* vere *qui bonus est* per conscientiam rectam *bonam gratiam* sibi *hauriet*, quoniam *bonus Israel Deus his qui recto sunt corde.* Unde illi soli possunt de bonitate gloriari et de gratia, quorum intentio est simplex et conscientia recta. In persona enim Beatorum dicit Apostolus secundae ad Corinthios primo: *Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae, quod in simplicitate cordis et sinceritate Dei et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus. In simplicitate*, inquam, rectae conscientiae et intentionis, non in duplicitate carnalis sapientiae et sophisticationis, quia cum illa non potest stare gratia; unde Ecclesiastici trigesimo septimo [2]: *Qui sophistice loquitur odibilis est; non est* enim *illi data a Domino gratia.* Ille enim *sophistice loquitur* qui aliud profert extra in sermone et aliud habet intus in corde et facit in opere ut hypocritae, qui privati sunt munere divinae gratiae.

Secunda dispositio est *certitudo confidentiae* in Secunda. *exspectandis*, quoniam illis solis divina misericordia impertitur et gratia, qui habent in ipsa fiduciam; unde ad hoc hortatur Apostolus ad Hebraeos quarto [3]: *Adeamus*, inquit, *cum fiducia ad thronum gratiae* eius, *ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Thronus*, in quo requiescit et residet divina gratia, est Virgo Maria, ad quam debemus accedere cum certitudine fiduciae tanquam ad matrem et reginam misericordiae. « Ipsa enim, ut dicit Bernardus, est peccatorum scala et nostra fiducia et tota ratio spei nostrae ». Unde talem per ipsam apud Deum habemus fiduciam, ut, quidquid petierimus, impetremus, si cor nostrum fuerit in eius amore et devotionis gratia stabilitum; unde ad Hebraeos ultimo: *Optimum est gratia stabilire cor, non escis, quae non profuerunt ambulantibus in eis.* Parum enim prodest amore Virginis ieiunare sine orationis instantia et fervore et ipsius imitatione, secundum quod Bernardus [4] hortatur: « In periculis, in angustiis Mariam cogita et invoca, et ut impetres orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum ». Nam si deseris, non potes in ea certitudinaliter confidere ac per hoc nec gratiam obtinere.

Tertia vero dispositio est *latitudo benevolentiae* Tertia. in *communicandis*, pro eo quod *in malevolam animam non introibit sapientia* [5] nec gratia; sed ubi est amplitudo benevolentiae, ibi est abundantia gratiae, secundum illud secundae ad Corinthios nono: *Unusquisque, prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus. Potens est* enim *Deus omnem gratiam abundare facere in vobis.* Et rationem huius reddit ipse Apostolus, quia qui *parce seminat parce et metet* etc. Qui vult ergo habere gratiam magnam, necesse est, ut habeat dispensationem amplam, secundum quod beatus Petrus hortatur in prima Canonica sua, quarto [6]: *Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei. Bonus dispensator gratiae Dei* est ille qui considerat Dei voluntatem, non suam utilitatem, qui dispensat secundum divinum praeceptum, non secundum suum placitum. Unde Dominus Matthaei decimo: *Gratis accepistis, gratis date.* Ille autem *gratis dat*, qui non tantum amicis et familiaribus et consanguineis, sed extraneis et ignotis et inimicis gratiam sibi datam communicat; unde Lucae sexto: *Si diligitis eos qui vos diligunt, quae vobis est gratia? Nam et peccatores diligentes se diligunt* etc., quasi dicat: nulla. Isti alterius dispensatores, qui semper quaerunt quod suum est, etsi habent gratiam gratis datam, gratiam gratum facientem habere non possunt. Illa enim est liberalissimae bonitatis, et ideo non potest requiescere in corde frigido et habitaculo parvo et operiri pallio brevi. Illud autem, quod maxime cor dilatat, est divina *misericordia*, quae est *super omnem carnem* [7]; unde Proverbiorum tertio: *Misericordia et veritas te non deserant; circumda eas gutturi tuo et describe in tabulis cordis tui; et invenies gratiam et disciplinam bonam coram Deo et hominibus.*

Quarta dispositio est *sollicitudo providentiae* in Quarta. *eligendis;* nemini enim datur donum gratiae nisi iis qui ambulant per viam prudentiae et disciplinae, secundum quod dicitur Proverbiorum quarto [8]: *In omni possessione tua acquire prudentiam. Arripe illam, et exaltabit te; glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus. Dabit capiti tuo augmenta gratiarum et corona inclyta proteget te.* Modus autem acquirendi prudentiam est per *doctrinam:* et ideo Proverbiorum decimo tertio: *Doctrina bona dabit gratiam.* Illa est *bona doctrina*, quae docet hominem, quod debeat praeeligere et quaerere gratiam in corde, opere et sermone sicut doctrina Pauli Apostoli. Nam ipse hortatur et sollicitat, ut gratiam sequamur et quaeramus in *affectu*, ad Hebraeos duodecimo: *Contemplantes, ne quis desit gratiae Dei*, scilicet

[1] Psalm. 96, 11; sequuntur Prov. 1, 8. seq.; c. 12, 2; Ps. 72, 1. et II. Cor. 1, 12.
[2] Vers. 23. seq.
[3] Vers. 16. — Sequuntur Bernard., serm. in Nativ. B. V. M. n. 7. et Hebr. 13, 9.
[4] Homil. 2. super *Missus est*, n. 17.
[5] Sap. 1, 4; sequuntur II. Cor. 9, 7. 8. et dein v. 6.
[6] Vers. 10; sequuntur Matth. 10, 8. et Luc. 6, 32.
[7] Eccli. 19, 12; sequitur Prov. 3, 3. seq.
[8] Vers. 7. seqq.; sequuntur c. 13, 15. et Hebr. 12, 15.

per affectionis pigritiam. Sollicitat etiam, ut gratiam quaeramus in *verbo;* unde ad Ephesios quarto [1]: *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus ad aedificationem fidei, ut det gratiam audientibus.* Sollicitat, ut quaeramus in *facto;* secundae ad Corinthios sexto: *Adiuvantes exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis;* et primae ad Timotheum quarto: *Noli negligere gratiam, quae data est tibi.* Optat hanc praecipue omnibus, quos salutat, semper dicens [2]: *Gratia vobis et pax a Deo.* Hanc doctrinam prudentes acceptant, et fatui et stulti recusant; Ecclesiastici vigesimo [3]: *Sapiens in verbis se ipsum amabilem facit; gratiae autem fatuorum effundentur;* et rursus, vigesimo primo: *Narratio fatui quasi sarcina in via; nam in labiis sensati invenietur gratia.* — Sapiens enim delectatur in verbis salutiferis, cniusmodi sunt gratiarum actiones et benedictiones; *diffusa* enim *est gratia in labiis tuis,* et *propterea* benedicetur *in aeternum.* Fatuus econtra delectatur in mendaciis detractorum et adulatorum; unde Ecclesiastici vigesimo [4]: *Fatuo non erit amicus, et non erit gratia bonis illius. Qui enim edunt panem illius falsae linguae sunt. Quoties et quanti irrident eum?* Tales fatui sunt omnes, qui falsas laudes praeponunt veris et transitoria aeternis; tales carent prudentia in eligendis.

Laudantur sapientes, vituperatur fatui.

Quinta dispositio est *arctitudo modestiae* in utendis; nam illis solis datur gratia, qui restringunt concupiscentiam; unde primae Petri primo [5]: *Succincti lumbos mentis vestrae, sobrii perfecte sperate in eam quae offertur vobis gratiam, in revelationem Iesu Christi, non configurati prioribus ignorantiae vestrae desideriis; sed secundum eum qui vocavit vos Sanctum, et ipsi in omni conversatione sancti sitis. Lumbos succingere* est omnem fluxum concupiscentiae per modestiam refrenare, ut non tantum sit modestia in opere et sermone, sed et in corde et in affectione. Nam cordis modestia et munditia principaliter impetrat divinam gratiam et amicitiam, secundum quod scribitur Proverbiorum vigesimo secundo: *Qui diligit cordis munditiam propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem,* quasi dicat: ubi est *munditia cordis,* ibi est munditia *oris,* et ubi haec sunt, est et munditia *corporis.* Et haec triplex munditia et misericordia ubi est, subsequitur gratia et amicitia divina, quae liberant hominem a servitute peccati et damnatione aeterna et praesenti infamia, ut exclamat Apostolus ad Romanos septimo in persona hominis subingati peccato: *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis huius?* Et respondet: *Gratia Dei per Iesum Christum;* et rursus Proverbiorum vigesimo quinto [6]: *Gratia et amicitia liberant; quas tibi serva, ne exprobrabilis fias.* Has autem servare non potes nisi per munditiam, nec munditiam habere nisi per modestiam et temperantiam; et ideo secundum consilium beati Petri debemus *lumbos mentis succingere* et *sobrii esse.* Haec enim duo necessaria sunt homini volenti continere, scilicet ut restringat mentem et carnem: mentem, a cogitatu immundo, et carnem, a cibo et potu superfluo, et hoc ipse Ecclesiastes exemplo suo docet. *Cogitavi,* inquit, *in corde meo abstrahere a vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam;* et ratio huius redditur Proverbiorum vigesimo: *Luxuriosa res* est *vinum, et tumultuosa ebrietas; quicumque his delectatur non erit sapiens.* Ad impetrationem ergo gratiae et sapientiae necessaria est arctitudo modestiae.

Quinta.

Triplex munditia et misericordia.

Sexta dispositio est *promptitudo obedientiae* in exsequendis; ubi enim regnat inobedientia, non potest esse gratia; Proverbiorum tertio [7]: *Custodi legem atque consilium, et erit vita animae tuae et gratia faucibus tuis.* Illa enim est perfecta et prompta obedientia, qua non solum promptus est obedire mandatis, sed etiam consiliis. Hanc autem promptitudinem non habet nisi ille qui paratus est subesse non solum maioribus, sed etiam inferioribus, secundum illud Ecclesiastici tertio: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam;* et ratio huius est, quia, sicut dicitur Iacobi quarto, *superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam.* Et propterea Virgo Maria fuit *gratia plena,* quia fuit humilissima; et hoc prophetavit Isaias, quadragesimo [8]: *Omnis vallis exaltabitur, et omnis mons et collis humiliabitur;* unde secundi Regum primo: *Montes Gelboe! nec ros nec pluvia veniant super vos* etc. Nihil enim adeo impedit susceptionem gratiae sicut tumor superbiae; et econtra disponit timor reverentiae; Ecclesiastici trigesimo secundo: *Audi tacens, et pro reverentia accedet tibi bona gratia.*

Sexta.

Notandum.

Septima dispositio est *mansuetudo patientiae* in sustinendis, sine qua gratia non potest haberi nec conservari; unde Proverbiorum tertio [9]: *Ipse deludet illusores et mansuetis dabit gratiam,* maxime iis qui servant mansuetudinem per susceptionem contumeliae et iniuriae; primae Petri secundo: *Haec est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniuste. Quae est enim gloria, si peccantes et colaphizati suffertis? Sed si benefacientes patienter sustinetis, haec est gratia apud Deum.* Haec autem non solum est necessaria ad gratiam consummandam, sed etiam ad conservandam et possidendam; unde ad Hebraeos decimo:

Septima.

[1] Vers. 29; sequuntur II. Cor. 6, 1. et I. Tim. 4, 14.
[2] Ex. gr. Rom. 1, 7; I. Cor. 1, 3. etc.
[3] Vers. 13; sequuntur c. 21, 19. et Ps. 44, 2.
[4] Vers. 17. seq.
[5] Vers. 13. seqq.; sequuntur Prov. 22, 11. et Rom. 7, 24. seq.
[6] Vers. 10; sequuntur I. Petr. 1, 13; Eccle. 2, 3. et Prov. 20, 1.
[7] Vers. 21. seq.; sequuntur Eccli. 3, 20. et Iac. 4, 6.
[8] Vers. 4; sequuntur II. Reg. 1, 21. et Eccli. 32, 9.
[9] Vers. 34; sequuntur I. Petr. 2, 19. seq. et Hebr. 10, 36.

Patientia vobis necessaria est, ut, voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. Facta est antem *repromissio* mitibus; *mansueti autem hereditabunt terram* [1]; et Matthaei quinto: *Beati, mites, quoniam ipsi possidebunt terram,* scilicet terram cordis, quia *in patientia vestra possidebitis animas vestras;* possidebunt *terram*, id est Virginem Mariam, quae fuit terra benedicta; possidebunt autem eam, quia, cum ipsa sit mitis, praestabit eis omnia, sicut (dicit) Bernardus in auctoritate praemissa [2]. Possidebunt etiam *terram viventium*, de qua Psalmus: *Portio mea in terra viventium;* ad quam etc. [3].

Sermo VI [4].

Benedicta tu inter mulieres et benedictus fructus ventris tui.

Verbum istud scribitur Lucae primo [5] et prolatum fuit a beata Elisabeth, matre beatissimi Praecursoris, ad laudem gloriosissimae Matris Dei, in quo exprimitur excellentia Virginis benedictae ex copia benedictionis supernae. Possunt autem in verbo proposito duo notari: primum est superexcellens benectio Virginis quantum ad *se ipsam*, cum dicitur: *Benedicta tu inter mulieres;* secundum vero, quantum ad *Prolem conceptam*, cum subditur: *et benedictus fructus ventris tui.* Divisio.

I. Merito autem ipsa Virgo Maria quantum ad *se ipsam* praedicatur et dicitur benedicta, quia benedicta fuit benedictione *divina* et benedictione *humana;* prima benedictio fuit gratuita, secunda debita; in prima consistit perfectae sanctitatis *principium*, in secunda perfectae sanctitatis *praeconium.* Pars I. Benedicta quoad se dupliciter.

— Benedicta igitur fuit Virgo Maria *benedictione divina;* et haec quidem in ipsa fuit perfecta, tum quia *praecipua*, propter doni praecellentiam; tum quia *plenaria,* propter doni abundantiam; tum quia *perpetua*, propter doni permanentiam. — Benedicta igitur fuit benedictione *praecipua*, secundum quod insinuatur Iudith decimo tertio [6], ubi sic dixit Ozias ad eam: *Benedicta es tu, filia, a Domino, Deo excelso, prae omnibus mulieribus super terram;* quod dictum est illi mulieri vidnae non in persona sua, cum multis aliis collata sit benedictio praecipua, sed pro Virgine Maria, quae a Deo *prae omnibus mulieribus* est exaltata et benedicta benedictione praecipua sine exceptione aliqua. Hoc bene designatum fuit in laudibus sapientiae, Ecclesiastici vigesimo quarto: *Sapientia laudabit animam suam, et in Deo honorabitur. Et in multitudine electorum habebit laudem et inter benedictos benedicetur, dicens: Ego ex ore Altissimi prodivi* etc. In quo describitur praecellentia beatae Virginis primo respectu *omnium*, cum dicitur: *primogenita ante omnem creaturam;* secundo, respectu *iustorum*, cum dicitur: *ego feci in caelis, ut oriretur lumen indeficiens;* tertio, respectu *Beatorum*, cum dicitur: *ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis;* ubi tangitur excellentia glorificationis ipsius Virginis ratione animae et corporis. Ex quo satis apparet, quod benedicta fuit benedictione praecipua et in caelo et in terra. Benedictio praecipua.

Benedicta etiam fuit benedictione *plenaria*, secundum quod innuit Propheta in Psalmo [7]: *Benedices,* inquit, *coronae anni benignitatis tuae, et campi tui replebuntur ubertate. Annus benignitatis* est annus gratiae, qui incepit a Filii Dei incarnatione tanquam a capite. Et quia Virgo Maria circumdedit Verbum incarnatum, quod erat caput et origo fontalis totius gratiae, ideo dicitur *corona anni benignitatis* divinae. Hiaec autem corona circa caput Christi posita fuit *omni lapide pretioso ornata* propter Benedictio plenaria.

Benedictione divina tripliciter.

[1] Psalm. 36, 11; sequuntur Matth. 5, 4. et Luc. 21, 19.

[2] Vide supra pag. 678, notam 6. — Sequitur Ps. 141, 6.

[3] De eodem themate plures alii sermones in codicibus, vel editis inveniuntur, sive anonymi sive in collectionibus, quae Bonaventurae tribuuntur. Inter hos eminet sermo valde longus, qui sine nomine auctoris inveniturin pluribus codicibus, praesertim in cod. 16499 biblioth. Parisiensis National. fol. 235 r.; item in cod. 142. biblioth. Carolopolitanae (Charleville) fol. 210 v. addito etiam prothemate; item in cod. sign. K. VI. 42. biblioth. Taurinae. Iste sermo abundat sententiis, quarum multae sunt Bonaventurae familiares, sed et tot divisionibus, ut auditorem potius confundant. Cum etiam harum expositio parum conveniat Bonaventurae, eundem non recipiendum esse censuimus. — Alius sermo de *Ave Maria* est in ed. Vaticana (tom. III. pag. 389), in ed. Basileensi an. 1502, et aliquanto correctius in Bonelli Supplemento, tom. III. col. 637 seqq. et etiam in cod. Tudertino n. 165. fol. 117 r. De hoc notandum est, in textu Vaticanae (pag. 389 col. II.) atque editionis an. 1502. legi testimonium pro immaculata conceptione B. V. Mariae, verba scil.: « Solum enim Filius Virginis fuit ab originali culpa immunis et ipsa Mater eius »; quod etiam in praecedentibus verbis asseritur. Hinc nonnulli docuerunt, in hoc sermone S. Doctorem retractasse notam suam de conceptu Virginis sententiam, nunc reprobatam. Sed iam editor Vaticanae in nota ad marginem posita monet, cum de sententia contraria Ss. Bonaventurae et Thomae constet, fatendum esse, hunc sermonem non esse genuinum. Sed addendum ab eo fuisset: *vel sermonem esse glossis falsis alteratum.* Re vera hoc factum esse, demonstrat antiquior cod. Assisiensis, quem edidit Bonelli (loc. cit. col. 641), ubi legitur: « Dicamus ergo primo, quod Domino nostro fuit plena gratia expurgante in sua sanctificatione contra foeditatem originalis culpae, quam contraxit ex infectione naturae; solus enim Filius Virginis ab originali fuit culpa immunis ». Ipse Bonelli (ib. nota 9.) asserit, non esse dubitandum de sincera antiquioris codicis lectione, tamen putat, istum sermonem esse *genuinum.* Hoc concedi poterit quoad divisionem sermonis et aliquas sententias; sed eundem ab aliena manu valde transformatum esse, iam satis patet ex principio sermonis, quod iisdem verbis referunt et Vat. et ed. an. 1502. et Supplem. Bonelli. Illud enim incipit longa cum *demonstratione*, quod « perfecto, teste Philosopho, nulla possibilis est fieri additio ». — Denique alius quidam eiusmodi sermo in codice Assisiensi non est nisi excriptum ex Comment. Bonav. in Lucam pag. 32 n. 46-49, paucis additis, vel omissis. — Similia concludenda sunt de duobus sermonibus in codice Berolinensi N.

[4] Ex cod. Monacensi W fol. 201 r.; contracte habetur in cod. Tudert. n. 168. fol. 13 r.

[5] Vers. 42.

[6] Vers. 23; sequitur Eccli. 24, 1. 4. seqq.

[7] Psalm. 64, 12; sequuntur Apoc. 21, 19. et Ps. 20, 4.

plenitudinem benedictionis Christi digne recipiendam, iuxta quod dicitur in Psalmo: *Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.* Benedictio autem istius coronae redundat in latitudinem totius Ecclesiae; propter quod et merito subdit: *et campi tui replebuntur ubertate*, per amotionem omnis sterilitatis vitiosae, iuxta quod idem Propheta [1]: *Benedixisti, Domine, terram tuam, avertisti captivitatem Iacob*, ubi tangitur benedictio effusa in totam Ecclesiam per Virginem Mariam, per quam effusa est benedictio plena, et sublata maledictio quantum ad *causam* et quantum ad *culpam* et quantum ad *poenam*, sicut in consequentibus innuit idem Propheta.

Benedicta etiam fuit benedictione *perpetua*, iuxta illud secundi Regum septimo [2], ubi rex David dixit ad Dominum: *Benedic*, Domine, *domui servi tui, ut sit in sempiternum coram te; quia tu, Domine Deus, locutus es, et benedictione tua benedicetur domus servi tui in sempiternum.* Quae est autem ista *domus David* nisi Virgo Maria, in qua verus David, Christus, habitavit et (quam) sibi dedicavit et benedixit in sempiternum? Nam ita decebat Christum, secundum quod alibi in Psalmo dicitur: *Domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudinem dierum.* Et nota, quod bis iterat, quod sit *benedicta in aeternum*, propter duplicem certitudinem, scilicet sempiternae *electionis* et sempiternae *confirmationis.* Et hanc summam certitudinem insinuat ipse in Psalmo per modum iuramenti, dicens: *Iuravi David servo meo: usque in aeternum praeparabo semen tuum. Et aedificabo in generationem et generationem sedem tuam. Sedes tua* est beata Virgo, in qua Dominus requiescit et regnat; unde recte intelligitur per Ierusalem supernam, secundum illud Tobiae decimo tertio [3]: *Benedictus Dominus, qui exaltavit eam, et sit regnum eius in saecula saeculorum super eam.* Et ideo ipsa dicit: *Haec requies mea in saeculum saeculi; hic habitabo, quoniam elegi eam.* — Sic igitur dicatur ab Elisabeth: *Benedicta tu inter mulieres* benedictione *divina*, a qua fuit summae sanctitatis principium.

Benedicta etiam *tu* benedictione *humana* in summae sanctitatis *praeconium.* Triplici autem ex causa leginus in Scriptura sacra mulieres ab hominibus benedictas, scilicet propter *decus integritatis*, propter *munus fecunditatis* et propter *opus virilitatis.* Et propter horum trium excellentiam legitur Virgo Maria ter fuisse benedicta, scilicet ab Archangelo *Gabriele* [4], a sancta *Elisabeth* et a beato *Simeone;* et hoc quidem satis congrue et ordinate. Sic enim decebat, ut Angelus beneficeret *virginitati;* Elisabeth praegnans, *fecunditati;* Simeon, vir iustus, benediceret *virilitati.* — Et nota, quod *decus integritatis* triplicem habet gradum; primus, in continentia *coniugali;* et quantum ad hunc benedicta fuit *Ruth* a Booz; Ruth tertio [5]: *Benedicta, inquit, es a Domino, filia, quia non es secuta iuvenes, pauperes sive divites.* In quo commendat eam, quia noluit cum aliquo fornicari, sed exspectavit copulam matrimonii, in quam postmodum eam assumsit; et hoc quidem tunc temporis satis laudabile fuit. — Secundus vero gradus est in continentia *viduali;* et quantum ad hoc benedicta fuit Iudith, Iudith decimo quinto: *Benedixerunt eam omnes una voce, dicentes: Tu gloria Ierusalem, tu laetitia Israel, tu honorificentia populi nostri; quia fecisti viriliter, et confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaveris et post virum tuum alterum nescieris;* in quo excellentem meruit benedictionem, quia vidualem continentiam servavit usque ad diem mortis suae. — Tertius vero gradus est in continentia *virginali*, ob quam Virgo meruit ab Angelo benedici; Lucae primo [6]: *Ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave, gratia plena, benedicta tu in mulieribus.* Et huic praecipue debetur haec benedictio, quia ipsa inter omnes virgines obtinet principatum. Benedicta igitur Ruth propter continentiam coniugalem; sed magis benedicta Iudith propter continentiam vidualem; Virgo vero Maria benedicta et rebenedicta et superbenedicta propter continentiam virginalem. — Qui ergo exit extra omnem gradum continentiae non meretur benedictionem; propter quod ad Hebraeos duodecimo: *Contemplantes, ne quis desit gratiae Dei, ne quis fornicator aut profanus ut Esau, qui propter unam escam vendidit primitiva sua. Scitote enim, quoniam et postea; cupiens hereditare benedictionem, reprobatus est;* quoniam potius meretur maledictionem, secundum illud Deuteronomii vigesimo septimo: *Maledictus, qui dormit cum uxore patris sui; et dicet omnis populus: Amen.* Oportet igitur qui vult benedictionem assequi in aliquo istorum trium graduum inveniri.

Similiter *munus fecunditatis* tres habet gradus: primus est ipsius nostrae *naturae* quantum per semetipsam; et quantum ad hunc benedicta fuit *Sara*, uxor Tobiae, secundum illud Tobiae nono [7]: *Dixit* Gabelus ad Tobiam: *Benedicat te, Deus Israel, quia filius es optimi viri et iusti et timentis Deum et eleemosynas facientis; et dicatur benedictio super uxorem tuam et super parentes vestros, et videatis filios vestros et filios filiorum vestrorum usque in tertiam et quartam generationem;* quod quidem constat esse dictum quantum ad fecunditatem

Benedictio perpetua.

Benedictio humana propter triplicem excellentiam.

Propter decus integritatis in triplici gradu. De primo.

De secundo.

De tertio.

Contra incontinentes.

Propter munus fecunditatis in triplici gradu. De primo.

[1] Psalm. 84, 2; dein respiciuntur versus sequentes: *Remisisti iniquitatem plebis tuae, operuisti omnia peccata eorum, mitigasti omnem iram tuam.*

[2] Vers. 29; sequuntur Ps. 92, 5. et Ps. 88, 4. seq.

[3] Vers. 23; sequitur Ps. 131, 14.

[4] Respicitur Luc. 1, 28. 42. et c. 2, 34.

[5] Vers. 10; sequitur Iudith 15, 10. seq.

[6] Vers. 28; sequuntur Hebr. 12, 15. seqq. et Deut. 27, 20.

[7] Vers. 9. seqq.

naturalem, quae virum et mulierem comitatur et consuevit esse in aetate juvenili. — Secundus gradus est *naturae aditutae* per gratiam; et quantum ad hunc benedicta fuit *Anna*, uxor Elcanae, quae quidem prius sterilis fuerat, licet juvenis, sed per benedictionem divinam meruit fecundari; de quo, primi Regum secundo [1]: *Benedixit Heli Elcanae et uxori eius;* et sequitur: *Visitavit Dominus Annam, et concepit et peperit tres filios et duas filias.* — Tertius vero gradus fecunditatis est *ipsius gratiae* operantis supra naturam; et quantum ad hunc benedicta fuit Virgo Maria ab ipsa Elisabeth; Lucae primo: *Et repleta est Spiritu sancto Elisabeth et exclamavit voce magna et dixit: Benedicta tu* etc. Benedicta igitur Sara, filia Ragnelis; magis benedicta Anna, mater Samuelis; sed maxime benedicta Maria, Mater Domini Salvatoris; quia eius fecunditas fuit *a* gratia, fuit *cum* gratia et fuit *ad* gratiam, a qua, oportet, quod fecundetur omnis anima sancta ad hoc, quod a Deo sit benedicta, secundum illud ad Hebraeos sexto [2]: *Terra, saepe venientem super se bibens imbrem et generans herbam opportunam illis a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo. Proferens autem spinas ac tribulos, reproba est et maledicto proxima,* illi scilicet maledicto, quod processit ex Adam et Eva; de quo Genesis tertio: *Maledicta terra, in opere tuo; spinas et tribulos germinabit tibi.* Cui maledictioni necesse est omnem hominem subiacere, qui non vult a gratia fecundari. Huiusmodi autem sunt clerici, quaerentes folia verborum et non proferentes fructum bonorum operum, qui merentur a Domino cum ficu sterili maledici, secundum illud Matthaei vigesimo primo.

De secundo.

De tertio.

Notandum.

Contra eos qui sunt maledicto proximi.

Per hunc etiam modum *opus virilitatis* tres habet gradus: primus est vincere *adversarium fugientem;* et quantum ad hunc benedicta fuit *Iahel*, Iudicum quinto [3]: *Benedicta inter mulieres Iahel, uxor Haber Cinaei, et benedicatur in tabernaculo suo.* Et ratio huius infra redditur; quia *percussit* et interfecit *Sisaram* fugientem, qui erat princeps Madianitarum. — Secundus gradus est vincere *adversarium invadentem*, et sic benedicta fuit Iudith, Iudith decimo tertio: *Universi adorantes Dominum dixerunt ad Iudith: Benedixit te Dominus in virtute sua, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros;* ipsa enim amputaverat caput Holofernis. — Tertius vero gradus est devincere *adversarium dominantem;* et quantum ad hunc benedicta fuit *Virgo* gloriosa a Simeone, Lucae secundo: *Benedixit illis Simeon*, scilicet Mariae et Ioseph, *et dixit ad Mariam: Ecce, positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Hoc fuit in pugna, quam habuit Christus et diabolus, in qua Christus fuit mortuus secundum carnem, et beata Virgo fuit vulnerata et transfixa secundum mentem. Et in hoc fuit summa victoria et summa virilitas. Maioris enim virtutis est vulnus aequo animo sustinere quam vulnus inferre, et velle Filium proprium videre suspensum in cruce quam hostem manu propria interficere. Sit ergo benedicta Iahel, quia vicit Sisaram fugientem; et magis benedicta Iudith, quia vicit Holofernem invadentem; sed maxime benedicta Virgo Maria, quia vicit mundum et diabolum crucifigentem Filium et suam ipsius animam transfodientem. — Qui ergo ad exemplum Virginis non vult viriliter agere et pugnare, necesse habet maledictionem incurrere, secundum illud Ieremiae quadragesimo octavo [4]: *Maledictus, qui facit opus Domini negligenter; et maledictus, qui prohibet gladium suum a sanguine,* hoc est qui negligit carnem suam mortificare, per quam diabolus nititur nos captivare et in servitutem redigere. Propter quod Apostolus, primae ad Corinthios nono: *Castigo corpus meum et in servitutem redigo; ne forte, cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.* Et ad hoc potissime imitari debet exemplum Virginis benedictae, quae in se fuit totaliter benedicta.

Propter opus virilitatis in triplici grada. De primo.

De secundo.

De tertio.

Contra negligentes.

II. Fuit etiam benedicta quantum ad *Prolem conceptam;* de qua subdit Evangelista: *benedictus, fructus ventris tui.* Fructus enim uteri virginalis fuit Christus Iesus, Filius Dei Patris, qui merito dicitur *benedictus*, quia in Christo fuit omnium benedictionum *collatio;* ab ipso etiam est omnium benedictionum *effusio.* — Fuit namque in ipso omnium benedictionum *collatio* propter gratiae triplicem praerogativam; habuit enim gratiam *singularis personae*, ex qua benedictus fuit benedictione *singulari;* gratiam *unionis*, ob quam benedictus fuit benedictione generali *connaturali;* et gratiam *capitis*, ob quam benedictus fuit benedictione *universali.* — Primo igitur benedictus fuit benedictione *singulari* quantum ad gratiam *singularis personae*, secundum quam nullus ei potuit comparari; unde in Psalmo [5]: *Speciosus forma prae filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis.* Ipse enim dicitur *speciosus forma*, quia nulla in eo fuit peccati deformitas, quod nulli alii personae potest competere; et ideo benedictionem obtinuit singularem, quia nullam habuit maledicti permixtionem; quod bene figuratum fuit in benedictione *Iacob*, cui dicitur Genesis vigesimo septimo: *Ecce, odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Et paulo post: *Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus; et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.* Solus enim Christus est, cui debet per omnia benedici et in nullo penitus maledici;

Pars II. Benedicta quand Prolem conceptam.

In Christo fuit benedictionis collatio triplici praerogativa.

Primo, benedictione singulari.

[1] Vers. 20. seq. et dein Luc. 1, 41. seq.
[2] Vers. 7. seq.; sequitur Gen. 3. 17. seq. et respicitur Matth. 21, 19.
[3] Vers. 24. et 26; sequuntur Iudith 13, 22. et Luc. 2, 34. seq.
[4] Vers. 10; sequitur I. Cor. 9, 27.
[5] Psalm. 44, 3; sequuntur Gen. 27, 27. et dein v. 29.

et ipse solus potuit nos redimere de maledicto legis, sicut dicitur ad Galatas tertio [1]: *Christus nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum.*

Secundo, benedictione connaturali.

Benedictus etiam fuit benedictione *connaturali* quantum ad gratiam *unionis*, quae fecit ipsum vere esse Filium Dei, non adoptivum, sed naturalem, secundum quod in Psalmo [2] insinuatur: *Benedictus, qui venit in nomine Domini. Deus Dominus, et illuxit nobis.* Ipsè enim benedictus fuit non tantum ut Dei amicus, sed etiam ut verus *Deus* et *Dominus*, secundum illud Apocalypsis decimo nono: *Habet in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium.* Et hoc credit et confitetur universitas salvandorum, secundum quod designatum fuit Matthaei vigesimo primo: *Turbae, quae praecedebant et quae sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna Filio David: benedictus, qui venit in nomine Domini; hosanna in altissimis.* —

Tertio, benedictione universali.

Tertio benedictus fuit benedictione *universali* quantum ad gratiam *capitis* respectu totius Ecclesiae; et haec promissa fuit in benedictione Abrahae, Genesis duodecimo [3]: *Benedicam tibi et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus, atque in te benedicentur universae cognationes terrae.* Hoc autem constat esse completum in illo cuius benedictio redundat in omnes tanquam a summo capite; sicut enim in capite omnes sensus reperiuntur, sic omnes benedictiones Patrum fuerunt in Christo tanquam in universali capite congregatae. Quod bene significatum fuit in benedictionibus Ioseph, Genesis quadragesimo nono: *Omnipotens benedicet tibi benedictionibus caeli desuper, benedictionibus abyssi iacentis deorsum, benedictionibus uberum et vulvae.* Has quidem benedictiones constat esse impletas in eo, de quo dicit Apostolus ad Philippenses secundo: *In nomine Iesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium et infernorum.* De hac triplici benedictione potest intelligi illud quod dicitur in Psalmo [4]: *Sit nomen eius benedictum in saecula; ante solem permanet nomen eius. Et benedicentur in ipso omnes tribus terrae, omnes gentes magnificabunt eum. Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus; et benedictum nomen maiestatis eius in aeternum, et replebitur maiestate eius omnis terra; fiat, fiat.* — Sic igitur in Christo est omnis benedictionis collatio.

Item, benedictionis effusio per triplicem viam.

Ab ipso etiam est omnis benedictionis *effusio* tanquam a capite summo. Effluunt autem a Christo benedictiones in membra sua per triplicem viam, scilicet per *custodiam* divinae *legis*, per *instantiam* divinae *precis* et per *frequentiam* divinae *laudis*, ita quod primum respicit perfectionem activae, postremum perfectionem contemplativae, medium vero dispositionem respectu utriusque. — Prima igitur via, per quam adipiscimur benedictionem divinam, est *custodia divinae Legis*, secundum quod dicit Legislator Deuteronomii undecimo [5]: *En, propono in conspectu vestro hodie benedictionem et maledictionem: benedictionem, si obedieritis mandatis Domini Dei vestri, quae ego hodie praecipio vobis; maledictionem, si non obedieritis mandatis Domini Dei vestri.* Hoc ipsum expressius, Deuteronomii vigesimo octavo: *Si praecepta* Domini *audieris, benedictus tu in civitate et benedictus in agro. Benedictus fructus ventris tui et fructus terrae tuae fructusque iumentorum tuorum, greges armentorum tuorum et caulae ovium tuarum. Benedicta horrea tua et benedictae reliquiae tuae. Benedictus eris tu ingrediens et egrediens;* ubi tangitur benedictio quantum ad *habitationem*, quantum ad *praeparationem*, quantum ad *possessionem* et *operationem*. E contrario ei qui negligit legem debetur maledictio; unde subdit ibidem: *Si audire nolueris vocem Domini Dei tui, maledictus eris in civitate, maledictus in agro. Maledictum horreum tuum et maledictae reliquiae tuae. Maledictus fructus ventris tui et fructus terrae tuae, armenta boum tuorum et greges ovium tuarum. Maledictus eris ingrediens et maledictus egrediens.* — Licet autem multa sint praecepta legis, per quae obtinetur benedictio divina, quia tamen Lex maxime ordinat ad proximum, secundum illud ad Romanos decimo tertio [6]: *Qui diligit proximum Legem implevit*, secundum triplicem differentiam proximi tria sunt ad illam impetrandam potissima. Est enim proximus, qui est *supra*, et huic debetur *honorificentia*; et proximus, qui est *infra*, ut pauper, et huic debetur *misericordia*; et proximus, qui est *contra*, et huic debetur *tolerantia*; et secundum haec tria per observantiam Legis tripliciter acquiritur benedictio divina.

Prima via est custodia Legis.

Triplex proximi differentia et triplex acquisitio benedictionis.

Primo, acquiritur per honorificentiam erga superiores.

Primo scilicet per *honorificentiam* respectu patris; Ecclesiastici tertio [7]: *Honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio ab eo, et benedictio illius in novissimo maneat. Benedictio patris firmat domos filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamenta. Ne glorieris in contumelia patris tui; non enim est tibi gloria eius confusio. Gloria enim hominis ex honore patris sui, et dedecus filii, pater sine honore.* Qui enim patrem suum inhonorat, non assequitur benedictionem, sed maledictionem, secundum illud Deuteronomii vigesimo septimo: *Maledictus* omnis, *qui non honorat patrem suum.* —

Secundo, per misericordiam erga pauperes.

Secundo acquiritur per *misericordiam* respectu pauperis; Proverbiorum vigesimo secundo [8]: *Qui pronus est ad misericordiam benedicetur; de panibus enim suis dedit pauperi.* Talis erat Iob, Iob vigesimo nono:

---

[1] Vers. 13.
[2] Psalm. 117, 26. seq.; sequuntur Apoc. 19, 16. et Matth. 21, 9.
[3] Vers. 2. seq.; sequuntur c. 49, 25. et Phil. 2, 10.
[4] Psalm. 71, 17. seqq.
[5] Vers. 26. seq.; sequuntur c. 28, 2. seqq. et dein v. 15. seqq.
[6] Vers. 8.
[7] Vers. 9. seqq.; sequitur Deut. 27, 16.
[8] Vers. 9; sequuntur Iob 29, 13. et Ps. 36, 26.

Benedictio perituri super me veniebat, et cor viduae consolatus sum. Talis debet esse omnis iustus, secundum illud Psalmi: *Tota die miseretur et commodat, et semen illius in benedictione erit,* quia, sicut dicitur secundae ad Corinthios nono [1], *qui seminat in benedictionibus de benedictionibus et metet.* Idcirco dicitur Ecclesiastici septimo: *Pauperi porrige manum tuam, ut perficiatur propitiatio et benedictio tua,* alioquin non acquiret benedictionem, sed maledictionem, secundum illud Proverbiorum undecimo: *Qui abscondit frumenta maledicetur in populis.* Et ideo suadet Sapiens, Ecclesiastici quarto [2]: *Ab inope ne avertas oculos tuos propter iram et non relinquas quaerentibus tibi retro maledicere.* — Tertio vero acquiritur per *patientiam* respectu hostis maledicentis; primae Petri tertio [3]: *Non reddentes malum pro malo nec maledictum pro maledicto, sed e contrario benedicentes, quia in hoc vocati estis.* Ad hoc ipsum invitat nos Apostolus, ad Romanos duodecimo: *Benedicite,* inquit, *persequentibus vos, benedicite et nolite maledicere.* Hoc enim est opus perfectae patientiae; ad quod invitat nos beatus Petrus exemplo Christi, primae Petri secundo: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius. Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius; qui, cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur.* Et beatus Paulus exemplo suo, primae ad Corinthios quarto [4]: *Maledicimur, et benedicimus, persecutionem patimur, et sustinemus;* sed hoc est valde paucorum, quia, sicut dicitur Iacobi tertio, *linguam nullus hominum domare potest; in ipsa enim benedicimus Deum et Patrem et in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt.* Et recte dicitur lingua *indomabilis* propter pronitatem ad maledictionem in detractoribus et ad benedictiones inordinatas in adulantibus, quia frequenter contingit illud quod dicitur in Psalmo, quod *laudatur peccator in desideriis animae suae, et iniquus benedicitur;* Proverbiorum vigesimo septimo [5]: *Qui benedicit proximo suo voce grandi, de nocte consurgens, maledicenti similis erit.* Qui vult ergo recte benedicere, sic debet benedicere bonum, ut tamen redarguat malum, secundum illud Proverbiorum vigesimo quarto: *Qui arguunt eum laudabuntur, et super eos* quoque *veniet benedictio.*

Tertio, per patientiam erga inimicos.

Secunda via principalis acquirendae benedictionis est *instantia precis;* et hoc bene significatum fuit Genesis trigesimo secundo [6] in Iacob *luctante cum Angelo,* cui dixit: *Dimitte me, aurora* est; et ille: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi;* et sequitur, quod *benedixit ei in eodem loco.* Ista namque colluctatio est per orationem et gemitum, per quam acquirit homo Spiritum sanctum et devotionis irriguum; quod bene signatum fuit in *Axa,* filia Caleph, Iudicum primo, de qua dicitur, quod *sedens in asino, suspiravit* et dixit patri: *Da mihi benedictionem;* et sequitur, quod *dedit ei irriguum superius et irriguum inferius,* hoc est devotionem circa Christi Divinitatem et circa Christi humanitatem, quam acquirit homo per orationem. — Ad hoc autem, quod oratio sit efficax ad impetrandum, necesse est, quod habeat comitatum trium virtutum, scilicet *reverentiae* respectu Maiestatis; *vigilantiae* respectu veritatis, et *confidentiae* respectu largitatis. — Primo igitur petenti benedictionem opportuna est *reverentia* divini timoris, quae ad benedictionem disponit; unde Ecclesiastici primo [7]: *Timenti Dominum bene erit in extremis, et in die defunctionis suae benedicetur.* Reverentia enim timoris maxime disponit ad gratiam benedictionis, sicut dicitur Ecclesiastici quadragesimo: *Timor Domini, sicut paradisus benedictionis, et super omnem gloriam operuerunt illum.* Nulli enim datur benedictio divina nisi humili et contrito; quod bene designatum fuit Ioelis secundo: *Scindite corda vestra;* et paulo post: *Quis scit, si convertatur et ignoscat* Deus *et relinquat post se benedictionem?* — Secundo necessaria est *vigilantia,* secundum illud Ecclesiastici trigesimo secundo [8]: *Qui timet Dominum excipiet doctrinam eius, et qui vigilaverint ad illum invenient benedictionem;* et hoc optime insinuatur Sapientiae decimo sexto: *Oportet praevenire solem ad benedictionem tuam et ad ortum lucis te adorare.* — Tertio opportuna est *confidentia,* ut orans non confidat de sua iustitia, sed de divina misericordia, secundum illud Ieremiae decimo septimo [9]: *Benedictus vir, qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia eius;* qui autem de semetipso confidit, ille maledictionem incurrit; unde subditur ibi: *Maledictus homo, qui confidit in homine et ponit carnem brachium suum.* Hoc dicit, sive confidat de se ipso, sive de altero, cum spes ponenda sit in solo Deo, a quo emanat omnis benedictio.

Secunda via est instantia precis.

Requiritur in petente comitatus trium virtutum.

Primo, reverentia timoris Dei.

Secundo, vigilantia.

Tertio, confidentia.

Tertia via principalis acquirendae salutis est *frequentia divinae laudis,* sicut dicitur Proverbiorum undecimo [10]: *Anima, quae benedicit, impinguabitur,* et hoc divinis benedictionibus, secundum quod dicitur Numerorum vigesimo quarto: *Qui benedixerit tibi erit et ipse benedictus; qui maledixerit in maledictione reputabitur.* Nullo enim modo meretur homo magis benedici vel maledici quam benedicendo vel maledicendo Deo et Domino Iesu Christo. — Sed ad hoc, quod benedictio nostra sit Deo placita et accepta, oportet, quod ipsa sit perfecta quantum ad *causam,*

Tertia via est frequentia divinae laudis.

Debet esse perfecta quoad causam.

---

[1] Vers. 6; sequuntur Eccli. 7, 36. et Prov. 11, 26.
[2] Vers. 5.
[3] Vers. 9; sequuntur Rom. 12, 14. et I. Petr. 2, 21. seqq.
[4] Vers. 12; sequuntur Iac. 3, 8. seq. et Ps. 9, 3.
[5] Vers. 14; et dein c. 24, 25.
[6] Vers. 24. 26. 29; sequitur Iudic. 1, 14. seq.
[7] Vers. 13; sequuntur c. 40, 28. et Ioel. 2, 13. seq.
[8] Vers. 18; sequitur Sap. 16, 28.
[9] Vers. 7; et dein v. 5.
[10] Vers. 25; sequuntur Num. 24, 9. et Eccli. 39, 41.

ut scilicet fiat ex omni corde, secundum illud Ecclesiastici trigesimo nono: *Et nunc in omni corde et ore collaudate et benedicite nomen Domini.* Non enim est integra benedictio, nisi procedat ex toto homine; et ad hoc hortabatur se propheta David, cum dicebat [1]: *Sic benedicam te in vita mea;* et iterum: *Benedic, anima mea, Domino, et omnia, quae intra me sunt, nomini sancto eius.* Alioquin, si fiat ex parte, parum aut nihil valet, et timendum est, ne potius disponat ad maledictionem quam ad benedictionem, secundum illud Malachiae secundo: *Si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum, mittam in vos egestatem et maledicam benedictionibus vestris* etc. Tales enim, qui ore Deum benedicunt et corde aliud intendunt, audiant illud Isaiae [2]: *Populus hic labiis me* honorat, *cor autem* eorum *longe est a me.* Et tales a Salvatore vocantur *hypocritae,* qui longinqui sunt a divina benedictione. — Oportet secundo, quod sit perfecta quantum ad *materiam,* ut fiat pro omni Dei munere, secundum illud Ecclesiastici trigesimo secundo [3]: *Super his omnibus benedicito Dominum, qui fecit te, et inebriantem te ab omnibus bonis suis.* Et hoc dicebat vir sanctus in Psalmo: *Benedic, anima mea, Domino et noli oblivisci omnes retributiones eius.* Et quoniam omnis creatura facta est propter humanum obsequium, ideo invitanda est universitas creaturarum ad benedicendum Deum, secundum illum hymnum trium puerorum: *Benedicite, omnia opera Domini, Domino.* Unde perfecte benedicentis Deum est non tantum laudare Deum in supremis creaturis, sed etiam in mediis et postremis. — Tertio vero oportet, quod sit perfecta quantum ad *mensuram,* ut fiat omni tempore, secundum illud Tobiae quarto [4]: *Omni tempore benedic Deum et pete ab eo, ut vias tuas dirigat* etc., hoc est in statu prosperitatis et adversitatis. Nam quidam sunt, qui tantum in statu prosperitatis benedicunt Deum; de quibus, Zachariae undecimo: *Benedictus Dominus, divites facti sumus* etc.; et in Psalmo: *Confitebitur tibi, cum benefeceris ei.* Tales sunt, qui amant et benedicunt Deum solum propter temporalia; talem credebat diabolus Iob, cum dicebat [5]: *Extende paululum manum tuam et tange cuncta, quae possidet, nisi in faciem benedixerit tibi,* hoc est: maledixerit in aperto. Sed deceptus fuit; nam sequitur, quod ipse postea vere benedixit Deum in adversitate, cum subiungitur quod ipse dixit: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum.* Vel *omni tempore,* id est: Temporibus statutis, secundum septem horas, iuxta quod in Psalmo [6] dicitur: *Septies in die laudem dixi tibi* etc. Vel certe *omni tempore,* sine intermissione; hoc autem non est in statu viae, sed patriae, ad quam desiderabat Propheta venire, cum dicebat: *Benedicam Dominum in omni tempore.* Ad hunc autem statum veniemus, cum dicetur nobis illud Matthaei vigesimo quinto: *Venite, benedicti Patris mei, possidete regnum;* ad quod nos perducat etc.

Item, quoad materiam.

Item, quoad mensuram.

DE ASSUMTIONE B. VIRGINIS MARIAE (15 Augusti).

Sermo I [7].

Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes [8].

Spiritus sanctus laudem beatae Virginis sub variis rerum metaphoris, scilicet caelestium, terrestrium et mediarum, multipliciter designavit; in praedictis vero Prophetae verbis sub metaphora *montis;* et hoc quoad tria, scilicet quoad *culmina sublimium virtutum: Erit in novissimis diebus praeparatus mons* etc.; quoad *fastigia sempiternalium praemiorum: et elevabitur* etc.; quoad *praesidia supereffluentium misericordiarum: et fluent ad eum omnes gentes.* Primum pertinet ad eminentiam status *gratiae;* secundum, ad eminentiam status *gloriae;* tertium, ad influentiam *utriusque status.*

Divisio.

1. Circa primum notandum, quod *domus Domini* est triplex, scilicet quam inhabitat per essentiam incircumscriptam, et haec est *immensitas aeternae Maiestatis;* item, quam inhabitat per influentiam continuatam, et haec est *capacitas mundanae vastitatis;* item, quam inhabitat per complacentiam amorosam, et haec est *tranquillitas ecclesiasticae unitatis.* — De prima, Baruch [9]: *O Israel! quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis eius. Magnus est et non habet finem, excelsus et immensus. Magnus,* propter Maiestatem incomprehensibilem; *non habet finem,* propter aeternitatem interminabilem; *excelsus,* propter virtutem incomparabilem [10]; et haec quatuor tanguntur in Iob: *Forsitan vestigia Dei comprehendes? Excelsior caelo est,* propter potentiae sublimitatem; *profundior inferno,* propter sapientiae investigabilitatem; *longior terra,*

Pars 1. Quoad culmina virtutum tangentur tria. De domo Domini triplicitter inhabitata.

De immensitate Maiestatis.

[1] Psalm. 62, 5; sequuntur Ps. 102, 1. et Malach. 2, 2.
[2] Cap. 29, 13; cfr. Matth. 15, 8. et dein. v. 7.
[3] Vers. 17; sequuntur Ps. 102, 2. et Dan. 3, 57.
[4] Vers. 20; sequuntur Zach. 11, 5. et Ps. 48, 19.
[5] Iob 1, 11. et dein v. 21.
[6] Psalm. 118, 164; sequuntur Ps. 33, 2. et Matth. 25, 34.
[7] Ex cod. Trecensi n. 1464, fol. 31 v., ubi inscribitur *bone aventure.* Schema huius sermonis recensetur etiam in cod. Monacensi n. 8739.
[8] Isai. 2, 2.
[9] Cap. 3, 24. seq.
[10] Deest quartum membrum; sequitur Iob 11, 7. seqq.

propter caritatis latitudinem; *latior mari*, propter aeternitatis longaevitatem. — De secunda, secundae ad Timotheum secundo [1]: *In magna domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed* etiam *lignea et fictilia. Aurea*, creaturae intellectuales; *argentea*, sensibiles; *lignea*, vegetabiles; *fictilia*, elementares. Et sequitur: *quaedam in honorem, quaedam in contumeliam*, quia divina dispositio quasdam creaturas in circumferentia superius locavit, quasdam inferius in centro reliquit. De hac domo, in Ieremia: *Descende in domum figuli* etc. — De tertia, primae ad Timotheum tertio [2]: *Haec tibi scribo* etc., *ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi.* Huius domus (fundamentum) est *veritas* permanens, Psalmus: *In aeternum, Domine, verbum tuum permanet in caelo; paries*, virtus excellens; *tectum*, caritas supereminens; Apostolus: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro; ornamenta*, sapientia praefulgens, Ecclesiasticus [3]: *Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonae species in ornamentum domus eius.* Haec est domus, de qua Propheta dicit: *Erit* etc.

De capacitate mundanae vastitatis.

De tranquillitate ecclesiasticae unitatis.

Huius autem domus *mons* est beata Virgo, quia dedit *originem* per gratiam fecundantem; *celsitudinem*, per gratiam excellentem vel sublimantem; *stabilitatem*, per gratiam confirmantem. — De primo, Daniel [4]: *Videbas, donec abscissus est lapis de monte sine manibus*, id est Christus sine humano semine de Virgine generatus. Hic *lapis percussit et comminuit statuam*, id est celsitudinem mundanae vanitatis; *et crevit in montem magnum* etc. Psalmus: *Lapidem, quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli.* Hic est lapis fundamentalis Ecclesiae; unde in Propheta: *Mittam in fundamentis Sion lapidem pretiosum.* Cum ergo super hunc domus Ecclesiae sit aedificata, qui de beata Virgine processit; constat, quod ipsa dedit huic domui originem per *gratiam fecundantem.* Ecclesia vero trahit ab ipsa originem per indubitabilem fidem; ad Hebraeos octavo [5] dicitur de Moyse: *Facito secundum exemplar, quod tibi ostensum est in monte.* Ecclesia enim imitatur beatam Virginem Mariam, per fidem Deo generans prolem spiritualem. Sicut enim beata Virgo concepit sine humano opere, sic Ecclesia sine humana ratione ex sola fide. Quod bene figuratum fuit tertii Regum sexto, ubi legitur quod *domus* Dei *cum aedificaretur, nec malleus nec securis nec omne ferramentum audiebatur in ea.* Per *malleum* et *ferramentum* humanae rationes et argumenta intelliguntur, quae in Scripturis sacris, quibus aedificatur Ecclesia, non inveniuntur. — De secundo, Ezechiel [6]: *Dimisit me super montem excelsum nimis, super quem erat quasi aedificium civitatis vergentis ad austrum.* Ante Domini incarnationem poterat Ecclesia se deiectam verecundari, sed nunc *super excelsum montem*, id est beatam Virginem, quae exaltata est super choros Angelorum, potest se aedificatam gloriari. Hanc autem *celsitudinem* trahit a beata Virgine per *excellentem spem;* ad Hebraeos tertio: *Christus tanquam filius in domo sua, quae domus sumus nos, si fiduciam et gloriam spei usque ad finem firmam teneamus.* — De tertio, in Cantico Exodi [7]: *Introduces eos et plantabis in monte hereditatis tuae* etc. Trahit autem Ecclesia a beata Virgine *stabilitatem* per *inconcussibilem caritatem;* secundae ad Corinthios quinto: *Scimus, quoniam, si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in caelis.* Nam propter insolubile et inconcussibile vinculum caritatis impossibile est, ut Filius Matrem, Mater filios et servos de regno caelorum expellat.

Item, celsitudinem.

Item, stabilitatem.

Huius domus mons est beata Virgo, quia

Maria tripliciratione.

Primo, quia dedit originem.

Sequitur: *praeparatus in vertice montium.* Sicut dictum est, Ecclesia trahit *originem* a beata Virgine per fidem; *celsitudinem*, per spem; *stabilitatem*, per caritatem. Unde est *mons domus Domini*, quae habet super praedicta tria aedificari, quae etiam pollebant (in Sanctis): in Patriarchis *fides*, in Prophetis *spes*, in Apostolis *caritas;* et omnia tamen haec in his omnibus. Unde et ipsi *montes* domus Ecclesiae et fundamenta dicuntur; Psalmus [8]: *Fundamenta eius in montibus sanctis;* Apostolus: *Superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum* etc. *Patriarchae* dicuntur montes *aromatici* propter certam promissionum divinarum exspectationem; *Prophetae*, montes *radiosi* propter claram divinorum secretorum revelationem; *Apostoli*, montes *irrigui* propter divinorum charismatum infusionem. In horum omnium vertice beata Virgo *mons praeparatus* dicitur, quia quidquid illis est promissum vel revelatum, hoc est in ea impletum; et quidquid gratiae in istos influxit, ab ipsa et per ipsam derivavit. — De primo, Cantica [9]: *Fuge, dilecte mi, et assimilare capreae hinnuloque cervorum super montes aromatum.* Hos Virgo excellit; unde de ipsa dicitur: *Vadam ad montem myrrhae et collem thuris.* Ipsa enim est *myrrha* per compassionem; *thus*, per reconciliationem; Ecclesiasticus: *Sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi* etc. Tales montes deberent esse praelati; sed econtra de malis montibus dicitur per Ieremiam [10]: *Ecce, ego ad te, mons pestifer*, corrumpens et scandalizans per malum exemplum. — De secundo dicitur primi Machabaeorum

De monte praeparato in vertice montium.

Maria est hic mons aedificata super tria.

Tres montes.

De monte Patriarcharum.

Notandum.

De monte Prophetarum.

---

[1] Vers. 20; sequitur Ier. 18, 2.
[2] Vers. 14. seq.; sequuntur Ps. 118, 89. et I. Cor. 12, 31.
[3] Cap. 26, 21.
[4] Cap. 2, 34. seq.; sequuntur Ps. 117, 22. et Isai. 28, 16.
[5] Vers. 5; sequitur III. Reg. 6, 7.
[6] Cap. 40, 2; sequitur Hebr. 3, 6.
[7] Cap. 15, 17; sequitur II. Cor. 5, 1.
[8] Psalm. 86, 1; sequitur Eph. 2, 20.
[9] Cap. 8, 14; sequuntur c. 4, 6. et Eccli. 24, 20.
[10] Cap. 51, 25.

sexto [1]: *Refulsit sol in clypeos aureos*, id est divina claritas in angelicos spiritus, qui dicuntur *clypei* propter decorem et perfectionem; et *resplenduerunt montes ab eis*, id est Prophetae ex eorum revelationibus illuminati; Psalmus: *Illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis*. Hos autem beata Virgo excellit; Exodus: *Erat species gloriae Domini super verticem montis*, in Virgine, *quasi ignis ardens* in sui speciem ignitam convertit; sic Deus-Filius Ma-
Moditio ad clericos. trem suam deiformem reddidit. — Tales montes clerici esse deberent, scilicet radiosi; sed econtra de malis montibus per Ieremiam [2] dicitur: *Date Domino Deo vestro gloriam, antequam contenebrescat, et antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos. Montes caliginosi* sunt omnes, qui dant falsa *dogmata* contra sacrae Scripturae veritatem, falsa *consilia* contra Sanctorum exemplificationem, falsa *iudicia* contra Patrum decreta et legum constitutio-
De monte Apostolorum. nem. — De tertio, Psalmus [3]: *Rigans montes de superioribus suis*; sicut enim omnia fluenta a montibus orta per terram [4] diffunduntur, ita charismata ab Apostolis in Ecclesiam derivantur. Hos excellit beata Virgo, quia ab ipsa in illos gratia descendit; Psalmus: *Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion; Hermon* [5] interpretatur anathema moeroris; in huius rei typum *ros* prius *in vellus Gedeonis*, deinde *in aream* de vellere descendit [6]; Psalmus: *Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram*, ubi dicit Gregorius, quod « stillicidia charismatum de tectis Apostolorum in terram Ecclesiae distillaverunt »; Ioelis tertio [7]: *In illa die stillabunt montes dulcedinem* etc. Tales montes omnes esse debemus, ut divina gratia in nos descendat et per nos in alios derivetur. Sed econtra dicitur de malis: *Montes Gelboe! nec ros nec pluvia veniant super vos;* tales montes sunt omnes elati,
Haec culmina virtutum in Maria. invidi, indevoti. — Sic ergo culmina virtutum quoad statum gratiae beatae Virginis in praedictis insinuantur, cum ipsa *mons domus Domini* dicitur, quia dat originem per gratiam fecundantem, celsitudinem per gratiam sublimantem, stabilitatem per gratiam confirmantem; et Ecclesia trahit ab ipsa originem per fidem indubitabilem, per spem excellentem, per caritatem inconcussibilem; et ipsa dicitur mons *praeparatus in vertice montium*, quia Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum merita et virtutes praecellit.

Pars II. Quoad fastigia praemiorum. II. Sequitur: *et elevabitur super colles*, in quibus verbis commendatur quoad *fastigia sempiternalium praemiorum*. Sed mirabile videtur, quod quantum ad statum *gloriae* dicitur *elevari super colles*, quae quantum ad statum *gratiae* dicitur *in vertice montium;* montes enim sunt *collibus* altiores. Unde notandum, quod Spiritus sanctus propriissime hic loquitur. Est enim secundum Hugonem [8] triplex hierarchia, id est *supercaelestis*, quae est Dei; *caelestis*, Angelorum; *subcaelestis*, hominum. Et haec se habent per suppositionem et superpositionem; et respectu superiorum dicuntur *colles*, respectu inferiorum *montes*. Quia ergo beata Virgo super subcaelestem et caelestem, quae respectu supercaelestis dicuntur *colles*, est elevata, congrue dicitur non super montes, sed super colles elevari. — Et notandum, quod
Triplex actus superioris hierarchiae. est triplex actus, quem habet superior hierarchia in inferiorem, scilicet *purificare, illuminare, perficere* vel consummare; Isaias [9]: *Quis appendit tribus digitis molem terrae?* id est stabilitatem Ecclesiae triplici actu hierarchico. Hunc autem actum beata Virgo habet in subiectas sibi hierarchias Angelorum et hominum; unde congrue appellatur Maria *amarum mare*, quia purgat; *illuminatrix*, quia illuminat; *Domina*, quia perficit et consummat. Est igitur ele-
Maria elevata primo super hierarchiam angelicam. vata super hierarchiam *angelicam* purgantem, illuminantem, perficientem, et super hierarchiam *humanam* purgandam, illuminandam, perficiendam. — Super
Super hierarchiam purgantem. angelicam, inquam, *purgantem*, de qua Psalmus: *Suscipiant montes pacem populo*, scilicet preces offerendo et reconciliando cum Deo; *et colles iustitiam*, mala puniendo et sic purgando. Sed in hoc actu beata Virgo praecellit. Unde ipsi Angeli in Canticis mirantur, clamantes: *Quae est ista quae ascendit per desertum?* id est Archangelorum hierarchiam, quam angeli apostatae deseruerunt; *sicut virgula fumi ex aromatibus*, quia est purgatrix; *myrrhae*, quia purgat ab omni impuritate; *et thuris*, ab omni impietate; *et universi pulveris pigmentarii*, ab omni iniquitate.

Item, super illuminantem. Est etiam elevata super hierarchiam *illuminantem;* de qua in Numeris [10]: *De summis silicibus videbo eum et de collibus considerabo illum*. Divinarum enim revelationum (cognitio) per angelicos spiritus in homines venit, cum ipsi dicuntur *silices*, quia in bono aeterno firmati sunt. Hos praecellit beata Virgo; unde clamant in Canticis: *Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* Hic tangitur universalis omnium necessariorum cognitio,
De quatuor cognitionibus. scilicet *credibilium*, cum dicitur: *aurora consurgens; operabilium*, cum dicitur: *pulcra ut luna; desiderabilium: electa ut sol; vitabilium: terribilis ut castrorum acies ordinata*. Prima cognitio est fides; secunda, prudentia; tertia, sapientia; quarta, scientia; Apocalypsis: *Signum magnum apparuit in*

[1] Vers. 39; sequuntur Ps. 75, 5. et Exod. 24, 17.
[2] Cap. 13, 16. [3] Psalm. 103, 13.
[4] Cod. habet *tria*. — Sequitur Ps. 132, 3.
[5] Cfr. Hieron., de Nomin. Hebraic.
[6] Respicitur Iudic. 6, 37. seqq.; sequuntur Ps. 71, 6. et Gregor., I. Homil. in Ezech. homil. 10. n. 11.
[7] Vers. 18; sequitur II. Reg. 1, 21.
[8] Libr. I. Exposit. in Hierarch. caelest. S. Dionysii, c. 2. Vide etiam Bonav., II. Sent. pag. 235, notam 1. et tom. V. pag. 339, notam 4.
[9] Cap. 40, 12; sequuntur Ps. 71, 3. et Cant. 3, 6.
[10] Cap. 23, 9; sequuntur Cant. 6, 9. et Apoc. 12, 1.

caelo: Mulier amicta sole, id est sapientiae claritate, *et luna sub pedibus eius,* id est hierarchia angelica et humana, *et in capite eius corona stellarum duodecim,* id est illuminatio omnium cognitionum.

Item, super hierarchiam perficientem.

Est etiam elevata super hierarchiam *perficientem;* de qua in Genesi [1]: *Benedictiones patris tui confortatae sunt benedictionibus patrum eius, donec veniret desiderium collium aeternorum,* id est angelicorum spirituum, quorum desiderium est per-

Notandum.

fectio civitatis caelestis, quae fit per conversionem creaturae rationalis in Creatorem, non tamen ut virtutis in obiectum, sed ut suppositi in subiectum, in identitatem personae, ut est in Dei Filio; item, ut originati in originale, ut est in Sanctis ad Deum: item, ut originantis in originatum, ut est matris in filium.

Maria ponit specialem perfectionis modum in caelis.

Ponit ergo beata Virgo specialem perfectionis modum in caelesti civitate; unde hierarchiam perficientium praecellit; et ob hoc clamant in Canticis: *Quae est ista quae ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Et hinc constare potest, quod corporaliter ibi est; nam cum ponat specialem modum perfectionis in caelesti civitate, scilicet per conversionem originantis in originatum; et ipsa secundum corpus sit originans, quia anima Christi ex eius anima non fuit, cum anima ex traduce non sit, sed corpus ex corpore: patet, (quod) hic modus perfectionis ibi non esset, nisi corporaliter ibi esset.

Alia ratio pro assumptione corporis Mariae.

— Item, hoc colligitur sic: Cum enim dicitur *innixa super dilectum suum* et *deliciis affluens* propter consummatam eius beatitudinem; et beatitudo non esset consummata, nisi personaliter ibi esset, et persona non sit anima, sed coninctum: patet, quod secundum coniunctum, id est corpus et animam, ibi est; alioquin consummatam non haberet fruitionem, quia, secundum Augustinum [2], « mentes Sanctorum ex naturali inclinatione sui ad corpus retardantur quodam modo, ne totae ferantur in Deum ». — Sic igitur beata Virgo *elevata est super colles* hierarchiarum purgantium, illuminantium, perficientium.

Item *elevata est super colles* hierarchiae mentium purgandarum, illuminandarum, perficiendarum:

Secundo, super hierarchiam humanam triplicem.

purgandarum a vanitate superbiae, *illuminandarum* veritate scientiae, *perficiendarum* suavitate

De hierarchia purgandorum.

laetitiae. — De primo, Isaias [3]: *Omnis mons et collis humiliabitur.* Huius autem purgationis exemplum est beata Virgo, cuius vestigia omnes Sancti imitantur, superbiendi occasiones abiiciendo; Isaias: *Dies Domini,* id est dies gratiae, *super omnes cedros Libani sublimes et rectas,* id est gloriam nobilitatis; *et super omnes quercus Basan,* gloriam fortitudinis; *et super omnes montes excelsos,* gloriam dignitatis; *et super omnes colles elevatos,* mundanum favorem; *et super omnem turrim excelsam,* scientiam acquisitam; *et super omnem murum munitum,* amicitiam comparatam; *et super omnes naves Tharsis,* substantiam opulentam. Haec enim sunt, unde heroes superbire consueverunt. — De secundo, Isaias [4]: *Aperiam in supinis collibus flumina et in medio camporum fontes,* id est in erectis ad Deum mentibus scientiam. Et huius causam subiungit: *Ponam desertum in stagna aquarum,* id est beatam Virginem in plenitudine scientiae. Unde ipsa maxime illuminat scientiae veritate. — De tertio, Psalmus [5]: *Pinguescent speciosa deserti,* beata Virgo plenitudine gratiae redundabit; *et exultatione colles accingentur,* id est sanctae mentes exsultabunt. — Sic ergo beata Virgo *elevata est super colles* hierarchiae humanae ipsam purgando, illuminando, perficiendo; et super colles hierarchiae angelicae similiter; et de his pariter collectis in Deuteronomio [6] dicitur: *De benedictione Domini terra eius,* id est beata Virgo; *de pomis caeli et rore,* quoad purgationem caelestis hierarchiae purgantis; *atque abysso subiacente,* quoad purgationem hierarchiae subtercaelestis purgandae; *de pomis fructuum solis ac lunae,* quoad illuminationem illuminantis et illuminandae; *de vertice antiquorum montium, de pomis collium aeternorum,* quoad perfectionem perficientis et perficiendae. Utraque enim hierarchia de benedicta terra Virginis purgatur, illuminatur, consummatur; et sic *elevata est super colles.*

De hierarchia illuminandorum.

De hierarchia perficiendorum.

Conclusio.

III. Sequitur: *fluent ad eam omnes gentes,* in quibus verbis commendatur quoad *praesidia superefluentium misericordiarum;* et notandum, quod omnibus eius misericordia necessaria est; unde ad eam merito fluere debent. Omnes enim homines vel sunt *praeoccupati malis* vel *habilitati bonis;* primi sunt in triplici genere: aut enim sunt *oppressi,* et quaerent eam quasi locum *defensionis;* Genesis [7]: *In monte salvum te fac.* Bernardus: « In periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca, et ut impetres liberationis suffragium, ne deseras conversationis exemplum ». — Aut sunt *egeni,* et quaerent locum *ubertatis;* Psalmus [8]: *Mons coagulatus, mons pinguis;* Isaias: *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiae, pinguium medullatorum,* per ubertatem Verbi incarnati; *vindemiae defaecatae,* per inebriditatem Spiritus sancti; Psalmus: *Visitasti terram et inebriasti eam.* — Aut sunt *afflicti,* et quaerent locum *quietis;* Psalmus [9]: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Ecclesiasticus: *In*

Pars III. Quoad praesidia superefluentium misericordiarum.

Misericordi Mariae ne cessaria di plici ge neri homi num.

Primi sunt in triplici genere. Do oppressis.

De egenis.

De afflictis

[1] Cap. 49, 26; sequitur Cant. 8, 5.
[2] Libr. XII. de Genesi ad litteram, c. 35. n. 68.
[3] Cap. 40, 4; sequitur c. 2, 12-16.
[4] Cap. 41, 18.
[5] Psalm. 64, 13.
[6] Cap. 33, 13. seqq.
[7] Cap. 19, 17. — Sequitur Bernard., homil. 2. super *Missus est,* n. 17.
[8] Psalm. 67, 16; sequuntur Isai. 25, 6. et Ps. 64, 9.
[9] Psalm. 14, 1; sequuntur Eccli. 24, 11. et Gen. 8, 9.

omnibus requiem quaesivi etc. Simus ergo sicut columba, de qua dicitur: *Quae, cum non invenisset, ubi requiesceret pes eius, reversa est ad eum in arcam.*

Etiam secundi sunt in triplici genere. Ito devotis.

Item, secundi sunt in triplici genere; nam vel sunt *devoti*, et quaerent eam quasi locum *orationis.* Dictum est Moysi [1]: *Hoc habebis signum, quod miserim te: Cum eduxeris populum meum de Aegypto, immolabis Deo super montem istum.* — Vel sunt *studiosi*, et quaerent locum *eruditionis;* Exodi tertio: *Cum minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb. Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi; et videbat, quod rubus arderet et non combureretur.* Quicumque ad *montem Dei*, id est beatam Virginem, accesserit studiosus, poterit divina mysteria intelligere; quod patet in beato Bernardo [2], qui, cum prius idiota esset, per amicitiam beatae Virginis ad magnam scientiae perfectionem pervenit; et in Ioanne Evangelista, qui quanto ei familiarior fuit, tanto melius arcana et profunda Dei mysteria intelligere et tradere potuit. —

De studiosis.

De hilaritis.

Vel *hilarati*, et quaerent locum *amoenitatis;* Apocalypsis vigesimo primo [3]: *Sustulit me in spiritu in montem magnum et altum et ostendit mihi civitatem sanctam Ierusalem, descendentem de caelo a Deo, habentem claritatem Dei.* Cum ergo quilibet hoc quod sua indigentia requirit, in beata Virgine invenit, merito ad ipsam omnis gens confluere debet.

Sermo II [4].

Est enim haec speciosior sole et super omnem dispositionem stellarum, luci comparata, invenitur prior, Sapientiae septimo [5].

In verbis istis Imperatrix gloriosa, super choros supernorum civium sublimata commendatur a Spiritu sancto quantum ad assumtionem suam commendatione perfecta; commendatur autem quantum ad tria, quae aliquam nobilem dominam excellentissime commendabilem reddunt, quae quidem sunt *perfecta speciositas, superexcellens nobilitas* et *sapientiae claritas.* Quantum ad perfectam *speciositatem* commendatur hic, cum *sole speciosior* nuncupatur; quantum ad excellentem *nobilitatem*, cum *stellis* omnibus, id est universis Sanctis, sublimius et altius collocatur; sed quantum ad sapientiae *claritatem*, cum *luci* aeternae sapientiae *comparata*, propius omnibus creaturis dicitur illustrata.

Divisio.

Pars I. Quod perfectam speciositatem.

I. Primo igitur commendatur quantum ad *perfectam speciositatem*, cum dicitur: *Est enim haec speciosior sole;* et re vera *sole speciosior* in sua assumtione fuit Virgo serenissima, tum quia fonti totius speciositatis tunc fuit sole *similior;* tum quia fonti totius pulcritudinis cum maiori dispositione ad receptionem perfectae speciositatis tunc fuit sole *propinquior;* tum quia sua speciositate tunc fuit sole *nobilior.* — Potest ergo dici *sole speciosior* in sua assumtione, quia tunc fuit fonti totius speciositatis sole *similior.* Sicut enim illa stella ceteris est praeclarior, quae soli huius mundi noscitur esse similior; sic inter rationabiles creaturas illa est speciosior, quae Soli aeterni luminis, qui est fons et origo totius pulcritudinis, invenitur similior. Ista autem creatura tunc fuit Virgo regia. Nam si, secundum Hugonem [6], « vis amoris amantem in amati similitudinem transformat », cum igitur Maria super omnem creaturam in eius similitudinem transformata (sit), ut expresse possit dici *candor lucis aeternae et speculum sine macula Dei maiestatis et imago bonitatis illius;* idcirco sole ac ceteris creaturis speciosior exstitit. Unde de ea potest dici illud Ieremiae sexto: *Speciosae et delicatae assimilavi te, filiam Sion,* quasi dicat: *Speciosae* Trinitati *et delicatae assimilavi filiam Sion*, id est Virginem Mariam; *filiam*, ecce, *delicatam*, iuxta hoc quod Ezechielis trigesimo primo [7] dicit Deus: *Omne lignum paradisi Dei non est assimilatum illi et pulcritudini eius. Quoniam speciosum feci eum.* Item, Bernardus: « Virgo regia gemmis ornata virtutum geminoque mentis pariter et corporis decore fulgida, caelestium in se civium provocavit aspectum, ita ut et Regis aeterni animum in sui concupiscentiam inclinaret ». — Potest etiam dici sole speciosior, quia fonti totius pulcritudinis cum maiori dispositione ad receptionem perfectae speciositatis tunc fuit sole *propinquior* ratione multiplicis gratiae, et specialiter ratione munditiae virginalis est magis illi propinqua; cum etiam, super solem et sidera elevata, suo dulcissimo Filio caritate nimis sit coniuncta; speciositatem super omnem creaturam obtinet ampliorem; et propter hoc in persona Angelorum tertii Regum primo [8] dicitur sub figura: *Quaeramus domino nostro regi adolescentulum virginem;* ecce, dispositio munditiae virginalis; quae cum ipso sit *et foveat eum;* ecce, appropinquatio caritatis; et *quaesierunt adolescentulum speciosam in omnibus finibus Israel.* — Potest nihilominus dici sole speciosior, quia sua speciositate tunc fuit sole *nobilior;* tunc enim sua speciositate vocata est ad imperialis et aeterni Regis dignitatem; unde per Prophetam dicitur ei: *Specie tua et pulcritudine tua intende, prospere procede et regna.* Et hanc dignitatem sol non inveniet nec

Ratio triplex.

Ratio prima.

Ratio secunda.

Ratio tertia.

---

[1] Exod. 3, 12; dein v. 1. seq.

[2] Vide quae de S. Bernardo dicit Chrysost. Henriquez Hortensis in suo Menologio Cisterciensi die 13 Maii (Migne, Patrol. lat. tom. 211. col. 777).

[3] Vers. 10. seq.

[4] Ex cod. biblioth. Monacensis n. 9606. fol. 302, oriundo ex monasterio Ober-Altaich, saec. XIV. incuntis, ubi in fine additur: *Explicit sermo bonus bonaventure.* Invenitur etiam in cod. bibliotheca monasterii Stams (in Tiroli) sine numero, saec. XIV, qui tamen non est collatus.

[5] Vers. 29.

[6] De Arrha animae. — Sequuntur Sap. 7, 26. et Ier. 6, 2.

[7] Vers. 8. seq. — Sequitur Bernard., homil. 2. super *Missus est*, n. 2.

[8] Vers. 2. seq.; sequitur Ps. 44, 5.

aliqua creatura, quantumcumque exterius fulgeat in hac vita, si speciositate careat gratiae et virtutis.

II. Secundo commendatur quantum ad *superexcellentem nobilitatem* consequenter, cum stellis omnibus innuitur esse sublimior; per *stellas* intelliguntur Beati splendore gloriae illustrati, iuxta illud Baruch tertio [1]: *Stellae vocatae sunt et dixerunt: Adsumus; et luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas.* Cum igitur omnium *stellarum dispositione* sacra Virgo hic dicitur esse sublimior, tota universitate Sanctorum in assumtione innuitur esse nobilior, et hoc quantum ad tria, quae nobilitant hominem spiritualiter et sublimant: primum est *deliciarum* spiritualium *affluentia;* secundum est *divitiarum* aeternarum *abundantia;* tertium est *dignitatis* sive generis *excellentia.* — Super omnes igitur Sanctos dicitur esse facta nobilior et sublimis quantum ad *deliciarum affluentiam,* quibus super omnes Sanctos singulariter affluebat; propter quod admirantes Angeli in sua assumtione dicebant: *Quae est ista quae ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Canticorum octavo. Istis *deliciis* super Sanctorum collegium affluebat non solum quantum ad animam, verum etiam quantum ad corpus proprium, quod pie glorificatum in assumtione animae esse creditur et probatur. — Super etiam omnes Sanctos dicitur esse nobilior facta quantum ad *divitiarum aeternarum abundantiam.* Nam super omnes Sanctos divitiis et gloriae et gratiae, virtutum et praemiorum, donorum ac beatitudinum abundavit, quibus modo mundum ditat et sublevat universum: alii autem ministrando precibus suis gloriam, alii gratiam, alii remissionem criminum, alii collectionem virtutum; propter hoc dicitur Proverbiorum trigesimo primo [2]: *Multae filiae congregaverunt divitias; tu supergressa es universas.* Et in persona ipsius potest dici istud Proverbiorum octavo: *Ego diligentes me diligo; et qui mane vigilant ad me invenient me. Mecum sunt divitiae et gloria, opes superbae,* id est sublimes, *et iustitia.* — Super omnes Sanctos nihilominus facta est nobilis quantum ad *dignitatis* sive generis *excellentiam;* ipsa enim genere et dignitate, cum sit Mater Imperatoris altissimi, est omnium creaturarum nobilissima; et ideirco super omnem creaturam et ad dexteram Filii sui fuit non immerito exaltata et in solio sublimissimo collocata; quod optime tertii Regum secundo [3] fuit praefiguratum. Nam cum venisset *Bethsabee ad regem Salomonem,* id est Virgo Maria in sua assumtione ad Filium suum pacificum et aeternum, *surrexit rex in occursum eius,* comitantibus sibi universis Sanctorum agminibus, *adoravitque eam,* id est, exhibuit ei reverentiam filialem, *et sedit* rex *super thronum suum; positusque est thronus matri regis, quae sedit ad dexteram eius,* tanquam nobilissima genere, iuxta illud Apocalypsis ultimo: *Ego sum radix et genus David, stella splendida et matutina.* Nam de eius utero infans nobilissimi generis prosiluit, iuxta illud: *Quod enim nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei,* salvo tamen signaculo virginali. Iustum etiam erat, ut, adaequata gloria gratiae illi, *plenitudo* dignitatis et gloriae largiretur, quamquam aliis *partialiter* largiatur, cui se diffudit gratiae plenitudo generaliter, quae aliis partialiter est concessa. Propter quod dicitur Apocalypsis duodecimo [4]: *Signum magnum apparuit in caelo: Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim. Mulier* ista est Virgo regia, quae dicitur *amicta sole,* id est decore Solis institiae; *et luna sub pedibus eius,* id est mundana gloria strenuissime conculcata, quae ad modum lunae modo est in defectu, modo est in augmento; *et in capite eius corona stellarum duodecim,* id est omnis honor et dignitas, gloria et sublimitas generisque nobilitas duodecim Sanctorum ordinibus per duodecim stellas fulgidas designatis concessa, quarum novem sunt spirituum supernorum, tres vero triplicis status hominum, scilicet activorum, contemplativorum et praelatorum. Quidquid enim dignitatis et gloriae istis partialiter est collatum sacrae Virgini integraliter est concessum.

III. Tertio commendatur quantum ad *sapientiae claritatem,* cum *luci* aeternae sapientiae *comparata,* in sapientia *invenitur prior* sive superior. Sicut enim Lux increata, divina scilicet Sapientia, quantum ad omnium creaturarum *illuminationem, cognitionem* et *gubernationem* transcendit omnia; sic Virgo ista quantum ad ista tria transcendit cetera. — *Luci* igitur divinae sapientiae *comparata* in sapientia ceteris creaturis dicitur esse *prior* sive praeclarior, quia, sicut illa transcendit omnia quantum ad *creaturarum illuminationem* — nam ipsa est quae omnes homines lumine rationis, et in quantum est de se, lumine gratiae illuminat et illustrat, iuxta illud Ioannis primo [5]: *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* — sic Virgo ista, super omnes Sanctos ab ista sapientia illustrata, suis piis precibus super omnes alios lumine gratiae mundum *illuminavit* universum. Propterea dicitur Sapientiae decimo sexto: *Ad ortum* solis *oportet te adorare;* et Tobiae decimo tertio: *Luce splendida fulgebis, et omnes fines terrae adorabunt te,* quasi dicat: *Luce* aeternae sapientiae, tu sancta, in te *splendida fulgebis,* id est, splendorem gratiae aliis impetrabis. Item, Ecclesiastici trigesimo sexto [6]: *Ostende nobis lucem miserationum tuarum; et emitte timorem tuum super gentes, quae non exquisierunt te, ut cognoscant, quia non est Deus nisi tu.*

Pars II. Quoad superexcellentem nobilitatem.

Tria nobilitant spiritualiter.

De affluentia deliciarum.

De abundantia divitiarum.

De dignitate excellentia.

Pars III. Quoad sapientiae claritatem Mariae transcendit cetera.

Primo, quoad illuminationem creaturarum.

[1] Vers. 34. seq.; sequitur Cant. 8, 5.
[2] Vers. 29. et dein c. 8, 17. seq.
[3] Vers. 19; sequuntur Apoc. 22, 16. et Luc. 1, 35.
[4] Vers. 1.
[5] Vers. 9; sequuntur Sap. 16, 28. et Tob. 13, 13.
[6] Vers. 1. seq.

Secundo, quoad cognitionem.

Luci etiam *comparata* aeternae sapientiae ceteris creaturis est praeclarior, quia, sicut (lux) divina transcendit omnia quantum ad omniam *cognitionem* — quia omnia perspicacissime intuetur, iuxta illud Danielis secundo [1]: *Ipse novit in tenebris constituta, et lux cum eo est;* Ecclesiastici vigesimo tertio: *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum et profundum abyssi et hominum corda intuentes in absconditas partes;* et illud Danielis decimo tertio: *Deus aeterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia, antequam fiant* — sic ista Domina quantum ad hoc divinae sapientiae *comparata* invenitur *prior*. Ideo de ipsa potest dici (illud) Sapientiae sexto [2]: *Ponam in lucem scientiam illius.*

Tertio, quoad gubernationem.

Luci aeternae nihilominus *comparata*, sapientia ceteris creaturis est praeclarior, quia, sicut lux divina transcendit omnia quantum ad omnium *gubernationem* et directionem — iuxta illud Isaiae quadragesimo nono [3]: *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae;* propter quod dicitur Lucae primo: *Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis* — sic Virgo beata quantum ad illud transcendit omnia; propter quod dicitur Sapientiae septimo: *Proposui pro luce habere illam; quoniam inexstinguibile est lumen illius.* Item, Isaiae quadragesimo secundo [4]: *Dedi te in foedus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos caecorum et educeres de conclusione vinctum.* Quod ipsa nobis suis precibus obtineat apud eum qui sine fine vivit et regnat per omnia saecula saeculorum. Amen.

Sermo III [5].

Surrexit rex in occursum matris *adoravitque eam, positusque est thronus matri regis, quae sedit ad dexteram eius,* tertii Regum secundo [6].

Introductio.

Quam multiplici figura Salomon ille nostrum respiciat Salomonem, patet per Augustinum de Civitate Dei, decimo septimo [7]: « Quae, inquit, de Salomone dicuntur soli Christo conveniunt, adeo ut in illo figura sit obumbrata, in Christo autem veritas praesentata ». Eleganter ergo verba proposita trahi possunt ad solemnitatem praesentem, quam ad Matris Salomonis, Mariae, gloriam celebramus. Ipse enim

Veri Salomonis tres proprietates.

est ille Salomon *sapientissimus* omni sapientia, immo Sapientia illa Patris, a quo omnium sapientia et intellectus in angelicis spiritibus et humanis. Ipse est ille *pacificus*, immo *pax nostra, qui fecit utraque unum* [8] et antiquam discordiam *sanguine foederis* concordavit. Ipse est rex ille *magnificus, cuius vultum desiderat universa terra*, Mater eius Maria. Dicamus ergo: *Surrexit rex in occursum* matris etc.

Divisio.

Quatuor honores describuntur in verbis propositis, quibus hodie Mater Dei, Maria, in sua assumtione fuit solemniter honorata; et hi sunt: magnifica *obviatio*, quia *surrexit rex in occursum* matris; dulcissima atque blandissima *receptio*, quia *adoravit eam;* littera Iosephi dicit: *et amplexatus est eam;* dignissima *inthronizatio*, ibi: *positusque est thronus matri regis;* immediata *locatio* sive propinquatio, ibi: et *sedit ad dexteram eius.* Quid istis addere possumus, fratres? « Fateor, inquit Bernardus [9], imperitiam meam, pusillanimitatem propriam non abscondo. Non est quidem quod me magis delectet, sed nec quod terreat magis, quam de gloria Virginis Matris habere sermonem ». Hoc igitur in principio sup-

Notandum.

ponamus, quod quidquid laudis dicitur de beata Maria, non hyperbolice dicitur, sed defective, iuxta verbum beati Hieronymi: « Quidquid humanis dici potest verbis, minus est a laude Dei ».

Pars I. Obviatio summi Regis.

I. Primus ergo honor est *obviatio summi Regis.* Omnino enim credendum est et nullatenus dubitandum, quin hodie solemni processione obviatum sit Virgini ascendenti non solum a *Rege*, verum etiam a tota *curia caelesti.* — Praevolant Angeli videre dominam suam; desiliunt Patriarchae videre filiam suam;

Obviatio curiae caelestis.

occurrunt Apostoli videre magistram suam; accelerant Martyres videre exhortatricem suam; irruunt maritae et viduae aspicere sociam et sororem suam; confluunt consorores videre praelatam et abbatissam suam, ut iustificetur illud Ecclesiastici vigesimo quarto [10]: *Et in plenitudine Sanctorum detentio mea;* et quod legitur Iudith decimo tertio: *Concurrerunt ad eam omnes a minimo usque ad maximum. Et accendentes luminaria congregaverunt circa eam universi. Laudate,* inquit illa, *Dominum Deum nostrum, qui non deseruit sperantes in se; et in me, ancilla sua, adimplevit misericordiam suam.* Unde beatus Bernardus [11]: « Merito in te respiciunt omnes creaturae, quia per te et de te manus Omnipotentis quidquid creavit, recreavit ». — Verum quidquid re-

Obviatio ipsius Creatoris.

verentiae ipsae conferant creaturae, nihil est comparatione superexcellentis honoris, quem confert ei Creator. Occurrit enim tota Trinitas, etsi non motu locali, tamen influentia favorabili, laetitia principali et gloria

---

[1] Vers. 22; sequuntur Eccli. 23, 28. et Dan. 13, 42.
[2] Vers. 24.
[3] Vers. 6; sequuntur Luc. 1, 79. et Sap. 7, 10.
[4] Vers. 6. seq.
[5] Hic sermo habetur in biblioth. Monasterii Gottwicensis, cod. saec. XIV. circa medium, membr. sign. cod. 177. (216), fol. 205 in fine. Post thema interiecta sunt duo folia ad rem non pertinentia; deinde sermo continuat fol. 208 r. Inscriptio est *De Virgine*, verba in fine: *Explicit sermo fratris Bonaventure.*
[6] Vers. 19.
[7] Cap. 8. n. 2.
[8] Eph. 2, 14; respicitur Exod. 24, 8; sequitur III. Reg. 10, 24.
[9] Serm. 4. in Assumt. B. V. M. n. 5. — Sequitur auctor serm. de Assumt. B. V. M. (inter opera Hieron.) c. 5, ubi in fine pro *laude Dei* textus originalis legit *laude caeli.*
[10] Vers. 16; sequitur Iudith 13, 15-18.
[11] Serm. 2. in Pentec. n. 4.

deiforum. Tota siquidem beata Trinitas te cognovit, Maria, *sponsam* castae dilectionis, *aulam* sanctae inhabitationis, *officinam* mirae operationis. Vel distinctive dicamus: Cognovit beatam Mariam Pater domum suae maiestatis; Isaiae sexagesimo [1]: *Domum maiestatis meae glorificabo;* recognovit Filius principium suae humanitatis sive humilitatis; recognovit Spiritus sanctus sacrarium suae bonitatis, in quo plenissime et absque mensura charismata condidit gratiarum, in quo scilicet *horreo* publico et universali congregavit frumenta donorum, ut tempore necessitatis ad pauperes pervenirent; unde Canticorum septimo: *Venter tuus sicut acervus tritici.* Sed de Christo, Filio eius, proprie intelligitur quod dicitur: *Surrexit rex in occursum* matris. Exsiliens enim de solio suo, totam imperii machinam in Matris obsequium movit. Ipse enim est Salomon, qui commovit principes et tribunos, duces et magistratus totius Israel, ut introduceretur arca foederis Domini in Sancta sanctorum, id est in caelum empyreum, tertii Regum octavo [2]. Et propterea dicit beatus Bernardus [3], comparando ascensionem Christi et ascensionem Matris, quod illa potentior maiestate, sed ista pompa solemnior inveniatur, his verbis: «Attolle, inquit, oculos ad assumtionem Virginis et, salva Filii maiestate, invenies occursum huius pompae non mediocriter digniorem. Soli quippe Angeli Redemptori occurrere potuerunt, Matri vero caelorum palatia penetranti Filius ipse, cum tota curia tam Angelorum quam instorum solemniter occurrens, evexit eam ad beatae consistorium sessionis». — Ideo, carissimi, quamvis severe nos tractet Deus et quasi ad alienos durius loquatur, veniet tempus, quando totus blandus amicis suis appareat, quando in occursum veniat, in brachiis colligat et transferat in excelso. Quod si dubitas, ita esse, recole, quid scribat beatus Gregorius [4] de Servulo, quid scriptum sit de Martino, quid de Ambrosio, quid de Ioanne Evangelista [5], quid nostris temporibus de beata Clara [6], quae in obitu suo, cum reverberatis oculis intueretur, interrogata, quid videret, respondit, Dominum gloriae se videre. De his occursionibus dicitur Isaiae sexagesimo quarto [7]: *Occurristi laetanti et facienti iustitiam.* — O quam dissimilis fit occursus animae peccatrici! Isaiae trigesimo quarto: *Occurrent daemonia onocentauris, et pilosus clamabit alter ad alterum.*

Hortatio ad sperandum.

Dissimilis occursus.

II. Secundus bonor fuit in illa *receptione* plenitudo *dulcedinis et reverentiae,* pro qua dicitur: *et adoravit eam.* Quid facis, Domine? Tu verus Dominus ab omnibus adorandus mulierem adoras? Adoro, inquit, quoniam (eam) mihi duo faciunt adorandam, scilicet ratio *maternitatis* et meritum *humilitatis.* Nam et *maternitas* in ea fuit singularis et *humilitas* incomparabilis. — Nunquid, si filius matrem adorat, contra iura facit? Non, quia lex aeterna ordinem naturalem observari iubet, non perturbari. Adorat ergo Iesus matrem non qualemcumque, sed matrem singularis *sufficientiae,* singularis *magnificentiae,* singularis *diligentiae.* Fuit, inquam, singularis *sufficientiae,* quia sine virilis seminis mixtione ad hoc opus suffecit, Spiritu sancto virtutem conceptivam ei mirabiliter tribuente. Fuit iterum singularis *magnificentiae,* quia nulla mater Deum genuit praeter ipsam et post partum virgo permansit. Fuit etiam mater singularis *diligentiae* et curae, quia nulla mater tam dilexit et sollicita fuit. — Ulterius debebatur hic honor merito *humilitatis,* de qua ipse Dominus dicit [8]: *Qui se humiliat exaltabitur.* Vide, quomodo humilitas Mariae ex una parte, et divina bonitas contendit ex altera: Maria se humiliat, et Deus eam exaltat; Maria non solum se humiliat, sed in humilitate se profundat et in ipsa profunditate se inanit et in nihil redigit, ut de se nihil sentiat praeter nihil; et Deus non solum exaltat eam inter Sanctos et magnificat super Sanctos, sed ultimato honore corporaliter eam adorat. — Ergo, frater, non sentias de te magna, non mediocria, non etiam minima. Refunde in Deum quidquid habes boni, et te ipsum in nihilum redigas; et tunc divinam manum exspecta, cuius proprium est de nihilo aliquid operari. Sicut haec littera *adoravit* demonstrat magnum honorem, qui debetur matri a filio, ita littera Iosephi, quae dicit: *amplexatus est eam,* ostendit amorem, qui debetur sponsae a sponso. Tunc enim de triclinio feminarum, id est Ecclesia militante, traducebatur ad cubiculum Assueri [9], ita ut ei conveniat illud Psalmi: *Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me et cum gloria suscepisti me.* Ad istud *cubiculum* traducentur animae nostrae, si Christo fuerint casto amore copulatae, si modo in hoc tempore custodiantur in triclinio feminarum, id est in ordinibus animarum instarum solius Christi amplexibus se servantes.

Receptio plena dulcedine et reverentia ob duplicem rationem.

Ratione matertitatis tripliciter.

Ratione bonmilitatis.

Monitio.

III. *Positus est thronus matri* eius. Hic est tertius honor dignissimae *inthronizationis.* Et cum *thronus* sit aeternae regalis celsitudinis, nihil aliud est dicere: *Positus est thronus,* quam: *rex accepit uxorem et voluit esse reginam* [10], *et* merito. Nam nos legimus, quod Christus promittit regnum caelorum *castitati;* Matthaei decimo nono: *Sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum caelorum; pauperiati,* Matthaei quinto: *Beati, pauperes spiritu* etc.; *humilitati,* Matthaei decimo octavo: *Nisi conversi fueritis et efficiamini* etc. Quid Maria *castius,* quid Maria *pauperius,* quid Maria *humilius?* Istis ergo tribus virtutibus, quae in ipsa eminentius floruerunt,

Pars III. Inthronizatio dignissima.

Promissa tribus virtutibus.

[1] Vers. 7. Infra respicitur Gen. 41, 47; deinde Cant. 7, 2.
[2] Vers. 1. seqq.
[3] Potius Petr. Damian., serm. 40. n. 3.
[4] Libr. IV. Dialog. c. 14.
[5] Abdias, V. Histor. Certam. apost.
[6] Acta Sanctor., vita S. Clarae (13 Aug.), c. 6. n. 52.
[7] Vers. 5; sequitur Isai. 34, 14.
[8] Luc. 14, 11.
[9] Respicitur Esther 2, 16; sequitur Ps. 72, 24.
[10] Esther 11, 10; sequuntur Matth. 19, 12; c. 5, 3. et c. 18, 3.

triplex respondet mirabilis thronus. Nam *castitati* respondet thronus de *ebore*, quem rex Salomon varie adornavit, ut legitur tertii Regum decimo [1]; *paupertati*, quae caelestia, non terrena sectatur, respondet thronus *sapphirinus*, qui caelestis coloris est; Ezechielis primo: *Quasi aspectus lapidis sapphiri similitudo throni; humilitati* vero, quae se abscondit et obumbrat, respondet thronus *solaris* et lucidus; de quo Psalmus: *Thronus eius sicut sol in conspectu meo.* In his omnibus durantibus in perpetuum
Contra peccatores. coronata triumphat. — Tu vero, anima peccatoris, quo throno sedebis? Tali, qualem tibi per opera mala facis. Doceo tamen te caeleste solium fabricare. Quaeris *qualiter?* Christi sectando vestigia; unde Matthaei decimo nono [2]: *Vos, qui secuti estis me, sedebitis et vos super sedes* etc. Sequere ergo Christum, et solium fabricasti. Quaeris *in quo?* In poenitentia.

IV. Et *sedit ad dexteram eius.* Hic est quartus
Pars IV. Immediata locutio circa Regem ob 3 rationes. Prima ratio. honor: *immediata locutio circa Regem.* Et sunt ad hoc tres rationes: prima est *immediatio amoris* cordis ad cor. Sicut enim nihil fuit medium inter cor Virginis et Denm, ita nihil medium inter thronum et thronum; Esther decimo quarto [3]: *Tu scis, quod nunquam laetata sit ancilla tua usque in praesentem diem nisi in te, Domine, Deus Abraham.* —
Seconda. Secunda ratio est *frequenter interpellandi* pro peccatoribus. Habentem enim interpellatricis et reconciliatricis officium non oportet longe sedere, sed prope assistere et quasi lateraliter appropinquare, immo auriculariter cohaerere, ne forte contra suos commendatores crudelis dictetur sententia, et si dictata fuerit, irritetur. Habes exemplum Esther septimo [4]: *Quae est petitio tua, Esther?* et statim ad verbum eius crudelis sententia revocatur, suspenditur hostis, perduntur aemuli, populus liberatur. Ideo dicitur Canticorum sexto *terribilis* esse *ut castrorum acies ordinata* ad succurrendum mundo et daemones ex-
Tertia. pugnandos. — Tertia ratio est, quia *patriarchatus*, quem habuisset Adam in numero virorum et Eva in numero feminarum, ut sederet ad dexteram Dei, id est *in potioribus bonis*, translatus est ad Christum et Mariam, Matrem eius, quia, sicut illi fuerunt peremptores humani generis, ita isti fuerunt reparatores. Unde legitur Esther primo [5]: Detur *regnum illius alteri, quae melior illa sit.* Impetret ipsa nobis veniam peccatorum, quae cum Filio regnat in saecula saeculorum. Amen.

Explicit sermo fratris Boneventurae. Amen.

Sermo IV [6].

Fons parvus crevit in fluvium maximum, et in solem lucemque conversus est et in aquas plurimas redundavit; Esther est, quam rex accepit uxorem et voluit esse reginam [7].

(Prothema). *Fons vitae, eruditio possidentis.* Prothema.
Sicut materialiter videmus, quod corpus humanum sustentatur cibo et potu, sic anima rationalis cibum vult et potum. Cibus eius est intellectus; unde in Ecclesiastico [8]: *Cibabit illum pane vitae et intellectus.* Potus eius est suavitas concepta ex devotione habita; unde dicit: *et aqua sapientiae salutaris potabit illum.* Si *eruditio* est via ad veritatem, qua habita, habetur suavitas ista; igitur, sicut famelicus currit ad mensam et sitibundus ad potum, sic debet homo currere ad intelligentiam divinorum verborum. Et dicit signanter: *eruditio possidentis,* quia aliquis quandoque non possidet sapientiam, quam docet; et tunc non bene cibat nec potat animam, (non) propter defectum verbi, sed propter defectum proponentis, quia saepe aufertur efficacia verbi ab auditore propter ineptitudinem proponentis. Sed quis est qui potest istum fontem communicare, quae est *eruditio possidentis?* Certe Pater et Filius, ille est qui potest eum communicare, *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi,* qui habet copiam panis et vini, id est veritatis et amoris et caritatis; ipsum rogemus.

Fons parvus etc.

Carissimi! gloriosae Virginis excellens sublimi- Sermo.
tas adeo transcendit capacitatem humanam, ut non sufficiant verba ad eius explicationem; et ideo Spiritus sanctus, qui eam replevit charismatibus virtutum, ipse Spiritus sanctus loquens per Prophetas et alios sacrae Scripturae doctores, laudat ipsam multipliciter, non solum per verba expressa, sed etiam per figuras et metaphoras. Unde et verbum istud, licet dictum sit de Esther, multo tamen eximius et plenius, visum interius, exponitur de beata Virgine, quia Esther figuram gerit beatae Virginis tam ratione nominis quam ratione rei. Nam Esther interpretatur *praeparata in tempore* vel *exaltata in populo*, et fuit uxor Assueri regis, qui fuit princeps totius monarchiae; et cum esset parvula, facta est regina, et significat beatam Virginem, quae fuit *praeparata* in tempore et *exaltata* in populo et *assumta* est in connubium summi Regis, ut Mater fieret Dei; unde intelligitur de ipsa verbum illud, in quo explicatur

---

[1] Vers. 18. seqq.; sequuntur Ezech. 1, 26. et Ps. 88, 38.
[2] Vers. 28.
[3] Vers. 16. 18.
[4] Vers. 2; sequitur Cant. 6, 3.
[5] Vers. 19.
[6] Sumta est prima pars ex cod. *Oxoniensi*, cuius descriptionem vide tom. V. Prolegom. pag. XL. XLI. c. 7. § 3. Cfr. P. Fidelis *Ratio* etc. pag. 192 seq., ubi dicit, hunc sermonem esse mutilum, et addit: « Si quis integrum sermonem invenerit et mihi indicaverit, de nova editione optime meritum proclamabo ». Posterius tamen ipse in quodam privatae bibliothecae cod. Veneziano invenit partem primam et secundam, et integrum, sed valde contractum, etiam in cod. Beroliuensi N.
[7] Esther 11, 10. et c. 10, 6. — Prothema habetur Prov. 16, 22.
[8] Cap. 15, 3; sequitur Coloss. 2, 3.

hic ut *plena gratia*. Et describitur nobis hic sub
Metaphoræ tres. metaphora *fontis* et *fluvii*, *solis* et *lucis*, in quibus laudatur a plenitudine omnium bonorum; et propo-
Divisio. nitur nobis sub metaphora *fontis* ratione gratiae *acceptae* in sua origine; sub metaphora *fluvii*, ratione gratiae *superadditae* in conceptione Filii Dei; sub metaphora *solis* et *lucis*, ratione gratiae *consummatae* in eius glorificatione. Primum notatur, cum dicit: *Fons parvus;* secundum notatur, cum dicit: *crevit in fluvium maximum;* et tertium, cum dicit: *et in lucem solemque conversus est.* — Hodie est dies consummationis gloriae eius; sed non possumus bene loqui de eius consummatione, nisi praemittamus initium et crementum ipsius.

I. Intelligatis, quod beata Virgo dicitur *fons* ra-
Pars I. Maria est fons ratione originationis bonorum. Explicatio. tione *originationis* bonorum. Ista originatio principaliter est a *Deo*, deinde per *Christum*, et tertio redundat in beatam *Virginem*, et ideo ipsa dicitur *fons*, et quarto convenit *cuilibet personae*, quae ha-
Fons dicitur de Deo Patre. bet diffusionem alicuius boni. — Primo dico, quod nomen *fontis* competit *Deo Patri;* Psalmus [1]: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit in te anima mea* etc. Ab isto fonte originantur industriae, gratiae et quaecumque alia habemus, tanquam a fontali principio; unde in Canonica Iacobi: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum;* Propheta: *Apud te est fons vitae.* Hic est fons, ad quem boni currunt, et mali eum contemnunt; unde Ieremias [2]: *Me dereliquerunt, fontem aquae vitae, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas.* — Fons iste suas derivationes et influen-
Item, de Christo dupliciter. tias communicat per Dominum nostrum *Iesum Christum*, et ideo Christus dicitur fons scaturiens in *caelo* et in *terra*. Scaturit in *caelo*, in quantum est Verbum increatum; unde in Ecclesiastico: *Fons sapientiae, Verbum Dei in excelsis;* sed scaturit in *terra*, in quantum est Verbum incarnatum; unde in Ioanne: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum; sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* Natura
Notandum. fontis est, quod in scaturiendo tantum ascendit, quantum descendit; sic fons iste, quantum descendit in uterum Virginis carnem accipiens, tantum ascendit in gloria super choros Angelorum. Iste est fons, ad quem debent currere Christiani, ut hauriant aquas gratiae; unde Isaias [3]: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* — Tertius fons, in quem red-
Item, de B. Virgine quadruplici modo. undavit *Verbum Dei in excelsis*, est Virgo gloriosa, de quo dicitur: *Fons parvus crevit in fluvium maximum* etc. Beata Virgo comparatur fonti *parvo*, fonti *vivido*, fonti *signato* et fonti *largifluo*. Fonti *parvo* comparatur propter *humilitatis praerogativam;* fonti *vivido*, propter *sanctificationis indeficientiam;* fonti *signato*, propter *pudicitiae incorruptionem*, et fonti *largifluo*, propter *misericordiae liberalitatem.*

Primo, dico, comparatur fonti *parvo* propter *hu-* De Maria fonte parvo *militatis praerogativam.* In visione Mardochaei scribitur: *Fons parvus crevit in fluvium maximum.* Parvitas fontis istius non diminuitur nisi solum exterius, quia interius augetur; parvificatio sui pervenit usque ad conceptionem Dei. Sententia lata est: *Qui se humiliaverit exaltabitur* [4]. Quanto quis se exaltat, provehit et magnificat, tanto deficit, corrumpitur et humiliatur, ut patet de lucifero, qui se exaltavit et sic sibi viam damnationis aeternae aperuit. Et Dominus noster Iesus Christus se humiliando nos exaltavit, et ipse in Evangelio dicit: *Qui humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est maior in regno caelorum.* Et ego (dico), quod qui se humiliaverit sicut parvula ista, hic maior erit in regno Dei; quae licet Mater Dei esset, parvula tamen in oculis suis esse voluit. —
Monitio. Videte, hic incipit professio christiana et divina; unde Apostolus ad Corinthios [5]: *Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia et contemptibilia elegit Deus et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret.* Habet ergo Deus aspectum ad humilia. Sed de multis potest dici: *Rupti sunt fontes abyssi*, id est abyssalia corda. Non est parva laus dicere de beata Virgine, quod sit *fons parvus, parvus* reputatione sui, quia laudabile est dicere de aliquo: Iste est magnus; tamen laudabilius est dicere: Iste est magnus, sed sui reputatione est parvus, quia non est magnus animus (nisi) magna despiciens.

Secundo comparatur beata Virgo fonti *vivido* Item, ut fonte vivid propter suae *sanctificationis indeficientiam;* unde in Canticis [6]: *Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quae fluunt impetu de Libano.* Vividum est quod in se habet principium suae conservationis; unde dicitur fons vivus, qui in se habet, unde continue fluat. Sic beata Virgo habuit in se sanctificationem indeficientem propter continuationem eius ad originem et devotionem eius indefessam. Exemplum sanctificationis ab ipsa continue fluit, quia continue haurit. Quando fons desinit scaturire, tunc amittit nobilitatem fontis. Refundant igitur homines et accipiant, quia stulti sunt qui nolunt accipere et aliis communicare, qui dicunt: Quomodo dabo quod non habeo? peiores sunt qui quod acceperunt fundere recusant, ut avari; sed superbi sunt qui nihil de Deo sentiunt et alios docere volunt. Nunquam habuit

[1] Psalm. 41, 2. seq.; sequuntur Iac. 1, 17. et Ps. 35, 10.
[2] Cap. 2, 13; sequuntur Eccli. 1, 5. et Ioan. 4, 13. seq.
[3] Cap. 12, 3.
[4] Matth. 23, 12; deinde respicitur Isai. 14, 13. (de lucifero); sequitur Matth. 18, 4.
[5] Epist. I. c. 1, 26. seqq.; sequitur Gen. 7, 11.
[6] Cap. 4, 15.

illuminationes spirituales et alium [1] vult docere; *hi sunt fontes sine aqua et nebulae turbinibus exagitatae, quibus caligo tenebrarum reservatur. Fontes sine aqua* sunt in doctrina deficientes; *nebulae turbinibus exagitatae*, quando phantasticas rationes proponunt; sicut nebula generat turbinem, non tranquillitatem, sic isti per rationes phantasticas generant tempestatem. *Si est tibi intellectus*, instrue proximum tuum; si non, pone manum *super os tuum* [2]. Non facias te magistrum de eo quod non audivisti. Dicerem me *fatuum*, si vellem iudicare de pulsu, qui non audivi de medicina.

Item, ut fonte signato. Tertio comparatur beata Virgo fonti *signato* propter *pudicitiae integritatem;* unde in Canticis [3]: *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Emissiones tuae paradisus. Clausio horti* et *signatio fontis* coniuncta sunt, quia qui vult habere pudicitiam castitatis, oportet, quod habeat et venustatem verecundiae. Ista claudunt hortum beatae Virginis; fecunda fuit, sed tamen virgo fuit; *hortus conclusus*, quia intacta, impolluta et incontaminata fuit; fuit *fons signatus*, quia clausus. Dicit bis: *hortus conclusus*, quia fuit rigidissimae disciplinae et venustissimae verecundiae, quia, si aliquis est verecundus, non libenter diffundit se in turpitudinem libidinis. Sic qui erubescit coram Domino non se foedat per luxuriam; sed aliqui erubescunt in oculis hominum, non in oculis Dei vel Angeli; sed *gratia super gratiam, mulier sancta et pudorata*. Rigor disciplinae restringit gustum, claudit visum et obturat auditum, ut restringat tactum, penes quem homines maxime efficiuntur brutales. Sobrietas soror est castitatis. — Sed heu! hodie impletur illud quod dicitur in Apocalypsi: *Cecidit de caelo stella magna, ardens tanquam facula, et cecidit in tertiam partem fluminum et in fontes aquarum; et nomen stellae dicitur Absinthium, et facta est tertia pars aquarum in absinthium; et multi hominum mortui sunt de aquis, quia amarae factae sunt.* Sic quando aliquis praelatus cadit in peccatum corruptionis, corrumpit omnes audientes; et dico, quod peccatum praelati duo mala facit: exemplo suo *corrumpit innocentes*, aliud malum est, quod *dat robur malignis* ad peccandum. Quando dicitur eis: Male facitis, quare facitis? respondent: Si esset malum, ille non faceret. Unde dicitur in Proverbiis [4]: *Fons turbatus pede et vena corrupta, iustus cadens coram impio.* Melius est, quod *suspendatur mola asinaria in collo eius, et demergatur*, quam scandalizet *unum de pusillis istis.*

Contra praelatorum mala exempla.

Item, ut fonte largifluo. Quarto beata Virgo comparatur fonti *largifluo* propter *misericordiae liberalitatem;* unde Prophetа [5]: *In die illa erit fons patens domui David et habitantibus Ierusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatae. Fons patens*, id est beata Virgo, quae purgat et liberat Sanctos ab originibus (?) peccatorum, a peccatis perpetratis et a concupiscentiis trahentibus ad peccatum; unde in loele: *Fons de domo Domini egredietur et irrigabit torrentem spinarum*, id est peccatores. — Multi enim, cum essent *spinae*, propter fiduciam in beatam Virginem facti sunt arbores electae. Non est ita spinosus peccator, si ad ipsam recurrat, quin fiat arbor salutifera. Si volumus ad ipsam confugere, simus misericordes; unde in Proverbiis: *Deriventur fontes tui foras;* et in Genesi [6] dicitur, quod Eliezer, servus Abrahae, dixit: *Ecce, sto iuxta fontem aquae;* et Rebeccae: Puella, tibi dico, da mihi bibere; et respondit Rebecca: *Bibe, domine mi, et camelis tuis tribuam potum.* Et cum stetit iuxta fontem [7]... et non exspectavit, quod illa daret ei potum, stans prope fontem, id est Deum Patrem, qui omne dedit Filio [8], et dedit puellae huic, id est beatae Virgini, quae nobis dedit bibere et camelis nostris, quia rationalibus et simplicibus se communicat; inveniemus eam curialem, quotiescumque interpellamus eam; quia ipsa dicit [9]: *Ego sitienti dabo de fonte aquae vitae gratis.*

De fiducia habenda in B. Mariam.

II. Iste fons plus *crevit* quam fons crescens *in fluvium magnum;* quia Mater Dei effecta est, ab isto fonte defluxit superabundantia omnium bonorum; fluxit in fluvium *supersplendidum* propter conceptum aeterni splendoris, illustrantis nostram cognoscitivam; in fluvium *superamoenum* propter conceptum aeternae suavitatis, lactificantis nostras affectivas; in fluvium *superrapidum* propter conceptum aeterni vigoris, corroborantis nostras operativas; et in fluvium *superfructuosum* propter conceptum aeternae salutis, salvificantis nostras potentias regitivas.

Pars II. Maria est fluvius ratione gratiae superadditae quadruplicater.

Primo, in fluvium supersplendidum. Primo, dico, beata Virgo crevit in *fluvium supersplendidum* propter conceptum aeterni splendoris, illustrantis nostram potentiam cognoscitivam; unde in Apocalypsi [10]: *Ostendit mihi Angelus fluvium aquae vitae splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni. Sedes* ista est beata Virgo; *fluvius* est Dei Filius, qui est *candor lucis aeternae et speculum sine macula*, sine cuius illustratione nihil boni accipimus neque veri. Nam in isto fluvio sunt *omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi;* ab ipso manant illustrationes et originales radices scientiarum et « causae essendi, ratio intelligendi et ordo vivendi [11] ». Beata Virgo dicitur *sedes Dei et Agni*, quia in ipsa sedet Deus Pater, requievit Agnus, et fuit « totius Trinitatis triclinium ». — Secundo, beata Virgo crevit in *fluvium superamoenum*

Secundo, in fluvium superamoenum.

[1] Codex addit *non.* — Sequitur II. Petr. 2, 17.
[2] Respicitur Eccli. 5, 14.
[3] Cap. 4, 12. seq.; sequuntur Eccli. 26, 19. et Apoc. 8, 10. seq.
[4] Cap. 25, 26; sequitur Matth. 18, 6.
[5] Zach. 13, 1; sequuntur Ioel. 3, 18. et Prov. 5, 16.
[6] Cap. 24, 43. 18. 46.
[7] Hic desinit cod. Oxoniensis. — Deest connexio sententiarum.
[8] Respicitur Ioan. 3, 35: *Pater diligit Filium et omnia dedit in manu eius.*
[9] Apoc. 21, 6.
[10] Cap. 22, 1; sequuntur Sap. 7, 26. et Coloss. 2, 3.
[11] August., VIII. de Civ. Dei, c. 4. — De seq. sententia vide supra pag. 638, notam 5.

propter conceptum aeternae suavitatis, laetificantis nostras potentias affectivas; Psalmus [1]: *Fluminis impetus laetificat civitatem Dei* etc. *Deus in medio eius, non commovebitur.* Et quando *homo natus est in ea* etc., hoc est, quando omnipotens Dei Filius, qui eam creavit, de carne Virginis sibi carnem fabricavit et *laetificavit civitatem Dei*, id est Ecclesiam, et Patriarchas; unde dicitur: *Abraham exsultavit, ut videret diem meum; vidit et gavisus est.* Istud contemporaneis suis, id est Apostolis, dedit Deus videre, de quibus potest dici [2]: *Beati oculi, qui vident quae vos videtis.* Laetificat etiam innumeros fideles, quia *beati, qui non viderunt et crediderunt.* O quantum lactificandum de isto fluvio! quia *venerunt* nobis *omnia bona cum ipso*, quando *lux orta est iusto* [3] etc. Multi parum laetantur, sed habentes corda laetificata per Deum maxime exsultant, quia *fluminis impetus laetificat civitatem Dei.*

Tertio, in fluvium superrapidum. Tertio, beata Virgo crevit in *fluvium superrapidum* propter conceptum aeterni vigoris, corroborantis nostras operativas; unde scribitur [4]: *Factus est mihi trames abundans et fluvius meus appropinquavit ad mare. Factus est mihi trames abundans*, quando *Spiritus sanctus supervenit in te; et fluvius appropinquavit ad mare*, quando tibi copulatus est fluvius iste immensae bonitatis et sapientiae in unitate personae; *ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur*, et Christus, sicut exivit a Patre et venit in Virginem, ita iterum regressus est ad Patrem. *Per Christum accessum habemus in* gloria [5]; a Deo est virtus et potentia, qui facit mundationes matris converti in lac; unde Apostolus: *Omnia possum in eo qui me confortat.* Et quis?

Quarto, in fluvium superfructuosum. Quarto, crevit fons iste in *fluvium superfructuosum* propter conceptum aeternae salutis, salvificantis nostras potentias regitivas. Potentia regitiva apprehendit et ponit nos in statu felicitatis aeternae; hoc habemus per Christum causaliter; unde in Apocalypsi [6]: *Ex utraque parte fluminis erat lignum vitae afferens fructus duodecim.* Istos *fructus* plantat in nobis Sapientia increata, et sunt fructus isti spes, *gaudium, pax* etc., quos ponit Apostolus; et sunt isti duodecim *fructus* duodecim rationes fruendi in Deo, qui habentur per *fluvium procedentem* de Virgine gloriosa. Beatus, qui poterit plantari inxta *decursus aquarum* istius fluvii, quia *folium eius non defluet, et omnia, quaecumque faciet, prosperabuntur.* Dicitur in Genesi [7], quod *fluvius*, qui *egrediebatur de loco voluptatis, dividitur in quatuor capita*, scilicet in *Phison*, in *Gehon*, in *Tigrim* et in *Euphraten. Phison* interpretatur *oris permutatio*, et significat fluvium *supersplendidum*, qui illustrat nostras potentias cognoscitivas; *Gehon* significat fluvium *superamoenum*, qui laetificat nostras affectivas; *Tigris* significat fluvium *superrapidum*, qui corroborat potentias nostras operativas; sed *Euphrates*, qui interpretatur *frugifer*, cui non determinatur terra, significat fluvium *superfructuosum*, qui salvificat potentias nostras regitivas [8].

Pars III. Mira est sol lox ration gratiae co summatae

III. Tertio comparatur *luci solari* ratione gratiae *consummatae* in glorificatione. Rarum est, quod fons convertatur in lucem, nec est via *naturae*, quod corpus elementare convertatur in caeleste, sed *gratiae* in Virginis glorificatione; Apocalypsis duodecimo [9]: *Signum magnum apparuit in caelo: Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim.* Sol *viget* per potentiam, *fulget* per refulgentiam, *calet* per efficaciam; sic Virgo glorificata *viget* per cohaesionem cum vitae aeternitate dote tentionis; Canticorum tertio: *Tenui eum, nec dimittam.* Sed ubi? *In plenitudine*, inquit, *Sanctorum, detentio mea*, Ecclesiastici vigesimo quarto. Bernardus: « Merito *in plenitudine Sanctorum detentio eius*, cui non defuit fides Patriarcharum, spes Prophetarum, zelus Apostolorum, constantia Martyrum, sobrietas Confessorum, castitas Virginum, fecunditas coniugatorum, nec etiam puritas Angelorum ». Proverbia [10]: *Multae filiae congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* — Item, *fulget* per cognitionem cum luminis claritate; Tobias [11]: *Luce splendida fulgebis, et omnes fines terrae adorabunt te.* Tu, Mater Dei, quam glorificamus, in spiritu, in carne, in speciali honore, *luce splendida fulgebis.* Sicut enim Filio suo curvatur *omne genu, caelestium, terrestrium et infernorum*, sic et ei oportet curvari ab omnibus, velint nolint. Esther octavo: *Iudaeis nova lux oriri visa est; gaudium, honor et tripudium apud omnes populos.* Vere infelix homo, qui a laude eius excluditur. Diligentes enim Virginem plus illustrantur in veritate intellectus, in fama bona et in omnibus bonis ditantur. — Item, *calet* per amorem cum saporis incunditate; Esther secundo [12]: *Ducta est Esther ad cubiculum regis Assueri, et amavit eam rex plus quam omnes mulieres et posuit diadema regni in capite eius feciique eam regnare.* Bernardus: « Quis cogitare sufficiat, quam gloriosa hodie Regina mundi processerit, in cuius occursum caelestium legionum prodierit multitudo, quam laetis amplexibus suscepta a Filio et super omnem creaturam exaltata »?

Triplex pr prietas sol et Virgini Primo, vige

Secundo, fulget.

Tertio, ca let.

[1] Psalm. 45, 4. seq.; sequuntur Ps. 86, 5. et Ioan. 8, 56.
[2] Luc. 10, 23; sequuntur Ioan. 20, 29. et Sap. 7. 11.
[3] Psalm. 96, 11.
[4] Eccli. 24, 43; sequuntur Luc. 1, 35. et Eccle. 1, 7.
[5] Respicitur Rom. 5, 2; sequitur Phil. 4, 13.
[6] Cap. 22, 2; dein respiciuntur Gal. 5, 22. seq. et Ps. 1, 3.
[7] Cap. 2, 10-14.
[8] Hic desinit cod. Venetianus addendo: *Rogabimus Dominum etc.*
[9] Vers. 1; sequuntur Cant. 3, 4. et Eccli. 24, 16.
[10] Cap. 31, 29.
[11] Cap. 13, 13; sequuntur Phil. 2, 10. et Esther 8, 16. seq.
[12] Vers. 16. seq. — Sequitur Bernard., serm. 1. in Assumt. B. V. M. n. 4.

Sermo V [1].

Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni; coronaberis, Canticorum quarto [2].

In verbo proposito describitur glorificatio Virginis Mariae in eius assumtione, et hoc sub triplici
Divisio. consideratione: primo scilicet, quantum ad *meritum*, cum dicitur: *de Libano;* secundo, quantum ad *praemium*, cum subditur: *coronaberis;* tertio, quantum ad *transitum intermedium*, cum ter dicitur: *veni, veni, veni.*

Pars I. De statu meriti.
I. Status namque *meriti* recte designatur in *Libano; Libanus* enim *candidatio* interpretatur, et meritum perfectum animae consistit in perfecto eius candore; hic autem fuit perfectissime in Virgine Maria. Unde Hieronymus [3] de ea dicit, quod « totam incanduerat divinus amor, ut nihil esset in ea nisi ardor continuus et ebrietas perfusi amoris ». Fuit
In Maria triplex candor. namque in Virgine candor *continentiae* respectu sui, candor *innocentiae* respectu proximi, candor *sapientiae* respectu Dei. Continentia candidavit eius carnem; sapientia, mentem; innocentia vero candidavit utram-
Candor continentiae. que. — Candor *continentiae* Virginis designatur in candore *floris;* unde de ipsa merito dicit Sponsus Canticorum secundo [4]: *Ego flos campi et lilium convallium. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Aliae enim filiae et virgines *spinae* sunt propter aculeos et punctiones concupiscentiae [5] non omnino in eis exstinctae; haec autem fuit *lilium* candens et redolens, quia nihil impuritatis nec foeditatis carnalis sensit, sed omnimodum nitorem habuit in cogitatione, affectione, locutione et carnis incorruptione. Et hoc designatur Threnorum quarto: *Candidiores Nazaraei eius nive,* ratione incorruptionis in carne, ubi nihil erat de calore concupiscentiae; *Nazaraeus* enim interpretatur *floridus; nitidiores lacte,* ratione incorruptionis in sermone; *rubicundiores ebore antiquo,* in affectione; *sapphiro pulcriores,* in cogitatione; *sapphirus* est caelestis coloris, et Virgo semper supercaelestia cogitabat, secundum illud primae ad Corinthios septimo: *Mulier innupta et virgo cogitat quae Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu.*

Candor innocentiae. Candor *innocentiae* virginalis designatur in candore *vestis;* de qua, Apocalypsis decimo nono [6]: *Uxor Agni praeparavit se. Et datum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti et candido. Agnus* innocens non debet habere *uxorem* nisi similem sibi per omnia, ergo agninam et innocentem; et talis fuit beata Virgo; de qua, Canticorum quarto: *Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te.* Et quia vestimentum *conversationis* ad alterum conforme debet esse ad *mentis affectum*, ideo datum est ei *byssinum candidum*, id est conversationis indumentum innocentissimum. Hanc innocentiam habuit beata Virgo in conversatione, quia summam pietatem habuit in affectione; unde sibi optime competit illud Ecclesiastae nono: *Omni tempore sint vestimenta tua candida, et oleum de capite tuo non deficiat.* Hoc vere competit Virgini innocentissimae; nam de nobis aliis potest dici [7]: *Quasi pannus menstruatae, universae iustitiae nostrae;* non enim habemus puritatem innocentiae.

Candor sapientiae. Candor autem *sapientiae* Virginis designatur in candore *lucis;* de qua, Sapientiae septimo [8]: *Candor est lucis aeternae et speculum sine macula Dei maiestatis;* quia enim mens Virginis fuit *sine macula*, hinc est, quod fuit *speculum* idoneum ad recipiendum irradiationem divinam. Unde in tanta copia descendit in eam sapientia, ut non tantum inhabitaret in eius mente, immo et habitaculum formaret ex eius carne. Unde si de ceteris iustis verum est quod dicitur Matthaei decimo tertio: *Iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum;* multo fortius est verum de anima Virginis, quae quantum ad sapientiam excedit Inculentiam solis, ita ut de ea merito possit dici illud quod scribitur Sapientiae septimo: *Est speciosior sole et super omnem dispositionem stellarum, luci comparata, inventur prior.* Unde Bernardus [9]: « Beata Maria profundissimam divinae sapientiae, ultro quam credi valeat, penetravit abyssum, ut, quantum sine personali unione creaturae conditio patitur, illi *luci inaccessibili* videatur immersa ».

Pars II. De statu praemii.
II. De hoc autem perfecto merito transivit Virgo ad gloriosum *praemium*, quod notatur in hoc quod dicitur: *coronaberis;* quod praemium est gloriosum, quia, secundum quod dicitur secundae ad Timotheum secundo [10], *non coronatur, nisi* qui *legitime certaverit.* Coronata autem fuit Maria corona *gloriosa*, Triplex Virginis corona. *luminosa* et *pretiosa*, secundum triplicem dignitatem correspondentem ex parte meriti. Dicitur igitur Virgini de hoc saeculo egredienti, ut cum gaudio festinet ad patriam: *coronaberis.* Festina namque, quia coronaberis corona *gloriosa*, per quam efficieris con- Corona gloriosa. formis *maiestati Patris* aeterni, secundum illud Isaiae sexagesimo secundo [11]: *Eris corona gloriae in manu Domini et diadema regni in manu Dei tui.* Ipsa namque, in gloria prae ceteris excelsior, quasi *in manu*

---

[1] Ex cod. biblioth. Monacensis W fol. 199 r., cod. Tudert. n. 182. fol. 180 v. et cod. Assis. n. 59. fol. 53, qui duo ultimi optime inter se conveniunt et nonnulla additamenta exhibent. Recensetur etiam in cod. Monac. n. 8739, in quo inveniuntur 29 schemata sermonum Bonaventurae.

[2] Vers. 8.

[3] Potius auctor serm. de Assumt. B. V. M. (inter opera Hieron.) c. 14. (alias 13.).

[4] Vers. 1. seq.

[5] Codd. Tudert. et Assis. legunt *continentiae*. — Sequuntur Thren. 4, 7. et 1. Cor. 7, 34.

[6] Vers. 7. seq.; sequuntur Cant. 4, 7. et Eccle. 9, 8.

[7] Isai. 64, 6.

[8] Vers. 26; sequuntur Matth. 13, 43. et Sap. 7, 29.

[9] Serm. in Domin. infra Octav. Assumt. B. V. M. n. 3, ubi alluditur ad I. Tim. 6, 16.

[10] Vers. 5.

[11] Vers. 3.

Dei ostenditur ad exemplum unionis et accensionis desiderii. Unde ipsa tanquam regina caeli sedet ad dexteram Regis aeterni, secundum illud Psalmi [1]: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato*, et coronata est corona consimili coronae Regis aeterni; de quo, in Psalmo: *Gloria et honore coronasti eum*, Domine.

Corona luminosa.

Coronaberis etiam corona *luminosa*, per quam conformaberis *claritati Unigeniti*, secundum illud Apocalypsis duodecimo [2]: *Signum magnum apparuit in caelo: Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim*; quia scriptum est Danielis duodecimo: *Qui ad iustitiam erudiunt multos quasi stellae* fulgebunt *in perpetuas aeternitates*; et tales fuerunt duodecim Apostoli; et ideo in gloria sunt sicut duodecim *stellae*. Sed quia Virgo ipsos Apostolos erudivit mysterium incarnationis et illuminavit eos per revelationem tanti *sacramenti absconditi a saeculis*; ideo omnis luminositas coronae apostolicae et totius Ecclesiae triumphantis quasi coarcervatur in lumine coronae virginalis.

Corona pretiosa.

Coronaberis etiam corona *pretiosa*, per quam eris conformis *caritati Spiritus sancti*, ut possit dici de te illud Psalmi [3]: *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. Lapis* iste *pretiosus* est lapis *abscissus de monte sine manibus*, id est Christus Dominus, quo coronata est Virgo Maria corona maioris pretii prae omnibus creaturis, cum *lapis iste* de ea sumtus fuerit. Unde colligi potest, quod eam debuerit coronare non tantum spiritu, sed etiam stola corporis; unde ipsa potest decantare illud Isaiae sexagesimo primo: *Gaudens gaudebo in Deo, et exsultabit anima mea in Deo meo; quia induit me vestimentis salutis*, quantum ad stolam carnis; *et indumento iustitiae circumdedit me*, quantum ad stolam mentis; *quasi sponsum decoratum corona*, hoc dicit quantum ad spiritus beatitudinem; *et quasi sponsam ornatam monilibus suis*, hoc dicit quantum ad carnis glorificationem.

Pars III. De transitu intermedio tripliciter.

III. Tertio ad tantum praemium invitatur Virgo *transeundo de mundo*; et hoc propter triplex invitatorium, sive propter triplex meritum, sive propter triplex praemium, sive propter triplicem transitum, sive propter triplicem transitus ipsius respectum. —

Veni egrediendo.

Veni ergo, Gloriosa, Beata, primo *egrediendo* locum miseriarum, de quo invitaris Canticorum secundo [4]: *Surge, amica mea, speciosa mea, et veni* etc. *Veni*, inquam, de loco miseriarum; propter quod addit: *columba mea in foraminibus petrae, in caverna maceriae*, quod dicitur praesens corpus, quod plenum est *foraminibus* sensuum et poenalitatibus passionum, propter quod merito comparatur *petrae* perforatae, *maceriae depulsae*. — *Veni* etiam secundo *progrediendo* per chorum hierarchiarum, secundum quod dicitur Canticorum secundo [5]: *Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni. Veni*, inquam, transeundo per chorum caelestium hierarchiarum; ubi non approximat tempestas miseriarum; unde subdit: *Iam enim hiems transiit, imber abiit et recessit. Flores apparuerunt in terra nostra*. Hi *flores apparuerunt* circa Virginem ascendentem, secundum quod decantat mater Ecclesia [6]: « Vidi, inquit, speciosam sicut columbam ascendentem desuper rivos aquarum, et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum et lilia convallium », id est Martyres et Virgines et omnes Sancti triumphantis Ecclesiae; ipsa pertransiit omnes hierarchias; unde vox potest esse Beatorum omnium caelestium, Canticorum sexto: *Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens*, respectu primae hierarchiae; *pulcra ut luna*, ratione secundae; *electa ut sol*, ratione tertiae; *terribilis ut castrorum acies ordinata*, quia per se constituit ordinem super omnem ordinem. — *Veni* tertio *ingrediendo* hortum deliciarum, secundum illud Canticorum quinto [7]: *Veni in hortum meum, soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis; comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo; comedite, amici, et bibite et inebriamini, carissimi*; in quo loco reficitur et inebriatur *ab ubertate domus* Dei *et torrente voluptatis* eius potatur. Ad quam nos perducat Filius benedictus, qui vivit et regnat per omnia saecula saeculorum.

Veni progrediendo.

Veni ingrediendo.

Sermo VI [8].

Signum magnum apparuit in caelo: Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim, Apocalypsis duodecimo [9].

Si caelum sumatur pro Ecclesia *triumphante*, tunc est thema de *assumtione* beatae Virginis; si autem de Ecclesia *militante*, tunc est thema de *nativitate* eiusdem.

Maria fuit signum triplex.

Ipsa est ergo *signum* [10], signum, inquam, *itineris, foederis, amoris: itineris*, quia stella maris; unde

---

[1] Psalm. 44, 10. et dein Ps. 8, 6.

[2] Vers. 1; sequuntur Dan. 12, 3. et Eph. 3, 9.

[3] Psalm. 20, 4; sequuntur Dan. 2, 34. et Isai. 61, 10.

[4] Vers. 13. seq.; sequitur Ps. 61, 4.

[5] Vers. 10. seqq.

[6] Breviar. Roman. 1. Respons. ad 1. Nocturn. in festo Assumt. B. V. M. — Sequitur Cant. 6, 9.

[7] Vers. 1; sequitur Ps. 35, 9.

[8] Habetur in biblioth. Paulina Monasteriensi, in cod. 610. membr. in 4. saec. XIV. ineuntis, foliorum 236. Post opusculum Thomae de Aquino Ord. Praedicator. de Christi humanitate fol. 232 r. in superiore marg. est inscriptio *Sermo bonaventure de gloriosa Virgine Maria*. Multae sententiae conveniunt cum iam supra habitis. Sermo tamen est imperfecte *reportatus*, et codex non raro vitiose scriptus.

[9] Vers. 1.

[10] Deest divisio formalis; exponuntur verba textus, et quidem *prima* compendiose et passim obscure; *ultima* verba thematis, id est *duodecim stellae coronae*, secundum singulas stellas diffuse explicantur.

columna *nubis* per diem et columna *ignis* per noctem. Est etiam signum *foederis*, figurata per columbam [1] missam de arca. *Arcum meum ponam in nubibus et recordabor foederis* [2]; item, haec est *tabernaculum foederis*. Est etiam signum *amoris*; unde *rubus ardebat et non comburebatur* [3]. — Est etiam *virga* florens, frondens et fructificans; unde: *Egredietur virga de radice Iesse*. Item: *A luna est signum diei festi*. — Item, hoc signum est signum *prognosticum, demonstrativum, rememorativum:* prognosticum liberationis, demonstrativum dilectionis, rememorativum humiliationis. *Prognosticum liberationis;* unde Isaias [4]: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum;* et in Canticis dicitur: *Aurora consurgens; aurora*, quando solem attulit; *consurgens*, quando resurrexit et nos secum surgere fecit. — Item, ipsa est signum *demonstrativum caritatis; pulcra ut luna; testis in caelo fidelis* [5]. In Canticum secundo nominatur *amica* per excellentiam. Unde in Ioanne: *Nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae, et erat Mater Iesu ibi*, quia nuptiae incarnationis factae sunt *ibi*, id est in loco transmigrationis. Unde David: *Ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessu* [6]. — Item, hoc est signum *rememorativum humiliationis;* unde: *Respexit humilitatem ancillae suae.* Item, Ecclesia: « Memento, salutis auctor » etc.

Est etiam virga tripliciter.

Item, signum tripliciter.

Prognosticum liberationis.

Demonstrativum caritatis.

Rememorativum humiliationis.

Sic ergo beatissima Domina fuit *signum magnum*, magnum, inquam, *novitate, dignitate, utilitate: novitate*, quia: « Nec primam similem visa es nec habere sequentem [7] »; ad Hebraeos: *Per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum;* Ieremias: *Creavit Dominus novum super terram: Femina circumdabit virum.* Dionysius et Damascenus [8] dicunt, quod hoc omnium novorum novissimum, quod Deus homo et mater virgo; unde in Exodo [9]: *Rubus ardens;* et *porta clausa*, Ezechiel; *Vas admirabile, opus Excelsi.* — Est etiam magnum *dignitate;* unde ipsa, *Salomonis thronus* [10], immo *domus, quam Sapientia aedificavit sibi*, immo *templum*, in quod ingressa *maiestas Domini*, ex cuius praesentia terra resplenduit. Item, ipsa est *propitiatorium*, quod *respiciebant Cherubin versis vultibus* [11]. — Item, istud fuit signum magnum *utilitate;* unde *vellus Gedeonis* [12]; item, *fons parvus*, qui *crevit in fluvium maximum;* item, fons, qui *egrediebatur* de paradiso et *dividebatur in quatuor* flumina. Item, terra *bona* et *optima: bona*, creatione; *optima*, contemplatione; *bona*, quia protulit *frumentum; melior*, quia *argentum; optima*, quia *aurum; bona* et *optima*, quia haec omnia protulit simul. — Hoc ergo signum magnum, id est beatissima Virgo, quae diu sub umbra Legis latuit in Scripturis involuta, sub figuris abscondita, praedicta Prophetarum clamore et praeconio, educta Sanctorum desiderio, iuxta illud Isaiae [13]: *Rorate, caeli, desuper, et nubes pluant Iustum;* hodie *apparuit in caelo, egressa* de utero cum multo Angelorum iubilo; *amicta sole*, id est *impassibilis* a peccato, utpote sanctificata in utero, et *subtilis* diabolo, quia *amicta sole*, et illaesa ab omni tentationis proelio, *clara* corpore per castitatem, *agilis* per caritatem. Et sic in his quatuor proprietatibus beatissimae Virginis, quae clarificant et ornant et vestiunt altitudinem eius conversationis, ab hoc sole processit *calor* vivificativus et *splendor* illuminativus: calor illuminativus et vivificativus, conservativus et multiplicativus, qui *venit, ut vitam habeant et abundantius habeant*, Ioannis decimo [14]; *splendor* illuminativus, qui *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Ergo est signum magnum tripliciter. Primo, novitate.

Secundo, dignitate.

Tertio, utilitate.

Hoc signum apparuit in caelo.

Quatuor Mariae praerogativae.

Ab ipsa multiplex effectus.

Sequitur: *et luna sub pedibus; luna*, id est, omne, quodcumque (lucet) luce aliena, hoc est omnis creatura est *sub pedibus eius*, id est, subiicitur potestati eius, utpote quae *in altissimis habitat* [15], id est, *ab initio et ante saecula creata est, dignitate* scilicet omnem creaturam excellens, sicut eleganter significatur per Esther; decimo quinto dicit Assuerus ad Esther: *Non pro te, sed pro omnibus haec lex constituta est*, quasi dicat: tu non es aliquis de omnibus, sed super omnes, utpote *primogenita ante omnem creaturam* [16].

Luna sub pedibus eius.

Sequitur: *in capite eius corona stellarum duodecim. Stellae duodecim* Sanctos significant; primae ad Corinthios decimo quinto [17]: *Sicut stella a stella differt in claritate;* Daniel: Fulgebunt *in perpetuas aeternitates.* Duodecim stellae universitatem Sanctorum significant, utpote qui in quatuor partibus mundi, fide sanctae Trinitatis coronati, salvantur. Quod *in capite eius corona stellarum duodecim* esse dicitur, nihil aliud est, quam omnes Sancti [18] coronas ei ascribendo ipsam coronant, per quam post Deum se esse coronatos recognoscunt, sicut Ioannes vidit Apocalypsis quarto [19], quod *viginti quatuor seniores mittebant coronas suas ante thronum.* Per hos *viginti quatuor seniores* intelligitur universitas Sanctorum: per *duodecim Patriarchas*, universitas

In capite coronas 12 stellarum. Prima explicatio.

[1] Cod. legit *columpnam*, Gen. 8, 8. 10; sed verba non conveniunt contextui.
[2] Gen. 9, 13. 15; dein respicitur Exod. 31, 7. et alibi.
[3] Exod. 3, 2; sequuntur Num. 17, 8; Issi. 11, 1. et Eccli. 43, 7.
[4] Cap. 7, 14; sequitur Cant. 6, 9.
[5] Respicitur Ps. 88, 36; sequuntur Cant. 2, 2. et Ioan. 2, 1.
[6] Psalm. 67, 28; sequitur Luc. 1, 48. — Sequitur notus hymnus: *Memento rerum Conditor*, sec. antiquam lectionem.
[7] Bernard., serm. 4. in Assumt. B. V. M. n. 5; sequuntur Hebr. 9, 11. et ler. 31, 22.
[8] Libr. III. de Fide orthod. c. 1.
[9] Cap. 3, 2; sequuntur Ezech. 44, 2. et Eccli. 43, 2.
[10] Libr. III. Reg. 10, 18; Prov. 9, 1; II. Paralip. 7, 1. 2. et respicitur Ezech. 43, 2.
[11] Exod. 25, 20.
[12] Iudic. 6, 38; sequuntur Esther 11, 10. et Gen. 2, 10.
[13] Cap. 45, 8.
[14] Vers. 10; sequitur c. 1, 9.
[15] Eccli. 24, 7. 14; dein Esther 15, 13.
[16] Eccli. 24, 5.
[17] Vers. 41; sequitur Dan. 12, 3.
[18] Cod. habet *Sanctos* et supra *quia* pro *qui*.
[19] Vers. 10.

veteris Testamenti; per *duodecim Apostolos*, novi Testamenti; vel in ratione numeri senarii et quaternarii in se ducti, sicut exponit Glossa [1] in Apocalypsi. Omnes ergo Sancti coronas suas *ante pedes sedentis in throno mittunt*, quia omnes se a Deo et a Matre sua, quae per *thronum* intelligitur, coronatos esse recognoscunt.

Possunt etiam per *duodecim stellas* duodecim *praerogativae* intelligi, singularitates collatae beatissimae Virgini, quibus super omnem aliam puram creaturam singulariter est coronata. Quarum prima est *immunitas, a peccato* videlicet, quod nunquam mortaliter nec venialiter peccavit; unde Augustinus in libro de Natura et gratia [2]: « Excepta sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem; inde enim scimus, quod ei plus gratiae sit collatum ad vitandum ex omni parte peccatum, quod et concipere et parere meruit quam constat nullum peccatum habuisse; hac ergo Virgine excepta, si omnes Sancti et Sanctae congregari possent, et quaereretur ab eis, an peccatum haberent; quid responderent, nisi quod sic »? Ioannes ait [3]: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* Illa autem Virgo singulari gratia praeventa est atque repleta, ut ipsa haberet *ventris sui fructum*, quem ab utero non habuit, universitatis Dominum. Per hanc ergo praerogativam transcendit naturam (humanam), immo et angelicam, quia naturam habuit humanam et angelicam vitam. — In tribus autem transcendit utramque, et hoc per hanc praerogativam: primum est, quod Angeli non *peccare possunt nec amplius mereri;* et hoc intelligo de praemio substantiali; homines autem et mereri et demereri possunt, et ita Angelus nec perdere potest nec lucrari, sed homo potest. Beatissima igitur Virgo excessit utramque, quia *lucrari* potuit et mereri. *Lucrari* potuit, eo quod viator fuit; *perdere* non potuit, quia peccare non potuit. Quod peccare non potuit, sane intelligendum est, ut ita dicat statum liberi arbitrii, sicut sancti Patres dicunt *non peccare posse*, scilicet ut dicat remotionem omnis dispositionis vel inclinationis ad malum et plenitudinem gratiae ad bonum. — Item, ex hac praerogativa sequitur alia, scilicet secunda excellentia, quae est, quod status Angelorum est *nobilior*, status vero hominis est *gloriosior;* illorum, quia peccare non possunt, istorum, quia per pugnam et victoriam gloriam attingunt. Beatissimae Virginis status fuit nobilior et gloriosior: *nobilior*, quia peccare non potuit, *gloriosior*, quia in mortali natura caput draconis contrivit [4]. — Tertia excellentia, quae sequitur ex hac praerogativa, est, quod status Angelorum est *securior*, (eo) quod non possunt cadere, status hominum *utilior*, quia quolibet motu caritatis emunt regnum caelorum; beatissimae Virginis status *utilior* et *securior*, quia peccare non potuit, promereri potuit.

Secunda stella secunda est praerogativa, quae est *puritas in summo*, quae in beatissima Virgine quadrupliciter fuit secundum quatuor gradus, quorum primus *sanctificatio in utero* fuit; secundus, *virtutum exercitatio;* tertius, in *Spiritus sancti obumbratione;* quartus, in *Filii Dei conceptione.* — In primo gradu [5] purgata fuit, quia nulla in ea inclinatio ad aliquod genus peccati remansit, in quo et alios omnes sanctificatos in utero superavit; nam remansit ad minus inclinatio et dispositio ad peccatum veniale, ut patet in Ioanne Baptista, quo nemo *inter natos mulierum maior surrexit* [6], qui, licet sanctificatus in utero, tamen postmodum fugit in desertum, « ne levi posset maculare vitam crimine lingnae ». — In secundo gradu purgata fuit non per *recessum* ab impuro scilicet, sed per *accessum* ad magis purum et ad summum purum. — Similiter in tertio, quando Spiritus sanctus aqua suae benedictionis et chrismate sanctificationis dedicavit ipsam in Sanctam sanctorum, in quam intrare debuit summus pontifex semel in *anno benignitatis* [7]. — In quarto ingressa est maiestas Dei in templum. In primo gradu purificationis confertur beatissimae Virgini perfectio *graduum sacramentalium;* in secundo, perfectio *virtutum* et *beatitudinum;* in tertio, *donorum;* in quarto, perfectio *fructuum.* — De primo, Canticorum quarto [8]: *Tota pulcra es, amica mea,* ab originali, *tota pulcra,* ab actuali mortali, *et macula,* venialis peccati, *non est in te.* — De secundo, in eodem: *Quam pulcra es, amica mea, quam pulcra es! absque eo quod intrinsecus latet; quam pulcra* in *opere* per caritatem, *quam pulcra* in *corpore* per castitatem; *absque eo quod intrinsecus latet,* in corde per humilitatem. — De tertio gradu puritatis, Psalmus [9]: *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus;* et Lucae primo: *Spiritus sanctus superveniet in te;* Isaiae undecimo: *Egredietur virga de radice Iesse; et requiescet super eum Spiritus Domini;* haud dubium, quin et super eam. — De quarto gradu, Ezechiel [10], ut si aliquod vas contineret aquam et vinum sine medio impermixta: *Maiestas Domini ingressa est templum per viam portae, quae respiciebat ad orientem;* et tunc terra resplenduit a praesentia maiestatis Divinitatis; nec mirum, si resplenduit, in qua lux omnium caelestium et supercaelestium est inclusa. Unde Ioseph ipsam respicere non

Secunda explicatio. — De stella prima. — Tripliciter Maria transcendit omnem creaturam. Praerogativa prima. — Secunda. — Tertia. — De stella secunda. — Sanctificata sec. 4 gradus. — De gradu primo. — De secundo. — De tertio. — De quarto. — Loci Scripturae de primo. — De secundo. — De tertio. — De quarto.

[1] Scilicet *ordinaria* in Apoc. 4, 4. apud Lyranum, quae dicit: « Vel viginti quatuor, quae fiunt per sexies quatuor ».
[2] Cap. 36. n. 42.
[3] Epist. I. c. 1, 8.
[4] Respicitur Gen. 3, 15.
[5] Cfr. Bonav., III. Sent. d. 3. p. I. a. 2. q. 1-3.
[6] Matth. 11, 11; sequitur versus ex hymno ad Matutin. Breviarii Roman. pro festo S. Ioannis Baptistae.
[7] Respicitur Ps. 64, 12. [8] Vers. 7; deinde v. 1.
[9] Psalm. 45, 5; sequuntur Luc. 1, 35. et Isai. 11, 1. seq.
[10] Cap. 43, 4; dein respicitur v. 2. — Mirum est id quod dicitur de S. Ioseph.

potuit; nec mirum, quia solem in rota oculus noctuae intueri non valuit [1]. Cyclus enim solis in luna fuit; unde tunc vere eclipsis solis fuit, exinanitio Deitatis. Ad huius gratiam puritatis perfectam, quae verbis non potuit, factis exprimendam, ut sentiunt, vere sanctificatus est Ieremias in utero et Ioannes Baptista; ille expresse modum illius explanavit, dicens [2]: *Faciet Dominus novum super terram: Femina circumdabit virum* etc., ut patet subtiliter intuenti. Iste, inquam, Ioannes digito demonstravit. De hac, inquam, purissima puritate dicit Anselmus [3], quod « ea puritate nitebat, qua sub Deo nequit maior intelligi ».

De stella tertia, cum triplici praerogativa.

Tertia stella est *plenitudo gratiae*, quae in tribus quoque consistit: primum, quia *plus concipere* non potuit; secundum, quia *nullum bonum defuit;* tertium, quod ita effluxit, quod omnia replens, *plena remansit. — Plus capere non potuit*, quia post *esse* Deum nullum bonum fuit maius quam esse Matrem Domini. Et de hoc dicitur in Lucae primo [4]: *Ave, gratia plena. — Nullum bonum defuit*, et hoc dicitur in Lucae decimo: *Maria optimam partem elegit.* Ipsa enim in omnibus bonis in caelo et in terra divisis ex omnibus *optimam partem elegit.* — Primam *divisionem* fecit universorum cum *omnibus.* In hominibus enim duae erant partes bonae, scilicet *activa* et *contemplativa.* Bona est pars *activorum*, melior *contemplativorum*, sed optima, quae habuit utrumque simul; et hanc elegit beatissima Maria. Unde significatur per Martham et Mariam, quod et Dominus ipse innuit, dicendo: *Optimam.* Si enim non voluisset (nisi) contemplativam activae praetulisse, dixisse debuisset: Maria *meliorem* elegit partem; dicendo vero *optimam*, de ipsa specialiter intelligitur, quod in utraque vita perfecta fuit. — Item, et aliam *divisionem* habuit cum *omnibus.* Triplex enim erat bona vita in hominibus: *coniugatae, viduae* et *virginalis. Bona* est pars coniugatorum; *melior*, viduarum; *optima*, virginum; et hanc elegit beata Virgo Maria, et sic *elegit optimam* qualitate et quantitate, quia hos omnes status habuit. — Tertiam *divisionem* fecit cum *virginibus* et *matribus. Bona* enim fuit pars matrum, quia habuerunt fecunditatem; *melior*, virginum, quia habuerunt dignitatem virginalem; sed iterum beatissima Virgo *optimam partem elegit*, quae habuit et matris fecunditatem et virginis dignitatem.

De praerogativa prima.

De praerogativa secunda per optimas divisiones. Divisio prima.

Secunda.

Tertia.

Quartam *divisionem* fecit cum *Deo* et *creaturis. Bona* fuit pars creaturarum, quae Dominum Iesum Christum habuit *Deum; melior* fuit pars Dei Patris, qui habuit eum *Filium: optimam* ergo partem elegit quae eum et *Deum* et *Filium* habuit. — Quintam *divisionem* habuit cum *Spiritu sancto.* Spiritus enim sanctus procedit a Filio, sed non Filius a Spiritu sancto; sed beata Virgo procedit a Filio, et Filius ab ipsa. — Sextam *divisionem* fecit cum *Filio*, cum quo divisit regnum caelorum, cuius duae erant partes, *iustitia* et *misericordia.* Beata Virgo optimam sibi elegit, quia facta est *regina misericordiae*, et Filius eius remansit *rex iustitiae;* et melior misericordia quam iustitia, quia *superexaltat misericordia iudicium* [5], et *miserationes eius super omnia opera eius.* — Item, septimam *divisionem* fecit cum *Filio;* Filius enim sedet ad dexteram Patris [6], in potioribus bonis Patris; et *regina astat a dextris* Filii; Glossa [7]: Scilicet « in potioribus bonis » Filii; sed inter potiora potius hoc est optimum: ergo optimam partem elegit sibi Maria. Et sic patet, qualiter nullum bonum sibi defuerit.

Quinta.

Sexta.

Septima.

Tertium, in quo consistebat plenitudo, fuit, quod ita *effluxit*, quod omnia *replet*, et tamen *plena* remansit. Unde fuit haec plenitudo *fontis*, qui superplenus effluxit; unde Esther undecimo [8]: *Fons parvus crevit in fluvium maximum* etc. Item, haec plenitudo est per modum *vasis*, sed *vasis admirabilis;* unde Ecclesiasticus: *Vas admirabile, opus Excelsi.* Tribus causis dicitur *vas admirabile:* prima, quia continuit in infinitum maius se ipsa, « quia quem caeli capere non poterant tuo gremio contulisti ». — Secunda, quia continuit diversa sine medio, tamen impermixta; et sic ipsa vinum Divinitatis et aquam humanitatis impermixtis proprietatibus et naturis in se inclusit [9].

De praerogativa tertia.

Quarta stella sive praerogativa est *perfecta* [10] *Dei in via contemplatio* et mysterii incarnationis cognitio, quorum utrumque habuit in via, quamvis non de via; et huius argumentum (est), quod nullam postmodum factam ipsi legimus revelationem. Unde nec transfigurationi interfuit, nec aliqua ei post resurrectionem facta fuit apparitio, quia in fide instrui non indiguit, quae omnium secretorum semper conscia fuit, ut patuit in *nuptiis* [11]. Ideo, quando praescia, quid Filius facere voluit, dixit ministris: *Quodcumque dixerit vobis, facite.* Unde Bernardus: « *Virtus Altissimi obumbrabit tibi. Qui potest capere capiat.* Quis enim, excepta illa quae hoc sola in se felicissime meruit experiri, intellectu capere, ratione discernere possit, qualiter splendor ille inaccessibilis virgineis visceribus se infuderit, et ut illa inaccessibilem accedere ad se ferre potuisset, de portiuncula eiusdem corporis, cui se animatae contemperavit, reliquae

De stella quarta.

---

[1] Cfr. Aristot., II. Metaph. text. 1. brevior. c. 1. — Quod sequitur est obscurum et, ut videtur, corruptum.

[2] Ier. 31, 22, ubi Vulgata: *Creavit Dominus* etc.

[3] De Conceptu virg. c. 18.

[4] Vers. 28; sequitur c. 10, 42.

[5] Iac. 2, 13; dein Ps. 144, 9.

[6] Respicitur Marc. 16, 19. et Ps. 44, 10.

[7] *Ordinaria* ad Ps. 109, 1. apud Lyranum: « *A dextris meis*, in potioribus bonis meis ». — Infra cod. habet sic: *optissimum* (!) *et optimum.*

[8] Vers. 10; sequuntur Eccli. 43, 2; dein Breviar. Rom. Respons. 1. Nocturni 1. in Festis B. V. M.

[9] Deest tertia causa.

[10] Cod. *imperfecta.*

[11] Scil. in Cana Galilaeae, Ioan. 2, 1. seqq. — Sequitur Bernard., homil. 4. super *Missus est*, n. 4, ubi respicitur Luc. 1, 35. et Matth. 19, 12.

massae umbraculum fuerit? Et fortasse propter hoc maxime dictum est *obumbrabit tibi*, quia res nimirum in sacramento erat, et quod sola per se Trinitas in sola et cum sola Virgine voluit operari, soli datum est nosse, cui datum est experiri ». Et infra: « Illum modum, quo, de Spiritu sancto concipies, *Dei virtus et sapientia Dei* [1], Christus, sic in suo secretissimo consilio obumbrando conteget et occultabit, quatenus sibi tantum notus habeatur et tibi; ac si Angelus respondeat Virgini: Quid a me quaeris quod in temetipsa experieris? Scies et feliciter scies, sed illo doctore, quo et auctore ». Et infra: « Non potest doceri nisi a donante, et non potest addisci nisi a suscipiente ». Et patuit, quod habuit perfectam Dei contemplationem et incarnationis cognitionem. Et

Tres Mariae praerogativae. Prima. haec praerogativa tres includit excellentias: prima est, quod excellit in hac praerogativa Prophetas, scilicet in cognitione; unde ipsa scivit solvere quaestionem Prophetae, qui quaesivit [2]: *Generationem eius quis enarrabit?* cum responderi potest: Certe illa quae genuit. Illa enim enarrare potuit, et sicut enar-

Secunda. ravit Lucas, qui enarrat eam et describit. — Secunda excellentia est, quod excellit in hac cognitione Ioannem Baptistam, qui fuit *propheta et plus quam propheta* [3]. Unde ipsa scivit *dissolvere corrigiam calceamenti* Filii eius, quod nescivit Ioannes Baptista. —

Tertia. Tertia excellentia est, quod in hac cognitione antecellit Angelos; unde scit etiam solvere quaestionem eorum, quam quaerunt: *Quis est iste qui venit de Edom?* etc. Quis esset hic, illa scivit, quae ei *tuni-*

Haec cognitio fuit continua. *cam* talarem *polymitam* [4] fecit. — Notandum autem, quod haec cognitio *temporalis* non fuit, id est ad tempus collata et particularis vel per modum raptus, sed continua et per modum quietis, sicut decebat vere thronum Dei et triclinium Trinitatis. Unde et proprietas Thronorum ei maxime convenit proprie; de quibus dicit Dionysius [5]: « Ineffabiliter in sublimissimum et circa vere excelsum totis virtutibus incommutabiliter et stabiliter collocatum et divini superadventus in omni incompassibilitate et immaterialitate acceptivum et deiferum et famulantur in divinas sus-

Notandum. ceptiones apertum ». Secundum hunc modum, credo, quod summam contemplationem habuit in via, et hanc sublimiter et sine (affectionum) abstractione, sed omnes potentiae eius deiformes factae sunt in operationibus suis. Absit enim, quod unquam alicui in via familiarior fuerit vel notior quam Matri suae. In cuius rei argumentum omnia, quae scripta sunt de sapientia in Ecclesiastico, universa leguntur et exponuntur de Domina nostra; quod et Dominus exprimere voluit in figura, quando librum et mannam reponi fecit in arca [6], quasi dicat: Quidquid est saporis vel sapidae cognitionis, hoc totum reservatum est in Matre mea, quae *conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo.*

De stella quinta. Quinta stella est *perfectio caritatis;* in Canticis vidimus eam plenam caritate et dilectione, quae plenitudo constat in tribus. Habuit enim summam di-

Habuit triplicem dilectionem in summo. lectionem *naturalem*, summam *acquisitam*, summam *gratuitam*, et unamquamque in summo et ex his tribus unam summam, cui in creaturis impossibile est similem reperiri. — Summus amor *na-*

Dilectio naturalis. *turalis* est matris ad filium, iuxta illud [7]: *Super amorem mulierum* etc. Hunc amorem habuit beatissima Virgo in summo; nunquam enim mater aliqua tantum amabat filium suum, quantum Domina nostra dilexit suum et naturali dilectione. Natura enim amoris natura est ignis, qui, quanto plus spargitur et dividitur, tanto amplius minuitur, et quanto plus adunatur, tanto plus augmentatur. Omnes enim aliae matres, quae filios habuerunt, et viros cognoverunt, et sic divisum amorem habuerunt. Praeterea, matres et aliquando plures filios habuerunt vel filias, et sic amor divisus in singulis minuitur. Haec sola mater virum non habuit, filium vel filiam aliam non habuit; unde totum cor suum cum omni naturali virtute sua in suum Unigenitum transfudit; et sic habuit naturalem dilectionem summam in summo. — Summa dile-

Item, acquisita. ctio *acquisita* est ea quae est sponsae ad sponsum, et illam habuit Virgo Maria ad Filium suum in summo. Si enim virgines sponsae Christi sunt, ergo Virgo virginum sponsa erat summa Sponsi, quae non tantum *Agnum*, sed et ipsam *Agnus, quocumque* ierat, *sequebatur* [8]. — Summus amor *gratuitus* caritas est,

Item, gratuita. quam habuit etiam in summo. Plena enim, ut dictum est, fuit *caritate* et *dilectione: caritate* ad Deum, *dilectione* ad proximum. — Et sic ista tria coniunxit summa, et sic unum summum fecit ex his; quod nunquam alia creatura facere potuit. Quaecumque enim alia creatura diligit filium suum et diligit Deum: in alia (dilectione), si sit naturalis, dilectio filii; in alia, Dei; haec autem Mater Dei sola eandem dilectionem, quam habuit ad Filium suum, habuit ad Deum suum, quia Filius eius, Deus eius; et sic patet, quod in eadem fuit caritatis perfectio.

De stella sexta. Sexta stella est *actus excellentissimae caritatis communicatio*, quae fuit redemptio generis humani per passionem; quem actum gloriosissimum et summae caritatis demeruit, ipso attestante, qui ait: *Caritatem nemo habet maiorem* [9] etc. (Hunc) novit Pater misericordiarum, sive Mater misericordiae *exercere*, utpote effectum summae misericordiae; sed (ille) ab ipsa *adiuvari*, ut adimpleretur quod de eo prophetice dictum fuit, Genesis secundo [10]: *Faciamus ei*

---

[1] Respicitur I. Cor. 1, 24.
[2] Isai. 53, 8.
[3] Matth. 11, 9; sequuntur Ioan. 1, 27. et Isai. 63, 1.
[4] Respicitur Gen. 37, 3.
[5] De Caelest. Hierarch. c. 7. § 1. apud Hugon. a S. Victore.
[6] Cfr. Deut. 10, 2. et Exod. 16, 34; sequitur Luc. 2, 19.
[7] Libr. II. Reg. 1, 26; Vulgata: *Et amabilis super* etc.
[8] Apoc. 14, 4.
[9] Ioan. 15, 13; Vulgata: *Maiorem hac dilectionem* etc.
[10] Vers. 18. — In sequentibus videntur aliqua excidisse.

adiutorium simile sibi. Ipsa enim ad similitudinem Filii sui sub cruce et iuxta crucem habuit summum *gaudium* et summum *dolorem*, sicut Filius in cruce et per crucem. Summum habuit *dolorem naturalem* de morte et summum *gaudium rationale* de humani generis redemptione. De primo, Threnorum primo [1]: *O vos omnes, qui transitis per viam.* De secundo argumentum efficacissimum, *sudor* ille *sanguineus, decurrens in terram* [2], qui non tam ex ti-

Notandum. more quam ex amore processit. Timor enim cor constringit, sanguinem et spiritum retrahit, extrema corporis frigida relinquit, tremorem et horribilationem efficit; gaudium autem aperit spiritum et sanguinem per corpus diffundit, poros aperit, extremitates calefacit. Ex his naturaliter colligi potest, quod sudor ille sanguineus iueffabilis gaudii argumentum fuit, quod Redemptor noster habuit super eo, quod amicabilissimo modo, qui excogitari poterat, nos redemit. Similiter et Mater benedicta summum habuit dolorem *naturalem* ex dilectione Filii pro morte, quam praesens aspexit; summam dilectionem *rationalem* super eo, quod ille qui de ea natus fuit, tanta caritatis ostensione humanum genus redemit. De primo, Lucae secundo [3]: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* De secundo Ambrosius (dicit), quod « stabat iuxta crucem, non ut dolorem Filii, sed ut salutem generis humani exspectaret ».

Septima stella est *super omnem puram creatu-*

De stella septima. *ram exaltatio.* Unde honorem, quem debemus aliis Sanctis de *congruo*, ipsi debemus de *condigno.* Unde: *luna sub pedibus eius*, ut supra; et Cherubim *respiciunt versis vultibus in propitiatorium*, ut supra; et *viginti quatuor seniores mittunt coronas*, ut supra. In cuius signum, sicut Deus dicitur *Dominus noster* absolute per excellentiam, sic ipsa dicitur *Domina nostra* absolute. Unde [4]... Domina enim vere facta est omnium creaturarum, Conditoris existens

Signa huius excellentiae. Mater. — Inde huius excellentiae est signum, quod etiam Dominus omnem honorem suum, quem in terra habuit, ei communicavit. Unde quatuor festa eius in quatuor anni partibus distincta dedit, quasi dicat: sicut per totum (annum) servitis mihi, servite meae dilectissimae Matri. Et quasi hoc non sufficeret, in qualibet septimana ei unum diem dedit, Sabbatum illum, quem maxime dilexit; de quo signanter ait [5]: *Memento, ut diem Sabbati sanctifices*, et sequentem suo cultui specialiter mancipavit. Sed (quasi) nec adhuc hoc sibi sufficeret, quin, sicut se ipsum, sic et Matrem suam quotidiano servitio manciparet, horis distinctis, diurnis et nocturnis, etiam honorari ordinavit; et sic omnia secum communicavit in signum, quod ipsam super omnem creaturam exaltaverit; quod (non) tantum rationabiliter, sed realiter in assumtione ipsius factum est, sicut (dicitur) Esther decimo quinto [6]: *Die tertio circumdata est* Esther *gloria sua* etc.; et post pauca: *Ingressa igitur cuncta per ordinem ostia, stetit contra regem, ubi ille residebat super solium regni sui, indutus vestibus regiis auroque fulgens et pretiosis lapidibus.* — *Ostia* Assueri, id est beatitudinis, De septem ostiis sive beatitudinibus. sunt ostia, quae enumerat Dominus in Matthaei quinto [7]: *Beati pauperes spiritu* etc.; et sic enumerat ibi ostia, quae pertransivit beata Virgo, sicut planum est de factis eius. Septimum [8], videlicet: *Beati pacifici* etc., haec pax est, quae non iam est *ostium*, sed *sedes* et *thronus*, in qua quiescunt. Apud primum ostium habitant Confessores; apud secundum, Martyres; apud tertium, Prophetae; iuxta quartum, Patriarchae; iuxta quintum, Apostoli; iuxta sextum, Virgines et Angeli. Haec quoque adaptatio per se patet cuique. Beatissima Virgo, *deliciis affluens, innixa super dilectum suum* [9], ascendens per haec ostia, singula *per ordinem* intravit, omnia agmina Angelorum transcendit, singulis, cum pertransiret, succlamantibus: *Intende, prospere procede et regna;* et sic cum Filio suo super omnem (creaturam) in throno sui Filii consedit; et *positus est thronus matri regis, quae sedit ad dexteram eius.* Quae enim alia sic super omnem creaturam est exaltata?

Octava stella est *appropriatio dignitatis*, quae De stella octava. dicitur *porta caeli;* et hoc est, quod nisi per ipsam nullus intrat caelum, sed nec unquam aliquid gratiae egressum est de caelo, quia sine fide Filii Dei incarnati ex Maria Virgine nunquam aliquis intravit vel intrabit in caelos, nec sine hac aliquid gratuitum unquam exivit de caelo. Unde Dominus nunquam recipit (aliquem), nisi ipsa mediante. Propter primum dicitur Sapientiae septimo [10]: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Propter secundum, ibidem: *Ignorabam, quoniam horum omnium mater est.* — Haec est ergo *porta caeli;* sed qualiter hoc, cum Difficultas solvitur. Dominus dicat: *Ego sum ostium?* etc. Sed nec est contradictio, quia *porta* est in *ostio*, sicut significatum fuit in templo, ubi erant duo ostia, quae simul aperiebantur [11]. Sed qualiter haec *porta* est? Ioannes in Apocalypsi vidit duodecim portas, sed omnes illae portae reducuntur ad istam portam, quia ista ex omni parte mundi apportabat et importabat; et hoc merito et exemplo et intercessionis auxilio. Unde ipsa est veri *templi speciosa porta* lucis, quae respicit ad *orientem*, porta *pervia* et invitans omnes

---

[1] Vers. 12.

[2] Luc. 22, 44, ubi Vulgata: *Et factus est sudor eius sicut guttae sanguinis decurrentis in terram.*

[3] Vers. 35. — Sequitur Ambros., Epist. 63. ad eccles. Vercellens. n. 110, ubi pro *dolorem Filii* textus originalis habet *pignoris mortem.*

[4] In codice sequuntur aliqua verba, quae non potuimus explicare, et deinde spatium vacuum, quo probabiliter indicatur, nec librarium quidem ista intellexisse.

[5] Exod. 20, 8. [6] Vers. 4. 9.

[7] Vers. 3. seqq. [8] Codex habet incongrue *Septimus.*

[9] Cant. 8, 5; sequuntur Ps. 44, 5. et III. Reg. 2, 19.

[10] Vers. 11; sequitur v. 12; dein respicitur Ioan. 10, 7. 9.

[11] Respicitur III. Reg. 6, 34; deinde Apoc. 21, 12. et Act. 3, 10.

transeuntes, dicens [1]: *Transite ad me, omnes, qui concupiscitis me* etc., id est attrahens et invitans sicut vinum dominicum.

De stella nona cum triplici praerogativa triplicata.

Nona stella est, quando haec Mater *genuit sine vae*. Et haec quoque praerogativa triplex est. Est enim triplex vae: vae *damni*, vae *indigentiae*, vae *culpae* et poenae; et quaelibet istarum triplex est in qualibet matre, excepta beata Virgine. — Vae *damni* matris triplex est: perdit in conceptu *virginitatem;* post conceptum, corporis *venustatem;* in partu, hominum *societatem*. Haec autem mater in conceptu accepit *puritatem*, qua sub Deo nequit maior intelligi [2]; post conceptum, multam *pulcritudinem*, quod eam loseph non poterat intueri; in partu Angelorum et Dei *societatem* habuit; unde Gabriel: *Dominus tecum* [3]. — Vae quoque *indigentiae* in matribus aliis triplex est: in conceptu indigent *mare;* post conceptum, *quiete;* in partu, *obstetricatione*. Haec autem concepit, Spiritu sancto cooperante; post conceptum noluit ministrari, sed ministrare ivit; Lucae primo: *Exsurgens Maria* ivit *in montana;* in partu, Angelis obsequentibus, pariebat. — Item, vae *culpae* in matribus est triplex: *libido* in concipiendo, *congravitas* in portando, *dolor* in pariendo. Haec autem concepit sine *libidine*, gravida (erat) sine *gravamine*, peperit sine *dolore*. De primo, Isaias [4]: *Ecce, virgo concipiet;* de (tertio), Isaias: *Antequam parturiret, peperit.*

De vae damni triplici.

Item, de vae indigentiae.

Item, de vae culpae.

Decima stella est, quia ipsa est *mater et virgo*. Haec quoque praerogativa in tribus consistit: magnum enim esse patet ex eo, quod virginitas sit inaestimabilis in *merito*, ineffabilis in *praemio*, inaestimabilis *in valore* et *honore: in valore*, quia est *thesaurus absconditus in agro* [5], qui plus valet toto mundo, immo mille mundis, quia *ponderatio non est digna continentis animae*, Ecclesiastici quinto. Nam votum castitatis non recipit *dispensationem*, quia non recipit *recompensationem* valore; est enim ineffabilis. — Honore transcendit dominium et merito ipsum statum Angelorum quatuor gradibus: virginitas enim hominis *multiplicior* est Angelorum; haec est enim in corpore et in spiritu, illa in spiritu tantum. Item, *nobilior* est: haec enim est a gratia, illa a natura; item, haec voluntaria, illa necessaria. Item, *gloriosior;* haec enim est cum pugna et victoria; illa sine pugna, et ideo sine victoria. Item, *utilior;* haec enim est meritoria, illa non, quia natura. Et sic illa *universalior, nobilior, gloriosior, utilior*.

De decima cum triplici praerogativa.

In valore et honore.

Habet etiam alias 4 praerogativas.

Super hanc est stella undecima, quae est, quod Mater Dei super praedictam stellam *tanto est altior*, quanto Deus homine est sublimior. Magnum enim esset, si purum hominem Virgo genuisset; unde haec gratiae excellentia tripliciter magnificatur. *Magnum* enim esset esse virginem et matrem sanctissimi *hominis* per se; infinitum autem *maius* esset esse matrem *Dei* per se; utroque maius, et ideo *maximum* inest esse matrem sanctissimi *hominis et Dei;* in ordine enim supremo sita est.

De stella undecima.

Duodecima stella est, quod non tantum est ipsa Mater Dei *carnalis*, (sed etiam) hominum *spiritualis;* sicut Eva omnes nos genuit mundo, sic Domina nostra omnes nos genuit caelo; unde Ecclesiasticus [6]: *Transite ad me, omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini. Generationibus* dicit, quia unum genuit *carnaliter*, omne tamen genus humanum genuit *spiritualiter*. Unde proprie dicitur in Luca: *Maria* genuit *Filium suum primogenitum*, quia, licet unum genuit carnaliter, nos omnes genuit spiritualiter. Unde exclamat admirando Isaias, ultimo: *Nunquid parturiet terra in die una? Aut parietur gens simul?* Quis audivit unquam talia? Unde haec excellentia triplex est: est enim omnium *mater spiritualium* et est mater *machinae mundialis* et est mater *angelicae reparationis*. Unde Bernardus [7]: « Merito igitur, o Domina, ad te respiciunt oculi universae creaturae, per quam et in qua et ex qua benignissima Dei manus quidquid creavit, recreavit ». Et hoc (est) quod dicitur Sapientiae septimo: *Antecedebat me ista sapientia*, id est, delectabatur in omni; *et ignorabam quoniam bonorum omnium mater est.* Huius igitur beatissimae Matris intercessione nos perducat ad caeli palatia, praestante Domino nostro Iesu Christo, qui vivit et regnat per omnia saecula saeculorum. Amen.

De stella duodecima.

Excellentia triplex.

DE NATIVITATE B. VIRGINIS MARIAE (8 Septembris).

Sermo 1 [8].

Introductio.

Lux orta est iusto, et rectis corde laetitia [9].

In verbo proposito, quod sumitur de Psalmo, describitur beatae Virginis nativitas: ut *nobilis*, ut *utilis* et ut *delectabilis*. Ut *nobilis* ostenditur in hoc, quod dicitur: *Lux orta est;* lux enim in omnibus corporalibus et spiritualibus obtinet principatum; ut *utilis*, in hoc, quod dicitur: *iusto*, id est ad iusti utilitatem; dativus enim acquisitivus est; ut celebris

Divisio.

---

[1] Eccli. 24, 26.

[2] Anselm., de Concept. virgin. c. 18.

[3] Luc. 1, 28; sequitur v. 39.

[4] Cap. 7, 14; sequitur c. 66, 7. Deest secundum membrum.

[5] Respicitur Matth. 13, 44; sequitur Eccli. 26, 20. — Infra de *voto castitatis* cfr. IV. Sent. d. 38. a. 2. q. 3.

[6] Cap. 24, 26; sequuntur Luc. 2, 7. et Isai. 66, 8.

[7] Serm. 2. in Pentec. n. 4. — Sequitur Sap. 7, 12, ubi respiciuntur verba praecedentia: *et laetatus sum in omnibus.*

[8] Ex cod. Monacensi n. 7776. fol. 192 v. et cod. Tudert. n. 182. fol. 178 r. A cod. Monacensi n. 8739. refertur inter schemata sermonum S. Bonaventurae.

[9] Psalm. 96, 11.

sive *delectabilis*, in hoc, quod subditur: *et rectis corde laetitia*, quia nativitas eius est cum gaudio celebranda. Haec autem triplex proprietas competit Virgini nascenti, competit etiam luci ipsam repraesentanti; lux enim *nobilitatem* habet in sui existentia, *utilitatem* in influentia, *iucunditatem* in sui apparentia.

Pars I. De triplici nobilitate lucis et B. Mariae.

I. Est namque lux naturae *nobilis*, quia *impermixta*, quia *incorrupta*, quia *inconclusa*. Non enim permiscetur cum natura extranea nec corrumpitur a natura contraria nec coarctatur a natura magis extensa. — Fuit igitur Virgo Maria in ortu suo lux *impermixta* per gratiam sanctificantem; unde sibi competit illud Genesis primo [1]: *Fiat lux; et facta est lux. Et Deus divisit lucem a tenebris*, quia beata Virgo talis facta est, ut tenebris peccati esset penitus impermixta, ita ut sibi competat illud Sapientiae septimo: *Emanatio quaedam est claritatis omnipotentis Dei sincera; et ideo nihil inquinatum in eam incurrit. Candor est lucis aeternae et speculum sine macula Dei maiestatis et imago bonitatis illius.* — Fuit etiam lux *incorrupta* per gratiam stabilientem, secundum illud Sapientiae septimo [2]: *Proposui pro luce habere illam; quoniam inexstinguibile est lumen illius.* Lumina aliorum Sanctorum, sive virorum, sive mulierum, frequenter exstinguuntur; et ideo periculosum est huiusmodi sequi, quia, cum quis putat, se sequi lucem, sequitur tenebram. Sed huius Virginis lumen propter gratiae confirmationem factum est inexstinguibile, immo etiam ipsa facit, ut aliis non exstinguatur lumen gratiae, secundum illud Ecclesiastici vigesimo quarto: *Ego feci in caelis, ut oriretur lumen indeficiens. Qui enim sequitur* ipsam *non ambulabat in tenebris, sed habebit lumen vitae*, quod nunquam deficit. — Fuit lux *inconclusa* per gratiam superabundantem, secundum illud Esther decimo [3]: *Parvus fons, qui crevit in fluvium et in lucem solemque conversus est et in aquas plurimas redundavit, Esther est, quam rex accepit uxorem et voluit esse reginam*, haec *Esther* praeparata in tempore Virgo Maria est, in qua tantum gratia abundavit in suo ortu, ut possit de ea dici quod de Esther, quod *adamavit eam rex* super *omnes mulieres*. — Sic igitur patet, quomodo ortus Virginis ostenditur fuisse nobilis sub metaphora lucis quantum ad sui existentiam, secundum triplicem conditionem praedictam.

Lux impermixta.

Lux incorrupta.

Lux inconclusa.

Pars II. De triplici utilitate lucis et B. Mariae.

II. Secundo ostenditur *utilis* sub metaphora lucis quantum ad sui *influentiam* ad effectum triplicem ordinatam, scilicet ad *dirigendum devia*, ad *inflammandum frigida* ad *leviandum* [4] *gravia*. Lux enim devia *dirigit* per radiorum *immissionem*; frigida *inflammat* per radiorum *repercussionem*; gravia *leviat* per radiorum *multiplicationem*. — Fuit namque Virgo Maria lux *dirigens corda errantia*, ut vere in ea impleatur illud Isaiae nono [5]: *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam; habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est eis;* et illud quadragesimo nono: *Dedi te in lucem gentium.* Ista lux ab Ierusalem coepit, sed ad omnem terram pervenit, secundum illud Isaiae sexagesimo: *Surge, illuminare, Ierusalem, quia gloria Domini super te orta est* etc. — Fuit etiam lux *inflammans corda torpentia;* unde de ipsa potest dici illud Ioannis quinto [6]: *Ille erat lucerna ardens et lucens*, quia non tantum lucebat ad dirigendum devia, verum etiam ardebat ad inflammandum frigida. Unde huius lucis inflammatio designata fuit eleganter Ezechielis primo [7], ubi dicitur: *Haec erat visio discurrens in medio animalium, splendor ignis et de igne fulgur egrediens.* Ipsa enim erat inflammativa suis verbis et exemplis corda Apostolorum et Evangelistarum, qui per *animalia* designantur; unde de ipsa exponi potest illud Apocalypsis quarto: *De throno procedebant fulgura et voces et tonitrua; et septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei;* habet enim septiformem gratiam ad corda frigida inflammanda. — Fuit etiam nihilominus lux *levians corda humilia*, secundum illud Esther undecimo [8]: *Lux et sol ortus est, et humiles exaltati sunt*, id est, beata Maria et Dominus Iesus in sua nativitate humiles et pavidos et oppressos exaltaverunt. Nam ita decantat ipsa: *Deposuit potentes de sede et exaltavit humiles*, Lucae primo. Quia enim pauperes, fuerunt invitati ad deponendum omne terrenitatis pondus, et quanto magis fuerunt pauperes, tanto magis leves ac per hoc magis sublimes, secundum illud secundae ad Corinthios octavo: *Altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum* etc. — Patet igitur, quomodo ortus Virginis sub metaphora lucis ostendatur *utilis* quantum ad influentiam. Licet autem haec influentia omnibus sit indifferens de se, non tamen nisi volentibus praebere consensum per obedientiam; ideo dicitur: *orta est iusto*, ut iustos faciat, vel iis qui volunt iusti fieri, aliis autem non dicitur orta. Unde de ipsa potest exponi illud Ioannis tertio [9]: *Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem;* ideo dicit Apostolus ad Ephesios quinto: *Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate; fructus enim lucis est in omni bonitate et iustitia et veritate.*

Primo, ad dirigendum corda errantia.

Secundo, ad inflammandum corda torpentia.

Tertio, ad leviandum corda humilia.

Notanda circa hanc Virginis influentiam.

III. Tertio ostenditur *delectabilis* sub metaphora lucis quantum ad *refulgentiam* propter triplicem proprietatem adiunctam. Lux enim delectabilis est intuenti propter sui continuam *novitatem*, propter

Pars III. De triplici iucunditate lucis et B. Virginis.

[1] Vers. 3. seq.; sequitur Sap. 7, 25. seq.
[2] Vers. 10; sequuntur Eccli. 24, 6. et Ioan. 8, 12.
[3] Vers. 6; sequitur c. 2, 17.
[4] *Leviare*, idem est ac *levare, exonerare;* Ducange, *Glossarium* etc.
[5] Vers. 2; sequuntur c. 49, 6. et c. 60, 1.
[6] Vers. 35.
[7] Vers. 13; sequitur Apoc. 4, 5.
[8] Vers. 11; sequuntur Luc. 1, 52. et II. Cor. 8, 2.
[9] Vers. 19; sequitur Eph. 5, 8. seq.

venustatem, propter *mulcebritatem*. Propter haec tria
Primo, propter novitatem praerogativae. ortus Virginis est iucundus et delectabilis. — Fuit namque delectabilis propter *novitatem singularis praerogativae;* unde de ipsa potest exponi illud Esther octavo [1]: *Iudaeis nova lux oriri visa est, gaudium, honor et tripudium.* Vere *nova est* haec *lux*, quia « nec primam similem visa est nec habere sequentem ». Ideo dicitur Ieremiae trigesimo primo: *Creavit Dominus novum super terram: Femina circumdabit virum.* Et ideo excepta est ab illa generali distributione; Ecclesiastae primo [2]: *Nihil sub sole novum.* Nam hoc fuit *supra* solem, quia per virtutem supernam. — Fuit delectabilis propter *venustatem*
Secundo, propter venustatem munditiae. *universalis* [3] *munditiae*, ob quam dicitur Sapientiae septimo [4]: *Est enim haec speciosior sole* etc. In sole est enim pulcritudo uniformitatis, sed in Virgine multiformitatis; « nihil autem est aliud pulcritudo quam aequalitas numerosa [5] ». Apocalypsis duodecimo: *Signum magnum apparuit in caelo: Mulier amicta sole* etc.; et ideo pulcherrima, quia, Ecclesiastici quadragesimo tertio; *species caeli gloria stellarum,*
Tertio, propter mulcebritatem clementiae. *mundum illuminans in excelsis Dominus.* — Fuit etiam delectabilis propter *mulcebritatem maternalis clementiae*, quae omnibus dulcis est, secundum illud Ecclesiastae undecimo [6]: *Dulce lumen, et delectabile est oculis videre solem. Delectabile est videre solem* iustitiae, delectabile nihilominus et suave videre Matrem clementiae et audire, quae omnibus delectabilis est, quae filiis suis propinat lac et mel in sua Prole, ut sit *mel* in gustu Deitatis, et *lac* in gustu humanitatis. Unde de sponsa dicit Sponsus Canticorum quarto [7]: *Favus distillans labia tua* etc. Ipsa enim semper loquitur verba pacis et pietatis, et ideo omnibus (est) amabilis; et propter hoc Ecclesia decantat [8]: « Cum iucunditate » etc. Non enim habet rectum cor qui non gaudet, qui autem rectum cor habet ad caelestia tendit. Quantum ergo gaudium debet habere, quando viderit sibi ostendi et fieri portam caeli! *Non* enim *est hic aliud nisi domus Dei et porta caeli;* quam nobis etc.

Sermo II [9].

Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonae species in ornamentum domus eius, Ecclesiastici vigesimo sexto [10].

Tanta est excellentia Virginis gloriosae, ut ab
Introductio. eius narratione et lande deficiant omnes linguae, deficiant Scripturae, deficiant prophetiae et similitudines parabolicae. Unde et Spiritus sanctus per ora Prophetarum commendat eam non solum verbis, verum etiam figuris et similitudinibus parabolicis; et quia nulla similitudo parabolica perfecte sufficit ad eius excellentiam exprimendam, ideo ad ipsius laudem multiformes introducuntur similitudines et me-
De multiformis metaphoris. taphorae. Aliquando enim ad ipsius laudem introducuntur similitudines metaphoricae a natura inferiori, utpote similitudo *radicis, terrae* et *virgae;* modo, a natura media, utpote *fontis, nebulae* et *nubeculae;* aliquando, a natura supercaelesti, ut est metaphora *solis* et *lunae* et *stellae*. Inter omnes autem metapho-
Notandum. ricas similitudines excellentissima videtur metaphorica similitudo sumta a *sole*. Solare enim corpus est excellentissimum omnium corporum sensibilium, et pro sui excellentia maxime designat Iesum Christum. Quia tamen ea quae sunt capitis refernntur ad corpus et membra, et praecellentissimum inter omnia membra Christi est Virgo beata, ideo satis convenienter luci solis potest comparari; et ideo Ecclesiasticus Spiritu sancto afflatus excellentiam Virginis nascentis describit sub metaphora solis orientis in verbo praemisso, cum dicit: *Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei* etc. In quo verbo primo praemittitur *similitudo*
Divisio generalis. *sensibilis*, cum dicitur: *Sicut sol oriens* etc.; secundo vero subditur *adaptatio spiritualis*, cum subiungitur: *sic mulieris bonae species* etc.

Bona autem mulier ista, quae soli comparatur,
De similitudine sensibili et eius adaptatione spirituali. non est mulier qualiscumque, sed illa quae est bona simpliciter, et haec est Virgo Maria, de qua Hieronymus [11]: « Sicut in comparatione Dei nemo bonus, ita in comparatione Matris Domini nulla invenitur perfecta, quamvis virtutibus exinia comprobetur ». Haec ergo mulier bona soli excellentissime similatur ratione excellentium proprietatum solarium. Sol namque iste materialis habet *speciositatem* in ortu, *velocitatem* in decursu, *sublimitatem* in situ et *virtuositatem* in effectu. Quae quidem proprietates omnes ad Virginem transferri possunt. Ipsa enim habuit speciositatem in
Divisio. ortu per gratiam *purgativam;* velocitatem in decursu, per gratiam *promotivam;* sublimitatem in situ, per gratiam *perfectivam;* virtuositatem in effectu, per gratiam *diffusivam;* et ideo soli merito comparatur.

I. Habet igitur sol materialis *speciositatem in*
Pars I. De speciositate in ortu. *ortu*. « Est enim speciositas, sicut dicit Augustinus in libro de Civitate Dei [12], quidam partium situs cum quadam coloris suavitate ». Unde speciositas perfecta claudi in se *impermixtionem* respectu contrarii,
Subdivisio. *coordinationem* respectu connexi et *oblectationem*

[1] Vers. 16; sequuntur Bernard., serm. 4. in Assumt. B. V. M. n. 5. et Ier. 31, 22.
[2] Vers. 10.
[3] Ita cod. Monacensis; Tudertinus habet *nobilis*.
[4] Vers. 29.
[5] August., Vl. Music. c. 13. n. 38; sequuntur Apoc. 12, 1. et Eccli. 43, 10.
[6] Vers. 7.
[7] Vers. 11.
[8] Breviar. Roman. versus post 2. Respons. I. Noct. in festo Nativ. B. V. M.; sequitur Gen. 28, 17.
[9] Ex cod. Monacensi n. 7776. fol. 190 v., cod. Tudert. n. 182. fol. 176 r. et cod. Assisiensi fol. 51 r.
[10] Vers. 21.
[11] Potius auctor serm. de Assumt. B. V. M. (inter opera Hieron.) c. 16.
[12] Libr. XXII. c. 19. n. 2, ubi pro *partium situs* textus originalis habet *partium congruentia*.

respectu sensus comprehensivi; propter quae sol habet excellentem speciositatem. — Sol igitur habet speciositatem in suo ortu propter *impermixtionem contrarii*, videlicet nubis et caliginis et omnis obscuritatis, quae in eius ortu recedit; propter quod beata Virgo soli assimilatur per gratiam sanctificationis, quod designatur secundi Regum vigesimo tertio [1], ubi sic dicitur: *Sicut lux aurorae, oriente sole, mane absque nubibus rutilat, et sicut pluviis germinat herba de terra;* sic insinuat, semen suum et germen rutilare debere in suo ortu. Et hoc quidem impletum fuit in gloriosissima Virgine et eius Prole; quae de se dicit illud Apocalypsis ultimo: *Ego sum radix et genus David, stella splendida et matutina*, quae *mane* dicitur sicut sol *absque nubibus rutilasse* propter gratiam sanctificationis perfectae, quia, ut dicit Anselmus, « decebat, ut illius hominis conceptio fieret de Matre purissima ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi ». Propter quod comparatur soli *mane absque nubibus rutilanti*, seu orienti, quia in suo ortu habuit impermixtionem peccati.

De impermixtione contrarii.

Secundo, propter *decorationem totius universi;* unde Ecclesiastici quadragesimo tertio [2]: *Species caeli, in visione gloriae. Sol in aspectu annuntians in exitu, vas admirabile, opus Excelsi.* Sol enim mirabiliter reddit universum formosum ex sua praesentia et ortu; sic et beata Virgo decorat totum mundum; est enim *vas admirabile*, luminis contentivum, quod si tollatur de medio, deformatur totum universum [3]. Si enim tollis Matrem Dei de mundo, per consequens tollis Verbum incarnatum; quo ablato, iam remanet deformitas peccantium et error peccatorum [4]. Auferetur enim Dei sapientia, Christus, qui est pulcritudo pulcrificativa universorum, secundum illud Sapientiae septimo: *Candor est lucis aeternae et speculum sine macula Dei maiestatis. Est enim haec speciosior sole* etc.

De coordinatione respectu connexi.

Tertio, propter *oblectationem sensus apprehensivi*, secundum illud Ecclesiastae undecimo [5]: *Dulce lumen, et delectabile est oculis videre solem.* Satis quidem *est delectabile oculis* materialibus *videre solem* materialem, sed multo incundius est oculis fidelibus contneri ipsam formositatem Virginis, in cuius figura dicitur Esther secundo, quod *erat formosa valde et incredibili pulcritudine, omnium oculis gratiosa et amabilis videbatur.* Talis, inquam, fuit gloriosissima Virgo, quae placuit Angelis Dei et oculis caelestis Sponsi prae magnitudine decoris et pulcritudinis. Unde Bernardus [6]: « Virgo regia, gemmis ornata virtutum geminoque mentis et corporis decore praefulgida, *specie sua et pulcritudine* in caelestibus cognita, caeli civium in se provocavit aspectum, ita ut Regis animum in sui concupiscentiam inclinaret et caelestem nuntium ad se de supernis adduceret ». Sic igitur Virgo gloriosissima propter speciositatem gratiae purificantis assimilatur luci solari. — Sed econtra anima peccatrix assimilatur *tenebrae et umbrae mortis* [7]. Propter commixtiones enim et libidines peccatorum, quantum est de se, deturpat universum, quia nihil ita deturpat ipsum, sicut facit peccatum, et ex hoc offendit aspectum humanum per malum exemplum et divinum et angelicum. Propter quod, Threnorum quarto, *denigrata est super carbones facies eorum, et non sunt cogniti in plateis.* Hoc dictum est de viris peccatoribus, qui Soli institiae adversantur.

De obiectatione sensus apprehendentis.

Contrarium est de anima peccatrice.

II. Assimilatur etiam Virgo soli quantum ad *velocitatem in decursu*, et hoc propter gratiam *promotivam*. Habet autem sol velocitatem in decursu propter triplicem rationem: primo, propter *magnitudinem influentiae* ex parte *motoris*, propter quod tertii Esdrae quarto [8]: *Magna est terra, et excelsum est caelum; et velox cursus solis. Nonne magnificus est qui haec facit?* quasi dicat, quod ideo sol velociter complet cursum suum, quia magnae virtutis est motor, qui influit ad eius motum. Per hunc etiam modum Virgo Maria citissime profecit et tanquam sol velocissime cucurrit; et hoc propter virtutem Motoris summi. Sic enim dicit Angelus ei, Lucae primo: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Unde Hieronymus: « Aliis per partes, sed Mariae totam se infudit gratiae plenitudo ».

Pars II. De velocitate in decursu propter tria.

Ratio prima.

Secundo propter *promptitudinem obedientiae* ex parte *mobilis;* quia enim corpus solare omnino motori suo subiacet, ideo currit velocissime et movetur rectissime; quod convenit Virgini gloriosae, quae obedientissima fuit inspirationi supernae; propter quod admirantur animae sanctae, Canticorum sexto [9]: *Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens?* ubi insinuatur velocissimus cursus et obedientissimus profectus Virginis quantum ad exercitium quatuor virtutum cardinalium. In hoc enim, quod dicitur *quasi aurora consurgens*, notatur discretio providentiae; in hoc, quod dicitur *pulcra ut luna*, pulcritudo pudicitiae sive temperantiae; in hoc, quod dicitur *electa ut sol*, rectitudo iustitiae, cuius est Deo obedire; in hoc quod subditur *terribilis ut castrorum acies ordinata*, fortitudo tolerantiae; et sic profecit Virgo velocissime *de virtute in virtutem* [10] propter promptitudinem obedientiae.

Ratio secunda.

---

[1] Vers. 4; sequuntur Apoc. 22, 16. et Anselm., de Concept. virgin. c. 18.

[2] Vers. 1. seq.

[3] Cfr. Bernard., serm. in Nativ. B. V. M. n. 6.

[4] Cod. Tudertinus habet *peccantium, errantium et peccatorum* et cod. Assisiensis *peccantium, errorum et peccatorum.* — Sequitur Sap. 7, 26. 29.

[5] Vers. 7; sequuntur Esth. 2, 15.

[6] Homil. 2. super *Missus est*, n. 2, ubi respicitur Ps. 44, 5.

[7] Respicitur Luc. 1, 79; sequitur Thren. 4, 8.

[8] Vers. 34. seq.; sequuntur Luc. 1, 35. et auctor serm. de Assumt. B. V. M. (inter opera Hieron.) c. 5.

[9] Vers. 9.

[10] Respicitur Ps. 83, 8.

Ratio tertia.

Tertio, sol habet velocitatem in decursu propter *amotionem omnis resistentiae* ex parte *modi movendi*. Propter quod Ecclesiastae primo [1]: *Oritur sol et occidit et ad locum suum revertitur. Gyrat per meridiem et flectitur ad aquilonem;* in quo insinuatur motus circularis, per quem describitur uniformitas contemplationis, qua beatissimi Angeli circulariter moventur circa thronum Maiestatis, ut dicit beatus Dionysius [2]; propter quod Apocalypsis septimo dicitur: *Omnes Angeli stabant in circuitu throni.*

Notandum.

Sicut autem beatissimi Angeli circulariter, hoc est uniformiter et interminabiliter, moventur circa thronum Maiestatis aeternae; sic beata Virgo circulariter ad modum solis per meditationem ferebatur circa centrum humanitatis assumtae. Unde sibi competit illud Canticorum tertio: *In lectulo meo quaesivi quem diligit anima mea. Surgam et circuibo civitatem* etc. Non enim cessabat Virgo Maria quaerere et meditari circa Christum tanquam circa medium omnis virtutis; et ideo semper profecit in omni culmine perfectionis. — Sed nos miseri non proficimus, sed deficimus, quia modicam suscipimus influentiam virtutis et illi non obedimus nec conformiter sibi, sed transversaliter movemur, ita ut multis nostrum possit dici illud Actuum septimo [3]: *Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis;* et illud Isaiae quinquagesimo tertio: *Omnes nos quasi oves erravimus;* et ideo non sumus similes soli progredienti, sed potius fulguri de caelo cadenti, Lucae decimo: *Videbam satanam sicut fulgur de caelo cadentem.*

Miseria nostra.

Pars III. De sublimitate in situ propter tria.

III. Assimilatur etiam Virgo soli quantum ad *sublimitatem in situ*, et hoc propter gratiam *perfectivam*, quae fecit eam sublimissimam super omnem creaturam puram. Habet namque sol sublimitatem in situ, et hoc per gratiam perfectivam propter tripliciem ra-

Ratio prima.

tionem: primo, propter *praeeminentiam incomparabilem;* quia enim incomparabiliter praeeminet corporibus terrestribus et opacis, ideo multum elongatur ab eis et collocatur in superioribus partibus mundi. Quae quidem metaphora recte competit Virgini, pro eo, quod ipsa, in quantum Mater Dei, incomparabiliter praeeminet ceteris creaturis sicut sol ceteris creaturis [4] opacis; propter quod in Psalmo dicitur: *In sole posuit tabernaculum suum* etc. Per solem istum, in quo Christus collocavit sibi tabernaculum, intelligitur Virgo Maria; et hoc patet per illud quod sequitur: *et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo* [5], quia intra viscera virginalia copulavit sibi et desponsavit humanam naturam.

Ratio secunda.

Secundo, propter *refulgentiam inenarrabilem* [6]; ideo enim sol in altissimis collocatur, ut cetera mundi corpora ab ipso illustrentur. Talis fuit gloriosissima Virgo Maria, quae illustrat totam Ecclesiam et machinam mundanam; propter quod Ecclesiastici quadragesimo secundo: *Sol illuminans per omnia respexit, et gloria Domini plenum est opus eius.* Ipsa namque Virgo Maria ad modum solis radiis suis perlustrat universa; unde sibi competit illud Ecclesiastici vigesimo quarto: *Ego feci in caelis, ut oriretur lumen indeficiens;* et ideo subdit: *Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis.* Illustrat enim suis exemplis omnia tanquam lucerna super candelabrum mundi posita; unde Hieronymus [7]: « Si diligentius respicias, nihil est virtutis, nihil speciositatis, nihil candoris et gloriae, quod non in ea resplendeat ».

Ratio tertia.

Tertio etiam habet sol *sublimitatem in situ* propter permanentiam incorruptibilem; quia enim corpus incorruptibile est de se, ideo elevatur super omnes sphaeras corruptibiles et elementares. In quo Virgo beata soli similis est, quia non tantum habuit gratiam sanctificantem, sed etiam gratiam confirmantem; propter quod in Psalmo [8]: *Semel iuravi in sancto meo, si David mentiar* etc. *Thronus eius sicut sol in conspectu meo* etc. *Thronus* iste veri David, qui in aeternum permanet, Virgo Maria fuit, quae gratiam, quam semel accepit, nunquam amisit, sed semper in ea incorruptibiliter permansit; unde sublimitatem in situ habuit, quia per gratiam perfectivam tota fuit caelestis. — Huic quidem Virgini debemus assimilari, ut possimus cum Apostolo dicere illud ad Philippenses tertio: *Nostra conversatio in caelis est;* sed timendum est, ne de multis possit dici quod praemittitur: *Multi ambulant, quos saepe dicebam vobis (nunc autem et flens dico), inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.*

Pars IV. De virtuositate in effectis tripliciter. De effectu primo.

IV. Assimilatur etiam postremo Virgo beata ipsi soli quantum ad *virtuositatem in effectu*, et hoc per gratiam *diffusivam*. — Est autem virtus solaris efficax ad *effugandas terrestres caligines*, in quo assimilatur Virgo soli, in quantum fugat haereses et tentationes; quod designatur in Psalmo [9]: *Posuisti tenebras, et facta est nox; in ipsa pertransibunt omnes bestiae silvae;* et post: *Ortus est sol, et congregati sunt;* sicut enim in nocte ante solis ortum tenebrae sunt et bestiae discurrunt, sic ante Virginis ortum regnabant haereses et idololatriae et potestates adversae; sed per istius Virginis nativitatem confunduntur haereses et superantur adversariae potestates. Unde Bernardus [10]: « In periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca; non recedat a

---

[1] Vers. 5. seq.

[2] De div. Nom. c. 4. § 9. — Sequuntur Apoc. 7, 11. et Cant. 3, 1. seq.

[3] Vers. 51; sequitur Isai. 53, 6. et respicitur Luc. 10, 18.

[4] Cod. Assisiensis habet *naturis*.

[5] Psalm. 18, 6.

[6] Cod. Monacensis legit *incoarctabilem*. — Sequuntur Eccli. 42, 16. et c. 24, 6. seq.

[7] Potius auctor serm. de Assumt. B. V. M. c. 16.

[8] Psalm. 88, 36. 38; sequitur Phil. 3, 20. et deio v. 18. seq.

[9] Psalm. 103, 20. et deio v. 22.

[10] Homil. 2. super *Missus est*, n. 17.

corde, non recedat ab ore etc. »; et post: « Ipsam sequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras, ipsa tenente, non corruis, ipsa protegente, non metuis, ipsa duce, non fatigaris, ipsa propitia, pervenis ».

De effectu secundo. Est etiam efficax secundo solaris virtus ad *effundendos caelestes calores;* unde Ecclesiastici quadragesimo tertio [1]: *Tripliciter sol exurens montes, radios igneos exsufflans et refulgens radiis suis, obcaecat oculos. Sol* iste *tripliciter montes exurens* beata Virgo est, quae nos inflammat suis precibus et exemplis et patrociniis, et hoc per caritatem suam copiosissimam. Unde Bernardus: « Maria copiosissima caritate omnibus misericordiae sinum aperit, ut *de plenitudine eius accipiant* universi: captivus redemptionem, aegrotus curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, Angelus laetitiam, denique tota Trinitas gloriam, Filii persona carnis humanae substantiam, ut *non sit qui se abscondat a calore eius* ».

De effectu tertio. Est etiam efficax tertio ad *vegetandas virtutes vitales.* Omnia enim terrae nascentia et viventia virtute solari vegetantur ad vitam, quod manifestum est in ascensu et descensu solis per lineam obliquam. Quantum ad hoc Virgo Maria soli assimilatur; Esther decimo [2]: *Parvus fons, qui crevit in fluvium et in lucem solemque conversus est et in aquas plurimas redundavit, Esther est, quam rex accepit uxorem et voluit esse reginam.* Per *Esther* in populis elevatam intelligitur Virgo Maria, quae, cum esset parvula ut *fons, crevit in lucem, solem et fluvium,* ut sic vitam conservaret, quae, inquam, conservatur per calidam et humidum et per conciliationem contrariorum; ut *flumen* enim vegetat ad humiditatem, ut *sol* ad caliditatem, ut *lux* conciliat contrarietatem. Unde Augustinus: « *Ave, gratia plena,* et bene plena, quae vitam viris et mulieribus peperisti ». Et propterea ipsa intelligitur per illum fontem solis, de quo dicitur Iosue decimo quinto [3]: *Terminus filiorum Iuda transit aquas, quae vocantur fons solis.* Iste enim *fons* solaris dicitur propter hoc, quod influit nobis vitam quantum ad sensum et motum. — Sic igitur ex praedictis patet, quod Virgo Maria simillima est soli quantum ad duodecim proprietates superius praemonstratas. In cuius rei figura dicitur Apocalypsis duodecimo [4]: *Signum magnum apparuit in caelo: Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim.* In quo quidem *amictu* solis intelligitur conformitas ipsius ad solem verum, sed in *corona duodecim stellarum* intelligitur praerogativa duodecim proprietatum superius monstratarum.

Ergo Maria similis soli est in 12 proprietatibus.

Oritur ergo Maria tanquam sol spiritualis in mundo, qui, licet omnibus se exhibeat, non tamen ab omnibus suscipitur nec omnibus proficit, sed iis solum, qui ad eius influentiam se disponunt, quibus solis sol iste *oriri* dicitur. — Oritur namque primo *credentibus;* primi Machabaeorum sexto [5]: *Refulsit sol in clypeos aureos, et resplenduerunt montes ab eis.* Per *clypeum* namque intelligitur fides; ad Ephesios sexto: *In omnibus sumentes scutum fidei. In* hos *clypeos* Virgo *refulsit,* quando per incarnationem, quae facta est in ipsa, mentes fidelium illustravit. Hic sol occultus est infidelibus et haereticis; unde Actuum decimo tertio dixit Paulus illi mago: *Eris caecus, non videns solem usque ad tempus.* — Secundo oritur *timentibus;* Malachiae quarto [6]: *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiae, et sanitas in pennis eius;* quo contra dicitur de superbis Sapientiae quinto: *Erravimus a via veritatis, et iustitiae lumen non luxit nobis, et Sol intelligentiae non est ortus nobis.* — Oritur tertio *exspectantibus;* primi Regum undecimo [7]: *Sic dicetis viris, qui sunt in Iabes Galaad: Cras erit vobis salus, cum incaluerit sol. Galaad* enim interpretatur *acervus testimonii,* in quo intelligntur viri, qui credunt testimoniis divinarum promissionum; quo contra dicitur de desperatis Iudicum decimo nono: *Occubuit eis sol iuxta Gabaa, quae est in tribu Beniamin. Gabaa* enim interpretatur *proclivium eius,* per quod intelligitur proclivium peccati, quod facit descendere in profundum desperationis.

Septem homines sunt, quibus oritur sol spiritualis. Primo, credentibus. Secundo, timentibus. Tertio, exspectantibus.

Oritur quarto *poenitentibus;* Genesis decimo nono [8]: *Sol egressus est super terram, et Lot ingressus est Segor.* Per *Lot,* qui fugit de incendio Sodomorum, intelligitur vir poenitens, qui fugit de incendio peccatorum. Nam qui remanet in incendio et praevaricatione peccati, clauditur ei irradiatio istius solis, secundum illud Psalmi: *Supercecidit ignis, et non viderunt solem.* — Oritur quinto *obedientibus;* Esther undecimo [9]: *Lux et sol ortus est, et humiles exaltati sunt;* qui quidem humiles sunt *obedientes,* qui in ortu ipsius Virginis *exaltati sunt,* sicut ipsa in Cantico suo dicit, Lucae primo: *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.* — Oritur sexto *contemplantibus;* Genesis trigesimo secundo [10]: *Ortus est sol* Iacob, *postquam transgressus est Phanuel,* quod interpretatur *contemplatio eius,* ubi Iacob *vidit Deum facie ad faciem.* — Oritur septimo *pervenientibus;* Marci ultimo [11]: *Veniunt ad monumentum, orto iam sole.*

Quarto, poenitentibus. Quinto, obedientibus. Sexto, contemplantibus. Septimo, pervenientibus.

---

[1] Vers. 4. — Sequitur Bernard. serm. in Domin. infra Octav. Assumt. B. V. M., ubi respiciuntur Ioan. 1, 16. et Ps. 18, 7.

[2] Vers. 6. — Sequens locus est serm. 194. (alias 18. de Sanctis) Appendicis ad opera August., n. 2, ubi respicitur Luc. 1, 28.

[3] Vers. 12. 7.

[4] Vers. 1.

[5] Vers. 39; sequuntur Eph. 6, 16. et Act. 13, 11.

[6] Vers. 2; sequitur Sap. 5, 6.

[7] Vers. 9; sequitur Iudic. 19, 14.

[8] Vers. 23; sequitur Ps. 57, 8.

[9] Vers. 11; sequitur Luc. 1, 52.

[10] Vers. 31. et dein v. 30.

[11] Vers. 2.

Per *adventum ad monumentum* intelligitur finalis consummatio meritorum, in quo Virgo beata perfecte manifestatur, dum praesidium fert Sanctis ad in-
Conclusio. trodncendum eos in gloriam. — Iste autem septiformis effectus solaris lucis sive manifestatio, qua se septem generibus hominum manifestat, spiritualiter potest intelligi per illud Isaiae trigesimo [1]: *Lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum*, per quod intelligitur septiformitas harum manifestationum praedictarum, quae incipiunt a fundamento fidei et perveniunt usque ad complementum praemii aeterni per adiutorium Virginis et donum beatissimae Trinitatis, cui est honor et gloria in saecula. Amen.

Sermo III [2].

Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic bonae mulieris species in ornamentum domus suae [3].

Consideranti mihi excellentiam Virginis glorio-
Introductio. sae respectu universalis Ecclesiae, nulla occurrit similitudo nobilior quam illa quam ponit Ecclesiasticus in verbo praemisso. Sicut enim sol praecellit et decorat corpora totius machinae mundialis, sic beata Virgo praecellit et decorat membra totius Ecclesiae militantis et etiam triumphantis, et hoc, quia ipsa est *mulier*, non tantum *bona*, sed etiam optima, pro eo quod nihil deest ei de eo quod facit ad commendationem et perfectionem bonae mulieris, secundum metaphoram solis materialis et imitationem Solis aeterni. Sicut enim sol habet virtutem *purgativam*, *illuminativam*, *perfectivam* et sui per omnia *diffusivam;* sic mulier perfecte bona, qualis fuit Virgo Maria, quadriformi genere gratiae invenitur repleta.
Divisio. Virgo namque Maria fuit mulier *virtuosa*, *speciosa*, *gratiosa* et *officiosa* iuxta proprietates praedictas.

I. Fuit namque mulier *virtuosa*, unde designata
Pars I. De muliere virtuosa, tripliciter. fuit per Ruth; Ruth tertio [4]: *Scit omnis populus, qui habitat intra portas urbis meae, mulierem te esse virtutis. Mulier* namque *virtutis* fuit Virgo Ma-
De primo. ria: primo, propter *sanctitudinem in respuendis;* Iudith octavo: *Nunc ora pro nobis, quoniam mulier sancta es et timens Deum; sancta*, per sequestrationem ab omni immunditia carnis, *et timens Deum*, per elongationem ab omni immunditia mentis; et sic munda erat *ab omni inquinatione carnis et spiritus*, ac per hoc perficiebat sanctificationem in timore Dei, iuxta documentum Apostoli, secundae ad Corinthios septimo: *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctifica-*
De secundo. *tionem in timore Dei.* — Secundo, propter *rectitudinem in eligendis;* Ecclesiastici vigesimo sexto [5]: *Fundamenta aeterna supra petram solidam, et mandata Dei in corde mulieris sanctae*, quia, secundum quod dicitur Matthaei septimo, *omnis, qui audit verba mea haec et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui aedificavit domum suam supra petram.* Talis, non est dubium, fuit Virgo Maria. — Tertio, De tertio.
propter *fortitudinem in sustinendo;* Proverbiorum ultimo [6]: *Mulierem fortem quis inveniet?* Haec mulier Virgo Maria fuit, quae propter multam constantiam singulariter placuit Deo; Ecclesiastici vigesimo sexto: *Mulier fortis oblectat virum suum* etc. — Iuxta Hortatio.
hanc formam, si virtuosi esse volumus, necesse est, ut incipiamus a sanctitudine per contemptum omnium mundanorum et sequestrationem omnium carnalium desideriorum, et hoc per amplexum crucis, et post transeamus ad rectitudinem per observantiam mandatorum et zelum divinae legis. Quibus habitis, facile est pervenire ad constantiam fortitudinis, alioquin, si terrena diligimus et legem divinam non zelamus, impossibile est, quod in passionibus fortes et patientes simus.

II. Fuit etiam mulier *speciosa;* unde figuratur Pars II. De muliere speciosa tripliciter. per Abigail; primi Regum vigesimo quinto [7]: *Erat Abigail mulier prudentissima et speciosa. Speciosa* namque fuit Virgo Maria: primo, propter *honestatem* De ratione prima. *actuum;* Iudith undecimo: *Non est talis mulier super terram in aspectu, in pulcritudine et in sensu verborum.* Erat enim adeo honesta in verbis et factis, ut a nullo posset in aliquo reprehendi. — Secundo, propter *integritatem sensuum;* Ecclesiastici De secunda. trigesimo sexto: *Species mulieris exhilarat faciem viri sui et super omnem concupiscentiam hominis superducit desiderium.* Nihil enim est adeo placitum viro, sicut videre castitatem et integritatem in uxore sua, quae plenaria fuit in Virgine Maria, secundum quod Lucae primo [8] dixit Angelo: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* — Tertio, propter De tertia. *sinceritatem affectuum;* Genesis duodecimo [9]: *Novi, quod pulcra sis mulier; dic ergo, obsecro te, quod soror mea sis;* quando habet ad eum sinceritatem amoris casti, quem amorem habuit Virgo Maria ad Deum; ideo *soror* et *sponsa* dicitur in Canticis canticorum. — Propter hanc triplicem pulcritudinem de- De his tribus. signandam in sponsa et Virgine Maria Spiritus sancti instinctu sponsa in Canticis ter dicitur *pulcherrima mulierum.* Nam capite primo dicitur: *Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres* etc.; et quinto: *Qualis est dilectus tuus, o pulcherrima mulierum?* et in eodem iterum: *Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum?* In quo insinuatur huius triplicis pulcritudinis singulare privilegium, propter quod fuit speciosissima mulierum non pulcritudine vana, sed pulcritudine vera, ad quam debent conari omnes

---

[1] Vers. 26.

[2] Ex iisdem codd. Monacensi fol. 192 r., Tudert. fol. 177 r. et Assis. fol. 52 v.

[3] Eccli. 26, 21.

[4] Vers. 11; sequuntur Iudith 8, 29. et II. Cor. 7, 1.

[5] Vers. 24; sequitur Matth. 7, 24.

[6] Cap. 31, 10; sequitur Eccli. 26, 2.

[7] Vers. 3; sequuntur Iudith 11, 19. et Eccli. 36, 24.

[8] Vers. 34.

[9] Vers. 11. 13; deinde respicitur Cant. 4, 9; c. 1, 7; c. 5, 9. et c. 5, 17.

viri spirituales, ut sint honesti in moribus sive in actibus et gestibus, modesti in sensibus et immaculati in affectionibus interioribus.

Pars III. De muliere gratiosa triplici citer. III. Fuit nihilominus beata Virgo mulier *gratiosa;* unde designata fuit per Esther, de qua (dicitur) Esther secundo [1], quod *omnium oculis gratiosa et amabilis videbatur;* unde et paulo post subditur, quod invenit *gratiam et misericordiam coram rege super omnes mulieres.* Hoc autem de nulla alia muliere ita sane et recte intelligi potest spiritualiter

De primo. sicut de gloriosa Virgine, quae gratiosa fuit: primo, quia plena gratia *sufficiente;* Ecclesiastici vigesimo sexto: *Gratia mulieris sedulae delectabit virum suum et ossa illius impinguabit.* Sufficientem enim habuit gratiam ad placendum Deo et ad exercitium omnium virtutum sicut ad impinguationem ossium; profecit enim per gratiam illam semper de bono in

De secundo. melius. — Secundo, quia plena gratia *praeeminente;* Ecclesiastici vigesimo sexto [2]: *Gratia super gratiam, mulier sancta et pudorata.* Sanctitudo cum pudore virginali gratiam excellentem dicit, quae in Virgine Maria praecellens fuit; Canticorum quarto: *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus,*

De tertio. *fons signatus.* — Tertio, quia plena gratia *superabundante;* Lucae primo [3]: *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus;* et post: *Spiritus sanctus superveniet in te.* In tanta namque superabundantia gratiae Spiritus sanctus venit, ut merito ei possit dici illud Proverbiorum ultimo: *Multae filiae congregaverunt divitias; tu supergressa es universas;* et in Psalmo [4]: *Visitasti terram et*

Hortatio. *inebriasti eam.* — Propter quod, si gratiam volumus obtinere, nullum est sanius consilium, quam ut eam accedamus, quae est *gratia plena,* et ideo *thronus gratiae* merito nuncupatur, secundum illud ad Hebraeos quarto: *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiae* eius, *ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Per nullam enim potest gratia melius inveniri, quam per illam cui per Angelum dictum est: *Invenisti gratiam apud Deum.*

IV. Fuit etiam postremo mulier *officiosa;* unde

Pars IV. De muliere officiosa triplici citer. intelligitur per illam mulierem a Sapiente laudatam, Proverbiorum ultimo [5], de qua dicitur: *De nocte surrexit deditque praedam domesticis suis* etc. Hoc recte competit Virgini, quae non tantum opportune, sed etiam importune interpellat pro nobis, quod designatum fuit Ioannis secundo: *Deficiente vino, dicit Mater Iesu ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei Iesus: Quid mihi et tibi est, mulier?* in quo insinuatur nimia officiositas et sollicitudo, quam beatissima Virgo habet pro genere humano. Est enim nobis officiosa: primo, *liberando* a malo, in cuius De primo. figura dicitur Genesis tertio ad serpentem: *Inimicitias ponam inter te et mulierem;* et post: *Ipsa conteret caput tuum.* Ipsa namque contrivit adversarium nostrum et nos liberavit ab eo, cum « cunctas haereses interemit in universo mundo [6] ». —

Secundo, *promovendo* in bono; Proverbiorum decimo De secundo. quarto [7]: *Sapiens mulier aedificat domum suam; insipiens extructam quoque manibus destruet;* quod recte intelligitur de Maria et Eva; sicut enim Eva sua insipientia nos deiecit a bono, sic Virgo Maria sua sapientia nos promovet in bono tanquam spirituali aedificio manum apponendo. — Tertio, *consum-* De tertio. *mando* in optimo; Proverbiorum undecimo [8]: *Mulier gratiosa inveniet gloriam.* Ipsa namque invenit gloriam sibi et aliis, quia per ipsam aperta est nobis porta caeli; sicut enim per eam Deus ad nos descendit, sic oportet, ut nos per eam ad Dominum ascendamus.

Ex praedictis igitur colligi potest, quod Virgo Conclusio. beata tanquam mulier perfecte et simpliciter bona similitudinem habet expressam ad solem in mundo orientem propter quadriformis proprietatis excellentissimam [9] triplicationem, hoc est propter duodecim privilegia excellentia, propter quod intelligi potest per illam mulierem, Apocalypsis duodecimo, de qua dicitur: *Mulier amicta sole* etc., *et in capite eius corona stellarum duodecim;* in quo datur intelligi excellentia duodecim praedictarum praerogativarum, pro quibus non immerito Virgo comparatur *Soli orienti mundo* [10] *in altissimis Dei.* Benedicta igitur et venerabilis sit Virgo Maria in aeternum. Amen.

Sermo IV [11].

Vas admirabile, opus Excelsi, Ecclesiastici quadragesimo tertio [12].

In verbo isto ostenditur valde *admirabilis,* et Introductio. per consequens plurimum *commendabilis* Imperatrix totius creaturae, quae quidem in sua nativitate fuit *vas admirabile;* sed certe ideo, quia *opus Excelsi.* Commendatio autem ista attenditur quantum ad duo,

---

[1] Vers. 15; sequuntur v. 17. et Eccli. 26, 16.

[2] Vers. 19; sequitur Cant. 4, 12.

[3] Vers. 28. et dein v. 35. et Prov. 31, 29.

[4] Psalm. 64, 9; sequuntur Hebr. 4, 16. et Luc. 1, 30.

[5] Cap. 31, 15; sequuntur Ioan. 2, 3. seq. et Gen. 3, 15.

[6] Breviar. Roman. 3. Noct. 1. Antiph. ad Matutin. in Comm. B. V. M. Vide etiam de hoc celebri dicto Petr. Canis., V. de Deipara Virg. c. 9. [7] Vers. 1.

[8] Vers. 16.

[9] Cod. Tudertinus habet *excellentis.* — Sequuntur Apoc. 12, 1. et Eccli. 26, 21.

[10] Cod. Tudertinus sic continuat: *ad cuius Solis calorem confugiendum est, ut sic ab isto Sole illuminati et inflammati sursum levemur ad caelestia regna. Quod nobis praestare dignetur Unigenitus Patris eius, qui est benedictus in saecula. Amen.*

[11] Ex cod. biblioth. Parisiensis National. 16499. fol. 244 v., qui inscribitur *In Nativitate B. Virginis.* Cum ipso convenit in biblioth. Monacen. Reg. cod. Lat. 9604. fol. 99 v. Hic sermo contracte relatus est, solumque generalis divisionis pars I. exponitur.

[12] Vers. 2.

Divisio generalis.

quae in verbo proposito continentur, scilicet quantum ad *operis excellentiam* et quantum ad *Opificis magnificentiam. Excellentia operis* insinuatur in *vase admirabili; magnificentia* vero *Opificis*, quia *opus Excelsi.*

De operis excellentia triplici.

Fuit autem puella regia *vas admirabile* ratione *materiae*, ratione *formae*, ratione *rei contentae.* Ratione materiae fuit vas mirabiliter *pretiosum;* ratione formae fuit vas mirabiliter *speciosum;* sed ratione rei contentae fuit vas mirabiliter *copiosum.*

Vas admirabile ratione materiae et pretiosum tripliciter.

Primo igitur ratione *materiae* fuit vas mirabiliter *pretiosum;* Proverbiorum vigesimo [1]: *Est aurum et multitudo gemmarum; et vas pretiosum. Aurum* est Virginis spiritus; multitudo *gemmarum*, membra sensusque, ex quibus summus Artifex vas istud fabricatum reddidit mirabiliter pretiosum. Fuit autem vas mirabiliter pretiosum ratione materiae, quia fuit vas *argenteum*, vas *aureum* et vas *luminosum.* In argento nota *virginitatis candorem;* in auro, *caritatis ardorem;* in lumine, exterioris *honestatis decorem;* ut virginitatis candor sit in *carne*, caritatis ardor in *mente*, honestatis decor in *conversatione.*

Primo pretiosum, quia argenteum.

Primo fuit vas mirabiliter *pretiosum* ratione materiae, quia fuit *argenteum;* Proverbiorum vigesimo quinto [2]: *Aufer rubiginem de argento*, id est scoriam originalis culpae de anima sanctissimae Virginis, *et egredietur vas purissimum*, omnem in se continens puritatem. — Secundo, quia fuit *aureum;* Ecclesiastici quinquagesimo: *Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso.* In *vase* vero, gratiae susceptibilitas; *in auro*, amoris pretiositas; *in soliditate*, tolerantiae strenuitas; quae omnia fuisse in virginali thalamo comprobatur. Nam de *amore* eius dicit Hugo de sancto Victore [3]: « Quia in corde eius amor Spiritus sancti singulariter ardebat, ideo in carne eius virtus Spiritus sancti mirabilia faciebat. Et cuius dilectio in corde eius non habuit socium, eius operatio in carne illius non habebat exemplum ».

Item, quia aureum.

Item, quia luminosum.

— Tertio, quia fuit *luminosum;* Ecclesiastici quadragesimo tertio [4]: *Vas castrorum in excelsis, in firmamento caeli resplendens gloriose. In firmamento caeli* Maria resplenduit, dum sua claritate totam Dei Ecclesiam illustravit, iuxta illud Esther octavo: *Iudaeis nova lux oriri visa est* etc. Quod de ipsa convenientissime potest dici.

Vas admirabile ratione formae et speciosum tripliciter.

Secundo, ratione *formae* fuit vas mirabiliter *speciosum;* unde de ipsa speciosissate ait Bernardus [5]: « Virgo regia, gemmis ornata virtutum geminoque, scilicet mentis pariter et corporis, decore fulgida, caelestium civium in se provocavit aspectum, ita ut et Regis animarum in sui concupiscentiam inclinaret et caelestem nuntium ad se de supernis adduceret ».

Primo, speciosum apparet ex decore praeeminentiae.

Huius speciositas in tribus potest manifestissime deprehendi, scilicet ex decore *praeeminentiae.* Sicut enim est in mensa regia, quod multa sunt vasa pretiosa, sed unum est ad os regis deputatum, speciosius ceteris, cuius comparatione pulcritudo aliorum videtur quam plurimum obscurari; sic in mensa Regis aeterni multa sunt vasa pretiosa, comparata tamen isti vasi mirabili, ad os summi Regis deputato, videntur amittere claritatem. Ideo dicitur: *Non adaequabitur ei aurum* [6]; et Hieronymus: « Sicut in comparatione Dei nemo bonus, sic in comparatione Matris eius nulla invenitur perfecta, quamvis virtutibus eximia comprobetur ». — Secundo potest comprehendi ex operis *complacentia;* Ieremiae decimo octavo [7]: *Descendi in domum figuli, et ecce, ipse faciebat opus suum super rotam. Et dissipatum est vas, quod faciebat e luto manibus suis; conversusque fecit illud vas alterum, sicut placuerat in oculis eius. Figulus* est Creator noster; unde ibidem dicitur: *Sicut lutum in manu figuli; et opus factum super rotam* est genus humanum super vertibilitatem naturae constitutum; *fractum est* autem per peccatum primi hominis; sed *conversus fecit vas alterum*, Virginem scilicet gloriosam, *sicut placuit in oculis eius.* — Tertio potest deprehendi ex multiplici cum apta et utili *convenientia;* Baruch sexto [8]: In vase *utili gloriabitur qui* fecit *illud.* Anselmus: « In sublimi contemplor Mariam. Deus, qui omnia fecit, ipse se ex Maria fecit et sic omnia, quae fecerat, refecit ».

Item, ex operis complacentia.

Item, ex multiplici convenientia.

Vas admirabile ratione rei contentae et copiosum tripliciter.

Tertio, ratione *rei contentae* fuit vas mirabiliter *copiosum;* fuit enim contentivum *sale discretionis*, *manna refectionis* et *oleo exsultationis.* In *sale* namque discretio, in *manna* refectio, in *oleo* exsultatio datur intelligi, quorum primum pertinet ad vim rationabilem; secundum, ad concupiscibilem; sed tertium, ad irascibilem. — Primo fuit contentivum *sale discretionis*, iuxta illud quod figurate dictum est quarti Regum secundo [9]: *Afferte mihi vas novum et mittite in illud sal. Vas novum* fuit uterus virginalis, novitatis retinens puritatem. In istud vas fuit missum *sal discretionis*, cum in Virginis uterum, nuntiante Gabriele Archangelo, descendit Sapientia Dei Patris. — Secundo fuit vas contentivum *manna refectionis;* Exodi decimo sexto: *Sume* tibi *vas unum et mitte ibi manna.* Verbum potest esse ad Spiritum sanctum, cuius operatione descendit in Virginis gremium Dei Verbum aeternae refectionis praemia contentivum. — Tertio fuit vas contentivum *oleo exsultationis.* Istud vas plenum laetitia non poterat invenire synagoga, quemadmodum signatum fuit quarti

Primo, copiosum sale discretionis.

Item, manna refectionis.

Item, oleo exsultationis.

---

[1] Vers. 15.
[2] Vers. 4; sequitur Eccli. 50, 10.
[3] De Mariae virginit. c. 2.
[4] Vers. 9; sequitur Esth. 8, 16.
[5] Homil. 2. super *Missus est*, n. 2.
[6] Iob 28, 17. — Sequitur auctor serm. de Assumt. B. V. M. ad Paulam et Eustoch. (inter opera Hieron.) c. 16. (alias 17.).
[7] Vers. 3. seq., dein v. 6.
[8] Vers. 58, ubi Vulgata legit: *Aut vas in domo utile, in quo gloriabitur qui possidet illud;* et Anselm., Orat. 52. (alias 51.): « Mira res, in quam sublimi contemplor Mariam locatam » etc.
[9] Vers. 20; sequuntur Exod. 16, 33. et IV. Reg. 4, 6.

Regum quarto; ubi quaedam de uxoribus Prophetarum, infundens oleum iuxta verbum Prophetae, per quam synagoga datur intelligi, dixit filio suo: *Affer mihi adhuc vas. Et ille respondit: Non habeo;* sed certe, cum *venit* abundantia gratiarum et *plenitudo temporis*, in quo *misit Deus Filium suum* [1], fuit vas incisum manu Sapientiae et *prae participibus suis oleo exsultationis* repletum, cuius nos faciat participes Mater totius bonitatis, quae in suo Filio iucundatur aeternaliter sine fine. Amen.

Sermo V [2].

Visa est arca testamenti Dei in templo eius, Apocalypsis undecimo [3].

Inter omnes figuras sacras et secretas, quae in Introductio. Lege figurae a Domino Deo datae sunt et institutae, *arca testamenti* Domini ut sacratissima honorari praecipiebatur [4], et hoc non fiebat casualiter nec irrationabiliter, sed secundum dispositionem supernae Sapientiae, quae tulerat Legem. Non ergo hoc fiebat arcae, quia de lignis et auro erat artificialiter facta, sed quia arcana Dei secundum dictamen artis aeternae praefigurabat aptissime. Unde et inter ceteras figuras, quae secundum multiformem sapientiam Dei multiplicem pariunt intelligentiam, arca testamenti est multitudine mysticarum intelligentiarum repleta, ut non sit in ipsa quod non ad aliquam intelligentiam spiritualem manuducat; pauca vel nulla sunt in ecclesiastica hierarchia, quae secundum variam intelligentiam Scripturarum figurari non possunt per eam.

Notandum. Arca enim secundum intellectum *allegoricum*, ut attestantur expositiones Sanctorum, ad Christum refertur et Ecclesiam; secundum *tropologicum*, ad praelatum et animam sanctam; secundum *anagogicum*, ad caeleste arcanum et Ierusalem supernam; secundum *mysticam* ex omnibus dictis intelligentiam repraesentat Virginem gloriosam, beatissimam Matrem Dei et Dominam nostram, sanctam Mariam, cuius nativitatem hodierna die celebrat sancta mater Ecclesia. Ipsius enim nativitatem et excellentissimam dignitatem in auctoritate praemissa beatus Ioannes Evangelista, elevatus in spiritu ad Apocalypsim intelligendam, describit, et hoc dupliciter, scilicet quantum ad *excellentiam nascentis*, cum dicitur: *Arca testamenti Dei;* et quantum ad *refulgentiam nativitatis*, cum subditur: *visa est in templo* [5].

Sub figura autem *arcae testamenti* multiplex Virginis dignitas insinuatur secundum diversa, quae Scriptura docet considerare in illa mystica arca. Pro-

Divisio. ponitur autem in Scriptura illa arca quadrupliciter consideranda, scilicet quantum ad *fabricam*, quantum ad *continentiam*, quantum ad *efficaciam*, quantum ad *honorificentium*. Si consideras arcam quantum ad fabricam, consideras eam secundum id quod *est;* si quantum ad continentiam, consideras secundum quod *habet;* si efficaciam, secundum id quod *facit;* si honorificentiam, secundum id quod *recipit*. Hoc est considerare ipsam secundum id quod ipsa est, secundum id (quod in ipsa est, secundum id) quod ab ipsa est, et secundum id quod est ad ipsam.

Pars I. Fabrica huius arcae consideratur quadrupliciter.

I. *Fabrica* autem illius arcae, ut insinuat Scriptura sacra, fuit *materiae* imputribilis, *mensurae* proportionalis, *formae* spectabilis et *figurae* quadrangularis, in quibus insinuatur dignitas Virginis gloriosae, quae fabricata fuit secundum artificium Filii Dei et Spiritus sancti. — Est igitur Maria primo De primo. arca testamenti quantum ad *fabricam*, quia *materiae imputribilis* per integritatem carnis, secundum illud Exodi vigesimo quinto [6]: *Arcum de lignis setim compingite* mihi; Glossa: « *Ligna setim* levia et imputribilia, parum a qualitate albae spinae distant »; in quo datur intelligi integritas gloriosae Virginis, quae ipsam *levem* fecit exonerando a pondere carnalitatis, et *imputribilem* sequestrando a contagio corruptionis, quae quidem est in opere carnis. Quid enim aliud est virginitas quam quaedam imputribilitas? Unde Augustinus in libro de Virginitate [7]: « Virginitas est in carne corruptibili incorruptionis perpetuae meditatio »; et e converso lascivia non est aliud quam putredo. Unde a concupiscentia nati sunt putridi; Iob decimo septimo: *Putredini dixi: Pater meus es* etc.; unde nos tanquam putridi et putrefacti merito corporaliter incineramur. Sed gloriosa Virgo Maria, sicut vivendo et concipiendo non putruit per corruptelam concupiscentiae actualis; sic moriendo et exspirando non putruit per poenam incinerationis et vermis; et hoc quidem convenientissimum erat integerrimis et incorruptis visceribus uteri virginalis.

Secundo est arca testamenti, quia *mensurae* De secundo. *proportionalis* per humilitatem cordis, secundum illud Exodi trigesimo septimo [8]: *Fecit Beseleel et arcam de lignis setim habentem duos semis cubitos in longitudine et cubitum ac semissem in latitudine, altitudo quoque unius cubiti fuit et dimidii.* Per *cubitum* integrum plenae mensurae intelligit perfectam virtutem in prosecutione actuum; per *semissem* intelligit perfectam humilitatem in consideratione defectuum, et haec duo sunt, quae dant mensuram proportionalissimam ad sustinenda dona divina, quae nec dantur negligentibus nec dantur arrogantibus; et haec duo praecipuissime fuerunt in Virgine Maria, quae simul fuit perfectae virtutis et profundae humilitatis. Nam, cum sibi diceretur: *Spiritus sanctus superveniet in te*, ipsa dicebat: *Ecce, ancilla Domini* etc.; haec est mensura in omnibus; unde ad

[1] Respicitur Gal. 4, 4. et deinde Hebr. 1, 9.
[2] Ex cod. Monacensi W fol. 219 v.
[3] Vers. 19. [4] Respicitur Exod. 30, 26-30.
[5] Exponitur tantum primum divisionis membrum.
[6] Vers. 10. cum Glossa *ordinaria* apud Lyranum ex Beda, l. de Tabernac. c. 4.
[7] Cap. 13. n. 12. — Sequitur Iob 17, 14.
[8] Vers. 1; sequitur Luc. 1, 35. 38.

Philippenses tertio [1]: *Fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.* In cuius figura, Ezechielis quadragesimo: *In manu viri calamus mensurae sex cubitorum et palmo.* Per *senarium*, perfectum scilicet numerum, figuratur perfectio in effectu; per *palmum*, humiliatio pro defectu. Propter quod Dominus discipulis dicentibus: *Adauge nobis fidem*, Lucae decimo septimo, *cum feceritis*, inquit, *omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus;* et tunc est proportionalis figurae ad gratiam, tunc autem est prorsus improportionalis, quando imperfectus est secundum statum et praesumtuosus secundum suam reputationem, contra hoc quod arca debet habere *cubitum* et *semissem*.

Tertio, arca testamenti dicitur, quia est *spectabilis in forma* quoad honestatem conversationis; Exodi trigesimo septimo [2]: *Vestivit* Beseleel arcam *auro purissimo intus ac foris. Et fecit ei coronam auream per gyrum.* Per illud vestimentum aureum arcae intelligitur summae honestatis plenitudo, quae Virginem Mariam pulcram fecit et intus et extra; unde Hieronymus [3]: « Si diligentius inspicias, nihil virtutis, nihil speciositatis, nihil candoris et gratiae est, quod non ex Maria resplendeat ». — Et nota, quod dicitur habere *coronam auream per circuitum*, quia in omnibus actibus habuit honestatem. Dicitur et *deaurata intus et extra*, quia oportet, quod verae honestatis decor ab interiori incipiat, ne sit homo hypocrita, et non sit similis arcae Domini, sed potius Bel, de quo dicitur Danielis ultimo [4]: *Ne erres, rex;* quia *iste intrinsecus luteus est et forinsecus aereus.* Sic potest de hypocritis dici, quia, ut Dominus dicit, *similes sunt sepulcris dealbatis.* Qui vult ergo esse perfectae honestatis incipiat ab interiori deaurare arcam suam, et post etiam exterius, ut aedificet proximum. Sed de multis potest flere Ieremias, Threnorum quarto [5]: *Quomodo obscuratum est aurum* etc.

De tertio. Notandum.

Quarto dicitur arca testamenti, quia *formae quadrangularis* per aequalitatem quadriformis virtutis; Exodi vigesimo quinto [6]: *Facies et quatuor circulos aureos, quos pones per quatuor arcae angulos. Inducesque vectes per circulos, qui sunt in arcae lateribus, ut portetur in eis.* Per *angulos quatuor* intelliguntur quatuor cardinales virtutes; per *circulos in quatuor angulis*, quadriformis obedientia divinorum praeceptorum secundum exigentiam quatuor virtutum; per *vectes* intelliguntur duo, quae nos vehunt in viam morum, scilicet timor et amor. Haec fuerunt perfecte in Virgine gloriosa, quae observavit perfecte divinam legem, obediendo ei secundum quadriformem virtutem cardinalem, scilicet prudentiam, iustitiam, temperantiam et fortitudinem, quae, licet habeant distinctionem, habent tamen connexiones et aequalitates et portantur per timorem et amorem perfectum, quae ipsam arcam portaverunt usque ad caelum. Et attende quod dicit, quod vectes *nunquam debebant extrahi de circulis* [7], quia timor et amor semper debent esse coniuncti cum virtutibus cardinalibus in exsequendis divinis mandatis; et sic fuerunt cum Virgine gloriosa, de qua Proverbiorum ultimo: *Mulier timens Dominum, ipsa laudabitur* etc.

De quarto.

II. Considerata arcae fabrica, consideranda est nihilominus *continentia*, de qua intelligendum est, quod in illa arca materiali interius continebantur *manna, virga* et *duae tabulae testamenti*, et desuper ad consummationem *duo Cherubin obumbrantia propitiatorium*. Per hanc autem continentiam recte designantur illa quae interius fuerunt in Virgine gloriosa. Nam beata Maria fuit arca interius continens *manna* per dulcedinem *gratiae; virgam*, per virtutem *fiduciae; Legem* habens per rectitudinem *intelligentiae;* desuper *duo Cherubin*, per plenitudinem *sapientiae;* unde de omnibus, ad Hebraeos nono [8]: *Post velamentum secundum, tabernaculum, quod dicitur Sancta sanctorum, aureum habens thuribulum et arcam testamenti, circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna et virga Aaron, quae fronduerat, et tabulae testamenti, superque eam erant Cherubim gloriae obumbrantia propitiatorium*, ubi praedicta quatuor exprimuntur. — Primo ergo Virgo Maria fuit arca continens *manna* per *dulcedinem gratiae*, quod figuratum fuit Exodi decimo sexto [9], ubi Dominus (dicit) ad Moysen: *Sume* tibi *vas unum et mitte ibi man, quantum potest capere gomor, et repone* illud *coram Domino;* super quo loco dicit Glossa: « Ideo de futuro dicit *pone*, ut intelligatur, tunc ante Deum posse reponi, quando futura arca erat ». Quando enim haec arca fabricata est et nata, tunc dulcedine gratiae fuit repleta, non propter se tantum, verum etiam propter generationum successionem; unde Anselmus: « Per plenitudinem gratiae tuae et quae super mundum sunt se gaudent restaurata, et quae in inferno sunt se laetantur liberata ». Nam caelestis gratiae dulcedo in ipsa reposita fuit, ut omnes ad ipsam recurrerent pro impetranda gratia; ad Hebraeos quarto [10]: *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Unde defectus non est nisi ex parte nostra, qui felle amaritudinis summus repleti pro peccatis nostris; ad Hebraeos duodecimo:

Pars II. Consistentia arcae quoad quatuor.

De primo.

---

[1] Vers. 13. 15; sequuntur Ezech. 40, 5. et Luc. 17, 5. 10.
[2] Vers. 1. seq.
[3] Potius auctor serm. de Assumt. B. V. M. (inter opera Hieron.) c. 16. — Sequitur Exod. 25, 11.
[4] Cap. 14, 6; sequitur Matth. 23, 27.
[5] Vers. 1. [6] Vers. 14. seqq.
[7] Respicitur Exod. 25, 15; sequitur Prov. 31, 30.
[8] Vers. 3. seqq.
[9] Vers. 33. — Sequuntur Glossa *ordinaria* in hunc locum desumta ex August., Quaest. in Exod. q. 61, et Anselm., Orat. 52. (alias 51.).
[10] Vers. 16; sequitur c. 12, 15.

Contemplantes, ne quis desit gratiae Dei, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, et per illam inquinentur multi. Unde quidam libentius bibunt fel nequitiae humanae quam dulcedinem gratiae divinae; Deuteronomii trigesimo secundo [1]: *Fel draconum vinum eorum* etc. Sed, sicut dicitur ad Hebraeos ultimo, *optimum est gratia stabilire cor, non escis* etc.

De secundo. Secundo etiam arca fuit continens *virgam Aaron*, quae fronduerat per *virtutem fiduciae*, in cuius figura, Numerorum decimo septimo [2], *invenit Moyses, germinasse virgam Aaron in domo Levi. Dixitque ei Dominus: Refer virgam Aaron in tabernaculum testimonii, ut servetur ibi* etc. Per *virgam germinantem* intelligimus virtutem fiduciae, per quam *virga de radice Iesse* idonea fuit ad germinandum *florem* Nazarenum sine virili semine per Dei promissionem et *Spiritus sancti obumbrationem*, cui Virgo Maria adhaesit fortius et fidenter; Proverbiorum ultimo [3]: *Mulierem fortem quis inveniet? Procul et de ultimis finibus pretium eius*, quia fiducia fortificat mentem et elevat ad bona futura et longinqua obtinenda, cuiusmodi sunt bona aeterna; et hoc potissime fuit in Virgine Maria; Ecclesiastici vigesimo quarto: *In me omnis spes vitae et virtutis. Transite ad me, omnes, qui concupiscitis me et a generationibus meis implemini.* Ad ipsam autem transitur per contemptum temporalem et fiduciam in Deum, quae est virga germinantium fructuum divinorum; Ieremiae decimo septimo: *Benedictus vir, qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia eius.* Et econtra: *Maledictus homo, qui confidit in homine* etc.

De tertio. Tertio fuit arca foederis continens *tabulas testamenti* per *rectitudinem intelligentiae;* Exodi vigesimo quinto [4]: *Pones in arca testificationem, quam dabo tibi.* Haec *testificatio* erat ipsa lex, quae scripta et posita fuit in arca testimonii, id est in corde beatissimae Virginis. Nam de ipsa dicitur Lucae secundo: *Maria autem conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo.* Sicut enim arca testamenti conservabat Legem Moysi, sic ista legem Evangelii per rectam intelligentiam veritatis fidei et totius legis Christi. Unde ipsa poterat dicere illud Psalmi: *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam. Deus meus, volui et legem tuam in medio cordis mei,* quia Evangelium a conceptu virginali incipit; et ideo in ipsa debuit collocari intelligentia legis Evangelii tanquam in loco aptissimo et securo; unde Ecclesiastici vigesimo sexto [5]: *Fundamenta aeterna, supra petram solidam, et mandata Dei, in corde mulieris sanctae,* quia, aliis dubitantibus, in Virgine Maria firma et solida et inconcussa mansit intelligentia veritatis. Et ratio huius est, quia non tantum habuit intelligentiam legis speculativam, verum etiam practicam et experimentalem; de qua dicit Philosophus, quod virtus est certior omni arte. Propter quod in Psalmo dicitur Christo: *Tempus faciendi, Domine, dissipaverunt legem tuam. Ideo dilexi mandata tua super aurum et topazion.*

De quarto. Quarto fuit arca testamenti, quia desuper *continens Cherubim* per *plenitudinem sapientiae;* secundi Paralipomenon quinto [6]: *Cherubim expandebant alas suas super locum, in quo posita erat arca. Cherubim* interpretatur plenitudo scientiae, quae super arcam erant, quia Maria Virgo hac sapientia fuit plena, secundum quod dicit Bernardus [7]: « Maria profundissimam divinae sapientiae penetravit abyssum, ut, quantum de creatura credi fas est, illi luci innaccessibili videatur immersa ». Et quia arcana et secreta divinae sapientiae in se continebat, merito dicitur et est *arca testamenti,* quia in se continuit carnem Christi, in quo *sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi.* Unde et quicumque ad sapientiam vult pervenire, oportet, ut per arcam deducatur ad propitiatorium, ubi *Cherubim respiciunt se mutuo, versis vultibus in propitiatorium,* quia tota sapientia, quae in duobus Testamentis continetur, respicit ad Christum crucifixum; unde Paulus, sapientissimus Apostolorum, dicebat primae ad Corinthios secundo [8]: *Non iudicavi, me scire aliquid inter vos nisi Iesum Christum, et hunc crucifixum.*

Pars III. Efficacia arcae quadruplex. III. Post haec consideranda est arcae *efficacia,* per quam repraesentatur Virgo Maria quantum ad id quod est *ab* ipsa. Nam illa arca in figura Virginis efficax fuit: primo, in *dirigendo proficientes,* secun- De primo. dum illud Numerorum decimo [9]: *Arca foederis Domini praecedebat eos, per tres dies providens castrorum locum.* Per istos *tres dies* intelligitur praesens vita tota quantum ad initium, progressum et occasum; vel quantum ad triplex votum, per quod homo vadit in desertum Religionis, quasi per viam *trium dierum,* scilicet contipentiae, paupertatis et obedientiae, et hoc manuducente beata Virgine, quae fuit pauperrima, humillima et integerrima. Ipsa enim *praecedit* et viam parat, quousque perducat in terram promissionis; Iosue tertio: *Arca foederis Domini omnis terrae antecedet vos per Iordanem;* et sequitur, quod siccatae sunt aquae ad ingressum arcae, quia per adiutorium Virginis illa quae videbantur difficilia, fiunt facilia ad portandum.

De secundo. Secundo etiam arca in figura Virginis erat efficax in *defensando pugnantes;* secundi Paralipomenon

---

[1] Vers. 33; sequitur Hebr. 13, 9.
[2] Vers. 8. 10; sequuntur Isai. 11, 1. et Luc. 1, 35.
[3] Cap. 31, 10; sequuntur Eccli. 24, 25. seq. et Ier. 17, 7. 5.
[4] Vers. 16; sequuntur Luc. 2, 19. et Ps. 39, 8. seq.
[5] Vers. 24. — Sequuntur Aristot., II. Ethic. c. 6. et Ps. 118, 126. seq.
[6] Vers. 8.
[7] Serm. in Domin. infra Oct. Assumt. B. V. M. n. 3. — Sequuntur Coloss. 2, 3. et Exod. 25, 20.
[8] Vers. 2.
[9] Vers. 33; sequitur Ios. 3, 11. seqq.

sexto [1]: *Consurge, Domine Deus, in requiem tuam, tu et arca fortitudinis tuae.* Ideo *fortitudinis* dicitur, quia fortis est ad defensandum; unde canimus: « Da mihi virtutem contra hostes tuos ». In huius figura, primi Regum quarto, *afferamus*, inquiunt, *ad nos de Silo arcam foederis Domini, et veniat in medium nostri, ut salvet nos de manu inimicorum nostrorum*, quia revera ipsa potest salvare. Verumtamen ibi subiungitur, quod non omnes salvavit [2]; et ratio huius est, quia ipsi erant foedati per idololatriam; unde exterius venerabantur, sed interius contemnebant. Propter quod Bernardus: « In periculis, in angustiis Mariam cogita, Mariam invoca, et ut impetres orationis eius suffragium, non deseras conversationis eius exemplum ». Nam qui ore invocat et opere impugnat non est dignus exaudiri et salvari, sed potius condemnari.

De tertio. Tertio efficax erat arca in *reconciliando poenitentes;* Exodi vigesimo sexto [3]: *Pones propitiatorium super arcam testimonii in Sancta sanctorum.* Quid per *propitiatorium* intelligitur nisi ille, per quem (est) remissio peccatorum? Primae Ioannis secundo: *Advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum; et ipse est propitiatio pro peccatis nostris* etc.; et istud *propitiatorium* (est) *super arcam*, quia ad ipsum accedimus per Virginem Mariam, quae tanquam mater misericordiae pro nobis ad Filium interpellat, iram Dei mitigat contra peccata nostra. In cuius figura primi Regum septimo: *Factum est, ex qua die mansit arca Domini in Cariathiarim, multiplicati sunt dies. Cariathiarim* interpretatur villa deficiens, per quam intelligitur iste mundus, qui semper tendit ad defectum propter peccatum; sed tamen *dies* gratiae *multiplicantur* per sufficientiam Virginis gloriosae.

De quarto. Quarto efficax fuit arca ad *prosternendum rebelles;* Numerorum decimo [4]: *Cum elevaretur arca, dicebat Moyses: Surge, Domine, et dissipentur inimici tui;* unde de Virgine cantamus versum: « Gaude, Maria Virgo » etc. Unde ipsa est *mulier, quae contrivit caput serpentis;* ipsa etiam est arca, quae percussit Philisthiim; primi Regum quinto [5]: *Illis circumducentibus* arcam, *fiebat manus Domini per singulas civitates interfectionis magnae nimis.* In huius figura dicitur Iosue sexto, quod, arca Domini circumiente Iericho, ceciderunt muri Iericho, quia ipsa est, quae adversarios suos et Christi dispergit, sicut Esther Aman [6] et sicut Iudith interficiens Holofernem et sicut Iahel Sisaram; ipsa enim est hostibus nostris terror sicut *castrorum acies ordinata* [7].

Pars IV. Honorificentia per quadraplex obsequium.

IV. Postremo consideranda est arca quantum ad *honorificentiam,* quae sibi fiebat, ut ex hoc intelligatur honor et reverentia, quae debet haberi ad Virginem gloriosam. — Ipsa namque sub figura arcae honorificanda est obsequio *concordi;* in cuius figuram, tertii Regum octavo [8], *congregati sunt omnes maiores natu Israel cum principibus tribuum et duces familiarum filiorum Israel ad regem Salomonem in Ierusalem, ut deferrent arcam foederis Domini de civitate David;* in quo intelligitur, quod in honorem Virginis gloriosae unaniniter ad exhibendum sibi honorem et reverentiam congregari (debent) tam magni quam parvi, secundum illud primi Paralipomenon decimo quinto: *Universus Israel deducebant arcam foederis Domini in iubilo.* Nulli dubium, quin viri Israelitae, Deum videntes, scilicet Angelum, deferant ei honorem cum omni concordia voluntatum. Et nos Israelitae debemus modo nostro ipsam honorificare, alioquin, cum ipsa diligat omnes, si odimus, aliquod obsequinm nostrum non potest sibi placere; et hoc bene significat, quod *deducebant eam in Ierusalem,* quae interpretatur *visio pacis;* unde ipsa dicit Ecclesiastici vigesimo quarto: *Et sic in Sion firmatu sum et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Ierusalem potestas mea.* De primo.

Secundo honoranda est obsequio *humili;* in cuius figuram, secundi Regum sexto [9], *David erat accinctus ephod lineo. Et David et omnis domus Israel ducebant arcam testamenti Domini in iubilo et in clangore buccinae. David,* qui humiliter honorabat arcam, significat Christum, qui humiliter honorat Matrem Virginem gloriosam. Sicut enim exemplo regis humiliati ceteri humiliabantur libenter ad honorificandam arcam; sic exemplo veri David, id est Christi, qui se humiliavit ad honorem exhibendum isti arcae, quia *erat subditus* Matri, Lucae secundo, viri christiani debent humiliari et honorare ipsam, quia, cum ipsa sit magistra humilitatis, quanto quis magis sub ipsa humiliatur, tanto magis eam honorat. Sed sequitur ibi: *Cum intrasset arca Domini in civitatem David, Michol, filia Saul, prospiciens per fenestram, vidit regem David subsilientem atque saltantem coram Domino; et despexit eum in corde suo. Michol* interpretatur omnis aqua, et significat sapientiam mundanam, quae despicit humilitatem christianam; sed verus Christianus respondet: *Ludam et vilior fiam* etc. De secundo.

Tertio honoranda est obsequio *celebri;* in cuius figuram, secundi Regum sexto [10], *abiit David et adduxit arcam Dei de domo Obededom; et erant cum* De tertio.

---

[1] Vers. 41; sequuntur Breviar. Roman. Vers. ad Vesp. in Commun. B. V. M. et I. Reg. 4, 3.

[2] Cfr. I. Reg. 4, 10. — Sequitur Bernard., homil. 2. super *Missus est*, n. 17.

[3] Vers. 34; sequuntur I. Ioan. 2, 1. seq. et I. Reg. 7, 2.

[4] Vers. 35; sequitur Breviar. Roman. Antiph. I. in 3. Noct. de Commun. B. V. M. et infra respicitur Gen. 3, 15.

[5] Vers. 9; dein respicitur Ios. 6, 11. 20.

[6] Respicitur Esth. 7, 10; Iudith 13, 10. et Iudic. 4, 21.

[7] Respicitur Cant. 6, 3.

[8] Vers. 1; sequuntur I. Par. 15, 28. seq. et Eccli. 24, 15.

[9] Vers. 14. seq.; dein respicitur Luc. 2, 51. et sequitur II. Reg. 6, 16. et dein v. 22.

[10] Vers. 12. et dein v. 14. et v. 6. seq.

David septem chori. Per istos *septem choros*, qui convenerant ad solemnitatem faciendam arcae, significatur concursus universitatis fidelium, qui debet esse distinctus, non confusus, sed ordinatus ad decantationem divinarum laudum. Et quia divinae laudes debent totis viribus decantari, ideo subditur, quod *David* percutiebat in organis et *saltabat totis viribus ante Dominum;* et hoc, quia exemplum acceperat de percussione Ozae, qui non reverenter tetigerat arcam, et ideo percussus fuerat. Ibi enim dicitur, quod *extendit Oza manum ad arcam Dei, et percussit eum* Dominus *super temeritate.* Ille enim *extendit manum ad arcam* irreverenter, qui turpe aliquid de ipsa cogitat.

De quarto. Quarto honoranda est arca obsequio *infatigabili;* propter quod dicitur primi Regum tertio [1], quod *Samuel dormiebat in templo Domini, ubi erat arca Dei,* quia continue servitio arcae intendebat, attendens illud Evangelii, quod *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Unde Iosue quarto (dicitur), quod *sacerdotes, qui portabant arcam* foederis Domini, *stabant in Iordanis medio, donec omnia complerentur,* quod fiet, cum perventum fuerit ad gloriam, ad quam nos etc.

Sermo VI [2].

Obtenebrentur stellae caligine eius; exspectet lucem, et non videat nec ortum surgentis aurorae [3].

Triplex nativitatis diversitas. Hic tangitur triplex diversitas nascentium Sanctorum per *stellas, lucem* et *auroram*, et triplex nativitas; omnes enim Sancti, communi lege naturae concepti et nati, cum originali concepti sunt et nati. Quantum ad illos ergo dicitur: *Obtenebrentur stellae caligine eius;* sed Christus nec in conceptione nec in nativitate originale habuit; unde sequitur: *exspectet lucem* etc. Beata Virgo, etsi in originali concepta sit, sine originali nata est, quocirca subiungitur: *nec ortum.* — Notandum vero, quod de quatuor Quatuor stellarum diversitas. stellis in Scriptura reperitur: est enim stella *data in praemium, producens Christum, perducens ad ipsum, ornans firmamentum.* — (Est stella data in De stella prima. praemium), id est *Christus;* Apocalypsis [4]: *Ego sum radix,* ratione Deitatis; *et genus,* ratione humanitatis, *David; stella splendida,* id est conversatione; et *matutina,* in resurrectione. Haec stella datur in praemium; Apocalypsis: *Qui vicerit et custodierit usque in finem opera mea, dabo illi stellam matutinam.*

De secunda. — Secunda est *Mater Christi;* Numerorum vigesimo quarto [5]: *Orietur Stella ex Iacob.* Haec produxit solem; unde cantatur: « Solem iustitiae Christum paritura supremum, stella Maria maris hodie processit ad ortum [6] ». — Tertia est *gratia;* Matthaeus [7]: *Vidimus stellam eius in oriente,* scilicet, dum oritur lumen gratiae per peccatum caecatis; Sapientia: *Excaecavit enim illos malitia eorum.* — Quarta est quilibet *fidelis bonus,* qui ornat firmamentum, id est Ecclesiam, quae firma est, quia *portae inferi non praevalebunt adversus eam* [8]; Ecclesiasticus: *Species caeli, gloria stellarum.* Ecclesia hic dicitur *caelum,* in qua electi sunt celati.

De tertia. De quarta.

De stella instorum tangentur quatuor. De primo.

Iusti autem dicuntur stellae, quia sunt in substantia *incorruptibiles,* in situ *sublimes,* in cursu *regulares,* in illuminando *utiles.* — De primo, sunt *incorruptibiles* a peccati corruptione; Ecclesiasticus [9]: *Ego feci in caelis, ut oriretur lumen indeficiens;* Sapientiae sexto: *Custoditio legum, consummatio incorruptionis est; incorruptio autem facit esse proximum Deo;* Iob: *Cum te consumtum putaveris, orieris ut lucifer.* — Secundo, *sublimes* in situ per conversationem; Ecclesiasticus [10]: *Mundum illuminans in excelsis Dominus;* Apostolus: *Nostra conversatio in caelis est.* — Tertio, in motu *regulares* servando certum ordinem; Iudicum quinto [11]: *Stellae manentes in ordine et cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt.* Quilibet nostrum in baptismo ordinem est professus, in quo currere debemus; Apostolus: *Omnes quidem currunt, sed unus,* per caritatem unitus, *accipit bravium.* — Quarto, illuminatione *utiles* per bonum exemplum: *Fecit Deus duo luminaria magna et stellas et posuit eas in firmamento caeli, ut lucerent per noctem* [12]; Apostolus: *Inter quos lucetis sicut luminaria, verbum vitae continentes.*

De secundo. De tertio. De quarto.

Econtra de stellis reprobarum quatuor. Econtra sunt stellae reprobae, scilicet *percussae, ruinosae, erraticae, nigrae factae.* Et ista quatuor praedictis bonarum stellarum conditionibus opponuntur; illae incorruptibiles, istae *percussae;* illae sublimes, istae *ruinosae;* illae in motu regulares, istae *erraticae;* illae illuminosae, istae *nigrae factae.* — Per stellas *percussas* notantur hypocritae; Apocalypsis [13]: *Tertia pars stellarum percussa est.* Hypocritae sunt stellae per apparentiam, quia, sicut Bernardus super illo verbo: *Ille erat lucerna* dicit, « lucere tantum est vanum, ardere tantum est parum; lucere autem et ardere est perfectum ». Istae percutiuntur in praesenti per morsum conscientiae, in futuro per poenam gehennae. — Per *ruinosas* notantur avari, qui

[1] Vers. 3; sequuntur Matth. 24, 13. et Ios. 4, 10.

[2] Ex cod. Trecensi n. 1464. fol. 73 r. — Sequentis textus expositio sine formali divisione videtur contracte facta esse ab alio.

[3] Iob 3, 9.

[4] Cap. 22, 16; sequitur c. 2, 26. 28. [5] Vers. 17.

[6] Cfr. Mone, Hymni Lat. Medii aevi, hymn. 555. stropha secunda, ubi legitur: « Ipsum solem institiae indutum carne ducis in orbem ».

[7] Cap. 2, 2; sequitur Sap. 2, 21.

[8] Matth. 16, 18; sequitur Eccli. 43, 10.

[9] Cap. 24, 6; sequuntur Sap. 6, 19. seq. et Iob 11, 17.

[10] Cap. 43, 10; sequitur Phil. 3, 20.

[11] Vers. 20; sequitur I. Cor. 9, 24.

[12] Gen. 1, 16. seq.; sequitur Phil. 2, 15. seq.

[13] Cap. 8, 12. — Sequitur Bernard., serm. in Nativ. Ioan. Bapt. n. 3, ubi alluditur ad Ioan. 5, 35.

in terrenorum cupiditatem cadunt; Apocalypsis [1]: *Stellae de caelo ceciderunt super terram.* — Per *erraticas* notantur in fide errantes; Iudas [2]: *Sidera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in aeternum;* Psalmus: *Errare fecit eos in invio et non in via;* Apostolus: *Sine fide impossibile est placere Deo.* — Per *nigras* intelliguntur in peccatis obstinati; Ezechiel [3]: *Stellas nigrescere faciam.* — Sic ergo stellae designant tam bonos quam malos; de quibus dicitur: *Obtenebrentur stellae caliginе*, (per) illud quadruplex malum, quod secundum Bedam [4] per originale inflictum est homini, scilicet *ignorantia* in intellectu, *malitia* in affectu, *impotentia* in effectu, *concupiscentia* in his omnibus conflata. Et haec sunt quae Iob [5] ante tangit: *Obscurent eum tenebrae*, scilicet ignorantiae; *et umbra mortis*, id est malitiae; *occupet eum caligo*, scilicet concupiscentiae; *et involvatur amaritudine*, scilicet impotentiae.

Et postea sequitur: *exspectet lucem*, id est *Christum*, ut supra dictum est; de quo Isaias [6]: *Dedi te in foedus populi*, quoad Iudaeos; et *in lucem gentium*, quoad paganos; Ioannes: *Ego lux in mundum veni; et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* Sed quare hoc sit, Augustinus [7] declarat: « Oculis, inquit, aegris odiosa est lux, quae puris est amabilis ». Haec autem lux *malos* in praesenti arguit et in futuro manifestabit; *bonos* in praesenti dirigit, in futuro remunerabit. — *Arguit* ergo *(malos);* Ioannes: *Omnis, qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera eius;* Psalmus: *Arguam te, et statuam contra faciem tuam.* Qui sine timore peccat in dorso peccata portat, quia periculum quasi retro positum non considerat; sed *contra faciem suam statuitur*, dum in conscientia sua de peccato redarguitur; Ieremias [8]: *Arguet te malitia tua*, et hoc ipsum facit per lucis gratiam; Psalmus: *Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine; Deus meus, illumina tenebras meas.* *Manifestabit* autem in futuro; Apostolus [9]: *Omnia, quae arguuntur, a lumine manifestantur;* item: *Illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium.* — *Bonos* autem in praesenti *dirigit;* Ioannes [10]: *Ambulate, dum lucem habetis, ut non vos tenebrae comprehendant;* item: *Qui sequitur me non ambulat in tenebris.* Sed ipsos in futuro *remunerabit;* Ecclesiastes: *Dulce lumen, et delectabile est oculis videre solem* [11].

Hi exspectant Christum.

Malos arguit.

Malos manifestabit.

Bonos dirigit et remunerabit.

Sequitur: *nec ortum* etc. *Beata Virgo* dicitur oriri ut *stella;* Numerorum vigesimo quarto [12]: *Orietur stella ex Iacob*, scilicet, ut *corrigat* errantes; unde ipsa dicitur Stella maris. — Ut *lux;* Esther octavo: *Iudaeis nova lux oriri visa est*, ut *dirigat* bene operantes; Ioannes: *Qui facit veritatem venit ad lucem.* — Ut *aurora*, sicut in proposito, ut *recreet* aegrotantes. Nec solum dicitur oriri, sed etiam *surgere* et *progredi:* primo, ab originali labe; secundo, in bono opere. — De primo, in proposito; de secundo, Cantica [13]: *Quae est ista quae progreditur quasi aurora?* Item, dicitur *ascendere* in assumtione; Genesis: *Dimitte me, iam enim ascendit aurora.* — Est autem *aurora* per specialia *privilegia*, per *beneficia* homini impensa, per *praemia* sua caelestia.

De triplici ortu stellae B. Mariae.

Est aurora tripliciter.

Habet autem triplex *privilegium*, scilicet specialis *conditionis, nativitatis, conceptionis.* — *Natura* specialiter a Deo est condita; Psalmus [14]: *Tu fabricatus es auroram et solem*, id est Virginem et eius Prolem. Prius dicitur *aurora* quam *sol*, licet haec ab illo creetur, sic et Virgo fuit temporaliter prius Prole, licet ab illa creata; Psalmus: *Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus;* Ecclesiasticus [15]: *Qui creavit me requievit in tabernaculo meo.* Ante auroram non apparent colores; sic ante Virginem nec gratiae nec virtutes, sed dicebatur: *Domine, in caelo misericordia tua.* — Specialiter etiam est *nata* sine originali peccato; unde etiam dicitur *virga;* Isaias [16]: *Egredietur virga de radice Iesse* etc.; *virga* radici adhaeret, sed ad radicem non reflectitur; sic Virgo per communem legem in conceptione contrahens radici humani generis adhaesit, sed postea sanctificata non reflectitur. — Specialiter etiam Filium *concepit;* secundi Regum vigesimo tertio [17]: *Sicut lux aurorae, oriente sole, mane absque nubibus rutilat, et sicut pluviis germinat herba de terra;* Virgo *sine nubibus rutilabat*, dum sine peccatorum obnubilo in conversatione splendebat. Ipsa autem Virgo, *terra*, omnem cadentem recipiens et sustentans, *pluviis*, id est abundantia gratiarum, *germinat herbam*, id est Filium.

Prius, per triplex privilegium.

De conditione.

De nativitate.

De conceptione.

Beneficia vero Virgo impendit dupliciter, scilicet ad *vitandum malum* et ad *consequendum bonum.* — Ad *cavendum malum* tripliciter: contra malum *culpae* impetrans remissionem; contra malum *poenae*, invamen; contra malum *poenae*, consolationem. — De primo, illud Regum: *Sicut lux aurorae* etc. Hoc quod supra expositum est (in) nativitate

Secundo, per duplex beneficium.

Ad cavendum malum tripliciter.

De primo.

---

[1] Cap. 6, 13.
[2] Vers. 13; sequuntur Ps. 106, 40. et Hebr. 11, 6.
[3] Cap. 32, 7.
[4] Scilicet Exposit. in Luc. 10, 30. seq.; vide quae diximus tom. II. pag. 506, nota 3. et pag. 528, nota 2.
[5] Cap. 3, 5.
[6] Cap. 42, 6; sequuntur Ioan. 12, 46. et c. 3, 19.
[7] Serm. 88. (alias 18. de Verbis Dom.) c. 6. n. 6. — Sequuntur Ioan. 3, 20. et Ps. 49, 21.
[8] Cap. 2, 19; sequitur Ps. 17, 28.
[9] Eph. 5, 13; sequitur I. Cor. 4, 5.
[10] Cap. 12, 35; sequuntur c. 8, 12. et Eccle. 11, 7.
[11] Cfr. Bonav., Collat. 1. in Ioan. n. 2, ubi similis divisio invenitur.
[12] Vers. 17; sequuntur Esther 8, 16. et Ioan. 3, 21.
[13] Cap. 6, 9; sequitur Gen. 32, 26.
[14] Psalm. 73, 16. et dein Ps. 86, 5.
[15] Cap. 24, 12; sequitur Ps. 35, 5.
[16] Cap. 11, 1.
[17] Vers. 4.

Christi de Virgine potest exponi de spirituali eius nativitate in fidelium mente. Nam per intercessionem aurorae, id est Mariae, Sol iustitiae oritur in peccatoris corde, quod pluviis gratiae fecundatum generat herbam bonorum operum. — De secundo, Iob [1]: *Perfodit in tenebris domos; si subito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis.* Dum enim diaboli per tentationem in domum fidelis mentis machinantur, mox ad apparitionem aurorae, id est auxilii Virginis, effugantur; unde in Canticis: *Terribilis ut castrorum acies ordinata.* — De tertio, Genesis [2]: *Dimitte me, iam enim ascendit aurora;* et sequitur: *Si contra Deum fortis fuisti;* ibi enim Iacob, timens tribulationem fieri a fratre, consolatus est. — Dat etiam beata Virgo beneficia ad *consequendum bonum*, quia est *lucerna bene operantibus*, « cuius vita inciyta cunctas illustrat ecclesias ». Nehemias dixit [3], quod media pars operantium *faceret opus, et media pars teneret lanceas ab ascensu aurorae, donec egrediantur astra. Media pars*, id est, hi qui sunt in Ecclesia militante, debent operari et opera sua a daemonibus defendere *ab ascensu aurorae*, a lumine Virginis gloriosae illuminati, *donec astra*, id est animae, de corpore *egrediantur.* — Iterum, quia est *patrocinium orantibus;* Genesis [4]: *Dimitte me, iam enim ascendit aurora.* Iacob in aurora exauditur et benedicitur, quia qui devote Virginem invocat votis suis non frustratur; sed quomodo ille oraverit, Oseas dicit: *Flevit et rogavit eum; fletus* enim *devotionis* et *intentio orationis* sunt brachia, quibus spiritualis Iacob cum Domino luctatur. — Iterum, quia est *speculum contemplantibus;* Cantica: *Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens, pulcra ut luna* etc. Sic ergo est aurora ratione privilegiorum et ratione beneficiorum.

Est etiam aurora ratione caelestium *praemiorum;* Iob [5]: *Nunquid post ortum tuum praecepisti diluculo?* Christus *post ortum suum praecepit diluculo,* id est gratiae; et sequitur: *et ostendisti aurorae locum suum,* id est Virgini beatae thronum gloriae.

De secundo.

De tertio.

Item, ad consequendum bonum tripliciter dispositis. De primis.

De secundis.

De tertiis.

Praemia Virginis.

Sermo VII [6].

Fons ascendebat e terra, irrigans universam superficiem terrae, Genesis secundo [7].

In hoc verbo commendatur ortus Virginis Mariae sub metaphora *fontis ascendentis et irrigantis,* cuius non tantum describitur *ortus,* sed etiam *ascensus* sive profectus et *fructus. Ascensus* quidem tangitur, cum dicitur: *Fons ascendebat* etc.; *ortus* vero, cum subditur: *e terra; fructus* vero, cum infertur: *irrigans* etc., ut sic intelligamus, Virginem non solum in *ortu* Virginem *sanctam fuisse,* verum etiam in *sanctitate profecisse* et *sanctitatem diffudisse.*

Divisio.

I. *Ortus* autem *fontis* consuevit esse *secretus, profundus* et *sapidus.* Aqua enim fontis exit a mari colata per viscera terrae, per quam dulceratur et subtiliatur; sic ortus Virginis fuit *secretus* per donum *continentiae;* Canticorum quarto [8]: *Hortus conclusus, soror mea sponsa.* — Fuit *profundus* per donum *reverentiae;* Ioannis quarto: *Iesus fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem;* et post sequitur, quod *puteus altus erat,* id est profundus. — Fuit *sapidus* per donum *sapientiae;* quarti Regum secundo, in figura *egressus* Eliseus *ad fontem aquarum, misit in illum sal* etc.

Pars I. Ortus fontis triplex.

II. *Ascensus* autem fontis consuevit esse *festinus, continuus* et *diffusus;* sic *ascensus* sive profectus Virginis fuit *festinus* per multum *fervorem;* Canticorum quarto [9]: *Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quae fluunt impetu de Libano.* — Fuit *continuus* per multum *vigorem;* Isaias: *Eris quasi hortus irriguus et sicut fons aquarum, cuius non deficient aquae.* — Fuit *diffusus* per multum *amorem;* Esther decimo: *Parvus fons, qui crevit in fluvium.*

Pars II. Ascensus fontis triplex.

III. *Fructus* vero sive effectus fontis consuevit ad tria valere, scilicet ad *lavacrum* et ad *potum* et ad *fomentum* plantarum viridium, unde est *purgativus, potabilis* et *praeservativus;* sic Virgo Maria est fons *purgativus,* nobis obtinendo *veniam;* Zachariae decimo tertio [10]: *Erit fons patens domui David et habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris et menstruatae.* — Est fons *potativus* impetrando *gratiam;* in cuius figura dicebat Moyses Numerorum vigesimo: *Domine Deus, audi clamorem populi huius et aperi eis thesaurum tuum, fontem aquae vivae.* — Est fons *praeservativus* perducendo ad *gloriam;* Ioannis quarto: *Qui autem bibcrit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum, sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam;* Psalmus: *Apud te est fons vitae,* quem nobis praestare etc.

Pars III. Fructus fontis valet ad tria.

[1] Cap. 24, 16; sequitur Cant. 6, 9.
[2] Cap. 32, 26. 28. — Sequitur Breviar. Rom. antiph. 2. ad Laudes in festo Nativ. B. V. M.
[3] Libr. II. Esdr. 4, 21.
[4] Cap. 32, 26. 29; sequuntur Osee 12, 4. et Cant. 6, 9.
[5] Cap. 38, 12.
[6] Hoc schema sumtum est ex cod. biblioth. Monacensis, sign. W (n. 7776) fol. 193 r. Inscriptio eius est: *Nativitas B. Mariae. Sermo.* Eundem locum S. Doctor pluries explicat in sensu mystico et de B. Virgine Maria.
[7] Vers. 6.
[8] Vers. 12; sequuntur Ioan. 4, 6. 11. et IV. Reg. 2, 21.
[9] Vers. 15; sequuntur Isai. 58, 11. et Esther 10, 6.
[10] Vers. 1; sequuntur Num. 20, 6; Ioan. 4, 13. seq. et Ps. 35, 9.

S. BONAVENTURAE

SERMONES DE DIVERSIS

Sermo 1. De modo vivendi [1].

Quisquis es, qui per fidem, spem et caritatem vis ad salutem pertingere, necesse habes triplici te studio mancipare, videlicet *orationi devotae, conversationi honestae* et *confessioni satisfactoriae*, secundum illud Michaeae sexto [2]: *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Deus requirat a te: Utique facere iudicium*, veraciter confitendo, *et diligere misericordiam*, sancte cum aliis conversando, *et sollicitum ambulare cum Deo tuo*, vigilanter orationibus insistendo.

Divisio.

1. Primum, ante omnia, quia nihil boni per nos possumus, *orandus est Deus*, iuxta quod ipse dixit in Matthaeo [3]: *Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius.* Haec autem oratio offerenda est Deo dupliciter, scilicet *vocaliter* et *mentaliter*, secundum duplicem hominis partem, iuxta illud propheticum: *Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum;* et iuxta illud apostolicum: *Cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino.* — Haec autem oratio *vocalis* offerenda est Deo *distincte, attente* et *devote: distincte*, ne verba confundantur; *attente*, ne mens in alia vagetur; *devote*, ut mens in Dei laudibus delectetur. Et hoc septies in die iuxta statutum Ecclesiae et testimonium David [4] dicentis: *Septies in die laudem dixi tibi;* et hoc ad promerendam septiformem gratiam Spiritus sancti. — Offerenda est Deo nihilominus oratio *mentalis*, de qua dicit Apostolus ad Timotheum [5]: *Volo, viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira et disceptatione* ad Deum; quia in omni necessitatis nostrae articulo debet mens nostra refugere ad Deum tanquam ad unicum et praecipuum adiutorem; quod quidem fit puris et affectuosis cordis gemitibus ad Deum, secundum quod dicit Gregorius: « Veraciter orare est amaros compunctionis gemitus et non composita verba resonare ». Licet autem haec oratio frequentissime Deo sit offerenda, praecipue tamen debet diebus solemnibus et festivis ad hoc statutis et aliis diebus horis determinatis offerri, et praecipue mane et sero, ut suscipiatur *imber temporaneus et serotinus*, et oratio matutina impetret gratiam *dirigentem*, oratio vero serotina gratiam *corrigentem* et *emundantem*. — Sed debet haec oratio duos habere comites, unum *praecedentem* et alium *subsequentem*. *Praeire* namque

Pars I. De oratione devota duplici.

Oratio vocalis.

Oratio mentalis.

Duos habeat comites.

---

[1] Multi codices habent hunc sermonem, aliquando scriptum per modum tractatus distinctis titulis. Textum summum ex cod. biblioth. Düsseldorpiensis in 12. non sign. incat. saec. XV. fol. 60 r., ubi inscribitur Bonaventurae. Variantes lectiones sumtae sunt ex codd. (1.) biblioth. episcopi Tornacensis, cod. X. 33. 3. in 4. chart. saec. XV. fol. 51 v. et (2.) cod. Cantabrigensi biblioth. Corporis Christi cod. 335. chart. saec. XV. — Non collati sunt codices (3.) biblioth. Basileensis cod. A. V. 39. membr. saec. XIV. in XV. fol. 80 v., ubi in opusculo *Stimulus amoris* c. 26. hic sermo est insertus; — (4.) Berolinensis, biblioth. Regia, cod. Msc. Lat. 133. chart. saec. XV. fol. 182 r. (anonym.); — (5.) ibid. Msc. Lat. cod. 171. saec. XV. fol. 187 r.; — (6.) Bruxellensis, cod. 2196-2215. membr. saec. XIV. in XV. membr. in fine; — (7.) ibid. cod. 2724-2739. an. 1514 fol. 149 r.; — (8.) Florentinus, biblioth. Laurentian., Plut. XIX. dexir. cod. 10. saec. XIV. in XV. fol. 159 r. (anonym.); — (9.) Leodiensis, biblioth. Seminarii, cod. 6. n. 2. chart. saec. XV. fol. 62 r. (cum nomine Bonaventurae); — (10.) Lovaniensis, biblioth. Civitatis, cod. 15. insertus in *Stimulo amoris;* — (11.) Matritensis Escurial., cod. P. 186. chart. saec. XV. fol. 57 v. (anonym.); — (12.) Rheno-Traiectensis, biblioth. Academiae, cod. 354. chart. saec. XV: « Tractatus Bonaventurae de ordinatione vitae », fol. 49 v.; — (13.) Trecensis, cod. 565. (olim 212.) chart. saec. XV. (anonym.); — (14.) Trevirensis, biblioth. Civitatis, cod. 565. (olim 212.) chart. saec. XV; — (15.) ibid. cod. 827. (1043.) chart. (scriptus an. 1360.) fol. 69 v., uterque cum nomine Bonav.; — (16.) habetur etiam versio in linguam Italicam in biblioth. Florentina Nation. cod. 283, sed sermo insertus est in opusculo *Stimulus amoris* etiam verso in linguam Italicam, paulo ante finem.

[2] Vers. 8.

[3] Cap. 6, 33; sequuntur Ps. 83, 3. et Eph. 5, 19.

[4] Psalm. 118, 164.

[5] Epist. I. c. 2, 8. — Sequuntur Gregor., XXXIII. Moral. c. 23. n. 43. et Osee 6, 3.

Praeire debet meditatio.

debet *meditatio*, iuxta quod dicit Sapiens in Ecclesiastico [1]: *Ante orationem praepara animam tuam;* et hoc fit per meditationem, de qua Propheta in Psalmo: *In meditatione mea exardescet ignis*, id est fervor desiderii, sine quo nullum sacrificium devotae orationis nec potest nec debet offerri. — Sequi autem debet *gratiarum actio*, in cuius rei signum omnis Ecclesiae oratio terminatur in hoc verbo: « Deo gratias ». Ad quod hortatur Apostolus ad Colossenses, dicens: *Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione*, quia maximam partem orationis sibi vindicare debet gratiarum actio, quae non tantum debet esse verbosa, quantum affectuosa. Haec autem affectuositas tam in oratione quam in gratiarum actione consurgit ex intenta et fixa meditatione miseriarum nostrarum et misericordiarum Dei, tam generalium quam specialium, tam communium quam particularium. Nullus enim ardenter *petit*, nisi credat, se rei, quam petit, indigentiam habere et fiduciam de exauditione. Nec aliquis devote *regratiatur* Deo, nisi attendat magnitudinem divini doni et defectum meriti ex parte sui. Hoc autem sacrificium orationis mentalis est maxime Deo placitum et acceptum, secundum illud dominicum in Ioanne [2]: *Pater tales quaerit, qui adorent eum in spiritu et veritate.*

Sequi gratiarum actio.

II. Et quoniam in scala Iacob non est locus standi, sed ascendendi et descendendi [3]; ideo non tantum vacandum est orationi devotae, verum etiam *conversationi honestae* et sanctae. Consistit autem conversationis sanctitas in duobus, scilicet in *directione iustitiae* et in *districtione disciplinae*. — *Directio* vero iustitiae consistit in hoc, quod voluntas rectificatur in reddendo unicuique quod suum est, utpote superioribus subiectionem et reverentiam, paribus conformationem et benevolentiam, inferioribus condescensionem et providentiam; quoniam *unusquisque gratiam*, secundum quod *accepit, in alterutrum* debet *administrare sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei*, iuxta documentum Apostoli Petri [4]. Et hoc idem fit, cum indigentibus exhibetur subventio, ignorantibus eruditio, delinquentibus correptio, malignantibus supportatio, afflictis confortatio, cadentibus elevatio, ceteris miseris compassio et cunctis hominibus pax et dilectio, in qua est consummatio totius legis et iustitiae, secundum testimonium Apostoli dicentis: *Qui diligit proximum legem implevit.* Et ideo ad hoc debitum reddendum praecipue hortatur, dicens: *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* In huius enim debiti solutione cuncta debita solvuntur, maxime cum proximos *diligimus non tantum verbo vel lingua, sed* etiam *opere et veritate*, cum adest facultas. Nam cum non adest, ipsa voluntas reputatur pro opere, secundum Gregorium [5], qui dicit: « Nunquam est vacua manus a munere, si arca cordis fuerit repleta bona voluntate ». Et subiungit: « Voluntas autem bona est sic adversa alterius sicut nostra pertimescere; sic de prosperitate proximi sicut de nostro profectu gratulari, aliena damna nostra credere, aliena lucra nostra deputare, amicum non propter mundum, sed propter Deum diligere, inimicum etiam amando tolerare; nulli quod pati non vis facere, nulli quod iuste impendi vis tibi negare, necessitati proximi non solum iuxta vires succurrere, sed ultra vires velle prodesse ». Et haec est recta descriptio voluntatis bonae, in qua consistit rectitudo iustitiae, quae esse non potest sine dulcore misericordiae.

Pars II. De conversatione honesta duplici.

Directio iustitiae.

Districtio disciplinae duplicis.

Ad hanc autem voluntatem bonam acquirendam, augendam et conservandam necessaria est *districtio disciplinae*, cuius est ad normam et regulam spiritum mentis nostrae secundum *exteriorem* et *interiorem* hominem componere. *Exterior* namque disciplina attenditur in regimine *sensuum* et sibi *adiacentium*, *interior* vero in regimine *affectionum* et *cogitationum*. — Primum igitur cupienti se sub norma disciplinae restringere refrenandus est *sensus tactus* per districtissimum cingulum castitatis; sensus *gustus*, per mensuram sobrietatis; sensus nihilominus *odoratus*, per fugam eorum quae carnem accendunt praebendo fomentum gulae seu luxuriae; sensus etiam *auditus*, per fugam cantilenarum et sonorum oblectantium et verborum omnium inutilium et praecipue detrahentium et adulantium; sensus etiam *visus* arcendus est ab aspectu concupiscibilium, quia, ut dicit Gregorius [6], « non decet intueri quod non licet concupiscere ». Haec est prima norma disciplinae in arctatione quinque sensuum quasi quinque fenestrarum, *per quas mors intrat*, sicut dicit Ieremias Propheta, nisi obsistat vigilans disciplina. — Iuxta hanc sensuum custodiam necessarium est disciplinam tenere etiam circa ea quae sensibus exterioribus sunt *adiuncta*, primo, ut arceatur *affatus* sive locutio ab omni verbo indisciplinato, sive detractionis, sive adulationis, sive murmurationis, sive scurrilitatis, sive turpiloquii, sive maledicti, sive convicii, sive iuramenti, sive mendacii, et cuiuslibet *verbi otiosi, de quo* oportet *reddi rationem in die iudicii;* et hoc non tantum quantum ad colloquium, sed etiam quantum ad signum et nutum. Coërcendus est etiam *corporis vestitus*, ut nec sit superfluus nec delicatus nec pretiosus nec multum ornatus; coërcendus est etiam *risus* et maxime cachinnus; coërcendus est maxime *incessus*, ne sit vagus et dissolutus; resecandus est etiam omnis *corporis gestus* et familiaritas, qualitercumque potest sibi vel alteri praebere offendiculum, secundum doctrinam Apostoli [7] dicentis: *Ab omni specie mala*

Exterior disciplina.

Tuenda etiam quoad adiuncta sensibus.

[1] Cap. 18, 23; sequuntur Ps. 38, 4. et Coloss. 4, 2.
[2] Cap. 4, 23.
[3] Respicitur Gen. 28, 12.
[4] Epist. I. c. 4, 10; sequuntur Rom. 13, 8. et I. Ioan. 3, 18.
[5] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 5. n. 3.
[6] Libr. XXI. Moral. c. 2. n. 4. — Respiciuntur Ier. 9, 21. et Matth. 12, 36.
[7] Epist. I. Thess. 5, 22.

Item, interior disciplina quoad affectiones triplices.

abstinete vos. — Post haec observanda est etiam censura disciplinae in regimine *affectionum*, maxime ut vitetur affectus *concupiscentiae*, ne spiritus concupiscat carnis delectabilia, vel amplectatur bona transitoria, vel laudes humanas, ut triformem mundi concupiscentiam. Vitari debet etiam affectus *iracundiae*, ne spiritus turbetur contra aliquem, et si oporteat moveri, sic feratur in vitium, ut non moveatur animus in personam. Debet etiam vitari affectus *accidiae* sive tristitiae, quae solet provenire ex timore mundano et taedio boni; et hanc vitare perfecte non potest inter mala praesentis vitae, nisi qui gaudet in Spiritu sancto. — Postremo sub hac norma disciplinae coërcendi sunt etiam *cogitatus*, ut restringatur mens a cogitationibus *vanis*, a cogitationibus *foetidis*, a cogitationibus *malignis: vanas* voco cogitationes humanarum actionum; *foetidas*, cogitationes carnalium delectationum; *malignas* vero, cogitationes suspicionum et quarumcumque nocivarum machinationum.

Item, quoad cogitatus triplices.

Hanc autem quadriformem disciplinam servare non possumus, nisi *corpus* atteratur ieiuniis, vigiliis et laboribus; *manus* exerceatur in laboribus vel operibus humilibus et fructuosis; *lingua*, in Dei laudibus; *auris*, in auditu divinorum verborum; *oculi*, in lectionibus sacris et bonis; *cor* etiam, in meditationibus sacris et bonis; quod quia difficillimum est, cor in uno tenere, dedit ei Deus ex omni parte, quod bonum valeat cogitare: sursum caelestia, scilicet supernam patriam, inferius aeterna supplicia, ante Sanctorum exempla, retro peccata sua perpetrata, a dextris divina beneficia, a sinistris divina iudicia, undique divina praecepta [1], quae ex omni parte nos ordinant, et ad quae debet mens nostra respicere, quocumque se vertat, iuxta quod dicit Propheta [2] de viro iusto, quod *die ac nocte meditari* debet *in lege divina;* et Sapiens dicit: *Quae praecepit tibi Deus, illa cogita semper.*

Ad quadriformem disciplinam mortificatio multiplex requiritur.

III. Verum, quia nemo est, qui sic servet disciplinam et iustitiam, ut nihil negligat, nihil omittat; ideo necessarium est recurrere ad confessionem satisfactoriam, in qua debet confitens *integre, veraciter* et *pure* sine omni velamine excusationis vel occultationis seu palliationis defectus suos retexere, et primo, narrando *omissiones*, quas fecit in his quae sunt ad *Deum*, et maxime in *oratione*, quantum ad duplicem eius partem, mentalem scilicet et vocalem; deinde defectus in *observatione iustitiae* quantum ad proximum; post haec omissiones, quas egit ex mala custodia sensuum et sensibus adiacentium affectuum et cogitationum iuxta quadriformem descriptionem disciplinae prius explanatae. — Debet autem haec confessio duos habere comites, scilicet *contritionem* et *satisfactionem;* et doleat confitens de offensis suis omnibus, non solum magnis, verum etiam modicis, quia dicit Sapiens [3]: *Qui spernit modica paulatim decidet.* Dolendo etiam caveat iterare culpam, sed magis studeat praescindere causam et occasionem peccandi, quantumcumque sibi videatur per amorem esse coniuncta. Iuxta enim Salvatoris sententiam *oculus scandalizans eruendus est*, quod non intelligitur de membro corporis nostri, sed de occasione peccati, etiamsi videatur esse cara peccatori causa peccandi, sicut oculus est membrum carum toti corpori.

Pars III. De confessione satisfactoria multiplicium defectuum.

Confessio habest duos comites.

Pendet autem veritas confessionis purae ex puritate orationis et e converso, quia, quanto magis quis appropinquat ad lumen, tanto magis aspicit quidquid deforme est; et quanto magis deformitates a visu abstergit, tanto lumen dulcius sapit. Unde *confessio* pura ad orationem reducit, sicut post vesperam sequitur mane; *oratio* vero ad lumen contemplationis tanquam ad meridiem, ubi optat omnis anima sancta cum Christo, sponso eius, requiescere hic in praesenti per gratiam, donec videatur Deus per gloriam, ad quam ipse *nos perducat*, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Notandum.

SERMO II. DE NOSTRA REDEMPTIONE [4].

Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo,
Apocalypsis primo [5].

Introductio.

Verbum propositum continet in se satis expresse nostrae redemptionis beneficium; exprimit enim reparationis nostrae mysterium quantum ad *effectum* et quantum ad *modum*. *Effectus* autem praemittitur in hoc, quod dicitur: *Lavit nos a peccatis nostris; modus* subiungitur, cum additur: *in sanguine suo.* Sed quoniam inter effectum et modum sicut inter extrema intercidit virtus media, ideo tria nobis occurrunt consideranda, scilicet *quis* nostrae redemptionis *modus*, *quae virtus* et *quis effectus.*

Divisio.

Pars I. De modo redemptionis sub triplici conditione.

I. *Modus* autem reparationis nostrae fuit in sanguinis Christi effusione, non qualicumque, sed sub triplici conditione. Fuit enim sanguis Christi pro salute nostra effusus effusione *piissima*, *plenissima* et *poenalissima*. — Effusus namque fuit sanguis Christi pro redemptione nostra *effusione piissima*, si consideretur *causa*, quia non pro culpa sua, sed aliena, scilicet nostra, secundum quod praedixit discipulis in coena, Matthaei vigesimo sexto [6]: *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Piissima igitur fuit eius causa, quia non fuit passus ut impius, sed ut iustus; quod attendens ipse index Pilatus Matthaei vigesimo septimo ait: *Innocens ego sum a sanguine iusti huius.* Sed econtra impiissimi Iudaei dixerunt: *Sanguis eius super nos et super filios nostros.*

Sanguinis effusio piissima.

[1] Pro his dictis cfr. Bonav., Collat. in Hexaëm. collat. 17. n. 9. seqq. et collat. 18. n. 17. seqq.

[2] Psalm. 1, 2; sequitur Eccli, 3, 22.

[3] Eccli. 19, 1; sequitur Matth. 5, 29.

[4] Ex cod. Monacensi W fol. 16 v. et cod. Tudert. n. 182. fol. 132 v.

[5] Vers. 5.

[6] Vers. 28; sequuntur c. 27, 24. et dein v. 25.

Huius figura praecessit in Ieremiae vigesimo sexto [1], qui aiebat principibus Iudaeorum: *Scitote et cognoscite, quod, si occideritis me, sanguinem innocentem tradetis contra vosmetipsos;* ipsi namque sanguinem tradebant contra se propter nimiam crudelitatem. Sed econtra Christus sanguinem fundebat pro ipsis ob nimiam caritatem. Considera igitur, quanto fuerit impietas in Iudaeis, qui tantum sitiebant sangninem innocentem illius qui tantum eos diligebat, ut sanguinem pro eis vellet fundere, et quanta pietas in Christo, qui tantum compatiebatur impiis, ut sanguinem suum funderet pro his qui sanguinem suum vellent effundere.

Item, plenissima.

Effusus etiam fuit *effusione plenissima*, si consideretur *mensura*, quia non exivit gutta, sed efflnxit sanguinis unda, iuxta quod dicitur in persona Salvatoris Isaiae sexagesimo tertio [2]: *Aspersus est sanguis eorum*, scilicet pro eis effusus, *super vestimenta mea, et omnia indumenta mea inquinavi. Indumenta* autem vocat corporis membra, quibus vestitus erat pro nobis ipse Dei Filius. Tanta autem fuit sanguinis effusio, ut totum corpus eius sanguine aspergeretur. Huius autem figura praecessit in Ioseph, de quo, Genesis trigesimo septimo: *Tulerunt autem* fratres Ioseph *tunicam eius et in sanguine hoedi, quem occiderant, tinxerunt, mittentes qui ferrent ad patrem.* Hic gessit Christi figuram, cuius Divinitate impassibiliter permanente, humanitatis tunica tota fuit in sangnine immersa. Iloc est quod praevidit patriarcha Iacob, prophetans de Christo, Genesis penultimo [3]: *Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvae pallium suum.* Sanguis enim Christi ideo *sanguis uvae* dicitur, eo quod optimum est ad bibendum, in quo fuit *pallium* lotum propter nimiam abundantiam, quae effluxit de *manibus* et *pedibus* in crucifixione, de *capite* in coronatione, de *toto corpore* in flagellatione et de ipso *corde* in lateris apertione. Propter quod dicebat propheta David in Psalmo: *Quia apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio;* Bernardus: « Prorsus copiosa, quia non gutta, sed unda sanguinis largiter per quinque partes corporis emanavit ».

Item, poenalissima.

Effusus nihilominus fuit *effusione poenalissima*, si consideretur natura, quae erat tenera et optime complexionata, secundum quod colligitur ex Lucae vigesimo secundo [4]: *Factus est sudor eius sicut guttae sanguinis decurrentis in terram.* Si tantam poenam inflixit sola mortis imaginatio, quantam superaddidit degnstatio acerbissimae passionis in dolorosa effusione sanguinis? Quod colligi potest ex tam veloci acceleratione mortis; valde enim acerba fuit passio, quae tam celeriter animam a carne divisit. Ante enim obiit quam alii, qui cum eo crucifixi fuerant, secundum quod dicitur Ioannis decimo nono, quod *fregerunt crura illorum. Ad Iesum autem cum venissent, ut viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed unus militum lancea latus eius aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua;* ex quo apparet, quod sanguine adhuc existente in corde, ubi est fons vitae, facta est separatio animae; quod non potnit esse sine magno dolore; sicut enim dicitur Levitici decimo septimo: *Anima carnis in sanguine est;* si ergo sanguis in domicilio vitae abundabat, adhuc anima ibi habitare naturaliter appetebat; igitur absque magno dolore de tam apto domicilio avelli non poterat. Unde quia maxima erat ibi colluctatio, maxima erat afflictio, et quia maxime vivebat vivacitas, maxime sentiebatur poenalitas. Ad cuins poenalitatis expressionem clamans et lacrymans mortuus est; ad Hebraeos quinto [5]: *Cum clamore valido et lacrymis* etc. Ideo fortissime clamavit, ut omnes audirent et adverterent, quantum pro omnibus acerbissime pateretur; unde dicitur Matthaei vigesimo septimo, quod *clamavit voce magna dicens: Eli, Eli,* ut in hoc ostenderet immensitatem sui doloris in carne et mente. Hanc vocem qui non audiunt homines duriores sunt quam lapides, de quibus subditur, quod *petrae scissae sunt* etc. — Sic ego triplex fuit modus effusionis sanguinis Christi.

Para II. De triplici virtute sanguinis effusi.

II. Triplex etiam fuit *virtus* sanguinis effusi, scilicet virtus *purgativa* nostrae immunditiae, *placativa* divinae iracundiae, *perfectiva* humanae indigentiae, secundum tria, quae sunt in culpa, scilicet *macula, offensa* et *sequela*. — Habuit enim sanguis Christi effusus virtutem *purgativam*, quia sanguis *Agni mundissimi;* propter quod, Apocalypsis ultimo [6], *beati, qui lavant stolas suas in sanguine Agni*, quia, secundum quod scribitur ad Hebraeos nono: *Omnia pene in sanguine secundum Legem mundantur; et sine sanguinis effusione non fit remissio;* sed decimo subditur, quod *impossibile est, sanguine taurorum et hircorum auferri peccata:* ergo necesse est, quod auferantur in sanguine Agni, non materialis, sed illius, de quo Ioannes [7]: *Ecce, Agnus Dei, ecce, qui tollit peccatum mundi;* et hoc est quod dicitur primae Petri primo: *Redempti estis de vana vestra conversatione pretioso sanguine Agni,* non materialis, sed *immaculati Christi et incontaminati.* Ideo dicit *pretioso*, quia tanti pretii est sanguis Agni, quanti valoris est Agnus; sed Agnus Dei (est) incomparabilis pretii: et ideo, quia maximae pretiositatis est, ideo virtus eius in maxima reverentia est habenda; et econtra contemptores eius sunt gravissima poena feriendi, secundum illud ad Hebraeos decimo: *Quanto magis putatis, deteriora mereri supplicia qui Filium Dei conculcaverit et sanguinem testamenti*

Virtus purgativa.

[1] Vers. 15.
[2] Vers. 3; sequitur Gen. 37, 31.
[3] Cap. 49, 11; sequuntur Ps. 129, 7. et Bernard., serm. 22. in Cant. n. 7.
[4] Vers. 44; sequuntur Ioan. 19, 32. seqq. et Lev. 17, 11.
[5] Vers. 7; sequuntur Matth. 27, 46. et dein v. 51.
[6] Cap. 22, 14; sequuntur Hebr. 9, 22. et c. 10, 4.
[7] Cap. 1, 29; sequuntur I. Petr. 1, 18. seq. et Hebr. 10, 29.

pollutum duxerit? etc.; ideo primae ad Corinthios sexto [1]: *Empti enim estis pretio magno.*

Virtus placativa.

Habuit etiam virtutem *placativam* divinae iracundiae, quia sanguis *Sponsi dulcissimi*, iuxta illud ad Hebraeos duodecimo [2]: *Accessistis ad testamenti novi Mediatorem, Iesum,* ac per hoc Ecclesiae Sponsum, *et sanguinis aspersionem, melius loquentem quam Abel,* quia sanguis Abel insti clamat vindictam, secundum illud Genesis quarto: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra; clamat* scilicet vindictam, sicut animae iustorum *interfectorum propter Verbum Dei,* secundum illud Apocalypsis sexto: *Vidi subtus altare* Dei *animas interfectorum propter Verbum Dei, et clamabant voce magna, dicentes: Usquequo, Domine, (sanctus et verus), non vindicas sanguinem nostrum?* Sangnis autem Christi clamat misericordiam, qua quidem *misericordia plena est terra* [3]; unde dicitur Iob decimo sexto: *Terra, ne operias sanguinem meum, neque inveniat in te locum latendi clamor meus!* Tunc autem *invenit locum latendi,* quando aliquis, quantum in se est, virtutem evacuat passionis, hoc est, quando, iam Deo reconciliatus, iterato Deum offendit; de quibus ad Hebraeos sexto dicitur: *Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei* etc.

Virtus perfectiva.

Habuit etiam virtutem *perfectivam* humanae indigentiae, quia sanguis *Dei altissimi,* iuxta quod dicitur Apocalypsis quinto [4]: *Dignus es, Domine* Deus, *accipere librum et aperire* septem *signacula eius, quoniam redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu et lingua et populo et natione,* quantum ad amotionem omnis mali; *et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes,* quantum ad collationem omnis boni. Mirae prorsus perfectionis est haec virtus, quae de servis efficit dominos et reges et de impiis sacerdotes; hanc habuit sanguis Christi, secundum quod dicitur primae Petri primo: *Electis advenis dispersionis, in obedientiam et aspersionem sanguinis Iesu Christi* etc.; et post subdit: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium,* quia fratres Christi sumus effecti per sanguinis eius aspersionem; sed Christus est rex et sacerdos: virtute igitur sanguinis Christi sumus reges et sacerdotes; si reges, *non regnet peccatum in* nostro *mortali corpore* [5]; si sacerdotes, possideat *unusquisque vas suum in sanctificatione et honore.*

De applicatione huius virtutis sec. triformem dispositionem. De prima dispositione.

Sic igitur effusi sanguinis triplex est virtus *sufficiens* ad omnes, non tamen *efficiens* in omnes, sed in eos solum, qui debite se disponunt. Huiusmodi autem sunt tria genera hominum sive homines triformium dispositionum: primi, inquam, sunt Christum passum *intendentes puritate intentionis;* de quibus dicitur ad Hebraeos secundo [6]: *Pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem.*-*Pueri* autem dicuntur non a teneritudine aetatis, sed a rectitudine et simplicitate intentionis, iuxta quod dicitur primae ad Corinthios decimo quarto: *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote.* Tales communicant sanguini Christi, quia ipsum directe et pure requirunt, ac per hoc in lumine incedunt; et hoc est quod dicitur primae Ioannis primo: *Si autem in luce ambulamus, sicut et ipse est in luce, societatem habemus ad invicem, et sanguis Iesu Christi, Filii eius, emundat nos ab omni peccato.* Ille *ambulat in luce,* qui rectam habet intentionem, quia, sicut dicitur Lucae undecimo [7], *si oculus tuus fuerit simplex,* id est intentio recta, *totum corpus tuum lucidum erit.*

De secunda.

Secundi sunt Christum passum *intuentes vivacitate attentionis,* qui figurati sunt lob trigesimo nono [8], ubi dicitur, quod *pulli aquilae lambent sanguinem. Aquila,* quae irreverberatis oculis aspicit solem, significat virum contemplativum, qui habet aspectum suum directum in Christum; tales sunt, qui in effusione sanguinis Christi *sanantur* et *confortantur. Sanantur* utique per fidelem et iugem meditationem, cuius figura praecessit Numerorum vigesimo primo, de *serpente aeneo,* erecto in palo, *quem* omnes *aspicientes sanabantur.* Sic et nunc omnes sanantur, qui Christum passum intuentur. Ex ipso etiam intuitu *confortantur;* unde ad Hebraeos duodecimo: *Recogitate eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem; ut ne fatigemini animis vestris deficientes.* Propter hoc ait per Ieremiam, Threnorum tertio [9]: *Recordare paupertatis et transgressionis meae, absynthii et fellis;* Bernardus: « Bonus miles non sentit vulnera propria, dum benigni ducis vulnera intuetur ».

De tertia.

Tertii autem sunt Christum passum *imitantes conformitate tribulationis;* de quibus Apocalypsis septimo [10]: *Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt et unde venerunt?* Et subditur ibidem: *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna et laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni.* Ex quo colligitur, quod qui tribulationem patiuntur pro Christo, hi lavantur in sanguine Christi, quoniam ad eos qui Christo compatiuntur, ad eos se extendit efficacia passionis; unde Apocalypsis primo: *Particeps in tribulatione et regno;* et secundae ad Timotheum secundo: *Si sustinebimus, et conregnabimus;* et propterea ad Hebraeos ultimo [11] scribitur: *Iesus* Christus, *ut sanctificaret per suum sanguinem populum,*

[1] Vers. 20.
[2] Vers. 22. seqq.; sequuntur Gen. 4, 10. et Apoc. 6. 9. seq.
[3] Psalm. 118, 64; sequuntur Iob 16, 19. et Hebr. 6, 6.
[4] Vers. 9. seq.; sequuntur I. Petr. 1, 4. seq. et c. 2, 9.
[5] Rom. 6, 12; sequitur I. Thess. 4, 4.
[6] Vers. 14; sequuntur I. Cor. 14, 20. et I. Ioan. 1, 7.
[7] Vers. 34.
[8] Vers. 30; sequuntur Num. 21, 9. et Hebr. 12, 3.
[9] Vers. 19. — Sequitur Bernard., serm. 61. in Cant. n. 8.
[10] Vers. 13. seq.; sequuntur c. 1, 9. et II. Tim. 2, 12.
[11] Cap. 13, 12. seq.; sequitur Matth. 20, 22. cum Glossa *ordinaria* apud Lyranum: quae tamen Glossa non ex Hieronymo, sed potius ex Opere imperf. in Matth. (inter opera Chrysost.) homil. 35. desumta esse videtur.

extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum Notandum. *extra castra, improperium eius portantes.* Nullus enim admittetur in illam civitatem supernam, qui non portat nostri regis insignia; unde super illud Matthaei vigesimo: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Glossa Hieronymi: « Sciebat, quod eius passionem poterant imitari, sed hoc dicit, ut, eo interrogante et illis respondentibus, omnes audiamus, quia nemo potest cum Domino regnare, nisi passionem eius fuerit imitatus ».

III. Sic igitur effusi sanguinis triplex est virtus efficiens, et cuiuslibet est triplex effectus ex ipsa procedens. — Virtutis enim *purgativae* triplex est effectus: primus est *emundatio conscientiae in mente*, de qua ad Hebraeos nono [1]: *Sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi.* Hoc autem probat Apostolus a minori: *Si sanguis* scilicet *hircorum et taurorum sanctificat ad emundationem carnis;* plus enim potest spiritualis oblatio super immunditiam spiritualem quam carnalis super carnalem, sicut plus efficit veritas quam figura. Et hic est valde nobilis effectus, quia *gloria* animae christianae *est in testimonio conscientiae* bonae. Sine hoc effectu nihil omnino acceptat Deus, quod facimus, secundum illud Isaiae primo: *Cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam; manus enim vestrae sanguine plenae sunt;* ideo subdit: *Lavamini, mundi estote,* scilicet in sanguine Christi.

Pars III. De effectu trifformi triplicis huius virtutis. Virtutis purgativae triplex effectus. De primo.

Secundus effectus est *repressio concupiscentiae* De secundo. *in carne,* secundum illud ad Hebraeos nono [2], quod dicitur de Moyse: *Tabernaculum et omnia vasa ministerii sanguine similiter aspersit. Tabernaculum* illud est corpus nostrum, et *vasa* sunt membra nostra, iuxta quod dicitur primae ad Corinthios tertio: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos;* et infra capite sexto: *Membra vestra templum sunt Spiritus sancti.* Spiritus autem sanctus nobis illapsus refrigerat concupiscentiae aestus. Si ergo per sanguinem Christi dedicantur membra nostra, ut sint Spiritus sancti templa, constans est, quod per ipsum reprimitur carnis concupiscentia; in cuius rei signum *exivit sanguis et aqua* [3] de latere Christi, et simul *baptizamur* in *Spiritu sancto* et aqua, a quibus cum passione Christi simul procedit una [4] efficacia, secundum illud primae Ioannis ultimo: *Tres sunt, qui testimonium dant in terra: Spiritus et aqua et sanguis.*

Tertius effectus est *restitutio innocentiae in* De tertio. *utroque,* secundum illud ad Romanos tertio [5]: *Iustificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quae est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiae suae.* Virtute enim sanguinis Christi, dum remittuntur omnia peccata, ad innocentiam renovamur, et hoc per gratiam fidei; propter quod subdit Apostolus ibidem: *Arbitramur enim, iustificari hominem per fidem sine operibus Legis;* non dicit simpliciter *sine operibus bonis,* sed *sine operibus Legis,* quia Iacobi secundo: *Fides sine operibus mortua est.* Si ergo sanguis Christi non restituit innocentiam nisi per fidem vivam, nullus per Christi sanguinem innocens efficitur, nisi qui recte credit et operatur.

Virtutis etiam *placativae* similiter triplex est effectus: primus est *reseratio ianuae caelestis;* de qua ad Hebraeos nono [6]: *Christus assistens pontifex futurorum bonorum per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est non huius creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa.* Ipse enim primus intravit, et ante ipsum nullus intrare poterat, iuxta quod praemittit Apostolus ibidem, quod *in secundo tabernaculo semel in anno* intrabat *solus pontifex, non sine sanguine, hoc significante Spiritu sancto, nondum propalatam esse Sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum.* Nunc autem ianua aperta et porta carceris infernalis contrita, ut verificetur illud Psalmi: *Quia contrivit portas aereas* etc.; et Zachariae nono [7]: *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu* etc. Ex hoc autem debemus magnam concipere fiduciam, iuxta quod ad Hebraeos decimo: *Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi.*

Item, virtutis placativae triplex effectus. De primo.

Secundus effectus est *relaxatio vindictae iudi-* De secundo. *cialis,* secundum illud ad Romanos quinto [8]: *Quoniam, cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est; multo igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum.* Sic enim a minori arguit: Si sanguis tollit inimicitiam, multo magis tollit vindictam. Huius autem signum praecessit in Exodi duodecimo: *Erit autem sanguis vobis in signum,* videlicet in diebus nostris; *et videbo sanguinem et transibo vos; nec erit in vobis plaga disperdens.* Ili soli a plaga iudicis liberabuntur, qui sanguine Christi signati invenientur; unde dicitur Ezechielis nono: *Signa thau super frontes virorum gementium et dolentium* etc.

Tertius autem effectus est *reparatio concordiae* De tertio. *universalis* [9], secundum illud ad Colossenses primo [10]:

---

[1] Vers. 14. et dein v. 13; sequuntur II. Cor. 1, 12. et Isai. 1, 15. seq.

[2] Vers. 21; sequuntur I. Cor. 3, 17. et c. 6, 19.

[3] Respicitur Ioan. 19, 34. et dein Act. 11, 16.

[4] Cod. W legit *vera.* — Sequitur I. Ioan. 5, 8.

[5] Vers. 24. seq. et dein v. 28. et Iac. 2, 26.

[6] Vers. 11. seq.; sequuntur v. 7. seq. et Ps. 106, 16.

[7] Vers. 11; sequitur Hebr. 10, 19.

[8] Vers. 8. seq.; sequuntur Exod. 12, 13. et Ezech. 9, 4.

[9] Cod. Tudertinus hic et infra legit *utilis.* [10] Vers. 20.

Pacificans per sanguinem crucis eius sive quae in terris, sive quae in caelis sunt. Per sanguinem enim *crucis* Christi *pacificantur quae sunt in caelis,* propter reparationem ruinae angelicae; pacificantur etiam *quae in terris,* propter reconciliationem humanae naturae; unde hic effectus est valde universalis. In cuius rei figura dicitur Exodi vigesimo quarto [1], quod Moyses *suntum sanguinem respersit in populum et ait: Hic est sanguis foederis, quod pepigit Dominus vobiscum.* Sicut ergo effusione sanguinis Christi universa confoederantur, sic offensione universa concitantur; unde Sapientiae quinto: *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.*

Virtutis etiam *perfectivae* triplex similiter est effectus: primus est *vegetatio virtutis internae;* propter quod dicitur Ioannis sexto [2]: *Sanguis meus vere est potus;* est *vere,* quia vitam non solum continuat ut nunc, sed etiam in sempiternum; unde ibidem: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem habet vitam aeternam,* ille scilicet, qui digne hoc facit; nam, primae ad Corinthios undecimo, *qui manducat et bibit indigne iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini.* Qui autem digne vult bibere debet se ipsum *diiudicare,* et qui vult hoc modo inebriari, debet maxima siti et desiderio inflammari et devotionis oleo praeveniri, secundum illud Psalmi [3]: *Impinguasti in oleo caput meum* etc.; et Deuteronomii trigesimo secundo: *Sanguinem uvae biberet meracissimum.*

Hom, victetis perfectivae triplex effectus. De primo.

Secundus est *enervatio virtutis contrariae,* secundum illud Apocalypsis duodecimo [4]: *Proiectus est accusator fratrum nostrorum; et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni et propter verbum testimonii sui, et non dilexerunt animas suas usque ad mortem.* Sanguis enim Christi effusus adversarium nostrum prostravit et nos etiam ad proelium animavit; cuius figura praecessit primi Machabaeorum sexto, ubi dicitur, quod *elephantis ostenderunt sanguinem uvae et mori ad acuendos eos in proelium. Sanguis uvae* est sanguis Christi optimus ad bibendum; *sanguis mori* est sanguis Martyrum sanctorum, ex quorum consideratione nos ad proelium animamur, et etiam adversarius effugatur. Hoc enim signaculum mirabiliter abominatur humani generis inimicus; Apocalypsis septimo: *Nolite nocere terrae et mari neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.* Illi enim in frontibus sunt signati, qui non erubescunt impropterium crucis. — *Modus* autem signandi exprimitur Exodi duodecimo [5], ubi dicitur, quod assumerent de sanguine eius ac ponerent super utrumque postem, id est intus in mente et etiam extra in carne, quia si sola mens signetur, est signatio *semis;* nam secundae ad Corinthios quarto: *Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Iesu manifestetur in corporibus nostris.* Si vero sola caro, est signatio *simulata,* ut possit dici illud Dialogorum: « Vas vacuum, sed signatum ».

De secundo.

Tertius effectus est *multiplicatio virtutis supernae;* quod bene ostenditur Apocalypsis decimo nono [6], ubi dicitur de Christo, quod *vestitus erat veste aspersa sanguine, et vocatur nomen eius Verbum Dei. Et exercitus, qui sunt in caelo, sequebantur eum,* ac per hoc robustiores erant, dum talem habebant ducem et tam fortem societatem. Ideo valde securum est Christum sequi in tam multa et firma societate. — Sed nota, quod dicit, quod *exercitus, qui sunt in caelo, sequuntur,* quia illi soli libenter vadunt post Christum, qui habent desiderium non terrestrium, sed caelestium, non temporalium, sed aeternorum, ad quae merenda non sufficeremus, nisi defectus virtutis nostrae a virtute sanguinis Christi supplementum suscipiat; unde Bernardus: « Ego vero fidenter quod ex me mihi deest usurpo mihi ex visceribus Domini, quoniam misericordia affluunt, nec desunt foramina, per quae effluant, quia *foderunt manus et pedes latusque lancea* foraverunt, et per has rimas licet mihi *sugere mel de petra oleumque de saxo durissimo* », quo qui reficitur non fatigatur, quousque perveniat *ad montem Dei Horeb* [7], ad quem nos perducat qui vivit et regnat.

De tertio.

Notandum.

Sermo III. De via veritatis [8].

Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei, Ioannis tertio [9].

In verbo proposito Salvator nos informare intendit ad viam veritatis finaliter assequendam; et primo tangit illud quod viae veritatis est *inchoativum,* cum dicit: *Nisi quis renatus fuerit denuo;* secundo, illud quod est huius viae *consummativum* sive completivum, cum subiungit: *Non potest videre regnum Dei.* Primum se habet per modum *disponentis,* secundum per modum *consummantis.*

Divisio.

Pars I. De inchoatione viae veritatis.

1. Primo enim oportet, quod homo *nascatur denuo,* quam concedatur ei regni caelestis visio; nam *nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei,* Ioannis tertio [10]. Primo ergo oportet, quod homo nascatur denuo sive de novo, quod fit per influentiam *illustrantem* potentiam intellectivam, per influentiam *inflammantem* potentiam affectivam et per influentiam *vigorantem*

Hoc fit tripliciter.

[1] Vers. 8. et dein Sap. 5, 21.
[2] Vers. 56; sequuntur v. 54. seq. et I. Cor. 11, 29.
[3] Psalm. 22, 5; sequitur Deut. 32, 14.
[4] Vers. 10. seq.; sequuntur I. Mach. 6, 34. et Apoc. 7, 3.
[5] Respicitur v. 7; sequuntur II. Cor. 4, 10. et Gregor., III. Dialog. c. 7. — Infra pro *semis* cod. habere videtur *semia.*
[6] Vers. 13. seq. — Sequitur Bernard., Serm. 61. in Cant. n. 4, ubi respiciuntur Ps. 21, 17; Ioan. 19, 34. et Deut. 32, 13.
[7] Libr. III. Reg. 19, 8.
[8] Ex cod. S fol. 331 v.
[9] Vers. 3.
[10] Vers. 5.

potentiam operativam sive exsecutivam; isto enim triplici modo nascitur homo denuo sive de novo, sive spiritualiter ex Deo. Primum est verae *credulitatis;* secundum, sincerae *caritatis;* tertium, libratae instiPrimo, per influentiam verae credulitatis.
tiae sive *aequitatis.* — Nascitur ergo homo primo denuo ex Deo per influentiam *verae credulitatis* illustrantem potentiam intellectivam; primae Ioannis quinto [1]: *Omnis, qui credit, quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est;* item, Ioannis primo: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* — Secundo nascitur homo denuo ex Deo per Secundo, per influentiam sincerae caritatis.
influentiam *sincerae caritatis* inflammantem potentiam affectivam; primae Ioannis quarto [2]: *Omnis, qui diligit, ex Deo natus est et cognoscit Deum.* — Tertio, per influentiam libratae institiae sive *aequitatis* vigorantem potentiam Tertio nascitur homo denuo ex Deo per influentiam *libratae* institiae sive *aequitatis* vigorantem potentiam operativam sive exsecutivam; primae Ioannis secundo [3]: *Si scitis, quoniam iustus est, scitote, quoniam omnis, qui facit iustitiam, ex Deo natus est.* — Ista Ad vitandum peccatum.
influentia vigorativa vigorat et confortat hominem ad *vitandum peccatum;* primae Ioannis tertio: *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* — Ad Ad vincendum mundum.
vincendum mundum; primae Ioannis quinto: *Omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum;* et merito *natus ex Deo vincit mundum.* Nam in suo originali principio est In Deo bona, in mundo mala.
summa *veritas,* summa *aeternitas,* summa *suavitas* et summa *fidelitas;* in mundo vero *vanitas;* Ecclesiastae primo [4]: *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas;* durationis *brevitas;* quia *mundus transit et concupiscentia eius;* continua *afflictio;* Ioannis decimo sexto: *In mundo pressuram habebitis; sed confidite, ego vici mundum;* summa *malitia* sive infidelitas; nam *mundus totus in maligno positus est,* Ad vincendum diabolum.
primae Ioannis quinto [5]. — Ad *vincendum diabolum;* primae Ioannis quinto: *Omnis, qui natus est ex Deo, non peccat; sed generatio Dei conservat eum, et malignus non tangit illum.*

II. Secundo vero homini sic nato conceditur re- Pars II. De consummatione in visione regni tripliciter excellentis.
gni caelestis *visio,* quod est regnum *amoenissimum, nobilissimum* et *perennissimum.* Quia amoenissimum, conceditur vincenti peccati voluptatem; quia nobilissimum, conceditur vincenti mundanam vanitatem; quia perennissimum, conceditur vincenti hostis calliditatem, quam qui vicerit non laedetur a morte Est regnum amoenissimum.
secunda. — Est ergo istud regnum *amoenissimum;* Lucae vigesimo secundo [6]: *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis; et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.* — Est etiam *nobilissimum;* Danielis septimo: Nobilissimum.
Regnum eius *regnum sempiternum est, et omnes reges* Altissimi *servient ei et obedient;* Esther decimo tertio: *Domine, rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita.* — Est nihilominus regnum Perennissimum.
perennissimum, iuxta illud Psalmi [7]: *Regnum tuum, regnum omnium saeculorum;* et Danielis septimo: *Potestas eius, potestas aeterna, quae non auferetur; et regnum eius, quod non corrumpetur;* item, Apocalypsis undecimo: *Factum est regnum huius mundi Domini nostri et Christi eius, et regnabit in saecula saeculorum.*

Regnum autem istud, in cuius visione beatifica- Hoc regnum est Christus cum triplici praerogativa dotticata.
tur creatura rationalis, Christus est; Lucae decimo septimo [8]: *Regnum Dei intra vos est;* cuius Christi debet homo videre et considerare *sublimitatem* et humilitatem, *benignitatem* et severitatem, *suavitatem* et afflictionem, ut ex primo consequatur *gratiam* et reverentiam; ex secundo, *poenitentiam* et veniam; ex tertio, *salutem* et laetitiam. — Primo Eiusdem considerandis sublimitas.
igitur debet homo videre et considerare huius regni sive Christi *sublimitatem* sive nobilitatem; Isaiae sexto [9]: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum.* Et plena erat domus maiestate eius. Cum hoc debet videre et considerare eius *humilitatem;* Baruch tertio [10]: *Hic est Deus noster, et non aestimabitur alius adversus eum;* et sequitur: *Post haec in terris visus est et cum hominibus conversatus est* etc., ut ex hoc consequatur homo *gratiam* et *reverentiam,* iuxta illud Esther decimo quinto: *Vidi te, domine, quasi Angelum Dei, et conturbatum est cor meum prae timore gloriae tuae. Valde enim mirabilis es, domine;* ecce, primum; *et facies tua plena est gratiarum;* ecce, secundum; item, Ioannis primo: *Verbum caro factum est* etc.; in *Verbo* sublimitas et in *carne* humilitas designatur.

Secundo debet homo considerare et videre eius Item, benignitas.
benignitatem; Ioannis primo [11]: *Vidit Ioannes Iesum venientem ad se et ait: Ecce, Agnus Dei, ecce, qui tollit peccatum mundi;* et cum hoc *severitatem;* Apocalypsis primo: *Ecce, venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus et qui eum pupugerunt,* ut ex hoc consequatur homo *poenitentiam* et *veniam;* Iob ultimo: *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te. Idcirco ipse me reprehendo et ago poenitentiam in favilla et cinere.*

Tertio debet videre et considerare eius *suavi-* Item, suavitas.
tatem; Psalmus [12]: *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus;* et cum hoc *afflictionem* vel afflictibilitatem; Threnorum primo: *O vos omnes, qui*

---

[1] Vers. 1; sequitur Ioan. 1, 12. seq. [2] Vers. 7.
[3] Vers. 29; sequuntur c. 3, 9. et c. 5, 4.
[4] Vers. 2; sequuntur 1. Ioan. 2, 17. et Ioan. 16, 33.
[5] Vers. 19; sequitur v. 18.
[6] Vers. 28. seqq.; sequuntur Dan. 7, 27. et Esther 13, 9.
[7] Psalm. 144, 13; sequuntur Dan. 7, 14. et Apoc. 11, 15.
[8] Vers. 21.
[9] Vers. 1; dein respicitur II. Par. 7, 1: *Et maiestas Domini implevit domum.*
[10] Vers. 36. 38; sequuntur Esther 15, 16. seq. et Ioan. 1, 14.
[11] Vers. 29; sequuntur Apoc. 1, 7. et Iob 42, 5. seq.
[12] Psalm. 33, 9; sequuntur Thren. 1, 12. et Gen. 32, 30.

transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus, ut ex hoc consequatur *salutem* et *laetitiam;* Genesis trigesimo secundo: *Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea; laetitiam,* iuxta illud Iob [1]: *Videbit faciem eius in iubilo.* — *Reverentiam* assequitur homo considerando Christi sublimitatem; *gloriam,* eius humilitatem; *poenitentiam,* considerando eius severitatem; *veniam,* eius benignitatem; *salutem,* considerando eius afflictionem; *laetitiam,* eius suavitatem [2].

PROTHEMATA.

Prothema primum.

Fratris Bonae fortunae.

Argentum innocens dividet, Iob [3]. Quanto res est pretiosior, tanto ministrum requirit fideliorem. Quantae pretiositatis sit verbum Dei, dicit Psalmus [4]: *Ideo dilexi mandata tua super aurum et topazion;* ideo ministrum requirit fidelem. Propter hoc dicit Iob: *Argentum innocens dividet,* id est verbum Dei fideliter ministrabit. Verbum Dei significatur per *argentum* propter eius *pretiositatem, puritatem* et *sonoritatem.* Verbum Dei est *pretiosum;* Psalmus: *Ideo dilexi mandata tua super aurum.* Item est *purum* et *sonorum;* unde Psalmus: *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum* etc. Unde notandum, quod in secundo verbo notatur *verbi divini* sublimis *excellentia,* ibi: *Argentum;* secundo, *ministri idonei sufficientia,* ibi: *innocens;* tertio, *praedicandi modi congruentia,* ibi: *dividet.* De primo patet, quomodo excellentia verbi divini significatur in *argento;* sed idonei ministri sufficientia tangitur, ibi: *innocens.* Ille est innocens praedicator, cuius vita respondet doctrinae, qui nec miserum facit nec miserum deserit; Psalmus [5]: *Quis ascendet in montem Domini,* scilicet de quo monte dicit Isaias: *Super montem excelsum ascende, tu, qui evangelizas Sion. Quis ascendet,* dicit Psalmus: *Innocens manibus, et mundo corde.* Modi praedicandi congruentia vero, ibi: *dividet.* Aliter monendi sunt coniuges, aliter continentes, aliter iuvenes, aliter senes, aliter superbi, praesumtuosi, et aliter humiles, ut dicit Gregorius [6], quia debet modificari sermo secundum auditores; unde in Proverbiis: *In plateis aquas tuas divide;* ibi Glossa: « Sacram Scripturam expone secundum conditiones auditorum ». Sed nos *non sufficientes sumus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est* [7], ideo in principio rogemus etc.

Prothema secundum.

Fratris Bonaventurae.

Inter alios vocationis modos unus est per praedicationem. Unde os praedicatoris dicitur per Ieremiam *os Dei,* in quo Deus loquitur; Ieremias [8]: *Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris. Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* De isto vocandi modo sufficiat una auctoritas Proverbiorum, ubi dicitur [9]: *Sapientia, sapientia,* id est Christus, quem Apostolus dicit esse *Dei virtutem et Dei sapientiam; aedificavit sibi domum,* id est Ecclesiam; « haec est domus Domini firmiter aedificata [10] ». *Excidit* in ea *columnas septem, immolavit victimam,* scilicet passionis suae, quia Ecclesiam passione sua consecravit. *Posuit mensam,* sacrae Scripturae scilicet; Psalmus [11]: *Parasti in conspectu meo mensam. Miscuit vinum,* id est multiplicem sacrae Scripturae intellectum. Sensus *litteralis* est sicut *aqua,* sensus *mysticus, tropologicus* et *anagogicus* est sicut *vinum;* ergo vinum cum aqua est sensus *litteralis* cum sensu mystico, anagogico et tropologico. *Misit ancillas,* id est praedicatores, qui dicuntur *ancillae* propter subiectionem servitutis, propter reputationem propriae parvitatis, propter compassionem cordis et propter fecunditatem boni operis. *Ut vocarent ad arcem et ad moenia civitatis,* id est patriae caelestis, ad quam tendere debemus. Ecce, quomodo *vocat* Deus praedicando; et respondendum est ei *audiendo, corde commemorando* et *opere adimplendo.* Hoc non potest fieri sine dextera Dei; Iob [12]: *Vocabis me, et ego respondebo tibi; operi manuum tuarum porriges dexteram. Opus manuum* eius est conversio peccatorum. In principio rogabimus Deum etc.

---

[1] Cap. 33, 26.

[2] His sermonibus subiungimus duo S. Bonaventurae prothemata, quae habentur in bibliotheca civitatis Andegavensis, (Angers) cod. 241. membr. saec. XIV. inedita. Ibi transcripta sunt praeter haec alia plura prothemata coaevorum, praesertim S. Thomae. Duo S. Bonaventurae prothemata habentur ibi fol. 282 seq. Cfr. P. Fidelis a Fanna *Ratio* etc. pag. 312, nota 1.

[3] Cap. 27, 17.

[4] Psalm. 118, 127; sequitur Ps. 11, 7.

[5] Psalm. 23, 3; sequuntur Isai. 40, 9. et Ps. 23, 4.

[6] Regula pastor., p. 3. in prolog. — Sequitur Prov. 5, 16; Glossa est *ordinaria* apud Lyranum, paucis mutatis.

[7] Epist. II. Cor. 3, 5.

[8] Cap. 15, 19; sequitur Matth. 10, 20.

[9] Prov. 9, 1. seqq., ubi respicitur I. Cor. 1, 24.

[10] Breviar. Rom. in Dedicat. Ecclesiae antiph. 3. ad Laudes.

[11] Psalm. 22, 5.

[12] Cap. 14, 15.

INDEX

SERMONUM ET SCHEMATUM HUIUS TOMI

Praefatio. . . . . *pag.* VII
Prolegomena in IX. tomum . . . . . » XI
Cap. I. De multis sermonum sancto Bonaventurae tributorum editionibus, quae hucusque impressae sunt . . . . . » ib.
Cap. II. De codicibus mss., quibus in edendis his sermonibus usi sumus. . . . . *pag.* XV
» III. De ratione et via, quam in hac editione observavimus . . . . . » XXI
Tabula codicum . . . . . » XXIII

INTRODUCTIO CUM OPUSCULO DE ARTE PRAEDICANDI.

§ 1. S. Bonaventura suo aevo celebratissimus fuit sermonum suorum praestantia et multitudine. *pag.* 3
» 2. Sermones tamen a S. Bonaventura e suggestu prolati ut plurimum non ab ipso scripti, sed ex ore eius ab aliis excepti sive reportati sunt. » 4
» 3. Sermones saec. XIII, non quidem profana eloquentia, sed copiosa theologica doctrina et sententiarum abundantia excellunt . . . . . » ib.
» 4. Nonnulli tractatus antiqui de arte praedicandi recensentur . . . . . » 5
§ 5. Pauca restant dicenda de nostra editione sequentis tractatus *Ars praedicandi* . . . . . *pag.* 7
Elenchus codicum huius libelli. . . . . » ib.

ARS PRAEDICANDI.

Prooemium . . . . . » 8
Pars prima. . . . . » ib.
Pars secunda . . . . . » 16
Pars tertia . . . . . » ib.

I. SERMONES DE TEMPORE.

DOMINICA PRIMA ADVENTUS.

Sermo I. His autem fieri incipientibus, respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra, Luc. XXI, 28. . . . . *pag.* 23
Prothema: Parvus fons, qui crevit in fluvium et in lucem solemque conversus est, Esth. X, 6. » ib.
» II. Veniet desideratus cunctis gentibus, Ag. II, 8. » 27
Prothema. Omni negotio tempus est et opportunitas, Eccle. VIII, 6. . . . . » ib.
» III. Ecce, odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus, Gen. XXVII, 27. . . . » 29
» IV. Quasi cedrus in Libano, pulcher ramis et frondibus nemorosus, Ezech. XXXI, 3. . . . . » 30
» V. Venite, et ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis eius, Isai. II, 3. . » ib.
» VI. Qui timent Dominum praeparabunt corda sua, et in conspectu illius sanctificabunt animas suas, Eccli. II, 20. . . . . » 32
Sermo VII. Vidi, et ecce nubem candidam et super nubem sedentem similem Filio hominis, Apoc. XIV, 14. . . . . *pag.* 32
» VIII. Germinet terra herbam virentem et faciens semen et lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, Gen. I, 11. . . . » 33
» IX. Erunt signa in sole et luna et stellis, et in terris pressura gentium prae confusione sonitus maris et fluctuum, Luc. XXI, 25. . . . » 34
» X. Erunt, *inquit*, signa in sole et luna et stellis, et in terris pressura gentium prae confusione sonitus maris et fluctuum, Luc. XXI, 25. . » 35
» XI. Erunt signa in sole et luna et stellis, Luc. XXI, 25. . . . . » ib.
» XII. Erunt signa in sole et luna et stellis, Luc. XXI, 25. . . . . » 36
» XIII. Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum, Psalm. LXXXIV, 13. . » 37
» XIV. Dicite filiae Sion: Ecce, rex tuus venit tibi mansuetus, Matth. XXI, 5. . . . . » 38

Sermo XV. Benedictus, qui venit in nomine Domini, Matth. XXI, 9. . . . . *pag.* 39
» XVI. Respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra, Luc. XXI, 28. » ib.
» XVII. Scitote, quoniam prope est regnum Dei, Luc. XXI, 31. . . . . » 40
» XVIII. Videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et majestate, Luc. XXI, 27. . . . . » 41
» XIX. Caelum et terra transibunt, verbà autem mea non transibunt, Luc. XXI, 33. . . . . » ib.
» XX. Nunc propior est nostra salus, quam cum credidimus, Rom. XIII, 11. . . . . » 42
» XXI. Induimini Dominum Iesum Christum, Rom. XIII, 14. . . . . » ib.
» XXII. Domine, inclina caelos tuos et descende, Psalm. CXLIII, 5. . . . . » 43

DOMINICA SECUNDA ADVENTUS.

Sermo I. Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus? Matth. XI, 2. seq. . . . . » 45
Prothema. Quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri? Iob XXVI, 14. . . . . » ib.
» II. Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, Exod. XXXIII, 13. . . . » 48
» III. Veni, Domine Iesu, Apoc. XXII, 20. . . . » 49
» IV. Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus? Matth. XI, 2. seq. . . . . » 50
» V. Erit radix Iesse, et qui exsurget regere gentes, in eum gentes sperabunt, Rom. XV, 12. » 51
» VI. Quaecumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, Rom. XV, 4. . . . . » 52
Continuatio. Quaecumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus, Rom. XV, 4. . . . . » 53
» VII. Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo, ut abundetis in spe et virtute Spiritus sancti, Rom. XV, 13. . . . » 55
» VIII. Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus? Matth. XI, 2. seq. . . . . » ib.
» IX. Lignum vitae, desiderium veniens, Prov. XIII, 12. . . . . » 56

DOMINICA TERTIA ADVENTUS.

Sermo I. Medius autem vestrum stetit quem vos nescitis, Ioan. I, 26. . . . . » 57
Prothema. Loquente Petro verba haec, cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum etc., Act. X, 44. . . . . » ib.
» II. Medius vestrum stetit, quem vos nescitis. Ipse est, qui post me venturus est, cuius ego non sum dignus, ut solvam eius corrigiam calceamenti, Ioan. I, 26. seq. . . . . *pag.* 59
Prothema. Ego vox clamantis in deserto, Ioan. I, 23. . . . . » ib.
Collatio. Medius vestrum stetit, quem vos nescitis, Ioan. I, 26. . . . . » 64
(Prothema). In medio Ecclesiae aperiet os eius et adimplebit illum spiritu sapientiae et intellectus, Eccli. XV, 5. . . . . » ib.
Sermo III. Ego vox clamantis in deserto, Ioan. I, 23. . » 67
» IV. Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini, Ioan. I, 23. . . . . » ib.
» V. Ego vox clamantis in deserto, Ioan. I, 23. . » 68
» VI. Dirigite viam Domini, Ioan. I, 23. . . . » ib.
» VII. Ego baptizo in aqua, medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis, Ioan. I, 26. . . . » 69
» VIII. Et pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Iesu, Philip. IV, 7. . . . . » ib.
» IX. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus, Philip. IV, 5. . . . . » ib.
» X. Dominus prope est, Philip. IV, 5. . . . . » 70
» XI. Pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Iesu, Philip. IV, 7. . . . . » ib.
» XII. Miserunt Iudaei ab Ierosolymis sacerdotes et levitas ad eum, ut interrogarent eum: Tu quis es? Ioan. I, 19. . . . . » 71
» XIII. Dominus prope est, Philip. IV, 5. . . . » ib.
» XIV. Non sum ego Christus, Ioan. I, 20. . . » 72

DOMINICA QUARTA ADVENTUS.

Sermo I. Parate viam Domini, Luc. III, 4. . . . . » 74
Prothema. Praeceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus; in verbo autem tuo laxabo rete, Luc. V, 5. . . . . » ib.
» II. Anno quintodecimo imperii Tiberii Caesaris factum est verbum Domini super Ioannem, Zachariae filium, in deserto, Luc. III, 1. seq. . » 76
» III. Factum est verbum Domini super Ioannem, Zachariae filium, in deserto, Luc. III, 2. . . » 77
» IV. Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur, Luc. III, 5. et Isai. XL, 5. » ib.
» V. Gaudete in Domino semper, iterum dico: Gaudete, Philip. IV, 4. . . . . » 78
» VI. Videbit omnis caro salutare Dei, Luc. III, 6. et Isai. LII, 10. . . . . » ib.
Idem sermo in forma magis diffusa. Videbit omnis caro salutare Dei. Luc. III, 6. . . . » 79
» VII. Videbit omnis caro salutare Dei, Luc. III, 6. et Isai. LII, 10. . . . . » 82
» VIII. Videbit omnis caro salutare Dei, Luc. III, 6. . . . . » 83
» IX. Videbit omnis caro salutare Dei, Luc. III, 6. » ib.
» X. Videbit omnis caro salutare Dei, Luc. III, 6. » 84
» XI. Videbit omnis caro salutare Dei, Luc. III, 6. » ib.
» XII. Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei, I. Cor. 4, 1. » 85

Sermo XIII. Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei, I. Cor. IV, 1. *pag.* 85
» XIV. Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei, I. Cor. IV, 1. » 86
» XV. In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, II. Cor. VI, 4. . . . . » ib.
» XVI. Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei, I. Cor. IV, 1. . . . . » ib.
» XVII. Mihi autem pro minimo est, ut a vobis iudicer, aut ab humano die, I. Cor. IV, 3. . » 87
» XVIII. Anno quintodecimo etc., Luc. III, 1. seqq. » ib.

VIGILIA NATIVITATIS DOMINI.

Sermo I. Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meae, ut inveniam te foris et deosculer te, et iam me nemo despiciat? Cant. VIII, 1. » 88
» II. Nascetur vobis parvulus et vocabitur Deus, fortis, Isai. IX, 6. . . . . » 92
» III. Cum esset desponsata etc., Matth. I, 18-21. » 93
» IV. Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum, Psalm. LXXXIV, 13. . » ib.
» V. Terra nostra dabit fructum suum, Psalm. LXXXIV, 13. . . . . » 94
» VI. Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiae, et sanitas in pennis eius, Malach. IV, 2. » 95
» VII. Veritas de terra orta est, Psalm. LXXXIV, 12. » ib.
» VIII. Egredimini et videte, filiae Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius et in die laetitiae cordis eius, Cant. III, 11. . . . . » 96
» IX. Sanctificamini hodie; cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia, Ios. III, 5. . . . . » ib.
» X. Sanctificamini, cras comedetis carnes, Num. XI, 18. . . . . » 97
» XI. Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto, Matth. I, 18. . . . » ib.
» XII. Quod enim in ea natum est de Spiritu sancto est, Matth. I, 20. . . . . » 99

DE NATIVITATE DOMINI.

Sermo I. Transeamus usque Bethlehem et videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis, Luc. II, 15. . . . . » 102
Schema. Transeamus usque Bethlehem et videamus hoc verbum, Luc. II, 15. . . . . » 106
» II. Verbum caro factum est, Ioan. I, 14. . . . » ib.
Schema. Verbum caro factum est et habitavit in nobis, Ioan. I, 14. . . . . » 110
» III. Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, Luc. II, 10. seq. . . . . » ib.
Schema. Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, Luc. II, 10. seq. . . . . » 112
» IV. Vide arcum et benedic eum qui fecit illum; valde speciosus est in splendore suo. Gyravit caelum in circuitu gloriae suae, manus Excelsi aperuerunt illum, Eccli. XLIII, 12. seq. . *pag.* 112
Sermo V. Ego sum radix et genus David, stella splendida et matutina, Apoc. XXII, 16. . . . . » 114
» VI. Gratia sicut paradisus in benedictionibus, Eccli. XL, 17. . . . . » ib.
» VII. Orietur stella ex Iacob, Num. XXIV, 17. » 115
» VIII. Ego flos campi et lilium convallium, Cant. II, 1. . . . . » 116
» IX. Fons ascendebat e terra, irrigans universam superficiem terrae, Gen. II, 6. . . . . » ib.
» X. Produxit Dominus Deus de humo lignum vitae in medio paradisi, Gen. II, 9. . . . . » ib.
» XI. Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, Gen. II, 10. . . . . » 117
» XII. In lilio et rosa gaudio implebo filios tuos, IV. Esdr. II, 19. . . . . » ib.
» XIII. Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium, Cant. V, 2. . . . . » 118
» XIV. Emissiones tuae paradisus, Cant. IV, 13. . » ib.
» XV. Emissiones tuae paradisus, Cant. IV, 13. . » ib.
» XVI. Vobis apertus est paradisus, plantata est arbor vitae, IV. Esdr. VIII, 52. . . . . » 119
» XVII. Accipite iucunditatem gloriae vestrae, IV. Esdr. II, 36. . . . . » ib.
» XVIII. In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, Psalm. XVIII, 6. . . . . » 120
» XIX. Egredimini, filiae Sion, et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis eius et in die laetitiae cordis eius, Cant. III, 11. . . . . » ib.
» XX. Vas castrorum sol in excelsis in firmamento caeli resplendens gloriose, Eccli. XLIII, 9. . » 121
» XXI. Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio, Gen. II, 8. . . . . » 122
» XXII. Anima mea, benedic Dominum, quoniam liberavit Ierusalem, civitatem suam, a cunctis tribulationibus eius Dominus Deus noster. Confitemini Domino, filii Israel, quoniam ostendit maiestatem suam in gentem peccatricem, Tob. XIII, 19. 3. 7. . . . . » ib.
» XXIII. Exiit edictum a Caesare Augusto, ut describeretur universus orbis etc., Luc. II, 1-16. . . . . » 123
» XXIV. Pastores loquebantur etc., Luc. II, 15-20. » 124
» XXV. In principio erat Verbum etc., Ioan. I, 1-14. . . . . » ib.
» XXVI. In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, Psalm. XVIII, 6. . . . . » ib.
» XXVII. Qui mane vigilant ad me invenient me, Prov. VIII, 17. . . . . » 126
» XXVIII. Dominus de Sinai venit et de Seir ortus est nobis. Apparuit de monte Pharan, et cum eo Sanctorum millia, Deut. XXXIII, 2. . . » 128

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI.

Sermo I. Positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel et in signum, cui contradicetur, Luc. II, 34. . . . . *pag.* 129

Prothema: Surrexit Elias Propheta sicut ignis ardens, Eccli. XLVIII, 1. . . . . » ib.

» II. Quoniam estis filii Dei, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater, Galat. IV, 6. . . . . » 132

CIRCUMCISIO DOMINI.

Sermo I. In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet neque praeputium, sed nova creatura, Gal. VI, 15. . . . . » 133

Prothema. Gloria mea semper innovabitur, et arcus meus in manu mea instaurabitur, Iob XXIX, 20. . . . . » ib.

Collatio. In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet etc., Gal. VI, 15. . . . . » 138

» II. Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur Puer, vocatum est nomen eius Iesus, Luc. II, 21. . . . . » 139

» III. Vocatum est nomen eius Iesus, Luc. II, 21. » 140

» IV. Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur Puer, vocatum est nomen eius Iesus, Luc. II, 21. . . . . » ib.

» V. Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, Tit. II, 11. . . . . » 141

» VI. Nos sumus circumcisio, qui spiritu servimus Deo et gloriamur in Christo Iesu, Philip. III, 3. » 142

» VII. Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis et varietate, venit ad Libanum et tulit medullam cedri. Summitatem frondium eius avulsit, Ezech. XVII, 3. seq. . . . . » ib.

» VIII. Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur Puer, vocatum est nomen eius Iesus, Luc. II, 21. . . . . » 143

» IX. Postquam consummati sunt dies octo etc., Luc. II, 21. . . . . » ib.

» X. Postquam consummati sunt dies etc., Luc. II, 21. . . . . » ib.

VIGILIA EPIPHANIAE.

Sermo I. Defuncto Herode, ecce, Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Aegypto etc., Matth. II, 19-23. . . . . » 144

» II. Surge et accipe Puerum et Matrem eius et vade in terram Israel, Matth. II, 20. . . . » ib.

» III. Consurgens Ioseph, accepit Puerum et Matrem eius et venit in terram Israel, Matth. II, 21. » ib.

EPIPHANIA.

Sermo I. Ubi est, qui natus est, rex Iudaeorum? Vidimus enim stellam eius in oriente et venimus adorare eum, Matth. II, 2. . . . . » 145

Prothema. Sapientia ubi invenitur, et quis est locus intelligentiae? Iob XXVIII, 12. . . . » ib.

Collatio. Ubi est, qui natus est, rex Iudaeorum etc., Matth. II, 2. . . . . *pag.* 149

Sermo II. Intrantes domum invenerunt Puerum cum Maria, Matre eius, Matth. II, 11. . . . . » 151

Schema. Intrantes domum invenerunt Puerum cum Maria, Matre eius, Matth. II, 11. . . . » 155

» III. Intrantes domum, invenerunt Puerum cum Maria, Matre eius, et procidentes adoraverunt eum, et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham, Matth. II, 11. . . . . » 156

Schema. Intrantes domum, invenerunt Puerum cum Maria, Matre eius, et procidentes adoraverunt eum, et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera: aurum, thus et myrrham, Matth. II, 11. . . . . » 160

» IV. Per aliam viam reversi sunt in regionem suam, Matth. II, 12. . . . . » 161

Schema. Per aliam viam reversi sunt in regionem suam, Matth. II, 12. . . . . » 163

» V. Obtulerunt ei munera: aurum, thus et myrrham, Matth. II, 11. . . . . » ib.

» VI. Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, Beniamin et Manasse, Psalm. LXXIX, 2. . . . . » 165

» VII. Intrantes domum invenerunt Puerum cum Maria, Matre eius, Matth. II, 11. . . . . » 166

» VIII. Cum natus esset Iesus in Bethlehem etc., Matth. II, 1-12. . . . . » ib.

» IX. Surge, illuminare, Ierusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est, Isai. LX, 1. . . . . » ib.

» X. Illuminare, Ierusalem, quia venit lumen tuum, Isai. LX, 1. . . . . » 167

» XI. Ubi est, qui natus est, rex Iudaeorum? Matth. II, 2. . . . . » ib.

» XII. Ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui, Isai. LX, 3. . . . . » ib.

» XIII. Vidimus stellam eius in oriente et venimus adorare eum, Matth. II, 2. . . . . » 168

» XIV. Surge, illuminare, Ierusalem, Isai. LX. 1. » ib.

» XV. Videntes stellam Magi gavisi sunt gaudio magno valde, Matth. II, 10. . . . . » 169

» XVI. Dominus rex noster, Dominus legifer noster, Dominus iudex noster, ipse salvabit nos, Isai. XXXIII, 22. . . . . » ib.

» XVII. Ambulabunt gentes in lumine tuo et reges in splendore ortus tui, Isai. LX, 3. . . » ib.

» XVIII. Ubi est, qui natus est, rex Iudaeorum? Matth. II, 2. . . . . » 170

» XIX. Surge, illuminare, Ierusalem, quia venit lumen tuum, Isai. LX, 1. . . . . » ib.

» XX. Surge, illuminare, Ierusalem, Isai. LX, 1. . » ib.

» XXI. Surge, illuminare, Ierusalem, Isai. LX, 1. » ib.

DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIAE.

Sermo I. Fili, quid fecisti nobis sic? Ego et pater tuus dolentes quaerebamus te, Luc. II, 48. . . . » 171

Prothema. Sine me nihil potestis facere, Ioan. XV, 5. . . . . *pag.* 171
Schema. Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce, pater tuus et ego dolentes quaerebamus te, Luc. II, 48. » 173
Sermo II. Nolite conformari huic saeculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, Rom. XII, 2. . » 174
» III. Post triduum invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum, Luc. II, 46. . . » ib.
» IV. Invenerunt illum in templo, Luc. II, 46. . » 175
» V. Cum factus esset Iesus annorum duodecim etc., Luc. II, 42-52. . . . . » ib.
» VI. Ut perfecerunt omnia secundum Legem Domini, reversi sunt in Galilaeam, Luc. II, 39. . » 176
» VII. Invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos et interrogantem eos, Luc. II, 46. . . . . » ib.
Schema. Invenerunt illum in templo, Luc. II, 46. » 177
» VIII. Rationabile sit obsequium vestrum, Rom. XII, 1. . . . . » ib.

IN OCTAVA EPIPHANIAE.

Sermo I. Ecce, Agnus Dei, ecce, qui tollit peccatum mundi, Ioan. I, 29. . . . . » 178
» II. Ecce, Agnus Dei, Ioan. I, 29. . . . . » ib.
» III. Vidit Ioannes Iesum venientem ad se etc., Ioan. I, 29-34 . . . . . » ib.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

Sermo I. Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilaeae et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli eius, Ioan. II, 11. . » 179
Prothema. . . . . . » ib.
Schema. Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilaeae et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli eius, Ioan. II, 11. . » 181
» II. Spiritu ferventes, Domino servientes, id ipsum invicem sentientes, non alta sapientes, sed humilibus consentientes, Rom. XII, 11. 16. . » 182
» III. Quodcumque dixerit vobis, facite, Ioan. II, 5. » ib.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

Sermo I. Ecce, leprosus veniens adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare, Matth. VIII, 2. . . . . » 183
Prothema. Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis, Thren. IV, 4. . . . . » ib.
Schema. Ecce, leprosus veniens adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare, Matth. VIII, 2. . . . . » 186
» II. Extendens Iesus manum tetigit eum, dicens: Volo: Mundare, Matth. VIII, 3. . . . . » ib.
» III. Domine, si vis, potes me mundare, Matth. VIII, 2. . . . . » 187

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

Sermo I. Domine, salva nos, perimus, Matth. VIII, 25. » 188
Prothema. Evangelium est virtus Dei in salutem omni credenti, Rom. I, 16. . . . . » ib.
Sermo II. Ascendente Iesu in naviculam, secuti sunt eum discipuli eius. Et ecce, motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, Matth. VIII, 23. seq. . . . . *pag.* 190
» III. Surgens Iesus imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna, Matth. VIII, 26. » 191
» IV. Domine, salva nos, perimus, Matth. VIII, 25. » ib.
» V. Motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, Matth. VIII, 24. . » 192

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

Sermo I. Simile est regnum caelorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo, Matth. XIII, 24. » ib.
Prothema. Surrexit Elias Propheta sicut ignis ardens, et verbum ipsius quasi facula ardebat, Eccli. XLVIII, 1. . . . . » ib.
» II. Simile factum est regnum caelorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo, Matth. XIII, 24. . . . . » 195

DOMINICA IN SEPTUAGESIMA.

Sermo. Voca operarios et redde illis mercedem suam, Matth. XX, 8. . . . . » ib.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

Sermo. Quod autem in bonam terram, hi sunt, qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent et fructum afferunt in patientia, Luc. VIII, 15. » 198
Prothema. Da sapienti occasionem, et addetur ei sapientia, Prov. IX, 9. . . . . » ib.

DOMINICA IN QUINQUAGESIMA.

Sermo. Tradetur enim gentibus et illudetur et flagellabitur et conspuetur; et postquam flagellaverint, occident eum, Luc. XVIII, 32. seq. . . . . » 201
Prothema. Audite me, quoniam de rebus magnis locutura sum, Prov. VIII, 6. . . . . » ib.

DOMINICA PRIMA IN QUADRAGESIMA.

Sermo I. Ductus est Iesus a Spiritu in desertum, ut tentaretur a diabolo, Matth. IV, 1. . . . . » 204
Prothema. Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter et non improperat, Iac. I, 5. . . . . » ib.
» II. Reliquit eum diabolus, et ecce, Angeli accesserunt et ministrabant ei, Matth. IV, 11. . . » 208
Prothema. Relinquite infantiam et vivite et ambulate per vias prudentiae, Prov. IX, 6. . . » ib.

FERIA TERTIA
POST PRIMAM DOMINICAM QUADRAGESIMAE.

Sermo. Quaerite Dominum, dum inveniri potest, Isai. LV, 6. . . . . » 212

FERIA QUARTA QUATUOR TEMPORUM
POST PRIMAM DOMINICAM QUADRAGESIMAE.

Sermo. Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse meus frater et soror et mater est, Matth. XII, 50. . . . . » ib.

FERIA QUINTA
POST PRIMAM DOMINICAM QUADRAGESIMAE.

Sermo. Ecce, mulier Chananaea, a finibus illis egressa, clamavit, dicens ei: Miserere mei, Domine, fili David; filia mea male a daemonio vexatur, Matth. XV, 22. . . . . *pag.* 213

FERIA SEXTA
POST PRIMAM DOMINICAM QUADRAGESIMAE.

Sermo. Est Ierosolymis probatica piscina, quinque porticus habens, quae cognominatur hebraice Bethsaida. In his iacebat etc., Ioan. V, 2. seq. . » 214
Schema. Est autem Ierosolymis probatica piscina, quinque porticus habens. . . . . » 215

DOMINICA SECUNDA IN QUADRAGESIMA.

Sermo I. Assumsit Iesus Petrum et Iacobum et Ioannem, fratrem eius, et duxit illos in montem excelsum et transfiguratus est ante eos, Matth. XVII, 1. seq. . . . . » ib.
Prothema. Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me, Psalm. CXVIII, 66. . . . . » ib.
» II. Assumsit Iesus Petrum et Iacobum et Ioannem, fratrem eius, et duxit illos in montem excelsum seorsum et transfiguratus est ante eos, Matth. XVII, 1. seq. . . . . » 219
» III. Resplenduit facies eius sicut sol, et vestimenta eius facta sunt alba sicut nix, Matth. XVII, 2. » ib.
» IV. Levantes oculos suos neminem viderunt nisi solum Iesum, Matth. XVII, 8. . . . . » 220
» V. Resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix, Matth. XVII, 2. . . . . » 221

FERIA SECUNDA
POST SECUNDAM DOMINICAM QUADRAGESIMAE.

Sermo. Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum, Ioan. VIII, 28. . . . . » ib.

DOMINICA TERTIA IN QUADRAGESIMA.

Sermo I. Porro, si in digito Dei eicio daemonia, profecto pervenit in vos regnum Dei, Luc. XI, 20. » 222
Prothema. Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est, Mal. II, 7. . . . . » ib.
» II. Ut filii lucis ambulate, Eph. V, 8. . . . » 224
Prothema. Beati, qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud, Luc. XI, 28. . . . . » ib.
» III. Erat Iesus eiiciens daemonium, et illud erat mutum, Luc. XI, 14. . . . . » 229
» IV. Tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis, Eph. V, 2. » 230
» V. Ut filii lucis ambulate, Eph. V, 8. . . . . » 231

DOMINICA QUARTA IN QUADRAGESIMA.

Sermo I. Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quae faciebat super his qui infirmabantur, Ioan. VI, 2. . . . . » ib.
Prothema. Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me, ad annuntiandum mansuetis misit me etc., Isai. LXI, 1. . . . *pag.* 234
Sermo II. Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos et duos pisces, Ioan. VI, 9. . . » 234
» III. Illa autem quae sursum est Ierusalem libera est, quae est mater nostra, Galat. IV, 26. . » 235
» IV. Illa quae sursum est Ierusalem libera est, quae est mater nostra, Galat. IV, 26. . . . » 236
» V. Eiice ancillam et filium eius; non enim heres erit filius ancillae cum filio liberae, Galat. IV, 30. . . . . » ib.

DOMINICA DE PASSIONE.

Sermo I. Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in aeternum, Ioan. VIII, 52. . » 237
» II. Per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa, Hebr. IX, 12. . . . . » 239
» III. Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi, Ioan. VIII, 46. . . . . » 240
» IV. Iesus abscondit se et exivit de templo, Ioan. VIII, 59. . . . . » 241

DOMINICA IN PALMIS.

Sermo I. Egredimini et videte, filiae Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua, Cant. III, 11. . . . . » ib.
» II. Egredimini et videte, filiae Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius et in die laetitiae cordis eius, Cant. III, 11. . . . . » 244
» III. Benedictus, qui venit in nomine Domini, Matth. XXI, 9. . . . . » 245

FERIA SECUNDA POST DOMINICAM IN PALMIS.

Sermo. Ante sex dies Paschae venit Iesus Bethaniam, Ioan. XII, 1. . . . . » 246

FERIA QUINTA IN COENA DOMINI.

Sermo I. Vidi, et ecce, in medio throni et quatuor animalium et in medio seniorum Agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem et oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei, Apoc. V, 6. . . . . » 247
Prothema. Misit servum suum hora coenae dicere invitatis, ut venirent, Luc. XIV, 17. . » ib.
» II. Tertio anno imperii sui rex Assuerus fecit grande convivium cunctis principibus et pueris suis, fortissimis Persarum et Medorum inclytis et praefectis provinciarum etc., Esth. I, 3. . » 250
Prothema. Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa, Psalm. LXVII, 12. . . » ib.
» III. Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita, Ioan. VI, 52. . . . . » 253
» IV. Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se, Psalm. CX, 4. seq. . . . . » 255

Sermo V. Venite ad me, omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris etc., Matth. XI, 28. seqq. *pag.* 255
Prothema. Qui audit dicat: Veni, Apoc. XXII, 17. » ib.

FERIA SEXTA IN PARASCEVE.

Sermo I. Vidi, et ecce, in medio throni et quatuor animalium et in medio seniorum Agnum stantem etc., Apoc. V, 6. . . . . » 259
Prothema. Adeamus cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno, Hebr. IV, 16. . . . . » ib.
» II. Venite ad me etc., Matth. XI, 28. seqq. . » 262

SABBATO SANCTO.

Sermo I. Venite ad me etc., Matth. XI, 28. seqq. . » 267
» II. Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo, Coloss. III, 3. . . » 270

IN RESURRECTIONE DOMINI.

Sermo I. Exsurge, Domine, salvum me fac, quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa, Psalm. III, 7. seq. . . . . » 272
Prothema. Domine Deus, propitius esto, obsecro; quis suscitabit Iacob, quia parvulus est? Amos VII, 2. . . . . » ib.
» II. Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est, in dextera Dei sedens, quae sursum sunt sapite, non quae super terram, Coloss. III, 1. seq. . . . . » 275
» III. Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est, in dextera Dei sedens, quae sursum sunt sapite, non quae super terram, Coloss. III, 1. seq. . . . . » 276
» IV. Surrexit Dominus vere et apparuit Simoni, Luc. XXIV, 34. . . . . » 280

FERIA SECUNDA POST PASCHA.

Sermo. Refloruit caro mea, Psalm. XXVII, 7. . . . » 281
Prothema. Cognoverunt Dominum in fractione panis, Luc. XXIV, 35. . . . . » ib.
Collatio. Refloruit caro mea etc. . . . . » 286
Prothema. . . . . . » ib.
Schema. Refloruit caro mea etc. . . . . » 288

DOMINICA IN ALBIS.

Sermo I. Gavisi sunt discipuli, viso Domino, Ioan. XX, 20. » 289
» II. Omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum, I. Ioan. V, 4. . . . . » 291
» III. Pax vobis, Ioan. XX, 19. . . . . » 292
» IV. Gavisi sunt discipuli, viso Domino, Ioan. XX, 20. . . . . » ib.
» V. Cum essent discipuli congregati in unum propter metum Iudaeorum, venit Iesus et stetit in medio et dixit eis: Pax vobis, Ioan. XX, 19. » 293

DOMINICA II. POST PASCHA.

Sermo I. Ego sum pastor bonus, bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis, Ioan. X, 11. . *pag.* 293
» II. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius, I. Petr. II, 21. . . . . » 296
Schema. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius, I. Petr. II, 21. . . . . » 300
» III. Ego sum pastor bonus, Ioan. X, 11. . . » 301
» IV. Cognosco oves meas, et cognoscunt me meae, Ioan. X, 14. . . . . » 302
» V. Tradebat iudicanti se iniuste qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui iustitiae vivamus, I. Petr. II, 23. seq. . . . . » 303

DOMINICA III. POST PASCHA.

Sermo I. Mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium, Ioan. XVI, 20. . . . . » 306
» II. Tristitia vestra vertetur in gaudium, Ioan. XVI, 20. . . . . » 308
» III. Videbo vos, et gaudebit cor vestrum, Ioan. XVI, 22. . . . . » ib.

DOMINICA IV. POST PASCHA.

Sermo I. Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, Ioan. XVI, 13. . . . . » 309
» II. Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, Ioan. XVI, 13. . . » 311

DOMINICA V. POST PASCHA.

Sermo I. Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum, Ioan. XVI, 24. . . . . » ib.
» II. Exivi a Patre et veni in mundum, iterum relinquo mundum et vado ad Patrem, Ioan. XVI, 28. . . . . » 313

IN ASCENSIONE DOMINI.

Sermo I. Exivi a Patre et veni in mundum et vado ad Patrem, Ioan. XVI, 28. . . . . » 314
Prothema. Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, et eritis mihi testes in Ierusalem et in omni Iudaea et Samaria et usque ad ultimum terrae, Act. I, 8. . . . . » ib.
» II. Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, Filius hominis, qui est in caelo, Ioan. III, 13. . . . . » 318
» III. Qui descendit ipse est et qui ascendit super omnes caelos, ut impleret omnia, Eph. IV, 10. » 319
» IV. Qui aedificat in caelo ascensionem suam et fasciculum suum super terram fundavit, Amos IX, 6. . . . . » ib.
» V. Dominus in caelo paravit sedem suam, et regnum ipsius omnibus dominabitur, Psalm. CII, 19. . . . . » 320

Sermo VI. Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate, sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos et eritis mihi testes in Ierusalem, Act. I, 7. seq. . . . . *pag.* 321

» VII. Qui descendit ipse est et qui ascendit super omnes caelos, ut impleret omnia, Eph. IV, 10. » ib.

» VIII. Beatus vir, cuius est auxilium abs te; ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum, Psalm. LXXXIII, 6. seq. . . . . » 324

» IX. Ascendet, pandens iter ante eos, Michaeae II, 13. . . . . » 326

DOMINICA INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS.

Sermo I. Estote prudentes et vigilate in orationibus, I. Petr. IV, 7. . . . . » 328

» II. Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, Ioan. XV, 26. . . . . » ib.

IN PENTECOSTE.

Sermo I. Spiritus Domini ornavit caelos, Iob XXVI, 13. » 330

Prothema. Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis, Matth. X, 20. . . . . » ib.

» II. Effundam super domum David et super habitatores Ierusalem spiritum gratiae et precum, et aspicient ad me, quem confixerunt, Zach. XII, 10. . . . . » 333

» III. Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita, Gen. II, 10. . . . . » 335

» IV. Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita, Gen. II, 10. . . . . » ib.

» V. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terrae, Psalm. CIII, 30. . . » ib.

» VI. Qui descendit ipse est et qui ascendit super omnes caelos, ut impleret omnia, Eph. IV, 10. » 336

» VII. Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio, Iac. I, 17. . . . » 337

» VIII. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae, Ioan. VII, 38. . . . . » 339

» IX. De excelso misit ignem in ossibus meis et erudivit me, Thren. I, 13. . . . . » 341

» X. Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae etc.; *et post subditur:* Sed et super servos meos et ancillas effundam Spiritum meum, Ioel. II, 28. seq. . . . . » 345

DOMINICA PRIMA POST PENTECOSTEN.

Sermo I. Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est, Luc. VI, 36. . . . . » 347

Sermo II. Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est, Luc. VI, 36. . . . . *pag.* 349

Prothema. Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, Psalm. CXVIII, 124. . . . » ib.

DE TRINITATE.

Sermo. Tres sunt, qui testimonium dant in caelo: Pater, Verbum et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra: spiritus, aqua et sanguis, I. Ioan. V, 7. seq. . . . . » 351

DOMINICA SECUNDA POST PENTECOSTEN.

Sermo I. Homo quidam fecit coenam magnam et vocavit multos, Luc. XIV, 16. . . . . » 357

» II. Homo quidam fecit coenam magnam et vocavit multos, Luc. XIV, 16. . . . . » 360

» III. Homo quidam fecit coenam magnam et vocavit multos, Luc. XIV, 16. . . . . » ib.

» IV. Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris, Luc. XVI, 25. » 364

Prothema. Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum diligat et fratrem suum, I. Ioan. IV, 21. . . . . » ib.

DOMINICA TERTIA POST PENTECOSTEN.

Sermo I. Gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente, Luc. XV, 10. » 366

» II. Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis, I. Petr. V, 6. » 369

» III. Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis, I. Petr. V, 6. » 370

» IV. Gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente, Luc. XV, 10. » ib.

Schema. Gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente, Luc. XV, 10. . . . . » 372

DOMINICA QUARTA POST PENTECOSTEN.

Sermo I. Relictis omnibus, secuti sunt eum, Luc. V, 11. » ib.

» II. Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam, Luc. V, 4. . . . . » 375

DOMINICA QUINTA POST PENTECOSTEN.

Sermo I. Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio, Matth. V, 22. . . . . » ib.

» II. Nisi abundaverit iustitia vestra plus quam scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum, Matth. V, 20. . . . . » 378

DOMINICA SEXTA POST PENTECOSTEN.

Sermo I. Cum turba multa esset *cum Iesu*, nec haberent quod manducarent, convocatis discipulis, ait illis: Misereor super turbam, quia, ecce, iam triduo sustinent me nec habent quod manducent, Marc. VIII, 1. seq. . . . . » ib.

» II. In novitate vitae ambulemus, Rom. VI, 4. . » 380

Sermo III. Accipiens Iesus septem panes, gratias agens, fregit et dabat discipulis suis, ut apponerent, et apposuerunt turbae. Et habebant pisciculos paucos, et ipsos benedixit et iussit apponi, Marc. VIII, 6. seq. . . . . *pag.* 381

DOMINICA SEPTIMA POST PENTECOSTEN.

Sermo I. Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mitteturr, Matth. VII, 19. » ib.
» II. Qui facit voluntatem Patres mei, qui in caelis est, ipse intrabit in regnum caelorum, Matth. VII, 21. . . . . » 384
» III. Non potest arbor bona malos fructus facere, Matth. VII, 18. . . . . » ib.

DOMINICA OCTAVA POST PENTECOSTEN.

Sermo I. Vocavit illum et ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuae, Luc. XVI, 2. » ib.
» II. Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei, Rom. VIII, 14. . . . . » 387
» III. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei, Rom. VIII, 16. » ib.

DOMINICA NONA POST PENTECOSTEN.

Sermo I. Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis illam speluncam latronum, Luc. XIX, 46. . . . . » ib.
» II. Domus mea domus orationis vocabitur, Luc. XIX, 46. . . . . » 390
Schema. Domus mea domus orationis vocabitur, Luc. XIX, 46. . . . . » 392

DOMINICA DECIMA POST PENTECOSTEN.

Sermo I. Qui se humiliat exaltabitur, Luc. XVIII, 14. . » ib.
» II. Nemo potest dicere: Dominus Iesus nisi in Spiritu sancto, I. Cor. XII, 3. . . . . » 394
» III. Omnis, qui se humiliat, exaltabitur, Luc. XIV, 11. . . . . » 395

DOMINICA UNDECIMA POST PENTECOSTEN.

Sermo I. Solutum est vinculum linguae eius, et loquebatur recte, Marc. VII, 35. . . . . » ib.
» II. Apertae sunt aures eius, et solutum est vinculum linguae eius, et loquebatur recte, Marc. VII, 35. » 397

DOMINICA DUODECIMA POST PENTECOSTEN.

Sermo I. Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, Luc. X, 30. . . . . » 398
» II. Beati oculi, qui vident quae vos videtis, Luc. X, 23. . . . . » 401
» III. Magister, quid faciendo vitam aeternam possidebo? Luc. X, 25. . . . . » 402

DOMINICA DECIMA TERTIA POST PENTECOSTEN.

Sermo I. Steterunt a longe et levaverunt vocem, dicentes: Iesu, praeceptor, miserere nostri, Luc. XVII, 12. seq. . . . . » 403

Sermo II. Abrahae dictae sunt promissiones et semini eius, Galat. III, 16. . . . . *pag.* 405
» III. Dum iret Iesus in Ierusalem, transibat per mediam Samariam et Galilaeam. Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, Luc. XVII, 11. seq. . . » 406
» IV. Unus autem ex illis, ut vidit, quia mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans Deum, et cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens, Luc. XVII, 15. seq. . . » ib.

DOMINICA DECIMA QUARTA POST PENTECOSTEN.

Sermo I. Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius, Matth. VI, 33. . . . . » 407
» II. Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius, Matth. VI, 33. . . . . » 410

DOMINICA DECIMA QUINTA POST PENTECOSTEN.

Sermo I. Resedit qui erat mortuus, et coepit loqui; et dedit illum matri suae. Accepit autem omnes timor, et magnificabant Deum, Luc. VII, 15. seq. » 411
» II. Propheta magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitavit plebem suam, Luc. VII, 16. . » 413
» III. Propheta magnus surrexit in nobis, Luc. VII, 16. » 414
» IV. Propheta magnus surrexit in nobis, Luc. VII, 16. » ib.

DOMINICA DECIMA SEXTA POST PENTECOSTEN.

Sermo I. Ipse vero apprehensum sanavit eum ac dimisit, Luc. XIV, 4. . . . . » 415
» II. Amice, ascende superius, Luc. XIV, 10. . . » 417
» III. Amice, ascende superius, et erit tibi gloria coram simul discumbentibus, Luc. XIV, 10. » 418

DOMINICA DECIMA SEPTIMA POST PENTECOSTEN.

Sermo I. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex tota mente tua, Matth. XXII, 37. . . . . » ib.
Prothema. Sicut meridiana lux clara est, et sicut nubes roris in die messis, Isai. XVIII, 4. . » ib.
» II. Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, Eph. IV, 3. . . . . » 421
» III. Magister, quod est mandatum magnum in Lege? Ait illi Iesus: Diliges Dominum Deum tuum, Matth. XXII, 36. seq. . . . . » 422

DOMINICA DECIMA OCTAVA POST PENTECOSTEN.

Sermo I. Surge, tolle lectum tuum et vade in domum tuam, Matth. IX, 6. . . . . » 423
» II. Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quae data est vobis in Christo Iesu, quod in omnibus divites facti estis in illo, I. Cor. I, 4. seq. . . . . » 425
» III. Ascendens Iesus in navicularn, transfretavit et venit in civitatem suam, Matth. IX, 1. . » 426

DOMINICA DECIMA NONA POST PENTECOSTEN.

Sermo I. Rex autem, cum audisset, iratus est, et missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, Matth. XXII, 7. . . . . » 427

Sermo II. Renovamini spiritu mentis vestrae et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, Eph. IV, 23. seq. . . . . *pag.* 429
» III. Nuptiae quidem paratae sunt, sed qui invitati erant non fuerunt digni, Matth. XXII, 8. » ib.
» IV. Renovamini spiritu mentis vestrae et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, Eph. IV, 23. seq. . . . . » 430
» V. Renovamini spiritu mentis vestrae, Eph. IV, 23. » ib.

DOMINICA VIGESIMA POST PENTECOSTEN.

Sermo I. Domine, descende, priusquam moriatur filius meus, Ioan. IV, 49. . . . . » ib.
Prothema. Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, Beniamin et Manasse, Psalm. LXXIX, 2. seq. . . . . » ib.
» II. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria; sed implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus, Eph. V, 18. seq. . . . . » 433
» III. Implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus, gratias agentes Deo et Patri, Eph. V, 18. seq. . . . . » 434
» IV. Videte, quomodo caute ambuletis, Eph. V, 15. » ib.
» V. Credidit homo sermoni, quem dixit ei Iesus, et ibat, Ioan. IV, 50. . . . . » 435
» VI. Implemini Spiritu sancto, Eph. V, 18. . . » ib.

DOMINICA VIGESIMA PRIMA POST PENTECOSTEN.

Sermo I. Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Nonne ergo oportuit, et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum? Matth. XVIII, 32. seq. . . . . » ib.
Prothema. Ecce, intelliget servus meus, exaltabitur et sublimis erit valde, Isai. LII, 13. . » ib.
» II. Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Nonne ergo oportuit, et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum? Et iratus dominus eius tradidit eum tortoribus, Matth. XVIII, 32. seqq. . . . . » 438
» III. Assimilatum est regnum caelorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis, Matth. XVIII, 23. . . . . » 440

DOMINICA VIGESIMA SECUNDA POST PENTECOSTEN.

Sermo I. Magister, scimus, quia verax es et viam Dei in veritate doces, Matth. XXII, 16. . . . . » 441
Prothema. Disciplina tua, ipsa me docebit, Psalm. XVII, 35. . . . . *pag.* 441
Sermo II. Confidimus in Domino Iesu, quia qui coepit in vobis opus bonum perficiet usque in diem Christi Iesu, Philip. I, 6. . . . . » 444
» III. Magister, scimus, quia verax es et viam Dei in veritate doces, Matth. XXII, 16. . . . . » ib.
» IV. Magister, scimus, quia verax es et viam Dei in veritate doces, Matth. XXII, 16. . . . . » 445
» V. Dixit Iesus discipulis Pharisaeorum et Herodianis: Cuius est imago haec et superscriptio? Matth. XXII, 20. . . . . » ib.
» VI. Cuius est imago haec et superscriptio? Matth. XXII, 20. . . . . » 446
Collatio. Nos, revelata facie gloriam Dei speculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem, II. Cor. III, 18. . . . » 449

DOMINICA VIGESIMA TERTIA POST PENTECOSTEN.

Sermo I. Confide, filia, fides tua te salvam fecit, Matth. IX, 22. . . . . » 450
Prothema. Quam pulcri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis! Cant. VII, 1. . . » ib.
» II. Confide, filia, fides tua te salvam fecit, Matth. IX, 22. . . . . » 452
» III. Cum electa esset turba, intravit et tenuit manum eius, Matth. IX, 25. . . . . » 453
» IV. Gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt, Philip. III, 19. . . . . » ib.

DOMINICA VIGESIMA QUARTA POST PENTECOSTEN.

Sermo I. Cum videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit intelligat, Matth. XXIV, 15. . » 454
» II. Cum videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit intelligat; tunc qui in Iudaea sunt fugiant ad montes, Matth. XXIV, 15. seq. » ib.
» III. Qui legit intelligat, Matth. XXIV, 15. . . » 455
» IV. Ambuletis digne Deo, per omnia placentes, Coloss. I, 10. . . . . » ib.
» V. Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine, Coloss. I, 12. . . . . » ib.
» VI. In omni opere bono fructificantes et crescentes in scientia Dei, Coloss. I, 10. . . . . » 456
Prothema. Pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est et fructificat et crescit, Coloss. I, 6. » ib.

II. SERMONES DE SANCTIS.

DE SANCTO ANDREA APOSTOLO (30 Nov.).

Sermo I. Lignum vitae, desiderium veniens, Prov. XIII, 12. . . . . *pag.* 463
Prothema. Lingua placabilis, lignum vitae, Prov. XV, 4. . . . . » ib.
Collatio. Lignum vitae, desiderium veniens, Prov. XIII, 12. . . . . *pag.* 467
Prothema secundum. Ego veni, ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es, Dan. IX, 23. » ib.
» II. Vestigia eius secutus est pes meus, Iob XXIII, 11. . . . . » 470

Prothema. Rogavit Ruth, ut spicas colligeret, sequens messorum vestigia, Ruth II, 7. . *pag.* 470

DE SANCTO NICOLAO (6 Dec.).

SERMO. Thesaurus desiderabilis et oleum in habitaculo iusti, Prov. XXI, 20. . . . . » 472
Prothema. Constituit eum super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petra oleumque de saxo durissimo, Deut. XXXII, 13. . . . . » ib.

DE SANCTO STEPHANO MARTYRE (26 Dec.).

SERMO I. Stephanus plenus gratia et fortitudine, faciebat prodigia et signa magna in populo, Act. VI, 8. » 478
Prothema. Dominus misit me Iesus ad te, ut videas et implearis Spiritu sancto, Act. IX, 17. » ib.
Collatio. Stephanus plenus gratia etc. . . . » 482
Schema. Stephanus autem plenus gratia et fortitudine faciebat prodigia et signa magna in populo, Act. VI, 8. . . . . » 484
» II. Posuisti, Domine, in capite eius coronam de lapide pretioso, Psalm. XX, 4. . . . . » 485
» III. Audivimus de te, quod vir potens sis viribus; et misit ei purpuram et coronam auream, I. Nach. X, 19. seq. . . . . » 489
» IV. Corona aurea super mitram eius, gloria honoris et opus fortitudinis, Eccli. XLV, 14. . » ib.
» V. Libavit de sanguine uvae, effudit odorem divinum excelso principi, Eccli. L, 16. seq. . » 490
» VI. Tulit David coronam Melchom et posuit eam in capite suo, I. Paral. XX, 2. . . . . » ib.
» VII. Cum esset Stephanus plenus Spiritu sancto, intendens in caelum, vidit gloriam Dei et Iesum stantem a dextris Dei, Act. VII, 55. . . . » ib.
» VIII. Quasi flos rosarum in diebus vernis, Eccli. L, 8. . . . . » 491
» IX Quasi plantatio rosae in Iericho, Eccli. XXIV, 18. . . . . » ib.
» X. Princeps ea quae digna sunt principe, cogitabit, Isai. XXXII, 8. . . . . » ib.
» XI. Cum esset Stephanus plenus Spiritu sancto, intendens in caelum, vidit gloriam Dei et Iesum stantem a dextris Dei, Act. VII, 55. . . » 492
» XII. Video caelos apertos et Filium hominis stantem a dextris Dei, Act. VII. 56. . . . . » ib.
» XIII. Domine Iesu, suscipe spiritum meum, Act. VII, 58. . . . . » 493
» XIV. Quis est hic? et laudabimus eum; fecit enim mirabilia in vita sua, Eccli. XXXI, 9. » ib.

DE SANCTO IOANNE EVANGELISTA (27 Dec.).

SERMO I. Puer Israel, et dilexi eum, Osee XI, 1. . . » 495
» II. Amicus sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi, Ioan. III, 29. » ib.
» III. Erat recumbens unus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus, Ioan. XIII, 23. » 496
» IV. Hic est discipulus ille, quem diligebat Iesus, Ioan. XXI, 24. 7. . . . . » ib.

SERMO V. Hic est discipulus ille, quem diligebat Iesus, Ioan. XXI, 24. 7. . . . . *pag.* 497
» VI. Dilectus Deo et hominibus, cuius memoria in benedictione est, Eccli. XLV, 1. . . . . » ib.
» VII. Aquila grandis magnarum alarum, Ezech. XVII, 3. . . . . » ib.
» VIII. Quasi flos rosarum in diebus vernis et quasi lilia, quae sunt in transitu aquae, et quasi thus redolens in diebus aestatis, Eccli. L, 8. » 498
» IX. Israel germinabit sicut lilium, Osee XIV, 6. » ib.
» X. Sapientia hominis lucet in vultu eius, Eccle. VIII, 1. . . . . » ib.
» XI. In facie prudentis lucet sapientia, Prov. XVII, 24. . . . . » 499
» XII. Ignis in altari semper ardebit, Lev. VI, 12. » ib.
» XIII. Erit quasi oliva gloria eius, et odor eius ut Libani, Osee XIV, 7. . . . . » ib.
» XIV. Dilectus Deo et hominibus, cuius memoria in benedictione est. Similem illum fecit in gloria Sanctorum, Eccli. XLV, 1. 2. . . . » ib.
Prothema . . . . . » ib.

DE SANCTA AGNETE VIRGINE ET MARTYRE (21 Ian.).

SERMO I. Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea, Cant. I, 8. . . . . » 501
» II. Ecce, tu pulcra es, amica mea. Ecce, tu pulcra es, oculi tui columbarum etc., Cant. I, 14. . » 503
Prothema. Quaeramus domino nostro regi adolescentulam virginem, et stet coram rege et foveat eum in sinu suo et calefaciat dominum nostrum regem, III. Reg. I, 2. . . . . » ib.

DE SANCTO VINCENTIO MARTYRE (22 Ian.).

SERMO. Similis factus est leoni in operibus suis, et sicut catulus leonis rugiens in venatione etc., I. Mach. III, 4. . . . . » 510

DE SANCTA AGATHA VIRGINE ET MARTYRE (5 Febr.).

SERMO. Fortitudo et decor indumentum eius, et ridebit in die novissimo, Prov. XXXI, 25. . . . . » 513

DE SANCTO MATHIA APOSTOLO (24 vel 25 Febr.).

SERMO I. Tu, Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum, Act. I, 24. . . . . » 514
» II. Posui vos, ut eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat, Ioan. XV, 16. . . » 517

DE SANCTO MARCO EVANGELISTA (25 Apr.).

SERMO I. Sanctus in sapientia manet sicut sol, Eccli. XXVII 12. . . . . » 519
Prothema. Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiae, Malach. IV, 2. . . . . » ib.
» II. Sapientiam sine fictione didici et sine invidia communico, Sap. VII, 13. . . . . » 524
Prothema. In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras, Iac. I, 21. . . . . » ib.

Sermo III. Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Sagittae potentis acutae cum carbonibus desolatoriis, Psalm. CXIX, 3. seq. . . . . *pag.* 528

DE SS. PHILIPPO ET IACOBO APOSTOLIS (1 Maii).

Sermo. Isti sunt duo filii olei, qui assistunt Dominatori universae terrae, Zach. IV, 14. . . . . » 530

Prothema. Ego sum via et veritas et vita, Ioan. XIV, 6. . . . . » ib.

DE TRANSLATIONE S. FRANCISCI (25 Maii).

Sermo. Amice, ascende superius, Luc. XIV, 10. . . . » 534

DE S. ANTONIO (13 Iunii).

Sermo. Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum, Psalm. XXXIII, 7. . . . . » 535

DE NATIVITATE S. IOANNIS BAPTISTAE (24 Iunii).

Sermo I. Ecce, elongavi fugiens et mansi in solitudine, Psalm. LIV, 7. . . . . » 538

Prothema. Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini, Ioan. I, 23. . . . . » ib.

Collatio. Ecce, elongavi fugiens et mansi in solitudine . . . . . » 541

» II. Ioannes est nomen eius, Luc. I, 63. . . . » 543

DE SANCTIS APOSTOLIS PETRO ET PAULO (29 Iunii).

Sermo I. Isti sunt duo filii olei, qui assistunt Dominatori universae terrae, Zach. IV, 14. . . . . » 546

» II. Ecce, nos reliquimus omnia et secuti sumus te, Matth. XIX, 27. . . . . » 549

» III. Vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel, Matth. XIX, 28. . . . . » 552

DE SANCTA MARIA MAGDALENA (22 Iulii).

Sermo I. Stans retro secus pedes Domini, lacrymis coepit rigare pedes eius et capillis capitis sui tergebat et osculabatur pedes eius et unguento ungebat, Luc. VII, 38. . . . . » 554

Prothema. Stans autem Iesus iussit, caecum adduci ad se, Luc. XVIII, 40. . . . . » ib.

» II. Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum, Luc. VII, 47. . . . . » 558

» III. Maria erat, quae unxit Dominum unguento et extersit pedes eius capillis suis, cuius frater Lazarus infirmabatur, Ioan. XI, 2. . . . . » 560

DE S. DOMINICO (4 Aug.).

Sermo. Sapientia hominis lucet in vultu eius, et Potentissimus faciem illius commutabit, Eccle. VIII, 1. » 562

DE S. LAURENTIO MARTYRE (10 Aug.).

Sermo. Probavit me quasi aurum, quod per ignem transit, Iob XXIII, 10. . . . . » 565

DE S. BARTHOLOMAEO APOSTOLO (24 vel 25 Aug.).

Sermo. Diligebat enim Ionathas David quasi animam suam; nam exspoliavit se Ionathas tunica, qua erat indutus, et dedit eam David, I. Reg. XVIII, 3. seq. . . . . *pag.* 569

Prothema. Laetabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa, Psalm. CXVIII, 162. » ib.

DE S. PATRE NOSTRO FRANCISCO (4 Oct.).

Sermo I. Assumam te, Zorobabel, fili Salathiel, serve meus, et ponam te quasi signaculum, quia te elegi, Agg. II, 24. . . . . » 573

» II. Ecce, servus meus, suscipiam eum, electus meus, complacuit sibi in illo anima mea, dedi Spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferet, Isai. XLII, 1. . . . . » 575

Prothema. Quis, putas, est fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore? Matth. XXIV, 45. . . . . » ib.

Collatio. Ecce, servus meus etc. . . . . » 580

» III. Creavit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam, Gen. I, 27. 26. . . . . » 582

» IV. Tunc apparebit signum Filii hominis in caelo, Matth. XXIV, 30. . . . . » 585

Prothema. Mane semina semen tuum, et vespere ne cesset manus tua, quia nescis, quid magis oriatur, aut hoc, aut illud; et si utrumque simul, melius erit, Eccle. XI, 6. . . . . » ib.

» V. Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, Matth. XI, 29. . . . . » 590

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM (1 Nov.).

Sermo I. Filii Sanctorum sumus et vitam illam exspectamus, quam Deus daturus est his qui fidem suam nunquam mutant ab eo, Tob. II, 18. . » 598

» II. Ego Ioannes vidi sanctam civitatem Ierusalem novam, descendentem de caelo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo, Apoc. XXI, 2. . . . . » 600

Prothema. Sapientia aedificavit sibi domum. *Sequitur:* Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem et ad moenia civitatis, Prov. IX, 1. 3. » ib.

IN DIE ANIMARUM (2. Nov.).

Sermo I. Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, Hebr. XI, 13. . . . » 605

» II. Omnes morimur et ad gaudium volumus venire, Eccli. VIII, 8. . . . . » 607

DE SANCTIS ANGELIS.

(IN FESTO S. MICHAELIS ARCHANGELI, 29 Sept.).

Sermo I. Vidit Iacob in somnis scalam stantem super terram et cacumen illius tangens caelum, Angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam et Dominum innixum scalae, Gen. XXVIII, 12. seq. . . . . » 609

Prothema. Difficile aestimamus quae in terra sunt, et quae in prospectu sunt invenimus cum labore; quae autem in caelis sunt quis investigabit? Sensum tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam et miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis? Sap. IX, 16. seq. . . . . *pag.* 609
Collatio. Vidit Iacob in somnis scalam etc. . . » 614
Prothema. Suspice caelum et numera stellas, si potes. Et dixit ei: Sic erit semen tuum, Gen. XV, 5. . . . . » ib.
SERMO II. In conspectu Angelorum psallam tibi, Psalm. CXXXVII, 2. . . . . » 618
SERMO III. Millia millium ministrabant ei, et decies milies centena millia assistebant ei, Dan. VII, 10. *pag.* 619
» IV. Angeli eorum semper vident faciem Patris, Matth. XVIII, 10. . . . . » 620
» V. Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis, Psalm. XC, 11. » 622
Prothema. Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius; quia angelus Domini exercituum est, Malach. II, 7. . . . » ib.
Collatio. Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. . . . . » 626
Prothema. Angelus, qui loquebatur in me verba bona, verba consolatoria, Zach. I, 13. . . . » ib.

III. SERMONES DE B. VIRGINE MARIA.

DE PURIFICATIONE B. VIRGINIS MARIAE (2 Febr.).

SERMO I. Purgabit filios Levi et colabit eos quasi aurum et quasi argentum, et erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia, Malach. III, 3. . . . *pag.* 633
Prothema. Abominatio Domini, cogitationes malae, et purus sermo pulcherrimus firmabitur ab eo, Prov. XV, 26. . . . . » ib.
Collatio. Purgabit filios Levi etc. . . . . » 637
Prothema. Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est, Exod. XXV, 40. . . . . » ib.
» II. Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos, Hebr. X, 14. . . . . » 640
Prothema. Ora pro nobis, quoniam mulier sancta es, Iudith VIII, 29. . . . . » ib.
Collatio. Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos. . . . . » 644
(Prothema). Nihil reliciendum est, quod cum gratiarum actione percipitur; sanctificatur enim per verbum Dei et orationem, I. Tim. IV, 4. seq. » ib.
» III. Ut perfecerunt omnia secundum Legem Domini, reversi sunt in Galilaeam, Luc. II, 39. . » 648
» IV. Statim veniet ad templum *sanctum* suum Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis, Malach. III, 1. . » 649
» V. Postquam impleti sunt dies purgationis *Mariae* secundum Legem Moysi, tulerunt Iesum in Ierusalem, ut sisterent eum Domino, Luc. II, 22. . . . . » 653

DE ANNUNTIATIONE B. VIRGINIS MARIAE (25 Mart.).

SERMO I. Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini, Isai. XI, 1. seq. . . . . » 657
» II. Ecce, Virgo concipiet, Isai. VII, 14. . . . » 659
» III. Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum, Psalm. LXXXIV, 13. . » 667
Prothema. Qui est de terra de terra est et de terra loquitur. Qui de caelo venit super omnes est, Ioan. III, 31. . . . . » ib.
Collatio. . . . . . » 670
SERMO IV. Qui creavit me requievit in tabernaculo meo, Eccli. XXIV, 12. . . . . *pag.* 671
» V. Ave, *Maria,* gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, Luc. I, 28. . . » 677
» VI. Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui, Luc. I, 42. . . . . » 682

DE ASSUMTIONE B. VIRGINIS MARIAE (15 Aug.).

SERMO I. Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes, Isai. II, 2. . . . . » 687
» II. Est enim haec speciosior sole et super omnem dispositionem stellarum, luci comparata, invenitur prior, Sap. VII, 29. . . . . » 691
» III. Surrexit rex in occursum *matris* adoravitque eam, positusque est thronus matri regis, quae sedit ad dexteram eius, III. Reg. II, 19. . . » 693
» IV. Fons parvus crevit in fluvium maximum, et in solem lucemque conversus est et in aquas plurimas redundavit; Esther est, quam rex accepit uxorem et voluit esse reginam, Esth. XI, 10. . . . . » 695
Prothema. Fons vitae, eruditio possidentis, Prov. XVI, 22. . . . . » ib.
» V. Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano; veni, coronaberis, Cant. IV, 8. . . . » 699
» VI. Signum magnum apparuit in caelo: Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim, Apoc. XII, 1. . . . . » 700

DE NATIVITATE B. VIRGINIS MARIAE (8 Sept.).

SERMO I. Lux orta est iusto, et rectis corde laetitia, Psalm. XCVI, 11. . . . . » 706
» II. Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonae species in ornamentum domus eius, Eccli. XXVI, 21. . . . . » 708
» III. Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic bonae mulieris species in ornamentum domus suae, Eccli. XXVI, 21. . . . . » 712

Sermo IV. Vas admirabile, opus Excelsi, Eccli. XLIII, 2. *pag.* 713
» V. Visa est arca testamenti Dei in templo eius, Apoc. XI, 19. . . . . » 715
» VI. Obtenebrentur stellae caligine eius; exspectet lucem, et non videat, nec ortum surgentis aurorae, Iob III, 9. . . . . *pag.* 719
Sermo VII. Fons ascendebat e terra, irrigans universam superficiem terrae, Gen. II, 6. . . . . » 721

IV. SERMONES DE DIVERSIS.

Sermo I. De modo vivendi. . . . . *pag.* 723
» II. De nostra redemptione. Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, Apoc. I, 5. . . . » 725
» III. De via veritatis. Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei, Ioan. III, 3. » 729

PROTHEMATA.

Prothema I. Argentum innocens dividet, Iob XXVII, 17. . . . . *pag.* 731
» II. . . . . » ib.

INDEX ALPHABETICUS

THEMATUM ET PROTHEMATUM

THEMATA.

A

Abrahae dictae sunt promissiones etc. . . . . *pag.* 405
Accipiens Iesus septem panes etc. . . . . » 381
Accipite iucunditatem gloriae vestrae . . . . . » 119
Ambulabunt gentes in lumine tuo etc. . . . . » 167
» » » . . . . . » 169
Ambuletis digne Deo, per omnia placentes . . . . » 455
Amice, ascende superius . . . . . » 417
» » . . . . . » 418
» » . . . . . » 534
Amicus sponsi, qui stat et audit eum etc. . . . . » 495
Angeli eorum semper vident faciem Patris . . . . » 620
Angelis suis Deus mandavit de te etc. . . . . » 622
» » » . . . . . » 626
Anima mea, benedic Dominum etc. . . . . » 122
Anno quintodecimo imperii Tiberii Caesaris etc. . . » 76
» » » » . . . » 87
Ante sex dies Paschae venit Iesus Bethaniam. . . . » 246
Aperi mihi, soror mea etc. . . . . » 118
Apertae sunt aures eius etc. . . . . » 397
Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri etc. . . . . » 141
Aquila grandis magnarum alarum etc. . . . . » 142
» » » . . . . . » 497
Ascendens Iesus in naviculam etc. . . . . » 426
Ascendente Iesu in naviculam etc. . . . . » 190
Ascendet, pandens iter ante eos . . . . . » 326
Assimilatum est regnum caelorum homini regi etc. . » 440
Assumam te, Zorobabel etc. . . . . » 573
Assumsit Iesus Petrum et Iacobum etc. . . . . » 215
» » » » . . . . . » 219
Audivimus de te, quod vir potens etc. . . . . » 489
Ave, *Maria*, gratia plena etc. . . . . » 677

B

Beati oculi, qui vident, quae vos videtis . . . . . » 401
Beatus vir, cuius est auxilium abs te . . . . . » 324
Benedicta tu inter mulieres etc. . . . . » 682
Benedictus, qui venit in nomine Domini . . . . *pag.* 39
» » » » . . . . . » 245

C

Caelum et terra transibunt etc. . . . . » 41
Christus passus est pro nobis etc. . . . . » 296
» » » . . . . . » 300
Cognosco oves meas, et cognoscunt me meae . . . » 302
Confide, filia, fides tua te salvam fecit . . . . . » 450
» » » . . . . . » 452
Confidimus in Domino Iesu, quia qui coepit etc. . . » 444
Consurgens Ioseph, accepit Puerum etc. . . . . » 144
Corona aurea super mitram eius etc. . . . . » 489
Creavit Deus hominem etc. . . . . » 582
Credidit homo sermoni etc. . . . . » 435
Cuius est imago haec et superscriptio? . . . . . » 445
» » » . . . . . » 446
Cum audisset Ioannes in vinculis etc. . . . . » 45
» » » . . . . . » 50
» » » . . . . . » 55
Cum ciecta esset turba etc. . . . . » 453
Cum essent discipuli congregati etc. . . . . » 293
Cum esset desponsata etc. . . . . » 93
» » . . . . . » 97
Cum esset Stephanus plenus Spiritu sancto etc. . . » 490
» » » » . . . » 492
Cum exaltaveritis Filium hominis etc. . . . . » 221
Cum factus esset Iesus annorum duodecim etc. . . . » 175
Cum natus esset Iesus in Bethlehem etc. . . . . » 166
Cum turba multa esset etc. . . . . » 378
Cum venerit ille Spiritus veritatis etc. . . . . » 309
» » » . . . . . » 311
Cum venerit Paracletus, quem ego etc. . . . . » 328
Cum videritis abominationem desolationis etc. . . . » 434
» » » » . . . » ib.

D

De excelso misit ignem in ossibus meis etc. . . . . » 341
Defuncto Herode, ecce, Angelus Domini etc. . . . . » 444

Deus autem spei repleat vos omni gaudio etc. . . *pag.* 55
Dicite filiae Sion, ecce, rex tuus etc. . . . . » 38
Dilectus Deo et hominibus etc. . . . . » 497
» » » . . . . . » 499
Diligebat enim Ionathas David etc. . . . . » 569
Diliges Dominum Deum tuum . . . . . » 418
Dimissa sunt ei peccata multa etc. . . . . » 558
Dirigite viam Domini . . . . . » 68
Discite a me, quia mitis sum etc. . . . . » 590
Domine, descende, priusquam etc. . . . . » 430
Domine Iesu, suscipe spiritum meum . . . . . » 493
Domine, inclina caelos tuos et descende . . . . . » 43
Domine, salva nos, perimus . . . . . » 188
» » . . . . . » 191
Domine, si vis, potes me mundare . . . . . » 187
Dominus dabit benignitatem etc. . . . . » 37
» » » . . . . . » 93
» » » . . . . . » 667
Dominus de Sinai venit . . . . . » 128
Dominus in caelo paravit sedem suam etc. . . . . » 320
Dominus prope est . . . . . » 70
» » . . . . . » 71
Dominus rex noster etc. . . . . » 169
Domus mea domus orationis vocabitur . . . . . » 387
» » » . . . . . » 390
» » » . . . . . » 392
Duc in altum, et laxate retia vestra etc. . . . . » 375
Ductus est Iesus a Spiritu in desertum etc. . . . . » 204
Dum iret Iesus in Ierusalem etc. . . . . » 406

E

Ecce, Agnus Dei etc. . . . . » 178
» » . . . . . » ib.
Ecce, elongavi fugiens etc. . . . . » 538
» » . . . . . » 541
Ecce, leprosus veniens etc. . . . . » 183
» » . . . . . » 186
Ecce, mulier Chananaea etc. . . . . » 213
Ecce, nos reliquimus omnia etc. . . . . » 549
Ecce, odor filii mei sicut odor agri pleni etc. . . . » 29
Ecce, servus meus, suscipiam eum etc. . . . . » 575
» » » . . . . . » 580
Ecce, tu pulcra es, amica mea etc. . . . . » 505
Ecce, Virgo concipiet . . . . . » 659
Effundam de Spiritu meo super etc. . . . . » 345
Effundam super domum David etc. . . . . » 333
Ego baptizo in aqua etc. . . . . » 69
Ego flos campi et lilium convallium . . . . . » 116
Ego Ioannes vidi sanctam civitatem etc. . . . . » 600
Ego sum pastor bonus . . . . . » 293
» » . . . . . » 301
Ego sum radix et genus David etc. . . . . » 114
Ego vox clamantis in deserto . . . . . » 67
» » . . . . . » ib.
» » . . . . . » 68
Egredietur virga de radice Iesse etc. . . . . » 657
Egredimini et videte, filiae Sion etc. . . . . » 96
Egredimini et videte, filiae Sion etc. . . . . *pag.* 120
» » » . . . . . » 241
» » » . . . . . » 244
Eiice ancillam et filium eius etc. . . . . » 236
Emissiones tuae paradisus . . . . . » 118
» » . . . . . » ib.
Emitte Spiritum tuum, et creabuntur etc. . . . . » 335
Equitatui meo in curribus Pharaonis etc. . . . . » 501
Erat Iesus eiiciens daemonium etc. . . . . » 229
Erat recumbens unus ex discipulis eius etc. . . . . » 496
Erit in novissimis diebus etc. . . . . » 687
Erit quasi oliva gloria eius etc. . . . . » 499
Erit radix Iesse, et qui exsurget etc. . . . . » 51
Erunt signa in sole et luna et stellis etc. . . . . » 34
» » » » . . . . . » 35
» » » » . . . . . » ib.
» » » » . . . . . » 36
Est enim haec speciosior sole etc. . . . . » 691
Est Ierosolymis probatica piscina etc. . . . . » 214
» » » . . . . . » 215
Estote misericordes etc. . . . . » 347
» » . . . . . » 349
Estote prudentes et vigilate in orationibus . . . . . » 328
Est puer unus hic, qui habet etc. . . . . » 234
Et pax Dei, quae exsuperat etc. . . . . » 69
» » » . . . . . » 70
Evangelizo vobis gaudium magnum etc. . . . . » 110
» » » . . . . . » 112
Exiit edictum a Caesare Augusto etc. . . . . » 123
Exivi a Patre et veni in mundum etc. . . . . » 313
» » » . . . . . » 314
Exsurge, Domine, salvum me fac etc. . . . . » 272
Extendens Iesus manum etc. . . . . » 186

F

Factum est verbum Domini super Ioannem etc. . . . » 77
Fili, quid fecisti nobis sic etc. . . . . » 171
» » » . . . . . » 173
Fili, recordare, quia recepisti bona etc. . . . . » 364
Filii Sanctorum sumus etc. . . . . » 598
Fluvius egrediebatur de loco voluptatis etc. . . . . » 117
» » » » . . . . . » 335
» » » » . . . . » ib.
Fons ascendebat e terra etc. . . . . » 116
» » . . . . . » ib.
Fons parvus crevit in fluvium maximum etc. . . . » 695
Fortitudo et decor indumentum eius etc. . . . . » 513

G

Gaudete in Domino semper etc. . . . . » 78
Gaudium erit coram Angelis Dei etc. . . . . » 366
» » » . . . . . » 370
» » » . . . . . » 372
Gavisi sunt discipuli, viso Domino . . . . . » 289
» » » . . . . . » 292
Germinet terra herbam virentem etc. . . . . » 33

Gloria in confusione ipsorum etc. . . . . *pag.* 453
Gratias agentes Deo Patri etc. . . . . » 455
Gratias ago Deo meo semper pro vobis etc. . . . . » 425
Gratia sicut paradisus in benedictionibus etc. . . . » 114

H

Hic est discipulus ille, quem diligebat Iesus . . . . » 496
» » » » . . . . » 497
His autem fieri incipientibus etc. . . . . » 23
Hoc fecit initium signorum etc. . . . . » 179
» » » . . . . . » 181
Homo quidam descendebat ab Ierusalem etc. . . . » 398
Homo quidam fecit coenam magnam etc. . . . . » 337
» » » » . . . . » 360
» » » » . . . . » ib.
Humiliamini sub potenti manu Dei etc. . . . . » 369
» » » . . . . . » 370

I

Iesus abscondit se et exivit de templo . . . . . » 241
Ignis in altari *semper* ardebit . . . . . » 499
Illa autem quae sursum est Ierusalem etc. . . . . » 235
» » » » . . . . » 236
Implemini Spiritu sancto etc. . . . . » 434
» » . . . . . » 435
In Christo Iesu neque circumcisio etc. . . . . » 133
» » » . . . . . » 138
In conspectu Angelorum psallam tibi . . . . . » 618
Induimini Dominum Iesum Christum . . . . . » 42
In facie prudentis lucet sapientia . . . . . » 499
In lilio et rosa gaudio implebo filios tuos . . . . . » 117
In novitate vitae ambulemus . . . . . » 380
In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut etc. . . . » 86
In omni opere bono fructificantes etc. . . . . » 456
In principio erat Verbum etc. . . . . » 124
In sole posuit tabernaculum suum etc. . . . . » 120
» » » . . . . . » 124
Intrantes domum invenerunt etc. . . . . » 151
» » » . . . . . » 155
» » » . . . . . » 156
» » » . . . . . » 160
» » » . . . . . » 166
Invenerunt illum in templo . . . . . » 174
» » . . . . . » 175
» » » . . . . . » 176
» » . . . . . » 177
Ioannes est nomen eius . . . . . » 543
Ipse enim Spiritus testimonium reddit etc. . . . . » 387
Ipse vero apprehensum sanavit etc. . . . . » 415
Israel germinabit sicut lilium . . . . . » 498
Iste pauper clamavit, et Dominus etc. . . . . » 535
Isti sunt duo filii olei etc. . . . . » 530
» » . . . . . » 546
Iuxta fidem defuncti sunt etc. . . . . » 605

L

Lavit nos a peccatis nostris . . . . . » 725
Levantes oculos suos neminem viderunt etc. . . . . » 220
Libavit de sanguine uvae etc. . . . . *pag.* 490
Lignum vitae, desiderium veniens . . . . . » 56
» » » . . . . . » 463
» » » . . . . . » 467
Lux orta est Iusto etc. . . . . » 706

M

Magister, quid faciendo etc. . . . . » 402
Magister, quod est mandatum magnum etc. . . . . » 422
Magister, scimus, quia verax es etc. . . . . » 441
» » » . . . . . » 444
» » » . . . . . » 445
Maria erat, quae unxit Dominum etc. . . . . » 560
Medius autem vestrum stetit etc. . . . . » 57
» » » . . . . . » 59
» » » . . . . . » 64
Memoriam fecit mirabilium suorum etc. . . . . » 255
Mihi autem pro minimo est, ut etc. . . . . » 87
Millia millium ministrabant ei etc. . . . . » 619
Miserunt Iudaei ab Ierosolymis etc. . . . . » 71
Modestia vestra nota sit omnibus hominibus . . . . » 69
Mortui enim estis et vita vestra etc. . . . . » 270
Motus magnus factus est in mari etc. . . . . » 192
Mundus autem gaudebit etc. . . . . » 306

N

Nascetur vobis parvulus etc. . . . . » 92
Nemo ascendit in caelum, nisi etc. . . . . » 318
Nemo potest dicere: Dominus Iesus etc. . . . . » 394
Nisi abundaverit iustitia vestra etc. . . . . » 378
Nisi quis renatus fuerit denuo etc. . . . . » 729
Nolite conformari huic saeculo etc. . . . . » 174
Nolite inebriari vino etc. . . . . » 433
Non est vestrum nosse tempora etc. . . . . » 321
Non potest arbor bona malos fructus facere . . . . » 384
Non sum ego Christus . . . . . » 72
Nos sumus circumcisio, qui etc. . . . . » 142
Nunc propior est nostra salus etc. . . . . » 42
Nuptiae quidem paratae sunt etc. . . . . » 429

O

Obtenebrentur stellae caligine eius etc. . . . . » 719
Obtulerunt ei munera etc. . . . . » 163
Omne datum optimum etc. . . . . » 337
Omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum . . » 291
Omnes morimur et ad gaudium etc. . . . . » 607
Omnis arbor, quae non facit etc. . . . . » 381
Omnis, qui irascitur fratri suo etc. . . . . » 375
Omnis, qui se humiliat, exaltabitur . . . . . » 395
Omnis vallis implebitur etc. . . . . » 77
Orietur stella ex Iacob . . . . . » 115
Orietur vobis timentibus nomen meum etc. . . . . » 95

P

Panis, quem ego dabo, caro mea etc. . . . . » 253
Parate viam Domini . . . . . » 74

Pastores loquebantur etc. . . . . *pag.* 124
Pax vobis . . . . . » 292
Per aliam viam reversi sunt etc. . . . . » 161
» » » . . . . . » 163
Per proprium sanguinem introivit etc. . . . . » 239
Petite, et accipietis etc. . . . . » 311
Plantaverat autem Dominus Deus paradisum etc. . . » 122
Porro, si in digito Dei eiicio daemonia etc. . . . . » 222
Positus est hic in ruinam etc. . . . . » 129
Post triduum invenerunt illum etc. . . . . » 174
Postquam consummati sunt dies octo etc. . . . . » 139
» » » » . . . . . » 140
» » » » . . . . . » 143
» » » » . . . . . » ib.
» » » » . . . . . » ib.
Postquam impleti sunt dies purgationis etc. . . . . » 653
Posuisti, Domine, in capite eius etc. . . . . » 485
Posui vos, ut eatis et fructum afferatis etc. . . . . » 517
Princeps ea quae sunt digna principe cogitabit . . . » 491
Probavit me quasi aurum etc. . . . . » 565
Produxit Dominus Deus de humo etc. . . . . » 116
Propheta magnus surrexit in nobis etc. . . . . » 413
» » » » . . . . . » 414
» » » » . . . . . » ib.
Puer Israel, et dilexi eum . . . . . » 495
Purgabit filios Levi etc. . . . . » 634
» » . . . . . » 637

Q

Quaecumque scripta sunt, ad nostram etc. . . . . » 52
» » » » . . . . . » 53
Quaerite Dominum, dum inveniri potest . . . . . » 212
Quaerite primum regnum Dei etc. . . . . » 407
» » » . . . . . » 410
Quasi cedrus in Libano . . . . . » 30
Quasi flos rosarum in diebus vernis etc. . . . . » 491
» » » » . . . . . » 498
Quasi plantatio rosae in Iericho . . . . . » 491
Qui aedificat in caelo ascensionem suam etc. . . . » 319
Qui creavit me requievit etc. . . . . » 671
Qui credit in me, sicut dicit Scriptura etc. . . . . » 339
Quicumque fecerit voluntatem Patris mei etc. . . . » 212
Quicumque Spiritu Dei aguntur etc. . . . . » 387
Qui descendit ipse est et qui ascendit etc. . . . . » 319
» » » » . . . . . » 321
» » » » . . . . . » 336
Qui facit voluntatem Patris mei etc. . . . . » 384
Qui legit intelligat . . . . . » 455
Qui mane vigilant ad me invenient me . . . . . » 126
Qui sedes super Cherubim etc. . . . . » 165
Qui se humiliat exaltabitur . . . . . » 392
Qui timent Dominum praeparabunt corda sua etc. . . » 32
Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi etc. . . . » 528
Quis est hic? et laudabimus eum etc. . . . . » 493
Quis mihi det te fratrem meum etc. . . . . » 88
Quod autem in bonam terram etc. . . . . » 198
Quodcumque dixerit vobis, facite . . . . . » 182
Quod enim in ea natum est etc. . . . . *pag.* 99
Quoniam estis filii Dei etc. . . . . » 132

R

Rationabile sit obsequium vestrum . . . . . » 177
Refloruit caro mea . . . . . » 281
» » . . . . . » 286
» » . . . . . » 288
Relictis omnibus, secuti sunt eum . . . . . » 372
Reliquit eum diabolus etc. . . . . » 208
Renovamini spiritu mentis vestrae etc. . . . . » 429
» » » . . . . . » 430
» » » . . . . . » ib.
Resedit qui erat mortuus etc. . . . . » 411
Respicite et levate capita vestra etc. . . . . » 39
Resplenduit facies eius sicut sol etc. . . . . » 219
» » » . . . . . » 221
Rex autem, cum audisset, iratus est etc. . . . . » 427

S

Sanctus in sapientia manet ut sol. . . . . » 519
Sanctificamini hodie; cras enim etc. . . . . » 96
» » » . . . . . » 97
Sapientia hominis lucet in vultu eius . . . . . » 498
» » » . . . . . » 562
Sapientiam sine fictione didici etc. . . . . » 524
Scitote, quoniam prope est regnum Dei . . . . . » 40
Sequebatur eum multitudo magna etc. . . . . » 231
Serve nequam, omne debitum etc. . . . . » 435
» » » . . . . . » 438
Sic nos existimet homo ut ministros Christi etc. . . » 85
» » » » . . . » ib.
» » » » . . . » 86
» » » » . . . » ib.
Si consurrexistis cum Christo etc. . . . . » 275
» » » . . . . . » ib.
Sicut sol oriens mundo etc. . . . . » 708
» » . . . . . » 712
Signum magnum apparuit in caelo etc. . . . . » 700
Si inveni gratiam in conspectu tuo etc. . . . . » 48
Simile est regnum caelorum etc. . . . . » 192
» » » . . . . . » 195
Similis factus est leoni in operibus suis etc. . . . » 510
Si quis sermonem meum servaverit etc. . . . . » 237
Si veritatem dico vobis etc. . . . . » 240
Solliciti servare unitatem spiritus etc. . . . . » 421
Solutum est vinculum linguae eius etc. . . . . » 395
Spiritu ferventes, Domino servientes etc. . . . . » 182
Spiritus Domini ornavit caelos . . . . . » 330
Stans retro secus pedes Domini . . . . . » 554
Statim veniet ad templum etc. . . . . » 649
Stephanus plenus gratia et fortitudine etc. . . . . » 478
» » » » . . . . » 482
» » » » . . . . » 484
Steterunt a longe et levaverunt vocem etc. . . . . » 403
Surge et accipe Puerum etc. . . . . » 144

Surge, illuminare, Ierusalem etc. . . . . *pag.* 166
» » » . . . . . » 167
» » » . . . . . » 168
» » » . . . . . » 170
» » » . . . . . » ib.
» » » . . . . . » ib.
Surgens Iesus imperavit ventis etc. . . . . » 491
Surge, tolle lectum tuum etc. . . . . » 423
Surrexit Dominus vere et apparuit Simoni . . . . » 280
Surrexit rex in occursum matris etc. . . . . » 693

T

Terra nostra dabit fructum suum. . . . . » 94
Tertio anno imperii sui rex Assuerus etc. . . . . » 250
Thesaurus desiderabilis etc. . . . . » 472
Tradebat iudicanti se iniuste etc. . . . . » 303
Tradetur enim gentibus etc. . . . . » 201
Tradidit semetipsum pro nobis oblationem etc. . . . » 230
Transeamus usque Bethlehem etc. . . . . » 102
» » » . . . . . » 106
Tres sunt, qui testimonium dant in caelo etc. . . . » 351
Tristitia vestra vertetur in gaudium. . . . . » 308
Tu, Domine, qui corda nosti omnium etc. . . . . » 514
Tulit David coronam Melchom etc. . . . . » 490
Tunc apparebit signum Filii hominis etc. . . . . » 585

U

Ubi est, qui natus est etc. . . . . » 145
» » . . . . . » 149
» » . . . . . » 167
» » . . . . . » 170
Una oblatione consummavit etc. . . . . » 640
» » » . . . . . » 644
Unus autem ex illis, ut vidit etc. . . . . » 406
Ut filii lucis ambulate . . . . . » 224
» » . . . . . » 231
Ut perfecerunt omnia etc. . . . . » 176
» » . . . . . » 648

V

Vas admirabile, opus Excelsi . . . . . *pag.* 713
Vas castrorum, sol in excelsis etc. . . . . » 121
Veni de Libano etc. . . . . » 699
Veni, Domine Iesu . . . . . » 49
Veniet desideratus cunctis gentibus . . . . . » 27
Venite ad me, omnes, qui etc. . . . . » 255
» » » . . . . . » 262
» » » . . . . . » 267
Venite et ascendamus ad montem Domini etc. . . . » 30
Verbum caro factum est . . . . . » 106
» » . . . . . » 110
Veritas de terra orta est . . . . . » 95
Vestigia eius secutus est pes meus . . . . . » 470
Vide arcum et benedic eum etc. . . . . » 112
Videbit omnis caro salutare Dei . . . . . » 78
» » » . . . . . » 79
» » » . . . . . » 82
» » » . . . . . » 83
» » » . . . . . » ib.
» » » . . . . . » 84
» » » . . . . . » ib.
Videbo vos, et gaudebit cor vestrum . . . . . » 308
Videbunt Filium hominis venientem etc. . . . . » 41
Videntes stellam Magi etc. . . . . » 169
Video caelos apertos etc. . . . . » 492
Videte, quomodo caute ambuletis. . . . . » 434
Vidi, et ecce, in medio throni etc. . . . . » 247
» » » . . . . . » 259
Vidi, et ecce, nubem candidam etc. . . . . » 32
Vidimus stellam eius in oriente etc. . . . . » 168
Vidit Iacob in somnis scalam etc. . . . . » 609
» » » . . . . . » 614
Vidit Ioannes Iesum etc. . . . . » 178
Visa est arca testamenti Dei etc. . . . . » 715
Vobis apertus est paradisus . . . . . » 119
Voca operarius etc. . . . . » 195
Vocatum est nomen eius Iesus . . . . . » 140
Vocavit illum et ait illi: Quid hoc audio etc. . . . » 384
Vos, qui secuti estis me etc. . . . . » 552

PROTHEMATA.

A

Abominatio Domini, cogitationes malae etc. . . . *pag.* 634
Accipietis virtutem supervenientis etc. . . . . » 314
Adeamus cum fiducia ad thronum gratiae etc. . . . » 259
Angelus, qui loquebatur in me etc. . . . . » 626
Argentum innocens dividet . . . . . » 731
Audite me, quoniam de rebus magnis etc. . . . . » 201

B

Beati, qui audiunt verbum Dei etc. . . . . » 224
Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me . . . » 215

C

Cognoverunt Dominum in fractione panis . . . . *pag.* 281
» » » » . . . . . » 286
Constituit eum super excelsam terram etc. . . . . » 472

D

Da sapienti occasionem etc. . . . . » 198
Difficile aestimamus quae in terra sunt etc. . . . . » 609
Disciplina tua, ipsa me docebit . . . . . » 441
Domine Deus, propitius esto etc. . . . . » 272
Dominus dabit verbum evangelizantibus etc. . . . » 250
Dominus misit me Iesus etc. . . . . » 478

E

Ecce, intelliget servus meus etc. . . . . *pag.* 435
Ego sum via et veritas et vita . . . . . » 530
Ego veni, ut indicarem tibi etc. . . . . » 467
Ego vox clamantis in deserto . . . . . » 59
» » » . . . . . » 538
» » » . . . . . » 541

F

Fac cum servo tuo secundum etc. . . . . » 349
Fons vitae, eruditio possidentis. . . . . » 695

G

Gloria mea semper innovabitur etc. . . . . » 133

H

Hoc mandatum habemus a Deo etc. . . . . » 364

I

In mansuetudine suscipite etc. . . . . » 524
In medio Ecclesiae aperiet os eius etc. . . . . » 64
Inspice et fac secundum exemplar etc. . . . . » 637

L

Labia sacerdotis custodient scientiam etc. . . . . » 222
» » » » . . . . . » 622
Laetabor ego super eloquia tua etc. . . . . » 569
Lingua placabilis, lignum vitae . . . . . » 463
Loquente Petro verba haec etc. . . . . » 57

M

Mane semina semen tuum etc. . . . . » 585
Misit servum suum hora coenae etc. . . . . » 247

N

Nihil reiiciendum est, quod etc. . . . . » 644
Non enim vos estis, qui loquimini etc. . . . . » 330

O

Omni negotio tempus est et opportunitas . . . . *pag.* 27
Ora pro nobis, quoniam mulier sancta es . . . . . » 640
Orietur vobis timentibus etc. . . . . » 519

P

Parvuli petierunt panem etc. . . . . » 183
Parvus fons, qui crevit in fluvium etc. . . . . » 23
Pervenit ad vos, sicut etc. . . . . » 456
Praeceptor, per totam noctem etc. . . . . » 74

Q

Quaeramus domino nostro regi etc. . . . . » 505
Quam pulcri sunt gressus tui etc. . . . . » 450
Qui audit dicat: Veni . . . . . » 238
Qui est de terra de terra est etc. . . . . » 667
Qui sedes super Cherubim etc. . . . . » 193
» » » . . . . . » 420
Quis poterit tonitruum magnitudinis etc. . . . . » 45
Quis, putas, est fidelis servus etc. . . . . » 575

R

Relinquite infantiam etc. . . . . » 208
Rogavit Ruth, ut spicas colligeret etc. . . . . » 470

S

Sapientia aedificavit sibi domum etc. . . . . » 600
Sapientia ubi invenitur etc. . . . . » 145
Sicut meridiana lux clara est etc. . . . . » 418
Sine me nihil potestis facere . . . . . » 171
Si quis vestrum indiget sapientia etc. . . . . » 204
Si separaveris pretiosum a vili etc. . . . . » 731
Spiritus Domini super me etc. . . . . » 231
Stans autem Iesus iussit etc. . . . . » 554
Surrexit Elias Propheta etc. . . . . » 129
» » . . . . . » 192
Suspice caelum et numera stellas etc. . . . . » 614

CORRIGENDA ET ADDENDA.

Pag. 4, col. II. lin. 10. post verba de *Corpore Christi* adde: Immo testimonio 4 codicum nunc nobis constat, illos 53 sermones de Tempore, quos genuinos probavimus, ab ipso Bonaventura scriptos et collectos fuisse; cfr. Prolegomena, cap. I. n. I. et cap. II. n. I. Alii etiam pauci sermones in hoc tomo contenti ita bene compositi sunt, ut ab ipso auctore saltem correcti esse videantur.

» 8, ante notam 4. in textu pro *in eodem* lege *in quarto*.

» 67, nota 12. lin. 1. pro *Parisiensi R* lege *Parisiensi B*.

» 68, nota 10. lin. 2. pro *in R* lege *in B*.

» 74, col. I. lin. 6. pro *viam Domino* lege *viam Domini*.

» 77, nota 3. lin. 2. pro *in R* lege *in B fol. 178*. Deinde adverte, hanc notam referendam esse ad sermonem III.

» 79, nota 3. lin. 2. pro *U* (*n. VI. E. 1017.*) lege *aa* (*47. I. II.*).

» 85, nota 2. pro *Vers. 6.* lege *Psalm. 20, 6.*

» 85, nota 4. pro *Psalm. 20, 6.* lege *Vers. 1.*

» 88 falso positum est *Pars I.* ad columnam II.

» 93, nota 10. lin. 3. pro *35595.* lege *25595.*

» 116, nota 12. lege *Vers. 9.*

» 138 pro nota 9. substitue: Libr. I. Homil. in Evang. homil. 7. n. 4.

» 151, nota 4. lin. 6. pro *n. 476.* lege *n. 14761.* Deinde delenda sunt verba: Bonaventurae inscribitur in cod. Parisiensi 1650. fol. 226 r.

» 174, nota 4. dele verba: *et Parisiensi R* etc.

» 255, nota 2. lin. 2. pro *pag. XXI.* lege *pag. XXXI.*

» 285, notae 8. adde: De philosopho infra citato cfr. Diogen. Laert., de Vitis philosoph., Aristipp. lib. 2.

» 336, col. II. circa finem in nota marginali pro *Divisio* corrige *Introductio*.

» 472, nota 9. lin. 1. pro *n. 1265.* lege *n. 1265.*

» 517, nota 9. lin. 1. post *Trecensi* adde *n. 1464.*

» 519, notae 4. adde: Eundem sermonem Echard O. P., Scriptores O. P. pag. 269 c. I., attribuit S. Bonaventurae et exscribit additamenta in fine sermonis.

» 525, nota 7. lin. 2. pro verbis: « Sequens locus Augustini verbotenus non invenitur » substitue: « Locus Augustini habetur II. Soliloq. c. 1. n. 1. ».

» 534, nota 1. lin. 1. pro *n. 16464.* corrige *n. 1464.*

» 543, nota 5. lin. 5. pro *458.* lege *8458.*

» 578, nota 10. pro *Epist. 117.* (*alias 55.*) corrige *Epist. 118.* (*alias 56.*)

» 590, nota 7. lin. 3. pro *n. 22595.* lege *n. 25595.*

IMPRIMATUR

Datum Florentiae die 8 Septembris 1901.

† ALPHONSUS MARIA MISTRANGELO Archiepiscopus.

Date Due

JAN 16 1996

9/27/04

PRINTED IN U. S. A.

BOSTON COLLEGE
3 9031 01236299 2